ROYDEN KEITH YERKES

Class No. Book No.

B. Picart inv. et delin. 1718.

NOVUS THESAURUS ANTIQUITATUM ROMANARUM,

CONGESTUS

AB

ALBERTO HENRICO DE SALLENGRE,

CELSISSIMORUM AC PRAEPOTENTIUM FOEDERATI BELGII ORDINUM REI AERARIAE QUATUORVIRO, NEC-NON SERENISSIMAE PRINCIPIS ARAUSIONENSIS CONSILIARIO.

TOMUS TERTIUS.

Cum figuris æneis.

HAGÆ-COMITUM
Apud PETRUM GOSSE,
MDCCXIX.

ILLUSTRISSIMIS VIRIS

AMSTELODAMENSIS REIPUBLICÆ

CONSULIBUS GRAVISSIMIS,

JOANNI TRIP, *Toparchæ in Berkenrode.*
NICOLAO VAN BAMBEEK,
ÆGIDIO VAN DEN BEMPDEN,
JOANNI SIX, *Toparchæ in Vromade*,

S. P. D.

ALBERTUS HENRICUS DE SALLENGRE.

VEteres Romanarum rerum Scriptores, & qui eos ad hæc usque tempora secuti sunt, hoc præcipuè

 nota-

notatu dignum judicarunt, Urbem Romam ab exiguis initiis in tantam magnitudinem & potentiam excrevisse, ut omnes terrarum Orbis Gentes, paucis exceptis, Imperio subjecerit. Constat tamen Romanos ante quingentesimum annum ab Urbe Conditâ, subactis finitimis aut in Societatem receptis, Italiâ pedem efferre ausos non fuisse, ita ut ad Pyrrhi Regis tempora, montibus & mari inclusi, vix fama Romani nominis ad exteras Gentes pervenerit. Quod rei navalis negligentiæ aut imperitiæ tribuendum esse dubitari non potest & Urbs vestra documento est. Longe enim aliter, AMPLISSIMI VIRI, si ejus incunabula spectemus, rem se habere constat. Nam licet summam Urbis Romæ potentiam æquare non possit, in eo quodammodo superior aut felicior videtur, quod a tenuissimis itidem initiis non bello, cædibus & vastationibus, sed diversis planè artibus, citius multo eximiâ magnitudine, opibus & famâ per universum terrarum Orbem inclaruerit.

Memoriæ proditum est jam centesimo anno post Urbem Amstelodamensem mœnibus cinctam, quamvis iniquo sed tuto loco positam & inter paludes demersam, ingentem peregrinorum numerum illuc confluxisse, scilicet morum simplicitate, fide & innatâ genti probitate non minus quam omni genere mercium instructâ Civitate, allectos. Nec multo post cum pomæria in majorem Urbis amplitudinem porrecta locum congerendis frumentis præbuissent, verè omnium Gentium horreum fuit, quod in aliis Regionibus aut Urbibus, quamvis antiquitate, magnitudine & potentiâ præstent, ne nunc quidem temporis invenias. Tanta enim frumenti vis hìc congeri & asservari solet, ut sola universæ Europæ per immodicum frigus ante paucos annos caritate annonæ & fame laboranti, auxilio fuerit. Paulatim ergo exterorum concursu, civium & navium numero incredibilem in modum aucta est. Quin & multi religionis aut durioris imperii causâ profugi, patriæ prorsus obliti, sedem in Urbe vestrâ posuerunt. Nec jam Europâ cives vestri contineri se passi sunt, Venetorum enim & Antuerpiæ opibus attritis, nullam Mundi utriusque plagam

navi-

navigationibus ad remotiſſimas oras intactam reliquere, & tandem Amſtelodamum haud dubiè celeberrimum Mundi Emporium haberi cœptum eſt; Nempe honos hic induſtriæ, labori indefeſſo, rei navalis peritiæ & frugalitati nauticæ, nulli gentium imitandæ, debetur. Primi quoque ad promovenda Indiarum & Orientis commercia in Societates coïere, eventu comprobante quantum inde incrementi Urbi ſimul & Reipublicæ additum, ut dubium non ſit quin illa (ſi forte Pariſios & Londinum antiquitate & perpetuâ Regum præſentiâ ditatas opibus hanc æquare credendum ſit) certe has quoque & omnes alias toto Orbe cognitas Urbes varietate & multitudine mercium longè poſt ſe relinquat: eo etiam ſuperior, quod omnes ſine exceptione Gentes, ſine civium veſtrorum ope & adjumento, magni momenti *Cambia*, ut vocant, difficulter perficiant. Longum eſſet omnia Urbis veſtræ miracula recenſere, quid enim de tot ædificiis publicis & privatis quæ Urbem egregiè exornant, de Armamentariis navalibus, & quæ parem non habet, de Curiâ veſtrâ Urbis & Orbis ornamento, de diſciplina & legibus tam prudenter ad omnes caſus accommodatis non dicendum? Satis erit notaſſe hæc omnia ex proavorum ſapientiâ & modeſtiâ originem duxiſſe & huc uſque ſubſtitiſſe. Quorum veſtigia prementes, AMPLISSIMI VIRI, jam in ſumma dignitate clavo Reipublicæ admoti, nullum non prudentiæ, vigilantiæ & moderationis exemplum præbere ſoletis; memores illud firmiſſimum eſſe Imperium quo obedientes gaudeant. Facilis eſt omnibus ad vos aditus, comiter eos & blandè accipitis, commoda eorum ſtudiosè quæritis, libertatem & quietem tuemini, ſoli per Urbem populariter inceditis, non lictoribus & faſcibus, non apparitoribus indigetis; ſatis præſidii in Civium amore & benevolentiâ eſt, qui vos ut Urbis & Patriæ Patres diligunt & quâ par eſt reverentiâ colunt.

Liceat & mihi, AMPLISSIMI VIRI, jam Civi veſtro & maternâ ſtirpe ex Urbe veſtrâ oriundo, pluribus olim Conſularibus familiis ſanguine & affinitate juncto, devo-

tionis meæ erga vos documentum, hunc Thesaurum Antiquitatum Romanarum Novum ad Clarissimi Grævii imitationem, vobis, eximiis Litterarum Cultoribus & Fautoribus, offerre, ut nominum tantorum inscriptione velut superbiat. Sic operam meam in congerendo, recensendo & in publicam utilitatem edendo hoc opere, optimè collocatam & præmium ejus satis amplum tulisse putaverim. Valete, VIRI ILLUSTRISSIMI, & hunc qualemcunque laborem, perpetuum meæ erga vos reverentiæ testimonium, æquo & benigno, ut soletis, animo accipite. Ita Deus Optimus Maximus vos Civitatis vestræ & Reipublicæ bono quam diutissimè incolumes servet.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

A. H. DE SALLENGRE.

VIdes in hoc Tomo, Benigne Lector, primo loco positas Illustrissimi Viri GISBERTI CUPERI, Consulis & Camerarii Daventriensis, nec non Regiæ Academiæ Inscriptionum & Bonarum Litterarum Socii, *De Elephantis in Nummis obviis Exercitationes duas* nunquam anteà in publicum visas. In elaborando hoc Opere multos annos desudavit celeberrimus Auctor, dum vixit, insigne Litterarum decus & ornamentum. Quidquid in assiduâ lectione occurrebat, quod ad illustrandum argumentum conferre poterat, sedulò annotavit; ad mortem usque Opus expolivit & novis accessionibus auxit. In *Historiæ Criticæ Reipublicæ Litterariæ* Gallicè conscriptæ Tomo decimo, qui anno 1715. prodiit, exstat Syllabus Capitum quæ in his Dissertationibus continentur. Si tamen cum eo conferatur quem huic Operi præmisimus, apparebit non modò integrum duodecimum Caput prioris Exercitationis ab illo tempore additum, sed etiam totum Opus quamplurimis in locis auctum esse. Editum est ex ipso Auctoris autographo manu satis eleganti conscripto, sed permultis chartulis pleno; varia enim variis temporibus subinde adjecerat. Cavendum itaque fuit ne rerum connexio & ordo præposterâ earum dispositione turbaretur. Accuratissimè igitur quæque loco suo poni curavi, quædam bis repetita delevi, & cum deessent Numismatum Icones aliquot, aliunde conquisitos adjeci. Unam solummodo lacunam reperies, B. L. pag. 64. quia Libri ad manum mihi non erant, eamque hîc supplere non inutile duxi. Hæc autem sunt verba Cl. CUPERI prædictâ paginâ. *Et hic ipse Seleucus usus est Elephantorum operâ cum contra Demetrium pugnaret, narratque Polyænus Lib. IV. Cap. 9. §. 3. eundem, cum Demetrii milites admodùm essent timidi, fortissimos elegisse satellitum, octo Elephantis ante ipsos collocatis, adlocutione suâ effecisse, ut Demetrii milites ad eum transirent; habuit inter cæteros Elephantum Indicum, nam plerique sui erant Libyci, qui vixit usque ad Antiochorum imperium, quorum primus regnare cœpit anno . . . . Æræ Seleucidarum.*

*

Notum

Notum est Æram Seleucidarum incipere anno Periodi Julianæ 4402, id est, Mundi 3672, Olympiade 117, quo anno Seleucus proprie regnare cœpit, exiguis enim copiis Babyloniam invasit, indè Nicanore Antigoni Duce devicto, Mediam, Susianam aliasque Regiones in ditionem suam redegit. Seleuci autem contrà Demetrium pugna, cujus meminit Cl. Cuperus referri debet ad annum Æræ Seleucidarum undecimum, quo Antigonus & Demetrius conjunctis copiis cum Regum trium, Seleuci, Lysimachi, Cassandri, exercitu conflixerunt. Notandum vero Demetrii in exercitu fuisse Elephantos LXXV. Seleucus victorem se victorum & ultimum Alexandri Commilitonum prædicans, post menses admodum septem à Lysimachi morte, à Ptolomæo Lagi ex Eurydice filio, Philadelphi fratre, per insidias circumventus occiditur, regnumque Macedoniæ, quod Lysimacho eripuerat, pariter cum vitâ amittit. Huic successit Filius ejus Antiochus Soter Antiochorum primus, Æræ Seleucidarum anno 31. & sic locus suprà allegatus supplendus est. Vide Dionysium Petavium *De Doctrina temporum* Lib. X. cap. 43. & cap. 47. & Lib. XIII.

Pelagoniam non esse Urbem contendit Cl. Cuperus in Exercit. II. cap. V. p. 151. ubi ait: *Sed apud neminem adhuc inveni Urbem nomine Pelagoniam, adeò ut erret Syncellus, & ex regione malè oppidum fecerit. Si quid tamen credendum Philippo Ferrario, Livius etiam nominis illius Urbem nobis narrat, sed ego id invenire non potui, & Lib. 26. cap. 25. Lib. 31. cap. 33. 34. & 39.* Pelagonia *non est nisi regio; quod si alii plus otii est, ut in hanc rem diligentius inquirat, illudque invenit, quod mihi sese non obtulit, haud gravabor mutare sententiam.* Videtur tamen pro Urbe posse sumi apud Livium Lib. 45. cap. 29. cujus hæc sunt verba: „ Quarta Regio „ (Macedoniæ) trans Boram montem una parte confinis Illyrico, altera „ Epiro. Capita Regionum ubi Concilia fierent, primæ regionis Amphipo- „ lim, secundæ Thessalonicen, tertiæ Pellam, quartæ *Pelagoniam* fecit. Eo „ Concilia suæ cujusque Regiones indici, pecuniam conferri, ibi Magistra- „ tus creari jussit.

Minime autem credendum est Cl. Cuperum in his Exercitationibus agere de natura, ingenio ac dotibus Elephantorum. In hoc argumento olim versati sunt Aldrovandus, Gesnerus & Bochartus: Diversam longè viam insistit, nihilque habet hæc Lucubratio commune cum iis quæ vel ab iisdem viris vel ab aliis memoriæ mandata sunt. Agit enim de Nummis, tam Græcis quam Latinis, qui Elephantis signati sunt; & ita simul digerit atque explicat illorum Historiam & fata quæ variis temporibus domiti & mansueti facti in Europa, Asia & Africa sunt experti. Elephanti autem picti sunt in nonnullorum Successorum Alexandri Magni, quorum aliqui capita proboscide tegunt, & frequenter admodùm in Romanorum Nummis; ut scilicet significarent eos in præliis captos vel Populo spectaculorum tempore exhibitos, vel pompis Circensibus ad Thensas junctos; vel ex ære & marmore decretos Augustis, vel actos triumphos; vel Imperatores Consulatum suscipientes ità processisse. Atque hic quidem Auctoris, ut ipse ait, præcipuus scopus, non tamen his se cancellis inclusit, vel de solis Elephantis agit, qui fuerunt Alexandri, ejus Successorum, Romanorum & Carthaginiensium; sed & Indi atque Æthiopes ad partes vocantur, quorum regiones harum belluarum feraces admodùm sunt, & qui suppeditant nonnunquam quæ absque fraude & detrimento ornamentorum quibus Cl. Auctor Elephantum suum insignem facere conatus est, omitti nequaquam poterant, quin & subinde unus aut alter veteris Auctoris locus vel nummus raritate suâ notabilis, Cl. Cupero occasionem dederant exspatiandi & quodammodo extrà oleas vagandi. Multi etiam recentiores castigantur & emendantur; sed eâ humanitate & mansuetudine quæ omnes

nes Litteratos decet, sed quam in paucissimis invenies. In primis autem notanda sunt Auctoris verba in fine harum Exercitationum *Quod si nonnunquam, ait, a vivis vel mortuis dissentio, & nonnulla Auctorum loca aliter, quam illis visum fuit, explicari debere indico, id ægrè eos, qui adhuc inter mortales versantur, quique absentium rationes præferunt, laturos, nequaquam confido. Nam cùm fieri non possit, ut nemo erret, cúmque dies diem doceat, itaque Reipublicæ Litterariæ interest, ut verus Auctorum sensus & genuinus protrahatur è tenebris, utque ex iisdem melius explicentur Nummi, qui huc usque non satis bene intellecti sunt. Ego certè à me errores nullo modo alienos esse puto; nec unquam mihi dolet vel dolebit, alios in alia omnia transire, & diversas semitas sequi. Illud tantum optandum foret, ut harum rerum studiosi, & Polymathiæ, ut sic loquar, Sacerdotes, modestè aliorum errores & lapsus emendarent, nec tanquam barrientes Elephanti, vel Porci grunnientes, vel Ranæ coaxantes, vel Ursi sævientes, vel Leones rugientes (veniunt enim mihi in mentem commodùm quæstiones, quas Grammaticis proponit Geta apud Spartianum) inveherentur & irruerent, spreto divino & humano jure, in eos, qui in eorum verba non jurant, nec amplecti possunt explicationes, quæ ipsis non rectè sese habere videntur. Melius certè actum foret cum Musis, castis illis & placidis Virginibus, si istiusmodi ingenia nunquam ad scribendum animum adjicerent, vel si in regionibus viverent, a quibus exsulat omnis humanitas, omnis elegantia, regnantque mores incommodi, feri & immanes; ut ita nullum dedecus ad eos perveniat, qui humanioribus studiis operam dant, quique eâ viâ sese tollere humo & nomen suum ab interitu vindicare conantur.*

In duas partes divisa est Illustrissimi CUPERI Lucubratio, quarum prima docet quid Elephantis ab Alexandro Magno, post victos Persas & Indos, captis, deinde aliis qui ex Indiâ & Æthiopia ad tanti Monarchæ Successores, Ægypti, Asiæ, Syriæ, & Macedoniæ Reges, aliosque pervenerunt, factum sit. In alterâ verò agitur de iisdem belluis, postquam Romanis primò fuerunt visæ, & Carthaginienses Asiæque Reges iis in bellis, quæ cum victore gentium Populo gesserunt, usi sunt; atque adeo de fortunâ quam Romæ & in Imperio Romano, tam pace quam bello & tam liberâ Republicâ quam Augustis ad clavum sedentibus, fuerunt expertæ. Quidquid autem super hac materia per alios profecit Cl. CUPERUS, summâ ingenuitate ac candore profitetur. Plura de egregio hoc Opere præfari inutile videtur, præstat ut Lectorem Benevolum eò remittamus.

Ad calcem Dissertationum adjecta sunt quæ de quadrigis Elephantorum commentati sunt, Henricus Norisius in *Duplici Dissertatione de Nummis Diocletiani & Licinii* Dissert. I. cap. 4, 5, 6. Ezech. Spanhemius ad *Orationem I. Juliani* p. m. 155. & Pagius in *Dissertatione Hypatica* p. m. 178.

Sequuntur JACOBI GUTHERII in Senatu Parisiensi Advocati, Civis & Patricii Romani, *De Officiis Domus Augustæ tam publicæ quam privatæ Libri tres*, reconditâ eruditione referti ac dignissimi qui iterum hic sistantur, præsertim cum jam in Thesauri Græviani Tomis V. & XII. exstent ejusdem Auctoris *De Veteri Jure Pontificio Urbis Romæ Libri quatuor*, item *De Jure Manium, seu de ritu, more, & legibus prisci funeris Libri tres*, quibus certè nihil hæc Lucubratio debet, sive doctrinam sive materiam ipsam spectes. Prodiit ea Parisiis anno 1628. 4. ac dein Lipsiæ recusa est anno 1672. 8. Ex hoc Opere evidentissimè patet quantùm ad illustrandas Romanas Antiquitates juvet adæquata Juris scientia. Magna enim pars eorum quæ de Consulibus, Præsidibus, Consularibus, Correctoribus, Spectabilibus, Illustribus, Consistorianis Comitibus, Cognitionibus, Consultationibus, Legibus, Constitutionibus, Pragmaticis Jussionibus, Edictis, Mandatis, Decretis, Epistolis,

tolis, Rescriptis, Præfectis Prætorio, Annonis, Quæstore Palatii, Magistro Officiorum, Advocatis, & quam plurimis aliis hìc traduntur, è Digestorum Libris aliisque antiqui Juris fontibus hausta ac eruta sunt. Veteres etiam Inscriptiones ab Auctore passim nec sine magno fructu proferuntur. Unum tantùm ad præclari Operis majorem perfectionem optandum foret, Auctorem nempe, Nummos ad partes vocasse, insignem qui præstant usum in explicandis variis Dignitatibus & Officiis Domus Augustæ. Rem illustrabo unico exemplo ex Illustrissimi Spanhemii Dissertatione X. Art. 6. *De Usu & Præstantia Numismatum.* Agit Gutherius, Libro tertio cap. 19. *De Procuratoribus Monetæ*, ac de illis multa differit ex antiquis Historicis & Jurisconsultis desumta. Sequentia autem à Gutherio intacta Nummorum ope eruit & detexit Spanhemius. Quemadmodùm verò, ait, publici Romæ Ærarii & Pecuniæ in Provinciis administratio Quæstoribus olim libera Urbe, &, quod ex Tacito Annal. XIII. cap. 29. liquet, sub Claudio etiam Imperatore, incubuit, ità MONETÆ in omni Metallo cudendæ curam ad TRIUMVIROS eam in rem constitutos, aut ad CURATORES etiam dictos, spectasse, non aliunde certius vel luculentius, quam ex ipso Nummorum vulgo Consularium conspectu discimus. Crebrò etenim in iis occurrunt IIIVIR AAA. FF. *Triumviri Ære Argento Auro Flando Feriundo*; vel, ut in gentibus *Antonia* & *Livineia*, IIIIVIR A.P.F. *Quartumvir Argento publicè Feriundo*; ita enim mallem postremas literas interpretari, quam cum præstantibus Antiquariis, *Argento Publico*, vel *Argento Puro*, præeunte mihi in eam rem Cicerone *De Legibus Lib. III. c. 3. Æs Argentum Aurumve PUBLICE signato.* Juvabit verò duos hujus notæ Nummos Gentis *Livineiæ* hìc adponere: quorum prior hinc tria demum *Triumvirorum* id genus, quibus illi designari consueverant, Gentium nempe *Livineiæ*, *Claudiæ*, *Statiliæ* cognomina exhibet, REGULUS PULCHER TAURUS; illinc, incudem ad feriendam monetam, & literas illius muneris indices AAA. FF. *Triumvir*, ut jam diximus, *Ære Argento Auro Flando Feriundo*: alter verò Nummus caput M. Antonii in priori nummi areâ; in aversa virum nudum sedentem cum Hasta & Clypeo, in quo caput Herculis cernitur, ostentat, cum inscriptione L. REGULUS IIIIVIR A. P. F. *L. Regulus Quartumvir Argento Publicè Flando.* Quo referri itidem debet singularis quidam denarius Gentis *Flaminiæ*, in quo monetæ caput cum Inscriptione IIIIVIR PRI. FL. *Quartumvir Primus Flavit*; illinc Victoria cum elata Corona in bigis, ac nomine illius *Flaminii*, qui inter primos è *Quatuorviris* à J. Cæsare *Flandæ Monetæ* constitutos extitit, L. FLAMIN. CHILO, quique cum eodem IIIIVIRI titulo, ac J. Cæsaris effigie, signatur in aliis ejusdem *Flaminiæ* Gentis nummis. Ita enim malo hæc verba interpretari IIIIVIR PRI. FL. *Quatuorvir Primus Flavit*, ut olim monui, quàm juxta priorem Fulvii Fam. Roman. ex edit. Patini p. 3. explicationem, ut *Primus Flamen*, J. Cæsaris nempè, ille L. Chilo designetur. Præterquam enim quod altum sit de hoc *Flamine* ejusque *Primatu* silentium; eum utique M. Antonius Divi Julii Sacerdos & Consul potiori jure sibi vindicat. Neque etiam in illo denario ulla *Julii* occurrit mentio, vel effigies, sed expressa Deæ Monetæ, sicut in aliis Nummis visitur, imago, & addita *Quatuorviri Flandæ Monetæ* dignitas, qualis est à J. Cæsare primum instituta, aucto scilicet *Triumvirorum Monetalium*, sicut reliquorum Magistratuum, numero. Quæ totidem fermè verbis olim à me tradita Dissertat. *De Usu*, &c. *Numm.* p. 553. nupera adsensione Celebris Antiquarii Vaillant Fam. Roman. T. 1. p. 441. de *Primo Quatuorviro Flandæ Monetæ* eas illius nummi voces similiter explicantis, etsi indictus forte ibi sim, firmari lubens video. Quamquam haud ignoti sint *primi* id genus *Flamines*,

mines, aut vero Πρῶτοι etiam Ἀρχιερεῖς in antiquis lapidum nummorumve monumentis designati, de quibus alio loco dicetur. *Flandæ* autem *Monetæ* mentionem itidem videas apud Symmachum Lib. X. Epist. 21. *Flandæ Monetæ nequitiam decoquat larga purgatio*; ac unde titulus sit in Codice Theodosiano, *si quis pecunias conflaverit*; & alibi *Flatuariorum* fiat mentio; quibus nempe esset flandæ monetæ cura. Illud vero cudendæ monetæ officium haud mirum quandoque monetalibus instrumentis, neque *Incude* solum, ut in adducto jam nummo, sed *Malleo* insuper ac *Forcipe*, significari; ut in aliquot denariis gentis *Carisiæ*. Unde adposité Hieronymus in Vita Pauli Eremitæ: *Per exesum montem haud paucula habitacula, in quibus scabræ jam Incudes & Mallei, quibus pecuniæ olim signatæ, visebantur.* Immo, de quo aliunde, ut opinor, non constat, *Lentulus* quidam in *Gente Cornelia* dicitur *Curator Denariorum Flandorum*, LENT. Cur. X. Fland. Hactenus Spanhemius. Redeamus ad Gutherium qui in his tribus Libris statum Domus Augustæ in Judiciis & cognitionibus Principum & illustrium Magistratuum Civilium qui vice Principis judicabant, positum explicat: Quæ apud illos negotia tractarentur, quæ causæ, quomodo agerentur, & quæ in iis omnibus Principis partes fuerunt, docet: denique laterculum utrumque, res fisci & quæ ad utrumque ærarium, (*pertinent*) sacrum & privatum, breviter exponit. Præter hoc Volumen, tria alia moliebatur Auctor, quæ absolvere non potuisse, jam grandævum, valde verisimile est. Primum Urbis Romæ Magistratus Civiles, variaque illorum officia continebat. Secundum ad Provinciarum potestates referebatur. Tertium ad rei militaris Magistratum, ordinem & disciplinam. Quibus etsi nos carere dolendum sit, est tamen cur Auctori debita referatur gratia propter tot exhaustos in hoc opere labores.
„ Lusi, ait ipse Lib. 3. c. 35., in iis colligendis diu, diuque in componendis
„ desudavi. Etenim oblectatio illa tot tantisque difficultatibus obruta est,
„ ut maximas mihi molestias in his perquirendis paraverit. Multa enim oc-
„ currunt, quæ sola conjectura vix potui augurari: multa etiam quæ in va-
„ rias importunorum hominum reprehensiones incurrent. Nam hæ nostræ
„ Litteræ, quæ humaniores animos docent, quæque in ludo primùm paran-
„ tur, hoc seculo in arenam trahuntur, nec alia studiosorum jam quam in
„ ludo gladiatorio vita est. Sunt enim plurimi verborum Aucupes & Retia-
„ rii syllabarum, quorum ars & societas tanquam ferarum conventus esse vi-
„ deatur. Ludunt, illudunt, eludunt, & fatum extremum melioribus lite-
„ ris portendunt: ita semper parato animo, ut famæ periculum subire ma-
„ lint quam alienam non rodere. Horum stultitiam contemnere; non imitari
„ velim." Subjiciam hic de nostro Gutherio Judicium celeberrimi GRÆVII in Præfatione Tomi V. Thesaur. Antiquit. Roman. *Variæ*, ait, *Vir erat & diffusæ lectionis, qui omne genus scriptorum excusserat, sed qui nonnunquam non satis, quæ legerat, concoxerat, nec satis, antequam quæ excerpserat & observarat chartis mandaret, expenderat, ne quid dicam de illius ingenio non celerrimo. Hinc sæpe cespitavit, ut obelis ejus libros confoderint homines docti non pauci, & seges satis ampla sit aliis reliqua, qui in hunc campum velint descendere.*

H. F. SALOMON *Exprætoris Burdigalensis & in Senatu Aquitanico* PRÆSIDIS, *De Judiciis & pœnis, item de Officiis Vitæ Civilis Romanorum Commentarius* typis excusus Burdigalæ anno 1668. 12°. brevis quidem sed non inelegans est. Primùm ordinem Judiciorum antiquorum apud Romanos tam publicorum quàm privatorum breviter exponit materiamque tot voluminibus fusè narratam ab aliis in epitomen contrahit. Insistit præcipuè in edisserendis Judiciis capitalibus, in quibus Actor & Reus ut causæ primariæ & personam necessa-

riam sustinentes, interventu Judicis totam fabulam absolvunt. Varia dein supplicia recenset quæ Reis confessis & convictis irrogabantur, ut supplicium crucis, laquei, carceris, pœna gladii, culei, deportationis aut relegationis, stigmatum, dejectionis è saxo, item pœna ad metallum. Agit etiam de ministris suppliciorum, de pœnis militaribus, (de quibus omnium optime egit Doctissimus Vir GER. SICHTERMAN in peculiari Dissertatione Amstelod. 1708. 8°.) de iis qui accusare non possunt, & de Testibus. Tandem de Officiis vitæ civilis Romanorum, varias nominis τὸ *Officium* significationes explicat, illud eoque sensu usurpat, ut officium dicatur quod quisque præstare debet, observatà locorum, temporum & personarum ratione. Multa autem officia præstabantur, ut togæ puræ, barbæ positæ, Recitationis, Declamationis, Sponsalium, Nominalium, agnoscendorum Liberorum, Advocationis, Deductionis & Salutationis, Sportularum, Conviviorum, Funeris, quæ omnia Auctor succinctè exponit.

JOSEPHI LANZONI *M. D. Ferrariensis ac in Patrio Gymnasio Lectoris ordinarii Acad. Natur. Cur. Collegæ*, &c. *De Coronis & Unguentis in Antiquorum Conviviis Exercitatio Philologica*, quam ab Italica in Latinam Linguam traduxit, sectionibus distinxit, Notis, & Animadversionibus auxit HIERONYMUS BARUFFALDUS Ph. D Ferrariensis, unà cum ejusdem Traductoris *de Armis Convivalibus* Schediasmate, non ità pridem Ferrariæ in lucem emissa est, ut & sequens HIERONYMI BARUFFALDI *Dissertatio de Præficis ad Illustrationem Urnæ Sepulcralis Fl. Quartillæ Præficæ*, cui accedunt JOSEPHI LANZONI *De Luctu Mortuali Veterum Adversaria.* Has autem Lucubrationes in hunc Tomum retuli, quoniam communi Librorum, qui in Italiâ formis excuduntur, fato, pauca eorum exemplaria in hisce oris visuntur & serò admodum ad nos perveniunt. Præterea de Coronis & Unguentis in Antiquorum Conviviis nemo adhuc ex professo egerat, varia tantum de iis collegerant ANT. THYLESIUS Libro *de Coronis*, G. STUCKIUS *Antiquitatum Convivalium*, Lib. III. 16. JO. ANDR. BOSIUS in Tractatu *de Coronarum Gestatione*, & CAROLUS PASCHALIUS Libro *de Coronis.* De Præficis nonnulla observavit KIRCHMANNUS, *de Funeribus Romanorum* Lib II. 6. & GUTHERIUS, *de Jure Manium* Lib. I. 15. Sed hoc argumentum multo fusius pertractavit BARUFFALDUS noster in modo laudata Dissertatione.

LAUR. J. MOLIN *de Clavibus Veterum Dissertatio* prodiit Upsaliæ 1684. 8°. eaque digna mihi visa est quæ iterùm prælo committeretur. Hanc jure merito eruditam nominat celeberrimus PETRUS BÆLIUS qui eam recensuit in *Novis Reipublicæ Litterariæ* mensis Octobris 1684. Quæcumque de Clavium inventione & variâ structurâ apud Antiquos Auctores occurrunt, fusè hic traduntur.

Occurrit dein *Incerti Scriptoris Interpretatio Inscriptionum & Epitaphiorum quæ Antiquariæ, quæ Urbs est Bæticâ in Hispaniâ, reperiuntur: Opusculum scriptum anno Christi* MDLXXXV. *sed anteâ nusquam editum.* Scriptor hujus Libri jam tum Ludo præfuit litterario Antiquariæ, in Vandalitia, & pro captu temporum & locorum eruditus fuit. Adgressus est interpretari Inscriptiones Romanas quæ in agro Antiquariensi inveniebantur, & ne perirent, à Joanne Porcello Prætore eo tempore muris Urbis insertæ. Iis subjecit patrii soli non inelegantem descriptionem. Prætermitto recentiores Inscriptiones, quæ ad antiquitates Romanas nihil pertinent. Sunt hîc XXX. antiquæ, quas numeris Romanis distinximus; cæterarum nullâ ratione habitâ. Pleræque ex Antiquis aut nunquam antea in lucem prolatæ fuerunt,

aut

aut mendis ſcatebant, quod ad ſingularum titulum adnotare non prætermiſimus. Neque enim dubitamus quin Scriptor noſter, qui eos per otium contemplatus eſt, ſummâ fide omnes expreſſerit. Non diſſimulabimus tamen XVIam. in honorem Divi Veſpaſiani AUG. IMP. ET CÆS. DELIT. GENER. HUMANI —— ET HIEROSOLIMIT. URB. EXPUGNATORI, videri nobis inter eas reponendam, quæ ab Hiſpanis marmori inciſæ, ut poſteritatem fallerent, piâ, ut loquuntur, fraude putantur. Titus ſemel *Auguſtus* dictus, nunquam *Auguſtus* & *Cæſar* ſimul vocatus eſt, cum poſterior titulus priori inferior ſit. Cæterarum omnium indubitata fides eſſe omnino videtur. Sed his miſſis, hoc unum monebimus, multa ab Amanuenſi in hoc Libello vitiosè exſcripta paſſim à nobis eſſe emendata.

Taurobolium antiquum Lugduni anno 1704. repertum eſt, cujus inſcriptio Doctorum ingenia exercuit. *Danielis* celebris Jeſuitæ Explicatio hujus Inſcriptionis exſtat in *Memoriis Trivultienſibus* menſis Aprilis 1705, eodemque anno aliam Lugduni edidit Rever. Pater *Colonia*. Elegantem itidem *De Tauroboliis* Diſſertationem publici juris fecit politiſſimus idemque eruditiſſimus Vir *Gros de Boze*, Regiæ Inſcriptionum & Bonarum Litterarum Academiæ à Secretis, quæ recuſa eſt in ejusdem ACADEMIÆ *Hiſtoriâ* quæ nuperrimè, ejus curâ & labore, prodiit & ingenti Eruditorum applauſu excepta eſt. Hæ tres Diſſertationes Gallicè ſunt conſcriptæ. Latina eſt, quam hic vides, celeberrimi Præſulis non ita pridem mortui PHILIPPI A TURRE *Episcopi Adrienſis*, *Explicatio Inſcriptionis Lugdunenſis*, cui annectitur alterius antiqui monumenti Explanatio, nempè PURPURINI A FAVENTIA, *Cæleſtinorum Ordinis S. Benedicti Secretarii*, *ad Calendarium Romanum Amiterni effoſſum minuſcula Commentaria*, ſecundum Editionem quæ Neapoli prodiit anno 1680. 4.

Habes deindè DOMINICI AULISII *de Gymnaſii conſtructione*, nec non *de Mauſolei Architecturâ Opuscula duo* quæ Neapoli lucem adſpexerunt anno 1693. 4°. unà cum ejusdem *Epiſtola de Colo Mayerano*, quæque rariſſimè in ipsâ quidem Italiâ occurrunt. In primo de veteri Gymnaſio disputatur: cujus deſcriptione ignoratâ, multa, quæ ad Artem Gymnaſticam, vel ad Gymnaſticam Medicinam pertinent, rectè intelligi & explicari non poſſunt: Gymnaſii Architectura ex Vitruvio proponitur, ut appareat quæ ejus pars Athletis, quæ Literarum Profeſſoribus tributa ſit: quæ diſcipulis, ut ſuas disputatiunculas celebrarent: ubi locatum Balneum fuerit, ubi frigida lavatio: ubi demum Platanones ſiti, inter quos & athletæ & ſtudioſi animum relaxabant. Hæc enim omnia in uno Gymnaſio erant, partim animi, alia corporis exercitationibus & ſaluti deſtinata: Opus, ſive ædificii magnitudinem, ſive oleum athletis, ſive alimenta tot hominibus, qui ei regendo, & adminiſtrando erant præſtanda, attendas, infinitæ impenſæ, quam non omnes Civitates ferre poterant, ſed nobiliſſimæ ſolùm. Cognatio materiæ fecit, ut Diſſertatiunculam de Mauſoleo adnecteret, quæ ſingula quidem ſtupendi operis ornamenta, quorum memoria omninò exolevit, non exhibet: univerſi tamen operis diſpoſitionem, formam, menſuras tam curiosè perſequitur, ut de ædificio, quod exſtet, omniumque oculis obverſetur, paria tantum tradi poſſe videantur. Notum eſt Mauſoleum fuiſſe magnificentiſſimum ſepulcrum quod ab Artemiſiâ Mauſoli Regis Cariæ Uxore Halicarnaſſi erectum & inter ſeptem Miracula numeratum eſt, teſtibus Plinio 36. 5. A. Gellio 10. 18. & Cicerone Tuſc. Quæſt. 3. 31. Sepulcrum poſtea Auguſti ad imitationem Halicarnaſſenſis Mauſolæum appellatum fuit. Hoc Auguſtus ſibi vivus fieri curavit. In eo Imperatores usque ad Hadrianum fere omnes

conditi fuere. De prioris autem Mausolei structura hic disserit Aulisius. In Epistola *de Colo Mayerano* explicatur antiquitatis monumentum proximè Romam repertum. Est instrumentum ex ære, rotundum, quod ita cortinæ ritu cavum est, ut simul mamillæ speciem exhibeat; multis foraminulis certo & eleganti discursu totum pertusum, ut si liquorem infundas nequeat continere, sed ad guttam transmittat. Quocirca statim oculis & menti Coli cujusdam imaginem objicit. Est manubrio instructum, lato planoque, quatuor omnino spatiis distincto, in quibus singulis variæ cernuntur figuræ arte toreutica exstantes, argento exornatæ. Colum hoc autem dictum *Mayeranum*, quia *Marcus Mayer* primus evulgavit & Eruditis explicandum proposuit. Ejus ectypum accuratè in æs incidi curavi. Duo autem hic præstat Aulisius, primùm quid significent figuræ in manubrio Coli exstantes ingeniosè explicat, deinde de ipso instrumento ejusque apud Veteres vario usu eruditè agit. Olim erant Cola in œcis & cœnaculis pro vino refrigerando. In deliciis enim & tunc fuit vinum cum nive glaciéve refrigeratum. Interdum etiam vinum per mediam nivem transire cogebant; ad eamque rem paratum habebant Colum nive oppletum. Ita ut per nivem sibi viam faciens, ex Coli foraminulis unà cum nivis tabe exiliret, excipiendum a sitientibus. Erat & apud Medicos Colum in usu ad varia, sed præsertim ad vina medicata, quæ Plinius *factitia* appellat, & unguenta. Et ad hunc usum comparatum credit Colum Mayeranum, quam opinionem variis rationibus non contemnendis tuetur. In *Novis Litterariis* 10. Septembris 1717. „ obiisse eo an„ no dicitur DOMINICUS AULISIUS, Primarius Juris Professor, Vir „ stupendæ eruditionis, multaque inedita reliquisse, dignissima quæ lucem „ adspiciant.

Huic Epistolæ accedit *de eodem Colo* altera CLAUDII FRANCISCI MENESTRIER, è Societate Jesu, (cujus Vita enarratur ac Opera recensentur in *Memoriis Trivultiensibus* mensis Aprilis 1704.) *ad Cl. Virum Marcum Meyerum ex Lingua Gallica nunc primùm versa.* Dissentit ille ab Aulisio, cum existimet, quatuor anni tempestates in quatuor intervallis Manubrii Coli repræsentari, nec dubitet Colum hoc Libationibus, quæ tempore Vindemiæ, recepto more, fiebant, publicè inserviisse. Occupati enim in Vindemia, antequam vinum è cupis extraxissent, ope similis instrumenti aliquid vini exinde hauserunt, atque solenni ritu Baccho obtulerunt, & præ effusi gaudii amplitudine vinum in terram effuderunt, aut etiam è calice primitias vini degustarunt.

Sequuntur Tractatus aliquot de Magistratibus Romanorum. I. RAPHAELIS VOLATERRANI *de Magistratibus & Sacerdotiis Romanorum Commentarius* ex Libro XXIX. ejusdem Commentariorum Urbanorum desumtus est; additæ hîc sunt Notæ PETRI SCRIVERII ad Inscriptiones nonnullas, quæ vitiosè admodum à Volaterrano editæ sunt. Post eum plura & accuratiora de Magistratibus commentati sunt Viri docti, ejus tamen Libellum à quamplurimis laudatum hîc reponendum censui. II. Paulo longior est JANI GULIELMI Lubecensis, *Plautinis Quæstionibus* editis clari, ac inter eruditos Viros, licet juvenis obierit, recensendi, *de Magistratibus Reipublicæ Romanæ* elegans Dissertatio Rostochii anno 1577. 8°. primùm excusa. De iis præcipue Magistratibus disserit qui Rempublicam Romanam, dùm in libertate Urbs fuit, administrarunt, partim quod horum cognitionem magis necessariam arbitretur, partim quod sub Regibus pauci, sub Imperatoribus variè pro lubitu Principum aucti, imminuti & mutati sint. Brevi Collatione facta Græcæ & Romanæ Historiæ & nonnullis de Senatu Romano præmissis, Magistratus dividit in Patricios, Plebeios, Minores,

nores, Extraordinarios, & Militares. Inter Magiſtratus Patricios referuntur, Dictator, Magiſter Equitum, Conſules, Interrex, Cenſores, Prætor, Ædiles Plebeji & Curules, Quæſtores: inter Plebeios & Minores, recenſentur Tribuni Plebis, Triumviri Capitales, Triumviri nocturni, Triumviri Monetales & Menſarii, Magiſtri Vicorum. Inter Extraordinarios, Decemviri legibus ſcribendis, Tribuni militum Conſulares, Triumviri Coloniis deducendis, Præfectus Urbis, & Præfectus annonæ. Inter Militares numerantur Imperator, Proconſul, Proprætor, Duumviri Navales, Tribuni militum, & Centurio. Tandem Magiſtratuum Miniſtros recenſet qui fuere, Scribæ, Lictores, Viatores, Accenſi, & Statores. III. Excipit hunc GEORGII VAUCHOPII, Scoti, *de Magiſtratibus Populi Romani Tractatus* non contemnendus, qui primùm lucem adſpexit Romæ anno 1595. In eo agitur, non de Romanis qui ſub Imperatoribus jugo ſervitutis ac tyrannide preſſi fuerant, ſed de ſtatu Populi Romani, ante deletam Carthaginem, ſaltem ad tyrannicum Cæſarum dominatum. IV. Æ. PRÆVOTII Uxellodunenſis *de Magiſtratibus Populi Romani Commentarius* prodiit Lauſannæ anno 1578. 8. In eo expenditur gubernandæ Reipublicæ Romanæ ratio, & recenſentur Magiſtratus, ab Urbe condita usque ad Caji Julii Cæſaris tempora qui Dictaturam perpetuam geſſit. Capite primo exhibetur accurata valde Tabula quæ continet numerum, Centurias, arma & tela Cenſuum & Claſſium in quas Servius Tullius olim Populum Romanum diviſit. Nonnulla dein præmittit de Comitiis, Civibus Romanis, Coloniis & Municipiis. V. HENRICI BEBELII Justingenſis, Poëtæ Laureati, quique in Academiâ Tubingenſi humaniores Literas non infeliciter docuit, *de Romanorum Magiſtratibus & Sacerdotibus Libellus* in lucem primùm eſt editus, cum aliis Bebelii Opusculis, Argentinæ 1513. 4. magisque propter argumenti affinitatem & Auctoris celebritatem locum hic invenit quàm propter Libelli ipſius præſtantiam, nam poſt Bebelii tempora, politiora & luculentiora ſuper hoc argumento in publicum prodierunt. VI. PETRI FABRI, *Regii Conſiliarii, Libellorum ordinarii Magiſtri & in Senatu Tholoſano Præſidis, de Magiſtratibus Romanorum Commentarius* verè doctus potiſſimum ad Conſules ſpectat. In principio operis ait Auctor ſe ea legiſſe quæ de Magiſtratibus Populi Romani deque eorum officio & inſignibus ſcripſere LAZIUS in *Commentar. Reipubl. Roman.* HOTTOMANN. in *Commentar. Vet. Juris.* BRISSONIUS in Libro *de Verb. Signific. & Antiquitatum.* „ Cum iis, pergit PET. FABER, contuli nuper animi cauſa quæ olim aſſiduo labore, magnisque vigiliis undiquè conquiſiveram. Quædam ab aliis nondùm animadverſa, aut à nobis diligentius pertractata deprehendi, quæ cum attento animo perlegiſſem, prorſus digna viſa ſunt, ut ex latebris in medium proferrentur, in ſtudioſorum Antiquitatis gratiam. “ Primò obſervatur Prætores Conſulum Collegas fuiſſe, Conſulum quàm Prætorum, Proconſulum quàm Proprætorum, auctoritatem majorem fuiſſe; in Republica eſſe Præfectum feriarum. Deinde de Sellis Magiſtratuum agitur, de ingreſſu eorum in Urbem, de Toga pura & palmata Veſte, de Scipione, Aquilâ eburnea, & Sceptro. In Capite ſecundo docetur pro Conſulibus Magiſtratum ineuntibus ſumptus in ludos & miſſilia fuiſſe factos, manumiſſiones expeditas, recitata oratione ſpem factam libertatis, vota pro ſalute Principis, æternitate Imperii & ſalute Civium nuncupata & perſoluta, jurejurando in acta Imperatoris & legis adhibito. Poſteà de Mappa, de Ominibus, de Jurejurando Militari, Senatorio, & Magiſtratuum: tum de Judicibus tam Athenienſibus quàm Romanis varia diſſeruntur.

Paucis visa est, quam hic exhibemus, ERYCII PUTEANI *Pecuniæ Romanæ Ratio* facillimo ad nostram calculo revocata secundum Editionem Lovaniensem 1622. 8. cui subjecta est non inelegans HERMANNI CONRINGII Dissertatio *de Studiis Urbis Romæ & Constantinopolis*, Helmstadii 1657. 4. nec non, quæ hunc Tomum claudit, CHRISTOPHORI CELLARII *de Studiis Romanorum Litterariis in Urbe & Provinciis* Dissertatio. Vale Lector & his fruere. Dabam Amstelodami, ipsis Calendis Julii MDCCXIX.

SERIES

SERIES SCRIPTORUM

QUÆ

In tertio Tomo Novi Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

I. GISBERTI CUPERI *Consulis & Camerarii Daventriensis, nec non Regiæ Academiæ Inscriptionum & Bonarum Litterarum Socii, De Elephantis in Nummis obviis Exercitationes duæ, nunc primum editæ.* 1

II. JACOBI GUTHERII *in Senatu Parisiensi Advocati, Civis & Patricii Romani, de Officiis Domus Augustæ publicæ & privatæ Libri tres.* 285

III. H. F. SALOMON *Exprat. Burdig. & in Senatu Aquitanico Præsidis, de Judiciis & Pœnis Romanorum :* Item *de Officiis vitæ Civilis Romanorum Commentaria.* 625

IV. PETRI LANZONI *Ferrariensis, de Coronis & Unguentis in Antiquorum Conviviis Exercitatio ab Italica in Latinam Linguam traducta, sectionibus distincta & notulis aucta ab* Hieronymo Baruffaldo *Ferrariensi.* 669

V. HIERONYMI BARUFFALDI *de Armis Convivalibus Schediasma.* 737

VI. HIERONYMI BARUFFALDI *de Præficis ad Illustrationem Urnæ Sepulcralis Fl. Quartillæ I. Præficæ Dissertatio.* 745

VII. PETRI LANZONI *de Luctu Mortuali Veterum Adversaria.* 781

VIII. LAUR. J. MOLIN *De Clavibus Veterum Dissertatio.* 789

IX. INCERTI SCRIPTORIS *Interpretatio Inscriptionum & Epitaphiorum quæ Antiquariæ, quæ Urbs est Bœticâ in Hispaniâ, reperiuntur. Opusculum anno* 1585. *scriptum sed nunquam antea editum.* 845

X. PHILIPPI A TURRE *Episcopi Adriensis Explicatio Inscriptionis Taurobolii Lugdunensis.* 853

XI. P. D. PURPURINI A FAVENTIA *Cælestinorum Ordinis S. Benedicti Secretarii ad Kalendarium Romanum Amiterni effossum Minuscula Commentaria.* 865

XII. DOMINICI AULISII *de Gymnasii constructione & Mausolei Architectura Opuscula duo.* 889

XIII. DOMINICI AULISII *de Colo Mayerano Epistola ad D. D.* Didacum Vincentium a Vidania. 921

XIV. CLAUDII FRANCISCI MENESTRIER *è Societate Jesu de eodem Colo Epistola ad Cl. V.* Marcum Mayerum *nunc primum è Gallico idiomate in Latinum versa.* 937

XV. RAPHAELIS VOLATERRANI *De Magistratibus & Sacerdotiis Romanorum Commentarius, cum Notis* Petri Scriverii. 945

XVI. JANI GULIELMI *Lubecensis, de Magistratibus Reipublicæ Romanæ, dum in Libertate Urbs fuit, Libellus.* 965

XVII. GEORGII VAUCHOPII *Scoti, de Magistratibus Veteris Populi Romani Tractatus.* 1001

XVIII. Æ. PRÆVOTII *Uxellodunensis, de Magistratibus Populi Romani Commentarius.* 1041

XIX. HENRICI BEBELII *Justingensis, de Sacerdotiis & Magistratibus Romanorum Libellus.* 1101

XX. PETRI FABRI *Regii Consiliarii, Libellorum Ordinarii Magistri, & in Senatu Tholosano Præsidis, de Magistratibus Romanorum Commentarius.* 1113

XXI. ERYCII PUTEANI *Pecuniæ Romanæ Ratio facillimo ad nostram calculo revocata.* 1169

XXII. HERMANNI CONRINGII *de Studiis Liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis Dissertatio.* 1193

XXIII. CHRISTOPHORI CELLARII *de Studiis Romanorum Litterariis in Urbe & Provinciis Dissertatio.* 1233

GISBERTI CUPERI,
CONSULIS AC CAMERARII DAVENTRIENSIS,

DE

ELEPHANTIS

IN NUMMIS OBVIIS

EXERCITATIONES DUAE:

Nunc primùm editæ.

INDEX CAPITVM.

EXERCITATIO I.

Cap. I. *Breviarium Operis; India Elephantorum ferax* A *; ingens Regibus illis ad bella gerenda, & vix credibilis numerus; iidem apud Seras vel Chinenses; Trigautius notatus; an soli Reges iis vecti; Tristani sententia examinata; parvis Indi arabant; Elephantorum currus; Mela expositus; sub jugum ducti; num frenis & lupatis fuerint recti; Oppianus ex Nummis illustratus; error Isidori & M. Pauli Veneti; Barro, Baris, Barritus, de Elephantis; Horatii Scholiastes expensus; Schachii ludus propter Elephantorum simulacra Indis natales suos debere putatur.* B

—— II. *Ante Alexandrum num in Europa visi sint Elephanti disputatur; negaturque, licèt nonnulli Auctores, Plato, Herodotus, Æsopus eò ducere videantur: Fabulæ Æsopi, ab illo non sunt conscriptæ; an Persæ & Lydi suo tempore Elephantis usi; Frontinus tentatus; Cameli in bello; Potterus notatus; Pictores reprehensi. Elephantos in Ægypto ante Alexandrum fuisse suadet urbs* Elephantine, *valdè antiqua; Elephas Syris, Chaldæis, Arabibus & Æthiopibus* Phil *dictus, Procopii error. An Bacchus triumphans currû Elephantorum Thebas Bœotiæ sit ingressus, juxta Plinium & Nummos; an verò Elephanto* C *fuerit vectus. Variarunt veteres Fabularum Architecti in describendis animalibus, quæ currui Bacchi fuerunt juncti. Tigres, Pantheræ, Centauri, Elephanti; binorum Eruditorum error; Nonnus explicatus, & ejus Interpres notatus;* δίφρος, ὄχημα, *de Equo & Elephante, licet currui non forent juncti; Plinius vindicatus; Claudianus malè expositus ab Aldrovando; Nummi Nicæensium, Gazæ Gallorum Regiæ inediti; Harduinus reprehensus; dentes Elephanti Bacchus dedicavit in Templo Deæ Syriæ; Osiris vel Bacchus illa animalia venatus est. Alia loca in medium* D *ex veteribus Auctoribus producta, unde fortè posset evinci Elephantos in Europa ante Alexandrum visos fuisse.*

—— III. *An ante Alexandrum alii; præter Indos, Asiæ Reges, Elephantis in bello usi sint; rejicitur nonnullorum sententia; qui putant ad Salomonem eos adductos. Epistola de hoc argumento Nicolai Gurtleri. Nulli etiam in Judæa tempore Jobi; Sal. van Til notatus. An illis bellaverint ante Alexandrum Persæ; Ægyptii, Æthiopes & Arabes. In Arabia nulli Elephanti, licèt id videatur tradere Auctor Epitomes Strabonis; Æthiopes & Ægyptii non usi sunt in prœliis* E *ante Ptolemæos Elephantis. Nullus Elephas inter litteras Hieroglyphicas: Hofmannus notatus; ad veterem ætatem non sunt referenda Hieroglyphica Horapollinis; Pierius perstringitur; Kircheri judicium ea de re. Nullibi in S. Scriptura memorantur inter bellicos apparatus; Pictorum error; Cameli in exercitibus Persarum; Ezechiel. locus 25. 5. Nummus M. Antonini. Qui Indi Persarum Regibus paruerint: Assueri Regnum à nonnullis nimis latè, ab aliis nimis arctè describitur: Dodwelli error: ante Alexandrum soli ferè Indi Elephantis in bellis usi; nec* F *ante illud tempus id fecerunt Carthaginienses; licèt antiquiores memorentur Africæ populi, qui id fecerint. Jubæ Regis locus: Ælianus explicatus. Lucretius malè originem pugnandi ex Elephantis Carthaginiensibus tribuit: Lambinus notatus in ejusdem Poëtæ loco exponendo.* Anguimani *sunt Elephanti eidem & Lactantio: Philostrati & Heliodori narratio fabulosa: Semiramis ex tergis boum, cum Indis bellatura, Elephantorum simulacra fabricari jussit. Derbices ope Elephantorum vicerunt Cyrum.*

—— IV. *Elephanti tandem in exercitu Regum Persarum, & quidem Darii, cum quo Alexander pugnavit. Hi capti videntur fuisse à Victore, qui & alios à variis Præfectis Persis accepit, antequam Indiam aggrederetur. Variant Auctores num iis in prælio, quod cum Poro habuit, usus sit. Multos ibi cepit; & unum, ex quo Porus pugnaverat,* Ajacem *appellat, Solique consecrat. Historia hæc fabulosa, & alia Auctoris de Fluminibus; Porus Regno restitutus Elephantos alios habuit, quos ei occiso abstulit Eudamus. Alexandri tabernaculum Elephantis cinctum, & quidem cùm jus diceret Barbaris, id factum procul dubio ad imitationem Regum Indorum: an Craterus fuerit Elephantarcha disputatur; Bochartus notatus. Historia binorum canum, qui à Rege Albaniæ dono erant dati Alexandro, quorum unus elephantem dejecit; Docti malè hos canes confundunt cum canibus, quos idem tulit à Rege Indorum Sopithe; varii Auctorum loci elucidati: Harduinus notatus; Solinus vindicatus; Albani canes Hispania orti; Vlitii error. Alexander in Nummis vehitur curru* IV. *Elephantorum, quos malè nonnulli vetustos valde faciunt, licèt non cusos illo vivo; eorum ectypi. Ejus statua aurea post mortem vecta curru elephantorum in pompa Ptolomæi Philadelphi; picti vel ficti fuerunt in curru, quo cadaver ejus deportatum in Ægyptum; Diodori Sic. Interpres notatus; elephantis exuviis ex nonnullorum sententia caput ejus in nummo ornatum; qui tamen judicatur esse Alexandri, filii Cassandri, Macedoniæ Regis; Nummi adulterini, in quibus cognomina* φύσκωνος, Λαθύρε, Αὐλήτε *& similia occurrunt. Ebur quarè appelletur* Assyrium Ovidio. *Laus hodierni Imperatoris Moscorum; Varii Libri Lingua Sclavonica conscripti: Curtius correctus: Eustathius notatus; ut & Maussacus.*

—— V. *Alexandri Successores Elephantis in prœliis usi; Perdiccas, Antigonus; Eumenes belluas hasce etiam habuit, acceptas ab Eudamo; Diodorus vel corruptus, vel non satis diligens in describendo numero earum; Elephas* προηγέμενος: *Polysperchon etiam Elephantis bellavit, quorum vim inutilem fecit Demades in oppugnatione Megalopoleos.*

—— VI. *Reges Ægypti, Ptolemæi, habuerunt multos Elephantos, iisque in bellis usi sunt; Philadelphus rectè dicitur instituisse primus eorum venationem. Frustra se cruciat Photius. Ptolemaïs urbs in Troglodytica, inde appellata* Epitheras; *Regio Cinnamomifera in Africa ad Mare Rubrum; mons dictus Elephas, ut & fluvius; Ælianus expositus. Ptolemæi caput proboscide ornatum, ad quem referri Ptolemæorum debeat, disputatur; Appiani Interpres notatus; Philadelphus in pompa Bacchum Elephanto insidentem transducit, & 24. Elephantorum currus. Philopator etiam belluas hasce possedit, iisque Judæos Alexandriæ occidere voluit; dato iis vino thure condito: Interpres vetus Josephi factum hoc Euergetæ tribuit; qui notatur; id quod etiam facit Rupertus: at contrà Philopatori adsignat Auctor Macchab. & Chron. Alexandrini, nec non Excerpta Scaligeri. Indi iisdem dabant vinum ex oryza & calamis vel sacchara expressum; de quo potu locus elegans M. Pauli Veneti adducitur; an*

visum reddat imbelles Elephantos. Numerus Ele- A
phantorum Philopatoris. Zonaras expositus, &
tentatus. Cleopatræ caput exuviis Elephantis orna-
tum, uti etiam unius ex Ptolemæis ex opinione
Begeri: naves ἐλεφαντηγοὶ, quibus ex Troglodyti-
ca per Sinum Arabicum Elephanti in Ægyptum
deducebantur.

—— VII. *Seleucus Nicator Rex Asiæ plurimos ha-
buit Elephantos; Suidas correctus: Malelæ error:
Seleucus primò post Alexandrum* ἵππαρχος, *vel
summus equitum præfectus; inde Rex;* 403. *vel*
500. *Elephantos possedit; Strabonis Interpres cor-
rectus; Apameæ in campis eos aluit, inde in ur-* B
*bis illius Nummis Elephas; Seleucus in iisdem
monumentis vehitur quadriga Elephantorum, nisi
Pallas sit; anchora in ejus & Seleucidarum alio-
rum Nummis; quæ quare indita sit nummo Ale-
xandri Magni, inquiritur; Harduinus perstri-
ctus. An Seleucus vivo Alexandro fuerit Ele-
phantarcha; Seguinus notatus: Justinus tentatus:
Sandrocotti Elephas. Seleucus non occisus in prælio
ad Issum; Arriani Interpretes notati. Antiochus
Soter etiam Elephantis usus est in prælio contra Ga-
latas; Elephanti caput, & Elephas in Nummis
unius Antiochorum. Inquiritur an Soteris Nummi
signati sint* Sanitatis *Symbolo, uti varii Eruditi* C
*tradunt; Vaillantius notatus; ut & Appiani In-
terpres; pentagonum illud & alia huc pertinentia
multis illustrantur, & corriguntur; Sim. de Vries
erroris arguitur; Kircherus notatus; ut & Jac.
Gronovius; Mich. Ang. Caussæus; ac Const. Lan-
dus. Antiochus itidem Magnus eosdem possedit,
& in præliis iis usus est: Judæi eos aluerunt;
cum Romanis ita pugnavit: capti Eumeni ab iis
dono dati; quot capti & occisi: in triumpho Sci-
pionis mille ducenti dentes Elephantorum: dentes
inter tributa, & res pretiosas valde; Athenæus
correctus; Victoria de Antiocho navalis memoria
servata in Tabula fuit in æde Larium permarino-* D
*rum, & Capitolio; illa explicata: Sigonius no-
tatus. Idem Antiochus Elephantos Antiochiæ in
Ludis exhibuit: Antiochus Epiphanes etiam eos
possedit; Syncellus ejusque Interpres notati; iis in
bellis & pompis usus est; Athenæi Interpres tenta-
tus; picti in ejus Nummis Antiochus Eupator,
multarum itidem belluarum dominus, iis contra
Judæos usus; Eleazari celebre factum. Dissensus
Auctorum de numero Elephantorum Eupatoris;
Josephus expensus; rubro colore exacerbantur; un-
de illi Elephanti, cum Romani patris Epiphanis
omnes occiderint? Cn. Octavius propterea in gy-
mnasio occisus à Leptine; Antiochi Epiphanis* E
*Dionysi Elephanti Lychnophori in Nummis. Ob-
vii itidem in Alexandri Syriæ Regis nummo in-
edito; in quo an Bacchi caput, an verò Cleopatræ
uxoris Regis, dubitatur: an Asiæ Reges Tigranes
& Mithridates Elephantis in bellis usi sint: Golla
Rex Hunnorum, in parte Septentrionali Indiæ,
ab Elephantis & equis epotâ aquâ, urbem obses-
sam cepit.*

—— VIII. *Reges Macedoniæ, Alexandri Succes-
sores, Elephantis bellarunt, Antipater, Antigo-
nus; qui iis Megaram oppugnavit, sed fugati
suibus pice illitis, eâque accensâ; inde instituit
eos cum Elephantis alere: Ælianus & Polyænus* F
explicantur: Nicæa, *Elephas fœmina, curam
gerit infantis; Demetrius Poliorcetes, cui* Νίκων
*Elephas; Ctesias notatus; Antigonus Gonatas; eo-
rum usus in obsidionibus ad evertendos muros, &
propugnatores depellendos. An ad Demetrium Po-
liorcetem, vel Demetrios Asiæ Reges, Nummi,
quibus inscribitur* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, *cer-
niturque caput Elephanti, pertineant? Ægidii
Lucarry error; Elephantorum nomina propria;
Harduinus laudatus; Catonem omisisse in Annali-
bus Imperatorum vel Ducum nomina propria,
(quod & factum in Columna Rostrata) variis
exemplis docetur; Elephantorum autem nomina
conservavit; illi præter nomina etiam habuerunt
cognomina; Plinius expositus. Quot milites fue-
rint in turribus Elephantorum dorsis impositi, nu-
merus valde variat; major sex propugnatoribus
fuit, secus quam putant Grentemesnilius & Bo-
chartus; ut & Ludolfus ac Freinshemius; Juve-
nalis illustratus;* ὄχλος, cohors, turma, *semper
de numero majore. Elephanti Indici majores Afri-
cis & Æthiopicis; subinde tamen etiam hi ma-
gni; Plinius malè intellectus; Plautus explica-
tus.*

—— IX. *Elephanti, veluti parerga, in Nummis
Atheniensium, Neapolitanorum, & Tarentino-
rum; in causam hujus rei inquiritur, disputa-
turque an sit nota Monetariorum; Lazii error;
ineditus Tarentinorum nummus; Elephas in alio
Neapolitano nummo major, si modò genuinus;
Capacius notatus. Elephantorum relligio; Solem
& Lunam venerantur, ille expressus in nummo
Neapolitano; in alio Augusti, Saxoniæ Ducis,
& Cardinalis Zabarellæ: Elephanti in Nummis
Catanensium, disputatur an genuini: suspecta fides
Petri Carreræ; Inscriptio ab eodem supposita; imò
tota Historia; Epistola Diodori & alia, mirifica
somnia. Elephas in nummo Friderici* III. *Siciliæ
Regis.*

—— X. *Gemmæ capite Socratis, addita proboscide
Elephanti, nec non aliorum animalium capitibus,
signatæ, ex Chifletio exhibentur; de monstrosis fi-
guris illis disputatur, virique docti nota exami-
natur: ridicula Carreræ explicatio. Moneta dis-
tincta in varias officinas, quarum unaquaque ha-
buit fortè suum insigne: ingens Romæ Monetario-
rum multitudo.*

—— XI. *Miscellanea de Elephantis. Indus fluvius
Cariæ dictus à rectore, quem bellua excussit;
Harduinus non nominat eos, quorum ope profecit:
Phœnices Cernem Insulam navigabant mutuaturi,
inter alias merces, pelles & dentes Elephantorum:
Elephanti, in somniis visi, quid significent: alle-
goricè & symbolicè explicati; proverbia ab iis
sumta; an in Threnis Vulgatus Interpres rectè
nobis exhibeat,* Rubicundiores ebore antiquo;
*Belgæ Interpretes & alii præferuntur: ebur naturâ
candidum, sed jam Homeri tempore tinctum ru-
bro colore: an turres ex ebore exstructæ: domus
vel cubicula ebore inducta tam apud Judæos
quam Romanos; id quod tamen de ultimis non
tradit Plinius. Lecti eburnei; pocula vel vasa,
& naves forma Elephanti. Apud Græcos magna
& fortia animalia Elephanti dicta. Festum apud
Persas* Adventus dominorum Elephantorum
dictum.

—— XII. *Nummi in India Orientali percussi cum
Elephanto; ut in Insulis Summatra & Ceylon.
Idolum capite Elephanti fœdatum. Pagodus sive
templum Elephantis. Statua, cum triplici capite
elephantino, num exstiterit, disceptatur; Pigno-
rius notatus. Elephanti à Brachmanibus adorati:
putida fabula de Adamo & Eva.*

EXERCITATIO II.

CAP. I. ELephanti tempore Pyrrhi primùm in Italia, & inde Romæ visi; Calpurnius malè expositus à Bullingero: Boves Lucæ dicti; nominis illius diversæ rationes, sed à Lucanis sumtum esse statuitur; Varro emendatus; Jos. Scaligeri memoriæ lapsus. Ipsum Elephantis nomen unde descendat, disputatur, & Linguarum Orientalium peritorum virorum sententiæ proponuntur: non esse origine Hebr. probatur. Elephas Baro dictus; elegans eo super nomine Relandi conjectura. Pyrrhus ope Elephantorum Romanos vicit; & Romani vice versa adminiculo belluarum ipsius Pyrrhi victores fuerunt: Irenæi Della Croce lapsus: Ennii locus examinatus: an Romani Pyrrhi Elephantos fugaverint ariete & sue: iis visis vel auditis terrentur belluæ: suilla caro medicina illis: facibus in fugam conversæ secundùm Orosium. Quot Elephantos Pyrrhus in Italiam deportaverit, & unde eos acceperit: Sigonius notatus; error insignis Critolai apud Plutarchum, vel hic corruptus; Juvenalis Scholiastes examinatus; an Pyrrhus in triumpho ductus sit, an verò Elephantis triumphaverit. In Siciliam trajecit cum iis; Nummi argentei inediti in illa Insula inventi, Elephantis insignes: an Pyrrhi, vel alterius Regis sint, disputatur; inquiritur in Pyrrhi vultum: Pictores notati. In Græciam rediit, & in obsidione Argorum Elephantis usus est; de quibus binæ elegantes Historiæ narrantur: Argivi monumento Regis, qui ad urbem eorum periit, Elephantem insculpserunt: ejus mors variè refertur: Pausanias & Justinus conciliati.

—— II. Curius Dentatus de victo Pyrrho triumphans Elephantos in pompa duxit, numero quatuor, incedebantque post currum: error binorum Eruditorum in pictura; turribus belluæ erant onustæ; in Nummis editis nulla ejus rei memoria: Arrianus tentatus. Cajus Duillius primo bello Punico an Elephantos in triumpho duxerit, an itidem Atilius Regulus: de nummo Gentis Atiliæ disputatur: L. Metellus Pœnos in Sicilia vicit, & multis Elephantis potitus est: in numerum eorum inquiritur: multos in triumpho ante currum triumphalem egit; Frontinus emendatus; & simul notatus: Diodorus Sic. tentatus: Inscriptio vetus suppositìtia. Plinii locus examinatur, disputaturque an primus Metellus ille duxerit Elephantos in triumpho: qua arte Elephantos trajecerit per Fretum Siculum. Martinus de Roa, Wegnerus & Ursinus notati, explicatusque Plinius, nec non varii Gentis Cæciliæ Nummi, in quibus Elephanti vel eorum capita; Pierii Val. error; Wheleri lapsus. C. Furnii, & alius ineditus Cornuficii nummus; an in aliis inveniatur proboscis & caput taurinum.

—— III. Africa in plurimis Nummis repræsentatur capite Elephanti exuviis tecto, talisque à Claudiano describitur: Aldrovandus notatus: ab insigni illo Vicus Romæ Caput Africæ dictus est: Mabillonii elogium; ut & Fabretti. Nummi recensiti, in quibus Africa talis repræsentatur. Eidem explicati, & notati subinde Viri eruditi. Mauretania, Cyrene & Alexandria similiter pictæ & repræsentatæ in hisce veteris ævi reliquiis. Nummi Clodii Macri explicati, sed dubitanter; Patinus laudatus: an Mauri fuerint custodes corporis Domitiani, disquiritur: Tristanus notatus; Statius & Martialis explicati. Æthiopes nigri, Mauri subfusci. Nummus Hadriani, in quo Africa galea elephantina tecta; non secus ac in aliis Antonini Pii, Commodi, Diocletiani. Harduini explicatio ultimi nummi examinata, non secus ac alia Maxentii. An Arabia teneat dentem Elephanti; Tristani error: in Arabia non gignuntur Elephanti, licèt id tradant nonnulli Eruditi: P. Pedrusius laudatus: Juvenalis explicatus. Nabathæa an in India, an in Arabia, an in Troglodytica, vel Africa: varii Juvenalis Interpretes notati: Jesaiæ & Ezechielis loca exposita: Cellarius, Meibomius, Grotius aliique laudati: Vulg. Interpres notatus. Urbs Elefantaria: Africæ caput in Gemma. An Jupiter Ammon, an Atlas, an Trajanus exuviis Elephanti tectus sedeat in nummo Cotorniato, an Juba Rex in alio; quod ultimum rejicitur, ostenditurque esse caput Africæ, licèt Jubæ nomen illi sit adscriptum. Nummus Neronis expositus. Acrasus urbs Lydiæ, non autem Libyæ. Com. Mezzabarbæ laus. Nummus ex Museo meo æreus ineditus, in quo conspicitur hinc caput Æthiopis, inde Elephas.

—— IV. De Elephantis à L. Metello captis iterum agitur, & quid illis evenerit, inquiritur: Dempsteri error in exponendo Sidonio: Currus de triumpho; an M. Marcellus belluas eas ceperit: nummus Familiæ Claudiæ, in quo currus IV. Elephantorum, examinatur. De Elephantis à Carthaginiensibus primo in Hispanias, inde in Italiam traductis. Romani iis etiam in prima regione usi sunt, acceptis à Masinissa, & Micipsa. Quomodo Annibal eos per Rhodanum trajecerit, & per Alpes duxerit: Frontinus correctus: Elephas ornatus: quomodo eorum ope exercitus Pœnus Padum trajecerit: in pugna ad Trebiam, eorum visu & odore equi Romanorum consternati. Fibreni egregium factum: Annibal cum iis primo vere transit Apenninum, omnesque, excepto uno, amisit: eo Arnum inflatum valde transit, altero oculo captus: Juvenalis Scholiastes notatus. Elephanti in prælio ad Cannas, quæque fecerint, & quid nonnullis evenerit, pulchrè Silius describit: Annibal captivum Romanum Elephanto objicit: qui, victa ab eo bellua, à Pœno occidi jubetur. In prælio ad Nolam nec non in alio multi occisi à Romanis, & varii capti sunt: Annibal stratagemate Elephantorum Claudium Flaccum, vel potiùs Q. Fulvium Flaccum, fallere conatur: Appianus videtur errare in Consulum nominibus. Asdrubal ex Hispania Italiam petens XV. secum duxit Elephantos, iis pugnavit contra C. Claudium Neronem: patuitque tunc in primis illos incertum auxilium esse: Mago iis belluis etiam usus est in prælio contra P. Quintilium Varum. Annibal in Africa LXXX. Elephantis contra Scipionem pugnavit: Pœnos victos Romani jusserunt omnes tradere Elephantos, quos Scipio duxit in triumpho; alios à Masinissa petiit L. Lucullus per Scipionem: Afri in obsidione Carthaginis à belluis occisi: Q. Metellus suos, quos in Hispania habebat, mori fecit, ne venirent in manus successoris sui: Jubæ patris grandævus Elephas.

—— V. An exstiterit C. Marii nummus Elephanto signatus, disquiritur: an qui editus à Gorlæo genuinus? Pierii error, ut & Aldrovandi. Romani magno odio prosequebantur Elephantos: cogebant Carthaginienses & Reges ut eos traderent: in præliis tamen variis ipsi illis

A B C D E F

usi tam in Europa quam in Asia. Macedoniæ Rex Perseus equos suos adsuefacere Elephantis conatus est fabricatis ligneis: Polyæni Interpretis error; L. Ampelius correctus; Critolai apud Plutarchum lapsus: L. Æmilius Paulus in triumpho Macedonico duxit duo millia dentium Elephantorum: triumphus ille magnificentissimus ex Syncello descriptus, qui fortè eum ex Livio sumsit; ille ejusque Interpres emendati. Divisio Macedoniæ in partes quatuor; secundæ nummus ineditus & rarissimus exhibetur, atque etiam alius quartæ partis recensetur: cujus partis urbs Philippi fuerit Metropolis: a quo hanc dignitatem Cæsare acceperit: Pelagonia an urbs, an Regio. D. Lucæ verba exposita: Nummi Macedonum a Begero explicati: Romani Elephantis usi in prælio adversus Antiochum: Elephanti Indici terrori sunt Africis: Domitius Ahenobarbus belluis iis usus est contra Allobroges: Julius Cæsar unum deportavit in Britanniam: Scipio Dux Pompejanarum partium eos habuit in exercitu: Hirtius a Grævio tentatus. Legionis v. insigne Elephas: Lydii nota cautè legenda: an Impp. vel Cæsarum Romanorum tempore Elephantorum fuerit aliquis usus in præliis: Auctores temporum posteriorum ita describunt Elephantos, tanquam iis pugnatum sit; unde tamen nullum argumentum peti potest ad id affirmandum: Julianus uti Elephantis voluit adversus Septimium Severum: Interpres Herodiani notatus. Romani Camelis utebantur ad portanda impedimenta in bellis: Hygini Gromatici locus: Schelius, Nobilis Transisalanus, laudatus.

—— VI. *An Pompejus primus curru Elephantorum quatuor triumphaverit: Viros doctissimos qui id affirmant, humani aliquid pati ostenditur. Non id fecit C. Julius Cæsar, non Domitius Ahenobarbus, non Claudius, non Gordianus. Dempsteri nota examinata; & Schefferus illustratus; Elephanti lychnuchi in triumpho Julii Cæsaris; qua de re tamen ut dubitetur, facit Dion Cassius. Ulyssis Aldrovandi varii lapsus. Nummus Gentis Claudiæ expensus. Nummi C. Julii Cæsaris Elephantis signati & explicati: an privatus eos bellua signaverit: quid illa significet, an virtutes Cæsaris, an Africam. Tristani ingeniosa explicatio rejecta; quid designet Elephas in Nummis serpentem conculcans. Stephani Ambrosii Sciappalariæ opinio; an* Cæsaris *nomen respiciat Elephantum: Bochartus notatus: ita appellatum a Mauris; ejusmodi allusiones in aliis Nummis Gentium Aquiliæ, Voconiæ, Thoriæ, Pomponiæ, & fortè Rhodiorum. Carmen ineditum de morte Cleopatræ; Gallæus laudatus; aliud ex ejusdem MS. Carmen: varia Poëtarum, quæ in eo inveniuntur, nomina: nummus Julii Cæsaris cum litteris Punicis; alius ineditus in Hispania percussus cum aliis characteribus, Jacobi Barii laus: Dissertatio inedita ex Biblioth. Gudiana: Ez. Spanhemius notatus. Adipe elephanti inunctus, à serpentibus tutus. Joh. Alb. Fabricius tentatus. In alio nummo Julii quadriga Elephantorum; de eo dubitatur. Tristani error: de alio Schelkenii nummo disputatur. Alius a Bario acceptus nummus in Hispania inventus, ineditus & pulcherrimus: examinatur, an signatus sit in Utica Africæ, an vero Ityca vel Utica Hispaniæ. Nummus Jul. Cæsaris in Ægypto percussus, an genuinus; Ciceronis locus examinatus: Franc. Fabricii error: quomodo Elephantos & quo tempore nactus sit Octavianus, disquiritur.*

—— VII. *De Elephantis in Ludis Circensibus, aliisve Romæ exhibitis: initium repetitur ab A. V. C. 503. Fenestellæ, ut mihi videtur, apud Plinium lapsus; idem fecerunt alii, atque etiam Pompejus: Senecæ locus expositus, non secus ac Asconii: ab Harduino dissensum: Pompejus primus cum Elephantis commisit homines sive noxios sive alios: an illi Elephanti & homines occisi: quo Ludorum die à Pompejo exhibiti: Cicero explicatur, rejectis Victorii & Manutii expositionibus: quid sint* binæ Venationes; *Venatio Africanarum. C. Julius Cæsar inde Elephantos exhibuit: Interpres Appiani notatus: An iis Ludis Elephanti cum Elephantis, an vero cum peditibus & equitibus pugnaverint, disquiritur: Dionis Interpres notatus a Casaubono; Germanicus Cæsar Elephantos Populo Ludis dedit. Quo sensu Elephas dicatur* Bestia insulsissima: *Schefferi lapsus in explicando Plinio; de iisdem Ludis luculentissimus locus Æliani: & mira harum belluarum docilitas: Plinius & Suetonius conciliati: Elephanti funambuli; gladiatorum cum iis certamina, Impp. Claudio & Nerone. Harduinus laudatus: Vologeses Elephanto insidens flumen trajecit. Domitianus eosdem in spectaculis suis dedit; Martialis à Grævio tentatus: Elephas saltator. Antoninus Pius, Commodus, L. Septimius Severus, Caracalla idem fecerunt, testibus Auctoribus veteribus & Nummis: Vir doctus in Plinii Notis bis notatus. Rhinocerotis cum Elephanto pugna in nummo Domitiani, & fortè Severi; perpetuæ inter belluas hasce inimicitiæ: Rhinoceros primus Populo exhibitus a Pompejo, non ab Augusto; uti Dio putabat: Pliniani Commentatoris nuperi lapsus; Crocota fortè in Severi nummo, Hippotigris. Dio illustratus; Bocharti & aliorum lapsus: Onager describitur: differentia inter Onagrum, & Hippotigrim; Clar. Nicolai Witsen laus: Tachardi animadversio elegans; animalia illa non habuerunt cornua; Elephas in Nummis Caracallæ cur coronâ ornetur in dorso vel capite.*

—— VIII. *Heliogabalus, Gordianus, Gallienus, Carinus elephantos in spectaculis suis dederunt; Lampridius expositus; Banagius refutatus: duæ veteres Inscriptiones expositæ;* feræ dentatæ *quæ: à Gudio & Everb. Ottone dissensum. An Carinus etiam funambulos dederit; Zimmermanni lapsus; multis agitur de Cari & Numeriani Ludis magnificentissimis, ostenditurque eos non Alexandriæ, sed Romæ fuisse celebratos; Tristani error;* herbatica animalia; *an eædem sint* bestiæ herbariæ. *Elephantorum Romæ paucitas; Interpres Auctoris Chron. Alex. notatus; Calpurnius aliter, ac a Tristano factum est, expositus; Vlietius notatus: Carinus non Romæ, sed apud Murgam a Diocletiano interfectus. Imperatores ad bellum profecturi, soliti erant dare spectacula; illos Ludos, de quibus ago, dederunt Carus & Numerianus; Carinus in Galliis relictus; ex Illyrico Romam profecti, inde adversus Persas, susceperunt expeditionem; Jos. Scaligeri error: Vopiscus tentatus. Nemesiani emendatio Vlietiana examinatur, firmaturque: Numerianum præcipuè laudat ecl. 72. Calpurnius; non scripsit eclogam post Cari mortem: Tristanus notatus: Numerianus quare præcipuè in Eclogis illis laudetur: Vlietii emendatio rejecta: quis qualisve Calpurnius, varii Calpurnii: non fuit in comitatu Cæsaris: Salmasii & Pagii opinio exa-*

examinata: Aper a Diocletiano occisus post necem Numeriani, non post victum & occisum Carinum; Numerianus ex Oriente Romam non rediit: Vopiscus expositus: Aur. Victoris error; ut & Jac. de Strada: Jos. Scaliger notatus. Carus Deus vivus dictus; Vlietii lapsus. Calpurnius variè tentatus & expositus. Imperatores Romani in agro Laurentino Elephantos aluere: num & in Etruria pasta fuerint illa animalia?

—— IX. *De Elephantis, qui in Nummis singulares occurrunt: in Catilinæ nummo elephas alatus plumbeo, si modò genuinus: Augusti Nummi, & ab eo dedicati Elephanti ex lapide Obsidiano. Lipsii & Salmasii de Africæ ursis opiniones. Nummi alii Tiberii & L. Apronii, de quo ultimo ex Goltzio petito disputatur? Vespasiani tempore Romæ mulier enixa est Elephantum, vel monstrum: Chronici Alexandrini Auctor illustratus: eruditus Plinii Commentator notatus: Indorum fabula de Adamo: Titi Imp. Nummi: in uno* Æquitas *Elephanto designatur, si modò genuinus: fictus videtur ob Historiam Elephanti, quæ illo tempore evenit: longè aliter* Virtus *illa repræsentatur in Nummis, licet & Pierio* Elephas *sit ejus hieroglyphicum. Elephas sub Vespasiano edoctus scribere; sub Hadriano saltare, & cymbalum pulsare: unde non secus ac ex aliis locis patet tunc belluas tales Romæ fuisse, atque itidem ex sequentium Impp. Nummis; Elephantes loricati in iisdem: eorundem cancellata cutis, quam tamen non repræsentari in Nummis verisimile: præfertur explicatio ill. Spanhemii: Harduini nota examinata: Elephanti etiam obvii in Græcarum urbium Nummis Augustorum & Augustarum: cujus rei in rationem inquiritur: & exhibitos Ludis ostenditur: inde illis adscribitur* MVNIFICENTIA AVG. *vel* MAGNIFICENTIA *in Nummis Commodi, Antonini Pii, aliorumque: vox ultima variis exemplis illustratur; Vell. Paterculus tentatus; nec non nummo Commodi inedito; ejus furor in spectaculis edendis: Lampridius expositus: quid sibi velit corona, in cujus medio legitur* MAGNIFICENTIA. *Coronæ aureæ ob varias causas ad Imperatores missæ, quod etiam obtinuit libera Republica; Cardinalis Norisii laus: inde videntur explicandæ coronæ, obviæ in plurimis Coloniarum Nummis: in aliis Gordiani & Philippi Elephas, symbolum Æternitatis: Tranquillinæ nummus ineditus è Gaza Gallorum Regia: Oudineti & Frid. Spanhemii laus: Philippi nummus explicatus: Harduinus laudatur & arguitur. Descriptiones variorum Nummorum Elephantis insignium ex Gazophylacio Gothano. De duobus Nummis Bacchi disceptatur.*

—— X. *De bigis & quadrigis Elephantorum in Nummis Augusti & aliorum obviis, inquiriturque quam ob causam id factum sit; Philippi Poëtæ carmen: a Fr. Vavassore dissensum: an Augustus ita triumphaverit: primo omnium tamen Elephanti decreti: Plinius expositus: Hemelarii nota examinata; & Aldrovandi. Caligulæ insignis Nummus, & arrogantis: Domitiano decretæ Elephantorum quadrigæ: Martialis carmen explanatum: Ejusdem Imp. alii Nummi; non secus ac Trajani Elephantis insignes; Hadriani quoque: unusque illius ineditus ex illustris Foucautii thesauro: Gallandi laus: M. Aurelio quadriga elephantorum posita: Vaillantii nota examinata; Onuphrius Panvinus notatus: Balbino sociisque Augusto & Cæsari eædem erectæ. Mortuis Imperatoribus habitus honor in Circo ejusmodi curruum: quibus Elephanti quatuor vel bini juncti; & inde Nummis ad perpetuam honoris memoriam insculpti; illi decreti Augustis inter Divos relatis: exemplum ab Augusto, cujus statua ita transvecta fuit; hujus rei memoriam conservavit in Nummis Vespasianus; Torrentius perstrictus: Caligula eundem honorem habuit sorori Drusillæ; Dionis Interpretes notati; Claudii nummus examinatus; Vespasianus, Nerva, aliique ita culti: Vaillantii explicatio alia examinata; & ea occasione varia notata, quæ pertinent ad exsequias Imperatorum; & Auctores veteres illustrati. Ænei Elephanti Romæ collapsi, à Rege Theodahado restituti: Cassiodorus tentatus, & notatus. Loca ab Elephantis denominata.*

—— XI. *Nulli Elephanti vivi Romæ tempore Cassiodori; Philostratus expositus: quid in somnis visa bellua hæc denotet: Plutoni sacra: Artemidorus examinatus: color Elephanti niger: varia carmina inedita; horum quædam emendantur: Scriverius reprehensus; Vopisci locus: Elephanti Linguas Gentium, apud quas nascebantur, intellexisse creduntur: maris piscis quidam ita vocatur: annulis insculpti: privati Romæ non habuerunt Elephantos: in Rutulis pascebantur: an alios ibi genuerint? Mulæ apud Tartaros generant: Ælianus expositus; Gesnerus notatus. Aurelianus primus privatorum possedit Elephantum; an hoc verum sit, disputatur: Vopisci locus examinatus: Is. Vossius notatus: Dio explicatus; ut & Seneca; Lucerna Elephanto majore & parvo insignis. Inscriptio vetus explicata: feræ dentatæ; Elephanti tapetibus intexti; Wormii opinio examinata; D. Paulus non tapetium, sed tentoriorum confector:* Elephantus herbarius *Romæ; Anonymus* de Mirab. Vrbis Romæ *notatus. Rudolphus Dux Sueviæ Nummis suis Elephantum indidit: Elephas pictus &c. in mortem Gustavi Adolphi; varii Nummi Regum Daniæ cum Elephantis; ut & Insulæ Sumatræ: insigne Romæ in opere musivo Elephas turritus: Alexander* VII. *Pontifex obeliscum Elephanto imposuit: eorum mentio in Jure Civili:* Bestiæ dentatæ *quæ; Vlpianus, & Claudianus expositi: proverbia inde sumta: Fulgentii locus examinatus: tuba quædam Gallis dicta* olifant; Elephantus *nomen proprium: Capacius notatus: aliis magnis animalibus datum à Græcis. Mercurius in gemma Elephanto insidet: in ejus rei rationem inquiritur; Lucilii versus examinatus: non secus ac Scaligeri nota: Hippocampus; de eo multis agitur. Elephanti postea rari Romæ & Constantinopoli; nonnulli subinde ex India ad Impp. mittebantur: Aaron Rex Persarum uno etiam donavit Carolum Magnum, eumque nominatum fuisse* Abulabaz; *alius missus ad Leonem X. cui nomen* Hanno.

—— XII. *De Triumphis curribus Elephantorum actis: non Pyrrhus, non Pompejus, non Nero ita triumphavit; Lipsii nota ad Senecam examinata: primus id fecisse Alex. Severus videtur; quamvis contrariæ sit sententiæ Phil. Buonaroti, vir doctissimus; inde exemplum ad alios bello Persico victores; Gordianus ita triumphasset, si Romam rediisset: tales currus ipsi decreti. Capitolini, & aliorum Historiæ Augustæ Scriptorum, verba examinata: currus tales triumphales etiam Imperatoribus aliam ob causam, quàm victoriam Persicam, decreti: Gordiani nummus explicatus. Aldrovandus*

A *vandus notatus: Seb. Erizzo expositus. Aurelianus Elephantorum curru in triumpho vectus dicitur fuisse: alii ipsi cervorum tribuunt currum: arcus Vesontionensis an ejus rei indicium. Lactantii insignis locus: Nummi Diocletiani, Maximiani & Maxentii: variæ de iis Doctorum sententiæ: Elephanti inter munera, quæ Persarum Reges mittebant Imperatoribus Constantinopolitanis: Harduini Maxentiani nummi explicatio examinata; Norisii probata: Consulum Cal. Januariis processus; an idem fecerint suffecti: Plinius Jun. tentatus. Parthi & Persæ post Alexandri successorum excussum jugum,* B *bellarunt Elephantis: Heraclius iis triumphavit; Nicephorus expositus. Alii Constantinopolitani Impp. longè aliter agebant: Juliani tempore Elephanti in exercitu Persarum; Chosroës mille habuit, & quidem candidos: ea occasione de candido elephanto actum; ostenditurque Romæ etiam, tempore Augusti fortè, visum: apud Indos in pretio, & cur: an omnes albi in Æthiopia fuerint: Persæ iis in variis præliis usi; captique ab Imperat. Constantinopolitanis; Theophylacti Interpres reprehensus; Brissonius notatus: a Tarquinensibus adorati, & olim Constantinopoli a Severo: qui, qualisve fuerit, disputatur: Originum Constantinopol. Libellus explicatus: Hesychii Mil. Interpres notatus; Suidas emendatus. Elephantorum simulacra Constantinopoli, non secus ac Antiochiæ. Rex Abassiæ Elephantis vectus: Joh. Malelæ locus examinatus. Epilogus.*

GISBERTI CVPERI DE ELEPHANTIS IN NVMMIS OBVIIS

EXERCITATIO I.

Cap. I.

Breviarium Operis; India Elephantorum ferax; ingens Regibus illis ad bella gerenda, & vix credibilis numerus; iidem apud Seras vel Chinenses; Trigautius notatus; an soli Reges iis vecti; Tristani sententia examinata; parvis Indi arabant; Elephantorum currus; Mela expositus; sub jugum ducti; num frenis & lupatis fuerint recti; Oppianus ex Nummis illustratus; error Isidori & M. Pauli Veneti; Barro, Baris, Barritus, de Elephantis; Horatii Scholiastes expensus; Schachii ludus propter Elephantorum simulacra Indis natales suos debere putatur.

MVlti eruditionis præstantis viri de Elephanto, ejusque ingenio ac dotibus egerunt olim præclarè; & magna inprimis cum laude in hoc argumento versati sunt Aldrovandus, Gesnerus & Bochartus, adeò ut videar actum agere, quòd eandem belluam mihi exornandam sumserim. Et certè negare nolim, illustria illa Reip. litterariæ lumina, qua pollebant excellenti doctrina & eruditione, subinde annotare, vel tangere, quæ ego omittere nequaquam potui, si ad scopum, quem mihi proposui, colliniare vellem; sed lectæ hæ Exercitationes facilè fidem facient, diversam me longè viam insistere, & Lucubrationem hanc nihil habere commune cum iis, quæ vel ab iisdem viris, vel ab aliis memoriæ mandata sunt. Neque enim constitui de vasti hujus animalis natura agere, (cui enim non dictus Hylas?) sed de Nummis tàm Græcis quàm Latinis, qui Elephantis signati sunt, & ita simul digerere atque explicare illorum historiam & fata, quæ variis temporibus domiti & mansueti facti in Europa, Asia & Africa sunt experti. Atque ut istud commodiùs procedat, in duas partes hanc Lucubrationem divisi; quarum prima docebit, quid Elephantis ab Alexandro Magno post victos Persas & Indos captis; & deinde aliis, qui ex India & Æthiopia ad tanti Monarchæ Successores, Ægypti, Asiæ, Syriæ & Macedoniæ Reges, aliosque pervenerunt, factum sit; Alterâ verò agam de iisdem belluis, postquam Romanis primò fuerunt visæ, & Carthaginienses, Asiæque Reges iis in bellis, quæ cum victore gentium Populo gesserunt, usi sunt; atque adeò de fortuna, quam Romæ & in Imperio Romano, tàm pace quàm bello, & tàm libera Republ. quàm Augustis ad clavum sedentibus, fuerunt expertæ.

A Elephanti autem picti sunt in nonnullorum Successorum Alexandri Magni, quorum aliqui etiam capita proboscide tegunt, & frequenter admodum in Romanorum Nummis; ut scilicet significarent eos in præliis captos esse; vel Populo spectaculorum tempore exhibitos; vel pompis Circensibus ad thensas junctos; vel ex ære & marmore decretos Augustis; vel actos triumphos; vel Imperatores Consulatum suscipientes ita processisse; ne quid jam dicam de aliis causis, quas ipsa Dissertatio suppeditabit.

Atque hic quidem præcipuus scopus meus; in-
B deque simul, nisi me planè fallo, apparebit luculenter, magnam voluptatem & singularem fructum ex hisce prisci ævi præclaris reliquiis, totidemque Romanæ magnitudinis, & splendoris, viriumque Ægypti & Asiæ Regum, aliorumque testibus, capi posse; nec immeritò hoc studium hodie primas ferre, illudque non modò ab eminentis atque illustris dignitatis, atque adeò doctissimis viris coli & amari; verùm etiam optimè actum esse cum Rep. litteraria, quòd tam indubitatæ fidei testibus Chronologia & Historia, veteresque ritus illustrantur & emendantur ab iis, qui interiora amant studia, & non perfunctoriam,
C id quod ut plurimùm fieri solet, iis operam impendunt. Spero me provinciam, quam suscepi, ita exornasse, ut æquis & benignis Lectoribus satisfacturus sim; quòd si tamen quid omissum vel peccatum sit, velim considerent, me Reipubl. admotum, & illustri atque amplissimo, at tamen laborioso honore fungentem, non nisi horas subcisivas, refocillandi & exhilarandi animi causâ, huic uni avocamento impendere, & ferè festinantem, imò aliis sæpe intentum rebus, ea litteris mandare, quæ licèt non satis culta, nec satis elaborata & polita sint, tamen amici, nisi mihi blandiantur, auribusque meis insidias faciant, censent
D conferre aliquid ad extendendam eruditionem, & ad promovendum humaniorum litterarum studium.

Neque tamen me hisce cancellis inclusi; vel de Elephantis solis ago, qui fuerunt Alexandri, ejus Successorum, Romanorum & Carthaginiensium; sed & Indi atque Æthiopes ad partes vocantur, quorum regiones harum belluarum feraces admodum sunt; & qui suppeditarit nonnunquam, quæ absque fraude & detrimento ornamentorum, quibus Elephantum meum insignem facere conatus sui, omitti nequaquam poterant; quin & subinde
E unus aut alter veteris Auctoris elegantior locus, vel nummus raritate sua notabilis, mihi occasionem dederunt exspatiandi, & quodammodo extra oleas, uti est τὸ λεγόμενον, vagandi; id quod tamen æqui bonique te consulturum, Lector benevole, habeo persuasum.

Ut autem materiam, quam mihi digerendam sumsi, ritè & ordine tractem; arbitror rectè me facturum si altiùs eam repetam, & ab ovo, id est, ab Indis initium sumam. Ille igitur terrarum tractus elephantorum ferax admodum fuit, & fidem fu-

superant ferè; quæ Auctores veteres de numero eorum, quos Reges alebant, litteris tradiderunt. Megasthenes etiam apud Arrianum, in *Indicis* narrat, Herculem indigenam filiæ Pandææ, quam habebat unicam, *dedisse elephantos quingentos, equitum quatuor, & peditum centum triginta millia.* Plinius *lib. 6. cap.* 19. Calingarum Regi tribuit *elephantos septingentos*, Taluctorum *quadringentos*, Andararum *mille*, & Palibothrorum novem eorundem animalium millia: *Regi*, ait, *eorum peditum sexcenta millia, equitum triginta millia, elephantorum novem millia, per omnes dies stipendiantur; unde conjectatio ingens opum est:* idemque *lib.* eod. *cap.* 22. quo Indum fluvium, populosque ei adjacentes describit, variis Regibus multos elephantos tribuit, uni autem tantùm *decem*, quia illi amplæ vires peditum; & aliis nullos, fiducia peditum equitumque. Curtius præterea Regi Gangaridarum *tria elephantorum millia*; Diod. Siculus eidem *lib.* 17. τετρακισχιλίους; *quatuor mille ad bella instructos*; Plutarchus *sex millia*; & denique Solinus *octo millia*; imò Ctesias apud Ælian. lib. 17. *de Animal.* cap. 30. *centum millia elephantorum bellatorum* scribit fuisse Regi Indorum; quod ut fidem superat, & fabulosum planè est; ita quæ de tot aliis millibus Plinius & reliqui Auctores commemorant, ejusdem farinæ esse existimo; quanquam Nicolaus quidam Venetus apud Æneam Sylvium parte 1. *Asiæ* cap. 10. scribat, Regem Mancini nutrivisse decem elephantorum millia ad bellum, ipsumque vectum esse albo elephanto, cui catena aurea gemmis distincta; colloque circumdata ad pedes usque dependebat: id quod tamen fide dignum non esse arbitratur ipse Sylvius, vel Pius II. quo modo postea, Pontifex creatus, appellatus fuit; qui idem existimat regionem *Macinam* esse *Sericam*: id quod verum est. Nam *Machini* vel *Macini* tunc vocabantur populi, qui Sinam Australem inhabitabant, uti *Cini* illi, qui Borealem, & apud Chinenses, præcipuè in regnis *Nanking* & *Junnan*; elephantos nasci memoriæ mandavit Nyhovius. Quin & M. Paulus Venetus regnum hoc vocat *Mangi*, illudque multis describit *lib.* 2. *cap.* 53. & sequentibus; atque, ut hoc addam, narrat ille *lib.* 2. *cap.* 42. Anno Christi 1282. magno prælio decertasse Regem Mien & Magnum Chamum; illi multos elephantos, iisque visis Tartarorum equos consternatos fuisse; & Chamum nihilominus victorem, *deinceps uti cœpisse elephantis in exercitu, quos priùs ad hoc assuetos officium non habuit*; præterea eundem in prælio atque venatione sedisse in castro vel habitaculo, quod erat constructum super quatuor elephantos, vel quod gestabant totidem belluæ, *lib.* 2. *cap.* 4. & *cap.* 19. & initio anni, vel Calendis Februarii, qui mensis, initium est anni Tartarici, *omnes elephantos, numero quinque mille, ductos esse ad Aulam, vestitos tapetibus, & portantes capsas plenas aureis & argenteis vasis, quibus opus habetur pro festo Alborum magnificè celebrando, lib.* 2. *cap.* 15. Quòd si autem verum est, uti narrat Nyhovius, in quadam parte Chinæ nasci elephantos, utique errat Trigautius, qui cap. 2. *Regni Chinæ* memoriæ mandat, elephantos non nisi Pequini in Aula ad pompam multos educari, eosque aliunde adductos, nec toto regno uspiam videri. Huc pertinet legi in *Itinere Nautico* Francisci Ameidæ Proregis Indiæ, Regem Siam possidere 30000. elephantorum, ex quibus tria millia bellatores sunt; quos ad decem millia extendit Lopo Soares; & Regem Narsingæ vel Bisnagæ habuisse in exercitu 640. elephantos armatos, legitur in *Itiner.* Diego Lopez de Sequeira.

Præterea Indi veteres in solemnibus festorum dierum pompis ducebant multos elephantos χρυσῷ

A κεκοσμημένους καὶ ἀργύρῳ, *ornatos auro & argento*, teste Strabone *lib.* 15. Et Musicanus Rex cùm in locis septis venaretur, feras jaculabatur è *solio*, vel è tribunali, ἀπὸ βήματος: quando verò in locis liberis & non conclusis, ἀπ' ἐλέφαντος *elephanto insidens*; & quæ ipsum comitabantur mulieres, aliæ curribus, aliæ equis, aliæ elephantis tàm in venatione quàm bello vehebantur, uti narrat idem *libro* eodem. Regium autem erat hoc animal, & Tristanus tom. 1. p. 87. ex *Indicis* Arriani notat, *qu'entre les Indiens il n'étoit permis qu'aux seuls Rois de se faire porter par des élephans*; sed vir doctissimus non satis diligenter videtur Arrianum

B consuluisse; narrat enim is, *plerosque Indorum vehi camelis, equis & asinis, ditiores elephantis*; inde addit rationem, βασιλικὸν γὰρ ὄχημα ὁ ἐλέφας παρ' Ἰνδοῖς ἐστι. *Regium vehiculum est elephas apud Indos*; id est, si quid video, sumtuosum, magnificum, ita ut Reges & Magnates illo vehantur, quomodo βασιλικὸν aliis, & *Regium* Latinis usurpatur. Nam solos *Reges* non posse designari, vel inde patet, quòd scribat idem Arrianus *ditiores* εὐδαίμονας elephantis vehi; & addat, *mulieres Indorum castas valde esse, nec nisi dato*

C *elephanto corrumpi, honorificum existimantes formam suam illo haberi dignam.* Quin imò Plinius *lib.* 6. *cap.* 19. elephantos in genere Indis, multò minùs solis Regibus tribuit: *Unum super hoc est genus venandi elephantes domandique, iis arant, iis invehuntur; hæc maximè noverunt pecuaria;* iterum *lib.* 8. *cap.* 1. *Indis arant minores, quos nothos vocant*; & Plinium sequitur Solinus *cap.* 65. *Elephantos venantur, quibus perdomitis ad mansuetudinem aut arant aut vehuntur*; quò pertinet proculdubio Strabonem *lib.* xv. scribere, *Indis* μέγιστόν τε νομίζεσθαι ἐλεφάντων ἅρμα, *maximam possessionem censeri elephantorum currum*; qui

D tamen p. 704. narrat nobis, privato apud Indos non licuisse alere equum, & elephantem, & utrumque censeri κτῆμα βασιλικόν: &, quod illi loco quodammodo adversatur, p. 703. *apud Prasios, Optimates Rempub. gubernare, eos quinque millibus constare, & unumquemque elephantem publico præbere.* Adeò ut, si hæc conciliare velimus, distinguendi sint Indi, ita ut illud hîc, aliud in alio tractu obtinuerit; vel dicendum est, Reges tantùm, Satrapas, Provinciarumque Rectores & Magistratus iis usos esse, non autem plebem, & nulla dignitate ornatos homines; & parvis, non autem magnis illis, in quadam regione rusticos

E arasse. Illud autem notandum inprimis, Joh. Malalam in rebus Justiniani narrare, eum Legatum misisse ad Indorum Regem, & ab hoc sedente in curru quatuor rotarum, tracto à quatuor elephantis, Legatum fuisse exceptum; apud quem Auctorem part. 2. p. 195. reliqua illa pompa videri potest.

Indos elephantis vectos esse, iis nempe insidentes, in confesso est. Et notandum inprimis eo in terrarum tractu, teste Mela *lib.* 3. *cap.* 7. adeò proceros & corpore ingentes fuisse homines, *ut elephantis etiam & ibi maximis, sicut nos equis,*

F *facilè atque habiliter utantur*; id est, nisi me fallo, uti in eos insiliant, uti tunc stapedibus incognitis facere solebant, & equitent; atque illum locum ita explicari debere puto, quia Solinus eandem rem narrans ita loquitur: *Quidam populi Indiæ adeò proceri, ut elephantos velut equos facillima insultatione transiliant*: quod verbum positum credo pro *insilire*; & ita Livius alicubi dixit, *in recentem equum ex fesso transultare*; id est, de fesso defluere vel descendere, & in alium insilire. Reges autem præterea eosdem ad currus jungebant: Curtius *lib.* 8. *cap.* 9. *Rex breviora itinera eque*

equo conficit; *longior ubi expeditio est*, *elephanti vehunt currum*, *& tantarum belluarum corpora tota contegunt auro*. Et Strabonem audivimus dicentem ἐλεφάντων ἅρμα maximum fuisse censum vel possessionem; & quanquam per ἐλεφάντων ἅρμα designari possit ipse elephas, quo scilicet vehebantur, quomodo ὄχημα & δίφρος usurpari postea docebo; tamen, quia sequitur, ἄγεσθαι δ' ὑπὸ ζυγῷ καὶ καμήλους, *duci verò sub jugo etiam camelos*, constatque ex iis, quæ notant Bochartus & Schefferus, camelos ad currus junctos fuisse, malo opinari, Geographum loqui de curru elephantorum. Atque ita elephantis etiam *jugum* tribuit Oppianus lib. 2. *de Venat*. v. 538. ubi, quod alibi me legisse non memini, addit eorum ora etiam frenis coërcita fuisse,

Ἔτλη καὶ ζεύγλην, καὶ χείλεσι δέκτο χαλινά.

Nam alii Auctores omnes tacent hac de re, neque frenorum faciunt mentionem; ita Ælianus lib. 13. cap. 9. & 22. *de Animal*. rectori elephantorum tribuit ἅρπην *falcem incurvam*; & Philostratus lib. 2. cap. 5. *de Vita Apollonii*, καλαύροπα: quæ vox pedum, virgamve pastoralem in summo curvam significat; eodemque modo & hodie hasce belluas regi in India ex plurimis Itinerariis constat. Et non absque ratione putabat propterea celeberrimus, mihique amicissimus vir, Johannes Georgius Grævius, magnum illud politioris studii, dum viveret, ornamentum, non hanc esse Oppiani mentem; sed cùm vidisset currus trahere elephantos instar equorum, poëticè id sic circumscripsisse, ac si jugum & frena paterentur, quia instar jumentorum frenatorum reguntur; & si fortè lupata eorum ori indiderunt, id dicis & spectaculi tantùm causâ fuisse factum, ut populo persuaderent frenis eos gubernari; addebatque nullum veterum Scriptorum, si rectè meminit, frenum, quo coërcuerint ora elephantorum, commemorare, sed falces & ferrum. In Nummis tamen nonnullis, illi qui currui, ad quem elephanti sunt juncti, insistunt, lora tenent, iisque belluas videntur regere. Patet id ex Nummis C. Cæcilii Metelli, Augusti Cæsaris, & Domitiani, quorum omnium ectypos videre licet in Exercitatione secunda. In Augusti quidem & Domitiani, lora non cernuntur in elephantorum exterioribus lateribus, sed inter eos media; sed in alio Metelli, lora tenduntur ad latera elephantorum exteriora, uti non modò patet ex illo, quem ex Ursino exhibui, verùm etiam ex binis apud Parutam, nempe 117. Siciliæ, & 90. Romanorum; in quibus tamen lora illa non tam affixa videntur esse frenis, quibus ora elephantorum coërceri cecinit Oppianus, quàm torqui vel cingulo, quod belluarum colla cingit, & ex quo tintinnabulum dependet. Neque enim propter illos Nummos omnem fidem Oppiano denegare ausim; maximè cùm Lampridius *cap*. 23. narret, Heliogabalum *elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse*, *dirutis sepulchris*, *quæ obsistebant*: *junxisse etiam camelos quaternos ad currus in Circo*, *privato spectaculo*. Nam hæc loquendi ratio suadet, Imperatorem ipsum in curru stetisse, & loris frenisque, vel loris saltem, elephantos rexisse; id quod certè propriè est agitare.

Sed & hoc omnino est addendum, elephantem Indis BARRO fuisse vocatum, si fides habenda Isidoro lib. 12. cap. 2. *Originum*, *Elephantem Græci à magnitudine corporis vocatum putant*, *quòd formam montis præferat*: *Græcè enim mons clifio* (Bochartus scribendum judicat ὁ λόφος) *dicitur*. *Apud Indos autem à voce*, BARRO *vocatur*: *unde & vox ejus* BARRITUS *dicitur*, *& dentes ejus ebur*: quò pertinet Getam apud Spartian. *cap*. 5. Grammaticis proposuisse quæstiones, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, illosque dixisse, *Elephanti barriunt*; atque ita Auctor, qui sub Ovidii nomine *Philomelam* edidit,

Et barrus barrit, *cervi glocitant*, *& onagri*,
Ast taurus mugit, *& celer hinnit equus*.

Quod miror nonnullos, ut genuinum Nasonis Opus laudare. Inde Isidorus addit eos vocatos fuisse Romanis *boves Lucanos*, (qua de re agam in secunda Exercitatione) quia in Lucania primus illos Pyrrhus in prælio objecit Romanis; in iis Persas & Indos ligneis turribus collocatis tanquam de muro jaculis dimicare; vivere annos trecentos, *apud solam Africam & Indiam priùs fuisse natos*; *nunc solam eos Indiam gignere*; quod ultimum certè à veritate alienum est planè; cùm hodie, non secus ac olim, Africa elephantorum valde ferax sit: quanquam M. Paulus Venetus lib. 3. *de Reg. Orient*. cap. 45. tradat: *Abasinos plurimos elephantes habere*, *sed qui ibi non nascuntur*, *verùm ab aliis regionibus & insulis importantur*; id quod certè aliter longè sese habet, si modò, id quod tamen videtur, Habassinos Africæ describit. Sed & ut ad nomen illud redeam, illustris & ὁ πάνυ Salmasius *ad Solinum* p. 389. scribit, Cepum, Tigrim, Camelum, Pardum, Elephantem, Tarandum, & sexcenta id genus animalia, appellationes nacta esse ab eorum locorum populis, in quibus nata. Id quod vellem equidem nos docuisset de nostro elephante; ut ita sciremus, ubi populi ejusmodi nominis habitaverint, & ubi vasta hæc animalia, in India nempe, an verò in Africa nomen illud primò acceperint.

Thomas Hyde in libro *De Ludis Orientalibus* pag. 93. varia elephanti nomina recenset; sed vulgatissimum apud Indos esse scribit *Barî*, seu *Bri*; & hoc Romanos audientes à populis Orientalibus inter sua bella Asiatica, formasse sibi vocem *Barrus*, & *Barrire*, (id est, *mugire*) quod etiam urbe donarunt: hinc *Barritum* esse *elephanti mugitum*; uti à *Bos* derivatur *boare* & *boatus*; rectiúsque dici *baritus* per R simplex: quæ viri eruditissimi animadversio magnam auctoritatem addit Isidoro. Apud Martinium legitur, in *Thesauro polyglotto* Megiseri scribi, *elephantem* Chaldæis dici *beira*, Sabinis *barrus*, & Indis *barre*; & in aliis Lexicographis invenio *Barrum* Linguâ Sabinorum *elephantem* esse; quod unde sumtum sit, scio cum ignarissimis; quin & vetus Schol. Horatii *ad carm*. 12. *Epodôn*, *Barris* interpretatur, *elephantis Æthiopicis*; & videtur ita indicare, nomen hoc potiùs Æthiopicum, quàm Indicum esse; atque uti hoc Linguarum illarum gnaris examinandum relinquo, ita Sabini mea ex opinione planè relegandi sunt, cùm illi ante Pyrrhum, elephantem proculdubio non cognoverint, nec verisimile sit, eos aliter animalia illa nominasse quàm Romanos.

Singulari etiam animadversione dignum est, eundem Orientalium rituum & rerum peritissimum virum, pag. 41. ejusdem Libri, haud absque ratione censere, *Schahiludium* in India natales suos habuisse; quòd elephantes in eo suas partes gerant; illudque ex India in Persidem tempore Justiniani, & Regis Persarum Anushirravani, qui obiit circa Annum D. N. J. C. 576. inde in Arabiam atque adeò Europam pervenisse, licèt inventio antiquior esse possit; & tandem exhiberi nobis animalium figuras p. 137. quibus in hoc ludo utitur Muslimorum Secta Persica; & uni elephanto apponi nomen *Pîl*, id est, *elephas*; alteri verò *Shâh*; quia scil. illo Rex vehitur.

CAP. II.

Ante Alexandrum num in Europa visi sint Elephanti disputatur; negaturque, licèt nonnulli Auctores, Plato, Herodotus, & Æsopus eò ducere videantur: Fabulæ Æsopi, ab illo non sunt conscriptæ; an Persæ & Lydi suo tempore Elephantis usi; Frontinus tentatus; Cameli in bello; Potterus notatus; Pictores reprehensi. Elephantos in Ægypto ante Alexandrum fuisse suadet urbs Elephantine, *valdè antiqua; Elephas Syris, Chaldæis, Arabibus & Æthiopibus* Phil *dictus; Procopii error. An Bacchus triumphans curru Elephantorum Thebas Bœotiæ sit ingressus, juxta Plinium & Nummos; an verò Elephanto fuerit vectus. Variarunt veteres Fabularum Architecti in describendis animalibus; quæ currui Bacchi fuerunt juncti. Tigres, Pantheræ, Centauri, Elephanti; binorum Eruditorum error; Nonnus explicatus; & ejus Interpres notatus;* δίφρος, ὄχημα, *de Equo & Elephante; licèt currui non forent juncti; Plinius vindicatus; Claudianus malè expositus ab Aldrovando; Nummi Nicæensium; Gazæ Gallorum Regiæ inediti; Harduinus reprehensus; dentes Elephanti Bacchus dedicavit in Templo Deæ Syriæ; Osiris vel Bacchus illa animalia venatus est. Alia loca in medium ex veteribus Auctoribus producta, unde fortè posset evinci Elephantos in Europa ante Alexandrum visos fuisse.*

CUm autem Indi maximum robur in elephantis ponerent; nihil mirum est, Porum cum Alexandro præliaturum, illos in exercitu suo habuisse; eosque, uti & alios, venisse in victoris potestatem; & ita factum esse, ut animal hoc Indis ferè solis in Asia (nam de *Africa* nunc non ago) notum, ad alios populos pervenerit; & quidem ad illos etiam qui Europam incolebant, quibus, si Veteribus credimus, illud nunquam antea erat conspectum; Pausanias *lib.* I. Ἐλέφαντας δὲ πρῶτος μὲν τῶν ἐκ τῆς Εὐρώπης Ἀλέξανδρος ἐκτήσατο, Πῶρον καὶ τὴν δύναμιν καθελὼν τὴν τῶν Ἰνδῶν: *Elephantos autem primus Europæorum Alexander, Poro & Indis victis, in potestate habuit:* inde addit; *priscos homines ebur polivisse, bestias autem ipsas, priusquam Macedones in Asiam trajicerent, præter Indos & Libyas, finitimosque illis populos, neminem vidisse; id ipsum ex Homero patere, qui cùm Regum lectos, & opulentorum domos ebore ornatas fuisse canat; elephanti tamen nullam facit mentionem; Poëtamque, si elephantum vidisset, aut de eo quicquam audivisset, potiùs eum fuisse memoraturum, quàm Pygmæorum & gruum pugnam.* Atque hæc quidem satis clarè tradit Pausanias; & inde patet, uti in Italia ante Pyrrhum, ita in Græcia ante Alexandrum elephantos visos non esse. Et quanquam jam res ipsa poscere videatur, ut agam de belluis, quas Porus secum habuit, tamen existimo melius fore, si antè examinem, an non ad Græcos post Homerum, & ante Alexandrum, elephantorum notitia pervenerit; & an alii Reges Asiæ, præter Indos, hoc animali vel ad bellum, vel ad pompam & voluptatem ante eundem Re-

A gem non sint usi; ut ita deinde absque interruptione de Alexandro, ejusque Successoribus agere possim.

Plato in *Critia* pag. mihi 1104. Insulam Atlanticam describit, narratque in ea fuisse pascua animalibus tàm feris quàm domesticis alendis idonea; καὶ δὴ, pergit, καὶ ἐλεφάντων ἦν ἐν αὐτῇ γένος πλεῖστον, *elephantorum præterea ingens ibi copia: alebat nempe sufficienter quæcunque per paludes, lacus, & flumina sive montes agrosve pascuntur,* καὶ ἦν καὶ τοῦτο κατὰ ταῦτα τῷ ζώῳ μεγίστῳ πεφυκότι καὶ πολυβορωτάτῳ, *& hoc quoque maximum & voracissimum animal;* qua certè ex descriptione constat, elephantos Græ-

B cis cognitos fuisse ante Alexandri Magni tempora, licèt Platone longè antiquior Homerus ignorare potuerit, *ebur* tam vasti animalis dentes vel cornua fuisse. Et Plato quidem ita loquitur tanquam elephantos vidisset; & videre eos potuit in Ægypto, quò philosophandi causâ profectus fuit, & in qua regione belluas hasce tunc fuisse, licèt earum in bellis usus ignoraretur, propter vicinam Æthiopiam, ubi ingens horum animalium copia, à vero non absimile videtur; vel descriptionem hausit ex Auctoribus anterioribus, uti Herodoto, qui *lib.* 4. *cap.* 191. prope Tritonem Africæ fluvium scribit Ἀροτήρων esse regionem versus Occi-

C dentem, montanam valde & nemorosam; & apud eos inveniri serpentes supra modum grandes, *ac leones, elephantos quoque & ursos;* nec mihi dubium, quin Herodotus etiam in Asia alicubi vel Ægypto elephantos viderit; neque enim crediderim eos in Europa tunc fuisse; vel saltem sciverit, quæ fuerit illorum forma. Imò ante Herodotum Æsopus facit hujus animalis mentionem, uti patet ex *Fab.* 199. apud Neveletum; ubi dicuntur bruta sibi Regem eligere voluisse; camelum & elephantem æmulatos esse inter se; & simiam utrosque regno indignos judicasse, quia camelus bilem adversus improbos non habet; *elephas verò*

D *si regnaret, metum esse, ne ipsis insidiarentur porcelli,* ὅτι δέος ἐστὶ μὴ αὐτοῦ βασιλεύοντος χοιρίδια ἡμῖν ἐπιτίθενται: quia scilicet elephanti porcorum grunnitum fugiunt & aversantur, uti in altera Exercitatione docebo. Nolim tamen Æsopi auctoritate uti, ad probandum illius, vel Crœsi ætate elephantos Græcis cognitos vel visos fuisse; quia nihil dubitandum, quin Fabulæ illæ diu postea confictæ & sub Æsopi nomine publicatæ, atque adeò Æsopiæ dictæ sint, quia is in conventibus frequenter apologis solebat uti; & licèt varios dicatur conscripsisse, qui vel perierunt, vel aliis

E immixti sunt, tamen non crediderim fabulam, in qua elephanti fit mentio, ipsi deberi; quia nec Persæ nec Lydi isto tempore illos videntur cognovisse. Et certè multis hoc probat eruditus Bachetus Dominus Meziriaci in *Vita Æsopi*, quæ nuper recusa est in Ephemeridibus eruditis *. Quin & apud Frontin. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 12. legimus, *Crœsum prævalido hostium equitatui* CAMELORUM *gregem opposuisse, quorum novitate & horrore consternati equi, non solùm insidentes præcipitaverunt, sed peditum suorum ordines protrivérunt:* & contrà narrat Xenophon lib. 7. pag. 177.

F *Instit. Cyri, equos Crœsi visis camelis consternatos fugisse;* illudque cùm etiam memoret Polyænus lib. 7. cap. 2. *Stratagem.* parum abest, quin apud Frontinum reponam *Cyrus* pro *Crœsus.* Sed hæc res, quomodocunque sese habeat, docet satis superque, uti mihi equidem videtur, Regibus illis nullos elephantos fuisse; & certè Frontinus mox memorat Pyrrhum & Pœnos ad perturbandam Romanorum aciem belluis illis usos esse; sed eos Crœso fuisse, silet planè. Hinc tamen, ut hoc obiter addam, patet non satis cautè scribere doctissi-

* Cl. de Sallengre, *Mémoires de Littérature* T. I. pag. 90.

ctissimum Anglum lib. 3. cap. 3. *Archæol. Græcæ*, camelorum atque elephantum, qui in bellis quorundam populorum celebrantur, nullam fieri mentionem apud Historicos Græcos ante tempora Alexandri, quibus ingens numerus elephantum ex Oriente transvectus fuit. Nam certissimum equidem est Asiaticos diu ante Regem illum camelis usos in bello fuisse.

In Ægypto autem, quò Herodotus & Plato fuerunt profecti, elephantos fuisse, docet haud perfunctoriè urbs *Elephantis*, vel *Elephantine*, non modò memorata Pomp. Melæ, Stephano, Ptolemæo, verùm etiam Herodoto variis libri secundi locis; patetque ex eo, non secus ac ex aliis Auctoribus, eam in confinio Ægypti & Æthiopiæ fuisse positam: & notat eruditissimus Bochartus lib. 4. cap. 26. *Geogr. Sacræ*; *Philarum* nomen Ægyptium vel Æthiopicum, idem videri sonare, quod Græcè *Elephantine*, quia Syris, Chaldæis, Arabibus, & Æthiopibus *phil* est *elephas*; unde certè patet nomen hoc etiam ab elephantis deduci; & propterea illos diu Ægyptiis, saltem qui Æthiopibus vicini erant, cognitos fuisse. Et huc pertinet, Diod. Siculum *lib.* 1. narrare, lupum ideo coli ab Ægyptiis, quia nonnulli affirmant, sub Æthiopum in regionem illam irruptionem, ingentes luporum catervas convenisse, hostiumque agmen ultra urbem *Elephantinam* fugasse; & Africanus apud Syncellum scribit, quintam Dynastiam Regum ἐξ Ἐλεφαντίνης fuisse inter Memphitarum Regem XVI. & XVII. quam seculo sexto post Diluvium ante Israëlitarum profectionem in Ægyptum assignat Marschamus; quæ si vera sunt, de antiquitate urbis illius & cognitorum in Ægypto elephantorum conjectura fieri potest. Errat haud leviter Procopius lib. 1. *Persic.* cùm memoriæ mandat, Diocletianum juxta Elephantinam Insulam Nili castrum exstruxisse, & aras Romanis ac Barbaris communes, & Sacerdotes ex utraque gente constituisse, uti sacrorum communione amicitia coalesceret; & inde locum *Philas* dici; cùm jam Strabonis & Ptolemæi ætate illud nomen cognitum fuerit, uti rectè observavit Valesius *ad Excerpta Historiar. Prisci Rhetoris.* Et certè *ebur* vetustissimis etiam Ægyptiis fuisse cognitum, ex Tacito lib. 2. *Annal.* cap. 60. patet: nam cùm narrasset, jussu Germanici seniores Sacerdotum explicasse litteras Ægyptias, quæ Thebis in structis molibus manebant; habitasse scilicet quondam septingenta millia ætate militari, iisque Regem Rhamsen multos populos sibi subjecisse addit: *Legebantur & indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equorumque, & dona templis*, EBUR *atque odores.*

Ex iis igitur, quæ disputavi, patet, ante Alexandrum Magnum elephantos in Europa visos non fuisse; sed hoc à veritate alienum esse videtur, si mythicis temporibus fides habenda, quia Bacchus vel Liber Pater victâ Indiâ & in Europam rediens elephantis dicitur triumphasse; Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. *Romæ juncti elephanti primùm subiere currum Pompeji Magni Africano triumpho: quod priùs Indiâ victâ, triumphante Libero Patre, memoratur*; nempe factum esse.

Schefferus, vir utique doctissimus, mihique, dum viveret, amicissimus, & post eum celebris Harduinus notant, Bacchum non videri triumphantem vectum esse quadrigis elephantorum; sed ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ, ut Diodorus *lib.* 4. p. 211. vel ἠλιβάτων λοφίῃσιν ἐλεφάντων ἐφεδρήσαντα, uti canit Nonnus. Verùm Poëta ille non tàm triumphum Bacchi describit *lib.* 26. p. 696. quàm bellum cum Amazonibus, quas insidens *sublimium dorsis elephantorum*, vel *elephanti*, perterrefecit.

A Sic & mox Pylœtem canit ὀρθοπόδην ἐλέφαντα in pugnam concitasse; nec non Deriadem *lib.* 24. p. 630. Quò pertinet ejusdem Poëtæ locus *lib.* 23. p. 612. qui ab Interprete non satis intellectus est:

— — — καὶ οὐ πατρώϊον ὕδωρ
Δηριάδης ἐχάραξεν ἑῷ περιμήκεϊ δίφρῳ
Ὑψιλόφων λοφίῃσιν ἐφεδρήσσων ἐλεφάντων.
— — — *& non paternam aquam*
Deriades signavit suo prælongo curru
Altas jubas habentium dorso insidens elephantorum.

B Nam περιμήκεϊ δίφρῳ mihi est *prealto curru*: neque tamen putandum est Deriadem currui insedisset, ad quem juncti erant elephanti; elephas vocatur δίφρος, quia eo vehebatur, quomodo etiam ὄχημα usurpari docuit Schefferus lib. 1. cap. 1. *de Re vehic.* ita apud Philostrat. lib. 2. *de Vitis Sophistar.* Adrianus Sophista dicitur vectus fuisse ἐπ' ἀργυροχαλίνου ὀχήματος, *equo, insigni freno argenteo*: & Arrianus libro *de Rebus Indicis* scribit ὀχήματα *plerisque Indis fuisse camelos, equos & asinos; ditioribus elephantos, quia* βασιλι-

C κὸν ὄχημα *erat elephas apud eos*; hucque pertinet omnino ita etiam loqui Heliod. *lib.* 9. Ἐπεὶ δὲ τειχῶν ἐντὸς εἰσήλασεν ὥσπερ ἐφ' ἅρματος τοῦ ἐλέφαντος: *Postquam autem intra muros* (Hydaspes) *elephanto tanquam curru invectus est.* Et si curru vectus fuisset Deriades, non utique potuisset dici insedisse dorso elephantorum, vel elephanti; puto enim poëticè tàm de eo quàm de Baccho loqui Nonnum. Quin & eorum comites vecti erant elephantis; & idem Poëta *lib.* 24. p. 628. canit Bassarides vel Bacchas adscendisse super dorsum ὀρεσσινόμων ἐλεφάντων: atque ita &

D ἡνιοχεύειν, quod propriè *aurigare* significat, denotat regere elephantum apud eundem Nonnum *lib.* 26. p. 696.

— — — *in bellum verò Bacchi*
Deriadi vocanti tunc princeps venit Pylætes,
Ὀρθοπόδην ἐλέφαντα κατὰ κλόνον ἡνιοχεύων,
Rectipedem elephanta ad pugnam agitans.

Sed ut ad *Bacchum* victorem è diverticulo redeam, Diodor. Siculus ita de ejus triumpho loquitur: *Cùm in expeditione in Indiam triennium consumsisset, in Bœotiam cum multis opimisque spoliis est*

E *regressus*; καταγαγεῖν δὲ πρῶτον τῶν ἁπάντων θρίαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικοῦ, *& primus omnium super elephante Indico triumphum egit.* Et ita eum in pompa magnificentissima repræsentavit Ptolemæus Philadelphus apud Athen. *lib.* V. *Super alia quadriga, qui Bacchi ex India reditum repræsentabat*, Διόνυσος ἦν δωδεκάπηχυς ἐπ' ἐλέφαντος κατακείμενος, *purpurea veste indutus.... ante illum in elephanto sedebat Satyriscus cubitorum quinque.* Imò, quod inprimis notandum, in nummo Macrini à Nicæensibus signato in Museo Jesuitarum *Bacchus vehitur elephanto*, uti testatur Harduinus. Alii

F tamen eum curru vectum triumphasse statuunt, adeò ut malè à viris præstanti eruditione carpatur Plinius, quia tradidit, illius triumphantis currum subiisse elephantos. Seneca certè lib. *de Vita beata* c. 25. currum agnoscit, licèt non nominet animalia: *Hoc tibi ille Socrates dicet: Fac me victorem universarum gentium: delicatus ille Liberi currus triumphantem usque ad Thebas à Solis ortu vehat: jura Reges Persarum petant: me hominem esse tum maximè cogitabo, cùm Deus undique consalutabor.* Indulserunt sibi Veteres in triumpho Bacchi describendo, & finxerunt pro lubitu animalia, qui-

bus vectus fuit: Sidon. Apollinaris *Carm.* 22. canit Bacchum triumphasse curru, cui tigres erant juncti, & in pompa ultima fuisse elephantos,

Ultima nigrantes incedunt præda elephanti.

Nonnus initio *libri* 18. narrat nobis *pardos & leones*,

Παρδαλίων τε λέπαδνα, καὶ ἡνία φαιδρὰ λεόντων,
Pantherarumque antilenas, & frena splendida leonis;

& paulò post, παρδαλίων ἀπήνην: & ita in Trajani nummo apud Patinum pag. 158. *Thes.* sui, & p. 51. *Thes.* Mauroceni, tigres ad currum Bacchi vel pantheræ junctæ sunt; quod imitatus Heliogabalus *junxit & tigres, Liberum sese vocans*, teste Lampridio in *ejus Vita*. Neque aliud nos docet Claudianus v. 605. *Consulatus* IV. *Honorii*:

Talis Erythræis intextus nebrida gemmis
Liber agit currus, & Caspia flectit eburnis
Colla jugis.

Ubi malè illustris Aldrovandus elephantos se putat invenisse, cùm utique designentur pantheræ vel tigres, quorum animalium tractus ille terrarum ad mare Caspium ferax est.

Aureopolitæ in Lydia apud Vaillantium, egregiâ doctrinâ virum, in nummo Commodi Bacchum imposuerunt currui, ad quem centauri juncti sunt; id quod & fecerunt Nicæenses in alio Juliæ Domnæ, in quo sociam habet Ariadnem; neque aliter nobis repræsentatur in serenissimi & potentissimi Borussiæ Regis præclara gemma pag.

A 192. tom. I. *Thesauri Regii*; quem magnificum Librum, tribus voluminibus, pelle rubra obductis & deauratis, donum mihi mittere visum fuit tantæ Majestati.

Atque uti ibi juvenes centauri sunt, ita in aliis monumentis, in quibus Bacchum vehunt, seniores & barbati, imò in gemma apud Michaëlem Angelum Causseum idem numen currui insidet, cui juncti centaurus mas barbatus & centaura fæmina, quam ultimam etiam alibi licet observare.

Et quanquam ita luserint in fictionibus Veteres, tamen *elephanti*, quos Plinius nobis memorat, non sunt rejiciendi: namque est insignis
B Commodi nummus editus à Tristano, insigni profectò viro, in quo Nicæenses signarunt Bacchum ΤΟΝ ΚΤΙϹΤΗΝ, *Conditorem*, insidentem quadrigæ elephantorum. Exstat idem in Gaza Gallorum Regia, non secus ac similis planè alius Antonini Pii, quorum, non secus ac alterius in honorem Alex. Severi signati, ectypos mecum communicavit Regius Legatus, vir excellenti dignitate & doctrina, Ezechiel Spanhemius; quosque si non publicarem, peccarem certè in Remp. Literariam. Nec facere possum,
C quin hac occasione celebrem ac laudem singularem humanitatem doctissimi & præstantissimi Oudineti, Custodis Thesauri hujus Regii, quippe qui tres illos, aliosque Nummos, qui singularibus elephantis, vel eorundem quadrigis erant insignes, in usus meos, pario excellentissimo Spanhemio, delineari eleganter curavit, quo nomine me plurimum viris illis debere confiteor. Ecce tibi, Lector, igitur hosce Nummos:

Commodi. Antonini Pii. Alexandri Sev.

Inprimis autem notandus ille, qui Alex. Severi in altera area vultum ostentat; quia præter quadrigam, quâ Bacchus vehitur, elephantorum, alia simul figura nobis exhibetur, & quidem incusa, quæ Victoria est, tenens levansque manu, si quid video, corollam, & occupans locum, in quo priores vocis ΝΙΚΑΙΕΩΝ literæ scriptæ sunt; adeò ut inde perspicuum sit, non illo ipso tempore, quo nummus signatus est, Victoriam hanc eidem inditam fuisse.

Atque inprimis notandum, Harduinum in utraque editione Nummorum Popul. & Vrbium recensere nummum Macrini à Nicæensibus Bithyniæ signatum, in quo, uti ait, *Bacchus elephanto vehitur.* Advertit typus tam insolitus animum meum, rogavique Gallandum, insignem illum & illustrem Nummorum veterum Interpretem, ut mihi illius ectypum procurare vellet; & accipe, quid mihi responderit: *Le Pére Hardouin, Monsieur, s'est trompé dans la description de la medaille de Macrin, frapée par les Nicéens, qui se trouve dans le Cabinet du College de Louis le Grand, en disant, qu'au revers* Bacchus elephanto vehitur. *Nous devons plûtôt nous en rapporter à Mr. Vaillant, qui s'y connoissoit mieux que lui, & qui la*

D *décrit ainsi dans ses Villes Gréques Imperiales p.* 122. Sessor elephantem ducit, extensa manu virgam gerens. *Vous avez une medaille d'argent de Philippe le pére, qui a le même type au revers avec la legende*, AETERNITAS AVGG. *que vous n'avez pas oubliée sans doute dans votre Elephant Numismatique.* (comme je n'ai pas fait asseurément) *Ainsi il ne paroît pas nécessaire de demander à ce Pére, un dessein de la medaille des Nicéens, qu'il pourroit bien faire difficulté d'accorder. Il peut vous suffire d'en faire mention, & de marquer la bevûe qu'il a faite en la décrivant.*

E Sed ad Bacchum etiam, & propterea ad hunc locum pertinet, in Templo Deæ Syriæ fuisse ostentatas *vestes barbaras & gemmas Indicas*, καὶ ἐλεφάντων κέρατα, *elephantorum cornua, quæ Bacchus attulit ex Æthiopia*, uti legere licet apud Lucianum; & Osirim, quem eundem cum Baccho faciebant Gentiles, *in India* γενέσθαι καὶ περὶ τὴν τῶν ἐλεφάντων θήραν, *elephantos etiam venatum esse.*

Quin etiam Athenagoras in Libro *De vero & perfecto amore* refert, Sophonacem consecrasse deo sex dentes elephantorum, in memoriam Bacchi, qui talibus animalibus succinctus ex India veniens sub-

subjugavit Libyam. Qui tamen Liber num genuinus sit & Athenagoræ Christiano adscribi debeat, equidem valde dubito, licèt id censeant Baudelotius de Dairval & Tentzelius. Sunt enim mihi tot graves rationes, uti, quantuncunque reverear tantorum virorum sententias; iis profectò manus dare nequaquam possim: nec immeritò de genuitate hujus fictæ historiæ dubitat illustris Huetius, adscribitque illam ferè Philandro Vitruvii Commentatori; quod tamen virum eruditissimum ægrè unquam persuasurum viris emunctæ naris credit Cavius in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum.*

Atque, ut pergam, alia etiam loca evincere videntur ante Alexandrum in Europa elephantos visos fuisse: Antiphanes certè mediæ Comœdiæ Poëta proverbio usus est, unde constat, illi animal hoc non ignotum fuisse, καταβεβρωκὼς σίτια ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων, *edens frumenta ad instar quatuor elephantorum:* ita Archestratus & Aristophanes apud Athen. *lib.* 3. *cap.* 31. meminerunt ταρίχου ἐλεφαντίνου, *salsamenti elephantini*; quod quidem Casaubonus, vir insignis & eruditus inprimis, interpretari posse putat, durum instar corii elephantini, aut siccum exsuccumque, *eburnum*, dictum, quia splenderet; vel esse ceti frustum maximum salitum, ultra usitatum modum. Sed ego nihil causæ video, cur non ex elephantorum certa & ad id apta carne facere potuerint salsamenta, iisque addidisse marinam testudinem, cancri pedes & alia, quæ ibi memorantur, maximè cùm legamus Æthiopes nonnullos illarum belluarum carnibus sese aluisse. Certè si hinc non planè constat elephantos in Europa ante Alexandrum visos esse, illud utique in aperto est, animalia illa Græcis satis cognita, & proculdubio in vicina Asia Minore, cujus magnam partem Rex Persarum tenebat, visa fuisse.

CAP. III.

An ante Alexandrum alii, præter Indos, Asiæ Reges, Elephantis in bello usi sint; rejicitur nonnullorum sententia; qui putant ad Salomonem eos adductos. Epistola de hoc argumento Nicolai Gurtleri. Nulli etiam in Judæa tempore Jobi; Sal. van Til notatus. An illis bellaverint ante Alexandrum Persæ, Ægyptii, Æthiopes & Arabes. In Arabia nulli Elephanti, licèt id videatur tradere Auctor Epitomes Strabonis; Æthiopes & Ægyptii non usi sunt in præliis ante Ptolemæos Elephantis. Nullus Elephas inter literas Hieroglyphicas. Hofmannus notatus; Ad veterem ætatem non sunt referenda Hieroglyphica Horapollinis. Pierius perstringitur; Kircheri judicium ea de re. Nullibi in S. Scriptura memorantur inter bellicos apparatus; Pictorum error; Cameli in exercitibus Persarum; Ezechiel. locus 25. 5. Nummus M. Antonini. Qui Indi Persarum Regibus paruerint: Aßueri Regnum à nonnullis nimis latè, ab aliis nimis arctè describitur: Dodwelli error: ante Alexandrum soli ferè Indi Elephantis in bellis usi; nec ante illud tempus id fecerunt Carthaginienses; licèt antiquiores memorentur Africæ populi, qui id fecerint. Jubæ Regis locus: Ælianus explicatus. Lucretius malè originem pugnandi ex Elephantis Carthaginiensibus tribuit: Lambinus notatus in ejusdem Poëtæ loco exponendo. Anguimani sunt Elephanti eidem & Lactantio: Philostrati & Heliodori narratio fabulosa: Semiramis ex tergis boum, cum Indis bellatura, Elephantorum simulacra fabricari jussit. Derbices ope Elephantorum vicerunt Cyrum.

SEd & nunc inquirendum est, an non alii ante Alexandrum Reges Asiæ, exceptis Indis, elephantos aluerint ad bellicos vel ad alios usus. Bochartus, vir omnigena eruditione, lib. 2. cap. 23. *de Animal.* & post eum Martinus Lipenius in *Navigatione Salomonis Ophiritica*, notant unà cum simiis & pavonibus *elephantos* ad sapientissimum Regem deportatos esse. Atque ita antea Eucherius in Sacris Literis putavit *elephanto* designari hominem, qui magna & enormia scelera perpetravit; quia in ea legitur, *Et adducebant ad Salomonem elephantos*; sed viros doctos errare, & ebur vel dentes elephantorum Hierosolymam fuisse delatos habeo persuasissimum, sequutus Casaubonum *ad Spartian.* p. 44. Jo. Henr. Majum lib. 2. cap. 1. *de Animal.* & inprimis, ne alios advocem, P. Danielem Huetium, magnum illud Galliarum & illustre lumen, atque adeo mihi amicissimum virum, cap. VII. *Navigat. Salomonis*; quomodo & cap. 27. v. 15. *Ezechielis* legimus, *dentes* vel *cornua elephantorum* inter merces fuisse, quæ Tyrum deportabantur à mercatoribus Dedanæis, in Arabia ad ostium ferè Sinus Persici habitantibus, & vicinis Insularibus. Cùm autem eadem de re fuissem collocutus cum Nicolao Gurtlero, pietatis & doctrinæ spectatæ viro, in Gymnasio Daventriensi tunc, nunc verò apud Frisios Theologiæ Professor; isque, qua est humanitate, sententiam suam Epistolâ complexus est, quam totam huic Lucubrationi inserui; cùm quia censet etiam elephantos ad Salomonem non fuisse advectos, tum quia alias res monet, de quibus cum ipso egeram, & quæ ad argumentum, quod ornandum mihi sumsi, pertinent:

VIRO ILLVSTRI AMPLISSIMOQVE

GISBERTO CVPERO

S. P. D.

NICOL. GVRTLERVS.

„ ÆDium mutatio, Bibliothecæ dispositio & „ Medici vini usus fuere in caussa, illustris „ Vir, quòd tardiùs de elephantis significarim. „ Quæ verò inveni jam adscribam, etsi pauca sint „ ac leviora. Primò certum est belluam hanc He„ bræis diutissimè fuisse prorsus ignotam: nec „ enim *. habent nomen quo illam designent. „ Jobi *Behemoth* multis quidem Interpretibus cre„ debatur elephas esse, & Frantzius eam defendit „ opinionem, sed refutatus à Ludolfo, qui cum Bo„ charto hippopotamum esse contendit. Antonides „ nuperus Commentator ad locum Jobi putat haud „ ea voce notari singulare quoddam bestiæ genus, „ sed simpliciter belluas aliis majores, quod & „ Capellus existimat. Certè Hebræum nomen „ pluralis est numeri. Salomoni leguntur ex Ophi„ ro * שנהבים *Schenhabbim* 1. *Reg.* 10.22. Bochar„ tus

* Vox *adducti*, vel *deportati*, videtur excidisse.

„tus disputat esse elephantos, at fidem apud E-
„ruditos nondum invenit. Græcis & Chaldæis
„sunt ὀδόντες ἐλεφάντινοι, *dentes elephantini*. Et
„שן *schen* sine dubio dens est. β. Thalmudici
„elephantem appellant פיל à פיל *findere*, *disse-*
„*care*; utunturque proverbio; *neminem vidisse*
„*unquam elephantum acus foramen intrantem*. At
„quia ignotum in Palæstina fuit animal, Jesus
„*camelum* substituit Judæis notum: *Facilius est*
„κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν;
„*camelum per acus foramen transire, quàm divi-*
„*tem in regnum Dei intrare*; *Matth.* 19. 24. ubi
„obiter liceat monere variam esse κείσιν, quæ
„pro κάμηλον ponat κάμιλον *funem nauticum*.
„γ. Sesacus Ægypti Rex, & Zarah Æthiopiæ,
„ille quidem Roboamo 2. *Chron.* 12. 2. 3. hic ve-
„rò Asæ Judæ Regibus immane fecerunt bellum,
„equis instructi & curribus: verùm & elephan-
„tes eos in acie habuisse, Hebræi Doctores non
„monent: Igitur δ. primam elephantorum men-
„tionem video factam in Paraphrasi Chaldai-
„ca ad *Cantic.* 6. 7. ubi tradit Græcos contra Hie-
„rosolymas excitasse præter ceteros, octoginta
„duces de filiis Ismaëlis רכבין על פיליא roke-
„bin gnal pilaja, *equitantes super elephantos* sub
„auspiciis Alexandri Regis. At Jonathan Chal-
„daïcæ Paraphraseos auctor existimatur Christo
„in terris agenti æqualis, & illæ Græcorum ad-
„versùs Judæos expeditiones sunt ætate Alexan-
„dri Magni recentiores. Num Diodorus Siculus,
„qui *lib.* 3. *cap.* 5. narrat Staurobaten Indorum Re-
„gem Semiramidi bello Indias petenti opposuisse
„elephantos, mereatur fidem, non decido. Sed
„dubium movet, quòd rariùs ante Alexandri M.
„tempora, crebriùs post illa memorentur ab Hi-
„storicis elephanti in bello usurpati. Certè illo-
„rum domationem Alexander si * ceu facinus sin-
„gulare vendicat apud Lucian. in Dial. *Mortuor.*
„In obsidione Olympiadis per Cassandrum ele-
„phanti fame leguntur contabuisse, in l. 19. *Bibl.*
„Diodori Sic. cap. 49. Plura de hoc argumento
„non succurrunt. Ita magis excusata quàm pro-
„bata velim. Vale, Vir amplissime. Dab. 21.
„Maji 1706. st. vet.

Nulli igitur ad Salomonem deportati sunt elephanti; videnturque illis temporibus hæ belluæ tantùm Indis, Æthiopibus, Mauris & aliis Afris cognitæ fuisse; licèt vix dubitandum sit, quin illi, quos in Ophiriticam regionem vel Africam, uti arbitratur illustris Huetius, Rex ille misit, ipsi narraverint & descripserint animal; quod ebur præbebat. Nec mihi ullo modo verisimile hasce belluas diu ante Salomonem Regem in Judæa, vel vicinis Judææ locis, visas fuisse; id quod tamen diceres statuere ferè Eruditos, qui Jobum putant loqui *cap.* 40. ℣. 10. & sequentibus de *Elephanto*, & non de *Hippopotamo*; è quorum numero est etiam insignis Theologus Salomon van Til; cap. 1. *Zoologiæ Sacræ*; cui tamen explicationi difficulter manus dare possim. Videndum igitur nunc an Persæ, Ægyptii, Æthiopes & Arabes elephantis in bellis usi sint olim. In Veteri Fœdere legimus conscriptos fuisse numerosos valde exercitus à variis Persarum & Babyloniorum, à Sesaco Ægypti, & à Zarah Cusæorum vel Arabum (nam errare eos qui *Æthiopas* inde faciunt putat Bochartus) Regibus, eosque immanibus copiis adortos esse Judæam; sed nulli in tam magnis apparatibus elephanti; & currus tantùm bellici, equites & pedites memorantur; nec puto tantæ molis belluas omissas fore, si tunc iis bellatum fuisset, cùm magnum in iis ad victoriam & ad

* Leg. *sibi*.

A terrorem incutiendum esset momentum. Atque hoc de Arabum Regibus magis mirandum, si verè notat Hofmannus in Continuatione *Lexici* sui, ea in regione elephantos fuisse: *Arabicis*, ait, *inprimis quos nothos vocabant, in agricultura pro bubus Indos consuevisse Plinius docet lib.* 8. *cap.* 1. Sed errat, & veteribus inemendatisque editionibus Plinii usus est, in quibus legitur, *Indicis Arabici minores*, cùm scribendum sit omnino, *Indis arant minores, quos nothos vocant*; quam sinceram lectionem restituit Gelenius, defenditque ex Solino Harduinus. Et certè nemo Veterum, vel Recentiorum, *Arabicorum elephantorum* me-
B minit unquam; nec vastum illud animal alibi quàm in India Orientali & Africa gignitur; qua in ultima regione, quod notandum, apud Sambros vel Psambates Æthiopes, *omnes quadrupedes sine auribus, etiam elephanti, nascuntur*, testibus Plinio *lib.* 6. *cap.* 30. &, qui ejus vestigia sequitur, Solino *cap.* 30. quales tamen aliis non memorantur, nec in Nummis vel Græcorum vel Latinorum pinguntur; adeò ut credam hanc narrationem fabulosam planè esse.

Atque ita, ut orationis filum repetam, nec elephanti leguntur fuisse in Judæorum, sive Æthiopum supra Ægyptum exercitu, qui auxilio
C venerant Ægypti Regi Pharaoni Necho apud *Jeremiam* cap. 46. ℣. 9. cùm tamen ibi magna eorum fuerit semper sitque hodie etiamnum copia; adeò ut putem certissimum esse Æthiopas usum elephantorum in bello ignorasse planè; id quod idem affirmandum proculdubio etiam est de Regibus Ægypti, antequam illa in Macedonum potestatem pervenit; quin imò vetustissimis temporibus animal illud incognitum planè ibi fuisse, videtur patere ex literis hieroglyphicis, inter quas, sive inspicias Mensam Isiacam, sive Obeliscos, si-
D ve alia superstitiosæ gentis monumenta, elephanti non exhibentur; licèt varia in iis alia animalia depinxerint. Horapollo quidem scribit lib. 2. *Hierogl.* cap. 84. Ægyptios, designantes hominem viribus & ingenio valentem, *pinxisse elephantem cum sua proboscide*; quâ nempe odoratur & obvia apprehendit; cap. 85. Regem alienum à stultitia & imprudentia, *elephantem & arietem*, quia ille viso ariete (malè *caprum* appellat Pierius lib. 2. cap. 8. *Hierogl.*) fugere perhibetur; *cap.* 86. Regem, qui nugatorem non admittit, *elephantem cum porco*, cujus voce audita fugit; *cap.* 88. hominem sollicitum de sua sepultura, *elephantem suos dentes defodientem*, quos cadentes terra abscondit.

E Sed hæc vetera non sunt, utpote in nullis monumentis Ægyptiorum obvia, vel inventa, postquam natura illius animalis fuit cognita & perspecta, ab ipsis Sacerdotibus, vel Græcis, quos Alexandriam deduxerat Alexander, vel qui eò venerant cum Ptolemæis, & in varias regionis illius urbes erant diffusi. Et facere non possum, quin hac occasione Lectori exhibeam verba Kircheri, quæ exstant Tomo III. *Oedipi Ægyptiaci* cap. 1. argum. 1. *Anacephalæoseos*, quibus superstitionis Phariæ vir intelligentissimus in causas inquirit, quare elephanti & alia animalia Ægyptiis vel ignota, vel parùm nota suum locum non te-
F neant inter literas hieroglyphicas: „In tertio ordine,
„*inquit*, ea continentur, quæ à Clemente Alexan-
„drino κυριογραφικὰ dicuntur, hoc est, quæ
„similitudinem quandam ad res, quas denotant,
„obtinent, uti figura Solis & Lunæ, portuum,
„murorum, coronarum, limitum, flammarum,
„ignis, aquæ, craterum, piscinarumque figuræ,
„similiaque plurima; quæ quidem nihil aliud,
„quàm rem, quam referebant, significabant; quæ
„omnia hoc Libro passim exposita vide. Præmissâ
„itaque hac anatomiâ, videamus jam, quænam sit

„infinita animalium ferarumque in hieroglyphicis Obeliscis occurrentium multitudo, quam nobis ceu scitu ἀδύνατον imprudentes obtrudere possunt. Ac primò quidem supponendum est, Ægyptios rarò, vel etiam nunquam philosophandi gratiâ patrium solum egredi solitos; ut qui, teste Strabone, & Herodoto, reliquas gentes veluti barbaras, ignaras & sapientiæ suæ indigas reputarent: artes quoque & disciplinas, veramque philosophandi rationem nullibi nisi in Ægypto, sicuti prima terrarum, sic prima quoque rerum productrice, quærendas existimarent. Atque ex hoc supponendum secundò, nullam quoque animalium extra Ægypti limites degentium singularem cognitionem habuisse Ægyptios; sed eorum tantum, quæ fæcunda mater Ægyptus illis producebat. Quod inde luculenter apparet, quia cùm Ægyptii toti essent in animalium virtutibus, proprietatibus, indole, ingenio, sympathicis & antipathicis eorum affectionibus, aliisque naturæ dotibus perscrutandis, omnes eorum nutus, teste Plutarcho, & gestus, minimasque actiunculas ad superstitionem usque observarent; imò maximam in hisce cognoscendis secretioris Philosophiæ suæ partem ponerent; certè earum virtutum proprietatumque observationem, nisi in animantibus maximè obviis, iisque familiaribus, minimè fieri potuisse verisimile est. Quod si ita, sanè nulla alia animalia præterquam Ægyptia, quorum virtutes & proprietates ex quotidiana inspectione cognitæ erant, ad symbolorum seu hierogrammatum structuram assumta fuisse, ex dictis patet. Unde sanè mirari non possum, quid Ammiano Marcellino *lib.* 17. *cap.* 4. in Const. & Julian. in mentem venerit, quòd in Obeliscis præter formarum innumeras notas, volucrum ferarumque etiam alieni Mundi genera multa Ægyptios insculpsisse, audeat dicere. Mihi certè hujusmodi alterius Mundi animalia in Obeliscis nostris Romanis nunquam deprehendere licuit; nisi forsan Ammianus hîc nobis Utopiam aliquam, ejusque tum Obeliscos, tum animalia describat; quod ipse viderit. Quid enim inter hæc symbola, ignota animalia, veluti Gulo septentrionalis, & Americus Vulpilupus, quorum indolem ingeniumque ne famâ quidem percepissent, agerent? Frustra sanè scarabæus pro Solis symbolo poneretur, nisi actiones ejus ad operum Solis similitudinem conformes cognoscerentur. Gratis quoque ibis, aut simia, v. gr. pro symbolo Lunæ, nisi in actionibus suis omnibus Lunæ simias experti essent, assumerentur: nam quòd in sacris sculpturis nunquam & nusquam intueri liceat elephantes, camelopardales, rhinocerotes, lynces, cervos, bisontes, alces, ursos, struthiones, apodes paradisiacas, psittacos, similiumque virtutibus maximis pollentium animalium imagines; certè nulla alia ratio esse potest, nisi quòd nullam hujusmodi animalium habuerint intimam cognitionem.

„Eandem ob causam species piscium veluti ignotas, & quorum virtutes difficile esset inquirere, veluti hieroglyphicis symbolis ineptas, repudiabant, præter oxyrynchum & phagrum, genus quoddam piscium, quod in omnibus passim hieroglyphicis monumentis obvium est..... Hinc etiam gallum gallinaceum in hieroglyphicis videntur neglexisse non alia de causa, nisi quòd leoni, solari nimirum animali, esset contrarius & inimicus, Typhonio spiritu plenus. Quòd si verò in multis antiquis fragmentis figuræ superiùs indicatorum animalium, veluti cervorum, elephantum, gallorum, ursorum, similiumque incisæ reperiantur; nequaquam Ægyptiorum, sed Græcorum figmenta censenda sunt. Totam igitur infinitam illam quadrupedum in sacris symbolis usitatorum multitudinem, nobis superiùs objectam, vel unico hoc versiculo comprehendimus,

> *Simia, bos, ariesque, hircusque, leoque, canisque, ælurus, lepus.*

„Quibus ex amphibiis accedunt crocodilus & hippopotamus. Inter simiarum verò genus ponimus cynocephalum quoque. Atque præter hæc inquirat quicunque & quantumcunque velit, columnas omnes discutiat, nulla alia in toto hieroglyphicorum ambitu inveniet sive integra, sive ex aliis mista.

„Sed quæret fortassis quispiam, quæ causa fuerit tantæ quadrupedum in Ægypto raritatis? hujus ego sanè aliam rationem reddere nequeo, nisi quòd nullam in ea, sive ob crebras Nili inundationes, sive ob maxima incommoda, quæ à muscis, culicibus, serpentibus, aliisque noxiis bestiolis stagnantis Nili reliquiis patiuntur, invenirent stationem. Unde ex hoc capite mihi admodum suspectus redditur Horus, ut qui eas animantium species passim in hieroglyphicorum referat album, quæ nusquam tamen in ullis hieraticis schematismis occurrant: quæque non dicam Ægypto, sed nec aliis quidem Nationibus, ut hyæna, phœnix, similiaque, cognita reperiantur; nisi forsan ipse Horus propria auctoritate sua eas hoc ἀποθεώσεως honore cohonestasse dicatur; quod verisimile est. Non negavero tamen, multa passim animalia in Ægyptum fuisse aliunde introducta: sed cùm eorum virtutes & proprietates Ægyptiis essent incognitæ, pro symbolis nequaquam fuisse assumta: Ægyptias enim notas non decebant, nisi Ægyptiæ soboles.

„Exiguus itaque fuit & omnium opinione minor quadrupedum numerus; volucrum aliquantum major, non tantus tamen, quantum ignari rerum sibi imaginantur: nam si accipitres, ibides, columbas, anseres, ciconias, upupas, meleagrides, hirundines, phœnicopteros, cornices, noctuas, coturnices, passeres; & ex insectorum familia scarabæum, muscam, papilionem δεχκοντόμορφον cognôris; omnem volucrum hieroglyphicarum notitiam complexus fueris. E reptilium verò numero serpentes, ranas, aspides, dracunculos si adsciveris, totam animantium hieroglyphicorum summam confeceris.

Atque ita ostendi in Sacra Scriptura nullos recenseri elephantos in exercitibus Persarum, Medorum & Babyloniorum; ac proinde verisimile nequaquam esse statuo, tunc Monarchis illis harum belluarum usum in bellis & præliis cognitum fuisse. Atque inde est, quòd pati non possim, viros, Hebraïcarum rerum studiosos valde, nobis inter bellicos Persarum apparatus pingere elephantos; uti fit, quando repræsentant Nabuzaradan, Ducem Nebucadnezaris, deportantem Babylonem ornamenta Templi Hierosolymitani; cùm utique belluæ illæ in Sacro Codice Babyloniis non tribuantur; atque æquè malè me habet in Tabula Geographica Oxonii unà cum Xenophonte edita, Arabiæ attribui elephantum, camelum, & leonem, tanquam forent animalia ἐπιχώρια, à quibus utique *elephas* eximendus est. Et quæ de Babyloniis in medium attuli, firmantur mirificè per Zachariam Prophetam, qui post Captivitatem divinitus loquutus est; nam is c. 14. ℣. 15. in castris recenset tantùm *equos*, *mulos*, *camelos & asinos*, *& omnia jumenta*; nequaquam au-

autem *elephantos*, quos non puto eum complecti *omnibus jumentis*; cùm utique tam vastum animal non secus ac alia expressisset, si illorum suo tempore apud Babylonios usus fuisset in bello.

Sed tamen ultima hæc disputatio in fumum abibit; quia Auctor, qui Chrestomathiam ex Strabonis Geographicis confecit, vel eum redegit in epitomen; *Arabicos elephantos* disertè memorat *lib.* 16. extremo, ὅτι οἱ ἐν Ἀρaβίᾳ ἐλέφαντες; *quòd elephanti Arabici, quoties flumina caloribus arefiunt; dentibus & proboscidibus puteos fodiunt.* Nihil certè clarius; & rem primo intuitu aliquis diceret confectam: verùm Strabo nebulam hanc ipse depellet, & ex eo patebit, eundem loqui de elephantis Africæ, & Epitomatorem eos adscribere Arabiæ, quia Troglodyticam Arabiæ nomine comprehendit, quomodo & alii eosdem populos *Arabes* appellarunt.

Nec certè Arabes, qui in exercitu fuerunt Antiochi, elephantis usi sunt, sed *camelis*, quibus ὀξυτάτοις *celerrimis insidentes facilè hostem è sublimi sagittis feriunt*; teste Appiano in libro *de Bel. Syriacis.* Quin & insigne mihi præbet argumentum, nullos in Arabia fuisse elephantos, Regina Saba, quam regioni illi adscribo, quia illa dicitur, 2. *Reg.* 10. *ad Salomonem venisse multo cum comitatu, & divitiis*; CAMELIS *portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas.* Neque enim mihi dubium, quin eadem *elephantos* adduxisset, si belluæ illæ ibi nascerentur. Quò pertinet omnino in Nummis, quibus Arabiæ Historiæ conservantur, nunquam conspici elephantos, sed frequenter camelos: uti in uno Commodi, in quo circum illud animal legitur NE. TPA. BOCTPA. *Nerviano Trajana Bostra*, qui etiam propterea alium, qui nobis exhibet virum nudum camelo insidentem in Appendice Iconum, ad eandem Arabiæ urbem refert, licèt inscriptio deleta sit. Quin etiam in Nummis Familiarum Æmiliæ & Plautiæ cernuntur Arabiæ Reguli supplices, Aretas & Bacchius Judæus, tenentes capistris itidem camelos.

Quin & Herodotus, aliique Græcorum vetustissimi Auctores, silent planè de iisdem, quando Asiæ Regum maximas copias nobis annumerant; equorumque, curruum, & camelorum, non autem elephantorum, faciunt mentionem. Quò pertinet, uti ad nostra tempora veniamus, Meltonum narrare part. 3. c. 12. *Itinerarii sui*, Regem Persarum habere quidem aliquot elephantos à Regibus Indiæ ipsi dono missos, sed iis in castris non uti.

Ælianus & Pausanias scribunt in exercitu Persarum fuisse καμήλους σιτοφόρους & σκευοφόρους Xenophon lib. 6. *Inst. Cyri*, καμήλους πολλὰς: atque ex ordine aciei p. 167. & 168. apparet non nisi *camelos*, *currus*, & *equos* præter pedites Cyro, nec non ex p. 158. singulis camelis binos sagittarios fuisse impositos.

Nam & Herodotus *lib.* 7. *cap.* 145. & post eum Ælianus lib. 17. *de Anim.* cap. 36. narrant, in Thracia leones invasisse *camelos*, qui erant in exercitu Xerxis, & hominibus reliquisque animalibus pepercisse, licèt illi leones nunquam vidissent camelos, & satis ibi foret animalium unde famem explere potuissent; docetque insuper Ælianus leones in Arabia appetere vehementer camelos, non secus ac in aliis regionibus, ubi ambo hæc sunt animalia; & ideo hanc naturam debere esse innatam leonibus & occultam, camelorum carnes expetendi.

Quin etiam sacer Codex suppeditat mihi insigne argumentum, ad id probandum, de quo ago. Nam apud Prophetam Ezechielem prædicentem Ammonitarum per Chaldæos vastationem, *cap.* 25. ℣. 5. ita loquitur Deus: *Et dabo Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cubile pecorum*; id est, urbs illa primaria erit stabulum camelorum, qui erunt in Chaldæorum exercitu, quorum ope uti voluit Deus, ad delendos Ammonitas. Puto autem Prophetam etiam loquuturum de *elephantis*; utpote animalibus majoribus & rarioribus, si illis Nebucadnezar pugnasset, vel eos ad impedimenta portanda habuisset in exercitu.

Notandum insuper, Diod. Siculum *lib.* 17. & Curtium *lib.* 5. *cap.* 6. cùm Alexander thesauros Persepolitanos juberet devehi Susas, non memorare elephantos, quorum operâ usus sit, sed ἡμιόνους & καμήλους, coactos ex Babylonia & Mesopotamia, vel, ut Curtius loquitur, *jumenta & camelos è Susis & Babylone contractos.*

Et *cameli* me quasi impellunt, ut hac occasione examinare debeam nummum Marci Antonini, in quo Orpheus pictus est, modulatione sua ad se feras trahens, uti patet ex illustri Erizzo p. 321. In eo quidem non occurrit *elephas*, sed *camelus* & *simia* cum variis aliis animalibus; & cùm Orpheus in Græcia vixerit, quis credet unquam, licèt fabula planè sit, ad ejus cantum accurrisse camelum & simiam, quæ animalia in Græcia non gignebantur, & Græcis tunc temporis proculdubio erant incognita.

Error hic est, ut sic loquar, numismaticus, quales alios varios mihi notavi, de quibus si agere vellem, nimis longè à re, quæ agenda est, rejicerem; addam tantùm nostrorum temporum Pictores immiscere malè *elephantos* animalibus, quæ ad eundem Orpheum cantantem sese conferunt. Atque ita etiam in picturis Christianorum lib. 3. cap. 22. *Romæ subterr.* conspicitur Orpheus canens & alliciens itidem camelos & pavones; id quod à ratione alienum est, licèt optimè Christo conveniant, quia ita emblematicè designatur, quia feras & inconditas longéque remotas Gentes ad sese allexit.

Et commodum mihi venit in mentem, veteres Persarum Reges non videri bellasse cum Indis; sive id factum sit locorum difficultate, sive metu virium; nam si Arriano lib. v. *de Exped. Alexandri* fides, *Indi* τὰ πολέμια πολύ τι γενναιότατοι τῶν γε δὴ τότε ἐποίκων τῆς Ἀσίας, *omnium tunc Asiæ populorum bellicosissimi*, sive aliam ob causam. Et certè videntur Persæ magis Occidentis, vel regionum, quæ versùs Occasum erant positæ, imperium quæsivisse, ut Syriæ, Asiæ, Ægypti, Arabiæ, imò & Europæ ad Hellespontum & Ægæum mare; nec non Insularum ejusdem & Mediterranei Maris. Quod si Persæ cum Indis, quibus Porus Alexandri tempore imperabat, gessissent bella, eosque redegissent antea in potestatem, mihi vix dubium videtur, quin ad eorum exemplum in bello fuissent usi elephantis, uti ab iisdem postea tempore Romanorum Imperatorum factum fuit; cúmque nec in sacris, nec in profanis Historicis illi in expeditionibus recenseantur, hinc videor non absque ratione concludere, Indos relictos, & occidentales regiones bello petitas solas à Persis fuisse; quomodo & hodie raró legimus Magnum Mogolem, & Persarum Regem bella gerere. Sed damnant has conjecturas, uti prima apparet fronte, Auctores, qui *Indos* scribunt fuisse in exercitu Darii: nam Arriano *lib.* III. inter copias ipsius ad Arbelam pugnantis recensentur Πέρσαι καὶ Ἰνδοί: & Curtius *lib.* 3. *cap.* 2. scribit, *festinationem probibuisse acciri Bactrianos, & Sogdia-*

dianos & Indos; *lib.* 4. *cap.* 8. Darium post prælium ad Issum *contraxisse omnia longinquarum gentium auxilia*, *& convenisse Bactrianos*, *Scythasque & Indos*; Nabarzanem *lib.* 5. *cap.* 9. dicere, *Bactra intacta esse*, *Indos & Sacas in potestate Darii*; tandemque Bessum *lib.* 7. cap. 4. *venturos Chorasmios*, *Dahas*, *Sacasque & Indos*, *& ultra Tanaïm amnem colentes Scythas*: qui loci utique videntur evincere Persis Indos paruisse. Quin & in capite 1. libri *Esther*. Assuerus dicitur *regnasse*, secundùm vulgatum Interpretem, *ab India usque Æthiopiam*; & cap. 10. idem narratur *omnem terram & cunctas maris insulas fecisse tributarias.* Drusius atque Amama contendunt hæc *inclusivè* debere intelligi, ita ut Assuerus etiam possederit subegeritque *Indiam* & *Æthiopiam*, & quidem Æthiopiam ultra Ægyptum versùs Meridiem remotam. Imò Herodotus *lib.* 4. *cap.* 44. disertis clarisque tradit verbis à Dario *subactos Indos esse*; & Mardonius, non autem Xerxes, uti Drusius putat, apud eundem *lib.* 7. *cap.* 11. ita loquitur; *Etenim res inaigna est*, *si Sacas*, *& Indos*, *& Æthiopes*, *& Assyrios*, *aliasque multas & grandes nationes*, *quæ nihil Persas læsere*, *tamen potentiæ prolatandæ gratiâ* καταστρεψάμενοι δούλους ἔχομεν, *Græcos*, *qui nos injuriâ affecerunt*, *non ulciscimur.* Atque hæc omnia haud levia argumenta sunt, Indiam, saltem quæ Indum & Gangem interjacet, à Persis subactam esse, & propterea plùs quàm mirum videri, eos in bellis non fuisse usos elephantis ante Alex. Magnum: nisi eos excipias, quos in castris Darii fuisse unus memoriæ mandat Arrianus. Sed notandum est, in libro *Estheris* LXX. Interpretes scribere, Assuerum ἀπὸ τῆς Ἰνδικῆς imperasse regionibus centum & viginti septem; & in Hebræo Codice legi, *ab India usque Chus*; cúmque Bochartus doceat per *Chus* designari Arabiam, & per *Chusæos* Arabes, jam *Æthiopes* supra Ægyptum planè forent excludendi. Quin & Harduinus in Chronologia Veteris Testamenti, *ab India usque Æthiopiam*, *interpretatur*, *à fine Indiæ in Perside propriè dicta*, *quæ Rubro Mari*, *Persico Sinu & Euphrate alluitur*, *usque ad Arabiam desertam*, *quæ in Sacris Litteris* (vulgatam Versionem ante oculos habet) *Æthiopia est*; & ante illum Joan. Marschamus, pag. 567. *Chronici Canonis*, scripsit, Regnum Assueri interjacuisse Indiam versùs Orientem, & Babyloniam Arabiamque versùs Occidentem, & *Chus* esse Arabiam, cui accensetur Mesopotamia; propterea regni hujus limites fuisse Indi fluminis & Tigridis ostia, Regemque ultra Persidem Carmaniæ & Gedrosiæ imperasse; Assuerum imposuisse tributum terræ, & Insulis maris, scilicet Erythræi, sive Sinus Persici, inter quas Ogyris, clara Erythra Rege ibi sepulto.

Quæ quanquam examine digna sint, cùm videatur Assuerus longè amplius & vastius regnum tenuisse, & illustris Huëtius doceat per *Chus* Estheris intelligi debere Æthiopiam supra Ægyptum in *Notis ad Origenem*, tamen credo rectè viros illos præstantissimos excludere, & à Persarum Medorumque Imperio eximere Indos trans Indum incolentes; & Persis tantùm paruisse illos, qui ab hac parte fluminis Indi habitabant, quique etiam *Indorum* nomine venerunt. Apud Arrianum *lib.* III. inter Darii copias recensentur *Indi*, ὅσοι Βακτρίοις ὅμοροι, *Bactrianis finitimi*; mox *Arachoti & Indi*, quos ὀρείους vel *montanos* vocabant; & tandem *Indi*, qui ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ᾤκουν, *qui cis Indum habitabant*; & rectè notat Blancardus, malè à Vulcanio hæc reddi, *trans Indum*; gentesque nonnullas extra amnem

A versùs Occidentem, ut Astacanos ἔθνεα Ἰνδικὰ appellatas esse, neque aliter populos *finitimos Bactrianis* pro *Indis* haberi posse. Et certè mihi nequaquam verisimile videtur, Indos, quibus Porus imperabat, in Persarum ditione fuisse, illumque precariò regnasse; silent planè ea de re Auctores omnes, & quæ de Alexandro, Poro & Indis narrant, contrarium suadent omnino: adeò ut existimem nullos alios *Indos* Persarum Regi paruisse, quàm eos, qui ab hac parte Indi, proximi Bactrianis & Arachosiis, atque adeò in montibus, & inter fluvios, qui ad Occidentem Indi labentes, in eum influunt, degebant. Et hos B *Indos* etiam militasse Xerxi crediderim, prout narrat Herodotus *lib.* 7. *cap.* 65. & 86. ubi, quod notandum, scribit eorum equites habuisse κέλητας καὶ ἅρματα, *equos singulares & currus*, & ad hos junctos fuisse *equos & asinos agrestes*; sed nullam elephantorum facit mentionem. Persarum autem imperium usque ad Indum fluvium sese extendisse crediderim, & inde rectè in libro *Estheris* tradi, illud *ab India* incipere. Quin & urbes fluvio illi impositas videntur habuisse; quia Herod. *lib.* 4. *cap.* 44. narrat, Darium cupidum cognoscere, ubi *Indus* in mare sese exoneraret, misisse Scylacem C Caryandensem, illumque solvisse ab urbe Caspatyro & è terra Pactyica, secundo fluvio navigasse auroram versùs & Solem orientem; deinde Indi ostia egressum, per ipsum mare Occasum versùs; & tricesimo demum mense tenuisse eum locum, unde Rex Ægyptiorum Phœnices miserat ad Libyam circumnavigandam; qua de re agit *lib.* 4. *cap.* 42. Adeò ut urbs *Caspatyrus* & *terra Pactyica* fuerint posita ad Indum; vel saltem ad fluvium, qui in Indum sese exonerabat; nam, uti ex eodem Herodoto *lib.* 3. *cap.* 102. patet, regio hæc & urbs fuerunt versùs Septen- D trionem remotæ, earumque incolæ, Indorum, qui proximi Bactrianis habitant, bellicosissimi. Neque de aliis *Indis* loquitur idem Herodotus *lib.* 3. *cap.* 94. cùm scribit *Indos tributum solvisse Dario tricena sexaginta talenta aureorum ramentorum*; nam *cap.* 102. eos narrat præcipuè missos esse *ad aurum*, ἐπὶ τὸν χρυσὸν, nempe *colligendum*; & *cap.* 98. 99. 100. & 101. de Indis loquitur versùs auroram habitantibus, eosque scribit Dario nullo modo obtemperasse, καὶ Δαρείου Βασιλῆος οὐδαμᾶ ὑπήκουσαν. Nec utique omittendum est, Arrianum in libro *de Rebus Indicis* E commemorare, regiones, quæ cis Indum sunt ad Cophenem fluvium, habitari ab Astacenis & Assacenis, *gentibus Indicis*; eos olim Assyriis paruisse, & inde Cyro Cambysis filio tributum pependisse; Megasthenem, neminem Indis bellum intulisse, non Sesostrim, non Indathyrsum, non Semiramidem, quippe quæ morte præventa illud facere non potuerit, solumque Alexandrum in Indos fecisse expeditionem, excepto Dionyso vel Baccho; eum belli inferendi causâ ante Alexandrum fines eorum ingressum esse; nec id fecisse ne Cyrum quidem, filium Cambysis, quamvis Scythas oppugnaverit, & multa F præclara gesserit. Nec de aliis Indis loquitur Xenophon initio *Inst. Cyri*, quando scribit *Bactrios & Indos* illi paruisse: sed tamen *Indorum Regem*, qui ad Cyaxarem & Cyrum Legatos misit apud eundem *lib.* 3. p. 57. puto esse illum, qui gentibus ultra Indum sitis imperabat; quippe qui non potuit Cyro paruisse, licèt illi *Indos* subjiciat Xenophon, cùm se velle arbitrum esse dicat belli inter Medos & Assyrios exorti; & Cyrus responderit, se accepturum conditionem, si *Assyrius* vel Rex Assyriorum, ad quem etiam erant missi Legati, diceret sibi

à Cyro & Cyaxare injuriam factam esse; idemque præterea *lib.* 3. ab eodem per Legatos pecuniam petiverit, illudque miserit unà cum Legatis suis, & obtulerit *jus hospitii*, βούλομαι, ait, σου ξένος εἶναι; *lib.* 6. Sed hæc omnia frustra disputantur, si rectè notat doctissimus Dodwellus in Dissertatione *de ætate Scylacis* Caryandensis, apud Herodotum *Indum*, per quem in mare Scylax descendit, esse *Gangem*, illumque *Indum* appellari, quia *Indos* habet accolas; & urbem *Caspatyrum* esse Stephani *Caspapyrum*, & *Gandaricam* regionemque Herodoti *Pactyicam*, eam, quæ postea *Gandarica* fuit appellata Gangi vicina. Nam hæc si vera sunt, sequitur omnino, Darii, filii Hystaspis, atque adeò Persarum imperium sese usque ad Gangem extendisse, eosque tenuisse Indiam inter eum fluvium & Indum sitam. Verùm hæc, uti & alia, quæ ibi observantur, nunquam adprobare potui, cùm Herodoto è diametro adversentur; atque adeò ex iis, quæ notavi, pateat, regionem Pactyicam & urbem Caspatyrum fuisse remotas versùs Bactra; & proinde nullo modo posse collocari ad Gangem, & quidem haud procul à mari. Multis utique hanc meam sententiam adstruere, & docere possem Persarum imperium eò usque nunquam fuisse prolatum; nisi Dodwelli opinionem vidissem jam refutatam esse, postquam hæc, vel jurato crede, Lector, fueram commentatus; adeò ut hîc sistam gradum; & ad examen Dissertationis Dodwellianæ te remittam.

Atque ex iis, quæ disserui, luce meridiana clarius patet; elephantos ad Alexandrum usque Magnum in sola India inter bellicos apparatus fuisse; id quod etiam docet Aristoteles lib. 9. cap. 1. *Hist. Anim.* χρῶνται δὲ οἱ Ἰνδοὶ πολεμιστηρίοις καθάπερ τοῖς ἄῤῥεσι καὶ ταῖς θηλείαις; *iis ad bellum utuntur Indi sive maribus sive fæminis.* Atque uti mos ille ab Alexandri Successoribus fuit usitatus primò; ita & Carthaginienses, in quorum vicinia multi elephanti alebantur, ante hæc tempora iis ad bellum non sunt usi: nam, uti rectè animadvertit illustris Bochartus, Timoleonti, qui Alexandri tempus attigit, non leguntur ullos opposuisse elephantos, neque Agathocli, qui Alexandri primis Successoribus fuit æqualis. At Agathocli successit Hiero, quo regnante primum bellum Punicum in Sicilia natum; in quo sæpe elephantos pugnasse notissimum est. Hæc tamen viri doctissimi ratiocinatio non rectè procedit, si verè narrat Rex Juba apud Philostratum lib. 2. cap. 6. *de Vita Apollonii*; *Equites Libycos olim elephantis insidentes inter sese pugnasse*, ξυμπεσεῖν ἀλλήλοις ἐπ' ἐλεφάντων, *& fuisse belluarum, quæ ab una parte stabant, dentes signatos turri, reliquarum verò dentibus nihil fuisse insculptum; illos superatos confugisse in montem Atlantem, se ipsum verò post annos quadringentos ex iis unum cepisse*, καὶ τοὐπίσημον εἶναι αὐτῷ κοῖλον, καὶ οὔπω περιτετριμμένον ὑπὸ τοῦ χρόνου: *insigne*, vel *notam cavam, nihilque tempore detritam* vel *extritam fuisse.* Juba hic filius fuit Jubæ Regis Numidiæ, qui occiso patre à C. Julio Cæsare admodum puer in triumpho ductus, inde optimis literis excultus, ductâ in uxorem Cleopatrâ, Antonii & Cleopatræ filiâ, ab Augusto, paterno regno post pugnam Actiacam, & post victos Cantabros A. V. C. 729. pro illo, quibusdam Getuliæ partibus, Bocchi & Bogudis regnis, est donatus, teste Dione *lib.* 51. & 53. Jam si statuimus Jubam regiones illas obtinuisse à pugna Actiaca, quæ incidit in annum 723. & inde deducamus annos quadringentos, reliqui erunt anni trecenti & viginti tres; si verò à victoria Cantabrica, anni 329. cùm bellum Tarentinum inciderit in A. V. C. 472. Punicum primum in 490. & illud ipsum tempus prætesserit multùm Alexandrum Magnum, qui regnare incepit A. V. C. 417. Adeò ut hinc sequatur, in Africa ante Alexandrum elephantis bellatum fuisse; licèt id ante eum non videantur fecisse Carthaginienses. Quin & Æthiopes ante eundem Regem ex elephantis pugnarunt, si verum est, quod fabulosæ Historiæ suæ inseruit Heliodorus *lib.* 9. Hydaspen nempe Æthiopum Regem contra Persas dimicaturum, sese & ἐλέφαντας πυργοφόρους, quos postea scribit ferro tectos & cataphractos fuisse, opposuisse hostium aciei mediæ; illorumque ope Persas Ægyptum tenentes victos; & eundem Hydaspen *lib.* 10. elephantem, annosum & grandem valde, pugili dono dedisse.

Huc pertinet, Ælianum lib. 12. cap. 55. *Var. Historiæ* scribere, Libyes; eos, qui ab elephantis ἢ ἐν ταῖς θήραις, ἢ ἐν ταῖς μάχαις ἀποθανόντας, *vel in venationibus, vel in præliis occidebantur, magnificè sepelivisse, & hymnos cecinisse in eorum honorem*; quæ si de vetustissimis Afris vel Libyæ incolis accipienda sunt, certè ante Alexandrum elephantorum in bellis & præliis usum habuerunt. Et fortè Ælianus respicit ad bella, quæ cum belluis illis suscipiebant propter dentes, memorata ipsi Æliano lib. 6. cap. 56. *de Animal.* uti notat doctissimus Perizonius. Sed si prælia, uti puto, cum hominibus, qui elephantorum ope utebantur, designantur, statuendum fortè est veteres illos Afros vel Libyes locum non habere; & ad recentiores decurrendum esse; id quod tamen non satis polito illi Auctori videtur convenire. Huc tamen pertinet, Gabinium Romanarum rerum Scriptorem apud Strabonem *lib.* 17. narrare, *ceteras feras ignem fugere, elephantos ei repugnare, quia sylvas* (in quibus scilicet alebantur) *consumit, eosdem, quando cum hominibus pugnant*, (in venationibus, puta) πρὸς τοὺς ἀνθρώπους διαμάχεσθαι, *exploratores præmittere, quos si viderint fugere, ipsos, si vulnerati fuerint, supplices protendere ramos, herbam, vel pulverem*; id quod tamen omne fabulis accenset Geographus. Illud autem obiter dicendum, apud Ælianum scribi debere κατάσκοπον, quia mox sequitur ἐκεῖνον, ita ut unus fuerit *explorator*, vel κατασκόπους & ἐκείνους, si scripsit plures missos fuisse.

Nec certè omittendum, Lucretium *lib.* 5. inventionem pugnandi cum elephantis Carthaginiensibus tribuere; & postquam cecinisset falciferos currus inventos esse, addere,

Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

Id quod tamen nemini alii traditum est, omnesque gloriam hanc Orienti relinquunt; & constat certè ante bella Carthaginiensium, Pyrrhum in Italia elephantis pugnasse. Eleganter autem *proboscides* describit, & *lib.* 2. ita inde *anguimanos elephantos* dixit,

Sicuti quadrupedum cumprimis esse videmus
In genere anguimanos elephantos, India quorum
Millibus è multis vallo munitur eburno,
Ut penitus nequeat penetrari.

Quem locum ut explicet Lambinus, adducit Plinii verba *lib.* 8. *postium vicem in domiciliis præbent dentes elephantorum:* additque ex Polybio, ex his dentibus sepeis & pecorum stabulis palos fieri.

Sed

Sed revera hæc nihil faciunt ad Lucretium, qui non loquitur de dentibus, sed vivis elephantis, quorum canit tantam ibi copiam esse, & quidem bello assuefactos, ut hostes arceant, nec patiantur Indiam penetrari, inde sequitur,

—— —— tanta ferarum
Vis est, quarum nos perpauca exempla videmus.

Quomodo apud Curtium *lib. 9. cap. 2.* Phegelas Alexandro dissuadere conatus ulteriorem expeditionem, allegat Gangaridarum & Pharrasiorum Regem Aggrammen *tria millia habere elephantorum*; quas tamen belluas sprevisse Alexandrum mox sequitur, eumque non nisi situm locorum & vim fluminum pertimuisse. Et *anguimani illi elephanti* mihi in memoriam revocant, dissertissimum Patrum Latinorum ita etiam loquutum esse cap. v. *de Opificio Dei*: „Jam enim manus (*hominis*) „amissa dignitate, quam nunc habet, mobilitate „nimia proboscidi similis videretur; essetque ho„mo planè anguimanus: quod genus in illa im„manissima bellua mirabiliter effectum est; cúmque ibi in rationem inquirat, quare Deus ejusmodi proboscidem dederit elephantis, rectè me facturum existimavi, si sequentia propter argumentum supponam: „Deus enim, *ait*, qui pro„videntiam & potestatem suam multarum rerum „mirabili varietate voluit ostendere, quoniam ca„put ejus animalis non tam longè porrexerat, ut „terram posset ore contingere, quod erat futu„rum horribile atque tetrum; & quia os ipsum „profusis dentibus sic armaverat, ut etiamsi con„tingeret, pascendi tamen facultatem dentes adi„merent; produxit inter eos à summa fronte mol„le ac flexibile membrum, quo prendere, quo „tenere quodlibet posset; ut rationem victus ca„piendi, vel dentium prominens magnitudo, vel „cervicis brevitas non impediret.

Verùm ut ea, quæ ex Heliodoro in medium attuli, fabulis & figmentis accensenda sunt, ita & Philostrati narratio, nisi me planè fallo, ejusdem farinæ debet haberi; atque ita dicendum foret, rectè annotasse Bochartum, egregiæ profectò doctrinæ virum, ante Alexandrum præter Indos nullam gentem elephantis in bello & acie usam esse, atque adeò nec Persarum Reges.

Et notandum hac occasione, Diod. Sic. lib. 2. *Biblioth.* narrare Semiramin, inferre volentem bellum Stabrobati Regi Indorum, cui elephanti erant multi, καθ' ὑπερβολὴν λαμπρῶς κεκοσμημένοι, εἰς τὸ πόλεμον καταπληκτικοὶ, effinxisse belluas similes, ad terrendos Indos, qui putabant extra Indiam nullas esse, trecenta propterea millia boum nigrorum delegisse, & è coriis eorum stramine fultis * & consarcinatis fecisse simulacra belluas Indicas referentia; intus collocasse hominem, qui gubernaret, & camelum qui molem gestaret, atque ita è longinquo has machinas veros elephantos repræsentasse.

Hanc historiam etiam nobis conservavit Suidas in voce Σεμίραμις, & cùm videatur in nonnullis errare, vel à Diodoro discedere, constitui Latina præmittere, & inde supponere, quid mihi de Græcis videatur: „Eadem adversùs Indos ex„peditionem suscipiens, lignea elephantorum si„mulacra ad ducenties mille fabricavit, intus re„pleta virgultis & omnis generis materia leviori, „quo facilius ferri possent, extrinsecus verò coriis „contecta. In singulos autem camelos, duos Æ„thiopes, sagittarios & jaculatores imposuit. Certè hæc non planè conveniunt; nam Diodorus narrat in elephanto illo factitio hominem collocatum, qui machinam illam regeret, atque etiam camelum, qui gestaret eandem, ita ut videtur camelus etiam intra elephantem fuisse; ast Suidas non loquitur de homine intra camelum collocato, sed de binis Æthiopibus, qui singulis camelis insidebant, qui scilicet machinam illam portabant; quod tamen quomodo fieri possit, vel sit factum, ego equidem conjecturâ adsequi non possum.

* Fortè rectiùs, *fartis*.

A Quin & animadversione dignum est Ctesiam apud Photium narrare, Cyrum bellum intulisse Derbicibus, qui Hyrcanis erant vicini, eos ex insidiis produxisse elephantos, & ita Cyri equos
B in fugam conjectos. Derbices hasce belluas accepisse ab Indis, qui iisdem opem ferebant; & inde profectò clarè constat, Persas illo tempore non usos in bello elephantis, illosque Indis tunc solis proprios fuisse.

CAP. IV.

Elephanti tandem in exercitu Regum Persarum, & quidem Darii, cum quo Alexander pugnavit. Hi capti videntur
C *fuisse à Victore, qui & alios à variis Præfectis Persis accepit, antequam Indiam aggrederetur. Variant Auctores num iis in prælio, quod cum Poro habuit, usus sit. Multos ibi cepit; & unum, ex quo Porus pugnaverat, Ajacem appellat, Solique consecrat. Historia hæc fabulosa, & alia Auctoris de Fluminibus; Porus Regno restitutus Elephantos alios habuit, quos ei occiso abstulit Eudamus. Alexandri tabernaculum*
D *Elephantis cinctum, & quidem cùm jus diceret Barbaris; id factum procul dubio ad imitationem Regum Indorum: an Craterus fuerit Elephantarcha disputatur; Bochartus notatus. Historia binorum canum, qui à Rege Albaniæ dono erant dati Alexandro, quorum unus elephantem dejecit; Docti malè hos canes confundunt cum canibus, quos idem tulit à Rege Indorum Sopithe; varii Auctorum loci elucidati: Harduinus notatus;*
E *Solinus vindicatus; Albani canes Hispania orti; Vlitii error. Alexander in Nummis vehitur curru IV. Elephantorum, quos malè nonnulli vetustos valde faciunt, licèt non cusos illo vivo; eorum ectypi. Ejus statua aurea post mortem vecta curru elephantorum in pompa Ptolemæi Philadelphi; picti vel ficti fuerunt in curru, quo cadaver ejus deportatum in Ægyptum; Diodori Sic. Interpres notatus; elephantis exuviis ex nonnullo-*
F *rum sententia caput ejus in nummo ornatum; qui tamen judicatur esse Alexandri, filii Cassandri, Macedoniæ Regis; Nummi adulterini, in quibus cognomina* Φύσκων, Λαθύρε, Αὐλήτε *& similia occurrunt. Ebur quare appelletur* Assyrium *Ovidio. Laus hodierni Imperatoris Moscorum; Varii Libri Lingua Sclavonica conscripti: Curtius correctus: Eustathius notatus; ut & Maussacus.*

 At-

Atque ita quidem satis multis ostendi aliis initio gentibus, exceptis Indis, in more non fuisse positum, elephantis pugnare; neque illud fecisse Assyriorum Persarumque vetustiores Reges, quamvis Indis forent vicini. Sed tamen animalia hæc postea fuerunt in Persiam introducta, imò eorum Reges iis bellarunt.

Ctesias, qui ante Alexandrum floruit, narrat apud Ælianum lib. 7. cap. 30. *de Animal.* sese Babylone vidisse palmas ab elephanto jussu Indi; qui eum regebat, violentissimo impetu eversas: Quinimo Terentius nos docet, Persarum Reges iis in bellis usos esse; nam ita ille loquitur *Eun.* Act. 3. Sc. 1.

—— verùm unus tamen
Impensè, elephantis quem Indicis præfecerat.

Sumta est hæc Comœdia à Menandro, qui Olympiade CXIV. floruit, circa quod tempus mortuus est Alexander Magnus; Regem Persarum designari censent Eruditi; & inde sequitur, tunc Persis bellatores elephantos fuisse; quia miles eos proculdubio in castris vidit; & quia Thrasonis adversarius mox dicitur *habere imperium in belluas.* Neque tamen tempora repugnant, si quis ad Asiæ Reges respicere Menandrum putet, quia is mortuus est anno IV. Olympiadis CXXI. & à Phædro Athenis dicitur fuisse, cùm Demetrius Phalereus eas occuparet, qui æqualis fuit Ptolemæis, Lagi filio, & Philadelpho. Sed mihi magis placet *Persarum Rex*, qui alibi eidem Comico etiam absolutè *Rex* appellatur; & ita Darius, quem vicit Alexander, in exercitu suo elephantos habuit, adductos ab Indis, qui ipsi parebant: Arrianus *lib.* III. in Darii exercitu scribit fuisse *equitum sexaginta millia, peditum decies centena millia, currus falcatos ducentos, elephantos non multos,* ἀλλὰ ἐς πεντεκαίδεκα μάλιστα Ἰνδοῖς τοῖς ἐπὶ τάδε τοῦ Ἰνδοῦ ἦσαν, *sed quindecim cum Indis, qui cis Indum habitabant.* Hos proculdubio Alexander prælio ad Arbela occidit; vel cepit; idemque, antequam Porum aggrederetur, etiam alios redegit in potestatem. Nam Curtius *lib.* 5. *cap.* 2. scribit, Alexandro post victum ad Arbela Darium Susa adituro, Abaliten regionis illius Præfectum sive Darii jussu, sive sponte sua, filium obviam misisse cum donis regalis opulentiæ, & inter ea fuisse *dromades camelos velocitatis eximiæ; duodecim elephantos à Dario ex India accitos; non jam terrorem, ut speraverant, Macedonum, sed auxilium, opes victi ad victorem transferente fortuna:* & Arrianus *lib.* IV. extremo narrat, eum, certiorem factum, Indos Assacanos confugisse ad Barisadem, elephantos apud Indum fluvium venatum fuisse, duos periisse, reliquos captos, & admissis sessoribus exercitui additos: Οἱ δὲ ἄλλοι ξυλληφθέντες, ἔφερόν τε τοὺς ἀναβάτας καὶ τῇ στρατιᾷ ξυνετάσσοντο: & alibi Abissarem, ante pugnam cum Poro commissam, fratrem suum, aliosque, Legatos misisse ad Alexandrum χρήματά τε κομίζοντας, καὶ ἐλέφαντας τεσσαράκοντα, *pecuniam adferentes, & elephantos quadraginta.* Atque hîc inquirendum est, an Alexander in prælio adversùs Porum elephantorum operâ usus sit: Diodorus certè Siculus *lib.* 17. nullam facit mentionem eorum; & Arrianus *lib.* 5. scribit, Porum in exercitu suo habuisse elephantos ducentos, sed de Alexandri elephantis silet planè, licèt antè memorasset ipsius in potestate varias harum belluarum fuisse: & ipse Macedonum Rex, Asiæque victor, hoc firmat apud Curtium *lib.* 9. *cap.* 2. alloquens milites post victum Porum, petituros ul-

A teriora, & transituros Gangem ad oppugnandum Regem Gangaridarum, cui plurimos elephantos, aliique tria, alii quatuor, alii octo, alii decem millia, ut docui, tribuunt; quorum multitudine absterritum Alexandrum scribit Diodorus *lib.* 18. in gentem maximam non suscepisse expeditionem: *Equidem* (sunt verba Curtii) *sic animalia ista contemsi, ut quum haberem, ipse non opposuerim, satis gnarus plus suis, quàm hostibus periculi inferre.* At contrà Polyænus *lib.* 3. *cap.* 22. disertis verbis tradit, Alexandrum cum Poro præliaturum phalangem καὶ τοὺς ἐλέφαντας ἐπὶ τοῦ λαιοῦ κέρως, *& elephantos in cornu sinistro collocasse*; illis Po-
B rum multos suorum opposuisse, ipsumque in sinistra parte pugnasse ἐπὶ τοῦ ἡγουμένου ἐλέφαντος, *in primario elephanto:* unde patet Auctores hac in re non consentire; & unum eorum, qui supersunt, memoriæ mandare, Alexandrum elephantorum operâ usum esse cùm Porum oppugnaret; alios verò contraria tradere, vel ea de re silere planè. Atque hac occasione facere non possum, quin moneam, errare largiter Pictores illos, qui Alexandrum Magnum, pugnaturum cum Indiæ Rege Poro, imponunt elephanto, cùm Bucephalo fuerit vectus, id quod rectè animadvertit & car-
C pit Thomas Brown cap. 13. lib. 5. *Commun. Errorum.*

Et jam clarior se pandit rerum ordo, pervenimusque ad bellum, quod cum Poro & Indis gessit Alexander Magnus; post quod tempus elephanti in Asia magis cogniti, & in Europa visi fuerunt: Diodorus igitur Siculus narrat *lib.* 17. Porum habuisse *centum & triginta elephantos*, & multis eorum jaculis in fugam actis, & suos proterentibus, elephanto κρατίστῳ fortissimo insidentem, quadraginta belluis nondum consternatis, in Macedonas impressionem fecisse, Alexandrumque
D victorem *octoginta redegisse in potestatem.* Hunc κράτιστον, vel τὸν ἡγούμενον elephantum scribit Plutarchus lib. *de Solertia Animal.* ex Pori saucii corpore, proboscide multa spicula extraxisse, ipsumque, licèt vulneratum, non priùs procubuisse, quàm cùm sentiret Regem exsanguem delabi; tum demum, ne caderet, sese demisisse; quam rem paulò aliter narrat Curtius *lib.* 8. *cap.* 25. Porum nempe gravatum telis labi ex bellua cœpisse, Indum, qui eam regebat, descendere Regem ratum, more solito elephantum procumbere jussisse in genua; qui ut se submisit, ceteros quoque (ita enim erant instituti) demisisse corpo-
E ra in terram: eamque rem Porum & ceteros victoribus tradidisse. Victo igitur Indorum Rege Alexander multos elephantos nactus est; illique in regnum remisso & restituto imperat, ut cum bellicosissimis copiis & elephantis ad se veniret, teste Arriano *lib.* V. & mox idem tradit, Porum advenisse & eos adduxisse. Notandumque est, Alexandrum unum elephantorum Pori, qui fortissimè pugnaverat, Soli consecrasse, illius dentes torquibus aureis exornasse, quibus inscriptum erat, Ἀλέξανδρος ὁ Διὸς τὸν Αἴαντα τῷ Ἡλίῳ, *Alexander Jovis filius Ajacem Soli*; quod nomen
F scilicet elephanto propter fortitudinem indiderat, teste Philostrato lib. 2. c. 6. *de Vita Apollonii:* eum tunc, vel Domitiani ætate, adhuc vixisse, & secundùm indigenas à pugna cum Poro effluxisse annos trecentos & quinquaginta, (quo tamen cum calculo Romani paria non faciunt) nec constare, quot fuerit annos natus, cùm pugnæ interfuit. Sed, ut verum fatear, hæc narratio, uti aliæ multæ libri ejusdem, fabulis annumeranda est, non secus ac alia historia elephanti, qui Porum Regem dicitur monuisse, ne contra Alexandrum arma sumeret, & à quo montem, in quo obiit, *elephan-*

phantem appellatum fuisse fabulatur Plutarchus lib. *de Flumin.* His addenda est historia prælii, quo Porus victus fuit, quam in magnifico templo ante urbem Taxila vidisse tabulis æneis insculptam Apollonium scribit Philostratus *lib.* 2. *cap.* 9. in quibus etiam nobis *elephantos* memorat.

Porus autem post Alexandri mortem multos alios elephantos adhuc habuit, illique venerunt in potestatem Ducum illius; nam narrat Diodorus Siculus *lib.* 19. Eudamum ex India in Susianam venisse, cum equitibus quingentis, tribus peditum millibus, *& centum ac viginti elephantis:* τὰ δὲ θηρία ταῦτα, addit, παρέλαβε μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τελευτὴν, δολοφονήσας Πῶρον τὸν βασιλέα, *has autem belluas post Alexandri mortem, Poro per dolum interfecto, nactus erat.*

Præterea Alexander Oxicano Indiæ Regulo capto, binisque illius urbibus expugnatis, prædam militi concessit, elephantos sibi reservavit; & cùm adversùs Sambum duceret exercitum, familiares ejus ac domesticos obvios habuit cum numerata pecunia & elephantis, uti apud Arrianum *lib.* 6. legere licet: ipsum tamen Sambum periculo sese subduxisse, fugâ arreptâ cum elephantis triginta, scribit Diodorus *lib.* 17.

Cæterùm singulari observatione dignum est, Alexandrum victo Poro, quando Barbaris jus dicebat, *tabernaculum cinxisse elephantis*, & alia potentiæ ac gloriæ sua adhibuisse signa; cùm verò Græcorum & Macedonum lites decideret, δημοτικὸν δικαστήριον, *mediocre ac vulgare forum* vel *prætorium habuisse*, uti narrat Polyænus *lib.* 4. *cap.* 3. §. 24. & Phylarchus apud Athenæum *lib.* 12. quod fortè fecit imitatione Regis Indorum, cui Ælianus lib. 13. cap. 22. *de Animal.* fuisse viginti semper quatuor elephantos custodes corporis, aliosque aliis pari numero, tanquam excubias, successisse, scribit. Et hujus rei etiam facit mentionem Athenæus *lib.* 12. *cap.* 9. narratque extra Alexandri tabernaculum, in circuitu stetisse τὸ τῶν ἐλεφάντων ἄγημα διεσκευασμένον, *agmen elephantorum ornatum*; sed non distinguit ille, uti facit Polyænus, Barbaros & Macedonas.

Creavit præterea Rex ille Elephantarcham, qui imperium haberet in belluas, & quidem *Craterum*, quem Regem elephantis suis præfecisse ex Arriani *libro* sexto annotavit Bochartus: id quod tamen, pace tanti viri dictum sit, apud Auctorem illum non reperio. Nam narrat p. 387. edition. Amstelædam. *Alexandrum transmisso Hydaspe, Cratero elephantos, & Polysperchontis copias* vel τάξιν *& sagittarios equites* ἱπποτοξότας, *& Philippum cum exercitu, quem ducebat, commisisse*; uti locus ille vertendus est, Interpreti non intellectus; ex quo tamen nondum video, quomodo probari possit, Craterum fuisse *Elephantarcham*, cùm potiùs Dux fuerit & Imperator exercitus, cui additi erant elephanti: inde pàg. 407. *Alexandrum, Cratero cum magna exercitus parte & elephantis ad sinistram Indi fluvii ripam traducto, secundo amne in Sogdorum regiam navigasse:* & pag. 411. *Craterum Attali, Meleagri atque Antigenis copias* vel τάξεις *nonnullosque sagittarios, & ex amicis aliisque Macedonibus, quos inutiles bello in patriam dimittebat, secum habentem jussisse in Carmaniam proficisci, & elephantos ducere,* καὶ τοὺς ἐλέφαντας τούτῳ ἄγειν ἔδωκε: & pag. 430. *eundem ad Alexandrum venisse in Carmaniam, ducentem secum reliquum exercitum & elephantos.*

Neque tamen ex tribus his locis evinci potest, si quid video, Craterum fuisse *Elephantarcham*; cùm aliud longè sit, elephantis præesse, & imperium in eos habere; quàm præesse exercitui &

A elephantis; qui exercitui illi erant juncti. Nam & ita Hephæstion erit *Elephantarcha*; quia idem Arrianus, antequam de Cratero illa narrasset, p. 379. scribit, *eum ad sinistram Hydaspis ripam cum majore melioreque exercitus parte atque elephantis ducentis processisse*; & iterum pag. 434. postquam Cratero commissum fuisse exercitum & elephantos dixisset, *Alexandrum Hephæstionem cum majore exercitus parte, cum jumentis & elephantis ex Carmania in Persidem misisse.*

Et notandum est Alexandro Magno ab Albaniæ Rege canem esse dono datum, qui non cum
B minoribus bestiis, sed cum leonibus & elephantis pugnabat, unumque vidente ipso Alexandro vicit: Plinius *lib.* 8. *cap.* 40. „Indiam petenti „Alexandro Magno, Rex Albaniæ dono dederat „inusitatæ magnitudinis unum; (*canem*) cujus specie delectatus jussit ursos, mox apros & deinde „damas emitti, contemtu immobili jacente eo: „eaque segnitie tanti corporis offensus Imperator „generosi spiritus, eum interimi jussit. Nuntiavit „hoc fama Regi. Itaque alterum mittens, addidit „mandata, ne in parvis experiri vellet, sed in leone, elephantove. Duos sibi fuisse, hoc interemto præterea nullum fore. Nec distulit Alexan-
C „der, leonemque fractum protinus vidit. Postea „elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo lætatus. Horrentibus quippe per totum „corpus villis, ingenti primùm latratu intonuit: „mox ingruit assultans, contraque belluam exsurgens hinc & illinc, artifici dimicatione, quâ „maximè opus esset, infestans atque evitans, donec assidua rotatum vertigine afflixit, ad casum „ejus tellure concussa. Harduinus notat, non fuisse canem Albaniæ, Strabonem eum *Indicum* facere, & inde redargui posse Solinum, & alios, qui Plinii locum ad Albanos canes detorserunt; & de eadem historia loqui Diodorum, Strabonem,
D Plutarchum, Ælianum & Solinum. Sed hîc desidero viri docti diligentiam & memoriam; nam Diodorus *lib.* 17. p. 561. edit. Rhodomanni, loquitur de *centum quinquaginta canibus*, quos post victum Porum Sopithes, Indorum Rex, præstantissimos Alexandro dono dederat, quorum quatuor leonem profligasse narrat, quosque ex commixtione canum cum tigribus genitos fama ferebat; eandem planè rem narrant Strabo *lib.* XV. p. 700. Ælianus lib. 8. cap. 1. *de Animal.* & Plutarchus libro *de Solertia Animalium* pag. 970. illique omnes ne *elephanti* quidem meminerunt; sed
E nobis annumerant cervum, aprum, ursum, & leonem; adeò ut carpendus non sit Solinus, quòd canes ab Albaniæ Rege datos Alexandro putaverit *Albanos* fuisse; ita enim loquitur *cap.* XV. „Apud hos populos (*Albanos*) nati canes feris an„teponuntur, frangunt tauros, leones premunt, „detinent quicquid objectum est: ex quibus cau„sis meruerunt etiam Annalibus tradi. Legimus „petenti Indiam Alexandro à Rege Albaniæ duos „missos, quorum alter sues sibi & ursos oblatos „usque eò sprevit, ut offensus degeneri præda, „ignavo similis diu accubaret: quem per ignoran„tiam velut inertem Alexander exstingui impera-
F „vit: alter verò monitu eorum, qui donum pro„secuti fuerant, leonem missum necavit: mox „viso elephanto, notabiliter exsultans belluam „primùm astu fatigavit, deinde cum summo „spectantium horrore terræ adflixit. Hoc genus „canes crescunt ad formam amplissimam, terrifi„cis latratibus ultra rugitus insonantes. Et certè historiæ hæ planè diversæ sunt; una evenit antequam Alexander Indiam adiret, altera illâ ferè victâ; Albanus duos canes misit, Sopithes centum & quinquaginta; illorum unus occiditur, alter *leonem & elephantem* vincit; horum quatuor *leo-*

nem

nem superant; quæ nihil utique commune habent. A

Janus quoque Vlitius *ad Gratii Cynegeticon* v. 161. has historias confundit; & primò quidem nescio, quomodo vir eruditus scribere possit, Hyrcanos vicinos fuisse tàm Indis quàm Albanis; cùm inter Albaniam & Hyrcaniam ingens jaceat terrarum tractus, atque adeò ipsum Mare Caspium ferè totum: &, licèt Plinius non dicat, canem, Alexandro ab Albaniæ Rege datum, *Albanum* fuisse, nihil tamen necesse est statuere, eum *Indicum* esse; quin imò cùm Albania, & Iberia, aluerit canes, teste Strabone, optimos & fortissimos, cúmque alii eos laudent, ut Nemesianus B v. 127. Iberos, nihil mihi convenientius videtur, quàm Alexandro datos fuisse canes Albanos; nec ego propterea reprehenderim Priscianum; qui in *Periegesi* Solinum sequitur, & ita canit, quanquam nihil tale memoret Dionysius:

Hinc sunt Albani bellaces Marte feroci:
Vnde canes nati superant genus omne ferarum.
Magnus Alexander missum sibi viderat inde
Victorem BARRIQVE *canem, rapidique leonis.*

Ecce & hîc *elephanti* & *rapidi*, vel fortè *rabidi*, C *leonis* victi ab uno cane meminit; cùm illi, quos Sophites dedit, fuerint multò plures, & eorum quatuor leonem oppugnaverint; id quod etiam narrat Curtius *lib.* 9. *cap.* 1. Huc pertinet, Pollucem scribere Alexandro fuisse canem *Indicum* centum minis emtum, qui cum leonibus pugnabat, cuique mortuo, narrante Theopompo, urbem exstruxit: inde tradit, Alexandrum in India hujusmodi canes accepisse, & multis ferarum speciebus uni objectis, eum jacuisse securum & non surrexisse nisi viso leone, quem adeò mordicus tenuit, ut ne quidem, pede abscisso, eum dimitteret; tandemque addit, canem, à Poro Rege donatum D Alexandro, fuisse victorem duorum leonum; quæ omnia nihil mihi videntur commune habere cum historia canum Regis Albaniæ; & Ctesias quoque apud Photium scribit *in India canes esse maximos, ita ut cum leonibus pugnent*, sed *elephantorum* nullam facit mentionem.

Quin & facere non possum, quin addam, Joh. Sarisberiensem lib. 1. *de Nugis Curial.* cap. 4. tradere, Albanos hosce canes originem suam debere Hispaniæ, eosque in Asiam post victum Geryonem ab Hercule esse deportatos; locum integrum supponam, quia Liber ille à paucis legitur: E „Albani quidem in Asia canes habent leonibus „fortiores: eos virtute canum, & suæ gentis ar„tificio, quasi imbelles bestiolas populantur. Ca„nibus quidem illis nulla ferarum fortior, nulla „animosior est. Hos Hercules tergemino Geryo„ne victo ab Italia trajecit in Asiam, eis virtu„tem, quâ leones sternerent, quasi hæreditariam „relinquens. Scilicet Hercules ex Hispania venit in Italiam, & inde Asiam petiit, ibique canes, quos secum duxerat, reliquit; quam historiam unde sumserit, fateor me ignorare; videant tamen Eruditi, an non Nemesianus de hisce Hispanis canibus debeat explicari, F

Nec quorum proles de sanguine manat Ibero,

quæ verba doctissimus Vlitius de Iberis Asiæ non absque ratione interpretatur cæteroquin.

Sed, ut pergam, elephantorum curru Alexandrum triumphasse vel urbem ingressum esse nummus nos docet, descriptus in *Museo Cuspiniano* pag. 407. cujus in una area caput galeâ ornatum, in galea effictus Neptunus, & ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ; in altera verò, idem Alexander insidens currui IV. elephantorum, ante se habens manibus post terga revinctis captivum, intrans portam urbis, vel arcum triumphalem, cujus in uno latere quadriga equorum, ante currum victoria volitans & tubâ canens, milesque gerens ensem, ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΘΕΙΣΑ. Sed benè habet, quòd Laurentius Legatus, qui *Museum* illud edidit & Notis illustravit, existimet hunc nummum temporibus Alexandri adscribi non debere; veterem tamen eum facit: *Medaglione di metal giallo, di conio esquisito, di notabile antiquita, non però tale que corrisponda tempi d'Alessandro.* Si nummum ipsum inspicere daretur, meliùs judicare de illius vetustate possem; nescio enim quàm suspiciosus ejusmodi in rebus sim; & crediderim potiùs, ultimorum seculorum hæc commenta esse; maximè cùm mihi similis planè sit ex ære majoris formæ, quem mihi dono dedit Arnoldus Monen mysteriorum divinorum apud nos Interpres eruditus, ex cujus ectypo patebit, scribendum in altero esse, ΠΕΡΣΙΣ ΑΛΩΘΕΙΣΑ, *Persis capta*:

Est & alius minor penes me, ex quo fraus magis fit manifesta; & in quo hinc cernitur idem typus, inde caput Alexandri galeâ, cui Pegasus inditus est, ornatum; &, ne quid desit, additur vox ΔΙΝΟΣ; uti ex ectypo patebit clariùs:

Simili tamen curru post mortem vectus est Alexander, sed aureus, in pompa Ptolemæi Philadelphi. Calixenus Rhodius apud Athen. *lib.* 5. *Post illa ducebatur Jovis pompa* (id est, ferculum) *& multorum aliorum deorum:* καὶ ἐπὶ πᾶσιν Ἀλέξανδρος, ὃς ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἀληθινῶν ἐφέρετο χρυσοῦς, *& post hæc cuncta Alexander aureus in curru verorum elephantorum, Victoria & Pallade ejus utrumque latus claudentibus:* ubi cum Casaubono, præstantis viro eruditionis, legendum videtur potiùs esse, ἀληθινῶς, ita ut *statua Alexandri verè* vel *tota aurea*, & non inaurata, transvecta fuerit; nam apud Eustath. *ad Hom.* pag. 880. scribitur ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἀληθινοῦ: & antea memorantur ἐλεφάντων ἅρματα εἰκοσιτέσσαρα, *elephantorum currus viginti quatuor*; neque credibile est Ptolemæum alios quàm vivos elephantos exhibuisse, quippe quorum ipsi satis magna copia, uti postea patebit, fuit.

Notandum etiam, currum, quo Alexandri Magni cadaver deportatum fuit in Ægyptum, pictis elephantis fuisse ornatum. Diod. Siculus *lib.* 18. περίστυλον τὸ ἐνδεχόμενον τὴν καμάραν, *columnas, quæ cameram excipiebant*, vel *peristylum, fuisse ex auro:* ἐντὸς δὲ τοῦ περιστύλου, *intus*; non autem *extra*, uti Interpres vertit, *peristylum fuit rete aureum crassitudine digiti*; καὶ πίνακας παραλλήλους ζωοφόρους τέτταρας ἴσους τοῖς τοίχοις εἶχον, *tabulas æquales quatuor, in quibus animalia*, vel *signa*, *erant picta, parietibus*, vel *muris, similes habens*; &

& inde sequitur in secunda tabula fuisse, *vel secundam tabulam habuisse* τοὺς ἐπακολουθοῦντας τῇ θεραπείᾳ ἐλέφαντας κεκοσμημένους πολεμικῶς, *elephantos, qui satellites*, vel *stipatores sequebantur, ornatos*, vel, *ad bellum instructos, quorum cervicibus insidebant Indi, tergis verò Macedones, armis consuetis induti.*

Quin etiam Nummi editi sunt, in quibus Alexandri Magni caput, nobis putant eruditionis præclaræ viri repræsentari, exuviis elephanti tectum. Hinc cernitur juvenile caput ita ornatum; inde verò Minerva, armata galeâ, clypeo & hastâ, ante pedes aquila tenens unguibus fulmen, addita epigraphe, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Sed tamen num ad Magnum hoc numisma pertineat, adhuc sub judice lis est; statuit id quidem doctissimus Begerus p. 241. *Thes. Brandeburgici*; refertque nummum ad prostratos ab Alexandro Pori elephantos; sed Ursinus, in *Imag. Illustrium*, illud refert ad Alexandrum Epirotam, quem Joh. Faber facit filium Pyrrhi & fratrem Olympiadis; quemque putat in Africa bellum gessisse, & eam ob causam caput tectum habere proboscide; quæ utique, & an non ad alium Alexandrum, quàm Magnum & Epirotam, hic nummus referri debeat, examinanda sunt. Nam pater Olympiadis matris Alexandri Magni & Alexandri Epirotæ, fuit appellatus *Neoptolemus*, uti patet ex Justino *lib. 7. cap. 6.* & 17. 3. Pausania *lib.* 1. aliisque; nec non ex nummo ipsius illius Alexandri, quem publicavit celebris, & qui me juvenem admodum, valde complectebatur, eruditus Antiquarius Petrus Seguinus, cujus in aversa area ad latera fulminis legitur, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. Adeò ut mirer planè nonnullos Olympiadis patrem statuere *Alexandrum Epirotam*. Fieri tamen posset, uti pater Olympiadis simul nominatus sit *Pyrrhus*, exemplo Pyrrhi filii Achillis, itidem dicti *Neoptolemi*, à quo Macedoniæ Reges genus suum deducebant. Deinde *Alexander Epirota* nunquam, quod equidem sciam, legitur bellum in Africa gessisse, sed periit in Lucania prope urbem Pandosiam & flumen Acherusium anno, quo condita fuit Alexandria, teste Livio *lib.* 8. *cap.* 24. quo tempore elephanti nondum in Europa visi fuerunt, id quod factum primùm post victum Porum & Indos, uti rectè argumentatur Ludov. Nonnus *ad Goltzii Græciam* p. 186. Alius igitur nobis quærendus *Alexander*, cui meliori jure hic nummus tribui possit; vix enim credo eum pertinere ad Alexandrum Magnum.

In Syria fuit *Alexander*, *Theopator* & *Euergetes* cognominatus, qui regnare cœpit interfecto Demetrio, anno 162. Æræ Seleucidarum, vulgò dictus *Alexander Bala*; itidem alius Rex *Alexander*, cognomine *Zebina*, qui regnare cœpit an. 184. eorumque Regum Nummos exhibet nobis antiquarum rerum sollers enodator Vaillantius; qui cùm hunc iis non tribuat, crediderim virum doctissimum judicare, in eo alium nobis Alexandrum repræsentari.

Fuit etiam *Alexander*, filius Pyrrhi illius, qui cum Romanis bellum gessit, Epiri itidem Rex; qui Macedoniam occupavit, cum Antigono bellavit, sororemque suam Olympiadem in matrimonio habuit, uti docet Justinus *lib.* 26. & 28.

In Ægypto præterea regnavit *Alexander*, filius Ptolemæi Physconis & Cleopatræ, frater Ptolemæi, cognominati *Lathuri*; de quo *Alexandro*, vel *Ptolemæo Alexandro*, consuli potest idem Justinus *lib.* 39. Pausanias in *Atticis*, Rupertus *ad Synopsin Besoldi*, nec non Ægidius Lacarry in *Serie Regum Ægypti*, quem tamen unà cum aliis doctis viris errare credo, dum nobis Nummos, ut genuinos annumerat, quibus inscribitur, ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΦΥΣΚΩΝΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ: ΠΤΟΛΕΜ. ΛΑΘΟΥΡΟΥ. ΒΑΣ. & ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΑΥΛΗΤΟΥ ΒΑΣ. nam hæc cognomina Regibus illis per contumeliam vel per jocum data, nec unquam ab iis recepta fuerunt. Atque ad hunc *Alexandrum* nummus ille referri non incommodè posset, quia & alius Ægypti Rex *Ptolemæus*, & Cleopatra, filia Ptolemæi Philometoris, capita ornata habent elephanti exuviis, uti postea, ubi ad Ptolemæos venero, docebitur. Sed tamen, cùm Reges Ægypti ad unum omnes sese *Ptolemæos*, omissis aliis, si quæ antea habuerunt, nominibus, vocaverint, crediderim alterius Alexandri hunc nummum esse; eundemque pertinere, si non ad Syriæ vel Epiri Reges, qui *Alexandri* nomen tulerunt, saltem ad Macedoniæ Regem *Alexandrum* filium Cassandri: nam hic ex Thessalonica filia Philippi, sorore Alex. Magni, tres filios suscepit; quorum Philippo intra annum post patris obitum mortuo, Antipater & Alexander de regno contenderunt; ille matrem occidit, Alexander primò Demetrium, inde Pyrrhum in auxilium vocat; Demetriusque post Pyrrhum eò adveniens, Pyrrho & Antipatro pulsis, Alexandroque sublato, Macedoniam invadit; atque hunc Alexandrum in nummo depingi judicant Lud. Nonnus *ad Goltzii Græciam* pag. 186. nec non Ægidius Lacarry, in *Serie Regum Macedoniæ*; & certè aversæ partes Nummorum Regum Syriæ & Ægypti ita non solent signari; sed quidem Regum Macedoniæ, quemadmodum ex Goltzio patet satis superque; adeò ut vix dubitem, quin Macedoniæ Rex Alexander, Cassandri filius, nobis ob oculos ponatur.

Atque ex iis, quæ monui & congessi, patet Indiam in Asia elephantos genuisse, & inde ebur in alias regiones fuisse deportatum; quod cùm per Assyrios mercatores venderetur, inde puto Ovidium lib. 2. *Amor.* el. 5. illud *Assyrium* vocare,

Aut quod, ne longis flavescere possit ab annis,
Mæonis Assyrium fæmina tinxit ebur.

Neque enim ea regio alebat elephantos, nisi quos India mittebat, & quidem, uti credo, perpaucos.

Cùm jamjam Alexandrum missum facere vellem, ecce intercedit Magnus Moscorum Imperator, cui utique obediendum est. Narrat enim Cornelius de Bruyn cap. 13. *Itinerarii* secundi, sese ad Tanaïm prope Asophum invenisse multa frusta dentium elephantorum, nec divinando assequi potuisse, unde & quomodo huc fuissent dentes illi deportati. Imperatorem respondisse secundùm testimonium Historicorum, Alexandrum Magnum trajecisse hunc fluvium prope parvum oppidum, cui nomen *Kostinke*, haud multò ab Asophio remotum, & verisimiliter aliquot elephantos ibi mortuos, atque eorum esse hasce reliquias. Et certè Justinus scribit Alexandrum fluvium illum superasse, *lib.* 12. *cap.* 5. §. 12. *Et ut his terris nomen relinqueret, urbem Alexandriam super amnem Tanaïm condidit.* Curtius quoque tradit *lib.* 7. *cap.* 5. eum *processisse ad Tanaïm:* & cap. 6. *ad illum rediisse amnem, & quantum soli occupaverat castris, muro circumdedisse, & urbem appellari jussisse Alexandriam.* Atque hunc Auctorem

proculdubio sequutus est victoriosus ille Princeps, quem jussit in Linguam suam transferri non solùm, verùm etiam legit diligenter, proponens proculdubio sibi Alexandrum, ut præclarissimum exemplum ad imitandum. Atque hoc verum esse docent nos Jesuitæ Trivultienses Artic. 102. Anni 1710. ubi ita loquuntur: *Elie Kopiewicz, un des Sécrétaires du Czar, est l'Auteur de la Traduction Esclavonne de Quinte-Curce, & de quelques autres Livres. A propos de la traduction de Q. Curce, le Czar avoue qu'il en a profité. Le Roi de Suede, dit-il, vouloit imiter Alexandre; mais par malheur pour lui, je n'ai pas imité Darius. Memnon donna au Roi de Perse un bon conseil; Darius perit pour ne l'avoir pas suivi, & j'ai fait perir l'Armée Suedoise.*

Gloriosum certè tantæ Majestati, quòd colere Subditos sibi velit Literas & Scientias, & ipse amet illas magnoperè, unde & factum est, ut varii Libri conscripti sint Linguâ Sclavonicâ, quos recensent iidem Eruditi Artic. 31. ejusdem Anni, qui & alibi describunt anatomiam & alia loca Artibus & Scientiis destinata; quibus adde *Acta Erudit. Lipsiensium* Anni 1710. in quibus agitur de variis Libris, quos Imperator ille Moscorum summus jussit typis describi.

Sed dicendum tamen est Curtium imposuisse magno Principi; neque enim Alexander unquam iis in locis fuit, nec Tanaïm, terminum Asiæ & Europæ, & hodie *Don* dictum, transmisit, quamvis & Stephanus recenseat Alexandriam ἐπὶ Ταναΐδος; sed *Jaxartem*, qui versùs Indiam remotus est, & qui cum vero Tanae confusus fuit ab exercitu Alexandri, detegente errorem Demodamante, Duce Seleuci & Antiochi, quod Solinus *cap.* 49. annotavit. Et quidem hac de re videatur Strabo *lib.* 11. & Arrian. *lib.* 3. apud quem Aristobulus dicit, hunc Alexandri Tanaïm alio nomine *Oxantem* appellari à finitimis Barbaris. Et Plinius *lib.* 6. *cap.* 16. ita loquitur: *Finis omnium illorum ductus ab illa parte terrarum, includente flumine Iaxarte, quod Scythæ Silin vocant: Alexander militesque ejus Tanaïm esse crediderunt.* Et sanè non satis cautè Eustathius *ad Dionysium lib.* 5. *cap.* 16. notat, quosdam scribere Tanaïm, qui Europam ab Asia dividit, à Barbaris *Silin* vocari; (cùm de Jaxarte loquutus sit Plinius) licèt paulò pòst rectè scribat, Arrianum recensere alium Tanaïm Scythicum, quem Alexander cum periculo transmisit: eundemque errorem adoptatum esse à Maussaco, viro inprimis erudito, miror in *Notis ad* Plutarchi nomine editum *Libellum de Fluminibus.*

Res autem inprimis mira est ad Tanaïm & ad Obium in ultimo Septentrione non modò ossa, capita, dentes, sed integra elephantorum cadavera vel sceleta inveniri.

CAP. V.

Alexandri Successores Elephantis in præliis usi; Perdiccas, Antigonus; Eumenes belluas hasce etiam habuit, acceptas ab Eudamo; Diodorus vel corruptus, vel non satis diligens in describendo numero earum; Elephas προηγούμενος: Polysperchon etiam Elephantis bellavit; quorum vim inutilem fecit Demades in oppugnatione Megalopoleos.

MOrtuo Alexandro hæ belluæ pervenerunt ad ejus Successores, qui earum operâ in bellis,
A quæ inter se perpetua ferè & atrocissima gesserunt, non secus ac contra alios, usi sunt frequentissimè. Quod argumentum ut exsequar distinctè, primò agam de iis Magni Alexandri Ducibus, qui Regum titulo non fuerunt insignes; inde me convertam ad Ægypti, post eos ad Asiæ, & tandem ad Macedoniæ Reges; quæ tamen omnia ita non possunt disponi, quin subinde eorundem Regum in variis capitibus nomina legantur.

Perdiccas igitur, aggressurus bello Ægyptum & Ptolemæum, Nilum transmisit ἡγουμένων τῶν ἐλεφάντων, *præcedentibus*, ante castra nempe,
B *elephantis*; copias muro Φρουρίου *castelli* admovit, & illi, qui elephantis vehebantur, vallo disjecto propugnacula demoliti sunt, οἱ δ' ἐπὶ τῶν ἐλεφάντων τὸν χάρακα διέσπων, καὶ τὰς ἐπάλξεις ἔῤῥιπτον, uti loquitur Diodorus Siculus *lib.* XVIII. Ptolemæus ipse τὸν ἡγούμενον *elephantem*, sive *primarium*, vel *aliorum ducem*, correptâ sarissâ excæcavit, & rectorem Indum vulneravit; quod cùm viderent ipsius amici, fortiter etiam pugnarunt, & reddiderunt inutilem, rectore vulnerato, proximam belluam, ita ut Perdiccas coactus sit sese in castra recipere. Hic cùm Nilum deberet transire, isque
C profundus admodum esset, elephantos ad sinistram in fluvio disponit, ut ita aquarum impetum exciperent, & vim retinerent, equites verò ad dextram, uti servarent pedites, qui ab iis raperentur in transversum; cùmque vel fluvius cresceret, vel ab equis, elephantis, atque adeò ipsis peditibus arena moveretur, profundior & periculosior transitus factus est, ita ut Perdiccæ perierint duo millia hominum, interque eos illustriores, narrante eodem Diodoro.

Eumenes quoque hisce belluis pugnavit, easque magnam partem ab Eudamo accepit; nam cùm idem Auctor *lib.* 19. commemorasset, illum,
D per dolum occiso Poro, nactum esse centum & & viginti elephantos, addit Eumenem ipsi, τοὺς ἐλέφαντας κατάγοντι ἐκ τῆς Ἰνδικῆς, *elephantos ex India ducenti dedisse talenta ducenta, expensarum quidem nomine in belluas, sed reverà ut ita hominem sibi devinciret*; quæ certè ingens & Regia planè liberalitas est, cùm conficiat nostræ monetæ 360000. florenos.

Idem Eumenes cum Antigono pugnaturus antè cornu dextrum collocavit *elephantos quadraginta quinque*, intervalla replevit sagittariis & funditoribus; phalangi Macedonum adjunxit *ele-*
E *phantos quadraginta*, & cornu sinistrum munivit totidem belluis, teste eodem Diodoro. Ita ut Eumeni fuerint *elephanti centum & quatuordecim* juxta calculum celebris Historici; qui tamen antè scripsit, illum in universum habuisse plùs quàm octodecim millia peditum, octo millia equitum, & elephantos *sexaginta quinque*; & cùm tres modò recensiti numeri efficiant elephantos CXXV. non autem ἑκατὸν τεσσαρεσκαίδεκα, sequi mihi equidem videtur, non satis diligentem in hisce narrandis rebus fuisse Diodorum, vel verba illius in mendo cubare.

Neque Antigonus, de quo plura narrabuntur,
F ubi ad Macedoniæ Reges erit perventum, neglexit belluis hisce uti in hoc eodem prælio. Nam idem Auctor mox scribit, eum elephantas triginta τοὺς κρατίστους *fortissimos* in cornu dextro, alios ante phalangem, paucosque cum equitatu in cornu dextro constituisse. Postquam autem hoc prælium æquo ferè Marte fuit diremtum, & in hyberna milites recessissent, conatus est Antigonus intercipere elephantos Eumenis ex hybernis redeuntes; sed adventu militum hujus præclari Ducis, insidiæ irritæ fuerunt. Inde iterum ad prælium ventum est, quo Antigonus habuit

buit elephantos LXV. & Eumenes CXIV. qui cùm inter se decertarent, factum est ut caderet elephas, τοῦ Εὐμένους ὁ προηγούμενος, pugnans cum κρατίστῳ τῶν ἀντιτεταγμένων, utque victor Antigonus evaderet; & Eumenes à suis eidem traderetur, occidit eum non modò, sed etiam alios Duces, & inter eos Eudamum, qui elephantos ex India adduxerat. Notandumque, Antigonum interrogatum à Præfecto custodum, quomodo Eumenem captivum servari vellet, respondisse, *ut acerrimum leonem, aut ferocissimum elephantum*, teste Nepote Cornelio in *ejus Vita*; id quod & memorat Plutarchus in *ejusdem Vita* sub fin. absque epithetis, quæ feris illis tribuit Nepos.

Quin & idem Diodorus *lib.* 18. loquens de bello, quod erat inter eos Duces ortum, narrat Antigono fuisse decem millia peditum, duo millia equitum, *& elephantos triginta*; iis petiisse Alcetam Eumenis Præfectum Olympiade CXIV. & belluarum operâ, quæ in fronte aciei erant collocatæ, eum aliosque Duces vicisse, qui fuerunt Attalus & Docimus, quibus nullos fuisse elephantos, rem eandem commemorans, scribit Polyænus *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 7. addens, μόνῳ γὰρ τούτῳ παρασκευὴ τοιούτων θηρίων, *solus enim Antigonus harum belluarum apparatum habebat.* Atque idem Diodorus *lib.* 19. refert, Antigonum, adortum gentem Cossæorum bello; habuisse secum elephantos, & non absque periculo angustias esse transgressum.

Polysperchon quoque apud eundem Diodorum habuit in exercitu suo *elephantos* LXV. cúmque Megalopolim oppugnaret, διεβεβόητο τὸ πλῆθος τῶν συνακολουθέντων ἐλεφάντων, *extollebatur valde multitudo elephantorum, qui cum eo erant, quia robore & impetu corporis habebantur insuperabiles.*

Hos tamen inutiles reddiderunt Megalopolitani, operâ & consilio Demadis, qui Alexandro Magno quondam militaverat, & belluarum naturæ gnarus erat. Cùm enim Polysperchon illos per muri ruinas agere, & ita urbem expugnare vellet, commentus est Demades ea quæ sequuntur: „Foribus, vel tabulatis (*Græcè* θύρας) amplis „nec paucis numero, clavos præacutos infigit, „easque humilibus fossis ita insternit, ut cuspi„dum summitates tegerentur, & per has transitum „in urbem relinquit. In fronte quidem neminem „ex militibus constituit; sed ex obliquo jaculato„res, sagittariosque & catapultas magno numero. „Cùm igitur toto ruinarum loco purgato, Poly„sperchon jam cum agmine belluarum ingrueret, „inopinatum quiddam elephantis accidit. Nemine „enim ex adverso belluis occurrente, Indi im„pressionem in urbem illos facere cogebant. Qui „robore suo connixi, in fores stimulis refertas „incidebant. Clavis ergo pedes sauciati, & pro„pter molem penitus stimulis perforati, nec pro„gredi ulteriùs, nec retro se convertere propter „motus difficultatem, valebant. Præterea cùm „telorum omne genus ex obliquo in eos conjice„retur, Indorum alii oppetebant, alii vulneribus „confecti idoneum exinde usum præbere non po„terant. Feræ interim præ missilium crebritate, „insolentiaque vulnerum à clavis illatorum, per „amicos reditum sibi parare, multosque illorum „conculcare. Tandem fortissima illarum & ma„ximè formidabilis cecidit. Aliorum pars omni„no inutilis evasit, pars pluribus suorum necem „attulit. Inde *libro* eodem pag. 672. commemorat, Eumenem commentum esse literas, ad deprimendam Peucestæ arrogantiam, quibus continebatur inter cetera, Polysperchontem in Asiam

A trajecisse contra Antigonum, *cum validissima Regii exercitus parte, atque elephantis*; pag. 681. cum Olympiade Pydnæ obsessa à Cassandro fuisse *elephantes Polysperchontis reliquos*; ἔτι δὲ τῶν μετὰ Πολυσπέρχοντος ἐλεφάντων οἱ καταλειφθέντες; & pag. 692. eò obsessos venisse necessitatis, ut quinæ in mensem chœnices uni militi attribuerentur, *& elephantis conclusis scobem lignorum darent, & ita eos fame mortuos esse*: οἱ μὲν ἐλέφαντες, ait Diodorus, ὑπὸ τῆς ἐνδείας διεφθάρησαν.

Atque patet ex iis, quæ disputavi, elephantorum etiam operâ Reges in obsidionibus usos esse, B & quidem ad dejiciendos urbium muros; quos Græci vocant τειχοκαταλύτας, & de quibus egisse Ctesiam in *Indicis* narrat Photius, quem etiam de eadem re loquens laudat Ælianus lib. 17. cap. 29. *de Animal.*

CAP. VI.

Reges Ægypti, Ptolemæi, habuerunt multos Elephantos, iisque in bellis usi sunt; Philadelphus rectè dicitur instituisse pri- C *mus eorum venationem. Frustra se cruciat Photius. Ptolemaïs urbs in Troglodytica, inde appellata* Epitheras; *Regio Cinnamomifera in Africa ad Mare Rubrum; mons dictus Elephas, ut & fluvius; Ælianus expositus. Ptolemæi caput proboscide ornatum, ad quem referri Ptolemæorum debeat, disputatur; Appiani Interpres notatus; Philadelphus in pompa Bacchum Elephanto insidentem* D *transducit, & 24. Elephantorum currus. Philopator etiam belluas hasce possedit, iisque Judæos Alexandriæ occidere voluit; dato iis vino thure condito: Interpres vetus Josephi factum hoc Euergetæ tribuit; qui notatur; id quod etiam facit Rupertus: at contrà Philopatori adsignat Auctor Macchab. & Chron. Alexandrini, nec non Excerpta Scaligeri. Indi iisdem dabant vinum ex oryza & calamis vel sacchara expressum; de quo* E *potu locus elegans M. Pauli Veneti adducitur; an vinum reddat imbelles Elephantos. Numerus Elephantorum Philopatoris. Zonaras expositus, & tentatus. Cleopatræ caput exuviis Elephantis ornatum, uti etiam unius ex Ptolemæis ex opinione Begeri: naves* ἐλεφαντηγοὶ, *quibus ex Troglodytica per Sinum Arabicum Elephanti in Ægyptum deducebantur.*

ATque non modò, quos memoravi, Alexan- F dri Successores, verùm etiam Reges Ægypti, Syriæ, Macedoniæ, eorumque posteri, elephantis in bello usi sunt; & quidem, ut inde initium sumam, Ptolemæus Philadelphus instituit elephantorum venationem; rectéque Agatharchides narrat, eum *id primum fecisse.* Frustra se cruciat Photius, expendens num ille vera narret, quia ante Ptolemæorum ætatem multi cicuratis elephantis usi esse leguntur, interque eos Porus; sed ipse non incommodè sibi hunc scrupulum eximit, putatque id ideo narrari, quia Ptolemæus primus post Alexandrum, vel primus Regum Ægypti, illi ve-

venationi incubuit, eandemque in Troglodytica instituit; qua cum re elephanti Pori & Indorum nihil habent commune. Qui præcesserunt Alexandrum Magnum Ægypti Reges elephantos, saltem eorum in bellis usum, planè ignorarunt, uti ex iis patet, quæ antea disputavi. Ptolemæi igitur Philadelphi, Regis magnanimi, hoc inventum est; & Ptolemæus Euergetes, ejus filius, scribit in *Monum. Adulitano*, patrem & se primos, Troglodyticos & Æthiopicos elephantos cepisse, & *docuisse* πολεμικὴν χρείαν, vel *ad bellicos usus instituisse*, inde Asiam petivisse, & redegisse in potestatem ejus regionis Reges & elephantos Indicos. Præterea Agatarchides agens de elephantophagis, & quomodo animalia hæc illi ceperint, narrat, Ptolemæum edicto jussisse; ut abstinerent à cæde elephantorum, ut ita vivos sibi habere posset; sed hos homines non obtemperasse, licèt Rex multa & magna iis promisisset; & dixisse, sese cum toto Ægypti regno solitum sibi victum non permutaturos; quæ proculdubio pertinent ad Ptolemæum Philadelphum. Sic Plinius lib. 2. cap. 72. *Histor. Natur.* scribit, *Ptolemaïdem oppidum in margine Rubri Maris ad primos elephantorum venatus conditum esse.* Inde urbs hæc vocata fuit Πτολεμαῒς Θηρῶν, vel ἐπὶ Θήρας. Idem *lib. 6. cap. 29. Insula ibi Cytis topazium ferens; ultrà sylvæ, ubi Ptolemaïs à Philadelpho condita est ad venatus elephantorum, ob id Epitheras cognominata*: Strabo appellat eandem *lib. 2.* Πτολεμαΐδα τὴν ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ: eodemque in loco paulò antè ita loquitur: *Porrò jam dicto meridiano parallelus quodammodo adjacet versus Ortum Arabicus Sinus:* τούτου δ' ἔκβασις εἰς τὸ ἔξω πέλαγος ἡ Κινναμωμοφόρος ἐστὶ, ἐφ' ἧς ἡ τῶν ἐλεφάντων γέγονε θήρα τὸ παλαιόν: *hujus ad Mare Externum exitus est Cinnamomifera regio; ubi quondam elephantorum venatio erat*: quibus verbis Troglodyticam describit, quæ à Sinu Arabico procurrit in Mare Externum, & quam feracem fuisse myrrhæ & cinnamomi docuit præclarè Bochartus lib. 2. cap. 23. *Geogr. Sacræ*: patetque etiam ex Philostrato *lib. 3. cap. 6.* ubi de Auxumitis & Syris ab Alexandro Magno eò deductis agit: Παρὰ τούτοις ἤτε ξυλοκασσία μάλιστα γίγνεται, καὶ ἡ κασσία, καὶ τὸ κάσσαμον, καὶ τὸ κιννάμωμον, καὶ δὴ καὶ ἐλεφάντων πλῆθος: *Apud hos gignitur & xylocassia maximè, & cassia, & cassamum, & cinnamomum, & elephantorum multitudo*: nec non ex Plinio *lib. 12. cap. 19. Omnia falsa, siquidem cinnamomum, idemque cinnamum, nascitur in Æthiopia Troglodytis connubio permixta*: & ita Marcianus scribit ad Rubrum Mare in Africa jacere *regionem aromatiferam*, & montem, cui nomen Ἐλέφας, quia, ut puto, ibi multi erant elephanti, quem montem etiam memorant Ptolemæus, & Arrianus in *Periplo Maris Erythræi*, cui etiam fluvius eodem ibi nomine recensetur. Patet autem ex Strabone, elephantorum ibi institutam olim venationem, à Ptolemæis Regibus Ægypti, suo tempore neglectam fuisse; postquam scil. regio illa venit in potestatem Romanorum, qui elephantis odium plusquam Vatinianum indixerant, raróque eorum operâ in bellis utebantur; qua de re agam postea.

Elephantos igitur habuerunt bellicos Ptolemæi; & scribit, quod utique non omittendum est, Ælianus lib. 9. cap. 58. *de Anim.* Philadelphum habuisse elephantem Αἰθιοπικὸν, *Æthiopicum*; illum diu vixisse; & fuisse mansuetissimum, ex hominum consuetudine; *& quia mansuetis genitus erat*; ita enim puto hæc Græca, ἐκ τῶν γένους πωλευθέντα, reddi debere. Quin & eorum unus caput tectum

A habet exuviis illius animalis, uti patet ex nummo, quem in *Thesauro Brandeburgico* publicavit Begerus pag. 262.

B

Dubitat, & non immeritò, vir eruditionis præstantis, num ille referri debeat ad filium Cleopatræ, quæ etiam ita exornata est apud Seguinum; quia potest esse Philadelphus, vel alius Ægypti Rex, quibus erant multi elephanti. Nam Hieronymus *in cap. 11. Danielis* scribit, Philadelpho fuisse, *peditum ducenta millia, equitum 20000. curruum verò duo millia, elephantos, quos primus eduxit ex Æthiopia, quadringentos*: quos tamen *trecentos* tantùm fuisse, nisi numerus corruptus sit, scribit Appianus in *Præfatione*; ubi malè

C ὁ δεύτερος Αἰγύπτου Βασιλεὺς μετ' Ἀλέξανδρον, vertitur, *Alexandri successor in regno Ægyptio*; cùm debeat reddi; *secundus post Alexandrum Rex Ægypti*; sive Ptolemæus Philadelphus. Hic etiam in pompa, quam magnificentissimam exhibuit Alexandriæ, transduxit Bacchum duodecim cubitorum, insidentem elephanto, cujus in collo sedebat Satyrus cubitorum quinque; & post virgines, Silenos & Satyros Bacchi comites, ἐλεφάντων ἅρματα εἰκοσιτέσσαρα, *elephantorum currus viginti quatuor*; uti tradit Callixenus Rhodius apud Athenæum *lib. v.*

D Ptolemæus quoque Philopator elephantos possedit, eorumque usus fuit operâ in prælio, quod cum Antiocho habuit. In lævo cornu, ubi ipse pugnabat, disposuit quadraginta, in dextro sex & triginta; & è diverso Antiochus dextrum sexaginta muniverat, & reliquis sinistrum. Eo in prælio elephanti Philopatoris noluerunt pugnare, quia Libyci, quales illi erant, odorem & barritum Indicorum, qui cum Antiocho erant*; præterea robore illorum & magnitudine terrebantur; unde factum est etiam, ut Antiochus in prælio tantùm perdiderit tres, & postea ex vulneribus

E duos; Ptolemæus verò sedecim, reliquorum majore parte capta, uti narrat Polybius *lib. 5. cap. 82. & 86.* Victor tamen prælio Ptolemæus, quatuor elephantos Soli sacrificavit; sed totidem postea τῷ Θεῷ consecravit, quia numen offenderat, quod elephanti venerabantur, quippe qui Solem orientem adorabant, τὰς προβοσκίδας εὐθὺ τῆς ἀκτῖνος, ὡς χεῖρας, ἀνατείναντες, uti legere licet apud Ælianum lib. 7. *de Animal.* cap. 44. & Plutarchum in lib. *de Solert. Animalium.*

Eundem Philopatorem libro III. *Macchabæorum* legimus mandata dedisse Hermoni, qui habebat in belluas imperium, uti quingentis in po-

F tum daret vinum thure conditum; ut rabidi facti Judæos, ex tota Ægypto pertractos Alexandriam, conculcarent & occiderent: quæ potio cùm per aliquot vices elephantis esset data, singulari tandem Dei benevolentiâ factum esse narratur, uti furore perciti in Ptolemæi milites, qui eos à tergo sequebantur, se converterent, eosque internecioni darent; uti ibidem legitur, nec non apud Auctorem *Chronici Alexandrini* pag. 412. edit. Raderi.

* Sic habetur in Chirographo, verbum desideratur, *abhorrebant*, vel *ferre non poterant*.

deri. Sed notandum inprimis factum hoc ab Interprete vetere, libri 11. Josephi *contra Appionem*, (Græca enim desiderantur) attribui Ptolemæo Euergetæ, cognomine Physconi, qui frater fuit Ptolemæi Philometoris, filius Epiphanis, & nepos Ptolemæi Philopatoris; & eum Physconem iratum fuisse Judæis, quia Onias Cleopatram, quam expellere volebat, conjugem fratris (malè Interpres *patrem* facit) Ptol. Philometoris defendebat; inde ita loquitur: „Omnes verò Judæos „in civitate (*Alexandria*) positos cum filiis & „uxoribus capiens, nudos atque vinctos elephan„tis subjecisset, ut ab eis conculcati deficerent, „& ad hoc etiam bestias suas inebriasset; in con„trarium quæ paraverant evenere: elephanti enim „relinquentes sibi appositos Judæos, impetu facto „super amicos ejus, multos ex ipsis interemere, &c. Vix dubito, quin eadem sit historia, sed cui fides Auctori sit habenda, difficile dictu est; Rupertus in *Observat. ad Synopsin Besoldi* ad Physconem hoc factum refert; & errare scribit Auctorem *Excerpt.* apud Scaliger. p. 376. cùm illud tribuit Ptolemæo Philopatori; sed tamen & idem facit Auctor libri tertii *Macchabæorum*, & *Chronici Alexandrini*; unde quid statuendum sit, ignoro; neque enim puto & sub Philopatore & sub Physcone Judæos in similem planè calamitatem incidisse.

Et hujus historiæ occasione annotandum est omnino, Indos elephantis bellatoribus dedisse vinum non ex uvis, quippe quibus carent, sed *ex oryza & calamis*, ἐξ ὀρύζης καὶ ἐκ καλάμων, sive saccharo confectum atque expressum; quo de potu agit illustris Salmasius pag. 1018. *Exercit. Plinian.* Scribit quidem Ælianus lib. 2. cap. 40. *Var. Hist. elephantum poto vino roboris sui oblivisci*, τῆς ἀλκῆς ἐπιλανθάνεσθαι, vel *robur suum amittere*. Sed vel fallitur, vel hoc intelligendum est de vino solo, non autem thure vel aliis aromatibus temperato. Et quod ad Indorum ex oryza vel saccharo potionem attinet, nullus dubito, quin idem tradat M. Paulus Venetus *lib.* 3. *cap.* 41. ubi describit Insulam Africæ Zanzibar, sitam in Mari Æthiopico: „Et licèt non habeant equos, „tamen cum elephantis & camelis ad bella proce„dunt, exstruentes castella lignea super elephan„tos: quæ tanta sunt, ut quindecim vel viginti „viri muniti ex uno pugnent portatili castro, pu„gnant autem cum lanceis, gladiis, & lapidibus: „& sunt hujusmodi castra asseribus cooperta. „Porrò quando ad bellum procedere volunt, ex„hibent potum elephantis, quem ipsi pro vino in „terram bibunt, quo audaciores sint in bello. Nec de alio potu hunc locum explicari posse patet ex verbis, quæ præcedunt; „Carent vino, „sed conficiunt potum optimum ex riso, saccha„ro & aliis speciebus; veniunt illuc multi merca„tores propter ebur & ambrum: nam sunt ibi „plurimi elephanti & cete grandia: ubi observa oryzam appellari *risum*, Gall. *du ris*, aromata *species*, *épisseries*, & succinum *ambrum*; & hinc patere haud obscurè, Marcum originem succini *cetis* tribuere, uti etiam patet ex *lib.* 3. *cap.* 39.

Sed non absque ratione Bochartus lib. 2. cap. 26. *Hist. Animal.* de numero elephantorum Philopatoris dubitat; quia paulò antè in prælio ad Rhapiam non nisi tres & septuaginta opposuit Antiocho; & eorum numerus valde fuit imminutus, in ipsa pugna occisis sexdecim, & reliquorum magna parte capta; uti modò audivimus Polybium narrantem; adeò ut vix ac ne vix quidem anno post illam pugnam proximo potuerit habere quingentos elephantos; nisi statuamus, hos ad eum ex Æthiopia fuisse postea omnes vel plerosque deductos, vel nondum fuisse ad bellum instructos, tempore prælii cum Antiocho; quomodo lib. 1. *Macchab.* cap. 6. ỷ. 30. memorantur ἐλέφαντες δύο καὶ τριάκοντα εἰδότες πόλεμον, *elephanti triginta duo ad bellum edocti*; præter quos Antiochus Eupator proculdubio alios habuit, qui nondum bellare noverant.

Ptolemæus Philometor sextus Ægypti Rex in prælio adversùs Alexandrum Theopatora usus est elephantis; nam Josephus tradit lib. 13. cap. 8. *Antiq. Judaic.* equo ejus consternato barritu elephanti, Regem dejecisse, inde hostes in eum fecisse impetum, multa vulnera capiti inflixisse, & inde eum à suis satellitibus liberatum post paucos dies obiisse, lætum, quòd inimici Alexandri caput ad ipsum antea fuerat ab Arabum Regulo missum. Addit Josephus, milites perosos Demetrii ingratitudinem, quia eos malè mulctabat, sese recepisse Alexandriam *elephantis in ejus potestate relictis.* Rem eandem iisdem verbis narrat Zonaras *Annalium* tom. 1. p. 212. & διαφθείρειν apud eum redditur per *corrumpere*, quæ vox significat, sollicitare milites, ut à fide desciscant, & ipsi serviant: videturque id firmari sequentibus, οἱ μὲν στρατιῶται τὴν πεῖραν ἐκείνου διακρουσάμενοι, *qui cùm elusa illius calliditate Alexandriam redirent, elephantis ipse potitus est.* Sed Josephus non potest aliter explicari, quàm Demetrium conatum fuisse perdere exercitum Ptolemæi, quia scribit, ὑπὸ πονηρίας ἤρξατο διαφθείρειν *exercitum Ptolemæi:* & paulò pòst, dicuntur milites fugisse ejus τὴν πονηρίαν, *malitiam*, & Alexandriam sese contulisse; quod certè & diceret Zonaras, si pro πεῖραν scribere auderem πονηρίαν.

Cleopatram, Ægypti Reginam, elephanti exuviis tectam caput exhibet nobis nummus à Seguino editus p. 69. editionis ultimæ; quam ille putat esse filiam Ptolemæi Philometoris & Cleopatræ, fratris & sororis:

Joh. Vaillantius in *Historia*, quæ absoluta hac Dissertatione commodùm & optimo Reip. Literariæ bono prodit, *Ptolemæorum* idem sentit; & in alio, cujus in aversa parte est etiam aquila cum epigraphe, ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, putat eandem Reginam cerni, licèt nomen ejus non sit adscriptum. In simili nummo Begerus tom. 1. p. 262. *Thes. Regii Brandeburgici*, existimat repræsentari nobis unum Ptolemæorum; quam litem doctis illis & præstantibus Antiquariis uti relinquo, ita non ingratum me Lectori facturum existimavi, si nummi, qui apud Vaillantium conspicitur, ectypum exhiberem:

Cùm autem elephantis multis uterentur Ægypti Reges, inde & peculiares naves fecerunt, quibus eos ex Æthiopia vel Troglodytica ad se deportarent, quas Agatharchides, in *de Mari Rubro*, vocat à re ἐλεφαντηγούς.

CAP. VII.

Seleucus Nicator Rex Asiæ plurimos habuit Elephantos; Suidas correctus: Malelæ error: Seleucus primò post Alexandrum ἵππαρχος, vel summus equitum præfectus; inde Rex; 403. vel 500. Elephantos possedit; Strabonis Interpres correctus; Apameæ in campis eos aluit, inde in urbis illius Nummis Elephas; Seleucus in iisdem monumentis vehitur quadriga Elephantorum, nisi Pallas sit; anchora in ejus & Seleucidarum aliorum Nummis, quæ quare indita sit nummo Alexandri Magni, inquiritur; Harduinus perstrictus. An Seleucus vivo Alexandro fuerit Elephantarcha; Seguinus notatus: Justinus tentatus: Sandrocotti Elephas. Seleucus non occisus in prælio ad Issum; Arriani Interpretes notati. Antiochus Soter etiam Elephantis usus est in prælio contra Galatas; Elephanti caput, & Elephas in Nummis unius Antiochorum. Inquiritur an Soteris Nummi signati sint Sanitatis *Symbolo, uti varii Eruditi tradunt; Vaillantius notatus; ut & Appiani Interpres; pentagonum illud & alia huc pertinentia multis illustrantur, & corriguntur; Sim. de Vries erroris arguitur; Kircherus notatus; ut & Jac. Gronovius; Mich. Ang. Caussæus; ac Const. Landus. Antiochus itidem Magnus eosdem possedit, & in præliis iis usus est: Judæi eos aluerunt; cum Romanis ita pugnavit: capti Eumeni ab iis dono dati; quot capti & occisi: in triumpho Scipionis mille ducenti dentes Elephantorum: dentes inter tributa, & res pretiosas valde; Athenæus correctus; Victoriæ de Antiocho navalis memoria servata in Tabula fuit in æde Larium permarinorum, & Capitolio; illa explicata: Sigonius notatus. Idem Antiochus Elephantos Antiochiæ in ludis exhibuit: Antiochus Epiphanes etiam eos possedit; Syncellus ejusque Interpres notati; iis in bellis & pompis usus est; Athenæi Interpres tentatus; picti in ejus Nummis Antiochus Eupator, multarum itidem belluarum dominus; iis contra Judæos usus; Eleazari celebre factum. Dissensus Auctorum de numero Elephantorum Eupatoris; Josephus expensus; rubro colore exacerbantur; unde illi Elephanti, cum Romani patris Epiphanis omnes occiderint? Cn. Octavius propterea in gymnasio occisus à Leptine; Antiochi Epiphanis Dionysi Elephanti Lychnophori in Nummis. Obvii itidem in Alexandri Syriæ Regis nummo inedito; in quo an Bacchi caput, an verò Cleopatræ uxoris Regis, dubitatur: an Asiæ Reges Tigranes & Mithridates Elephantis in bellis usi sint: Golla Rex Hunnorum, in parte Septentrionali*
A *Indiæ, ab Elephantis & equis epotâ aquâ, urbem obsessam cepit.*

INde sequuntur Reges Asiæ, eorumque primus
Seleucus Antiochi, clari inter Philippi Duces viri,
filius, *Nicator* cognominatus; quem mox patebit
multis elephantis divitem fuisse. Nam antequam
hoc doceam, non malè me facturum existimo, si
Suidæ verba examinem, qui eum facit filium Ale-
xandri Magni; & in V. Κολασσαεὺς ita loquitur:
Κολασσαεῖς οἱ Ῥόδιοι, *qui in Insula* (Rhodo) *So-
lis æream statuam erexerunt, quam propter magni-*
B *tudinem vocarunt Colossum*; ἐπὶ Σελεύκου τοῦ Νικά-
νορος υἱοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακέδονος, *sub Seleu-
co Nicanoris F. Alexandri Macedonis*; quibus
Portus suum illud N. L. vel *Non liquet*, appo-
nit. Et primò quidem Seleucus non fuit appella-
tus *Nicanor*, sed *Nicator*, à victoriarum multitu-
dine, uti non modò ex Appiano, Stephano By-
zantino, Eunapio, aliis, verùm etiam ex Num-
mis patet; quin & ipse Suidas Νικάτορειν urbem
Syriæ scribit κτίσμα esse Σελεύκου τοῦ Νικάτορος,
licèt in V. Σέλευκος; vel per errorem, vel cor-
ruptus, eundem etiam *Nicanorem* appellet. Sed
C neminem præter Suidam inveni, qui eum tradi-
derit esse genitum Alexandro Magno; cúmque id
fieri non potuerit, quia Seleucus & Alexandro
major erat, nullus dubito, quin Lexicographus
corruptus, & locus ita legendus sit, ἐπὶ Σελεύκου
τοῦ Νικάτορος, ἢ τοῦ Ἀλεξάνδρου, *sub Seleuco Nica-
tore, vel Alexandro Macedone*; & jungenda hæc
esse verba præcedentibus; ita ut narret nobis Co-
lossum à Rhodiis erectum esse sub Seleuco vel sub
Alexandro Magno. Et certè circa hæc tempora
immanis illa statua est facta per Charetem Lin-
dium Lysippi discipulum; & quidem ex apparatu
Regis Demetrii, Plin. *lib.* 37. *cap.* 7. unde ta-
D men patet illum potiùs absolutum fuisse sub Se-
leuco, quàm sub Alexandro. Neque enim au-
diendus Joannes Malela, qui in *Chronographia* sua
scribit Colossum hunc erectum fuisse à Rhodiis
tempore Regis Judæorum, Manassis; quando à
nemine in potestatem redacti, sed αὐτονομοῦντες καὶ
θαλασσοκρατοῦντες, *sui juris & maris domini erant*;
quod aliis plurimisque illius Auctoris erroribus
adscribendum est.

Huic autem Seleuco Nicatori, quomodo eum
appellandum esse multis evincit illustris dignitate
& doctrina Legatus, Ezech. Spanhemius *Dissert.*
E v. ubi & rectè ad eum non pertinere nummum
inscriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ
ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, sed ad aliquem ex Successoribus,
notat; adeò ut mirer eundem errorem repeti in
Notis ad Joan. Malelam p. 252. huic, inquam,
Seleuco post mortem Alexandri primò *cessit sum-
mus castrorum tribunatus*; vel ἵππαρχος à Per-
dicca factus est, uti loquitur Libanius tom. 2.
Orat. 11. p. 347. præpositus vel præfectus ἐπὶ τὴν
ἱππαρχίαν τῶν ἑταίρων οὖσαν ἐπιφανεστάτην,
teste Diodoro Siculo *lib.* 18. sive ἡγεμὼν τῆς
ἵππου τῆς ἑταιρικῆς, *dux equitatus amicorum*,
F vel *alæ domesticorum*, quam dignitatem vi-
vo Alexandro Hephæstion, & post eum Perdic-
cas gesserant, apud Appian. in *Syriacis*; Rex in-
de factus plurimos elephantos habuit, eorumque
ope in præliis frequenter usus est. Nam cùm An-
tigonum bello adoriretur, *elephantos quadringentos
& octoginta in Cappadociam* contra eum duxit,
teste Diodoro Siculo *lib.* XX. extremo; atque apud
Strabonem pag. 724. legitur cùm à Sandrocotto
accepisse dono *quingentos*, πεντακοσίους, quod ma-
lè Interpres reddit per *quinquaginta*, uti jam no-
tarunt Eruditi. Alebat autem has bestias in agro
Apa-

A

Apamensi; quod alii Syriæ Reges imitati sunt: Strabo *lib.* 16. *Urbs* (Apamea) *in tuto sita est, & Cherronesus è re ipsa vocata. Regione vel agro multo & ubere abundat, per quem Orontes fluit, & frequenter in eo flectitur. Hoc in loco Seleucus Nicator quingentos elephantos alebat, & maximam exercitus partem, id quod fecerunt etiam posteriores Reges.* Atque inde factum, ut in Apamensium Nummis elephas nobis exhibeatur. Edidit talem Eminentissimus Norisius, grande & eruditum illud purpuræ Romanæ decus, pag. 69. *Epocharum*, percussum anno Æræ Seleucidarum 237. & alterius ectypum mecum communicavit Jacobus de Wilde, antiquariæ rei studiosissimus vir, in quo cùm annus notetur *octavus*, constat utique cum vivo Seleuco Nicatore signatum esse. Hinc

B

cernitur caput Jovis laureatum absque epigraphe, quia ibi fuit delubrum Jovis amplissimum, multis ac variis ornamentis ornatum, teste Theodoreto *lib.* 5. *cap.* 21. unde Libanius *lib.* 4. *epist.* 290. eam τὴν Διὸς φίλην, vel *Jovi dilectam* fuisse scribit, ἣ τὸν Δία τιμῶσα διέμεινεν ὅτι ἦσαν τιμωρίαι τοῦ τιμᾶν τοὺς Θεοὺς, uti notat Valesius: inde verò elephas, addita inscriptione, ΑΠΑΜΕΩΝ ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΥ, *Apamensium* (urbis) *sacræ & inviolabilis*, addita epocha, Η. *anno octavo.* Similem postea nactus sum æreum, in quo eadem inscriptio legitur, quanquam paululùm detrita, & litera Μ. (id est, *anno quadragesimo*) sola, vel cum alia, quam cognoscere non possum. Quin & ipse Seleucus elephantos Nummis suis indidit; editusque est perelegans à Seguino pag. 59. *Select. Numism.* & à Vaillantio p. 37. *Regum Syriæ*, cujus ectypum facere non possum, quin exhibeam:

C

In una area cernitur caput itidem Jovis laureatum; in altera Pallas, uti non absque ratione arbitratur Vaillantius, tutelaris Macedonum Regum Dea, currui, ad quem IV. elephanti juncti sunt, insistens, quem idem vir doctus putat demonstrari Seleuci potentiam in his bestiis possidendis; nisi tamen etiam fuerit currus pompaticus, quo vel Palladis, vel Seleuci pugnantis habitu statua fuerat circumlata. *Anchora* autem additur ut genitiva Seleuci nota, quemadmodum ex Justino & Appiano notarunt Eruditi; unde eadem in aliis Regum Syriæ, iisque permultis, Nummis conspicitur. Atque huc pertinet omnino illustrissimæ dignitatis & Regi à Consiliis Foucautium possidere perelegantem & ineditum nummum, in quo hinc elephas; inde caput equi, anchora, & ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ, uti patet ex ectypo, quem mecum communicavit Gallandus, vir certè eruditionis egregiæ, & sollers certusque horum monumentorum Interpres, qui ditissimo Gazophylacio & instructissimæ Bibliothecæ Marchionis modò laudati, semperque laudandi, summa cum laude præest, & rectè existimat, illum nummum referri debere ad Seleucum primum;

D

E

F



Nec omittendum equidem varios Seleucidarum Nummos edidisse illustrissimæ itidem dignitatis Ezech. Spanhemium *Dissert.* VII. nuperæ pulcherrimæque editionis, in quibus sunt sculpti elephanti, & inter eos etiam esse hunc ipsum Foucautii; imò in binis Seleuci exhiberi currum, cui quatuor elephanti juncti sunt, & super eos totidem scipiones, vel sceptra erecta, quorum nullum in illo, quem Seguinus edidit, vestigium, uti patet ex ectypo:

Cùm autem vir illustris Nummos istos publicaverit eam præcipuè ob causam, ut ostenderet *anchoram* in iisdem etiam sculptam, insigne fuisse Seleucidarum genitivum, facere non possum, quin exhibeam Alexandri Magni pulcherrimum ex argento nummum, in quo exuviis leonis, quibus caput tectum habet, incusa vel indita est *anchora*; & in altera area sedet Jupiter dextrâ tenens aquilam, sinistrâ hastam, cum inscriptione, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, & literis ΙΞ/Φ, uti ectypus docebit:

Neque enim crediderim hunc ad unum ex binis aliis Alexandris, Syriæ Regibus, pertinere, quia vultus leonis, exuviis tectus, similis est planè iis, qui sunt in Magni, apud Goltzium & alios, Nummis, & quia in iis semper additur nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ; in variis autem Magni titulus ille omittitur, quales & solos genuinos esse, nescio quam ob causam, Harduinus variæ vir doctrinæ contendit, in *Chronologia Veteris Testamenti*; quam paradoxam, uti alias innumeras, opinionem refutare si amicè vellem, Librum equidem ingentem deberem conscribere.

Cùm autem vivo Alexandro *anchora* hæc nequaquam nummo imprimi potuerit, videtur id adscribendum esse Seleuco, vel alicui Successorum. Est enim nota hæc antiqua, & nummus extra omnem dubitationem genuinus; & fortè id factum jussu Seleuci primi, antequam ipse suum nomen & vultum Nummis inderet, Regisque titulum usurparet.

Morellus, vir rei nummariæ peritissimus, edidit, tab. 14. *Speciminis sui*, M. Aurelii nummum, capitisque Augusti cervici inditam Victoriam; & existimat, eam esse notam monetalem, ab ipsis sine dubio Nicæensibus additam subsecutis Impp. ne in usu publico moneta rejiceretur. Atque ut hoc difficulter credere possum, ita, si verum foret,

ret, aliquo modo firmaret conjecturam meam, à Seleuco nempe anchoram Alexandri nummo incusam esse, uti in regionibus, quas occupaverat & ditione tenebat, publici usus esset.

Quid autem sibi velint tres litteræ singulares, fateor me scire cum ignarissimis, nec ausim Φ. referre ad *Philippos*, vel *Philippopolim*, nec ex binis aliis facere *annum decimum septimum*; quare quidem sagacioribus lampada trado lubens.

Et facere non possum, quin hac occasione notem, Goltzium inter Nummos Alexandri Magni referre sequentem, in quo itidem anchora occurrit:

putatque vir doctus hinc cerni Palladem propter cultum, quem ei singularem exhibuit Rex ille; & inde Victoriam cum palma & corona, nec non anchoram, quo imperii firmitatem videtur ostendere. Ego aliis judicandum relinquo, an non tribui possit uni ex binis Alexandris Syriæ Regibus, id quod tamen difficulter credo, quia illi vultus suos Nummis indiderunt; vel designari victoriam Alexandri navalem; vel à Seleuco Nicatore in memoriam Alexandri signatum hunc nummum fuisse; vel denique unum ex Alexandris Syriæ Regibus imitatum esse Seleucum hunc, quippe cujus similis planè nummus conspicitur.

Atque ita quidem mihi dictus Seleucus Nicator, & ratio reddita, quare in ipsius & Apamensium Nummis elephas nobis exhibeatur. Belluis illis insuper Alexandri tempore præfectus fuit, & post tanti Regis mortem earundem atque equitatus regimen accepit, uti scribit egregiæ Abbas doctrinæ Seguinius; id quod equidem unde haustum sit ignoro planè. Nam licèt Seleucus fuerit multorum elephantorum dominus; licèt magna hæc fuerit dignitas, uti patet ex 2. *Macchab.* 12. ubi Nicanor Ἐλεφαντάρχης dicitur factus esse Στρατηγὸς Judææ; nec non ex Polybio *lib.* 5. *cap.* 82. ubi Myiscus unus domesticorum Regiorum, & in Aula educatus, præficitur elephantis, qui in cornu sinistro pugnabant; & Philippus Antiochi Regis σύντροφος aliis sexaginta, qui stabant in dextro, dictus inde Appiano Ἐλεφαντάρχης, & Livio *lib.* 37. *cap.* 41. *elephantorum magister*; licèt, inquam, magna hæc dignitas fuerit; tamen nihil tale legi apud ullum Veterem de

A Seleuco; & fallor, aut vir doctus & elegans non satis benè cepit Athenæum *lib.* VI. & Plutarchum in *Vita Demetrii*: hi enim narrant adulatores dixisse, illum *solum esse Regem*, Seleucum verò Ἐλεφαντάρχην, Ptolemæum Ναύαρχον, Lysimachum Γαζοφύλακα, & Agathoclem Σικελιώτ Νησιάρχον; quod ideo factum à pessimo hominum genere, quia Seleucus dominus erat multorum elephantorum, Ptolemæus valebat classe, Lysimachus pecuniâ, & quia Agathocles unam tantùm Insulam tenebat ditione, cùm contrà Demetrius multas regiones sibi subjecisset, & validis

B numerosisque militibus esset succinctus. Et hic ipse Seleucus usus est elephantorum operâ cùm contra Demetrium pugnaret; narratque Polyænus *lib.* 4. *cap.* 9. §. 3. eundem, cùm Demetrii milites admodum essent timidi, fortissimos elegisse satellitum, octo elephantis ante ipsos collocatis, adlocutione sua effecisse, ut Demetrii milites ad eum transirent; habuitque inter cæteros elephantem Indicum, nam plerique sui erant Libyci, qui vixit μέχρι τῆς τ Ἀντιόχων ἐπικρατείας, *usque ad Antiochorum imperium*, quorum primus regnare cœpit anno. . . Æræ Seleucidarum.

C Addendum tandem, quia *Sandrocotti* facta est mentio in historia Seleuci, Justinum narrare *lib.* 15. *cap.* 4. *illi molienti bellum adversùs Præfectos Alexandri, elephantum ferum infinitæ magnitudinis ultro se obtulisse, & veluti domita mansuetudine eum tergo excepisse, ducemque belli & præliatorem insignem fuisse*: ubi fortè scribi debet, nam vulgata lectio admitti non potest, *veluti domitum mansuetè eum*, vel *domitum ad mansuetudinem*, uti loquutus est Solinus *cap.* 65. cujus verba à me antea laudata sunt.

D Qui Seleucum (quem pessimè illi, qui Indicem Arriani confecerunt tam in Vulcanii, quam Blancardi editione, scribunt, *in prælio ad Issum occisum esse*, cùm id acciderit ejus filio Ptolemæo) exceperunt Syriæ Reges, etiam elephantos habuerunt sibi; ejusque filium Antiochum Soterem XVI. elephantorum operâ Galatas vicisse, & lachrymantem militibus dixisse narrat Lucianus in *Zeuxide*, vel *Antiocho*: *pudore afficimur, quibus salus in hisce sedecim constitit belluis, adeò ut nisi spectaculi novitas hostes perculisset, quid nos erga illos fuissemus?* & tropæo tantùm jussisse insculpi elephantum propterea addit idem Auctor.

E An verò ad hunc, an ad alium Antiochum referri debeant duo Nummi elephantis insignes, scio juxtà cum ignarissimis, quia nullâ Ærâ insignes sunt. In primo hinc scriptum est, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ, cerniturque elephanti caput, inde caput muliebre; in altero autem elephas totus cum eadem inscriptione, nec non in aversa parte clypeus, & in ejus medio anchora, uti patet ex ectypis:

Hos autem mecum communicavit Jacobus de Wilde, cujus Gazophylacium rarissimis Nummis & veteris ævi præclaris reliquiis aliis refertum est; & eo nomine optimè meretur de Republ. Litteraria, quæ eidem etiam acceptos fert Nummos, gemmas, & statuas, quæ monumenta insignia tribus explicavit libris sollerter & ingeniosè.

Est cæteroquin valde verisimile, modò exhibi-

F tos Nummos posse pertinere ad Antiochum Soterem, quia Vaillantius narrat illum anxium de pugna contra Gallos vel Galatas ineunda, dixisse, se vidisse in somno Alexandrum Magnum monentem, uti pro signo quoddam Sanitatis Symbolum, τὸ ὑγιαίνειν, proponeret, id quod pro tesserâ Tribunis daret, ac militum lacernis inderet, sic fore, ut certa facilique victoria potiretur: hoc ad-

adhibito symbolo, equitatus Gallorum, Theodoti Rhodii ductu, disjectus est. Antiochus victoriâ moderatè usus est, & lachrymas quidem profudit, quòd in belluis exercitus sui salus stetit, ideo in trophæum elephantem sculpi jusserit, cujus frequens in Antiochi Nummis typus etiam observatur. Gallis itaque in Asiam longè latéque irrumpentibus, minantibus, profligatis Antiochus ΣΩΤΗΡΟΣ cognomentum accepit.

Probat hæc vir egregiæ doctrinæ per Cælium Rhod. *Quæst.* lib. 3. & ultima per Appianum in *Syriacis*; sed ego nunquam *Quæstiones* illas vidi, nec scio equidem an præter *Lectiones Antiquas* aliquid similis argumenti aliud ediderit vir ille doctus, cujus non libro tertio, sed septimo, & quidem illius capite 24. invenio narrari, Antiochum cum Galatis congressurum & de victoria anxium, in quiete vidisse Alexandrum Magnum monentem, ut priùs quàm in aciem milites produceret, non aliud proponeret illis signum, quàm ὑγιαίνειν, id est, *benè valete.* Apud Appianum autem nihil aliud invenio, quàm Antiochum, qui novercam adamaverat, cognomento fuisse *Sotera; quia Gallos ex Europa in Asiam irrumpentes repulit*; quomodo Græca reddenda sunt, Interpreti non satis intellecta, quia malè existimat eum ante victos Galatas jam ita fuisse cognominatum, id quod secus sese habere ex Græcis verbis Appiani patet, id quod & rectè animadvertit Vaillantius.

Ceterùm facere non possum, quin paululùm immorer Historiæ huic, quia video viros eruditos mirè variare in illa narranda, & ipse non cognoscam, unde illa omnia sint desumta. Nam Jacobus Tollius in *Præfatione* Gallica, quam eandem in Linguam translato Longino præfixit, & conatus inter fraudes & stratagemata referre *visum cæleste Dei signum* à Constantino, simile quid de Antigono Rege Macedoniæ refert, & ita loquitur: *Mais moi, je tâche de m'appliquer à la lecture avec un peu plus de jugement, & trouvant, que le Roi Antigonus, Successeur d'Alexandre le Grand, s'est servi du même stratagême, feignant d'avoir vû au ciel un pentagone, qui est le Symbole du Salut, avec ces paroles*, IN HOC SIGNO VINCES, *& qu'il fit peindre aux bouclièrs de ses soldats, gaigna ainsi la bataille.* Atque hoc ipsum alii *Antiocho Soteri* tribuunt, id quod invenio apud Simonem de Vries tomo III. pag. 515. *Curiosarum Animadversionum*, quas Belgicas edidit, De Rebus, quæ in Indiis tàm Orientalibus quàm Occidentalibus, nec non China aliisque orbis Terrarum partibus inveniuntur: Narrari, ait, numisma illius Syriæ Regis exstare, cujus in una area conspicitur pentagonum, & in singulis angulis illius litteras, quæ junctæ significabant ΥΓΙΕΙΑ, *Sanitas*; illam monetam percussam esse in memoriam somnii & victoriæ. Nam cùm prælium contra Galatas esset initurus, apparuisse illi in somno Alexandrum Magnum, jubentem, ut hanc vocem militibus suis signum daret; id eum fecisse, & præterea jussisse signis militaribus & vestibus præcipuorum Ducum inscribi, ita victoriam adeptum esse, & signasse propterea Nummos cum pentagono. Et quanquam initio dubitare videatur de hac historia per illud Belg. *Men seght*, sive *Narrant*, tamen satis apparet eundem in eodem valetudinario cum aliis Eruditis recentioribus cubasse, & ita sese erroris manifesti reum facere.

Ego profectò nescio unde hæc sumta sint; neque enim talia invenio apud ullum veterem Auctorem, quos consulere potui; quin ferè est, ut credam, hanc historiam mirè interpolatam esse, & fortè Pierio, aliique viro erudito, cujus *Hieroglyphica* unà cum *Hieroglyphicis* Pierii edita sunt, deberi. Narrat enim hic libro 2. *Hieroglyph.*

A cap. 18. Lucianum testari, pentagonum Salutis Symbolum esse, & inde ita loqui pergit: Antiochus is, qui ΣΩΤΗΡ cognomento dictus est, cùm adversùs Gallos pugnaret, nec satis ex sententia res succederet, essetque in discrimine, per quietem vel vidit, vel se vidisse simulavit, ut militum animos in spem erigeret, Alex. Magnum se monentem, ut Salutis Symbolum assumeret, idque pro tessera Tribunis daret, eorumque vestibus insueret, ea re fore ut victoriâ potiretur. Symbolum autem illi hujusmodi ostendisse, triangulum triplicem invicem insertum ex lineis quinque constantem, in quibus ΥΓΙΕΙΑ scriptum erat;
B sic enim Salus Sanitasve Græcis appellatur; *unde & hoc signum in veteribus Antiochi Nummis adhuc cernitur*, quod signum Mathematici à quinque angulis *pentagonum* vocant:

C

Quin animadverti similia ante eum tradidisse Pierium *lib.* 47. *cap.* 31. & itidem narrare, Alexandrum ipsi adstitisse, cùm acie adversùs Galatas esset decertaturus, & mandasse, ut militibus tesseram daret Υ῾γιαίνειν, cujus dicti Hieroglyphicum olim jam adinventum erat triplex triangulus
D inter se complicitus ex quinque paribus lineis sese invicem in puncto contingentibus, quo non cunctanter à se facto, pentagrammoque hujusmodi tum in vexillis imposito, tum & singulis & reliquis militaribus indumentis superaddito assutoque, admirabilem mox est à Galatis victoriam consecutus. *Antiochi autem nummus argenteus passim habetur, istius rei memoria sempiterna, in quo nota ea impressa est, additis singulis per angulorum intervalla litteris* ΥΓΕΙΑ, in eum, quem hîc vides nummum:

E

Ego profectò nescio unde hæc omnia sint petita;
F & vellem equidem mihi exhiberi bonæ veterisque notæ Auctorem, qui historiam hanc nobis narret eodem modo, quo Recentiores. Cúmque neminem præter Lucianum inveniam, qui somnii hujus sive veri sive ficti faciat mentionem, ego quidem nihil aliud inde concludere possum, quàm Antiocho Soteri inituro pugnam cum Galatis & de victoria anxio apparuisse Alexandrum, & jussisse, ut tesseram militarem daret vocem Υ῾γιαίνειν, & hac militibus data, vel ἀπὸ τούτου συνθήματος præclaram illam victoriam consequutum esse; quam tamen adscribendam esse sexdecim elephan-

tis ex Theodoto Rhodio patet omnino ex ejusdem Luciani *Zeuxide* vel *Antiocho*, qui & propterea in tropæum vel victoriæ signum, *elephantum* solum posuit: Ἐπὶ δὲ τῷ τροπαίῳ κελεύσ ἄλλο μηδὲν, ἐλέφαντα δὲ μόνον ἐγκολάψαι: *In tropæum nihil aliud quàm elephantum jussit sculpere*; vel potiùs stipiti vel arbori, cui appendebantur in signum victoriæ, arma, clypei, gladii, thoraces, nihil aliud jussit affigi quàm elephantum.

Atque si in solo Luciano somnium hoc Antiochi Soteris invenitur, hinc utique sequitur, reliqua assutamenta esse, quæ narrari audivimus à variis, nempe, *figuram pentagoni signis militaribus & vestibus sive Tribunorum, sive omnium militum inditam*, *Antigonum* positum pro *Antiocho*; *In hoc signo vince*, *pentagonum Nummis impressum*, & quæ sunt ejus generis alia. Nam licèt Pierius ita loquatur, tanquam talem argenteum viderit plùs quàm unum, tamen ea de re valde dubito, quia non memini me apud ullum Antiquarium talem vidisse; certè non apud Vaillantium, in Libro *de Regibus Syriæ*, cujus ille magnum fuisset ornamentum, qui & Antiochi Soteris nullum cum *elephanto* exhibet, licèt scribat, ejus frequentem typum in Antiochi Nummis observari; atque inde puto raritatem Nummorum, quorum ectypos exhibeo, patere, si ad Soterem referri possunt, qui fortè in unius area vultum sculpi fecit Stratonicidis novercæ & conjugis.

Ceterùm, uti hoc obiter adjiciam, pentagonum istud subinde in gemmis occurrit; uti apud Joan. Macarium num. 103. *Gemm. Abraxearum*, cum characteribus incognitis, notatque ex Kirchero c. ult. *Prodr. Ægypt.* Canopo junxisse gentem illam πεντάγραμμον; quia quòd hæc figura variè sita vocem Græcam ΥΓΕΙΑ referat, & prosperitatis symbolum illud esse signum, tritum esse ex Historia Antiochi Soteris, qui contra Galatas decertaturus, hujus symboli vexillis impositi subsidio, de quo faciendo in somno monitus fuerat, insignem victoriam reportasse fertur. Sed eodem cum aliis in valetudinario cubat Kircherus; nam uti ex præcedentibus patet satis superque, non jussus est Antiochus tale signum vel pentagonum vexillis imponere, sed tantùm dare militibus pugnaturis pro tessera verbum ΥΓΙΑΙΝΕΙΝ; deinde nemo dixit, pentagonum illud diverso situ nobis dare vocem ΥΓΕΙΑ, sed volunt illam inscriptam fuisse cum pentagono Nummis laudati Regis; & certè insignis Oedipus foret, qui eas quinque in figura pentagoni inveniret: tandemque non video, quomodo ex Historia Antiochi Soteris patere possit, pentagonum apud Ægyptios symbolum esse prosperitatis; id quod ultimum quamvis verum esse possit, tamen nescio quod argumentum ex Græca Historia & Rege Asiæ peti possit ad illud probandum.

Hanc gemmam unà cum Gorlæanis edidit vir eruditus, tom. 2. num. 459. annotatque hexagonum esse litteris ignotis conscriptum. Velle viros doctos sæpe ΥΓΙΕΙΑΝ in eo notatam exstare. Credo memoriæ lapsu vel Librariorum vitio scriptum esse *hexagonum* pro *pentagonum*, cùm vox illa designet *sex angulos*, hæc verò *quinque*, nec plures in figura illa reperiantur; quod sphalma aliorum acerborum Criticorum more non notarem; nisi viderem illud repeti ad tom. 1. num. 192. ubi licèt pentagonum conspiciatur, legitur tamen *hexagonum serpenti inclusum*; advocaturque gemma altera, nec non una ex Cimelio Genovevæ p. 135. quod pentagonum nihil commune habet cum illo, de quo ago; hexagonum tamen visitur in eo Libro inter Amuleta Gnosticorum num. xx.

Ex illa tamen viri eruditi annotatione credo me posse colligere, Nummos Antiochi Soteris

A pentagono signatos non inveniri, vel saltem malæ notæ esse; neque enim dubito quin hujus symboli occasione dixisset, inveniri tales Nummos, non tamen *hexagono*, sed *pentagono* notatos, & nequaquam, velle viros doctos sæpe Υ'γίειαν in eo symbolo notatam reperiri; id quod certè indicium haud leve est dubitantis.

Hanc tamen pentagoni notam sese repperisse putant Eruditi in nummo Philippi patris Alex. Magni apud Goltzium & in *Thesauro* Regis Borussiæ; sed ut parergon, & suppositam Philippo equitanti, nec non pictam ante Victoriam stantem. B Quæ conjectura an benè se habeat, nescio equidem; in alio ejusdem Regis nummo visitur stella octo radiis insignis, & fortè hic illa quinque habere potuit; quid autem figura hæc in binis illis Nummis, si pentagoni est, significet, difficile dictu est, & Eruditi rationem non reddunt, mihi sufficit monuisse, quanquam fortè Monetarii nota potuerit fuisse.

Sed &, postquam hæc omnia notassem, incidi in *Romanum Museum* Michaëlis Angeli Caussei, qui pag. 8. ita de pentagono loquitur: Symbolum autem prosperitatis fuisse apud Ægyptios liquet ex historia Antiochi Soteris, qui adversùs C Galatas pugnaturus hoc signo vexillis imposito, datoque militibus pro tessera, de quo faciendo se per somnum ab Alexandro Magno monitum fuisse simulavit, insignem reportavit victoriam, cujus typus in numismatibus apparet. Est autem triangulus triplex invicem insertus, constans ex quinque lineis, in quibus ΥΓΙΕΙΑ scribitur:

D

Hîc utique locum habet vetus illud, *Vara Vibiam sequitur*; nam & hîc habes, *signum vexillis impositum*, *numismata Antiochi Soteris*, quibus cum pentagono non modò Græca vox ΥΓΕΙΑ, verùm etiam Latina SALUS inscribitur, id quod certè ab omni ratione alienum est.

Quin & Constantinus Landus in *Select. Numismat.* scribit, se in argenteis numismatibus, illis E quidem vetustis, vidisse Antiochi ipsius imaginem, & ex altera triplicem triangulum inter se quinquelinearem, in quo Υ'γίεια erat inscriptum, & inde narrat historiam, quæ apud Lucianum legitur. Dubito autem valde an ipse talem nummum oculis viderit suis; quia nullum similem edidit, sed alium longè, in quo legitur SALUS AUGUSTI; en quia scribit Joan. Reuchlinum lib. III. *de Arte Cabalistica*, ubi tractat de signaculis ac sigillis ad Sanitatem & Salutem pertinentibus, asserere à se visam Antiochi monetam argenteam, symbolo pentagoni percussam, additque se hoc F voluisse dicere, ne fortè quis putaret à se fictum esse. Quin & narrat, Gyraldum Syntagm. I. *de Diis Gentilium*, in veteribus Antiochi Nummis *pentagonum* adhuc cerni; egisse de illis Cælium Calcagninum lib. 3. *Epistol. Quæst.* nec non ipsum in *Epist. ad Vincentium Catum*. Et certè Gyraldus & Calcagninus testantur se ejuscemodi Antiochi vetustos Nummos vidisse; amboque insuper addunt Antiochum hoc somnio excusso jussisse, ut hoc Sanitatis symbolum *vestibus* vel *lacernis militum insueretur*; id quod tamen apud Lucianum non legitur.

Antiochus Magnus multos elephantos habuit, & Polybius *lib.* XI. ſcribit, eundem cum Euthydemo, Bactrianorum Præfecto, pacem feciſſe, acceptis omnibus illius elephantis; inde ſuperato Caucaſo Indorum fines ingreſſum à Rege Sophagaſeno alias belluas inſuper accepiſſe, ita ut haberet centum & quinquaginta. Narrat præterea Zenon apud eundem in *Excerptis* lib. XVI. De Virtutibus & Vitiis, Antiochum elephantos ante ipſam phalangem in prima acie collocaſſe, cùm in Cœle-Syria ad oppidum Panium cum Scopa, Duce Ptolemæi Epiphanis, manus conſereret; ipſum cum ala amicorum κατόπιν ἐπιςῆναι τοῖς θηρίοις, *poſt elephantos ſtetiſſe*; hoſce magno Regi fuiſſe adjumento, & equitatu Ætolorum inuſitata belluarum ſpecie conſternato, maximum in diſcrimen rem adductam fuiſſe, incluſa hinc ab elephantis, inde ab equitibus phalange, Scopamque tandem ceſſiſſe, & victoriam reliquiſſe Antiocho. Cúmque recuperaſſet urbes Cœle-Syriæ & Samariæ, Judæi etiam ſponte ſua ſeſe dediderunt, receptumque intra urbem exercitum, & elephantos liberaliter aluerunt; teſte Joſepho lib. 12. *Antiq.* cap. 3. unde & factum eſt, ut eos Rex clementer valde habuerit, & in epiſtola ad Ptolemæum ſcripſerit, eos ἄφθονον χορηγίαν τοῖς ςρατιώταις καὶ τοῖς ἐλέφασι, *exercitui & elephantis copioſum victum præbuiſſe*, & propterea iis conceſſiſſe tam ſplendida privilegia; uti ibidem legere licet.

Et cùm idem Rex cum Romanis bellum gereret, elephantis etiam uſus eſt; atque apud Appianum lib. *de Bellis Civil.* legimus, eum A. V. C. 562. prælio adverſùs Manium Acilium Glabrionem, *in ſiniſtro latere elephantos collocaſſe.* Et belluas haſce etiam habuit, cùm adverſùs Scipionem pugnaret; Jornandes lib. I. *de Regn. Succeſſ.* *Antiochus, Syriæ fortiſſimus Rex, magnum apparatum belli contra Populum Rom. commovit: triginta ſiquidem millia armatorum, curruſque falcatos complures, elephantos innumeros turritos, & inſtar murale in acie ordine ſitos:* ubi ille valde rem auget, dum nobis annumerat *innumeros elephantos*, quos certè à Floro, quem ferè exſcribit, non accepit, cùm is ita loquatur *lib.* 2. *cap.* 8. *Elephantis ad hoc immenſæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & ſuo ebore fulgentibus aciem utrinque vallaverat*; cúmque oſtenderet illos & aciem Hannibali, interrogaretque, *Putaſne, inquit, conferri poſſe, ac ſatis credis Romanis hæc omnia? Pœnus eludens ignaviam militum ejus pretioſè armatorum: Satis planè, inquit, ſatis eſſe credo Romanis hæc omnia, etiamſi avariſſimi ſint*; uti memoriæ mandat Gellius lib. 5. cap. 5. *Noct. Attic.* Et digna ſunt Livii verba, quæ ſupponantur, quia magnificentia Syri Regis, & maximè elephantorum eximius ornatus, inde abundè cognoſci poteſt; ita igitur loquitur *lib.* 37. *cap.* 40. inſignis Hiſtoricus: „Regia acies, varia magis multis gentibus, diſſimilitudine armorum auxiliorumque erat: ſexdecim millia peditum more Macedonum armati fuere, qui Phalangitæ appellabantur. Hæc media acies fuit, in fronte in decem partes diviſa. Partes eas interpoſitis binis elephantis diſtinguebat: à fronte introrſùs in duos & triginta ordines armatorum acies patebat. Hoc & roboris in Regiis copiis erat, & perinde cùm alia ſpecie, tùm eminentibus tantùm inter armatos elephantis magnum terrorem præbebat. Ingentes ipſi erant; addebant ſpeciem frontalia, & criſtæ, & tergo impoſitæ turres, turribuſque ſuperſtantes, præter rectorem, quaterni armati.

Haſce autem belluas Antiochus exemplo Seleu-

A ci Nicatoris aluit apud Apameam in Syria; unde inter pacis conditiones Legati Romanorum apud Apameam Phrygiæ, Regi præſcripſerunt apud Polyb. *Legat.* 35. Καὶ τοὺς ἐλέφαντας τοὺς ἐν Ἀπαμείᾳ πάντας ἀποδότω, καὶ μηκέτι ἄλλους ἐχέτω: *Elephantos omnes, quos Apameæ habet, tradito, neque alios habeto.* Qua de re etiam agit Appianus in *Syriacis.* Omnes autem elephanti, quos Romani acceperant ab Antiocho, dono dati ſunt Eumeni Pergameno; Livius *lib.* 38. *cap.* 39. „Cn. Manlius quum inter cetera, quæ accipienda ab Antiocho erant, elephantos quoque acce-
B piſſet, donoque omnes Eumeni dediſſet, deinde cauſas civitatum, multis inter novas res turbatis, cognovit: quid autem inde iis factum ſit, nec ab eo, nec ab aliis Hiſtoricis traditur.

Nec certè omittendum, Antiochum in acie habuiſſe elephantos quatuor & quinquaginta, & Scipionem tantùm cepiſſe XV. cum rectoribus, teſtibus Livio *lib.* 37. *cap.* 39. & 44. nec non Appiano, qui addit reliquos, & proinde triginta novem à Romanis fuiſſe interfectos. Quin & notandum inprimis, à Scipione in triumpho, quem de Antiocho victo duxit A. V. C. DLXIIII. oſten-
C ſos fuiſſe *eburneos dentes mille ducentos viginti*, teſte Livio *lib.* 37. *cap.* 59. Ingens profectò numerus, & ſplendidus theſaurus, qui videtur Antiocho natus fuiſſe ex mortuis elephantis, & ex tributis, quæ Indi ad eundem mittebant. Herodotus narrat, quod huc valde pertinet, Æthiopes Ægypto proximos Dario, Perſarum Regi, dediſſe tributi nomine, binos chœnices auri ἀπύρου, ducentos faſces ebeni, quinque pueros Æthiopas, *& viginti grandes elephantorum dentes*: id quod etiam ex eodem nobis memorat Plinius lib. 12. cap. 4. *Hiſtor. Natur.* addens veluti ádmirabundus:
D *Tanta ebori auctoritas erat Urbis noſtræ trecenteſimo decimo anno: tunc enim Auctor ille Hiſtoriam eam condidit Thuriis in Italia.* Et inter res pretioſiſſimas fuiſſe elephantorum dentes patet ex pompa Ptolemæi Philadelphi apud Athenæum *lib.* V. in qua Æthiopes δωροφόροι, *dona ferentes*, (non δορυφόροι, ut vulgò ſcribitur, vel *haſtati*) *alii ſexcentos dentes elephantorum, alii ebeni ſtipitum bina millia gerebant*; nec non ex Vopiſco cap. 3. *Firmi*: „Ipſe quoque dicitur habuiſſe dentes elephanti pedum denûm, ex quibus Aurelianus ipſe ſellam conſtituerat facere, additis aliis duobus, in qua Jupiter aureus & gemmatus ſede-
E ret cum prætexta, ponendus in templo Solis, Aponinis Sortibus additis, quem appellari voluerat IOVEM CONSULEM, vel CONSULENTEM, ſed eoſdem poſtea Carinus mulieri cuidam dono dedit, quæ lectum ex iis feciſſe narratur.

Quin & apud Ciceronem libro IV. *in Verrem* legimus, in Inſula Melita fuiſſe fanum Junonis antiquum, & in eo inter cetera donaria *dentes eburneos incredibili magnitudine*, hos eo fano ſublatos à Præfecto Regis Maſiniſſæ, & in Africam portatos donum Regi; eum delectatum eſſe mu-
F nere, ſed ubi audiviſſet, unde eſſent, ſtatim certos homines in quinqueremi miſiſſe, qui eos dentes reportarent, litteriſque Punicis fuiſſe inſcriptos, *Regem Maſiniſſam imprudentem accepiſſe, re cognita reponendos, reſtituendoſque curaſſe*; additque Cicero, eo in templo præterea fuiſſe vim eboris magnam, multa ornamenta, in quibus eburneæ Victoriæ, antiquo opere, ac ſumma arte perfectæ; refert eandem hiſtoriam Valer. Maximus *lib.* I. *cap.* I. *Extern.* atque inde patet, quo loco fuerint dentes elephantorum, & elaboratum ebur.

Sed ut eò, unde digressus sum, redeam, memoria elephantorum, quos Antiochus secum habuit, servata & scripta fuit in tabula, quæ Romæ quondam fixa fuit super valvas Ædis Larium permarinorum, dedicatæ à M. Æmilio Censore A. V. C. 574. votæ undecim annis antè à L. Æmilio Regillo, navali prælio adversùs Præfectos Antiochi Regis; nam in ea apud Livium *lib.* 40. *cap.* 52. legimus: *Auspicio, imperio, felicitate, ductuque ejus* (Æmilii) *inter Ephesum, Samum Chiumque, inspectante Consule, ipso Antiocho, exercitu omni, elephantisque classis Regis Antiochi antea sic victa, fusa, contusa, fugataque est*; additque Livius, eandem inscriptionem, vel eodem exemplo tabulam in Æde Jovis in Capitolio supra valvas fixam fuisse. Sigonius tamen existimat hæc verba, *inspectante Consule, ipso Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantisque*, luxata, malè in hunc translata locum, & propterea è medio tollenda esse; quia non est pugnatum præsente Consule, aut Antiocho; & quia equitatus & elephanti ad pugnam non pertinent navalem; & certè Florus *lib.* 2. *cap.* 8. tradit, *classem Regiam Polyxenidæ Annibalique commissam fuisse, Regemque prælium nec spectare potuisse*. Sed egò vellem, ut vir doctus nos docuisset; quem in locum verba illa rejicienda forent; & deinde certum est Antiochum cum exercitu fuisse in vicinia, ubi pugnatum est, & verisimile omnino eum è terra, exercitu fortè in aciem collocato & dispositis elephantis, prælium spectasse navale, & abiisse cùm videret Romanos vincere; & inde Florum scribere, eundem *prælium nec spectare potuisse*. Certum ceteroquin est, inscriptionem hanc esse valde intricatam, unde & eam *corruptissimam* dicit esse Ciacconius, haud vulgaris harum rerum judex, in *Notis ad Columη. Rostratam*; & ipse Gronovius pater, vir acris ingenii & eruditionis eximiæ, notat, sese hunc titulum miserè habitum repræsentasse, quemadmodum ex unico Libro proditus est, ut Doctis integra facultas esset divinandi; quanquam nesciam an verba, quæ Sigonius removenda putat, etiam habuerit ante oculos, quia alia in eadem tabula leguntur; quæ utique habent suas majoresque difficultates.

Antiochus quoque Epiphanes, filius Antiochi Magni, obses Romæ habitus; id quod malè patri tribuit Auctor *Macchab.* lib. 1. cap. 1. multos etiam habuit elephantos, licèt pater coactus fuerit suos Romanis tradere. Nam narrat Georg. Syncellus p. 279. *Chronographiæ* ex lib. 2. *Macchab.* illum *ingenti curruum*; (ἐν ἅρμασι, malè vertitur *armorum*) *elephantorum*, equitum, classis quoque apparatu adortum esse Ptolemæum, & vastata Ægypto intrasse Hierosolymam anno Æræ Seleucidarum CXLIII. Hæc tamen in libro illo non leguntur, ejusque *cap.* V. narratur tantùm, Antiochum ex Ægypto profectum atrociter in Judæos esse grassatum. Sed nihilominus debet sua Syncellus Auctori isti, qui *lib.* 1. *cap.* 1. ℣. 18. eadem memoriæ mandat, & ℣. 34. addit, Regem dimidium exercitum cum elephantis tradidisse Lysiæ.

Nec omittendum utique, Antiochum Epiphanem in pompa Ludorum, quos ad Daphnen Antiochiæ edidit magnificentissimos, etiam exhibuisse hasce belluas: Athenæus *lib.* V. postquam varia miranda recensuisset, addit: Ἔπειτα ἐλεφάντων ἅρμα ἓν συνωρὶς καθ' ἓνα δὲ, &c. quod nescio an rectè vertat Interpres, *currus unus, bigaque una elephantorum; elephanti singuli dispersi triginta sex*; cùm mihi videatur Auctor significare, post ea, quæ præcesserant, venisse currum, ad quem juncti erant duo elephanti, ita ut sit figura, quam Græci

A ἓν διὰ δυοῖν appellant, & hinc sequutos triginta sex alios elephantos, qui sese unus alium sequebantur; nisi fortè numerus quaternarius exciderit, & primò processerit currus IV. elephantorum, (nam & memorantur paulò antè, τέθριππα τεσσαράκοντα) & eum sequuta sit biga, hanc soli elephanti.

Sed & notandum, celeberrimum Begerum tom. III. *Thesauri Regii* edidisse nummum, cujus in una area cernitur caput fœmineum velatum, in altera elephanti, cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Σ. Et rectè puto eundem statuere, B repræsentari in illo vultum Tryphænæ, uxoris Antiochi Epiphanis, qui anno ducentesimo Seleucidarum imperavit, quem Æra, in nummo signata, vel littera Σ. denotat omnino.

Is, qui Antiocho Epiphani successit, Antiochus Eupator, habuit etiam elephantos aliquot. Nam lib. 1. cap. 6. *Macchab.* dicitur *cum magno exercitu & XXXII. elephantis Judæos adortus esse*, quo eodem capite cùm describatur illorum apparatus, rectè me facturum existimavi, si locum illum supponerem, ut Elephas meus ornatior procedat. „Elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & mori „ad acuendos eos in prælium: & diviserunt be- C „stias per legiones, & adstiterunt singulis ele„phantis mille viri in loricis concatenatis; & ga„leæ æreæ in capitibus eorum; & quingenti „equites ordinati unicuique bestiæ erant. Hi ante „tempus ubicunque erat bestia, ibi erant, & quo„cunque ibat, ibant; & non discedebant ab ea. „Sed & turres ligneæ super eos firmæ protegentes „super singulas bestias, & super eas machinæ, & „super singulas viri virtutis triginta duo, qui pu„gnabant desuper, & Indus magister belluæ: mox additur, Eleazarum in prælio vidisse elephantum regiè ornatum, eminentemque super cæ- D teros; putasse, Regem illo vehi, subiisse propterea ventrem, belluam occidisse, ipsumque cadentis pondere oppressum. Hoc factum & hanc Eleazari virtutem conservavit etiam Josephus lib. 12. *Antiq.* cap 14. & lib. 1. cap. 1. *Belli Jud.* Suidas in V. Ἀντίοχος, Cedrenus p. 164. nec non Georg. Syncellus p. 281. Notandumque inprimis, Eleazarum videri existimasse rectorem belluæ fuisse Regem; nam Josephus scribit, Judæum contingere non potuisse illum, quem Regem esse putabat, διὰ τὸ ὕψος, *propter altitudinem*, quia scilicet sedebat in excelso elephanto; & mox addit: ὅγε μὴν κυβερνῶν τὸν ἐλέφαντα ἰδιώτης ἦν, *qui re-* E *gebat elephantum, privatus erat; & si contigisset fuisse Antiochum, nihil plus Eleazaro præstitisset audacia, quàm ut sola spe præclari facinoris, mortem videretur optasse.*

Præterea persuasus ferè sum, Auctorem libri 2. *Macc.* cap. 13. de eadem re loqui, licèt Eleazari non faciat mentionem, & narret tantùm, *maximum elephantorum cum his, qui superpositi fuerant, occisum esse*. Vaillantius certè, in *Historia Regum Syriæ*, hæc facta distinguit, & quod memoratur lib. 2. *Macc.* cap. 13. putat noctu actum esse, & tunc Judam invasisse castra Bethsuram obsidentia; F alterum verò Eleazari postea in justo prælio, prope fauces, ubi Judas fuerat castrametatus. Neque ego à viro inprimis erudito dissentire constitui, maximè cùm Auctor *Macchab.* dicat *noctu occisa quatuor millia*, & Josephus tantùm *sexcentos, excepto fortiter à Juda primo hostium impetu*; quæ utique satis magna est differentia. Sed mirum profectò Josephum, diligentem ceteroquin Scriptorem, nullam nocturni congressus facere mentionem; imò unum tantùm recenset, in quo Eleazar tam fortiter se gessit; si conferantur loca Auctoris librorum 1. & 2. *Macchab.* patebit facilè,

cilè, eos idem bellum, quod Antiochus Eupator anno Æræ Seleucidarum 150. patre Epiphane mortuo anno præcedente, contra Judæos movit; sique de eodem elephanto agitur, mirum profectò tam valde discrepare numerum occisorum militum, qui uti videtur suadere historias hasce diversas esse, ita reliqua omnia haud obscurè testantur, unam hanc esse eandemque; quod Lectoris judicio permitto.

Quin & notatu inprimis dignum, Capnionem vel Reuchlinum lib. 3. *de Cabbala*, ita loqui de hac historia: „Fuit quondam in diebus Antiochi „Eupatoris, Judas Mattathiæ filius, bellator no„bilis, & Dux belli pro legibus, templo, civita„te, patriâ, & civibus Judæorum, acerrimus: „contra quos cùm jam Antiochus, & illius omnis „exercitus irruerent, dedit Judas Angelo moni„tus commilitonibus suis, ceu belli tesseram, hoc „nobile signum מכבי, ut se quatuor his litteris for„titer in pugna exhortarentur, promittens, quòd „futurum esset signum victoriæ Dei; quod Ju„dæorum milites animo læto in vim magnæ con„solationis acceperunt, & sub eo signaculo vali„dè pugnantes interfecerunt in castris Antiochi „virorum 14000. & INGENTEM NVME„RVM ELEPHANTORVM cum iis, qui su„perpositi erant. Quo factum est, ut princeps „belli Judas, sic antea dictus, deinceps ab omni„bus Machabai cognominaretur, eò quòd hi qua„tuor characteres syllabicè ita sonarent.

Et observatione dignum est, Josephum uno loco Eupatori tribuere *elephantos* XXXII. altero *octoginta*: Auctorem libri I. *Macchab.* itidem *duo & triginta*, libri verò 2. *viginti duo*, Cedrenum LV. γεγυμνασμένους πρὸς πόλεμον, & *habuisse insuper viginti millia equitum*, *peditum centum millia*, *currusque trecentos.* Nam & in hisce copiis recensendis variant Auctores mirum quantum; & eundem quidem numerum equitum & peditum, nec non *præeuntes aciem cum ingenti terrore elephantos*, servat nobis Severus Sulpicius; Josephus verò in *Antiq.* numerat *peditum propè centum*, *equitum viginti millia*; ast in libris *de Bello Judaïco*, πεζῶν μυριάδας πεντήκοντα, *quingenta millia*, ἱππεῖς δὲ εἰς πεντακισχίλια *quinque millia equitum*; quæ certè differentia notabilis valde est, & nescio an Auctori ipsi adscribi debeat, an verò corruptis exemplaribus. Neque ullibi lectum in Historia illorum Regum, aliquem tot millia peditum habuisse.

Sed illud insuper notandum est, in *Macchabæorum Historia* tradi, *elephantis* ostensum fuisse *uvæ & mori* succum, quia rubro sanguineoque colore belluæ illæ in prælium acui atque incendi putabantur. Et huc pertinet omnino, quod Plutarchus narrat in libro *de Præc. Conjugal. illos*, *qui ad elephantos accedunt*, *non induere* ἐσθῆτα λαμπρὰν, *vestem splendidam*, *nec* φοινικίδας, *puniceas*, *eos*,

A *qui ad tauros*; *quia his coloribus animalia illa in rabiem convertuntur*: ubi omnino *vestis* λαμπρὰ est *purpurea*, *coccinea*, uti patet ex iis quæ illustris Salmasius notavit *ad Tertulliani Pallium.*

Præterea mirum est, unde Antiochus Eupator elephantos nactus sit, cùm omnes ipso Rege jussu Romanorum fuerint occisi. Nam Polybius narrat, Antiocho Epiphane mortuo, Demetrium, Seleuci, natu majoris filiorum Antiochi Magni, filium, obsidem Romam à patre missum, repetiisse paternum regnum; sed Senatum illud adjudicasse Antiocho Eupatori, admodum puero; Cn. Octavium, Sp. Lucretium, & L. Aurelium Le-
B gatos missos administrando regno, illisque mandatum esse, uti ante omnia, *naves tectas comburerent*, μετὰ δὲ ταῦτα τοὺς ἐλέφαντας νευροκοπῆσαι, *deinde ut elephantis nervos inciderent.* Narrat eandem historiam Appianus in *Syriacis*; additque, quendam Leptinem, indignè ferentem, occidi belluas mansuetas & raras, navesque cremari, Cn. Octavium, Legationis principem, dum ungebatur in gymnasio Laodiceæ interfecisse; cujus facinoris memoriam etiam conservavit Cicero *Phil.* IX. *Nam cùm esset missus* (Cn. Octavius) *à Senatu ad animos Regum perspiciendos*, *liberorumque*
C *populorum*, *maximéque ut nepotem Antiochi Regis*, *ejus*, *qui cum Majoribus nostris bellum gesserat*, *classes habere*, *elephantos alere prohiberet*, *Laodiceæ in gymnasio à quodam Leptine est interfectus.* Atque cùm Antiochus Eupator habuerit sibi elephantos, & quidem ad bellum instructos, sequitur planè vel omnes à Romanis non fuisse sublatos, vel alios eundem Regem sibi comparasse; vel potiùs cum Vaillantio, egregiæ viro doctrinæ, tempora distingui, & bellum Judæis illatum referri debere ad annum Seleucidarum 149. Romanorum verò Legationem ad sequentem.

Syriæ inde Reges alii, Seleuci Nicatoris itidem
D Successores, elephantos possederunt, illisque usi sunt sive in pompis, sive in bellis. Notabilis inprimis est λυχνοφόρος, *lampadem gerens*, in nummo Antiochi, cognomine *Epiphanis Dionysi* vel *Bacchi*, qui anno Æræ Seleucidarum CCXXV. vel XXVI. regnare cœpit; editus est ab illustri Spanhemio in *Dissert.* à Vaillantio in *Histor. Regum Syriæ*, nec non à Laur. Begero in *Thesauro Regio Brandeburgico.* Similis exstat in Museo Jacobi de Wilde cum *stella* post caudam belluæ, & litteris ΣΤΑ. quæ cùm in alio etiam Antiochi ejusdem nummo obviæ sint, dubitat Vaillantius num ad
E urbem aliquam, an verò ad Epocham Seleucidarum referri debeat; quod ultimum mihi tamen nequaquam admitti posse videtur, quia ita saltem littera Τ. ante Σ. collocata fuisset, ne quid de aliis rationibus dicam. Cùm autem in uno illorum Nummorum tres illæ non compareant, sed tantùm Cornucopiæ, in altero autem stella, rectè me facturum putavi, si utriusque ectypum exhiberem:

Quin & postea vir amplissimus & doctissimus (neque enim hanc laudem infra dignitatem suam esse putat) Nicol. Witsen, Reip. Amstelædamensis Consul, & summis in Rep. Fœderatæ Belgicæ
F honoribus, Legationeque ad potentissimum Angliæ Regem Guilelm. III. functa illustris, mihi dono dedit similem planè priori Antiochi Regis nummo, quem in *Thesauro Regio* exhibuisse dixi Be-

gerum. Et quàm valde Consul ille faveat, in- A
cumbatque colligendis prisci hisce ævi reliquiis, patebit ex alio, mihi itidem dato, nummulo æreo, & quidem rarissimo; in quo hinc cernitur caput fœmineum, inde verò elephas cum epigraphe, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Quin & ejusdem ectypum mecum communicavit Gallandus, vir antiquarum rerum inprimis intelligens & Præfectus Gazophylacio, quod instructissimum possidet illustris Foucautius, Juri dicundo Normanniæ Inferiori Præfectus, & Regi à Consiliis; & quia in hoc ultimo picta est nota ΙΑ, quam vir insignis & amicus meus singularis B
putat esse compositam ex Α. & Ι. utrumque exhibere volui:

Verùm & similis planè nummus editus est in tomo III. *Thesauri Regii & Electoralis Brandeburgici*, atque ex præclara Gaza illa eundem nobis exhibet illustris Spanhemius p. 440. *Dissertation.* suarum Edit. Londin. Putat autem Gallandus in C
hoc nummo nobis exhiberi Bacchi caput hederâ coronatum, & pertinere ad Alexandrum II. Regem Syriæ: Legatus verò & Consiliarius Borussorum Regis existimat, eundem nummum referri debere ad Alexandrum Theopatora, & in eo exhiberi vultum Cleopatræ, conjugis Regiæ, & filiæ Ptolemæi Philometoris; eumque signatum esse Apameæ, quia elephas solitus, id quod jam docui, ejus urbis typus, & rectè me facturum existimavi, si & eundem exhiberem:

D

Victis autem à Romanis Antiochis, & Seleucidarum regno redacto in formam Provinciæ, non videntur Asiæ Reges, qui cum Romanis bellarunt, usi esse in bello elephantis; Mithridatem E
certè & Tigranem aliosve id fecisse, mihi lectum non est; & Appianus in luculenta descriptione triumphi, quem de victis multis Regibus & gentibus duxit Cn. Pompejus Magnus, nullam *elephantorum* facit mentionem; id quod proculdubio fecisset, si fuissent utique capti, & in triumpho ducti, si Mithridates vel alii Reges iis pugnassent. Notandumque, Dionem *lib.* 36. memorare & recensere inter Mithridatis impedimenta, *equos & camelos*, nullos autem elephantos.

Quin & hîc monendum est, Cosmam Indopleustam Hunnos collocare in parte Septentrionali F
Indiæ; & narrare, eorum Regem, nomine Gollam, obsidione cinxisse urbem Indiæ, quæ undique aquis erat cincta, & inde quasi invicta. Eam tamen in potestatem esse Regis redactam, *quia ejus equi & elephanti omnem illam aquam potarunt*, tandemque ordinariè illum in exercitu habuisse mille elephantos.

CAP. VIII.

Reges Macedoniæ, Alexandri Successores, Elephantis bellarunt, Antipater, Antigonus; qui iis Megaram oppugnavit, sed fugati suibus pice illitis, eâque accensâ; inde instituit eos cum Elephantis alere: Ælianus & Polyænus explicantur: Nicæa, *Elephas fœmina, curam gerit infantis; Demetrius Poliorcetes, cui* Νίκων *Elephas; Ctesias notatus; Antigonus Gonatas; eorum usus in obsidionibus ad evertendos muros, & propugnatores depellendos. An ad Demetrium Poliorcetem, vel Demetrios Asiæ Reges, Nummi, quibus inscribitur* ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ, *cerniturque caput Elephanti, pertineant? Ægidii Lacarry error; Elephantorum nomina propria; Harduinus laudatus; Catonem omisisse in Annalibus Imperatorum vel Ducum nomina propria, (quod & factum in Columna Rostrata) variis exemplis docetur; Elephantorum autem nomina conservavit; illi præter nomina etiam habuerunt cognomina; Plinius expositus. Quot milites fuerint in turribus Elephantorum dorsis impositi, numerus valde variat; major sex propugnatoribus fuit, secus quàm putant Grentemesnilius & Bochartus; ut & Ludolfus ac Freinshemius; Juvenalis illustratus;* ὄχλος, cohors, turma, *semper de numero majore. Elephanti Indici majores Africis & Æthiopicis; subinde tamen etiam hi magni; Plinius malè intellectus; Plautus explicatus.*

SEd ex Asia in Europam transeundum tandem est, & videndum, qui Alexandri Successores in ea Orbis parte elephantis in bellis usi sint. Narrat Ælianus lib. 16. *de Animal.* cap. 36. Antipatrum in obsidione Megaræ *elephantos* adhibuisse, & addit quomodo suibus pice oblitis & incensis vim belluarum eluserint: quam eandem historiam cùm conservaverit Polyænus lib. 4. cap. 6. §. 4. *Strateg.* illius tantùm verba, uti ab Interprete versa sunt, supponam: *Antigonus* (nam illi, non autem *Antipatro*, obsidionem illam attribuit) *in oppugnatione Megarorum elephantos adduxit. Megarenses sues liquida pice ungebant, eâque incensâ dimittebant. Quæ cùm urerentur igni, grunnientes incitato cursu in elephantos incidebant. Illi metu perciti & conturbati, alius aliò fugiebant. Antigonus in posterum Indis mandavit, ut sues cum elephantis alerent, ut ad earum adspectum grunnitumque ferendum belluæ assuefierent.* Quin & ipse Ælianus *lib.* 11. *cap.* 14. hanc obsidionem tribuit Antigono, narratque elegantem historiam, quæ omnino ad argumentum meum pertinet, quamque etiam conservavit Athenæus *lib.* 13. *cap.* 8. licèt nec Regis nomen, nec Megarenses memoret. Scribunt igitur bini illi Auctores, unà cum elephanto bellatore nutritam esse fœminam elephantem, cui nomen *Nicæa*; uxorem Indi, qui eos regebat, moribundam, patriâ linguâ infantem triginta dierum, belluæ fœminæ commendasse; hanc illius sin-

singularem & vix credibilem gessisse curam, muscas abegisse, cunas movisse, & alia fecisse, quæ sunt nutricis diligentis & fidæ. Non dubito autem, quin designetur Antigonus, qui mortuo Alexandro tenuit Phrygiam majorem, Lyciam & Pamphyliam, & ita crevit, ut ferè toti Asiæ imperaret, quique etiam in Europa bellavit, uti patet ex variis Auctoribus, & Stratagematibus, quæ Polyænus dicto capite nobis recenset; tandemque ab Antipatro Iolai filio, qui creditur Alexandrum veneno sustulisse, utpote amico, contra Perdiccam fuit adjutus; unde fieri potuit, ut ambo Megara oppugnaverint, hicque Historicus illum, alius alterum nominaverit. B Quod autem Polyænus scribit, jussisse Antigonum ut sues alerentur cum elephantis, Ælianus videtur tradere, hoc nutritores elephantorum antea etiam fecisse: Συνειδότες οὖν ἐκ τούτων οἱ πωλοτρόφοι τῶν ἐλεφάντων, ὗς παρατρέφουσιν αὐτοῖς ὥς φασιν, ἵνα καὶ ἐκ τῆς συνηθείας ἧττον ὀρρωδῶσιν αὐτάς. *Cujus rei non ignari educatores generis elephantini unà cum suibus pullos alunt, ex consuetudine eos ut minùs horreant.*

Demetrius Poliorcetes, Antigoni filius, cùm Rex esset Macedoniæ, Pyrrhus regnum illud occupavit; C isque Argos vel ante, vel post adquisitionem illam, obsidione premens, elephantis usus est, fuitque illi unus, cui Νίκων, *victor*, nomen fuit; illis turres, ex quibus armati pugnabant, imposuit; cúmque vix videantur belluæ illæ alicujus usus fuisse in obsidionibus, & tamen illud factum sit, crediderim eas adhibitas ad subruendos muros, & ut armati ex altis turribus murorum propugnatores depellerent. Nam tales secum habuisse Indorum Regem ex Ctesia docet Ælianus *de Anim.* lib. 17. cap. 29. nam cùm nar-

A rasset ante Principem eum bellaturum ivisse centum millia elephantorum bellatorum, addit, subsequuta esse aliorum maximorum & fortissimorum tria millia, instituta ad muros incursu evertendos pectorum suorum vi & impetu. Et quanquam Ctesias hoc se audivisse scribat apud eundem Auctorem, tamen ego illud germanis fabulis accensendum esse judico, præcipuè numerum; nam quamvis elephantorum vis præcipua in proboscide sit, & illâ arbores dejicere & exstirpare possint, uti ibidem sequitur, eos palmas Babylone exstirpasse, tamen & corpore valuerunt, murosque dejicere possunt, præcipuè si non sunt crassi valde & firmi; & tales elephantos apud Photium Agatarchides appellat eleganter τειχοκαταλύτας, *murorum eversores*; quò pertinet aliquo modo, Jobum Ludolfum, virum utique insignem, tradere in *Historia sua Æthiopica*, naves, recenter constructas in India, operâ elephantorum in mare propelli, quod alibi nonnisi magno hominum numero & labore fieri solet.

Pyrrhus in bello contra Romanos elephantis pugnavit, qua de re cùm agere constituerim in *Exercitatione* II. nunc persequar Macedoniæ Reges, quorum Poliorcetes Demetrius mihi etiam dicendus est, licèt & ita in Asiam regredi debeam.

Hic igitur Cassandri, geniti Antipatro, tribus filiis, Philippo, Antipatro, (quem alii Antigonum, notante, sed non probante Ruperto, vocant) & Alexandro fato brevibus successit; & fallor, aut ex binis æneis Nummis patebit quoque eum elephantos habuisse. Communicavit eorum ineditorum ectypos Jacobus de Wilde, vir insignis humanitatis, & horum monumentorum ultra fidem studiosi; in una area pictum est caput equi, in altera elephanti, cum inscriptione, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ; uti ex ipsis patet:

Minori similem & ipse postea nactus fui; & quanquam alicui videri possit, illos pertinere ad Demetrios Syriæ Reges, tamen do considerandum, an non potiùs Poliorceti sint adjudicandi, quia similes nullos in *Historia Regum Syriæ* recenset Vaillantius. Fabrica certè stare pro Syriæ Regibus videtur; sed Demetrius Poliorcetes etiam Syriam tenuit, & potuerunt hi Nummi ibi signati esse. Nam Diodorus *lib.* 19. memoriæ mandat, Antigonum conspicientem, Cassandrum Asiam sibi vindicare, filium Demetrium XXII. annorum juvenem cum mandatis in Syria reliquisse, ipsique inter ceteras copias dedisse *elephantos plures quàm quadraginta*. Quin & ibidem legimus, eundem Demetrium, cùm audivisset res prosperè à Ptolemæo geri, & captas urbes esse varias, Pithonem reliquisse in Cava Syria *cum elephantis & gravi armatura*, & inde, unde venerat, regressum; prælium inivisse cum Ptolemæo & Seleuco, & *ante cornu sinistrum collocasse elephantos triginta*; Ptolemæum belluarum ferocitatem fecisse irritam, & plerisque Indorum, qui eam regebant, confossis, *cunctas redegisse in potestatem.* Notandumque inprimis, non patere ex Diodoro ullos tunc temporis fuisse elephantos Ptolemæo vel Seleuco, eosque belluis Demetrii opposuisse milites, qui vallum ferrent præmunitum & catenis revinctum, ἣν παρεσκευάσαντο πρὸς τὴν τῶν ἐλεφάντων ἔφοδον,

D *quem fabricaverant contra elephantorum impetum.*

Atque inde patet haud obscurè, Nummos illos non incommodè referri posse ad Demetrium Poliorcetem, quamvis serram reciprocare nequaquam velim, si quis Demetrios, Syriæ Reges, eligat; obiter tamen, bonâ Lecturi veniâ, monebo, Ægidium Lacarry, doctum valde Jesuitam, malè tribuere Poliorcetæ nummum inscriptum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, *Regis Demetrii Dei Nicatoris*, vel *Victoris*; cùm absque dubio pertineat ad unum ex Demetriis Syriæ Regibus, uti virum egregium vel ipsa illa cognomina docere debuissent, quæ Macedoniæ Regi- E bus non fuerunt usitata; & inde Vaillantius felix harum rerum judex eundem nummum tribuit Demetrio II. Regi Syriæ.

Antigonus Gonatas vulgò dictus, quia Gonis Thessaliæ natus & educatus fuit, Demetrii Poliorcetæ filius, etiam possedit elephantos; nam Justinus *lib.* 26. *cap.* 1. narrat, eum *ostendisse Legatis Gallorum*, qui à Brenno Duce ad terminos gentis tuendos relicti, fugatis Getarum & Triballorum copiis, Macedoniæ imminebant, *elephantos ad terrorem, velut inusitatas Barbaris formas.* Nec dubium quin & alii Reges Macedoniæ elephantis usi sint, quanquam, quantùm equi- F dem sciam, illorum non faciant Historici mentionem.

Ars-

Atque ita quidem absolvi Alexandri Magni Successores, & ad aliud transirem Caput, nisi hoc ipso disserendum etiam foret, de nominibus elephantorum, & de numero militum, qui in turribus elephantorum dorsis impositis pugnabant. Nam primò ex iis quæ disserui constat, elephantem fœminam dictam fuisse *Nicæam*, & marem *Nicona*; & inde docemur, unamquamque belluam suum sibi nomen habuisse. Plinius scribit quapropter etiam Antiocho Regi fuisse elephantem, cui nomen *Ajax*, & alium, qui *Patroclus* vocabatur, *lib.* 8. *cap.* 5. cujus verba integra supponam, quia valde faciunt ad illustrandam animalium horum indolem: „Antiocho vadum fluminis experienti renuit Ajax, alioquin dux agminis semper. Tum pronuntiatum, ejus fore principatum, qui transisset: ausumque Patroclum, ob id phaleris argenteis, quo maximè gaudent, & reliquo omni primatu donavit. Ille, qui notabatur, inediâ mortem ignominiæ prætulit. Mirus namque pudor est, victusque vocem fugit victoris; terram ac verbenas porrigit: quæ multò auctiora Lipsius, ingens illud Belgicæ quondam decus, ex Plinio producit in Epistola, quâ de elephantis agit, quæque lectu est dignissima; quod qua ratione fieri potuerit, ego quidem ignoro planè. Philostratus quoque tradit, elephanto, quem post victum Porum Alexander Soli consecravit, *Ajacis* nomen fuisse inditum. Atque ita etiam in Africa belluæ illæ sua habuerunt nomina; quam in rem notatu inprimis digna sunt Plinii verba; quæ eodem capite leguntur: *Certè Cato, cùm Imperatorum nomina Annalibus describeret, eum*, (elephantum) *qui fortissimè præliatum esset in Punica acie*, SVRVM *tradidit vocatum, altero dente mutilato*: ubi Harduinus, egregiæ vir doctrinæ, ex Codd. Regiis, ceterisque melioris notæ, scribit, *detraxerit*, id est, Cato Imperatorum Punicorum nomina Annalibus suis non inseruit; idem tamen nomen elephanti, qui tunc fortissimè fuerat præliatus, referre operæ pretium duxit.

Atque elegans hæc emendatio firmatur loco eleganti apud A. Gellium *lib.* 10. *cap.* 24. ubi Annibalem, uti equidem puto, appellat Cato *Dictatorem Carthaginiensium*, & alterum ab eo Ducem, *Magistrum equitum*, omissis nominibus propriis; quomodo & libro IV. *Originum*, quo egerat de primo bello Punico, apud eundem *lib.* 5. *cap.* 21. Ducem Carthaginiensium nominat *Imperatorem*; & apud eundem *lib.* 3. *cap.* 7. *Tribunum militum* memorat, absque mentione nominis illius proprii. Et hæc, atque adeò Harduini, multæ lectionis viri, sententiam, confirmat egregiè Corn. Nepos cap. 3. *Vitæ Catonis*: *Ob quam rem omnes, Origines videtur appellasse. In quarto autem bellum Punicum primum; in quinto secundum. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta; reliquaque bella pari modo persecutus est, ad Præturam Sergii Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum bellorum Duces non nominavit; sed sine nominibus res notavit.* Hæc verba certè clarissima sunt, atque adeò obvia, adeò ut mirer Harduino ea præterita esse; & ostendunt illa clarè, Catonem Ducum & Imperatorum omnium bellorum, de quibus egerat, nomina silentio involvisse, nec prodidisse vel Romanorum, vel Carthaginiensium, uti etiam haud obscurè ex Gellio patet; cujus tamen ultimo in loco memoratur *Leonidas*; quia scilicet nihil illi commune cum bellis, quæ descripsit Cato, & jam diu mortuus erat; atque tantùm in exemplum adfertur, cui honorem eum habere potuit, & simul non recedere à proposito.

Et fortè id fecit Cato imitatione veterum Romanorum, qui in Columna Rostrata, quam A. V. C. 493. Duillio posuerunt ob res terra marique feliciter gestas contra Pœnos in Sicilia, appellant Amilcarem *Summum Magistratum*, & Annibalem Guisconis filium *Maximum Dictatorem*, nominaque propria omiserunt, quia fortè Romani ea non satis benè exprimere poterant.

Sed, ut pergam, è diverticulo rediens in viam, id etiam posterioribus fuit observatum; ita elephantum, quem Aaron Rex Persarum dono misit Carolo Calvo, fuisse appellatum *Abalabaz*, postea annoto, & alterum, qui Leoni X. missus fuit à Portugalliæ Rege, *Hannonam*. Quin & priùs annotat etiam ad Eginhartum doctissimus Schemckius, ante quem tamen me istud observasse sanctè testor, additque vir præstanti eruditione, Arabiæ quendam Principem habuisse elephantum, cui nomen *Mahmoud*, id est, *laudabilis*, quia nolebat in obsidione Meccæ ad muros accedere propter loci reverentiam; & in Imperio Magni Mogolis obtinere hodie, ut belluis illis imponantur nomina magnifica; primarium dici *Orang-gas*, princeps elephantum; alium *Dulsingar*, quæ vox notat *terrorem exercituum*.

Quin & elephanti non modò habuerunt nomina, verùm etiam cognomina illis data videntur fuisse; ita enim Plinius pergit loqui: *Antipater auctor est, Antiocho in bellicis usibus celebres etiam* COGNOMINIBVS *fuisse*; *etiam novere ea*; id est, nisi me fallo, elephantos à rebus benè gestis accepisse cognomina, atque ea non secus ac ipsa nomina, de quibus antè loquutus erat *Historiæ Naturalis* Auctor, novisse; neque enim *cognomen* hic idem quod *nomen* esse, quia emphaticè hæc de belluis illis narrantur.

Alterum, de quo hoc eodem Capite agere promisi, est numerus militum, qui ex elephantis pugnabant; idque factùm occasione obsidionis Argorum, in qua Pyrrhus turribus imposuit armatos, & ita urbem oppugnavit. Variant valde Veteres, eorumque exemplo Recentiores; & ita ex lib. I. *Macchab.* cap. 6. ✠. 37. narratur in singulis elephantorum turribus fuisse *viros virtutis*, vel *milites fortes duo & triginta, qui pugnabant desuper, & Indum magistrum bestiæ*. Grentemesnilius tamen & Bochartus, raræ & perfectæ eruditionis viri, hunc numerum nimium esse putant; & ultimus docet, unum elephantem ad summum sex tulisse bellatores, atque inde lib. 2. *Macchab.* cap. 13. ✠. 15. *primarium elephantum* σὺν τῷ κατ' οἰκείαν ὄχλῳ *cum caterva, quæ erat in domo*, id est, *turre superposita, occisum esse* legi; quia duo vel tres non dicerentur ὄχλος, *caterva*, vel *multitudo*; quot Grentemesnilius Auctori *Macchabæor.* reddit, deleta voce τριάκοντα, quam perperam repetitam putat, scribendumque esse δύο ἢ τρεῖς.

Et quanquam viri illi eximii, nec non amplissimus Ludolfus in *Notis ad Histor. Æthiop.* & Freinshemius in Indice Curtii, corruptum in *Macchabæorum Historia* numerum putent, tamen pro *triginta duobus pugnatoribus* stare Juvenalis videtur, cùm canit:

Horum majores & dorso ferre cohortes
Partem aliquam belli, & euntem in prælia turmam.

Neque enim mihi ullo modo verisimile, Poëtam *cohortes* & *turmam* alligasse duobus vel tribus, vel ad summum sex militibus ex turribus, quæ elephantorum dorsis erant impositæ, pugnantibus. Quin & ipsa vox ὄχλος etiam in altero loco obvia, non obscurè indicat, plures quàm sex propugnatores, quem numerum Bochartus summum esse existimabat, in una turri fuisse dispositos. Certè

Certè Philostratus lib. 2. cap. 6. *de Vita Apollonii* narrat, apud Indos *quindecim* ex turribus singulis pugnasse, & M. Paulus Venetus *viginti*, uti ipse ex eo observavit vir præstantissimus. Sunt Eruditi, qui existimant, Auctores, qui tam paucos bellatores elephantis tribuunt, loqui de Libycis & Æthiopicis, alios verò de Indicis, qui certè longè majores & fortiores sunt. Herodotum tamen in Africa fuisse *elephantos supra modum grandes* tradere opinantur nonnulli Eruditi, sed ego apud eum *lib*. 4. *cap*. 19. invenio tantùm *serpentes* ὑπερμεγέθεις, *& leones*, *elephantos & ursos*; & ad ultima animalia magnitudo illa non extenditur, uti vel ipsa Græca verba docent, καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους (nempe *serpentes*) εἰσὶ καὶ ἐλέφαντες. Neque tamen à ratione alienum est, magnos etiam in Africa subinde elephantos nasci: nam Juvenalis *Sat*. 10. vers. 156. memorat, *Æthiopum populos & altos elephantos*; Auctoresque *Itinerarii Siamensis* ex unius vestigio, cujus diameter duorum pedum & dimidii erat, collegerunt prope Bonæ Spei Promontorium maximos esse. Plinius quoque scribit *lib*. 8. *cap*. 10. in extremo Africæ, quà confinis Æthiopiæ est, dentes elephantorum postium vicem domiciliis præbere, eosdemque loco palorum in sepibus & stabulis esse, auctoribus Gulussa Regulo & Polybio; unde utique conjectura aliquo modo fieri potest de dentium eorum magnitudine. Quò pertinet insuper Tavernierum narrare in regno Sabia, sito in ultima Africa, plurimos elephantos esse, & incolas eorum dentibus munire vicos suos: *Ils apportent aussi*, ait, *quantité de dents d'élephans, & disent, qu'il y en a tant dans le pays, qu'on les voit par troupes en campagne, & que toutes les palissades de leurs forteresses & de leurs parcs ne sont que de dents d'élephant.*

Sed ut è diverticulo redeam in viam, Plautus etiam ex opinione Erycii Puteani, & Hermanni Hugonis, *quindecim armatos* turri tribuit, *Mostell*. Act. 2. Sc. 1. ℣. 10.

Vel isti, qui hastis trium nummorum causâ subeunt sub falas?
Ubi aliqui quindenis hastis corpus transfigi solent.

Quia scilicet, explicante Nonio, *Falæ sunt turres ligneæ, quales elephantis impositæ*. Sed Lipsius meliori jure existimat, servum Comicum irridere milites Romanos, qui trium assium pretio auctorati castella & turres ligneas hostium subirent, hastis aliquot configendi; cum quo paria facit Vossius pater, nisi quòd per *nummos* non *asses*, sed *obolos* designari putet, quorum quatuor denarium vel drachmam conficiunt. Et certè illud *subire* non convenit turribus elephantorum dorsis impositis, adeò uti in illo Plauti loco vel nullum vel dubium sit præsidium majori numero; cui tamen valde opitulatur nota viri docti admodum *ad Gellium lib*. 5. *cap*. 5. *Noct. Attic. Turres*, ait, *eorum dorsis imponebantur, ex quibus milites pugnabant, tela hastasque jacientes, uti Polybus lib*. V. *ostendit. Complures milites turribus imponebantur, nonnunquam sexaginta, uti à Julio Cæsare factum testatur Plinius lib*. 8. *cap*. 7. Si enim verba hæc benè capio, illa mihi non aliter videntur posse exponi, quàm ex una turri pugnasse milites sexaginta; id quod tamen nullo modo narrat nobis Plinius, quippe qui *viginti elephantis turritis sexagenos propugnatores* tribuit; id est, singulis tres. Atque ita Livius *lib*. 37. *cap*. 40. scribit impositos fuisse turribus elephantorum Antiochi Magni, qui proculdubio *Indi* fuerunt, *quaternos armatos* præter rectorem: & Ælianus lib. 13. cap. 9. *Histor. Anim.* ἐπὶ θωρακίῳ in turri elephantorum bellatorum, vel etiam ἐπὶ τοῦ νώτου γυμνοῦ, *in nudo dorso*, fuisse tres πολεμιστάς, & quartum, rectorem nempe, ἅρπην κατέχοντα διὰ χειρῶν, *tenentem ferrum incurvum*. Quæ singula dum perpendo, tutissimum est statuere, numerum bellatorum, qui imponebantur turribus elephantorum, non fuisse definitum, & modò videri admodum parvum, modò majorem longè fuisse, prout necessitas efflagitare videbatur; atque adeò etiam elephantos elephantis, turres turribus majores, & rationem proculdubio habitam fuisse magnitudinis. Addendum autem omnino, Robertum Coverte Anglum cap. XII. *Itinerarii sui*, quod in Belgicam Linguam transfusum exstat tom. XXIII. Collectionis Petri vander Aa, narrare, Elephantem Magni Mogolis ad bellum gerendum proficiscentis onerari turri lignea, in ea esse IV. tormenta bellica, & X. milites armatos arcubus & sagittis.

CAP. IX.

Elephanti, veluti parerga, in Nummis Atheniensium, Neapolitanorum, & Tarentinorum; in causam hujus rei inquiritur, disputaturque an sit nota Monetariorum; Lazii error; ineditus Tarentinorum nummus; Elephas in alio Neapolitano nummo major, si modò genuinus; Capacius notatus. Elephantorum relligio; Solem & Lunam venerantur, ille expressus in nummo Neapolitano; in alio Augusti, Saxoniæ Ducis, & Cardinalis Zabarellæ: Elephanti in Nummis Catanensium, disputatur an genuini: suspecta fides Petri Carreræ; Inscriptio ab eodem supposita; imò tota Historia; Epistolæ Diodori & alia, mirifica somnia. Elephas in nummo Friderici III. *Siciliæ Regis.*

ABsoluta igitur historia elephantorum, quos Alexandri Successores possederunt, & quibus in bellis & pompis usi sunt, ad alia, quæ ad argumentum, quod ornandum mihi sumsi, pertinent, video mihi transgrediundum esse, antequam me conferam ad Romanos, & Carthaginienses, Regesque qui cum victore Gentium Populo bellarunt. Et primò quidem sese mihi offerunt Nummi varii, qui vasto hoc animali sunt signati: estque Atheniensium elegans valde, editus à Goltzio Tab. XIV. *Græciæ*, cujus in una area repræsentatur caput Minervæ galeatum, in altera noctua cantharo dioto insistens, & parvus elephas, veluti πάρεργον, cum inscriptione, ΑΝΤΙΟΧΟΣ ΚΑΡΑΙΧΟΣ ΣΚΥΜΝΟΣ, uti ex ectypo clarissimè patebit:

Vulgavit olim similem nummum Lazius, vir eruditione præstanti, lib. 2. *Rerum Græcarum*, sed malè ex elephanto facit *bovem*; id quod eò magis mirum mihi videtur; quia in ipso apud eundem nummo elephas pictus est. Hujus autem moris ratio in obscuro est, & certè mihi latet, adeò ut conjecturis res sit gerenda, isque palmam ablaturus sit, qui certiora divinaverit. Elephas Athenis pictus fuit, cujus mentio apud Themistium in Libro *De Memoria & Reminiscentia*, apud Meursium, promum illum condum Græcarum Antiquitatum, in *Athenis Atticis* *; Ἡ αἴσθησις καθ' αὑτὸ μὲν ὁρᾷ τὸν Ἀθήναις γεγραμμένον ἐλέφαντα· κατὰ συμβεβηκὸς δὲ τὸν Ἰνδίᾳ νεμόμενον: *Sensus per se quidem videt elephantem Athenis depictum; per accidens verò eum, qui in India pascitur.* Neque tamen puto ad illum respexisse eos, qui nummum signari curarunt; licèt id amplectatur præstantissimus Begerus, ingens dum viveret, & nunc etiam Reip. Litterariæ decus, in *Dissertat. de Cranae Insula Laconica*, qui similiter *leonem* & *caput arietis* in aliis Atheniensium Nummis obvium refert ad arietem & leonem æneum, qui in arce erant.

Ego putabam nonnunquam, elephantem, à latere noctuæ exhibitum parvâ admodum formâ, notam esse Præfecti, vel Præfectorum Monetæ; tres enim videntur recenseri in nummo illo, *Antiochus, Caræchus*, & *Scymnus*; non secus ac alii in aliis. Atque ita conspiciuntur in Atheniensium Nummis similiter parvi, *camelus*, *cicada*, *uva*, *aquila*, *caput leonis* & reliqua, nullam aliam ob causam, si quid video, quàm quia Monetæ Præfecti insignia illa sibi sumserant. Et ideo fortè etiam in Nummis L. Julii Bursi, P. Crepusii, L. Papi, M. Plætorii, & in uno, cui inscribitur tantùm ROMA, *apes* pictæ sunt apud Holstenium in *Explicat. Nummorum apibus insignium*; pro quo tamen animalculo apud Ursinum in Gente Crepusia exhibetur *fulmen*, in Plætoria *orbis parvus*, in Papia *galea*, vel *galerus*, & loco equi *gryphus*.

Quin & elephas similis planè obvius est in nummo Neapolitanorum apud Goltzium & Prosperum Parisium, cujus locum in aliis occupat *tripus*, *avis*, *homo armatus*, *ala*, *cantharus*, *sphynx*, vel *apis*. In una area conspicitur *Minotaurus*, vel *Bos facie humana*; quem Deum Hebonem Capacius & alii faciunt, quanquam nihil tale nos doceat Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. 18. cujus auctoritate ceteroquin id probare conantur, Victoria volitans & coronans bovem cum inscript. Δ. & ΝΕΑΠΟΛΙΤΗΣ: in altera verò caput muliebre diademate cinctum, à tergo parvus elephas, & infrà, ΑΡΤ. id est, Ἄρτεμις, vel, si Dianæ illud caput non est, Ἀρτεμίδωρος, nomen Magistratus; quæ ultima ex ectypo quàm clarissimè patebunt:

Neque enim quicquam aliud conjecturâ adsequi possum, quàm & notas, quas recensui, & ita etiam *elephantem* ad Monetæ Præfectos referri debere; quanquam fatear libens, meam hanc adservationem soli conjecturæ inniti, meque amplexurum continuò illius explicationem, qui meliora & certiora docebit.

Communicavit etiam mecum Gallandus, egregiæ & profundæ vir eruditionis, & Nummorum veterum fidus & elegans Interpres, nummi à Tarentinis signati ectypum è Museo illustrissimi Foucautii Regi à Consiliis, cujus amicitia mihi valde est honorifica: in una area eques, & ante eum vir nudus stans, ΑΡΙΣΤΙΠ. *Aristippus*; in altera Taras insidens delphino, & arcum, ut videtur, tenens manu dextra, infrà parvus elephas, uti ex ectypo patet:

Ex multis aliis Goltzii Nummis constat, optimo jure hunc nummum debere referri ad Tarentum; notandumque inprimis, varia in iis parerga cerni, *anguem* nempe, *stellas binas*, *cancrum*, *scorpionem*, *noctuam*, *aplustre*, *Hermam*, *concham* & . . . . . atque adeò Tarantem manu præferre *galeam*, *uvam*, *clypeum*, *Victoriam*, *tridentem*, *delphinum*, *coronam*, *capricornum*, *concham*, *limacem*, *tripodem*, *polypum*, *clavam Herculis*; quibus ex præclaro Foucautii nummo addendus, nisi me planè fallo, *arcus*; & certè aliis parergis *elephas*. Et Tarantem quidem, ut hoc addam, naufragio facto, delphino vectum fabulantur ad littus, in quo urbs ab eo nomen accepit, uti videre licet apud Probum *ad 2. Georgic. Virgilii*; sed Pausanias casum illum *Phalanto* Lacedæmonio tribuit, & inde Delphis prope ejus statuam signum delphini esse tradit *lib.* x. Harduinus virum equo insidentem esse *Phalantum* putat, sed meliùs Græcarum Antiquitatum Collector hunc equitem refert ad ἱππασίαν Tarentinorum Stephano memoratam, vel ad exercitationes equitum in armis, quibus Tarentini celebres erant, id quod tamen sanctè testor mihi diu ante viros illos fuisse observatum in *Notis meis ad Stephanum.*

Est & alius eorundem Neapolitanorum nummus, in quo elephas jam non est πάρεργον, sed præcipuum argumentum: nam apud Capacium lib. 1. cap. 14. *Histor. Neapolit.* repræsentatur nobis Apollo diademate caput cinctus, dependente à tergo pharetra: hinc elephas stans ante tripodem, & proboscidem ad cælum tollens; & infrà, ΝΕΟΠΟΛΙΤ.

Hic nummus, si modò genuinus est, repræsentat nobis elephanti relligionem, quam tantopere prædicaverunt Veteres: nam Dion Cassius *lib.* 39. non modò scribit, eos sermonem patrium intelligere, verùm etiam *cognoscere quæ in cælo fiant*, καὶ τῶν ἐν οὐρανῷ γινομένων συνιᾶσιν: & Plinius *lib.* 8. *cap.* 1. belluas hasce venerari Solem & Lunam: *Maximum* (animal) *est elephas*, ait, *proximumque humanis sensibus: quippe intellectus illis sermonis patrii, & imperiorum obedientia: officiorumque, quæ didicere, memoria, amoris*

* Lib. 3. cap. 9. init.

ris & gloriæ voluptas, *prudentia*, *æquitas*, *relligio quoque*, *ſiderum*, *Soliſque ac Lunæ veneratio*; quomodo illa verba diſtinguit Lipſius, Epiſtola L. Cent. I. *Miſcellanearum*; id quod tamen non fuit obſervatum illuſtri Salmaſio p. 305. *Plin. Exercit.* vel ultimo Plinii laborioſo & docto Commentatori, qui edendum curavit, *religionem quoque ſiderum*; cùm videatur potiùs ab *Hiſtoriæ Naturalis* Scriptore elephanto tribui *Relligio*, & illa conſiſtat in adoratione ſiderum, Solis & Lunæ. Et præter Plinium Ælianus lib. 7. *Animal.* cap. 44. teſtatur etiam, elephantos *exorientem Solem adoraſſe*, τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα προσκυνῆσαι ἐλέφαντας, *proboſcidem tanquam manum ad Solis radios allevantes*; idemque *lib.* 4. *cap.* 10. commemorat, Lunâ novâ elephantos ex ſylva ramos decerpere, eoſque ſublimes tenere; tum ad Lunam ſuſpicere, ac leviter ramos, tanquam ſupplices, movere, ut ipſis propitia eſſe velit. Plutarchus quoque lib. *de Solert. Animal.* Jubam ſcribere tradit, elephantos εὐχῇ χρῆσθαι θεῶν ἀδιδάκτως, *vota Diis facere à nemine edoctos*, *mari ſe luſtrare*, *Solemque orientem adorare*, *proboſcide*, *manus loco*, *ſurſum erecta*: qua de re ita loquitur Plinius: *Auctores ſunt*, *in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnem*, *cui nomen eſt Amilo*, *niteſcente Luna nova*, *greges eorum deſcendere: ibique ſe purificantes*, *ſolemniter aquâ circumſpergi*, *atque ita ſalutato ſidere in ſylvas reverti.* Quæ omnia ſi vera ſunt, rectè utique idem Plinius ſcribit, *elephantem proximum humanis ſenſibus animal eſſe*; & Apollonius apud Philoſtratum *lib.* 1. *cap.* 7. δεύτερον ἀνθρώπου κατὰ ξύνεσίν τε καὶ βουλάς, *ſecundum ab homine ſagacitate & conſilio.* Hæc pluribus, licèt aliis occupata, exſequi volui, ut inde conſtet evidenter Neapolitanos expreſſiſſe cultum, quem vaſtum hoc animal dicitur Soli exhibere; nam tripodi, qui Apollini ſive Soli ſacer habetur, adſtat proboſcidem veluti manum elevans.

Atque huc pertinet omnino Auguſtum, Saxoniæ Ducem, & fratrem Georgii, ejus nominis primi, Electoris, nummum ſignaſſe, cujus in averſa area cernitur itidem elephas, proboſcidem versùs Solem attollens, cum inſcript. *Time Deum, & honora Regem*, uti patet ex *Saxonia Numiſmatica*, quam bono publico vulgatam mihi donum miſit illuſtris amicus meus Wilh. Ern. Tentzelius, quo in viro humanitas & eruditio videntur certare, uti non modò patet ex variis ab eodem editis Libris tàm Latinâ quàm Germanicâ Linguâ, ve-

A rùm etiam ex Litteris, quas multas & quidem doctiſſimas ad me dedit.

Nec omittendus profectò eſt Cardinalis Zabarella, qui omnem illam relligionem elephanti ſignari fecit in nummo, cujus ectypum, rectè me facturum exiſtimavi, ſi exhiberem:

B

Et apparet ea, quæ Plinius elephanto attribuit, picturâ repræſentari; nam fluvium ingreditur, arbores adſunt, unde ramum decerpere videtur velle, & in aëre conſpiciuntur Sol, Luna & ſidera; additurque laudabilis inſcriptio, SOLI DEO.

Quin & Eruditis do conſiderandum, an non Chinenſes pinxerunt in tabulis ſuis ſacris, vel in
C quibus Dii eorum repræſentantur, elephantem tollentem proboſcidem ad Solem & Lunam, uti patet ex ſequente figura, quam nobis exhibet Kircherus pag. 161. *Chinæ Illuſtratæ*:

D

Quin & notandum omnino eſt, elephantem etiam pingi in Nummis binis Catanenſium, quos edidit Petrus Carrera volumine I. *Hiſtoriæ Catanæ*, inſcriptæ, *Delle Memorie Hiſtoriche della Città di Catania*, Anno 1639. In uno cernitur hinc caput muliebre, & ciconia; inde verò elephas cum epigraphe, KATANA. Alterius tantùm pars averſa edita eſt, atque in ea occurrit itidem elephas, & ſupra illum littera A. quemadmodum patet ex ectypis:

Et putat quidem Hiſtoricus ille *ciconiam* exhiberi, ad conſervandam memoriam pietatis duorum fratrum, Amphinomi & Anapii, qui patrem & matrem eripuerunt ex incendio, & humeris per medios ignes Ætnæ portarunt, *Pii* propterea ap-

E pellati; & ita ciconiam obviam eſſe in Adriani nummo cum epigraphe, PIETAS AVGVSTA, ac Metelli Pii; caputque muliebre tandem repræſentare poſſe *civitatem Catanam.* Elephantem addit antiquiſſimum eſſe urbis illius

insigne; Libyas Catanam obsedisse cum ingenti exercitu & XLII. elephantis, illisque cæsis, belluas à Catanensibus captas esse; & eosdem in memoriam illius victoriæ fecisse plures statuas elephantorum; & quidem unam positam in Circo Maximo ex marmore Tauromenitano rubicundo in victoriæ memoriam; & in pluribus locis *della Loggia Palazzo del Senato*, & etiam *del Duomo*, inventos esse elephantos sculptos ex rubro marmore; & Catanenses narrare, id factum esse, *perchiochè esso è scorticato*, & propter victoriam, quam de Syracusanis deportarunt; quanquam illi non legantur usi esse elephantis in bellis & expeditionibus, quæ dicuntur anteriores esse adventu Archiæ Corinthii, qui per plures annos vixit post bellum Libycum.

Syracusæ conditæ dicuntur ab Archia Corinthio Olympiade XI. Roma verò Olympiade VI. cùmque expeditio Libyca illud tempus præcedat longè; si fides est habenda Carreræ, certè sequeretur, Afros diu ante Alex. Magnum & Carthaginienses usos fuisse elephantis in suis expeditionibus, eosque etiam in Europa visos. Hoc cùm nequaquam verisimile sit, uti patet ex iis, quæ antea disputavi, crediderim potiùs hæc omnia mera figmenta, & otiosorum hominum esse somnia. Bellum tamen illud Libycum & captos elephantos adstruere conatur Inscriptione veteri, quæ edita est ex Archangeli Historia MS. à Gualtero in *Sicilia*, & post eum ab ipso Carrera pag. 250. quæque ita sese habet:

VNDIQ. . . CALI
LIBICIS. BELLO. CONFLICTIS
CCIↃↃ
EQVITIBVS ⊏ ⊐
CAPTIVIS IↃↃ
SPOL^S
CVRRIB. ⊐
BVB. ⊏⊐ ⊏⊐...
AVRI. TAL. W. APG. R. AERIS
LIBR. ΦAXA
VEX
VEXILLIS W
IMPER^IS. DIADEMAT. AVR
VICTORIAE. KATANEN. CORONAE
⊏⊐ ⊏⊐ TRIVMPHVS. L. AETL. PNVS
S. P. Q. KATANEN
AVREO. CAPTIVO. SIMVLACRO.

Nam per BVB. putat designari elephantos, quos Catanenses vocarunt *boves*, vel *boves Libycos*, uti legitur in *Epistolis* Diodori, quia nulli animali magis erant similes; Græcam addit fuisse Inscriptionem, & multis post annis factam Latinam, & inde remansisse in illa aliquot litteras Græcas. Verùm ego Gualtero accedo, qui optimo jure credit Inscriptionem eam esse supposititiam; id quod & unusquisque facilè videbit, qui vel paululùm in hisce monumentis est versatus. Nec quidquam ad rem facit, quòd argumentum illius lapidis firmatur *Epistolis* Diodori, sunt enim illæ ejusdem planè farinæ, idque facilè omnis mecum statuet, qui eas apud Carreram p. 457. & sequentibus legere, atque ita aliquot horas perdere velit. Annotat autem pag. 11. illas Græcè scriptas vel à Diodoro, cujus *Historia* exstat, vel ab alio ejusdem nominis, à Bessarione Cardinale translatas in Latinam Linguam, & ab Octavio Archangelo, Scriptore diligentissimo, Anno 1470. nonnullas earum Italicè versas esse; quæ argumento scilicet suo & illustrandæ Siciliæ, & præcipuè Catanæ, inserviebant; iis contineri res doctas & argutas, Philantropum Catanensium Pontificem Maximum unam mittere ad Cocalum Regem, ut Catanæ à Libycis obsessæ auxilio velit venire; & Catanenses aliam scripsisse ad Dædalum. Idem iterum *lib.* 1. *cap.* 32. agit de *elephanto* imposito arcui, *su la Loggia Pallazzo della Città*, de XLII. captis; observatque insuper Catanenses postea imposuisse elephanto Palladem armatam, teste Petro Blondo, qui facit etiam mentionem alterius elephanti positi in Circo Maximo; hinc elephantos sculptos esse in Nummis hujus urbis, & hoc ipso tempore servari in ædificiis, sigillis, aliisque operibus publicis & privatis; magum *Heliodorum*, in *Breviario Gallicano* dictum *Theodorum*, elephanto, qui stat super palatio, loco equi usum esse, & inde eundem ab incolis hodie nominari corrupto vocabulo *Liodaru*. Carrera eadem repetit *lib.* 3. *cap.* 16. additque, Catanenses persuasos fuisse, Palladem illis in prælio favisse, viresque dedisse ad debellandos elephantos, elephanto propterea impositam, & magno semper honore habitam; & idolum Indicum, insidens animali incognito in 2. parte *Imaginum Deorum* Cartari editionis Pignorii p. 62. factum esse ad imitationem Palladis Catanensis insidentis elephanto; Indos id accepisse ab Ægyptiis, hosce à Catanensibus per commercia, quæ cum variis populis exercebant; vel denique, si illud non ita foret, Diabolum attulisse ad Indos ectypum statuæ Palladis elephanto impositæ; litteram K. scriptam in uno nummo designare Palladem, quæ Græcè Ἀθηνᾶ appellatur, illamque supra belluam locari adinstar statuæ; elephantum urbis Catanæ insigne esse, id patere ex nummo Friderici III. cognominati Simplicis, Regis Siciliæ, & quæ fortè alia tradit vel hisce, vel aliis *Historiæ suæ* locis.

Sed profectò blennus, bliteus, caudex, stipes, plumbeus sit oportet, qui ea credere animum induceret; illaque non modò non vera sunt, sed ne quidem verisimilia; & Pallas elephanto imposita, Ægyptii, Indi, Diabolus, bellum Libycum, Literæ Philantropi, Diodori, & alia, sunt profectò ægri cerebri, vel ultra fidem creduli hominis somnia; quibus refutandis si immorari vellem, gnaviter certè insanirem, & meo aliorumque otio abuterer.

Hoc unum rectè se habet, in Friderici III. Siciliæ Regis nummo elephantem conspici, eumque exhibeo ex Paruta:



Et credere volo Carreræ, eundem signatum esse Catanæ, quanquam in eo nulla ejus rei nota sit; sed cùm scire potuerit hoc aliunde, atque adeò elephantum insigne urbis illius esse, ego viro diligenti, sed ad stuporem credulo, fidem detrahere nolo. Meque postea docuit illustris Abbas Dominicus Passioneus, cùm tanti ingenii hospitem ædibus meis reciperem, urbi illi *elephantem* esse insigne. Quòd autem ad binos illos veteres attinet, ego quidem illos manibus tractare vellem, ut judicare possem, num genuini, an verò malæ notæ, & ad fallendum conficti sint. Nescio enim, quàm valde hac in re suspiciosus sim; magnumque mihi fraudis indicium est, quòd apud Parutam nulli tales Catanensium inveniantur Nummi, imò quòd in nullis aliorum hujus Insulæ populorum belluæ hæ conspiciantur, nec in

toto

toto Libro, si excipias C. Cæcilii Metelli, Atilii, & Friderici, quod vides, Siciliæ Regis, numismata. Præterea illud ipsum Metelli facit, ut magis fraudem factam suspicer; nam caput mulieris & ciconia ex illo sunt desumta; neque illud *Catanam* repræsentat, sed *pietatem*, uti notissimum est.

CAP. X.

Gemmæ capite Socratis, addita proboscide Elephanti, nec non aliorum animalium capitibus, signatæ, ex Chifletio exhibentur; de monstrosis figuris illis disputatur, virique docti nota examinatur: ridicula

A *Carreræ explicatio. Moneta distincta in varias officinas, quarum unaquæque habuit fortè suum insigne: ingens Romæ Monetariorum multitudo.*

Restant nonnulla annotanda, quæ licèt Reges elephantosque non spectent vivos, rectè me tamen facturum existimavi, si & ea Lectori exhiberem. Notandum igitur, Joh. Chifletium, diligentem & eruditum virum, inter Gemmas Socratis imagine cælatas, trium ectypos exhibere nobis, in quibus proboscides elephantorum Philosophi illius capiti mirè & ridendum in modum
B junguntur. Hæc monstra quare ita cælata sint, juxta cum ignarissimis scio; nec adseverare ausim an sint amuleta, an verò ficta ad deridendum vel Socratem, vel Socraticos:



Supponam tamen, quæ Chifletius, ad illustrandas has tres Gemmas annotavit: „Majorem, *ait*, „difficultatem habet adjunctum caput elephanti „cum proboscide, palma, caduceo, & capitibus „ANYTI, MELITI, atque ipsius XAN-„THIPPES; nisi dicamus elephantum deformitatem suam præclaris dotibus compensare, in eoque excellere, quod à se, natura suggerente, „& morum, & virtutum documenta præbeat, „ut multa ab ea, tanquam à morum idea, homines desumere & imitari coacti fuerint. Illi, „inquit Plinius *lib.* 8. *cap.* 1. *quæ etiam in homine* „*rara, probitas, prudentia, æquitas.* Quæ omnia „in Socratem bellissimè cadunt, à quo, quamvis „deformi, Ethica initium sumsit: quique hortari „soleret juvenes, *ut* (Laërtius in *ejus Vita*) *se in* „*speculo frequenter contemplarentur, ut si formosi* „*essent, digni ea specie fierent, sin autem deformes,* „*eruditione turpitudinem tegerent.* Nec sine mysterio crediderim cutem illam cancellatam in capite „elephanti tam accuratè expressam esse; quòd nimirum Socrates alienæ virtutis invidos cum muscis compararet: ait enim apud Senecam lib. *de* „*Vita beata: Vobis vacat aliena scrutari mala, &* „*sententiam ferre de quoquam? Quare hic Philosophus laxius habitat? Quare hic lautius cœnat?* „*Papulas observatis, quod* MVSCARVM *est,* „*ipsi obsiti ulceribus.* Plinius verò *lib.* 8. *cap.* 10. „de elephantis: *Setarum nullum tegumentum, ne* „*in cauda quidem præsidium abigendo tædio* MV-„SCARVM, *(namque id & tanta vastitas sentit)* „*sed* CANCELLATA CVTIS, *& invitans id* „*genus animalium odore. Ergo cùm extenti recepere* „*examina, arctatis in rugas repentè* CANCEL-„LIS, *comprehensas enecant. Hoc iis pro cauda,* „*juba, villo est.* Socrates de se ipso ubi suprà: „*Illustrata est virtus mea per ea ipsa, per quæ pe-*

C „*tebatur. Produci enim illi, & tentari expedit:* „*ne ulli magis intelligunt quanta sit, quàm qui vires ejus lacessendo senserunt.* Hinc & palma in „manu elephanti, victis scilicet morositate XAN-„THIPPES, & calumniis ANYTI & ME-„LITI, quibus insimulari timuit ipse Plato, virtute animoque remissior: quippe quem tradit „Justinus Martyr non ausum fateri veram de „Deo doctrinam, ne idem sibi accideret, quod „Socrati: *Plato autem,* inquit, *acceptâ, ut videtur,* „MOYSIS *& aliorum Prophetarum de* VNO & „SOLO DEO *doctrinâ, quam in Ægypto didicerat, propter ea, quæ* SOCRATI *acciderant,*
D „*veritus ne ipse quoque* ANYTVM *quempiam aut* „MELITVM *contra se apud Athenienses suscitaret, accusantem & dicentem:* PLATO *injustè* „*agit, & curiosa tractat, Deos, quos civitas recipit, non recipiens,* CICVTÆ METV *variam quandam & fucatam de Diis instituit orationem.*

„Additur præterea Gemmæ Socraticæ caduceus cum inscriptione, ΕΥΕΛΠΙCΤΟΥ, hoc est, „CONFIDENTER, seu CVM FIDVCIA, „BONA FIDE, SINE FRAVDE. Libanius „*Declamat.* 16. Πρέπει δὲ τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσι,
E „τῷ μὲν ὑψηλῆς ἐλπίδος ἔχεσθαι, δέχεσθαι δὲ εὐθύμως ὅτι περ ἂν δοκῇ τῷ Θεῷ: *Bonos siquidem* „*& fortes viros decet altæ spei adhærescere, ac placidè quicquid Deo visum fuerit admittere.* Quam „æquanimitatem, si quis alius, Socrates assecutus „videtur, hæc ipsissima verba usurpans apud Platonem paulò ante mortem: Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα „ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις· ὁπότεροι δὲ ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἄμεινον πρᾶγμα ἔρχονται, ἄδηλον παντὶ, πλὴν ἢ τῷ Θεῷ: „*Sed jam hora est abeundi, mihi quidem, ut mo-*

„ riar, vobis autem, ut vitam agatis: utri porrò nostrûm ad melius eant, omnibus incertum est, nisi Deo. Idem, Synesio teste in *Dione*, *Deo se morem gerere profitebatur*, *neque ei* DIFFIDENDVM ajebat. Hinc Seneca: *Si convivere etiam Græcis juvat cum* SOCRATE, *cum* ZENONE *versare; alter docebit te mori, si necesse; alter, antequam necesse erit.*

„ Majore fortassis otio eliciat quispiam ab hisce Gemmis, quid sibi velint illa verba, quæ Nonius Marcellus è Varrone citat, ænigmati similia: *Se circumspexisse, atque invenisse, cùm dormire cœpisset, tàm glaber quàm* SOCRATES, *galbam esse factum ericium è pilis albis cum* PROBOSCIDE. Quo loco mendosissimo, ait Petrus Victorius lib. 24. *Variar. Lect.* cap. 1. legi debere pro galbam, *calvam*: loqui verò Varronem de quopiam, cujus forma valde in somno immutata fuerat, & cùm calvus fuisset antequam dormitum isset, postea experrectus invenisset se (quæ res admirationem ipsi meritò magnam attulit) capillatum: Erasmus in *Adagiis* legit, *Tàm glaber quàm Socratis callum: Erat*, inquit, *corporis patientissimi, quod ad omnem laborem occalluerat; ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi. Hinc jocus in* SOCRATIS CALLVM. *Non ignoro quid narrent de gallo deplumato, quem Diogenes, ni fallor, immiserat in Scholam Platonis. Sed magis placet ut legamus callum, facilis enim est transitus à C in G cognatam litteram.* Hæc illi, sed neuter satisfacit. Quicquid sit; mos fuit Atheniensium ejusmodi ænigmata proponere, non tantùm Gemmis, sed etiam Numismatis, in quibus apud Goltzium videre est minutulâ formâ ad latus noctuæ ELEPHANTVM, CAMELVM, caput, ut videtur, ARIETIS, & CICADAM. Platonicum quoque institutum esse docet Synesius *Præfat. ad Librum de Insomniis*: *Sub vilioris argumenti specie, quæ sunt in Philosophia magna atque præstantia, dissimulare*; quanquam idem antè ab Ægyptiis observatum: quòd & sphinges illæ pro templis insinuabant, & eum tradendi morem ab illis ad Græcos primus Pythagoras creditur transtulisse.

Hanc notam viri doctissimi examinandam relinquo aliis qui sagaciori ingenio sunt ad ænigmata illa aperienda. Illud tantùm monebo, similem Gemmam exhiberi à Carrera in *Addendis ad Historiam Catanensem*; in ea repræsentari bina capita barbata, & illis impositum caput elephantis, proboscide tenens spicam; Carreram putare Janum nobis exhiberi bifrontem, illum, caput belluæ, & spicam spectare ad Catanenses; apud quos illa inventa fuit. Præterea mihi videri τὸ ΕΥΕΛΠΙΣΤΟΥ esse nomen artificis; id quod observes licet etiam in aliis Gemmis; me non capere, quomodo vox illa significare possit *confidenter*, cùm scribi tunc deberet εὐελπίςως; & deinde me putare, huc nihil pertinere *elephantum*, *camelum*, *caput arietis & cicadam* in Atheniensium Nummis signatos minutulâ formâ; sed potiùs notas esse Monetariorum, nihilque in iis latere mysterii. Nisi tamen, id quod mihi nunc commodum venit in mentem, non tàm fuerint Præfecti vel Præfectorum Monetæ, sive, ut Romanis vocabantur, Triumvirorum auro, argento, ære flando feriundo notæ, quàm Monetæ, sive diversarum ædificii illius partium, in quibus pecunia signabatur. Nam licèt in urbibus una videatur fuisse Moneta, sive domus amplissima illi usui destinata, tamen variæ, imò multæ, in ea erant officinæ; fierique potuit, ut unaquæque officina suum habuerit insigne. Rem ita sese Athenis & Neapoli habuisse, nequaquam probare possum; sed tamen

A aliunde constat aliis in urbibus unam fuisse MONETAM, & varias in ea officinas proculdubio. Ita in *Descriptione Urbis Romæ*, *Regione* III. recensetur *Moneta*; non secus ac in *Descriptione Constantinopoleos*, *Regione* XII. In *Moneta* autem, vel ædificio illo publico, ingentem multitudinem hominum habitasse patet ex rebellione, de qua tempore Aureliani facta ita loquitur Victor cap. 35. *Epitomes*: *Hoc tempore in Urbe Roma Monetarii rebellarunt, quos Aurelianus victor ultima crudelitate compescuit*; nam magno numero fuisse vel inde patet, quòd ab iis occisa fuerint septem millia militum; antequam in ordinem redigerentur, B uti docet alter Victor *cap.* 35. & Vopiscus in *Aurel.* cap. 38. ubi & ipse Aurelianus hoc testatur in Epistola ad Vlpium Crinitum. Et ita Harduinus in *Antbirrhetico* non improbabiliter putat, diversas urbis Constantinopoleos officinas designari in Nummis vel per notas numerales, II. III. IV. vel per litteras alphabeti. Et hoc etiam Romæ debuit obtinuisse, etiamsi aliæ urbes, vel Coloniæ, eò officinas suas non traduxerint, uti alibi commentatur vir eruditus; id quod tamen nondum probare possum. Hæ scilicet omnes officinæ continebantur uno ædificio, vel variis insulis, quæ C uno in Urbis loco erant exstructæ, & MONETAE nomine veniebant; adeò ut non absque ratione Lactantius Libro *de Mortibus Persecutorum* inter immensas & sumtuosas Diocletiani exstructiones recensuerit etiam *Monetam*: *Hic*, ait, *basilicæ, hic circus, hic Moneta, hic armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ; repentè magna pars Civitatis exceditur*: vel, ut alii legunt, *exciditur*; unde satis patet superque maxima hæc ædificia fuisse; & inde puto à ratione non esse alienum varias illas monetæ officinas, notas & insignia sua habuisse: quæ tamen omnibus Nummis non fuerunt indita.

D

Cap. XI.

Miscellanea de Elephantis. Indus fluvius Cariæ dictus à rectore, quem bellua excussit; Harduinus non nominat eos, quorum ope profecit: Phœnices Cernem Insulam navigabant mutuaturi, inter alias merces, pelles & dentes Elephantorum: Elephanti, in somniis visi, quid significent: E *allegoricè & symbolicè explicati; proverbia ab iis sumta; an in Threnis Vulgatus Interpres rectè nobis exhibeat,* Rubicundiores ebore antiquo; *Belgæ Interpretes & alii præferuntur: ebur naturâ candidum, sed jam Homeri tempore tinctum rubro colore: an turres ex ebore exstructæ: domus vel cubicula ebore inducta tam apud Judæos quam Romanos; id quod tamen de ultimis non tradit Plinius. Lecti eburnei; pocula vel vasa, & naves forma Elephanti. Apud Græcos ma-* F *gna & fortia animalia Elephanti dicta. Festum apud Persas* Adventus dominorum Elephantorum *dictum.*

Ultimum hoc erit Caput, quod Asiæ, ejusque elephantis, & Græciæ dabitur; constituique in id conjicere, quæ apud diversos Auctores mihi notavi, & non planè ab argumento, quod mihi exornandum sumsi, aliena videntur esse.

Fluvius Cariæ *Indus* appellatus fuit, quia in eum rector ab elephanto excussus decidit: Livius *lib.*

lib. 38. *cap.* 14. *Ad Thabusion castellum imminens flumini Indo ventum est: cui fecerat nomen Indus, ab elephante dejectus:* quod reor factum esse, cùm elephas fluvium transiret, & fortè in bello, quod Romanis fuit cum Syriæ Regibus. Plinius *lib.* 5. *cap.* 28. Cariam describens ejusdem fluvii meminit, eumque addit Cybaratarum jugis ortum, recipere LX. perennes fluvios, torrentes verò centum. Notatque commodè Harduinus hunc amnem Straboni, Ptolemæo, & Melæ *Calbin* vocari, laudatque Livii verba: cui notæ si adjecisset vir eruditionis haud vulgaris, hoc idem Isaaco Vossio, docto inprimis viro, *ad Melæ lib.* 1. *cap.* 16. venisse in mentem, certè meruisset laudem singularis ingenuitatis, cujus unicum argumentum & præcipuum est, fateri per quos profeceris.

Mercatores Phœnicum olim ad Cernem Insulam, sitam ad Occasum Africæ, proficiscebantur, & ab incolis prō suis mutuabantur mercibus, *pelles cervorum, leonum, pantherarum,* ϗ δέρματα ἐλεφάντων μετ' (ita emendat Vossius) ὀδόντων, ϗ τῶν ἡμερῶν βοσκημάτων, *& elephantorum cum dentibus, & pellibus mansuetorum animalium*; uti legere licet apud Scylacem Caryandensem.

Oneirocritis & somniorum Interpretibus materiam conjiciendi & divinandi dederunt multiplicem elephanti. Artemidorus scribit *lib.* 1. *cap.* 39. bonum esse, *si quis loco sui capitis, habeat caput leonis, vel lupi, vel pantheræ, vel elephanti*; quia is qui majores viribus res aggressus est, hoc somnio viso, victoriam adipiscitur: *lib.* 4. *cap.* 12. quæcunque ex animalibus tardè nascuntur & crescunt, *elephantum, cornicem, cervum, & similia*, portendere bona & mala tardè eventura; & *lib. eod. cap.* 58. *leonem, tigrim, pantheram, elephantem & aquilam* significare magnanima, libera, ϗ τὰ πρακτικὰ, ϗ τὰ φοβερά. Achmetus etiam Medicus Arabs *cap.* 270. & 271. agit multis de elephanto ex disciplina vel monumentis Indorum, Persarum & Ægyptiorum; docetque quid in somnis visi significent; quæ omnia ab eo peti possunt; abuterer enim tàm aliorum quàm meo otio, si istiusmodi commenta & hariolationes huic Opusculo inserere omnes occiperem.

Neque etiam silentio prætereundum est, S. Epiphanium primi hominis lapsum ex natura elephanti allegoricè deduxisse cap. IV. *Physiol. Femellam* nempe, *mandragoram mari offerre, eum comedentem hanc herbam libidine incensum femellæ misceri, hanc pariendi tempore lacum ingredi usque ad ubera, & ibi parere; neque in terram fœtum projicere, quia pullus sese elevare non posset, quippe cujus pedes juncturis* (solennis hic error est Veterum) *careant; ita Evam dedisse Adamo fructum vetitum, ejus partum fuisse peccatum, & lacum editi partus, paradisum:* quæ certè ut frivola planè, aliis Patrum levibus & allegoricis placitis adscribenda sunt. Multus etiam est Pierius Valerianus lib. 2. *Hierogl.* & post eum Nicolaus Caussinus in *Polyhistore Symbolico*, in colligendis variis benè vivendi præceptis, vel symbolis ex natura & proprietatibus hujus animalis petitis; & quidem ultimò inde arcessentur *Castitas, Fortitudo invicta, Honor fortium senum, Æmulationis vis, Divitiarum & rerum humanarum inconstantia, Ultio præsens, Vir magnanimus, vel duplex, Talio, Linguæ moderatio, Honoris cupiditas, Litteræ cicurant feritatem, Opus tardum, sed magnum, Voluptuarii sordes, Casta placent Superis,* imò ne quid desit, *Pœnitentia, Sera pœnitentia, & Incarnatio*; quia ut elephas mole corporis & furore terribilis, ad formosæ mulieris occursum concitatos animi motus frangere dicitur, teste Æliano lib. 1. cap. 38. *de Animal.* ita in Incarnatione Deus ultionum in sinu Virginis defer-

A buit; quæ ultima interpretatio & allusio signum evidens est lascivientis & prurientis hominis ingenii; meliusque longè foret, sanctiùs de tam sancto & reverendo Mysterio loqui & agere. Quin & his addi potest Joachimus Camerarius, qui in *Centuriis Symbolorum ac Emblematum Ethico-Politicorum*, à vasti hujus animalis natura sequentia petit; *Casta placent Superis; Mansuetis grandia cedunt; Non impunè feres*; quæ si quis proverbia & emblemata penitiùs cognoscere velit, ipsi illi Auctores adeundi sunt.

Postquam elephanti Europæ innotuerunt, & B cognitio eorum ad Græcos pervenit, varia ab iis sumta sunt proverbia, quæ Suidas, Zenobius, Diogenianus, Erasmus, Aldrovandus, Pierius collegerunt; suntque, Ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν, *Elephantem ex musca facere*; de iis, qui res minimas extollunt & magnas faciunt: Ἐλέφαντος οὐδὲν διαφέρεις, *Ab elephante nihil differs*; de magnis & stupidis: Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει, *Elephas murem non capit*; de iis qui parva ac tenuia contemnunt: Κώνωπα ἐλέφαντι παραβάλλειν, *Culicem elephanto conferre*; de iis, qui minima maximis comparant: Κώνωπος ἐλέφας Ἰνδὸς οὐκ C ἀλεγίζει, *Culicem haud curat elephantus Indicus*; quod dictum putat Erasmus ob singularem duritiem cutis elephantinæ, quâ fertur etiam jacula excutere, tantum abest, ut culicis morsu offendatur; & adhiberi posse addit, quoties significabimus, excelsis animis leves & vulgares injurias esse negligendas: Gregorius Nazian. *carm.* 201. *Analect. Græcor.* Muratorii Monachum quendam obeso corpore canit, σάρκας ἐγείρειν εὐρυτέρας ἐλέφαντος, *carnes alere ampliores elephanto*; quæ *Analecta* virum imprimis eruditum & humanissimum mihi donum misisse summopere lætor; estD que etiam insigne adagium apud Lucianum pag. 874. quod tamen & aliis est annotatum: Θᾶττον ἂν πέντε ἐλεφάντας ὑπὸ μάλης κρύψειας ἢ ἕνα κίναιδον, *Citiùs quinque elephantos sub ala tegas quàm unum cinædum*; de iis qui se celare non possunt, sed produnt solo adspectu animi morbos & vitia: nec non aliud apud Cæsarium *Dial.* 2. *Quæst.* 107. emendatum à Joanne Ernesto Grabio, viro doctissimo, in *Notis ad Spicilegium Patrum Seculi primi*; Σύγκρινον τοίνυν ἀστέρα πρὸς ἥλιον, ὡς ἐμπίδα πρὸς ἐλέφαντα, ϗ τὸ θεῖον ἄστρον πρὸς τὴν πασῶν μείζονα πόλιν, ὡς πρὸς κάμηλον κώνωπα: E *Confer igitur stellam cum Sole, velut muscam ad elephantem, & astrum divinum ad omnium maximam civitatem, veluti cum camelo culicem.* Et Antiphanes Comicus dixit, καταβεβρωκὼς σιτία ἴσως ἐλεφάντων τεττάρων, *edens frumenta ut elephanti quatuor*, id est, plurima, uti notat Casaubonus *ad Ath. lib.* 3. *cap.* 31. Et Poëta Astronomicus apud Scaligerum proverbium sumsit à tarditate incessus:

Quin mage præveniens aquilas vis pigra elephantum
F *Præcurret, volucremque pigris testudo molossum,*
Quàm nos rorifluam sectemur carmine Lunam.

Quin & Bochartus *lib.* 2. *cap.* 23. *Histor. Animal.* Persarum proverbium ab elephanto desumtum recenset, *Elephantem ex vestigio pedum ejus cognoscent*; quod idem videtur esse cum veteri illo, *ex ungue leonem*; & apud Vulgatum Interpretem cap. 4. ℣. 7. *Threnorum Jeremiæ* legitur, *Rubicundiores ebore antiquo*, quod proverbii instar est. Hic locus, licèt eum multis defendere conetur Martinus de Roa lib. *Singular.* cap. 7. aliter à Grotio explicatur, & tam excellentis ingenii vir in-

intelligit λίθους πολυτελεῖς, *pyropos* sive *carbunculos*; quia scilicet ebur nullum naturâ suâ rubrum, sed omne candidum est; unde apud Hesychium ἐλεφάντινα exponuntur λευκά, & alibi apud eundem scribitur, Λευκελεφάντινα· λευκὰ ὡς ἐλεφάντινα. Belgæ Interpretes D. *Jeremiæ* verba rectè vertunt, *zy waaren rooder van lichaam als robynen*; & apud LXX. legitur eodem sensu, ἐπυῤῥώθησαν· ὑπὲρ λίθου σαπφείρου τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν: quanquam rectè doceat Mart. de Roa ebur jam ab Homeri temporibus tinctum rubro colore fuisse, ne scilicet *longis flavescere possit ab annis*, uti canit Ovidius; notaruntque, ut hoc obiter addam, Eruditi Tibure ebur semper candidum manere, neque unquam pallescere beneficio aëris, & erumpentis auræ ex calidis & sulphureis Albulis, id quod Propertius imputare maluit Herculi; qui ibi colebatur, *lib.* IV. *eleg.* VII. uti rectè animadvertit Janus Broukhusius, plurimum de eo Poëta & Tibullo meritus. Suntque etiam in Veteri Fœdere alia proverbia ab ebore desumta; cúmque illa, nec non alia, quæ in eodem leguntur, huc pertineant, rectè me facturum existimavi, si & eadem hoc Capite recenserem. Ita cap. 5. *Cantic.* ℣. 14. legitur, *venter ejus eburneus, distinctus sapphiris*; & cap. 7. ℣. 4. *collum tuum sicut turris eburnea*; quibus loquutionibus summus candor denotatur; observatque ad priorem locum Vatablus, Hebræa ad verbum reddi debere, *intestina ejus candor eboris*; vel *puritas eboris*, id est, sicut purum aut candidum ebur, vel nitidum; & Doctum inter Hebræos reddere, *juxta munditiem eboris*, aut, *ut vas eburneum candidum*; & altero loco puto notari candidum inprimis & rectum collum; & prius designari per *ebur*, alterum verò per *turrim*; cui etiam collum propterea assimulatur, cap. 4. *Cantic.* ℣. 4. Neque enim existimandum est ex ebore turres esse factas, vel apud Judæos, vel apud aliam gentem ullam. Magna quidem illis eboris copia, adeò ut inde fecerint Reges solia, & parietes etiam ebore incrustaverint; sed turres inde exstructas fuisse, ab omni verisimilitudine est alienum. Atque ita legimus lib. 1. *Reg.* cap. 10. ℣. 18. Salomonem *fecisse thronum de ebore grandem, eumque obduxisse auro purissimo*; & cap. 22. ℣. 39. Achabum sibi *fecisse domum eburneam*, sive *domum dentis*, uti Hebræa, testibus Eruditis, reddi debent, nempe *elephanti*. Quin etiam apud Prophetam Amos *cap.* 3. ℣. 15. ejusmodi domus memoratur: *Et percutiam domum hyemalem cum domo æstiva, & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ:* quæ Græcis Interpretibus sunt οἶκοι ἐλεφάντινοι, ubi etiam in Hebraïco est *domus dentis*, nempe *elephantis* per excellentiam, notante Vatablo; & rectè observat ibi Liveleus, *domos eburneas* vocari, non quòd totæ ex ebore essent, sed *eburatæ*, id est, ebore ornatæ & obductæ; quomodo & Cicero memorat *tecta ebore & auro fulgentia*; & ita exponi debere *eburneam Achabi domum*, & *palatia eburnea Salomonis*, laudata Psalmo 44. verisimile admodum est. Drusius videtur statuere, ex *ebore* has domos fuisse; notatque inde non solùm domos, sed & lectos, & palatia & turres factas esse; sed tamen mox addit, multæ virum eruditionis Liveleum *eburneas domos* interpretari *eburatas*; neque etiam puto *turrim*, de qua antè egi, fuisse obductam ebore; sed collum comparari turri eburneæ, quia erat candidum & erectum. Lectos autem ex ebore apud Judæos fuisse patet ex eodem Propheta Amos *cap.* 6. ℣. 4. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris.* Quæ ideo monenda duxi, ut vel hinc pateat, magnam apud gentem illam fuisse eboris copiam, licèt for-

A tè elephanti ipsi ante Alex. Magnum ejusque Successores nunquam in regione illa visi sint; qua de re antea à me actum est.

Apud Romanos, ut & hoc addam, etiam fuerunt lecti ex ebore, uti patet ex loco Vopisci in *Vita Firmi* antè à me laudato; & quanquam Ciceronis *tecta ebore & auro fulgentia*, & Senecæ *splendidum ebur altis tectis fulgens*, videantur suadere, eosdem etiam cubicula ebore incrustasse; tamen illud, quod equidem sciam, non memorat Plinius. Scribit quidem ille *lib.* 8. *cap.* 3. luxuriam Romanorum omne ebur Orbis absumsisse, adeò ut propè sit necesse illud ex India petere; & inde ossa
B elephantorum in laminas secari nuper cœpta esse: & *lib.* 12. *cap.* 1. *Numinum ora & mensarum pedes ex ebore esse facta*; *lib.* 8. *cap.* 10. ex dentibus elephanti *laudatissimam Deorum simulacris materiam esse*; & lib. 16. cap. 43. *cœpere tingi animalium cornua, dentes secari, lignumque ebore distingui, mox operiri:* sed non meminit laminarum ex ebore, quibus cubicula fuerunt inducta; id quod tamen eos fecisse credibile est; maximè cùm alia inde opera fecerint; uti *eburata vehicula*, teste Plauto, & Lampridio in *Heliogab.* & pedes mensarum, quemadmodum ex Martiale *lib.* 2. *epigr.*
C 44. & Juvenale *Sat.* 11. constat: quinimo patet illud haud obscurè ex Suetonii *Ner.* cap. 31. ubi memorantur *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus*; quem locum mihi suppeditavit præstantissimus Grævius.

Sed, ut ad Græcos redeam, pocula etiam ad instar elephantorum facta sunt; uti nos docet Eustathius *ad Homer.* p. 1286. Edit. Romanæ: Κεῖται δὲ καὶ οὐδετέρως ἐν τῷ, Ἐλέφας ἐστὶ ῥυτὸν δίκρουνον, τρεῖς χωροῦν χόας, ὥστε καὶ ποτηρίου εἶδος ἐλέφας: *Vox rhyton etiam neutro genere usurpatur, uti in hoc versu, Elephas est rhyton duplici*
D *ore, capax trium congiorum, & poculum formâ elephantis*; quæ sumta sunt ex Damoxeno apud Athenæum *lib.* 11. p. 469. apud quem p. 497. Epinicus talis etiam poculi meminit: „Unum elephas est, elephantem rhyton circumferens: capit ille duos congios; hunc ne elephas quidem ebibat: plenum ego Ædepol exhausi sæpius; nihil enim ab elephanto tu distas; & apud Hesychium legimus, ἐλέφαντα esse ῥυτὸν τρεῖς χόας χωροῦν, *poculum trium congiorum capax.*

Et facere non possum, quin addam, licèt non satis argumento conveniat, Calipham Al Amin, qui initio Seculi undecimi eam dignitatem obti-
E nuit, elephanti formâ naves ædificasse: Gregorius Abul-Pharajus hoc tradit in *Historia Dynastiarum* pag. 157. versionis Latinæ; ubi postquam voluptates illius Principis descripsisset, addit: *Fabricasse etiam fertur in fluvio Tigri quinque naviculas, Leonis, Elephantis, Vulturis, Serpentis, & Equi formis:* quod nescio an ab ullo alio factum sit.

Deinde Græcos alia magna & fortia animalia etiam *elephantos* appellasse; ita Achilli Tatio *lib.* IV. hippopotamus dicitur ἐλέφας Αἰγύπτιος, quia secundum roboris locum obtinet ab elephan-
F to Indo; ubi ea occasione elephas etiam describitur. Et tandem Chardinum, illustrem illum Peregrinatorem, tom. III. *Itinerarii* p. 154. narrare, Persas septimo Martis die festum celebrare, cui nomen *Adventus dominorum elephantorum*; cujus rationem ipsis viri verbis supponam: *C'est un événement mémorable, que voici comme ils le racontent: ils disent, que long temps avant Mohammed, un Roi d'Egypte, d'autres disent un Roi d'Ethiopie, nommé Abrahec, vint assieger la Mecque avec une prodigieuse armée, dans laquelle il y avoit entr'autres un incroyable nombre d'élephans, car chaque Officier,*

jus-

jusqu'aux Capitaines, en avoit un; & de ces Elephans, les uns étoient chargez de tours, où 20. hommes pouvoient combattre à l'aise, les autres portoient des machines pour lancer des pierres, les autres trainoient des beliers; mais lorsque cette prodigieuse armée fut à la vûe de la Mecque, il arriva, que les Elephans se mirent à genoux les yeux tournez vers le Kaaba, *qui est, selon le raport des Persans, l'Oratoire, qu'Abraham bâtit dans cette ville-là, & vers lequel il ordonna de tourner les yeux en priant. On ne pût, quoiqu'on sût faire, détourner les Elephans de regarder ce lieu sacré, ni les faire aprocher à la portée du trait. Abrahec tout étonné d'un si surprenant évenement changea le dessein, qu'il avoit d'attaquer cette ville, en celui d'y aller faire un pélérinage à cette chapelle, dans laquelle il offrit de grands présens, & s'en retourna. Les Arabes pour conserver la mémoire d'une si miraculeuse delivrance, en firent une nouvelle Epoque, qu'ils appellerent*, les années de la venue des Elephans. *On comptoit encore par cette Epoque dans la plus grande partie de l'Arabie, lorsque Mahammed nâquit. Il y a des Auteurs Persans, qui rapertent la chose un peu differente, disant, que ces Seigneurs des Elephans étoient natifs des côtes maritimes de l'Arabie Heureuse, & que Dieu les détruisit à la vûe de la Mecque, par un nombre infini d'hirondelles, qui avoient dans leurs becs, & à leurs pieds, de petits cailloux ardens, comme ceux de l'enfer, (ce sont leurs termes) que ces oiseaux laissoient tomber sur les hommes, & sur les Elephans, avec une si grande force, qu'ils perçoient les corps, & y faisoient des playes aussi profondes, que fait une fléche, & que ce fut par ce moyen, que Dieu détruisit cette armée.* Et quanquam hæ sint germanæ fabulæ, tamen rectè me facturum putavi, si illas huic Exercitationi insererem, ob jucunditatem fictionis, & quia memini me alibi etiam legisse *Æram elephantorum* Arabibus in usu fuisse. Quò pertinet aliquo modo, Mogoles Tartaros annis etiam dare animalium nomina, uti Anno 1215. *Muris*, sequentibus *Bovis*, *Leopardi*, *Crocodili*, *Serpentis*, *Equi*, *Vituli*, *Simiæ*, *Gallinæ*, *Canis*, *& Porci*, uti legere licet in *Vita* maximi Gentis illius Monarchæ *Chingbiz-Can*, quam nobis dedit perelegantem Petis de la Croix pater.

CAP. XII.

Nummi in India Orientali percussi cum Elephanto; ut in Insulis Summatra & Ceylon. Idolum capite Elephanti fœdatum. Pagodus sive templum Elephantis. Statua, cum triplici capite elephantino, num exstiterit, disceptatur; Pignorius notatus. Elephanti à Brachmanibus adorati: putida fabula de Adamo & Eva.

ATque hæc quidem sufficiunt ad in Asia signatos Nummos elephantis, & quæ alia in Oriente gesta ad idem argumentum belluarum istarum pertinent, illustranda; sed tamen video mihi ad posteriora longè tempora, & quidem ultima, decurrendum esse, cùm animadverterim in India Nummos percussos esse, in quibus currus ab uno elephanto tractus conspicitur, & in qua regione idola illorum capitibus fœdata culta fuerunt. Et primò quidem legeram apud Simonem de Vries, in Insula Summatra percuti Nummos, quorum una areâ effigie diabolicâ, altera curru, cui insidet virilis statua, ab uno elephanto tracto. Hæc res mihi valde mira visa est, consuluique illustrissimum Witzenium, Indicarum, & Orientis, aliarumque rerum Promum-Condum; significavit-

A que mihi, sese ea de re dubitare; certè id non fieri apud Mahumedanos istius Insulæ, cum quibus Hollandi commercia exercent, quia illi glarcis auri (*stofgoudt*) utuntur, & parvis ex argento frustis, quod utrumque appenditur; & inde putat vir insignis id quidem potuisse fieri prioribus temporibus, vel in Achin, ubi Britanni negotiantur, vel in media Insula, ubi Rex vel Imperator Manicabo tenet imperium, dives auro, & magnarum virium; ubi tamen nunquam viderunt ejusmodi monetam bini mercatores, qui ibi per longum tempus vixerunt.

B Et quanquam magni apud me ponderis sint eximii viri ratiocinationes, tamen videntur ejusmodi Nummi signati esse in India Orientali: nam in prima Parte *Itinerum*, quæ Batavi in eam susceperunt, non modò legitur, Indos Narsingæ & Bisnagar, & in vicinis locis, ejuscemodi monetam signasse non modò, verùm etiam ipsa moneta picta exhibetur, quam Lectori si apponerem, rectè me facturum putavi:

C

Et puto sanè illud non facturos fuisse negotiantes illos, si non manibus similem monetam tractassent. Quin & per *loca vicina* Summatra potest intelligi, in qua idem factum esse disertis verbis tradit Ludovicus Barthema in *Itinerario*, quod per varias Orientis regiones suscepit olim; ita in Latinam Linguam à me transfusus loquitur *part. 2. cap.*

D 13. *Utuntur* (incolæ Insulæ Summatræ) *ex auro, argento, & stanno, maximam partem hinc signatis Nummis figurâ Diaboli; inde verò curru, ab uno elephanto tracto; decem ex argento valent ducatum, quinque & viginti stannei ejusdem valoris sunt.*

Et significat mihi insuper illustris Consul, in Insula Ceylon caput elephanti adoratum fuisse ad impetrandam sapientiam. Atque hoc est, quod etiam invenio in *Itinere maritimo*, quod suscepit Spilbergius in Indias Orientales Anno 1601. *In aliis locis Insulæ Ceylon adoratur caput elephanti ex ligno vel saxo factum, illudque eos facere præ se ferunt, ad nanciscendam sapientiam*; id quod pro-

E culdubio factum, quia ingeniosissimum erat animal, & multa communia habebat cum sensibus humanis. Quin & mihi donum misit ectypum Icunculæ, quod à Christianis sublatum fuit ex templo quodam, quodque nobis repræsentabat idolum capite elephanti fœdatum. Dubitavi sæpiuscule, an monstrum illud huic Dissertationi inserere deberem; quia indignum putabam Christiano talia publici juris facere: illud tamen feci, ut vel inde constaret, verissimè in Novo Testamento affirmari, Deum eorum sensus & consilia corrumpere, qui semel ipso relicto humanis commentis sese de-

F dunt, & deserunt protervè ab ipso datas nobis leges, & adorandi normam. Ecce igitur, Lector, sordidum illud monstrum, & dole mecum infelicem hominum sortem.

Agere insuper possem de idolo Indorum, tribus capitibus elephantorum defœdato, necnon de filio Evæ, cui Adam occisi ejusdem animalis fabulatur caput imposuisse; sed facit tam Italica versio L. Pignorii, qui illud nobis exhibet in *Additionibus ad Cartarii Imagines*, nec non Latina Jesuitæ Epistula, ut de hac asseveratione subdubitem, quia in iis tria capita deprehendo in genere, sed nulla

speciatim elephantorum: *Scrive un Padre del Giesu fin del* 1553. *di Goa, d'haver osservato un Pagode di quei paesi, nel quale si vedeva una statua con tre capi, tre gambe, tre mani, & che si chiamava il Pagode del elefanto.* Nam nulla ibi mentio trium capitum belluæ illius, impositorum trunco humano; neque etiam eadem observo in Litteris ipsis Latinis Jesuitæ, qui Anno 1553. easdem Goa misit: „Inde pedestri itinere; *ait*, imus visum „Pagodum quoddam; vocatum vulgò Canarin, „rem planè prodigiosam. Urbs ipsa in monte in„credibili labore & arte cum suis numerosis vicu„lis & plateis excisa scalpris, ad hoc ampliùs cen„tum, ad civium usum, cisternis ornata. Et inde paucis lineis interjectis, ita pergit attingere eam materiam, quæ propriè hujus loci est: „Hîc „ipso Omnium Sanctorum festo triremem, quæ „me exspectabat, Caulum iturus conscendi; non„nihil hæsi in itinere, ut viderem aliud Pagodum „in rupe excisum, quod propter magnitudinem „multitudinemque statuarum frequentabatur à „plurimis; atque adeò Ulyssiponense templum „magnitudine vincit. Erat inter eas statuas una „triceps, quæ ceteras incredibili mole superabat, „tribus insuper tibiis, totidemque manibus, sed „uno tantùm corpore monstrosa; ei nomen est „Pagodus Elephantis. Jungenda hîc esse putavi bina hæc loca, quia in iis memorata ædificia & statuæ in alia earundem *Epistularum Indicarum* Alexandro Magno ab incolis tribuuntur: nam hæc sequentia leguntur in illa, quam Ormuto scripsit Anno 1549. Gasparus Jesuita: „Indus autem, „qui Indiæ nomen dedit, Cambayam interfluit, „quò usque Alexander Magnus penetrasse & re„sistentibus incolis retrocessisse perhibetur. Fana, „quæ Elephantis & Canarin nominantur, illius „esse opera videntur, de quibus P. Melchior Gon„zales noster, qui in iis locis agit, plura conscribet. Et ut hæc fabulis propriora vel certè dubia valde videntur, ita nequaquam firmant statuam triplici capite elephantino fœdatam, cujus picturam exhibet nobis Pignorius, illique adjicit insulsam filii Evæ effigiem. Et certè ut de monstro tricipite tali dubitem, faciunt verba Linschotii, quæ Latinam in Linguam ex Belgica versa ita sese habent: *Est præterea templum vel Pagoda in Insula Pory, quod magno honore habent, quodque à Portugallis* TEMPLUM ELEPHANTI *appellatur, circa cujus muros varia elephantorum & aliorum animalium simulacra sunt, Chinensibusque structura adscribitur.* Et cùm de eodem templo, quod Jesuitæ prope Goam describunt, videatur loqui Linschotius, nec ullus eorum triceps ejuscemodi monstrum nobis recenseat, crediderim eadem potuisse esse capita humana, qualia me vidisse me-

A mini inter idola Indorum ingenii humani absurda figmenta.

Et certè à Matlevio tale monstrum apud Chinenses describitur; idolum nempe tribus turpe humanis capitibus, quæ cervici imposita sese invicem respiciunt, ad significandum, tria illa capita ejusdem voluntatis esse; unde putabant nonnulli, apud Chinenses olim cognitum fuisse Christianismi de Trinitate mysterium; quod tamen ego ex ejuscemodi quisquiliis & sterquiliniis defendere nollem.

Illud tandem notandum, in *Itinere Indico* Pauli van Coerden narrari, Brachmanes non modò

B adorare homines, rebus præclaris illustres, in Deorum relatos numerum, verùm etiam bestias, uti ELEPHANTOS, simias; sed maximè boves, quia in eorum corpora potissimùm animas humanas migrare credebant, iisque animalibus ampla & sumtuosa templa exstruxisse.

Claudet tandem primam hanc *Exercitationem* germana Evæ & Adami fabula, quæ quomodo homini nato in mentem venire potuerit, ego quidem nullus capere possum. Exstat illa in Epistula Indica, quam Goa scripsit Anno 1560. ex mandato Francisci Rhoderici: „Posteritati tradiderunt

C „vetustissimi illorum vates, primis illis hominibus „Adamo & Eva matrimonio copulatis, antequam „liberos procrearent, aut alius quispiam in Mun„do exsisteret, casu quodam accidisse, ut Adamo „domum exire necesse esset, Eva interim nescio „quibus occupationibus detenta, in eis expedien„dis, ad sudorem usque laboraret, quæ mox su„dore madens, abstergere tàm à capite quàm à „brachiis eum cœpit; ex quo ad manus defluente „derepente ridiculum quiddam, sed, ut illi pu„tant, divinum ac præclarum opus apparuit: „nam ex sudore perfectæ staturæ vir natus est.

D „Adamus domum reversus & cum uxore virum „alium conspicatus, quem antea nec viderat, nec „noverat, irâ percius, arrepto ense hominem „obtruncat: mirata Eva viri sui furorem ac te„meritatem, facti illum arguere cœpit, homi„nem illum manuum suarum sudore procreatum „affirmans. Adamus autem interemti filii jactu„ram sarcire volens, cùm caput jam vitâ destitu„tum adspiceret, festinans abiit, bestiam quæsitu„rus, cujus caput abscissum trunco filii Evæ appli„caret: mox elephante fortè occurrente præcidit

E „caput, quod trunco connexum, rediit ad vitam, „atque in eum modum elephantinum caput cum „longa proboscide vir iste habuit, & nomen acce„pit Ganisso, cujus Idolum eo etiam modo for„mant, & jam Brachmanes venerantur, inter „quos plurimi ex ejus nomine vocantur.

EXER-

EXERCITATIO II.

CAP. I.

Elephanti tempore Pyrrhi primùm in Italia, & inde Romæ visi; Calpurnius malè expositus à Bullingero: Boves Lucæ dicti; nominis illius diversæ rationes, sed à Lucanis sumtum esse statuitur; Varro emendatus; Jos. Scaligeri memoriæ lapsus. Ipsum Elephantis nomen unde descendat, disputatur, & Linguarum Orientalium peritorum virorum sententiæ proponuntur: non esse origine Hebr. probatur. Elephas Baro *dictus; elegans eo super nomine Relandi conjectura. Pyrrhus ope Elephantorum Romanos vicit; & Romani vice versa adminiculo belluarum ipsius Pyrrhi victores fuerunt: Irenæi Della Croce lapsus: Ennii locus examinatus: an Romani Pyrrhi Elephantos fugaverint ariete & sue: iis visis vel auditis terrentur belluæ: suilla caro medicina illis: facibus in fugam conversæ secundùm Orosium. Quot Elephantos Pyrrhus in Italiam deportaverit, & unde eos acceperit: Sigonius notatus; error insignis Critolai apud Plutarchum, vel hic corruptus; Juvenalis Scholiastes examinatus; an Pyrrhus in triumpho ductus sit, an verò Elephantis triumphaverit. In Siciliam trajecit cum iis; Nummi argentei inediti in illa Insula inventi, Elephantis insignes: an Pyrrhi, vel alterius Regis sint, disputatur; inquiritur in Pyrrhi vultum: Pictores notati. In Græciam rediit, & in obsidione Argorum Elephantis usus est; de quibus binæ elegantes Historiæ narrantur: Argivi monumento Regis, qui ad urbem eorum periit, Elephantem insculpserunt: ejus mors variè refertur: Pausanias & Justinus conciliati.*

ELephantos in Italia, & quidem ejus parte Lucania, primùm conspectos A. V. C. 472. & inde dictos *Boves Lucas*, cùm Pyrrhus Epirotarum Rex Tarentinis opem ferens Romanos bello aggressus est, ex Lucretio, Varrone, Plinio, Seneca Tragico, Lactantio, Ausonio, aliisque constat; quod probaturus Bullingerus nescio cur præter nonnullos, quos laudavi, Auctorum, etiam ad partes vocet Calpurnium Poëtam, qui sic canit *ecl.* 7.

Omnia Lucanæ donet pecuaria sylvæ:

cùm *pecuaria*, ut putat, non sint hoc loco *elephanti*, sed pecora, vel armenta, quæ in sylvis Lucaniæ pascebantur, erantque maxima & validissima, uti patet ex Lucilio; & inde Corydon apud Calpurnium canit, non tàm sibi data armenta illa grata fore, quàm fuerant spectacula, quæ Romæ edita magnificentissima viderat.

Metellus Tegerensis, Monachus Benedictinus, scripsit seculo undecimo *Quirinalia*, sive *Vitam S. Quirini*, editam à Canisio tomo 1. *Antiq. Lection.* non aliter etiam vastum illud appellat animal:

A *Turmas belligeras vehit*
Turri dispositas Indica bellua;
Castris mobilibus fuit
Innox pugna diu, percita bestiis,
Quas cursus vice præpetes
Certarunt pedites vincere velites.
Illæ sed celeres ruunt,
Acres horridulo gutture barriunt,
Hostes ore truci petunt,
Et proboscidibus proxima verberant.
Quis nomen vetus hoc erat,
LVCAS *nosse* BOVES *plebs avet urbica?*
B *Hos Lucania primitus*
Vrbs victa dedit sub Duce nobili:
Tandem Græcia subdita
Nomen dans animal fert elephanteum.

Et sunt Eruditi, qui putant Varronem appellasse bovem, animal illud domesticum, *Lucam*, in hisce verbis apud Nonium: *Nocticulam tollo, ad focum fero, inflo, anima reviviscit*; & ad Fragmenta, quæ Editioni Dordracenæ addita sunt, annotatur: *Quidam*, NOCTV LVCAM, *id est, bovem* tollo; *alii* NOCTILVGVM. Sed errant illi proculdubio, cùm vera scriptura sit, *Noctilucam*; C per quam fax vel lucerna intelligitur, quæ ad focum accensa nocte lucet, & ita animam vel flammam recipit; & quidem postea animadverti illustrem Scaligerum non aliter hoc Fragmentum Varronis explicare, in *Notis ad libros de Ling. Latina*, & addere, Lunam eodem sensu Noctilucam dici; atque memoriæ vitio notare, verba hæc sumta esse ex Varronis *Bimargo*, cùm Nonius memoret nobis *Marcopolin* περὶ ἀρχῆς.

Et notandum inprimis, nonnullos existimasse Veterum, elephantos non appellatos esse *boves Lucas* à *Lucania*, verùm à *Libya*. Idem Varro lib. VI. *de L. Lat.* LVCA BOS, *elephas, cur ita dicta sit,* D *duobus modis inveni scriptum. Nam & in C. Ælii Commentario erat à* LIBYCEIS *Lucas, & in Verginii Commentario ab* LVCANEIS *Lucas, ab eo quòd nostri cùm maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem; & in Lucaneis Pyrrhi bello primùm vidissent apud hosteis elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua)* LVCAM BOVEM *appellasse.* Sed has ambas sententias rejicit Romanorum doctissimus, putatque à *lucendo* nomen illud arcessendum esse: *Si à Libya*, ait, *dictæ sunt* LVCAE, *panthera & leones, non Africanæ bestiæ dicerentur, sed* LVCAE. *Si ab Lucanis dictæ, ursi cur potiùs Lu-* E *cani, quàm Luci dicti? Quare ego arbitror potiùs* LVCAS *ab* LVCE, *quòd longè reluceat propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tum ornatæ erant turres.* Verùm, uti observavit Scaliger *ad Varronem*, & post cum pluribus probavit ὁ πάνυ Salmasius *ad Solinum*, *elephas* primò dictus est *bos Lucans*, id est, *Lucanus*, deinde *Lucas* & *Luca*; ut *prægnans* & *prægnas*; præterea *Picens* pro *Picenus*, *Campans* pro *Campanus*; &, quod addo, *Laurens* pro *Laurentinus* apud Plinium in *Epistolis*.

Et hac occasione non malè me facturum existimo, quid eruditionis præstantis viri tradant nobis F de ipsa nominis *Elephanti* origine. Martinius quidem in *Lexico*, Vossius in *Etymologico*, Bochartus in *De Animal.* nec non Jobus Ludolphus in *Commentario ad Histor. Æthiopicam* statuunt, *Elephanti* nomen originem suam debere Hebræis; iis אלוף, *Alluph*, bovem, & אלופים, *Allaphim*, vel אלפים, *Alaphim*, dici *boves*; & manentibus radicalibus litteris Græcos & Latinos terminatio-

Putabat tamen Nicolaus Bon, Jctus Venetus, & hujus itidem studii peritus valde, fortè Nummos esse *Hieronis*, vel alterius Siciliæ Regis; imò malle se eosdem referre ad Seleucum primum, Antiochum Magnum, Gryphum, Dionysum vel Demetrium, Syriæ Reges, quorum Nummi subinde animali illo signati sunt, & tandem ex omnibus illis maximè placere Seleucum Nicatora naso itidem aquilino insignem; id quod patet ex Epistola, quam ad me, uti complures alias, eruditam scripsit.

Ego hanc litem meam non facio; nec Pyrrhum, Hieronem, Seleucum, Antiochos vel Demetrium defendo; sed tamen facere non possum, quin hac occasione notem, Fulvium Ursinum nobis ex orbe argenteo repræsentare Pyrrhum barbatum & galeatum; monere Joh. Fabrum in *Notis*, hanc Regis illius imaginem similem esse reliquis, quæ tàm in marmore quàm Nummis argenteis æneisque visuntur. Et sanè præstanti vir eruditione, Laurentius Begerus, amicus, dum viveret, meus, scribit ad Florum, in Palatio Fabricii De Maximis exstare Pyrrhi statuam barbatam; talisque pictus est in nummo apud Goltzium Tab. IV. *Græciæ:*

non secus ac in alio apud Sponium p. 138. *Miscellan.* qui etiam pagina sequente exhibet nobis Regis ejusdem statuam integram, quæ eadem est cum ea, quam laudat Begerus. Sed tamen in binis aliis apud Goltzium Thesprotiorum Numismatibus video Pyrrhum planè juvenem, mento raso, & diademate cinctum caput, cum inscript. ΠΥΡΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ: putatque Nonnius imaginem illam barbatam non esse Pyrrhi, sed Martis, idque patere ex binis illis Thesprotiorum Nummis. Certè in hisce circum caput Regis imberbis legitur ΠΥΡΡΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ, in altero verò nomen istud scribitur circum Victoriam tropæum adornantem, non secus ac in alio, qui hinc repræsentat caput Dianæ, inde Victoriam, tropæum & coronam cum inscriptione eadem; & ut unam aream hîc Dea illa occupat, ita idem facere in altero nummo potuit Mars; & ita nihil obstaret ferè, quominus Foucautiani Cimelii Nummos attribuere possis Pyrrho.

Cruciant me nihilominus hi Nummi, idque duas ob causas; quarum prima, quòd non animadverterim Syriæ Regum capita coronis laureis cingi, neque etiam aliorum æqualium Pyrrho; nisi quis fortè eximere velit patrem Alexandri Magni, qui bello Phocensium, propter religionem Apollinis violatam suscepto, ita in prælio ornatus fuit, quique fortè videri talis posset in nummo apud Goltzium VII. Tab. XXX. *Græciæ:* nisi tamen aliquis existimet repræsentari nobis Apollinis vultum, licèt tonsus sit capillus, quia aversas aliorum Philippi Nummorum areas alii etiam Dii occupant; & quia in Nummis aliis, uti Rheginorum, Mamertinorum & fortè aliorum Magnæ Græciæ populorum, talia tonsa Apollinis capita occurrunt. Quin & Eruditis considerandum relinquo, an non barbatum illud caput, Martis potiùs quàm Pyrrhi possit esse, quia Dei illius caput simile planè, nisi me omnia fallunt, alibi conspicuum est; & quidem in Nummis Bruttiorum, Rheginorum, Metapontinorumque,

A Atque facere non possum, quin adjiciam, virum admirandæ eruditionis, La-Crosium, Bibliothecæ Borussorum Regiæ Præfectum, ad me misisse similem Regis cujusdam laureati nummum, quem ut mecum communicaret, rogaverat Antiquarius itidem insignis H. Schottus, eidem Bibliothecæ Præpositus. Nam quamvis vultus meorum Nummorum & ille differant, status tamen elephanti, & lineamenta vultuum mihi persuadent eosdem hosce Nummos esse, maximè cùm omnes sint argentei. Ectypum tibi, Lector, exhibeo:

B

Clarissimus Schottus significat, nummum ipsum possideri à Chirurgo Strasburgensi, cui nomen Krieg, illum persuasum habere, esse Consularem, non secus ac alios, & in ea opinione confirmari per parvam notam, quæ supposita est elephanto, quamque credebat esse x. vel denarii Romani notam.

C Vir ille celeberrimus in alia omnia ibat, nec credebat esse Consularem, nec notam illam signum denarii esse, verùm litteram Phœniciam; nummum sibi videri Regis Syriæ, quorum Regum in Nummis elephanti cernuntur, uti Seleuci, & Antiochi Soteris; cujus ultimi imago nummo illi videtur indita esse, eidemque similis esse, quam Vaillantius vulgavit pag. 39. *Historiæ Regum Syriæ*; vultum Regis seniorem esse in hoc Chirurgi nummo, deque illis elephanto insignibus agere Vaillantium *loco citato*, Spanhem. *Dissert.* VII. *pag.* 406. & Norisium *Dissertat.* 2. *pag.* 81. *de*
D *Epochis.*

Hinc adjicit, Chirurgum in hac explicatione quievisse, cùm responsum ab eo tulerit nullum, & confirmari in illa sua sententia, quia sub elephanto scripta est littera Syriaca *Aleph*, quam La-Crosius se ibi putabat animadvertisse: id quod si ita sese habet, uti ne dubitat quidem, characterem illum esse primam litteram nominis *Antiochi*, vel veram notam Regis, quem continuò fecerat hujus nummi auctorem.

Hæc omnia ubi considero, ego quidem fateor, me dubium hærere, quid de Nummis illis argenteis in Sicilia inventis, cui regioni fortè etiam
E Strasburgensis ille debetur, constituendum sit; egoque malo alios in hasce difficultates inquirere, quàm incertis conjecturis ignorantiam meam aperire. Revocat tamen me *corona laurea*, quia, si Pyrrhi caput illâ cingitur, imitari Rex ille potuit *Hieronem*, qui non modò talis conspicitur, verùm etiam diademate ornatus à cervice coronam parvam lauream ostentat apud Goltzium Tab. XIII. Imò eodem in loco *Gelon* diadematus, & in alio nummo *laureatus* conspicitur. Atque ad hanc classem etiam pertinet *Rex Phintias* Tab. IX. nisi ille propter similitudinem vultus & litteras detritas, quæ
F circum caput illud scriptæ erant, ad *Gelonem* sit referendus, uti putabat eruditus Commentator. Sed mihi illa Gelonis & Phintiæ Regum similitudo non animadvertitur; & credo hunc repræsentari, & non Regem Gelonem, vel alium, qui Phintiæ urbis Rex foret, uti idem vir doctus videtur credere. Nam *Phintias* fuit Rex post mortem Agathoclis in Sicilia, uti optimè docet Gronovius pater, vir insignis, ex illo nummo & Diodoro Siculo, ad Plaut. *Menæch.* Act. 2. Sc. 3. v. 58. qui etiam eundem putat nomen dedisse à se conditæ urbi Phintiæ vel Phintiadi. Quod si ita sese

sese habet, ut omnino verisimile, Phalaris certè in Epistula sua 148. non potuit memorare Φιντιεῖς vel *Phintienses*, non *Phinties*, uti eruditus Anglus vertit, cùm Phintias post Agathoclem & ita diu post Phalaridem floruerit. Cui annotationi si addas, eidem memorari *Tauromenium*, quam tamen urbem primùm tempore Dionysii Junioris, post dirutam ab eo Naxum, conditam fuisse à patre Timæi Historici Andromacho, viro magnarum divitiarum & auctoritatis, uti memoriæ mandat Diodor. Siculus; unde, pace quod fiat contraria sentientum, ego crederem non Phalaridis hasce Epistulas esse, sed Sophistæ alicujus, qui valde sese istiuscemodi fictionibus & exercitationibus dare solebant.

Quid, quòd & caput *Tarantis* laureatum puto me videre in Tarantinorum nummo Tab. XXXIII. cui an addi possit *Nicias* in Coorum Numismatibus Tab. XXI. Insul. Græciæ obvius, equidem nescio.

Tandem notanda est characteris diversitas, quæ in Foucautianis & Strasburgensi Nummis clarè animadvertitur, remque eam examinandam relinquo La-Crosio, qui profectò optimè de hisce judicabit. Video insuper eruditionis præstantis viros memorare Nummos Seleuci primi, Antiochi Magni, Antiochi Gryphi, Antiochi Dionysi, & Demetrii, nec non Antiochi Soteris, insignes elephantis, quos vellem utique publici juris factos esse. Nam apud Vaillantium ego nullos Syriæ Reges invenio, quàm Seleucum I. Antiochum Epiphanem, Dionysum, quorum Nummi insignes sunt hisce belluis, & miror præcipuè nullum cerni Antiochi Soteris, cujus sese varios vidisse testantur superiorum seculorum Eruditi.

Atque hæc ita quidem de statua Pyrrhi, quæ Romæ servatur, disputari possunt; sed mihi videbatur, ne quid sileam, Baculum Imperatorium,

A Galli appellant *Bâton de Marêchal*, non videri convenire Deo Marti: hastâ enim Deorum manus armabant juxta illud Justini *lib.* 43. *cap.* 3. §.5. *Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus Veteres hastas coluere: ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur.* Quam in rem videri possunt viri eruditi tàm in Notis, quam in aliis editis Libris. Et sanè non memini me in veteris ævi monumentis unquam animadvertisse, *Baculum Imperatorium* Diis in manus traditum fuisse, sed

B sceptris vel hastis eos decorari, quas Deabus etiam traditas in manus fuisse, non modò patet ex Sidonio Apollinari, verùm etiam ex plurimis Nummis. Et tales obviæ sunt in veteribus hisce monumentis apud Patinum, Minerva, Vesta, Ceres, Isis, Juno, & aliæ; ne jam agam de Geniis Vrbium & Regionum muliebri forma repræsentatis, virtutibusque; Ceres in nummo Juliæ Soæmiadis una manu tenet lampada, alterâ verò hastam, quam ultimam Auroræ Sidonius aufert, & lampada tribuit.

Ceterùm uti, quæ breviter de Pyrrhi Nummis dixi, clariùs pateant, eorum ectypos hîc exhibeo. Et in primo quidem barbatus repræsentatur, si

C modò ejus Regis est, & non potiùs Martis, & certè non de nihilo est, quòd in altera area nomen Pyrrhi Regis legatur, atque ita illud non occurrit in alio circùm caput Dianæ, sed in aversa parte, itidem circum Victoriam.

Sed in illis Nummis, in quibus caput Pyrrhi imberbe & diadematum cernitur, nomen Regis legitur circum illud ipsum, uti ex unius ectypo constat; cui jungere alium volui exhibitum à Dappero in *Descriptione Corcyræ*, ut vel inde pateat, quantopere sæpe Pictores aberrare soleant à veris iconibus:

Pyrrhus frustratus spe Siciliam vincendi, in Italiam rediit, vocatus eò à Samnitibus & Tarentinis, quibus Romani graves erant; & in ea primò pugnavit cum Mamertinis, qui 10000. hominum ante eum in Italiam transvehi curaverant, qui cùm aperto Marte pugnare non auderent, per saltus dispersi, exercitum Regis turbaverunt, & duos elephantos occiderunt. Inde Tarentum se contulit, & eductis secum Tarentinorum optimis militibus, petit Samnium & Romanos, qui variis præliis vicerant Samnites, pugnavitque infeliciter, non tamen justa acie, cum M. Curio, *qui aliquot elephantos cepit*; quique elatus hac victoria, aperto Marte decernere statuit; pepulitque unum hostis cornu, sed coactum est alterum pedem referre ad castra impetu belluarum, quæ per jacta à statione, quæ sub vallo stabat castrorum, tela fugientes retro turbaverunt & disjecerunt Pyrrhi milites,

D quia re victoria & imperium Romanis cessit.

Post hæc cum octo millibus peditum & quingentis equitibus in Epirum rediit, & pugnavit cum Antigono feliciter, & occisis Gallis, qui Antigono militabant, τ͂ ἐλεφάντων ἡγεμόνες, ἐγκαταλαμβανόμενοι, *circumventi*, sese & belluas Pyrrho dederunt. Rogat eum inde Cleonymus Regiæ apud Lacedæmonios stirpis, ut illum restitueret; eóque profectus fuit cum 25000. peditum, 2000. equitum & *quatuor & viginti elephantis*. Lacedæmonii erant pauci & imparati, Rege eorum Areo in Creta pro Gortyniis bellante. Et tamen tàm mulieres quàm viri sese defendere conantur, &

E illæ duce Archidamia fossam fodiunt, vallum ducunt, & ex utraque ora plaustra usque ad medias rotas in terram defodiunt, quæ arcerent belluas, sive elephantos. Cùm autem Pyrrhus novis his ausis & conatibus excidisset, movit Argos, vocatus

tus & invitatus à factione Aristeæ; qui contrà Aristippum stabat. Hæc illi portam aperuit, sed quia per eam ingredi non poterant elephanti, turres ipsis sunt detractæ, mox autem, cùm scil. in urbem penetraverant, repositæ; cúmque in urbe acriter inter tenebras pugnaretur; Helenus Pyrrhi filius *reliquas belluas* & fortissimos milites in urbem auxilio patri duxit, & Pyrrhus urbem relinquere vellet, ipsi *maximus elephas*, jacens in porta stridensque, erat impedimento; & dum discurritur, dum pugnatur, mulier cernens ex tecto Pyrrhum cum filio suo pugnare, sustulit ambabus manibus tegulam, eamque in Regis caput conjecit, qui turbatus ictu & equo delapsus cùm sese colligere inciperet, occisus est à Zopyro quodam, qui ipsi caput abstulit; prout omnia illa nobis conservata sunt à Plutarcho in *Vita Pyrrhi*. Atque idem narrat in oppugnatione Argivæ urbis, elephantum quendam, cui nomen Νίκων, quæsivisse cadaver rectoris, & impetu suo confudisse utriusque partis milites, & repertum proboscide sustulisse: id quod etiam memoriæ mandat Ælianus lib. 7. cap. 41. *de Animalibus*.

Antigonus autem, qui Argivis venerat auxilio, cadaver & caput Pyrrhi cremavit magnificè, teste Plutarcho, & monumento illius insculpti fuerunt Argis elephanti, unà cum machinis, quibus in præliis utebatur, uti narrat Pausanias *libro secundo*. Quod utique videtur, ut hoc addam, contrarium esse Justino, qui narrat *lib.* 25. *cap.* 5. Antigonum Heleno, filio Pyrrhi, *insepulti patris ossa in patriam referenda tradidisse*; quæ tamen ita conciliari possunt, ut crematus quidem Pyrrhus Argis ab Antigono, illique cenotaphium fuerit erectum, sed ossa translata in Epirum. Illud quoque notandum, eundem Justinum scribere, Pyrrhum, *dum Antigonum in urbe clausum expugnare conatur; inter confertissimos violentissimè dimicantem saxo de muris ictum* occubuisse. Nam hæc significare videntur omnino, Regem extra urbem ad ejus *muros* pugnasse, & de *muris* Argorum lapidem vel saxum fuisse dejectum; cùm contrà Plutarchus narret Pyrrhum urbem intrasse, in foro & in plateis fortiter pugnasse, & occidisse filium mulieris cujusdam, quæ, non secus ac mulieres aliæ, spectabat ex tecto domus hasce pugnas, & tegulam à tecto ablatam, ἀπὸ τοῦ τέγους ἄρασα κεραμίδα, jecit in caput Pyrrhi. Quin & addit Pyrrhum cecidisse ad *monumentum Licymnii*, quod fuisse in urbe docet Pausanias *lib.* 2. eumque equo dejectum moribundumque tractum esse εἴς τινα θυρῶνα, *vestibulum quoddam*, scilicet *domus* alicujus vicinæ; quæ singula tam diligenter narrata mihi persuadent, non satis accuratè Justinum versatum esse in historia mortis Pyrrhi.

CAP. II.

Curius Dentatus de victo Pyrrho triumphans Elephantos in pompa duxit, numero quatuor, incedebantque post currum: error binorum Eruditorum in pictura; turribus belluæ erant onustæ; in Nummis editis nulla ejus rei memoria: Arrianus tentatus. Cajus Duillius primo bello Punico an Elephantos in triumpho duxerit, an itidem Atilius Regulus: de nummo Gentis Atiliæ disputatur: L. Metellus Pœnos in Sicilia vicit, & multis Elephantis potitus est: in numerum eorum inquiritur: multos in triumpho ante currum triumphalem egit; Frontinus emendatus; & simul notatus: Diodorus Sic. tentatus: Inscriptio vetus supposititia. Plinii locus examinatur, disputaturque an primus Metellus ille duxerit Elephantos in triumpho: qua arte Elephantos trajecerit per Fretum Siculum. Martinus de Roa, Wegnerus & Ursinus notati, explicatusque Plinius, nec non varii Gentis Cæciliæ Nummi, in quibus Elephanti vel eorum capita; Pierii Val. error. Wheleri lapsus. C. Furnii, & alius ineditus Cornuficii nummus; an in aliis inveniatur proboscis & caput taurinum.

VIcto igitur à Romanis Pyrrho, elephanti etiam Romæ visi sunt, & ducti in triumpho, quem egit Curius Dentatus, A. V. C. 479. Plinius *lib.* 8. *cap.* 6. „Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi „Regis bello, & BOVES LUCAS appellavit, „in Lucanis visos anno Urbis 472. Roma autem „in triumpho septem annis ad superiorem nume„rum additis: Seneca cap. 13. *de Brev. Vitæ*: „Primus Curius Dentatus in triumpho duxit ele„phantos; & quidem numero quatuor: Eutropius *lib.* 2. *cap.* 8. „Curius in Consulatu triumphavit; „primus Romam elephantos quatuor duxit; incedebantque post currum triumphalem: Florus *lib.* 1. *cap.* 18. „Sed nihil libentiùs Pop. Romano ad„spexit quàm illas, quas timuerat, cum turribus „suis belluas, quæ non sine sensu captivitatis, sub„missis cervicibus suis, victores equos sequeban„tur. Et hac occasione facere non possum, quin moneam, mihi videri omnino errare Onuphrium, & eruditum nuperumque Flori Commentatorem, qui nobis describunt & pingunt in triumphis quatuor elephantes junctos, iisque impositas machinas ex ligno factas, atque in illis stantem virum coronatum & lauream tenentem. Hoc enim pugnat toti Antiquitati, & *elephanti cum turribus suis*, nulli alii sunt quàm qui singuli suas turres dorso gerunt, unde in præliis pugnabant armati. Et hoc certè spectaculum fuit visu dignum, cùm alterum ne quidem sit verisimile. Atque ita nec in eadem pompa probo juvenes laureâ coronatos, tenentes manibus ramos, & insidentes collis elephantorum; nam quamvis illorum rectores ita ornati esse potuerint, tamen à nemine Veterum talia tradita nobis sunt, & in hisce rebus puto valere solam veterum Scriptorum auctoritatem, absque quibus loqui erubescere debemus.

Et quamvis hæc res fuerit admodum singularis, & insignis Curii Dentati honor, tamen nulla monumenta, quantùm equidem scio, exstant, quæ triumphi hujus memoriam servant: neque aliquis Eruditorum *Gentis Curiæ* Nummos vulgavit; adeò ut etiam non constet, an posteri ejus triumphi in auro, argento, ære pompam repræsentaverint; id quod post bella Punica factum fuisse constat. Atque ut elephantorum post Pyrrhi tempora historiam ritè digeram & detexam, ab illis mihi initium faciendum esse facilè video, & modò hærere in Italia, & Hispania, atque etiam trajicere in Africam & Siciliam.

Carthaginienses igitur utebantur in præliis elephantorum operâ, & Ennius eorum facit mentionem lib. VII. *Annalium*, quo bellum Punicum primum describit apud A. Gellium *lib.* 18. *cap.* 5.

Denique magna vi quadrupes equus atque elephanti
Projiciunt sese.

Sed

A Sed à nemine Veterum, quantùm equidem scio, memoriæ mandatum est, quando ita bellare inceperint. Neque tamen verisimile, eos id fecisse ante Alexandri Magni tempora, potueruntque ab ipso Asiæ victore, quippe cujus vivi res gestæ iisdem innotuerunt, vel à Ptolemæis, vel potiùs à Pyrrho, qui in Sicilia contra eos elephantis pugnavit, exemplum sumere; & cùm animadverterent magnum belluis ad victoriam momentum inesse, illas venari, & ad bellum instituere. Certè Arrianus initio *Tacticorum* clarè testatur hunc bellandi modum defluxisse post Macedones ad Carthaginienses; & primò elephantos habuisse τὰ Ἐλιδῶν στρατόπεδα, καὶ τὰ Αἰθιοπικὰ, *Elidum & Æthiopum exercitus, inde Macedones, & Carthaginienses, & denique etiam Romanos.* Sed qui sint *Elides* fateor me scire juxtà cum ignarissimis, & insanabilem locum judico, nisi cum Scheffero, viro utique doctissimo, singulari, dum viveret, amico meo, scribatur Ἰνδῶν, quod certè historiæ & veritati optimè convenit. Bochartus autem, id quod in *Exercit.* prima etiam notavi, docuit, elephantos usque ad Al. Magnum in sola India bellasse, atque postea ab aliis Gentibus ad eundem usum adhiberi cœpisse; Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem instituisse elephantorum venationem, & 400. vel 300. habuisse præliis aptos; nec Carthaginienses iis antea ad bellum usos esse. Adeò ut nequaquam sit verisimile, Æthiopes ante Ptolemæos eorum in bellis usum cognovisse; id quod tamen tradit absque ambagibus Arrianus; quem vel soli Elephantophagi, instituta à Philadelpho venatio, & bella ab Æthiopibus absque belluis hisce ante illa tempora gesta refellunt satis superque.

Bello igitur Punico primo A. V. C. 493. Cajus Duillius in Siciliam missus, res tàm mari quàm terra feliciter gessit, triumphavit de Pœnis, illique posita est Columna rostrata, quæ, uti à viris eruditis suppletur, nos docet, eum coëgisse solvere obsidionem Egestæ, & Amilcarem Ducem fugere, relictis in castris novem elephantis, qui proculdubio venerunt in victoris potestatem:

C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSVM.
CARTACINIENSES. EN SICILIAD
REM. CERENS. EGESTANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISSIMAD
OBSIDIONE. EXEMIT. LEGIONES.
CARTACINIENSIVM. OMNEIS
MAXIMOSQVE. MAGISTRATOS. LVCAES. BOVEBOVS. RELICTIS
NOVEM. CASTRIS. EXFOCIONT. . . .

Et in ea antiquissima Inscriptione videas, elephantos appellari *Boves Lucas*, quo de nomine satis multis antea egi. Neque captorum horum elephantorum ulla alia exstat memoria.

Inde A. V. C. 495. A. Atilius Calatinus obtinuit eandem Provinciam, & ferè omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit, atque de Pœnis triumphavit anno sequente. Goltzius nummum edidit, in quo proculdubio victoriæ illius memoria conservatur, cùm in eo conspiciatur currus IV. elephantorum, in quo stat figura corollam protendens cum inscript. A. ATIL. A. F. C. N. id est, *Aulus Atilius, Auli filius, Caji nepos*:

B Et certè nummus hic raritatis eximiæ est, si modò fides Goltzii non foret suspecta; nam nec eundem ediderunt Vrsinus, nec Patinus, nec Vaillantius, reliquiarum antiquarum acerrimi & optimi judices; & currus elephantorum quatuor alicui decretus, vel in Nummis scalptus, non videtur temporis illius simplicitati laudatæ convenire. Non ignoro, Auctorem *de Viris illustribus* scribere, Atilium *gloriosè triumphasse*, & nulla gloria major, quàm victorem populo sese ostendere solemni in pompa vectum quatuor elephantis; sed non legimus eum contra elephantos pugnasse, vel eos à Pœnis cepisse. Quod si tamen nummus ille bonæ C notæ est, quia etiam invenitur apud Parutam numero 38. *Numismatum Græcorum & Romanorum*, quæ cum Siculis suis edidit, dicendum foret; ab aliquo posterorum Atilii in memoriam victoriæ Punicæ signatum eundem, vel per Circum ductum esse ejuscemodi currum propter tam magnificam de Pœnis victoriam, & per *elephantos* designari ab Atilio Pœnos victos, qui Africæ magnam tenebant partem, cujusque regionis animal illud erat symbolum.

M. Atilius Regulus Consul missus fuit A. V. C. 497. cum exercitu in Africam, & magnum D terrorem hostibus injecit; captisque & vastatis multis castellis, Duces etiam cepit, & in vinculis habuit; Carthaginienses spes suas collocabant in equitatu & elephantis, cúmque incommoda loca, relictis camporum planis, elegissent, nihilominus à Romanis victi sunt, uti legere licet apud Polybium *lib.* 1. *cap.* 30. tuncque capti octo & decem elephanti, testibus Eutropio *lib.* 2. *cap.* 11. Orosio *lib.* 4. *cap.* 8. & Auctore *Historiæ Miscellæ*, aliisque. Postquam advenit Xanthippus Lacedæmonius, novum exercitum collegerunt, qui constabat *quatuor millibus equitum, & duodecim millibus peditum, nec non elephantis*, ἀγχιστά πού τῶν ἑκατόν, E *ferè centum*; narrante Polybio *cap.* 32. *libri* ejusdem. Xanthippus autem ita ordinaverat aciem, ut elephanti starent in fronte, tantumque sollertia sua & virtute effecit, ut Regulus victus caperetur, *& plurimi Romanorum ab elephantis conculcarentur*, non secus ac post victoriam illi, qui per patentes campos fugiebant, uti legere licet *cap.* 34.

Hoc cùm Romam esset nuntiatum, horror ingens & metus illarum belluarum Romanos occupavit; „nam postquam (ita loquitur per Interpretem Polybius *cap.* 39.) famâ accepissent elephantos in „Africana pugna ordines dissipasse, multosque „milites trucidasse; adeò illos horrere cœperunt, F „ut continuo inde biennio, quum modò ad Lilybæum, modò in agro Seluntino, intervallo quinque aut sex stadiorum aciem adversùs hostes instruerent, initium tamen prælii facere, aut omnino in plana descendere, dum impressionem belluarum reformidant, nunquam sint ausi; neque „aliud per illa gesserunt tempora, nisi quòd montanis & inaccessis locis inhærentes, Thermam „& Liparam obsidione expugnarunt.

Bello Punico eodem primo A. V. C. DII. L. Metellus Consul in Sicilia insignem de Carthaginiensibus victoriam adeptus est, triumphavitque

VII. Id. Septemb. anni sequentis. Inde est, quòd in Nummis Gentis Cæciliæ bini elephanti ad currum jungantur, & Victoria volitans imponat coronam illi, qui curru vehitur:

Rectè Vrsinus nummum hunc refert ad Cajum Metellum, qui Consul fuit cum Cn. Papirio Carbone A. V. C. 640. & signatum existimat ad celebrandam victoriam, quam L. Metellus de Pœnis reportavit. Polybius *lib.* 1. *cap.* 40. scribit, *L. Cæcilium Metellum decem elephantos cum Indis vel rectoribus suis in prælio, reliquos autem, qui dejectis Indis aufugerant post prælium, ab equitibus circumventos cepisse*: narratque eodem capite, qua arte victoriam adeptus sit; quam eandem conservavit nobis Frontinus *lib.* 2. *cap.* 5. §. 4. cujus verba, licèt longiuscula, integra adscribenda sunt, quia varias complectuntur res, quæ dignæ sunt ut discutiantur: „Q. Metellus Cos. in Sicilia bellum gerens adversùs „Hasdrubalem, ob ejus ingentem exercitum & cen„tum triginta elephantos intentior, diffidentiâ simu„latâ, intra Panormum copias tenuit, fossamque „ingentis magnitudinis ante se duxit: conspecto „deinde exercitu Hasdrubalis, qui in prima acie „elephantos habebat, præcepit hastatis, tela in „belluas jacerent, protinusque se intra munimen„ta reciperent: ea ludificatione rectores elephan„torum concitati, in ipsam fossam elephantos ege„runt: quo ut primum illaqueati sunt, partim „magnitudine telorum confecti, partim retro in „suos acti, totam aciem turbaverunt. Tunc Me„tellus, hinc operiens occasionem, cum toto ex„ercitu erupit, & aggressus à latere Pœnos cecî„dit, ipsisque & elephantis potitus est. Et primò quidem scribendum est *L. Metellus*; licèt in uno tantùm Codice Scriveriano ita exaratum sit, teste Keuchenio, illudque in nullo reppererit Tennulius, quia ille cum Asdrubale rem in Sicilia gessit, & sic appellatur Dion. Halicarnasseo, Polybio, Plinio, aliis, & nullus Q. Metellus Consul fuit ante A. V. C. DCX. *Centum & triginta* elephantos Asdrubali tribuit Orosius; scribitque, *interfectos fuisse* XXVI. *captos* CIII. *& per Italiam ductos maximum Italicis gentibus spectaculum præbuisse*; Eutropius etiam narrat, Asdrubalem venisse cum CXXX. (malè in editionibus nonnullis scriptum est *triginta*) elephantis, Metellum cepisse XXVI. in prælio nempe, reliquos autem errantes per Numidas auxiliares collegisse, & Romam deduxisse ingenti pompa; *cum* CXXX. *elephantorum numerus omnia itinera compleret*: ita ut nullus elephantorum sit interfectus; id quod tamen tradit Frontinus his verbis, *magnitudine telorum confecti*. Sed variant valde Auctores in elephantorum captorum numero: Dionysius Halicarnasseus *lib.* 2. ductos à L. Metello in triumpho scribit *centum triginta & octo*: Epitome Livii 19. *centum viginti*; quem numerum etiam conservat Seneca cap. 14. *de Brev. Vitæ*: *Idem narrabat, Metellum victis in Sicilia Pœnis triumphantem, unum omnium Romanorum ante currum centum & viginti elephantos duxisse*: nec non Zonaras lib. 8. *Annal.* Florus *lib.* 2. *cap.* 2. & Jornandes, *centum circiter elephantorum captivitatem* nobis narrant; at contrà Diodorus Siculus in *Eclogis* libri XXIII. scribit, Cæcilium Consulem Asdrubale victo, quia Cel-

A tæ, qui ipsi militabant, vino sopiti erant, *sexaginta elephantos in potestatem redegisse*, & Romam misisse, eamque rem Romanos magna admiratione affecisse; nisi tamen apud eum nota numeralis corrupta sit. Et hic Metellus à Plinio *lib.* 7. *cap.* 43. dicitur *primus elephantos* duxisse in triumpho, cùm antè ex eodem docuerim à Curio Dentato idem, licèt non tot fuerint numero, factum fuisse: „Q. Metellus, *ait*, in ea Oratione, quem ha„buit supremis laudibus patris sui L. Metelli, „Pontificis, bis Consulis, Dictatoris, Magistri „equitum, Quindecimviri agris dandis, qui
B „PRIMVS elephantos ex primo bello Punico „duxit in triumpho, scriptum reliquit: id quod firmatur mirificè Inscriptione veteri, quæ ab Vrsino, Grutero & aliis edita est:

S. P. Q. R

L. METEL. PONT. II. COS. DICT
MAG. EQ. XV VIR. AG. DAND
QVI. PRIMVS. ELEPHANTOS. PRIMO.
PVNICO
BELLO. DVXIT. IN. TRIVMPHO
PRIMARIVS. BELLATOR
C OPTVMVS. ORATOR
FORTISSIMVS. IMPERATOR.

Verùm existimo hoc monumentum supposititium planè & confictum esse ex Plinii verbis; quod etiam vidi postea, placere Harduino. Pintianus animadvertens contrarium sibi esse *Historiæ Naturalis* Scriptorem, legendum pro *primus* putat *plurimos*; quomodo certè idem loquitur *lib.* 8. *cap.* 6. *Eadem* (Roma vidit) *plurimos anno* DIV. *victoriâ L. Metelli Pontificis in Sicilia de Pœnis captos*; nec non *lib.* 18. *cap.* 3. *M. Varro auctor est, cùm*
D *L. Metellus in triumpho plurimos duxit elehpantos.* Sed Harduinus notat, Exemplaria omnia consentire mirificè, & nobis exhibere non, *qui plurimos*, sed, qui *primus elephantos*; rejectaque Pintiani emendatione putat post Aldrovandum, Plinium non scribere, Metellum primum omnium egisse in triumpho elephantos, sed *primum primo bello Punico*; id quod certè unicè probo, quia & eò ducunt ipsa Plinii verba, *qui primus elephantos ex primo bello Punico*; & significat simul diligentissimus ille Auctor, vel nullos ante L. Metellum primo bello Punico captos fuisse elephantos, vel certè alios Impp. licèt nonnullos ceperint, eos in
E triumpho non duxisse, ut sunt, M. Valerius Messala, C. Duillius, L. Cornelius Scipio, C. Aquilius Florus, C. Sulpicius Paterculus, A. Atilius Calatinus, C. Atilius Regulus, L. Manlius Vulso, Ser. Nobilior, M. Paullus, Cn. Cornelius Asina, C. Sempronius Blæsus, C. Aurelius denique Cotta. Et quidem illarum conjecturarum ultimam amplector, quia M. Atilius Regulus in Africa bellum gerens dicitur cepisse elephantos octodecim ab Eutropio *lib.* 2. *cap.* 11. & ducti illi proculdubio fuissent in triumpho, nisi fortunâ mutatâ Romani magna clade affecti, & Regulus ipse captus à Carthaginiensibus, duce Xanthippo
F Lacedæmonio, fuisset; quo prælio potuerunt elephantos Pœni recepisse.

Antequam autem ad alios Gentis Cæciliæ Nummos accedam, notandum omnino est, Metellum elephantos illos ex Sicilia in Italiam deportasse ratibus ex cupis vel doliis factis; nam, teste Zonara, *dolia multa inter se devinxerunt Romani, & lignis insertis ita distinxerunt, ut neque separarentur, neque coirent: eaque trabibus constrata, sarmentis & terra ingesta circumsepserunt, ut structura illa stabuli instar esset; in eamque introductos elephantos sine sensu navigationis trajecerunt.*

Et

Et paulò antè narraverat, Pœnos à Romanis victos, & Carthaginienſes turbatos fuiſſe à tanta virorum & elephantorum multitudine, claſſemque Punicam advenientem exitio præcipuè fuiſſe, quia dum naves conſcendere conantur, partim in mari perierunt, partim ab elephantis & ſeſe & homines urgentibus conculcati, partim à Romanis occiſi ſunt. Captos ad hoc viros multos & elephantos, qui cùm magiſtros ſuos non haberent, exaſperabantur, & inde Metellum ſalutem promiſiſſe captivis, qui eos cepiſſent, qui manſuetiſſimis & notis captis, etiam ceteros attraxerunt, qui cxx. numero ita per Fretum Siculum Romam ſunt traducti.

Præterea non omittendum eſt, Martinum de Roa lib. 4. cap. 7. *Singular.* quo de vetuſtate eboris diſputat, notare, Plinium etiam Jovem eburneum Romæ in Metelli æde, antiquiſſimi & celeberrimi Statuarii Praxitelis opus, &, quod æſtimare licet ex elephantis, quos ille ex Africa tulerat A. V. 502. vidiſſe multò antiquius; quæ certè quid ſibi velint, nequaquam capio; niſi cenſeat, Jovem illum eburneum factum eſſe ex ebore elephantorum, quos Romam adduxit Metellus; ſed ita nullo modo poteſt eſſe opus Praxitelis, quippe qui fuit vetuſtior; deinde qui Jovem eum fecit, vocatus fuit *Paſiteles*, & Metellus non fuit is, qui ædem illam fieri juſſit, ſed alius *Macedonicus:* Plinius *lib.* 36. *cap.* 5. *Natus hic* (Paſitiles) *in Græcia Italiæ ora, & civitate Romana donatus cum iis oppidis, Jovem fecit eboreum in Metelli æde, quà campus petitur*; & rectè notat Harduinus, *Macedonicum* deſignans, qui primus omnium Romæ ædem ex marmore molitus vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit, teſte Vellejo *lib.* 1. *cap.* XI. Præterea *L. Metellus* Conſul A. V. 502. non ex Africa, ſed ex Sicilia elephantos in Italiam & Romam deportavit, ut ex iis, quæ monui patet ſatis ſuperque. C. igitur Metellus in memoriam victoriæ L. Metelli elephantorum curru Nummos ſignavit; & fortè talis currus Ludis Circenſibus Populo exhibitus fuit. Eandem ob victoriam in Nummis M. Metelli, qui fuit nepos L. Metelli noſtri, cerni caput elephanti, clypeo votivo inditum, exiſtimo, niſi tamen M. ipſe Metellus, qui Conſul fuit A. V. C. 638. non 618. uti malè apud Vrſinum ſcribitur, cum M. Æmilio Scauro, in Sardinia, quippe de qua A. 640. triumphavit, elephantos ceperit, qua de re altum apud Hiſtoricos ſilentium:

Atque hæc L. Metelli de Pœnis victoria tanti viſa fuit Genti Cæciliæ, uti in aliis ejuſdem Nummis animal illud exhibeatur: nam apud Vrſinum hinc cernitur caput Jovis laureatum, inde triremis, & ſupra eam caput elephanti, cujus ex collo dependet tintinnabulum; quod idem in aliis Familiæ illius Nummis obſerves, notavitque olim in numiſmate vetuſto Hieronymus Magius:

Atque ita alium Vrſinus nummum propter elephanti caput infra bigas depictum eidem Genti vel Familiæ non abſque ratione adſcribit; quin & tres apud eundem Nummi occurrunt, quorum in uno hinc cernitur caput Pietatis & ciconia, inde elephas & infra eum Q. C. M. P. I. *Quintus Cæcilius Metellus Pius Imperator*; notandumque diligenter optimum Principem Trajanum reſtituiſſe hunc nummum, uti patet ex ectypo:



In ſecundo caput barbâ prolixâ laureatum; Q. METEL. PIVS, & elephas in altera area, SCIPIO. IMP. In tertio verò, hinc caput Africæ, non autem Scipionis, uti putabat Pierius, ornatum proboſcide, cum parergis ſpica & aratro, nec non Q. METEL. SCIPIO. IMP. inde Hercules, &, EPPIVS LEG. F. C.



Joh. Weidnerus; qui non ineleganti Diſſertatione PIETATEM ex Nummis illuſtravit, putat per elephantum in nummo Q. Cæcilii Metelli repræſentari *Pietatem*, non ſecus ac eadem virtus vel Dea in ejuſdem Gentis Nummis deſignatur ciconiâ; quia Pierius lib. 2. cap. 16. *Hierogl.* animal illud facit ſymbolum Pietatis, quippe cui Plinius *lib.* 8. *cap.* 1. ineſſe narret *probitatem, prudentiam, æquitatem, religionem quoque, ſiderum, Soliſque ac Lunæ venerationem.* Sed hæc ſententia, ut ut ſit ſpecioſa, mihi tamen non probatur; quia in ejuſdem nummi altera area cernitur caput Pietatis, ejuſque ſymbolum ciconia; & deinde, quod non animadvertit vir doctus, quia Metellus Numidici filius non cognominatus eſt PIVS propter pietatem in Deos, ſed in patrem, quem expulſum civitate pietate ſua & pertinaci erga exſulem amore reſtituit, uti ex Vellejo, Val. Maximo & aliis

constat; quò propriè pertinet *ciconia*, quia juniores parentes senectâ debiles alere & defendere dicuntur.

Secundus nummus non modò ab Vrsino editus est, verùm etiam memoratur Whelero lib. 3. *Itinerarii* pag. 223. qui eum pertinere existimat ad L. Scipionem Asiaticum, quem victo Antiocho elephantos quindecim cepisse constat ex Livio *lib.* 37. *cap.* 44. Sed credo virum eruditum errare, illumque nummum eundem esse cum eo, cujus ectypum ex Vrsino exhibui; & pertinere ad Q. Metellum Scipionem Pium, quomodo & hoc nomen ab utraque illius parte integrum planè legitur.

In *Catalogo Numismatum* Joh. Gril, typis descripto Amstelædami Anno 1679. inter incerta Familiarum Numismata recensetur unum, in quo pictæ sunt *Bigæ super caput elephanti* cum litteris AM. quod quò pertineat, scio juxta cum ignarissimis.

Præterea Fulvius Vrsinus, vir in antiquario studio inprimis versatus, notat, Scipionem, cujus in Nummis Gentis Cæciliæ mentio, fuisse adoptatum à Q. Metello Pio Numidici filio, & propterea appellari *Q. Metellum Pium Scipionem*; additque Cæsarem sequutus, in Africa eum appellatum Imperatorem, & propterea eos Nummos ibi signatos fuisse; Cæsar ita loquitur lib. 3. *Civ.* cap. 31. *His temporibus Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese Imperatorem appellaverat.* Sed mons *Amanus* non fuit in Africa, verùm in Asia; & hoc in Asia gestum esse certissimum est, quia mox sequitur, Scipionem, hostibus Parthis post se relictis, in Provinciam venisse, & deduxisse Legiones Pergamum, atque in locupletissimas urbes in hiberna; & quæ alia ibi legi possunt. Fuit certè hic Scipio in Africa, gessit ibi bellum, à parte Pompeji stetit, præfuit exercitui, adeò ut Considius dixerit, *unum esse Scipionem hoc tempore Imperatorem Populi Romani*, teste Auctore Libri *de bello Afric.* cap. 4. quia scil. Considius Cæsarem non agnoscebat, & imperium in Africa Scipioni mandatum erat à Senatu; & quanquam tunc fuerit *Imperator*, sive Dux exercitus; non tamen in Africa ob victoriam qualemcunque fuit appellatus *Imperator*, sed in Asia nomen illud sibi sumsit, licèt non satis feliciter ad montem Amanum, qui Syriam à Cilicia dividit, pugnaverit.

Non est insuper verosimile, Nummos illos signatos fuisse in Africa, sed Romæ potiùs; ut alii ejusdem generis, Gentis Eppiæ & Norbanæ; in quibus Africa proboscide elephanti ornata, etiam depicta est; & fortè ab hoc Scipione, vel ab una harum Familiarum repetenda est origo ejuscemodi picturæ. Nam Eppius fuit Scipionis Legatus, unde in nummo circum Herculem legitur apud Vrsinum, EPPIVS. LEG. F. C. in altera verò area circum caput Africæ, Q. METEL. SCIPIO. IMP. & nummus L. Cestii atque Norbani, est enim unus idemque, ex sententia Vrsini, referri debet ad C. Norbanum, qui fuit Prætor Siciliæ, Antonii postea Legatus, & Consul cum Appio Claudio A. V. C. 715. vel ad ejus patrem, qui Consul fuit cum L. Scipione Asiatico A. 670. Quod ultimum si verum, jam certè ab eo tempore foret arcessendum initium ita depictæ & repræsentatæ Africæ: quæ etiam talis conspicitur in nummo C. Furnii, quem ad A. V. C. 724. sub Augusto recenset Goltzius, & quidem, ut reor, ob confectum eo anno bellum Alexandrinum, victamque Cleopatram. Et elegantissimi vir ingenii Jacobus de Bary mecum communicavit ectypum nummi Gentis Cornuficiæ, in quo hinc pictum est Africæ caput; inde ipse Cornuficius cum lituo Auguratus insigne, & Juno Sospita eidem coronam imponens propter victoriam, uti verisimile, quam in Africa, cui præerat, deportavit, addita inscriptione, Q. CORNVFICI AVGVR. IMP. uti clariùs patebit ex ectypo:

Quin & observandum hac occasione, illustrem Spanhemium pag. 399. *Dissert.* Edit. Londin. etiam recensere nummum Norbani, insignem exuviis elephanti, sed in eodem præterea reppperisse cornu taurinum; ita enim loquitur vir excellenti ingenio & dignitate; *Aliàs simile cornu taurinum cum elephantis proboscide* AFRICÆ *symbolum constituere videas in denario Gentis Norbanæ*, *idque, ut facilè licet augurari, ob frugum copiam*; unde & Africæ, quasi TERRAE SPICARVM, nomen eruebat doctissimus Bochartus. Sed in illis, quos ediderunt Vrsinus, Goltzius, Patinus & Vaillantius, ego nullum tale cornu, imò nonnisi caput vel exuvias capitis elephanti invenio, atque in eo bina belluæ illius cornua sive dentes potiùs, & proboscidem; adeò ut credam Legatum egregium alium Gentis ejus nummum in Cimeliis, quæ summa cum diligentia & laude inspexit, præter elephanti exuvias vidisse etiam cornu tauri.

CAP. III.

Africa in plurimis Nummis repræsentatur capite Elephanti exuviis tecto, talisque à Claudiano aliisque describitur: Aldrovandus notatus: ab insigni illo Vicus Romæ Caput Africæ *dictus est: Mabillonii elogium; ut & Fabretti. Nummi recensiti, in quibus Africa talis repræsentatur. Eidem explicati, & notati subinde Viri eruditi.* Mauretania, Cyrene & Alexandria *similiter pictæ & repræsentatæ in hisce veteris ævi reliquiis. Nummi Clodii Macri explicati, sed dubitanter; Patinus laudatus: an Mauri fuerint custodes corporis Domitiani, disquiritur: Tristanus notatus; Statius & Martialis explicati. Æthiopes nigri, Mauri subfusci. Nummus Hadriani, in quo Africa galea elephantina tecta; non secus ac in aliis Antonini Pii, Commodi, Diocletiani. Harduini explicatio ultimi nummi examinata, non secus ac alia Maxentii. An Arabia teneat dentem Elephanti; Tristani error: in Arabia non gignuntur Elephanti, licèt id tradant nonnulli Eruditi: P. Pedrusius laudatus: Juvenalis explicatus. Nabathæa an in India, an in Arabia, an in Troglodytica, vel Africa: varii Juvenalis Interpretes notati: Jesaiæ & Ezechielis loca exposita: Cellarius, Meibomius, Grotius aliique laudati: Vulg. Interpres notatus. Urbs Elefantaria: Africæ caput in Gemmis. An Jupiter Ammon, an Atlas, an Trajanus exuviis Elephanti tectus sedeat in nummo Cotorniato, an Juba Rex in alio; quod ultimum rejicitur, ostenditurque esse caput Africæ, licèt Jubæ nomen illi sit adscriptum.*

Num-

Nummus Neronis expositus. Acrasus urbs Lydiæ, non autem Libyæ. Com. Mezzabarbæ laus. Nummus ex Museo meo æreus ineditus, in quo conspicitur hinc caput Æthiopis, inde Elephas.

SEd ut in medio relinquo, à quo primùm Africa, proboscide elephanti caput tecta, in Nummis exhibita sit, ita commoda se nunc offert occasio varios Nummos, in quibus eadem pictura cernitur, vel Africa dentem elephanti gerit, recensendi & illustrandi; ita tamen ut antea monere debeam doctissimum Aldrovandum malè existimare, in nummo Gentis Cæciliæ, Scipionis caput pingi, ejusque galeam elephantini capitis speciem habere.

Notum igitur est, AFRICAM eleganter describi à Claudiano lib. 2. *de Laud. Stilic.* v. 256. & inde patebit hoc insigne ejus regionis fuisse:

Tum spicis & dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die sic Africa fatur.

Idemque in libro *de Bello Gildonico*; nec non Sidonius Apollinaris in *Majoriani Panegyrico*, non aliter Provinciam hanc describunt. Quin & persuasum habeo Romæ Vicum, dictum *Caput Africæ*, à tali capite nomen suum habuisse; cujus Vici vel Loci meminerunt P. Victor & S. Rufus in suis Vrbis Descriptionibus. Quin & ejusdem Loci mentio occurrit in Descriptione alia, quam edidit diligentiæ & eruditionis spectatæ vir Joh. Mabillonius tomo IV. *Analectorum Veterum*; nec non in Inscriptione 257. cap. IV. & opere doliari figlinæ Q. Ser. Pud. num. 127. cap. 7. apud Fabrettum, exquisitæ virum doctrinæ.

Sed uti ad Nummos accedam, constat utique in multis apud Arschotanum Ducem & alios AFRICAM ita pingi: testis ejus moris est elegans Augusti, editus à Goltzio, cum inscriptione, DIVI. F. nam quamvis *Africæ* nomen in eo non legatur, certum est tamen, eam regionem nobis repræsentari:

In Nummis Hadriani eadem Provincia, ita ornata, genu flexo, *spicas* ob fertilitatem simul tenens, manum Imperatori porrigit, gratias agens, uti inscriptio nos docet, RESTITVTORI AFRICÆ: in altero jacet, vel in terra sedet, sinistrâ tenens cornu copiæ, & dextrâ scorpionem, ante pedes calathus cum spicis; & in alio itidem sedet, manum dextram imponens leoni, sinistram calatho, quia dives frugum terra, & eorum animalium ferax admodum est. Est & alius, in quo Imperator idem stat, & Africa sacrificans eidem gratulatur felicem adventum; uti inscriptio testatur, ADVENTVI. AVG. AFRICÆ:

A

B

In Commodi itidem nummo apud Anton. Augustinum Africa ita ornata spicas offert Herculi, addita inscriptione, PROVIDENTIÆ AVG.
C & in alio Septimii Severi stat spicas sinu gestans & leone comitata, uti patet ex ectypo:

D cui ferè similis nobis exhibetur ejusdem Imp. apud eundem Ant. Augustinum pag. 90. versionis Italicæ *Dialogorum*; quæ Editio vel inde æstimanda, quia Nummi, quorum fide Archiepiscopus ille pulchrum illum Librum composuit, inserti illi sunt.

Quin & apud Vaillantium, id quod antè monendum fuerat, Antonini Pii nummum describitur, in quo legitur AFRICA. COS. II. cerniturque mulier proboscide caput tecta, dextrâ coronam, sinistrâ tenens cornu copiæ.

Neque tantùm AFRICA, sed ejusdem regio-
E nis aliæ partes, hoc symbolo usæ sunt. MAVRETANIA talis occurrit in ejusdem Hadriani pereleganti nummo, quippe quæ regio inprimis elephantorum ferax; uti vel patet ex Petronio:

Quæritur in silvis MAVRI fera, & ultimus
Ammon
Afrorum excutitur, ne desit bellua dente
Ad mortes pretiosa suas.

Atque huc pertinet omnino in binis Regis Mauretaniæ Jubæ, qui tempore Augusti illam rexit,
F Nummis hoc insigne regionis, quam tenebat ditione, cerni. In uno pictum est caput muliebre, tectum exuviis elephanti cum inscriptione, REX IVBA; in altero verò idem Rex diademate cinctus caput occurrit; & in aversa area Victoria insistens capiti ejusdem animalis; cujus, uti etiam alterius, Hadriani, ectypos supponere visum fuit:



Credo autem Victoriam capiti elephantis insistentem, haud leve indicium esse, Jubam istorum elephantorum ope hostes prælio vicisse; sed quid litteræ nummi istius numerales sibi velint, ignoro planè.

CYRENE pars Africæ non incelebris non aliter nobis repræsentatur, quàm galea elephantina, in nummo Titi, quem edidit Patinus, additurque epigraphe, ΦΛΑΥ. ΚΥΡΗΝΗ, *Flavia Cyrene:*

Quin ALEXANDRIA etiam, Ægypti caput, eundem in modum ornata occurrit, uti patet ex Galbæ nummo, quem tomo secundo describit Vaillantius, & in quo scriptum est, ΑΛΕΞΑΝΔΡΙΑ, uti patet ex ectypo itidem; licèt eadem urbs in nummo Lepidi, Tutoris Regis, & Pontificis Maximi, picta sit capite turrito apud Ursinum. Sed & doctissimus Morellus testatur in eleganti *Specimine* suo, illustrissimum Soderini possidere singularem & oppidò rarum Othonis nummum æneum, cum hujusmodi galeam elephantinam gestante capite muliebri, & inscriptione, ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ; qualem etiam vulgavit Vaillantius in altera Editione *Numismatum Græcorum*. Similem planè idem recenset Vespasiani, & alium Othonis in *Ægypto Numismatica*, in quo mulier stat velata caput proboscide, corollam manu gerens; quæ omnia binis ectypis adstruere & firmare visum fuit:

Nummi itidem varii sunt, in quibus legitur nullius regionis vel urbis nomen, & tamen Eruditi rectè judicant, eos pertinere ad Africam vel Ægyptum, quia caput muliebre tectum est exuviis elephanti. Talem paulò antè exhibui ex Goltzio Augusti, & similis in nummo Domitiani apud Tristanum, cum epigraphe, ΕΤΟΥC ΤΡΙΤΟΝ, *anno tertio*, nempe Imperii Domitiani:

A

B Vir doctus non malè ad *Africam* decurrit, sed egò mallem *Ægyptum* vel *Alexandream* advocare; quò & referrem alium Neronis, qui servatur in Cimelio Galliarum Regio, in quo circum caput proboscide ornatum scribitur ΑΥΤΟΚΡΑ. L. IB. quem cæteroquin tribuit in genere *Africæ* Harduinus.

Et insignis inprimis est Clodii Macri nummus, quem raritate eximium publicavit Joh. Vaillantius in *Notis ad Seguinum*; cujusque in una area exhibetur caput Africæ cum epigraphe, C. CLODI. MACRI. LIBERA. S. C. in aversa, duo signa militaria, intermedia aquila legionaria, LEG. III. AVG.

C

Existimat vir pereruditus, Macrum Africæ Legatum, audita Neronis morte, res novas molitum esse; & ut militum ac Provinciæ gratiam sibi conciliaret, Legionem tertiam Augustam, cui præerat, & Africam liberas pronuntiasse, Nummos in rei hujus memoriam signatos, & S. C. esse notam solennem adprobationis & consensus Senatus in
D Nummis percutiendis; Clodiumque Macrum, cùm Roma gravi annonæ penuria laboraret, frumenti copiam, & omnem frugum ubertatem liberam sivisse, & Senatum acta illius comprobasse. Hæc explicatio certè erudita est & ingeniosa; sed tamen videant Eruditi, an non Africa Clodium Macrum appellet *Liberatorem* suum; quomodo & Constantinus dicitur esse LIBERATOR. VRBIS. FVNDATOR. QVIETIS: & an non, ut hoc obiter adjiciam, LEG. I. MACRIANA in nummo, quem edidit ad Suetonium Patinus, vir antiquariæ rei peritus admodum, mihique, dum vixit, amicissimus, appelletur potiùs LIBERATRIX, id
E quod & viro erudito venit in mentem, quàm LIBERA; & tandem an τὸ S. C. possit esse nota adprobationis Senatus, qui Galbam, in Hispania Augustum factum, agnoverat; & an non potiùs illam apponi curaverit *Macer*, ut Afri crederent, Senatum stare à suis partibus.

Sed & inprimis notandum est, doctissimum Tristanum tomo 1. p. 339. putare, Afros in honorem Domitiani laudatum modò nummum, in quo caput Africæ occurrit, & alios signasse, ad demonstrandam eorum fidem, quæ tanta in eum erat, ut habuerit Mauros custodes corporis sui; id quod pro-
F bare conatur loco eleganti Statii lib. 4. *Sylv.* carm. 2.

> *Sed mihi non epulas, Indisque innixa columnis*
> *Robora Maurorum, famulasve ex ordine turmas;*
> *Ipsum, ipsum cupido tantùm spectare vacavit*
> *Tranquillum vultu:*

qui scilicet canit, sese Augustæ mensæ adhibitum, in solum Domitianum oculos habuisse intentos, non autem considerasse epulas, *ni ces Mores agréables à voir pour leur belle corpulence, & arrangez en ordre, appuyez contre ces petites colomnes Indiennes,*

nes, autour de cette Sale Imperiale. Sed ego malo sequi viros eruditos, qui *robora Maurorum* explicant, *mensas citreas*, quæ ex Africa petitæ maximo Romæ erant in pretio, quæque *robora*, quo nomine quercus veniunt, vocantur, & impositæ erant columnis eboreis. Neque enim verisimile in cœnatione Imperatoria fuisse columellas dispositas, ad quas sese custodes corporis Mauri reclinarent; & quamvis exemplo Claudii, de quo videri potest Suetonius etiam, Imperatores *in conviviis*, τινὰς στρατιώτας πάντως συνόντας, *quosdam milites adstantes haberent*, teste Dione, tamen credo illos non Mauros, sed Prætorianos, sive *Speculatores*, vel saltem Germanos, qui inter custodes corporis erant, fuisse. Hinc puto gratis insignem Antiquarium affirmare, *qu'il estoit de l'usage & de l'ordre de la Maison Imperiale, qu'il y eût lors une compagnie de Cavaliers Mores d'élite de la garde particuliere de l'Empereur, qui l'accompagnoit par-tout*; & Martialem id indicare *lib.* 10. *ep.* 6. *où il parle de l'avenement de Trajan à Rome après sa victoire Germanique: disant, que l'on soupire à Rome après son arrivée, & de le voir, quand (ce dit-il parlant à cette belle troupe More) vous irez au devant de la part de l'Empereur avec vos belles tuniques peintes à l'Egyptienne,*

Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri
Ibitis, & populi vox erit una, Venit?

Nam Imperatores, imò etiam ditiores Romani, alebant *Numidas* equites, qui agmen ducebant, præcurrebant, & propter veloces equos muneri illi adhibebantur, uti pulchrè docet Raderus *ad Martial. lib.* 10. *epigr.* 13. & hoc respectu Seneca *epist.* 114. dicit: *Omnes sic jam peregrinantur, ut Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat:* & ita Nero apud Suetonium *cap.* 30. *iter fecisse traditur phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum:* sive illi *Mazaces*, vel *Mazuces*, fuerint *Cappadoces*, uti putat Torrentius; sive Afri, uti dubitat idem, affirmantque Raderus & Salmasius, atque ante eos alii. Neque tamen inde constat eos fuisse adscitos in custodes corporis & nigros, atque ad columnas parvas albas reclines stetisse in cœnatione Imperatoris. Præterea animadversione dignum est, doctissimum Tristanum *Mauros* & *Numidas* vertere *Mores*, & narrare ex Procopii *lib.* 2. Ariobindum *par cette sorte de Mores* fuisse occisum. Ego apud Procop. lib. 2. *Belli Vandalici* p. 132. versionis Grotii invenio tantùm, *Gontharim immisisse Vlitheum & alios nonnullos in Ariobindum, eumque ab iis fuisse confectum:* & paulò antè Vlitheum vocat *fidissimum Gontharis satellitem*, & *Mauros* memorat. Et certè nullum dubium, quin Mauri ibi fuerint, cùm in Africa res gesta sit, sed de Mauris custodibus corporis nihil ibi legitur. Et quanquam Tristanus mox ita commentetur; *D'ailleurs cette posture de Mores, appuyez à ces colomnes pendant la longueur du repas de l'Empereur, étoit commode pour l'attention, qu'ils devoient avoir à la conservation de sa Majesté Imperiale sujette à mille conjurations: & même cela servoit à l'ornement du lieu, la rencontre des tuniques peintes, & la noirceur de la charnure Moresque avec la blancheur d'yvoire étant très agréables à voir, ressemblans aux statues diverses de la Foi, de la Seureté publique, de la Constance, de la Paix, de la Tranquillité, & autres Déitez, qui étoient toûjours, ou le plus souvent, représentées appuyées de la sorte sur de petites colomnes dans les palais, cenacles & cabinets des Empereurs Romains, comme autour des temples.* Ego tamen puto ultima hæc meram ingenii lascivientis notam esse; deinde malè confundi Mauros & Numidas cum Æthiopibus, quos Europæi hodie appellant *Mores*; cùm Mauri vel Numidæ non fuerint nigri,

A sed coloris subfusci; unde & Juvenalis *sat.* XI. Indos illis *obscuriores*, id est, magis nigros, facit:

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu,
Jam nimios, capitique graves.

quanquam idem Juvenalis *sat.* 5. illis nigrum colorem tribuat,

——— *nigri manus ossea Mauri:*

non secus ac Manilius *lib.* IV.

Pœnus arenosis Afrorum pulvere terris
Exsiccat populos, & Mauritania nomen
Oris habet, titulumque suo fert ore colorem.

B Sed certum est Numidas & Afros non tam nigros fuisse ac Æthiopas & Indos, vel quos hodie Galli *Mores*, & nos *Moren* appellamus; quia æstus ibi non est tam ardens ac apud illos: id quod etiam annotavit olim Appianus in libro *de Bel. Punicis*.

Sed, ut pergam, in Hadriani numismate apud insignem Antiquarium, Andream Morellum, Tab. X. figura muliebris spicas gerens, & exosculans Imperatoris manum, proboscide ornatur, additis litteris, L. IE. *anno decimo quinto*; & rectè vir eruditionis præstantis & diligenter versatus in dignoscendis & explicandis Nummis, putat *Alexan-* C *driam* nobis repræsentari, idque variis argumentis quæ ab eo peti possunt, probat:

In nummo ad hoc Antonini Pii elegantissimo D quem publicavit Philippus Buonarotti, illustris itidem & eruditus Antiquarius, depingitur nobis Imperator paludatus stans, Victoria cum tropæo, & figura jacens, spicasque tenens, & exuviis belluæ nostræ ornata:

E

Hîc proculdubio nobis Africa repræsentatur; quia teste Capitolino *cap.* V. Antoninus *Mauros ad pacem postulandam coëgit.* Nec minùs eleganti in Commodi nummo apud Tristanum Tom. I. p. 725. depingitur figura muliebris, manum Herculi porrigens, in sinistra est sistrum, caputque probo- F scide ornatum: uti ectypus clariùs docebit:

&c

Et rectè, si quid video, *Africam* denotari putat vir doctus, quia Commodus *classem Africanam*, teste Lampridio, *instituit*; *quæ subsidio esset*, *si fortè Alexandrina frumenta cessassent*; id quod ita sese habere, docet Hercules, stans veluti ad unam columnarum vel montium, quibus perruptis dicitur Mare Mediterraneum admisisse; & quidem pedem imponens navi, proculdubio σιτηγῷ, & classem Africanam repræsentanti. Quin etiam insignis est Diocletiani Augusti nummus apud Franciscum Angeloni; in cujus una area picta est figura muliebris, dextrâ vexillum, sinistrâ tenens elephantis dentem vel cornu, caputque proboscide tectum habens, cum inscriptione, FELIX. ADVENT. AVGG. N. N. & P. F. N. uti patebit ex ectypo:

Similem vel eundem recenset Mediobarbus pag. 427. refertque ad Annum 302. Æræ Christianæ, quo Diocletianus & Maximianus Romam triumphantes sunt ingressi. Et certè fieri potest, ut hoc emblemate designetur illorum Augustorum ex Ægypto & Africa reditum; sed tamen ego persuasus sum, denotari illo emblemate Diocletianum Ægyptum vel Alexandriam, Maximianum verò in Africam vel Mauretaniam venisse; & ita similis Maximiani nummus ab eodem Mediobarbo refertur Anno 300. ad illius in Africam adventum; inscribiturque etiam ille ADVENT. AVGG. N. N. *Augustorum nostrorum*, licèt solus Maximianus eò venerit, quia ita fieri solebat, quodque unus Augustus fecerat, alteri etiam in Nummis tunc tribuebatur. Neque enim unquam mihi fiet verisimile denotari in Nummis illis, Augustorum adventum Narbonam, ubi mercatores erant, qui Carthagine negotiabantur, ut nescio quibus rationibus permotus pag. 130. *Numismatum Sæculi Constant.* & alibi commentatur Harduinus. Atque idem Jesuita, pag. 149. ejusdem Operis, Maxentii nummum describit, in quo legitur CONSERVATOR AFRICÆ SVÆ, & stans pingitur *Africa* cùm signo militari & dente elephantino, quem ille; uti & omnes alios Maxentii confidenter (sic homo est) affirmat signatos esse in Treverensi Provincia, quam obtinuit; vel ab iis qui Karthagine negotiabantur, quia ejusdem Maxentii classe defendebantur à piratis. Hæc itidem explicatio cui innitatur fundamento, ne divinando quidem adsequi possum. Nam Maxentio data regenda Africa & Italia, non autem Gallia; deinde licèt ille in Africa non fuerit, potuit tamen regio illa vel Carthago Nummos ejusmodi signare, quia per Legatos eam liberavit ab Alexandro tyranno; vel quia eum adventurum speraverant; vel denique eò potuit trajecisse, licèt Historici, qui nobis supersunt, nullam hujus profectionis faciant mentionem. Quæ autem de *Treverensi Provincia*, de Nummis ibi signatis Maxentii omnibus, de pensionibus, de tributo, aliisque inauditis rebus, non modò loco laudato, verùm etiam toto illo Opere scribit, non puto quenquam probaturum, cui mens sana in corpore sano; nec ergo tam admirabilibus, tam inauditis, opinioni-

A bus refellendis tempus, quod mihi semper perquam exiguum superest, impendam; licèt facili opera ostendere possem, nullam ferè Libri illius paginam esse, quæ non paradoxo, imò paradoxis insignis sit.

Et observatione inprimis dignum, Jacobum Gallæum possidere MS. Geographiam, Julio Cæsari adscriptam nescio à quo barbaro Auctore, cujus hic est titulus, *Incipit Cronica Julii Cæsaris*; & initium, *Julio Cæsare & Marco Antonino Coss. omnis Orbis peragratus est per sapientissimos & electos viros quatuor*, *Nicodemo Orientis*, *Didimo Occidentis*, *Theudoto Septentrionalis*, *Policlito Meridia-*
B *ni*; & in capite ultimo, quo de fluminibus Oceani Meridiani agit, locum esse notabilem, qui nos docet cum dente elephanti Africam fuisse pictam: *Meat ab Ægypto usque terminum Libyæ*, *id est*, *Africæ*, *ubi est templum Neptuni inter Pentapolim & Tripolim*; *ubi est statua Libyæ Pamphiliæ in similitudinem Africæ*, *tenens frugem & calcans modium*, *& manus* instra *ebur elephantinum*. *Hæc Libya Pamphilia à Neptuno compressa*: neque enim aliud hæc significant, quàm statuam illam adinstar Africæ tenuisse dentem elephanti: &, nisi me fallo, scribendum est, *manu sinistra*; quâ
C certè in Nummis Africa illum tenet.

Neque tantùm *Africa*, sed etiam *Arabia* subinde tenet dentem elephanti. Nam Vaillantius Trajani nummum recenset Græcum, in cujus aversa area exhibetur nobis, si fides egregio habenda viro, „*Arabia* stans, tenens dextrâ ramum, „lævâ elephantis dentem seu cornu; pro pedibus „camelus: & mox alium similem idem recenset, ad quem notat: „Mulier hæc cum ramo & dente „seu cornu elephantis *Arabia* est Provincia à Palma Syriæ Rectore subacta, quæ ramum gerit, „quem alii Provinciæ peculiarem, alii pacis sym-
D „bolum existimant: dens seu cornu elephantis, „eorum in hac Provincia copiam denotat, ex „quibus fiunt opera eburnea. Sed primò mihi nullibi lectum est in Arabia elephantorum copiam, vel in ea regione illos natos esse, & omnes Veteres testantur uno ore, belluas hasce nasci in India, Æthiopia & Mauritania, vel generaliter in Africa; nec puto quenquam Veterum vel Recentiorum inventum iri, qui testetur Arabiam elephantorum feracem esse; *camelus* illius regionis proprium animal, unde etiam veluti insigne, Arabiæ apponitur; & puto longè aliud esse, quàm dentem elephanti, quod Arabia tenet; exhibeo num-
E mum ejusdem Trajani Latinum, in quo eadem planè figura depingitur:



F Et quod illa manu sinistra tenet, vir doctus proculdubio putat esse cornu vel dentem elephantis, cùm tamen mihi nihil simile videatur habere, nec sit incurvum, uti sunt elephantorum dentes; quare existimo rectè Tristanum Tom. I. notare, nobis exhiberi *calamum odoratum*; & neminem dubitaturum vel minimum, qui viri & Antiquarii eruditissimi notam legerit; maximè cùm illustris Spanhemius in *Dissert.* IV. etiam idem statuat; & hoc de calamo eruditè agat ὁ πάνυ Salmasius *ad Solinum*.

Quin

Quin hoc cùm annotassem diu, video doctissimum & reverendum admodum virum Paulum Pedrusium S. I. Sacerdotem, ita explicare etiam Trajani nummum, in Commentario, quo pereruditè & pulchrè exponit nobis aurea & argentea Serenissimi Parmæ Ducis & Placentiæ Numismata: rectè enim statuit vir eruditione præclara, figuram illam tenere dextrâ ramum arboris, quæ thus gignit, & sinistrâ calamum odoratum; quâ certè interpretatione nihil verius, vel certius. Neque facere possum, quin hac occasione narrem, Serenissimum Ducem suis sumtibus quatuor illa volumina jussisse typis describi, nolle eadem vendi, sed, qua est liberalitate & munificentia, dono mittere Principibus, & primæ dignitatis doctisque viris, & me, conciliante Pedrusio, iis fuisse annumeratum, & accepisse splendidum & luculentum illud Opus. Et sanè ingratus planè forem, nisi publicè hac occasione testarer, me plurimum eo nomine Serenissimo Duci debere, & tanti beneficii honorisque memoriam servaturum æternam, nec itidem obliturum benevolentiam, quâ qualemcunque eruditionem meam prosequitur Pedrusius.

In Arabia igitur, uti & antea memini me monuisse, nulli elephanti, nec certè nullus mihi Auctor occurrit, qui illud tradat, nisi Juvenalis *sat.* XI. *vers.* 121. ubi in luxum Romanorum invehitur:

——— ——— ——— ——— putrere videntur
Unguenta atque rosæ, latos nisi sustinet orbes
Grande ebur, & magno sublimis pardus hiatu,
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres, & Mauro obscurior Indus,
Et quos deposuit Nabathæo bellua saltu
Jam nimios, capitique graves.

Nam Poëta ibi recenset loca, unde ebur vel elephantorum dentes mittebantur Romam; & per *portam Syenes* designat Æthiopiam, quia Syene erat in confiniis illius regionis; illique subjungit *Mauretaniam*, *Indiam*, & *Arabiam*, cujus in Nabathæo saltu elephantos canit dentes deponere. Nam *Nabathæa* aliis est *Arabia Felix*, aliis autem *Deserta* & *Petræa*, Judææ proxima; uti constat satis superque ex variis veteribus Auctoribus, quibus id pulchrè probat Christ. Cellarius lib. 3. c. 14. *Geogr. Antiquæ*, quem utique doleo nuper rebus ereptum humanis, cùm eruditione & diligentia esset singulari, meque amicitiâ, imò & officio prosequeretur, uti non modò patet ex variis Librorum ab ipso editorum locis, quibus honorificam mei facit mentionem, verùm etiam ex Sedulio, quem mihi dedicavit, & quo nomine me viro pereruditο & nunc ἐν ἁγίοις plurimum debere confiteor publicè.

Atque ita Juvenalis Interpretes per *Nabathæam* designari putant *Arabiam Petræam*, uti patet ex Notis Grangæi & Farnabii; vetus Scholiastes *Nabathæam* scribit esse *locum in India*, *ubi nascuntur elephanti*; quam notam ab eo sumsit Decimus Junius, additque Nabathæam *regionem esse Arabiæ*, & illud probat Senecæ verbis in *Agam.*

——— Eurus Orientem movet,
Nabathæa quatiens regna & Eoos sinus:

quæ potiùs facerent pro *loco Indiæ*, quem designari putat Scholiastes; quam in rem etiam adduci possent ejusdem Senecæ versus in *Herc. Oetæo*:

Aut qui Soliferæ suppositus plagæ
Vicino Nabathæ vulnera dirigit
Parthus Cnossiacis certior ictibus.

Nam Orientem proculdubio describit, & inde fieri posset, ut *Nabathæos* in India collocaverit Tragicus; quanquam ego accedam Eruditis, qui *Arabiam* advocant, & inde rectè verba hæc explicant. Sed & Ovidius lib. I. *Metamor.* videtur *Indiam* habuisse ante oculos, cùm canit, *Eurum ad auroram Nabathæaque regna recessisse*: qui locus eò notabilior, quia *Zephyrum* addit abiisse in Occidentem, *Boream* in Septentrionem, *Austrum* verò in contrariam illi tellurem, vel Meridiem, cui ordinariè Arabia adsignatur; quanquam Diodorus *lib.* 2. scribat respectu Arabiæ, ad ejus ortum habitare Nabathæos, & incolere regionem desertam & ἄνυδρον, adeò ut complexi sint Arabiam Petræam & Desertam, vel magnam earum partem.

Ut autem ad Juvenalem redeam, Britannicus *Nabathæos* etiam Arabas explicat; additque, *in Arabia Troglodytica nasci elephantes*; Domit. verò Calderinus notat, *Poëtam loca omnia describere*, *in quibus fuere elephantes*, *& agere de Mauris & Indis*, *qui sunt* ARABICIS *minores*, *ut scribit Plinius*. Sed nullibi Plinius nobis memorat elephantos *Arabicos*: nam *lib.* 8. *cap.* 11. loca, quæ elephantos ferunt, scribit esse *Africam ultra Syrticas solitudines*, *Mauritaniam*, *Æthiopes & Troglodytas*, *maximosque omnium Indiam*; & *cap.* 9. ita loquitur, *Indicum Afros pavent, nec contueri audent*; *nam & major Indicis magnitudo est*; hunc locum puto ante oculos habuisse Domitium, sed quàm valde vir seculo suo celebris fallatur, ex collatione binorum illorum locorum patet, adeò ut necesse nihil sit notam illam, & *Arabicos* Plinii *elephantos* refutare. Si autem Juvenalis per *Nabathæam* totum Orientem atque adeò Indiam complexus non est, id quod tamen fieri potuisse videntur suadere Senecæ et Ovidii adducta à me in medium loca, crederem Poëtam eo nomine comprehendere etiam Arabas Troglodytas, quorum sedes inter Sinum Maris Rubri, Arabicum & Nilum, apud quos elephantos gigni non modò ex iis, quæ annotavi, patet, variis in hac *Exercitatione* locis, verùm etiam clarè ex Plinii *lib.* 8. *cap.* 8. ubi narrat, quomodo Troglodytæ belluas hasce ceperint.

Est tamen in Veteri Testamento locus, qui aliquo modo *Arabicos elephantos* videtur asserere. Nam Ezechiel *cap.* 27. ℣. 15. ita loquitur: *Filii Dedan negotiatores tui: Insulæ multæ negotiatio manus tuæ*; *dentes eburneos & hebeninos commutarunt in pretio tuo.* Cùm autem Dedan non sit *Rhodus*, uti reddiderunt LXX. nec ibi nascantur animalia illa, id quod cogitare debuissent viri isti; sed potiùs locus vel urbs Arabiæ ad Sinum Persicum, ut docuit Grotius *ad eum locum*, & pluribus ostendit Bochartus, quibus tutò credo, videri possent elephanti etiam in Arabia prognati esse. Sed nihil necesse est eò decurrere, cùm dentes vel cornua elephantorum, nec non ebenum (malè Vulgatus Interpres nobis *dentes hebeninos* propinat) eò ex India & Africa fuerint proculdubio per mercatores deportata, & inde per eos pervenerint ad mercatores Tyri.

Et facere non possum, quin hac occasione examinem versum ejusdem Ezechielis *capitis* 7. qui ita vertitur à Belgis Interpretibus: *Uwe berderen hebben zy gemaekt van welbetreden elpenbeen*,

been, uyt het eylant der Chittiten. Sed cùm Bochartus docuerit, Insulas Chittim sitas fuisse ad Occidentem Palæstinæ, & quidem in Mari Mediterraneo atque versùs Italiam, ego ferè credo eruditos illos viros non satis hîc animo fuisse attento, & malo alios sequi, qui statuunt transtra navis, quæ hîc describitur, facta è buxo ex iis Insulis petito, & illa ornata fuisse ebore; Vulgatus Interpres reddit: *Quercus de Basan dolaverunt in remos tuos: & transtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de Insulis Italiæ*; & possunt videri de hoc loco disputantes Grotius, Drusius, & inprimis Marcus Meibomius in libro *de Fabrica Triremium*, qui dignus est, ut legatur, quique errare eos Interpretes ostendit, qui ex Plinio probare conantur, ebur præstantissimum esse, quod elephantes defodiunt in terram, & in ea per justum tempus pedibus tritum est; qua de re *Naturalis Historiæ* conditor ne cogitavit quidem *lib.* 8. *cap.* 3. vel alibi, uti vel verba inspicienti patebit quàm clarissimè; mihique eandem notam natam esse ante consultum Meibomium sanctè testor.

Nulli igitur in Arabia nascuntur elephanti, (id quod etiam monui in *Exercitatione* prima) vel regio illa picta fuit cum galea ex illius vasti animalis capite facta; vel etiam cornu elephantinum gessit, tanquam insigne. Sed Africa, Mauretania, aliæque ejus Orbis veteris terrarum partes ita exornantur; quia in iis magnâ proveniunt elephanti copiâ. Et hinc est, quòd putem ab eorum captura in Numidia vel Mauretania, vicinove iis regionibus tractu, urbem *Elefantariam* habuisse nomen; quam recenset Anonymus Geographus Ravennas *lib.* 3. *cap.* 6. quanquam fatear, nonnullos eandem quæsivisse in Sardinia, uti patet ex Notis doctissimi editoris Placidi Porcheron.

Atque omnino insuper notandum, non modò Africæ caput ita nobis exhiberi in Nummis, verùm etiam in Gemmis. Hujus rei fidem facit elegans admodum edita à M. Antonio Canini & Michaële Angelo Causseo; cui licèt nullum nomen sit adscriptum, tamen rectè viri eruditi eandem ad elephantorum feracem Africam referunt; aliamque videre licet apud Anton. Pisonem, in qua simile caput, sed erecta, quæ in priore est demissa; proboscide cernitur:



Quin etiam observatione dignum est, Patinum Equitem, & diligentem veterum Numismatum enodatorem, edidisse Trajani unum, in quo scribit sedere Deum, & fortè *Jovem Ammonem*, proboscide ornatum, ita ut etiam Dii in hunc censum veniant. Sed in ipso ab eodem edito nummo nihil tale apparet, vitio proculdubio artificis: nam rem ita sese habere docet nos idem nummus, publicatus à Francisco Blanchino, egregii ingenii viro, in Libro, qui inscribitur, *La Historia Universale provata con monumenti, e figurata con simboli de gli antichi*, quemadmodum ex ectypo patet quàm clarissimè:

Verùm ille existimat non *Jovem Ammonem* hîc nobis repræsentari, sed *Atlantem*, & proboscidem signum esse Africæ, ubi Atlas regnavit; eundem ut Astronomum & Philosophum considerare Zodiaci signa, vel cælum; columnæ impositam esse Minervæ armatæ icunculam, quia talis fingitur apparuisse in Africa ad paludem Tritonidem; atque ut hoc credat, facit, quòd in similibus Nummis cernantur Philosophi, Poëtæ & Historici celebres, Homerus, Sallustius, Apulejus, aliique permulti. Joh. Sartorius, cap. 8. *Dissertat. de Hypocrisi Gentilium circa Cultum Deorum*, arbitratur, sedere in nummo Jovem Ammonem, vel illi ab Ægyptiis assimilatum Trajanum, illique eos tribuere officium, quod Jupiter in cælis gerit, summum nempe rerum moderamen; Palladem referre Plotinam Trajani conjugem; elephanti exuvias pertinere ad Æternitatem, quia illa repræsentatur belluâ istâ, vel eas hieroglyphicum esse Africæ, hujus animalis ferace. Ego hanc disceptationem aliis relinquo, & malo eos in res tam abstrusas inquirere, quàm incertis & fluxis conjecturis lecturum morari.

Tandem rectè me facturum putavi, si exhiberem hîc Jubæ Regis nummum, à Patino editum, cujusque paulò antè feci mentionem: nam ejus caput in eo tectum esse casside elephantina putat vir doctus. Diceres profectò verum hoc esse, quia in eadem area legitur REX IVBA, uti ex ectypo patet:

Sed tamen persuasus sum caput fœmineum esse, & *Africam*, cujus Juba Rex erat, nobis exhiberi, quia vultus differunt, & hujus

jus aures unionibus sunt ornatæ, quæ in altero nummo, qui absque dubio Jubæ caput servat, non inveniuntur. Atque ita in nummo Claudii apud eundem Patinum Africæ caput itidem cernitur, addita inscriptione, ΑΥΤΟΚΡΑ. *Imperator*; unde certè nemo concludere posset, Augustum illum ita ornari:

Atque ita tandem puto idem Africæ caput tectum galeâ elephantinâ pictum esse in Græcis Nummis Neronis, Vitellii & Faustinæ Junioris, in quibus illud notavit Patinus pag. 15. 113. & 125. *Thesauri Mauroceni.* Binos ipse possideo argenteos Neronis, qua occasione facere non possum, quin addam præstantis eruditionis virum, Laurentium Begerum tomo 3. *Thes. Regii Brandeburgici* exhibere nobis similem ejusdem Augusti nummum, cum inscriptione aversæ areæ, ΑΚΡΑΣΙ, inde eum facere ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ, & referre ad Acrasum urbem Libyæ; cùm tamen nulla eo nomine urbs fuerit in Libya, sed in *Lydia*, uti vel ex ipsis Auctoribus, quibus urbs illa laudatur, patet satis superque. Errori ansam potuit dedisse non examinatus Harduinus, apud quem, vitio proculdubio typographico, malè scribitur *Libyæ*, quod tamen non emendatur in Erratis, saltem in editione Parisiensi Anni 1684. uti annotat Abbas Mezzabarba illustri domestico exemplo eruditus in Epistula, quam Trivultiani docti viri inseruerunt *Actis suis* Anni 1705. mense Januario p. 31. Edit. Amstel. Atque is egregius Antiquarius rectè judicat non posse legi in Neronis nummo ΑΚΡΑΣΙ, verùm inscriptionem illam corruptam esse ex nomine ΑΥΤΟΚΡΑ. ΛΙΒ. vel ΛΙΓ, eundemque signatum esse Alexandriæ, & inde caput Africæ in illo exhiberi nobis. Neque certè ulla ratio dari posset, quare Acrasus Lydiæ urbs signasset in Nummis suis caput tectum exuviis elephanti, cùm illud animal in illa Asiæ parte nequaquam nascatur. In meis Nummis utique ante pectus Africæ scribitur ΛΙΒ. & video inscriptionem in circuitu incipere per Ar. . . . reliquis litteris, exceptis paucis, detritis.

Epistula illa Mezzabarbæ Comitis erudita profectò est, & dignissima lectu, optandumque ut vir egregiæ doctrinæ & famæ inchoatum ab illustri patre Opus absolveret, nobisque legendos & examinandos traderet Nummos Græcos Imperatorum, Populorum & Vrbium; qui eum non secus ac τ̃ μακαρίτην parentem egregia & vera laude circumdarent. Sed incassùm est, quòd hæc mecum agito, cùm ab amicis Italis edoctus sim, Supellectilem illam Antiquariam distractam esse, & filium vel filios patris vestigiis nequaquam institisse, sed flocci fecisse studium verè illustre, quo pater sibi tam insignem & splendidam gloriam adquisiverat.

Cùm autem hoc in capite maximè egerim de Nummis, qui ad Africam spectant, rectè me facturum putavi, si exhiberem nummum raritatis eximiæ & fortè unicum, quem ad eandem Orbis partem refero. Hinc cernitur Æthiops, crispo capillo, labiis crassis, naso simo, &, ut videntur ostendere vitra, quæ augent objecta, radiato capite; & inde ELEPHAS, nulla vel detrita planè inscriptione, quemadmodum ex ectypo patebit:

Ego non dubito, quin in Africa signatus sit, & quin nobis exhibeat Regem, vel Regulum Æthiopiæ, vel Numidiæ, vel Mauretaniæ, certè Afrum; & certissimum hujus meæ conjecturæ signum esse elephantem, in aversa area obvium, cùm sola Africa belluâ illâ Nummos suos signaverit, & alia longè ratio sit, quare eadem conspiciatur in Nummis Romanorum, & aliorum Populorum vel Urbium.

CAP. IV.

De Elephantis a L. Metello captis iterum agitur, & quid illis evenerit, inquiritur: Dempsteri error in exponendo Sidonio: Currus *de triumpho; an M. Marcellus belluas eas ceperit: nummus Familiæ Claudiæ, in quo currus* IV. *Elephantorum examinatur. De Elephantis a Carthaginiensibus primo in Hispanias, inde in Italiam traductis. Romani iis etiam in prima regione usi sunt, acceptis a Masinissa, & Micipsa. Quomodo Annibal eos per Rhodanum trajecerit, & per Alpes duxerit: Frontinus correctus: Elephas ornatus: quomodo eorum ope exercitus Pœnus Padum trajecerit: in pugna ad Trebiam, eorum visu & odore equi Romanorum consternati. Fibreni egregium factum: Annibal cum iis primo vere transit Apenninum, omnesque, excepto uno, amisit: eo Arnum inflatum valde transit, altero oculo captus: Juvenalis Scholiastes notatus. Elephanti in prælio ad Cannas, quæque fecerint, & quid nonnullis evenerit pulchrè Silius describit: Annibal captivum Romanum Elephanto objicit: qui, victa ab eo bellua, a Pœno occidi jubetur. In prælio ad Nolam nec non in alio multi occisi a Romanis, & varii capti sunt: Annibal stratagemate Elephantorum Claudium Flaccum, vel potiùs Q. Fulvium Flaccum, fallere conatur: Appianus videtur errare in Consulum nominibus. Asdrubal ex Hispania Italiam petens* XV. *secum duxit Elephantos, iis pugnavit contra C. Claudium Neronem: patuitque tunc in primis illos incertum auxilium esse: Mago iis belluis etiam usus est in prælio contra P. Quintilium Varum. Annibal in Africa* LXXX. *Elephantis contra Scipionem pugnavit: Pœnos victos Romani jusserunt omnes tradere Elephantos, quos Scipio duxit in triumpho; alios a Masinissa petiit L. Lucullus per Scipionem: Afri in obsidione Carthaginis a belluis occisi: Q. Metellus suos, quos in Hispania habebat, mori fecit, ne ve-*

nirent in manus successoris sui: Jubæ patris grandævus Elephas.

SEd tempus tandem est, ut è diverticulo redeam in viam; & elephantos à L. Metello captos, atque in triumpho ductos *ante currum*, (cùm quatuor, qui in triumpho Curii Dentati fuerunt, currum sequuti sint) absolvam. Postquam igitur lætissimum Populo Rom. spectaculum dederunt, introducti in Circum pugnarunt; & interfecti sunt ex nonnullorum sententia: Plin. *lib.* 8. *cap.* 6. „Verrius eos pugnasse in Circo, interfectosque „jaculis tradit penuriâ consilii, quoniam neque ali„placuisset, neque donari Regibus. L. Piso in„ductos duntaxat in Circum, atque ut contemtus „eorum increscerct, ab operariis (*operis* scribit „Lipsius *ad Tac. lib.* 1. *Ann. cap.* 16.) hastas præ„pilatas habentibus per Circum totum actos: nec „quid deinde iis factum sit, Auctores explicant, „qui non putant interfectos. Et fieri potest, ut tunc in Circo bini etiam elephanti ad currum juncti sint, quia currus in nummo pictus non est triumphalis, sed Circensis. Errare enim largiter existimo Dempsterum *ad lib.* 10. *cap.* 9. *Rosini*, cùm notat ex Sidonio, Cæcilium Metellum bello Punico primo elephantorum curru triumphasse; canit ille *carm.* 2. ℣. 373.

Nec tu, cur currum Curii superare, Metelle,
Contigit, ostentans nobis elephanta frequentem,
Grex niger albentes tegeret cùm mole jugales,
Auctoremque suum celaret pompa triumphi.

Nam ipsa illa verba contrarium planè docent; & certè memorantur primò *albentes jugales*, id est, equi candidi, qui ad currum triumphalem erant juncti; deinde elephanti magnitudine sua dicuntur texisse triumphantem, & ita effecisse, ut conspici non posset. Credo Dempsterum deceptum esse primo versu, & *currum* sumsisse pro *curru triumphali*, cùm in genere denotet *triumphum*; quó sensu & vox eadem usurpatur Plinio *lib* 5. *cap.* 5. Floro *lib.* 4. *cap.* 2. aliisque.

Postquam Metellus tam prosperè in Sicilia pugnavit, & elephantos in triumpho duxit, M. Marcellus res feliciter A. V. C. DCI. gessit in Hispania vel Celtiberia, uti patet ex Strabone, *Epitome* Livii 47. Eutropio, aliis: & fortè ibi elephantos cepit., & inde in ipsius nummo apud Goltzium quadriga elephantorum depingitur, quem & hîc exhibere necessarium duxi:



Dubitabunt fortè de nummo illo, qui Goltzii fidem habent suspectam; & certè currus est triumphalis planè, neque tamen M. Claudius Marcellus, licèt res triumpho dignas gesserit, legitur vel equis vel elephantis triumphasse; deinde non est verisimile talem currum à Senatu ipsi decretum fuisse, cùm exemplum sit ab Augusto, uti postea patebit, & nimis magnus tunc ille honor pro temporum conditione fuisset. Atque ita, si nummus genuinus est, statuendum potiùs foret, signatum eum esse à M. Marcello, qui Consul fuit A. 601. in memoriam victoriæ, quam unus majorum de Pœnis deportavit; & invenio M. Claudium Marcellum A. V. C. 542. triumphasse in Albano, & ovantem Vrbem esse ingressum propter devictos Carthaginiensium Socios, Syra-

A cusanos; eundem postea missum in Hispaniam nihil ferè dignum memoriâ gessisse, teste Appiano; sed tradit Livius *lib.* 23. *cap.* 46. eundem Consulem A. V. C. 539. prosperè cum Annibale ad Nolam pugnasse & cepisse duos elephantos, quatuor verò occidisse. Et mihi verisimile admodum est ad hanc victoriam respexisse M. Marcellum M. F. M. N. & dignam judicasse, cujus memoria ita conservaretur.

Atque hîc peropportuna sese offert occasio disserendi de elephantis, quos Carthaginienses deportarunt in Hispaniam, atque inde in Italiam; ut ita ordine non interrupto illarum belluarum fortunam B Lectores cognoscere possint; id quod non fieret, si divisam temporibus *Exercitationi* huic insererem.

Diodorus igitur Siculus in *Eclogis* libri XXV. apud Rhodomannum narrat, post finem belli Punici primi Amilcarem, Carthaginiensium opes & potentiam valde auxisse, multas urbes Hispaniæ subegisse, & *elephantos* secum habuisse; eosque in hiberna misisse in urbem à se conditam, cui nomen λευκὴ Ἄκρα, vel *Arx candida*, uti vertunt; ipsoque submerso, Asdrubalem ejus generum, *habentem plùs, quàm centum elephantos*, ad urbem C eam pervenisse; cujus nomen Græcum Latinè significat *Promontorium candidum.*

Publius & Cornelius Scipiones, qui in Hispania cum Pœnis bellarunt, & à mercenariis Celtiberis deserti cum exercitu cæsi sunt A. V. C. DXLI. dicuntur antea *multos elephantos occidisse* ab Appiano; & narrat Eutropius *lib.* 3. eos fratrem Annibalis Asdrubalem vicisse, eique à Carthaginiensibus missa esse *ad reparandas vires* XII. *millia peditum*, IV. *millia equitum*, XX. *elephantos*; unde haud patet obscurè Scipiones illos etiam in prælio belluas cepisse vel occidisse. Appiani autem verba sunt in libro *de Bellis Hispan. Post factam* D *cum Numidarum Rege pacem, Carthaginienses Asdrubalem cum majori exercitu, & elephantis* XXX. *remiserunt, duobus additis Collegis, Magone & altero Asdrubale. Bellum inde gravius Scipionibus incubuit, qui tamen sæpius victores redibant*, καὶ πολλοὶ μὲν τῶν Λιβύων, πολλοὶ δὲ τῶν ἐλεφάντων ἐφθάρησαν, *multis cæsis tum Afris, tum elephantis.* Plures tamen quàm *triginta* Asdrubal elephantos habuit; nam idem Appianus postea describens prælium, quo Asdrubal à Scipione, priorum filio & nepote, victus est, tradit, *in Punicis castris fuisse elephantos sex & triginta*; Livius narrat, lo- E quens de eadem pugna *lib.* 28. *cap.* 18. *ne fugæ quidem locum patuisse Pœnis, quia stationes Romanæ utrimque insederant vias, . . . addita trepidatione elephantorum, quos territos æquè ac hostes timebant:* & capite sequente, *Asdrubalem jam antequam dimicaret, pecunia rapta, elephantisque præmissis, quàm plurimos poterat de fuga excepisse, & præter Tagum flumen ad Pyrenæum tetendisse.* Rem eandem memoriæ mandat Polybius *lib.* 11. *cap.* 18. & narrat in exercitu Asdrubalis fuisse elephantos duo & triginta. Cùm postea Masinissa ad Romanos transiret, misit *decem elephantos* ad Ful- F vium Nobiliorem, qui Prætor Hispaniam obtinuit ulteriorem an. 560. quibus in pugna contra Celtiberos ad Numantiam usus est; sed quo successu id factum sit, patebit ex eodem Appiano: „Tri„duo pòst Nobilior subsecutus, ad viginti qua„tuor stadia castra munit. Tum ad eum trecenti „equites à Masinissa missi cum decem elephantis „accedunt. Quibus assumtis in hostem aciem pro„movet, belluasque, ne ab hostibus conspici pos„sent, retro locat & occultat. Commisso prælio, „quum se acies diduxisset, belluæ ex improviso „conspectæ tantum terroris injecerunt tum Celti„be-

„beris, tum equis eorum, qui antea nunquam ele-„phantos viderant, ut terga vertentes in oppidum „fugerent. Fugientibus inſtans Romanus Impera-„tor, mœnibus elephantos admovet. Ibi acriter „pugnatum, quoad elephas ingenti ſaxo in caput „adacto ſauciatus iras concepit, & immani clamo-„re edito in ſuos converſus, ſine diſcrimine amici „vel hoſtis in obvium quemque ſævire cœpit. Ce-„teri ad ejus barritum turbati eadem & ipſi face-„re, paſſimque Romanos proterere, disjicere & „ruere. Inde addit, elephantos turbatos id facere ſolere, omnes habere pro hoſtibus, & nonnullos propter hanc ἀπιςίαν, *perfidiam*, eos appellare κοίνους πολεμίους, *communes hoſtes*; Numantinos, rem è mœnibus videntes, eruptione facta quatuor Romanorum millia occidiſſe, *& cepiſſe* ἐλέφαντας τρεῖς, ὅπλα τε πολλὰ καὶ σημεῖα, *tres elephantos, & multa arma atque ſigna.* Quin & poſtea Fabius Maximus Æmilianus in Hiſpania itidem militans A. V. C. DCIX. ſcripſit ad Micipſam Numidarum Regem; ut quàm celerrimè elephantos ipſi mitteret; qui quum adveniſſent numero decem cum trecentis equitibus, Viriatum prælio aggreſſus eſt, ſuperatumque fudit & fugavit; uti in eodem *libro* legere licet.

Atque hæc quidem mihi obſervata ſunt de elephantis, quos in Hiſpaniam deportatos à Carthaginienſibus, vel miſſos à Numidarum Regibus ad Romanos, vetus nos Hiſtoria docet; quanquam fortè & alii Auctores eorundem potuerint feciſſe mentionem. Nunc tranſeundum mihi eſt ad Annibalem ex Hiſpania Italiam petentem. Is igitur ſecum habuit *elephantos ſeptem & triginta*, uti legere licet apud Eutropium *lib.* 3. & apud eundem Appianum in libro *de Bellis Annibalis*; & non abſque labore ac difficultate eos Rhodanum tranſire fecit; narrat hanc rem Livius *lib.* 21. *cap.* 28. & facere non poſſum, quin verba tam diligentis Auctoris ſupponam: „Elephan-„torum trajiciendorum varia conſilia fuiſſe credo: „certè variata memoria actæ rei. Quidam congre-„gatis ad ripam elephantis tradunt ferociſſimum „ex iis irritatum ab rectore ſuo, quum refugien-„tem in aquam nantem ſequeretur, traxiſſe gre-„gem: ut quemque timentem altitudinem deſti-„tuerat vadum, impetu ipſo fluminis in alteram „ripam rapiente. Ceterùm magis conſtat, ratibus „trajectos; id, ut tutius conſilium ante rem fo-„ret; ita acta re, ad fidem pronius eſt. Prius illud narrat & ſequitur Frontinus lib. 1. *Stratag.* cap. 7. §. 2. „Hannibal cùm ad præalti fluminis tranſi-„tum elephantos non poſſet pellere, neque na-„vium, neque materiarum, quibus rates conſter-„nerentur, copiam haberet, juſſit ferociſſimum „elephantem ſub aure vulnerari, & eum, qui „vulneraſſet, tranſnato ſtatim flumine, procurre-„re; elephantus exaſperatus, ad perſequendum „doloris ſui auctorem, tranavit amnem, & reli-„quis idem audendi fecit exemplum. Ubi doctiſſimus amicus meus Almelovenius putat haud infeliciter ſcribi debere *conſtruerentur;* & ex Livio conſtat, fluvium indictum Frontino fuiſſe Rhodanum; atque ille inde multis narrat, quo pacto id factum ſit, & rates haſce ſatis luculenter deſcribit: „Ratem unam ducentos longam pedes, „quinquaginta latam, à terra in amnem porrexe-„runt: quam, ne ſecunda aqua deferretur, plu-„ribus retinaculis validis parte ſuperiore ripæ re-„ligatam, pontis in modum humo injecta con-„ſtraverunt, ut belluæ audacter velut per ſolum „ingrederentur. Altera ratis æquè lata, longa pe-„des centum, ad trajiciendum flumen apta, huic „copulata eſt: & quum elephanti per ſtabilem „ratem, tanquam viam, prægredientibus fœmi-

A „nis acti, in minorem applicatam tranſgreſſi ſunt; „ea extemplo reſolutis, quibus leviter annexa „erat, vinculis, ab actuariis aliquot navibus ad „alteram ripam pertrahitur: ita primis expoſitis, „alii deinde repetiti ac trajecti ſunt. Nihil ſanè „trepidabant, donec continenti velut ponte age-„rentur. Primus erat pavor, quum ſoluta ab ce-„teris rate in altum raperentur. Ibi urgentes in-„ter ſe, cedentibus extremis ab aqua, trepidatio-„nem aliquantum edebant: donec quietem ipſe „timor circumſpicientibus aquam feciſſet. Exci-„dere etiam ſævientes quidam in flumen; ſed B „pondere ipſo ſtabiles, dejectis rectoribus, quæ-„rendis pedetentim vadis, in terram evaſere. Atque hoc eſt, quod canit Sil. Italicus *lib.* 3.

Bellua nec retinet tardante Libyſſa timore,
Nam trabibus vada, & injecta tellure, repertum
Connexas operire trabes, ac ducere in altum
Paulatim ripæ reſolutis aggere vinclis:
At gregis allapſu fremebundo territus acris
Expavit moles Rhodanus, ſtagniſque refuſis
Torſit arenoſo minitantia murmura fundo.

Scilicet poteſt hoc vaſtum animal ſub ipſis aquis C vivere, proboſcide extra eas exſerta: Polybius *lib.* 3. de eodem trajectu Annibalis loquens, ſcribit rectores periiſſe, aſt elephantos eſſe ſervatos; *quia validas habebant & longas proboſcides; & iis ſupra aquam ſublatis reſpirabant.* Quò pertinet, Ælianum lib. 7. cap. 15. *de Animal.* memoriæ mandare, *elephantos natu minores flumen transnatare; adultos, quanquam fluctibus obruantur, proboſcides exſerere & reſpirare; matres verò nuper natos pullos ferre ſuper dentes* vel *cornua:* quod ultimum mihi mirum videtur, cùm mares habeant dentes vel cornua reſima, vel ſurſum flexa; fœminæ verò ſima, vel flexa deorſum, uti docet D Ariſtoteles lib. 2. cap. 5. *de Animalibus*, qualia utique non videntur idonea ad imponendos iis partus recentes.

Inde Annibal non abſque difficultate eoſdem per Alpes traduxit; factumque eſt, ut Barbari tam inſolito ſpectaculo territi, nullum iis impedimentum adferrent: Livius *cap.* 35. *libri* ejuſdem: *Elephanti, ſicut præcipites per arctas vias magna mora agebantur, ita tutum ab hoſtibus quacunque incederent (quia inſuetis adeundi propiùs metus erat) agmen præbebant:* & de eodem hoc per Alpes tranſitu loquitur etiam Corn. Nepos *Annib.* cap. 3. *Alpicos conantes prohibere tranſitu concîdit, loca* E *patefecit, itinera muniit, effecitque, ut ea elephantus ornatus ire poſſet, quà antea unus homo inermis vix poterat repere:* quæ aliquo modo contraria ſunt Livio, quia ex Alpicorum conciſione ſequitur, non tam placidum iter Annibali fuiſſe; & rectè inſuper *ornatus elephas* exponitur *inſtructus ad pugnam*; notantque optimè Boſius & Reineſius, malè huc advocare Gebhardum Catonis *aſinos ornatos*; quippe qui loquatur de aſinis clitellariis, qui ſtercora vehunt in agris. Cùm ad Padum veniſſet Pœnorum Dux, eorum operâ, ſi Cœlio apud Liv. *cap.* 47. fides habenda eſt, exercitum tra-F duxit, collocatis in flumine elephantis, qui aquam ſuſtinerent & retardarent, ut ita milites liberè tranſire poſſent: *Cœlius auctor eſt, Magonem cum equitatu & Hiſpanis peditibus flumen extemplo tranſnaſſe, ipſum Annibalem per ſuperiora Padi vada exercitum traduxiſſe; elephantis in ordinem ad ſuſtinendum impetum fluminis oppoſitis:* id quod tamen, uti ex ſequentibus patet, apud Livium fidem non invenit. Inde in pugna ad Trebiam, Annibal *ab cornibus in utramque partem diviſos elephantos ſtatuit; illique eminentes ab extremis cornibus (equis maximè non viſu modò, ſed odore inſolito territis)*

fugam latè faciebant; ita tamen, ut eos averterint A Romanorum velites. *Tamen in tot circumstantibus malis, mansit aliquamdiu immota acies: maximè præter spem omnium adversùs elephantos: eos velites, ad id ipsum locati, verutis conjectis & avertere, & insecuti aversos sub caudis, quà maxime molli cute vulnera accipiunt, fodiebant*: eaque re factum est, ut Annibal coactus sit, eos in Romanorum auxilia, Gallos, immittere, ne scilicet in suos converterentur: *Trepidantes, propeque jam in suos consternatos media acie, in extremam, ad sinistrum cornu, adversùs Gallos auxiliares agi jussit Annibal. Extemplo haud dubiam fecere fugam. Additus quoque* B *novus terror Romanis, ut fusa auxilia sua viderunt.* Atque ita Appianus in *Annibal.* narrat Romanorum in prælio ad Trebiam equos οὐ φέροντες οὔτε τὴν ὄψιν, οὔτε τὴν ὀδμὴν, *nec visum, nec odorem elephantorum tulisse*; & Sil. Italicus *lib.* IV. postquam cecinisset Romanos fuisse victos & territos, subjungit:

Accumulat clades subitò conspecta per undas
Vis elephantorum turrito concita dorso.

Hinc canit Fibrenum non ferentem mortem inhonoratam, qualis erat à bellua occidi, elephantum C hastâ aggressum esse, dextrum illi oculum excussisse, belluamque telis fuisse occisam;

Tum jacit assurgens, dextroque in lumine sistit
Spicula sæva feræ, telumque in vulnere linquit.
Stridore horrisono penetrantem cuspidis ictum
Bellua prosequitur, laceramque cruore profuso
Attollit frontem, & lapso dat terga magistro.
Tum verò invadunt jaculis, crebraque sagitta
Ausi jam sperare necem, immensosque per armos
Et laterum extensus venit atra cuspide vulnus;
Stat multa in tergo & nigranti lancea dorso,
Ac sylvam ingentem concusso corpore vibrat, D
Donec consumtis longo certamine telis
Concidit, & clausit magna depressa ruina.

Cùm Annibal ad prima & dubia signa veris ex hibernis proficisceretur, transiretque Apenninum atrocissima tempestas ipsum adorta est, & tunc *multi homines, multa jumenta, elephanti quoque ex his, qui prælio ad Trebiam facto supererant, septem absumti*, teste Livio *lib.* 21. *cap.* 58. Et ita Pœnorum Dux omnes elephantos, excepto uno, amisit; nam cùm iterum ex hibernis movisset, & transire deberet Arnum fluvium, qui per eos dies solito magis inundaverat, elephantum superstitem conscendit. E Idem *lib.* 22. *cap.* 2. *Ipse Annibal æger oculis, ex verna primum intemperie variante calores frigoraque, elephanto, qui unus superfuerat, quod altiùs ab aqua exstaret, vectus*: quò respicit Juvenalis *sat.* 10.

O qualis facies, & quali digna tabella
Cùm Gætula Ducem portaret bellua luscum!

ubi hæc notat Scholiastes: *Constat nam Annibalem à fulmine ictum, oculum perdidisse, camelo solitum vehi vel elephanto*: sed ego eum errare puto, & Annibalem non ita fuisse vectum nisi cùm Arnum F transiret, usumque, uti fortem & strenuum Ducem decebat, equo; deinde nec *de fulmine* alii faciunt mentionem, & Livius eum alterum amisisse oculum scribit propter aëris intemperiem: *Vigiliis tandem*, pergit, *& nocturno humore palustrique cælo gravante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur.*

Eadem satyra, ut hoc adtexam, mentionem iterum *elephantorum* facit, & pulchrè per eos designat regiones Africæ, in quibus belluæ illæ nascebantur:

—— hic est, quem non capit Africa Mauro
Perfusa Oceano, Niloque admota tepenti:
Rursus ad Æthiopum populos, aliosque elephantos,
Additur imperiis Hispania.

Annibalem & Carthaginiensium imperium describit, quod tamen nescio an fuerit complexum Æthiopas supra Ægyptum; per *alios* autem *elephantos* intelligit, Libyam & Mauretaniam, in quibus etiam elephanti nascebantur, vel Æthiopicos vocat *alios* eorum respectu, qui in binis illis regionibus erant. Alii tamen scribunt *altosque*. Livius *lib.* 24. narrat varia prælia, quæ Publ. & Cn. Scipiones cum Carthaginiensibus habuerunt: & quidem *capite* 42. nobis tradit prælium ad Mundam, in quo *non milites solùm*, (Pœni) *sed elephanti etiam usque ad vallum acti erant, superque ipso novem & triginta elephanti pilis confixi*: & iterum eodem *capite* memoriæ mandat, in prælio ad Auringen *captos* à Scipione fuisse *octo elephantos & tres occisos.*

Prælio inde ad Cannas elephantis usus fuit etiam Pœnorum Dux, uti patet ex *lib.* 9. Silii Ital. quanquam nec Livius nec Appianus eorum meminerint, digni sunt Poëtæ versus, qui supponantur. Et primò quidem canit Poëta Annibalem elephantos constituisse ad illud latus, ubi Eridanus ferè siccus erat:

Sed quà se fluvius retro labentibus undis
Eripit, & nullo cuneos munimine vallat,
Turritas moles, ac propugnacula dorso
Bellua nigranti gestans, ceu mobilis agger
Nutat, & erectos attollit ad æthera muros.

Cùm ad prælium jam veniendum esset, haud paucis interjectis, canit:

Ut patuit liber Superûm certamine tandem,
Laxatusque Deo campus, ruit æquore ab imo
Pœnus; quo sensim cælestia fugerat arma,
Magna voce trahens, equitemque, virosque, feræque
Turrigeræ molem, tormentorumque labores.

Mox elephantos pompaticè describere pergit:

Nec ferro sævire sat est: appellitur atra
Mole fera, & monstris componitur Itala pubes.
Nam provectus equo, moderantem cuspide LUCAS
Maurum in bella BOVES *stimulis majoribus ire,*
Ac raptare jubet Libycarum armenta ferarum.
Immane stridens agitur, crebroque coacta
Vulnere bellatrix properos fert bellua gressus.
Liventi dorso turris, flammaque, virisque
Et jaculis armata sedet: procul aspera grando
Saxorum super arma ruit, passimque volanti
Celsus telorum fundit Libys aggere nimbum:
Stat niveis longum stipata per agmina vallum
Dentibus, atque ebori præfixa cominus hasta
Fulget ab incurvo dejecta cacumine cuspis.

Hinc Silius narrat insigne facinus Romani militis, qui raptus in sublime ab elephanto, illi oculos excussit:

Hic inter trepidos rerum, per membra, per arma
Exigit Ufentis sceleratum bellua dentem;
Clamantemque ferens calcata per agmina portat.
Nec levius radio, lævum quà tegmine thorax
Multiplicis lini claudit latus, improba sensim
Corpore non læso, penetrarunt spicula dentis;

Et

Et sublime virum clypeo resonante tulerunt.
Haud excussa novi virtus terrore pericli:
Utitur ad laudem casu, geminumque citato
Vicinus fronti lumen transverberat ense.
Exstimulata gravi sese fera tollit ad auras
Vulnere, & erectis excussam cruribus altè
Ponè jacit volvens reflexo pondere turrim.
Arma virique simul, spoliataque bellua visu
Sternuntur subita (miserandum) mixta ruina.

Et Dux Romanorum cùm hoc videret, jussit ignibus oppugnari belluas, turresque iis impositas incendi; qua re factum est, ut una (an plures) sese in flumen projiceret, atque aquis hauriretur:

Spargere flagrantes contra bellantia monstra
Dardanius tædas victor jubet, & facis atræ
Quos fera circumfert, compleri sulfure muros.
Nec jusso mora, collectis fumantia lucent
Terga elephantorum flammis, raptusque sonoro
Ignis edax vento per propugnacula fertur.
Non aliter Pindo Rhodopeve incendia pastor
Quum jacit, & sylvis spatiatur fervida pestis,
Frondosi ignescunt scopuli; subitoque per alta
Collucet juga dissultans Vulcanius ardor.
It fera candenti torrente bitumine corpus
Amens, & laxo diducit limite turmas.
Nec cuiquam virtus propiora capessere bella;
Longinquis audent jaculis & arundinis ictu.
Uritur impatiens, & magni corporis æstu,
Huc atque huc jactas accendit bellua flammas:
Donec vicini tandem se fluminis undis
Præcipitem dedit, &, tenui decepta liquore
Stagnantis per plana vadi, tulit incita longis
Exstantem ripis flammam, tum denique sese
Gurgitis immersit molem capiente profundo.

Et tandem de aliis elephantis, & de Mutio ab iis occiso canere pergit:

At qua pugna datur, necdum Maurusia pestis
Igne calet, circumfusi Rhœteïa pubes
Nunc jaculis, nunc & saxis, nunc alite plumbo
Eminus incessunt; ut qui castella per altos
Oppugnat munita locos, atque obsidet arces.
Ausus digna viro, fortuna & digna secunda
Extulerat dextram, atque adversum cominus ensem
Mutius infelix ausi, sed stridula, anhelum
Fervorem effundens, monstri manus abstulit acri
Implicitum nexu, diroque ligamine torsit,
Et superas altè miserum jaculata per auras
Tellure elisit, ac flexit (flebile) membris.

Post hanc victoriam Annibal videtur captivum Romanum elephanto objecisse, qui non absque omnium stupore eum occidit. Plinius *lib.* 8. *cap.* 7. „Clara est unius è Romanis dimicatio adversus „elephantum, cùm Annibal captivos nostros inter „sese dimicare coëgisset. Namque unum, qui su„pererat, objecit elephanto, & ille, dimitti pa„ctus, si interemisset, solus in arenam congres„sus, magno Pœnorum dolore confecit. Hanni„bal cùm famam ejus dimicationis contemtum al„laturam belluis intelligeret, equites misit, qui „abeuntem interficerent: utque judicem hoc accidisse post cladem Cannensem, facit Appianus, qui in libro *de Bel. Annib.* narrat, eum coëgisse Senatores vel alios nobiles, quos captivos in castris habebat, ferro decertare, & quidem parentes cum liberis, & fratres cum fratribus, idque inspectantibus Afris, nec ullum superbæ crudelitatis genus omisisse adversùs Romanos: quò proculdubio respicit Plinius cùm scribit, *captivos Romanos inter se dimicare fuisse coactos.* Meminit autem hujus historiæ etiam Joh. Sarisberiensis lib. 1. A *Policr.* cap. 4. additque aliquid, quod apud Plinium non narratur, id quod tamen eum ex veteri quodam Auctore sumsisse, verisimile admodum: „Fertur Hannibal occidisse Romanum, qui man„dato ejus, singulari certamine percusserat ele„phantem, dicens eum indignum vitâ, qui cogi „potuerat cum bestiis dimicare. Licèt verius sit „eum ex invidia noluisse captivum inauditi trium„phi gloria illustrari, & infamari bestias, qua„rum virtute Gentibus terrorem incusserat.

Estque observatione dignum, in MS. Livii Oxoniensi occurrere etiam historiam, quæ huic B Lucubrationi inservit; nam postquam Livius *lib.* 22. *cap.* 18. narrasset, *Fabium movisse castra, transgressumque saltum super Allifas loco alto ac munito consedisse*, legitur in eo MS. *Et reparando subgressu, manu haud magna, Alissæ* (Allifæ) *mœnia, quasi palans, perveniens, ex oppido bellua constracta* (constrata) *armamentis erupit: quam Consul ei captam, trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quibus curæ pusillum inerat, in diem alteram umbonibus belluatis, paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, & Allifas, Ruffium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum augurio, nomen* C *imponunt accolæ.* Quem locum tamen ego cum Dodwello, & Clerico, viris eruditione præstanti, suppostititium planè esse persuasus sum omnino, & fictum ab eo, qui nomen *Alliferum* putavit descendere à voce *Elephas.* Et quanquam hæc barbariem sapiant, nec sensum recipiant commodum, tamen puto nugatorem velle dicere, Fabium cùm parva manu pervenisse Allifas, ex oppido illo erupisse elephantem armatis instructam, Consulem belluam *vi* (ita enim scriptum fuisse videtur pro *ei*) cepisse, milites trucidasse, qui ex elephanto pugnabant; oppidanos altero die egressos cum scutis, in quibus elephanti picti vel D sculpti erant (ita enim *umbones belluatos* interpretor) invasisse paucos Romanos fugaces, recepisse elephantem, & oppidum *Ruffium* antè dictum appellasse ab Elephanto *Allifas.* Hæc ut ut sese sequi videantur, tamen profectò nugæ sunt, nec credo alium somniasse unquam, urbem eam antea *Ruffium* appellatam esse; id quod puto tamen originem suam debere Livio *lib.* 8. *cap.* 25. ubi tria oppida memorantur, *Allifæ, Cullifæ, Ruffrium;* dicitur autem oppidanis curæ pusillum inesse, quia scilicet non continuò conabantur recipere elephantum, sed rem illam in alterum diem distule- E runt.

Hoc evenisse fingitur ante cladem Romanorum Cannensem, quo tempore, quæ Livius narrat, acciderunt; & post eam Annibal Casilinum obsedit, ubi etiam usus est hisce belluis, narratque Livius *lib.* 23. *cap.* 18. eum, *semel ultro erumpentes agmine elephantorum opposito prope interclusisse, trepidosque compulisse in urbem.*

Hanno postea Nolam ad Annibalem venit supplemento & elephantis, teste eodem Livio *lib.* 23. *cap.* 46. atque prælio facto prope Nolam Marcellus Consul A. V. C. 539. cepit *duo, & quatuor in acie occisi sunt*, id quod & antea monui. F Et in alio inter Annibalem & Cajum Claudium Neronem Consulem A. V. C. 546. prælio totidem occisi & capti sunt; *Elephanti etiam, quorum nullus usus in repentina ac tumultuaria pugna fuerat, quatuor occisi, duo capti, lib.* 27. *cap.* 42. Quin & Annibal alio tempore elephantis usus est ad fallendum, post prælium ad Cannas, Claudium Flaccum, alterum Ducem Romanorum, cùm Annius Capuam obsideret: narrat enim Appianus Indis mandatum fuisse, ut conscensis elephantis in Claudiana castra irrumperent, quocumque modo per intervalla aggeresve possent; unà immissos esse he-

homines Latinæ Linguæ gnaros, ubi Claudii Imp. verbis juberent desertis castris proximum collem occupare; elephantos protritis stationibus irrupisse, & plurimum terroris præbuisse; Romanos audito Consulis jussu, jam sese ad fugam accinxisse; sed Claudium animadverso stratagemate, docuisse, per Tribunos, suos, Annibalis id fraude fieri; nihil esse periculi, paucos cum elephantis irrupisse; & inde hostes, animadverso eorum parvo numero, occisos, elephantos per tabernacula & præsepia implicitos, actos, & telis vulneratos, excussis & proculcatis sessoribus, σὺν ὀργῇ καὶ βοῇ καὶ πάνυ ἠγελωμένῃ, *cum ira horrendisque barritibus è castris erupisse*; observandumque Consules Romanorum appellari ab Appiano *Claudium Flaccum* & *Annium*, qui aliis sunt *Q. Fulvius Flaccus*, & *Ap. Claudius Pulcher*; hi enim gesserunt Consulatum A. V. C. 541. & sequente, quo illis prorogatum erat imperium, atque exercitus, quos habebant, decreti, & Capua capta est; adeò ut in edendis Consulum vel Imperatorum Romanorum nominibus erraverit procùldubio Appianus.

Asdrubal etiam ex Hispania petiturus Italiam secum duxit elephantos quindecim, teste Appiano in *Annibal.* eorùmque operâ usus est in prælio contra Consules C. Claudium Neronem, & M. Livium Salinatorem A. V. C. 546. Et quidem Carthaginiensium Dux *eos in prima acie ante signa collocavit*, teste Livio *lib.* 27. *cap.* 48. & primo impetu *turbaverant antesignanos, qui jam signa moverant loco: deinde crescente certamine & clamore, impotentiùs jam regi, & inter duas acies versari, velut incerti quorum essent; haud dissimiliter navibus sine gubernaculo vagis*: & cùm ita æquè Pœnis ac Romanis metuendi essent, varii à rectoribus, præter eos quos Romani occiderant, interfecti sunt novo Asdrubalis invento, de quo Livius *cap.* 49. ita loquitur: „Elephanti plures ab ipsis rectoribus quàm ab hoste interfecti. Fabrile scalprum cum malleo habebant, id, ubi sævire belluæ ac ruere in suos cœperant, magister inter aures positum, ipso in articulo quo jungitur capite cervix, quanto maximo poterat, ictu adigebat. Ea celerrima via mortis in tantæ molis bellua inventa erat, ubi regendi spem vicisset: primùsque id Asdrubal instituerat, Dux quum sæpe aliàs memorabilis, tum illâ præcipuè pugnâ. Ex Orosio *lib.* 4. *cap.* 18. patet, „diu incertum belli vel prælii eventum fuisse, elephantis maximè Romanam infestantibus aciem, eos à militibus Romanis occisos quos velites vocant, quod genus militiæ paulò antè repertum fuerat, ut lecti agilitate juvenes cum armis suis post terga equitum sederent: & mox cùm ad hostem ventum esset, equis desilirent: inde addit: „Ab his velitibus elephantos retroactos, cùm regi jam à suis non possent, fabrili scalpro inter aures adacto necatos esse, illudque genus occidendæ belluæ Asdrubalem, cùm opus esset, primum invenisse.

Postea Mago in prælio contra P. Quintilium Varum Prætorem & M. Cornelium Proconsulem A. V. C. 550. elephantos etiam adhibuit; Livius *lib.* 30. *cap.* 18. *Nec stetisset hostium acies, ni Mago ad primum equitum motum paratos elephantos extemplo in prælium induxisset. Ad quorum stridorem, odoremque & adspectum territi equi, vanum equestre auxilium fecerunt*: inde sequitur à paventibus equis equites ablatos fuisse, & tandem hastatos Legionis undecimæ adortos esse elephantos, & tantum effecisse, ut in suos sese converterent & quatuor occiderentur: „Quibus haud magno certamine fusis, hastati Legionis undecimæ conglobant sese, atque elephantos jam etiam peditum aciem turbantes invadunt: in quos cùm pila
A „confertos conjecissent, nullo fermè frustra emisso, omnes retro in aciem suorum averterunt: quatuor gravati vulneribus corruerunt: atque ita Pœni cedere cœperunt, & vulnerato simul atque cadente Magone in fugam omnes versi sunt: *Tum prima commota hostium acies; simul omnibus peditibus ut aversos videre elephantos, ad augendum pavorem ac tumultum effusis*: ibidem.

Annibal ex Italia Africam repetens acie cum P. Corn. Scipione, uti notissimum, decertavit; atque secum habuit elephantos octoginta: uti patet ex Appiani libro *De Bellis Punicis*; quos ante
B aciem per intervalla constituit φοβερώτατα κατασκευάσας: & Scipio in fronte statuit milites, qui crassis sudibus bicubitalibus, plerisque ferratis, elephantes ingruentes cominus feriendo repellerent; & illis ceterisque peditibus mandatum est, ut in dextram lævamque refugerent ad evitandum impetum belluarum, ipsas telis continuò peterent, aut propiùs accedendo, quoties possent, nervos earum succiderent: & præterea equitatum Numidarum in utroque cornu locavit, assuetum ferre odorem & adspectum elephantorum: inde narrat idem Appianus, elephantos τὸ φοβερώτατον
C ἐσκευασμένους, *ad terrorem ornatos*, pugnam occepisse, stimulis concitatos ab insessoribus; eos à Numidis equitibus telis obrutos fuisse, donec saucii & in suos se vertentes, & regi difficiles, à rectoribus subducti sunt ex acie; hæc in utroque accidisse cornu: sed in acie media proculcatos fuisse Romanos pedites, Scipionem jussisse equites Italicos, leviùs armatos, ab equis consternatis desilire & in elephantos tela conjicere; ipsumque primum descendentem, elephantem sauciasse, & hoc exemplo confirmatis aliis, undique elephantos vulneratos esse & è pugna excessisse; & hac de re etiam omnino videri debet Polybius *lib.* 15. *cap.*
D 11. Cùm autem ita Annibal victus foret, Romani inter pacis conditiones voluerunt esse, ut Carthaginienses omnes elephantos traderent; uti scribit idem Appianus post Polybium, καὶ τοὺς ἐλέφαντας ὅσους ἔχετε, nempe *tradite*; & Scipio tandem in triumpho eos duxit: βόες δὲ ἐπὶ τούτοις λευκοὶ, καὶ ἐλέφαντες ἦσαν ἐπὶ τοῖς βουσί: *sequuntur deinde boves candidi, post eos elephanti, mox Pœnorum Numidarumque Duces captivi.*

Lucius quoque Lucullus, cùm Consul A. V. C. DCII. res in Celtiberia gereret, Scipionem νεώτερον, vel *juniorem*, qui postea Carthaginem
E delevit, Legatum suum misit ad Masinissam, ἐλέφαντας αἰτῆσαι, *petitum elephantos*, teste Appiano in libro *De Bellis Pun.* qui etiam postea cum iis in Hispaniam dicitur rediisse: & cùm Carthaginem obsideret, Afros fugientes Gulassa *cum Numidis multis & elephantis persecutus, ingentem stragem edidit*, uti apud eundem legere licet. Notandumque eodem anno Q. Metellus, cùm Provinciam Hispaniam Consul priùs, inde Proconsul penè totam subegisset, postquam cognovit Q. Pompejum Consulem inimicum suum successorem sibi mitti, multa fecit, ut illi traderet exercitum invalidum, & etiam elephantis cibaria dari vetuit, te-
F ste Val. Maximo *lib.* 9. *cap.* 3. §. 7.

Huc autem quodammodo pertinet, M. Livium Drusum, qui A. V. C. 662. Senatui judicia permisit, Magulsam Mauritaniæ Principem ob Regis simultatem profugum acceptâ pecuniâ Boccho prodidisse, *huncque illum elephanto objecisse*: teste S. Aurel. Victore cap. 66. *de Viris illustribus*; nec non Jubam Regem apud Ælianum lib. 9. cap. 58. *de Animal.* narrare, patri suo fuisse elephantem Libycum multorum annorum, καταβάντα? ἐκ τῶν ἄνω τοῦ γένους, *quem à majoribus acceperat.*

CAP.

CAP. V.

An exstiterit C. Marii nummus Elephanto signatus, disquiritur: an qui editus a Gorlæo genuinus? Pierii error, ut & Aldrovandi. Romani magno odio prosequebantur Elephantos: cogebant Carthaginienses & Reges ut eos traderent: in præliis tamen variis ipsi illis usi tam in Europa quam in Asia. Macedoniæ Rex Perseus equos suos adsuefacere Elephantis conatus est fabricatis ligneis: Polyæni Interpretis error; L. Ampelius correctus; Critolai apud Plutarchum lapsus: L. Æmilius Paulus in triumpho Macedonico duxit duo millia dentium Elephantorum: triumphus ille magnificentissimus ex Syncello descriptus, qui fortè eum ex Livio sumsit; ille ejusque Interpres emendati. Divisio Macedoniæ in partes quatuor; secundæ nummus ineditus & rarissimus exhibetur, atque etiam alius quartæ partis recensetur: cujus partis urbs Philippi fuerit Metropolis: a quo hanc dignitatem Cæsare acceperit: Pelagonia an urbs, an Regio. D. Lucæ verba exposita: Nummi Macedonum a Begero explicati: Romani Elephantis usi in prælio adversus Antiochum: Elephanti Indici terrori sunt Africis: Domitius Ahenobarbus belluis iis usus est contra Allobroges: Julius Cæsar unum deportavit in Britanniam: Scipio Dux Pompejanarum partium eos habuit in exercitu: Hirtius a Grævio tentatus. Legionis v. insigne Elephas: Lydii nota cautè legenda: an Impp. vel Cæsarum Romanorum tempore Elephantorum fuerit aliquis usus in præliis: Auctores temporum posteriorum ita describunt Elephantos, tanquam iis pugnatum sit; unde tamen nullum argumentum peti potest ad id affirmandum: Julianus uti Elephantis voluit adversus Septimium Severum: Interpres Herodiani notatus. Romani Camelis utebantur ad portanda impedimenta in bellis: Hygini Gromatici locus: Schelius, Nobilis Transisalanus, laudatus.

POst illa tempora elephas occurrit in C. Marii nummo, si fides habenda Pierio lib. 2. cap. 3. *Hieroglyph. Quem verò*, ait, *elephantum in Q. C. Marii nummo compereris, ibidibus adjectis, hieroglyphicum, id Africam Provinciam ab eo domitam, ditionemque imperii in Ægyptum usque propagatam, significare crediderim.* Vellem equidem ejusmodi nummum inspicere, ut judicare possem, an genuinus sit: sed ut de fide ejus dubitem, duo faciunt Marii prænomina; litteræ enim *Q. C.* non aliter possunt significare, quàm *Quintus Cæcilius*; cùm tamen Marius solum *Caji* prænomen tulerit, & duo prænomina à moribus Romanis illo tempore sint planè aliena; deinde Marius Numidiæ Regem Jugurtham vicit, eumque ante currum suum duxit; sed in Africa Ægypto vicina, atque adeò in Ægypto, bellum non gessit; adeò ut

A *ibes* hîc suum locum vix tutari possint. Et quanquam Jugurtha elephantos habuerit in castris, cùm contra Metellum pugnaret, uti patet ex Sallust. c. 49. *Belli Jugurthini*; & Marius Metello successor datus illos capere potuerit; tamen non legimus eos captos vel in triumpho ductos fuisse; & fallor, aut Pierius humani aliquid patitur, & nummum Mario tribuit, qui est *Metelli*, & quidem eum, in cujus una area capiti Pietatis adjicitur *ciconia*, quam ille *ibin* putavit esse, quemque antea ex Vrsino exscriptum depictumque exhibui; in eo legitur primo Q. C. deinde M. P. I. id est, *Quintus Cæcilius Metellus pius Imperator*; & inde B Pierius videtur fecisse Q. C. *Marium*: quem miror valde, sequutum esse ab Vlysse Aldrovando. Et quia hîc iterum Metelli mentio, atque adeò verba facio de Jugurtha, ampliùs de fortuna elephantorum, quos Rex ille secum habuit, dispiciendum est. Igitur cùm Calpurnius fortiter in Numidia res gereret, jussus est Jugurtha tradere, *uti pro consilio imperatum erat*, XXX. *elephantos*, Sallust. *cap.* 29. Inde Q. Cæcilius Metellus, cognomine Numidicus, in prælio *quatuor elephantos cepit, reliquos omnes numero quadraginta interfecit*, *cap.* 53. Idemque postea *per Legatos* (quos miserat ad eum victus Jugurtha) *Jugurthæ imperat, argen-* C *ti pondo ducenta millia, elephantos omnis, equorum & armorum aliquantum*; & hæc addit, sine mora facta esse; adeò ut fortè nullos habuerit elephantos, cùm Marius adversùs eum pugnaret; videaturque nummus ille, si unquam exstitit, percussus esse ad significandum, Jugurtham captum & Numidiam ab eo in potestatem redactam esse.

Monuit tamen me amplissimus & doctrinæ excellentis vir Otto Sperlingius, cujus amicitia magno mihi honori est, apud Gorlæum exhiberi ejusdem Marii nummum, cujus in aversa parte erat D *elephas*; sed celeberrimus Grævius, ex cujus amicitia non minorem fructum & honorem capio, mihi significavit, in *Thesauro Numismatum Gorlæi*, ipsum nummum non depingi, sed describi ad Occonis & Mediobarbi exemplum, & in Gente Maria Tab. 24. argenteum esse, in quo hinc C. MARIVS. *imago Marii*; inde A BOCCHO. *Elephas*; qui simul addebat, Libro enim illo carebam, in Gente Porcia, ubi plures Catones habentur, nullum esse, qui elephante signatus legatur, licèt illud ita sese habere miserit ad me Sperlingius. De Marii autem nummo quid dicendum sit, vix habeo; nec utique judicare possum an E genuinus sit, quanquam Consulis istius vultus, & illud A BOCCHO, mihi dubiam ejus fidem faciant, quia illo tempore nulli vultus Imperatorum signabantur in Nummis, & quia alterum inusitatum est. Quid autem illud A BOCCHO sibi velit, dubium valde; nec scio an significet hunc elephantum vel plures à Boccho fuisse Mario datos, vel eum à Boccho unà cum Jugurtha elephantos accepisse. Et Jugurtham quidem insidiis Bocchi venisse in potestatem Romanorum & Marii, tradit Sallustius in *Bello Jugurthino*; sed de elephantis nullam facit mentionem; nec il- F los in triumpho Marii recenset Plutarchus; & recipere non videtur potuisse eosdem à Jugurtha, cùm ex iis, quæ monui, constet, Regem illum elephantos omnes tradidisse Metello Numidico. Bocchum tamen habuisse sibi elephantos, patet ex Plinio *lib.* 8. *cap.* 5. ubi narrat, eum *triginta elephantis, totidem, in quos sævire instituerat, stipitibus alligatos objecisse, & procursantibus inter eos qui lacesserent, non potuisse effici, ut crudelitatis alienæ ministerio fungerentur.*

Internecivo autem odio Romani elephantos prosequebantur, & maximè reformidabant, non solùm

lùm quia per eos victi erant Pyrrhi Epirotæ tempore, verùm etiam in Africa, bello Punico primo, uti patet ex Polybio *lib.* 1. *cap.* 39. qui locus antea à me adductus est; isque terror mansit etiam num bello Punico secundo, & Cæsaris bello Africano, testibus Hirtio & Plutarcho: licèt Q. Cæcilii Metelli de Asdrubale victoria cum videretur valde diminuisse: *Allato Romam*, ait Polyb. *lib.* 1. *cap.* 41. *de hac victoria nuntio, efferri omnes lætitiâ; non adeò, quòd amissis elephantis multum hosti de viribus suis decessisset; verùm eo magis, quòd militibus post bestias superatas animi spiritusque rediissent.* Hinc factum, ut occidi jusserint Antiochi elephantos, quemadmodum ex Appiani *Syriacis* antea docui; eosdemque ademerint bello Punico primo Carthaginiensibus; nam inter conditiones Pacis legitur apud Livium lib. 30. cap. 37. *perfugas, fugitivosque, & captivos omnes redderent Romanis, & naves rostratas præter* x. *triremes traderent: elephantosque, quos haberent domitos, neque domarent alios:* id quod etiam tradit Polybius *lib.* xv. unde nihil mirum, eos cùm Scipio in Africam trajiceret bello Punico secundo, misisse Asdrubalem Gisconis filium ἐπὶ θήραν ἐλεφάντων, quo tempore & vII. belluas Magoni in Italiam miserunt, teste Appiano in lib. *de Bel. Pun.* Atque ita elephantos ademerunt Philippo Regi Macedoniæ; illique à Legatis decem præscriptum est, *Ne plus quingentis armatorum haberet, neve elephantum ullum*; teste Livio *lib.* 33. *cap.* 30.

Sed tamen nihilominus Romani in præliis elephantis usi sunt; factumque id primùm bello Macedonico primo, A. V. C. 553. Coss. P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta: Liv. *lib.* 31. *cap.* 36: *Postero die omnibus copiis Consul in aciem descendit; ante prima signa locatis elephantis: quo auxilio tum primùm Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, usi sunt.* Postea anno 555. Titus Quintius Flaminius contra eundem Regem Macedoniæ bella gerens, *elephantos* etiam adhibuit in prælio; narratque Polyb. *cap.* 22. *lib.* 17. Macedones ne primum quidem impetum Romanorum potuisse sustinere, & à principio statim *ab elephantis* perturbatos in fugam sese conjecisse; & ea occasione notandum, eundem celebrem Auctorem *cap.* 20. *libri* ejusdem narrare, Philippum habuisse Ducem, cui nomen *Nicanoris* erat, cognomen verò *Elephanti.* Bello Hispaniensi A. V. C. 560. iis usus legitur M. Fulvius Nobilior, cui Masinissa miserat trecentos equites, & x. elephantos; sed malo suo, quia unus elephantorum, qui Numantiæ mœnibus admovebantur, saxo caput sauciatus, in suos conversus, in obvium quemque sævire cœpit; & ceteri ad ejus clamorem territi Romanos proterebant & disjiciebant, unde fuga ingens Romanorum facta est, apud Appianum lib. *de Bellis Hispan.* qui addit: *Ceterùm solent semper elephantes turbati id facere, & omnes pro hostibus habere:* καὶ τινὲς διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτοὺς καλοῦσι κοινοὺς πολεμίους; *& propter hanc perfidiam à nonnullis communes hostes appellantur.* Sic quoque Q. Marcius Philippus A. V. C. 584. bello contra Perseum, Regem Macedoniæ ultimum, elephantos adhibuit; Livius *lib.* 44. *cap.* 5. ubi narrat, quomodo Marcius elephantos per invia loca traduxerit; quod nec omittere hîc fas est, quia ad elephantorum apud Romanos historiam pertinet: „Hostilem prope tumultum agmini elephanti „præbebant: qui ubi ad invia venerant, dejectis „rectoribus, cum horrendo stridore pavorem in„gentem equis maximè incutiebant: donec tradu„cendi eos ratio inita est: per proclive sumto fa„stigio, longi duo validi asseres, ex inferiore par„te in terram defigebantur; distantes inter se pau„lò plùs, quàm quanta belluæ latitudo est. In eos „transversi incumbentes tigni, ad tricenos longi „pedes, ut pons esset, injungebantur: humusque „insuper injiciebatur. Modico deinde infra inter„vallo, similis alter pons, inde tertius, & plures „ex ordine, quà rupes abscisæ erant, fiebant. So„lido procedebat elephas in pontem: cujus priusquam in extremum procederet, succisis asseribus „collapsus pons, usque alterius initium pontis „prolabi eum leniter cogebat: alii elephanti pedi„bus insistentes, alii clunibus subsidentes prola„bebantur: ubi planicies altera pontis excepisset „eos, rursus simili ruina inferioris pontis defere„bantur, donec ad æquiorem vallem perventum „est. Nec, quod notandum inprimis, videntur tunc Macedoniæ Reges elephantos ampliùs habuisse; nam hic ipse Perseus Romanis elephantos ducentibus partim ex Libya, partim Indos ab Antiocho Rege acceptos, ne belluæ equis formidabiles primo adspectu essent, præcepit, ut fabri ligneos elephantos facerent: & quoniam fremitus eorum terribilis admodum foret, viros iis inclusit, qui per os tubas dirigentes, acutum & horribilem sonum emitterent; atque ita equi Macedonum assuefacti sunt ad elephantorum fremitum & adspectum, uti narrat Polyænus *lib.* 4. *cap.* 20. cujus hæc verba, προσέταξεν εἰς τὸ ξύλινον εἴδωλον ἐμβαίνειν, malè vertuntur, *jussit ligneum simulacrum cum tuba conscendere*, tanquam homo ille in dorso belluæ sederit; cùm significet Polyænus, eum sese abdidisse in concavitate elephanti, & ita tubâ in os belluæ factitiæ insertâ edidisse barritum. Nec factum, nec stratagema hoc Persei commemorare oblitus fuit Diodorus Sic. lib. 2. *Biblioth.* ubi fraudem similem Semiramidis narrat, de qua in *Exercitatione* prima à me actum est: *Quod*, ait, *& Perseus multis pòst seculis imitatus est, cum Romanis, quibus elephanti erant Libyci, acie dimicaturus. Verùm neque illi, neque Semiramidi hoc commentum aliquid ad victoriam momenti attulit.* Quin meminit etiam hujus strategematis L. Ampelius in *Libro Memoriali*: *Perses Philippus Philippi filius cum maximis copiis Macedoniis esset, & cùm impetum in Græciam fecisset, cum* INANIBVS ELEPHANTORVM SIMVLACRIS *à Marco Consule apud Scyriam paludem victus, præcipitatis in mare thesauris, profugit; mox ab Æmilio Paulo totâ Macedoniâ fugatus, Samothraciam confugit in asylum:* ubi initio videtur excidisse *cùm*, quia sensus postulat; *cùm cum maximis copiis esset*; deinde scribendum *Marcio*, quia Consul vocatus fuit Q. Marcius Philippus.

Cùm autem hinc pateat, tunc temporis Macedoniæ Regibus nullos fuisse elephantos; nescio profectò unde hauserit Critolaus apud Plutarchum, Paulum Æmilium centum viginti elephantos πυργοφόρους Romam misisse. Egi in rebus Pyrrhi hoc de loco, & docui, adversùs Regem eum nunquam bellasse Paulum; atque ut illud veritati planè est contrarium, ita & missi tot elephanti nulli innituntur fundamento, quemadmodum ex iis, quæ monui, patet; nisi statuamus Persea Regem postea, cùm Æmilius Paulus eum debellavit, tot elephantis fuisse succinctum; quod non est verisimile, nec ab ullo Auctore memoriæ traditum: & unus L. Metellus bello Punico primo *centum & viginti*, vel *plures elephantos* Romam legitur misisse. Neque tamen ab hac *Exercitatione* excludendus est L. Æmilius Paulus; nam licèt non legatur elephantos redegisse in potestatem, tamen victo Perseo, inter alias res pretiosas in triumpho tulit *dentes elephantorum bis mille, singulos cubitorum trium:* Geor-

Georgius Syncellus in *Chronogr.* hoc nobis conservavit, cúmque descriptio magnificentissimi illius triumphi in Livii *libro* XLV. non legatur hodie, & Syncellus illam proculdubio ex veteribus Auctoribus & fortè ipso Livio sumserit, rectè me facturum existimavi si integrum illum, licèt longiusculum, locum supponerem: *Æmilii triumpho tres dies assignati: primo quidem currus mille ducenti candidos brevesque clypeos ferebant: tum alii mille ducenti clypeis æreis onusti: postremo trecenti lanceis, sarissis, telis & jaculis pleni vehebantur: præibant, qui acies præcedunt, tubicines: sequebantur alii currus variis bellicorum tormentorum supellectile referti: tum verò hastæ* DCCC. *ferramentis instructæ. Delata die secundo pecuniæ signatæ talenta* M. *argenti talenta* MM. *pocula* D. (imò *ducenta*, διακόσια) *statuarum & variarum imaginum vehentes immensum numerum currus* CC. (imò *quingenti*, πεντακόσιαι) *clypei aurei, pateræque Deorum sacris dicatæ quàm plurimæ. Diei tertii pompæ præibant boves formosi* CXX. *auri talenta oneribus* (*cistis* φορήμασι) *ducentis & viginti compacta; phiala aurea* X. *talentorum, gemmis undequaque radians, aurea variaque supellex* (χρυσώματα) *talentorum* X. ἐλεφάντων ὀδόντες δισχίλιαι τρίπηχεις, *elephantorum dentes bis mille, singuli cubitorum trium; currus eburneus auro lapillisque onustus; equus gemmatis phaleris, reliquoque apparatu aureo & bellico ornatus; lectus aureus floridis ac mollibus stragulis instructus, & aurea sella purpura circumtecta; Perseus infelix Macedonum Rex cum filiis duobus, & filia, & Ducibus ducentis quinquaginta, inde sequebatur: coronæ quadringentæ à civitatibus & Regibus oblatæ: agmen extremum clausit eburneo curru artis admirandæ vectus Æmilius.* Atque ita L. Æmilius Paulus Macedoniam Romanis subjecit, eamque divisit in Partes quatuor; quas Livius *lib.* 45. *cap.* 29. & 30. describit; cúmque id ad eundem ferè modum narret Syncellus, atque inde mihi suspicio nata sit, eum Livium imitari, itidem ejus verba hoc loco exhibebo; id quod eò libentiùs facio, quia publicabo simul nummum, hujus divisionis testem, quem ineditum & fortè unicum possideo: *Regionem porrò universam in Partes* IV. *diviserunt: prima, quæ Nestum inter & Strymonem fluvios jacet; quæque ad Nesti plagam orientalem, ad Abderam, Maroneam & Ænum civitates, ad Strymonis autem regionem occiduam, Bisaltiam omnem & Sitticam Heracleam* (imò, *Heracleam quæ in Sintica est*, μετὰ τῆς ἐν τῇ Σιντικῇ, ita scribendum pro Σιττικῇ, Ἡρακλείας) *interjacent, complectebatur. Secundam Partem ab Oriente Strymon, ab Occidente Axius, & his affinia loca terminabant. Partem tertiam ad Occidentem Peneus fluvius & ad Boream Bernus mons circumscribebant, quibus Pannoniæ* (imò *Pæoniæ*, Παιονίας) *loca quædam adjungebantur, Edesa nimirum & Berœa civitates præclaræ. Quarta trans Bernum montem Epiri & Illyrici loca cuncta superioribus annectebat. Vrbes totidem quatuor istis Partibus præerant: ac primæ quidem* AMPHIPOLIS; *secundæ* THESSALONICA; *tertiæ* PELLA; *quartæ* PELAGONIA: *in his Magistratus quatuor constituti, ad quos vectigalia deferebantur.* Hæ igitur Partes Nummos percusserunt, & in iis scripserunt primam, secundam, tertiam, quartam Partem; & quanquam nondum inventi sint, qui memoriam omnium Partium conservent; *prima* tamen legitur in nummo argenteo majoris formæ, qualem etiam possideo, quique editus à præstantibus Viris, & Antiquariis variis.

Quin & *secunda* memoratur in alio eorundem Macedonum nummo, qui penes me est, & quem unicum esse dixi; neque enim puto huc pertinere

A divisionem Macedoniæ in duas Partes, quæ sub Regibus nonnunquam facta est; Justinu *lib.* 16. *cap.* 1. *Lysimachus quoque, cùm bello Doricetis, Regis Thracum, premeretur, ne eodem tempore & adversùs eum dimicare necesse haberet, tradita ei* ALTERA PARTE MACEDONIÆ, *quæ Antipatro ejus genero obvenerat, pacem cum eo fecit;* & *capite* eodem antea: *Causa parricidii fuit, quòd post mortem mariti* (Cassandri) *in divisione inter fratres regni, propensior fuisse Alexandro videbatur:*

B

Cernitur autem eo in nummo hinc Diana, rejecta post terga pharetra & arcu; inde verò in corona clava Herculis & ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΔΕΥΤΕΡΑΣ, uti in alio scribitur ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ, quod nonnulli nescio quàm benè per *preminenza* exponunt.

C *Quartam* legimus in alio nummo, quem servat Consul Britannus, qui Smyrnæ à Rege impositus est Gentis illius mercatoribus, vir summopere laudandus, tum quia provinciam, quam cepit, optimè exornat, tum quia hujuscemodi monumentorum valde intelligens est, & mecum rarissimorum, quos sibi comparavit, Numismatum, catalogum communicavit, inter quos etiam ille, de quo ago, recensetur; inque ejus una area cernitur clava itidem Herculis & quidem nodosa, uti in altero Partis secundæ, quæ absque nodis est in meo primæ Partis, cum inscript. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ

D ΤΕΤΑΡΤΗΣ, & in altera nescio cujus vultus detritus, qui posset esse Dianæ, qualis in aliis occurrit duobus.

Illud autem inprimis est notandum, inter Partium illarum urbes præcipuas, vel capita, non memorari *Philippos*, quam tamen unius Partis caput fuisse patet ex *Actis Apostolorum* cap. 16. ℣. 12. Partis Macedoniæ, in qua sita fuit urbs Philippi, caput fuit *Amphipolis*, uti Syncellus nobis tradit; unde & ill. Spanhemius p. 51. *Dissert.* Ed. Londin. in ea Nummos signatos putat, quibus inscribitur, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. Livius in eadem Parte prima *Amphipolim* memorat, & non quidem diser-

E tè id tradit, sed tamen ex iis, quæ de ea narrat, constat, eam urbem fuisse præcipuam: *Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros, (trans Nessum amnem incolunt, & circa Strymonem) & multas frugum proprietates, & metalla, & opportunitatem Amphipolis: quæ objecta claudit omnes ab oriente Sole in Macedoniam aditus:* cui loco, utpote priori contrario, medicas manus admovet Perizonius *ad Ælian. Var. Hist. lib.* 5. *cap.* 11. Fuit autem Amphipolis *oppidum liberum*, uti ex Plinio patet; & in Nummis, illius cives dicuntur esse Αὐτονόμοι, *suis legibus utentes*; quod privilegium per τὸ *liberum* videtur

F Plinius designare; cùm ceteroquin *libertas* & ἐλευθερία respiciant immunitatem à tributis vel vectigalibus, uti Eruditis notatum est. Et cùm tempore D. Pauli *Philippi* fuerint Metropolis Partis illius, crediderim jus hoc per Julium Cæsarem, vel Augustum potiùs, qui urbem eam coloniam videtur fecisse, eóque misit Italos, quos propter studium in Antonium finibus suis ejecerat, uti patet ex Dione, Philippensibus datum fuisse; inde Nummi Claudii & aliorum Impp. inscribuntur, COL. IVL. AVG. PHILIP. in basi, in qua stat Augusti statua, quam muliebris

A figura coronat, legitur, DIVVS. AVG. uti rectè animadvertit Vaillantius V. Clar. eademque urbs ab Augusto, in familiam Juliam adoptato, vocari potuit Julia, non secus ac leges ab eo latæ eodem nomine veniunt; id quod etiam in aliis nonnullis Nummis observandum esse omnino habeo persuasum. Holstenius autem ex Ligorio *ad Stephanum de Vrbibus* nummum recenset, in quo fluvius, & ΑΜΦΙΠΟΛΙΤΩΝ ΑΥΤΩΝ, subtus ΣΤΡΥ. in altera area caput Jovis cum fulmine & ΜΩΝ: nec quid hoc sibi velit explicat; sed ΣΤΡΥ. est mihi nomen fluvii Strymonis, & ΜΩΝ credo jungi debere cum ΑΥΤΩΝ, vel ΑΥΤΟΝ, & litteram O. B esse detritam; vel etiam cum ΣΤΡΥ. neque enim video, quid aliud hæ tres litteræ designare possint. Secundæ autem Macedoniæ Partis primaria urbs fuit *Thessalonica*, quam uti & *Cassandriam* eidem tribuit Livius; Tertiæ *Pella*, memorata etiam cum *Edessa* & *Berœa* Livio; & Quartæ *Pelagonia*; sed Historicus Romanus recenset in ea Parte *Eordæos*, *Lyncestas*, *Pelagones*, *Atintaniam*, *Stymphalin & Elimiotida*: nulla facta mentione urbis *Pelagoniæ*; & certè nemo aliorum Veterum ejusdem meminit, & Strabo *lib.* 7. *Pelagoniam* facit regionem, additque *Tripoliten* vocatam esse propter tres urbes, C *Azorum* nempe, *Pythium* & *Dolichen*, uti haud obscurè patet ex Livio *lib.* 42. *cap.* 53. Sed apud neminem adhuc inveni urbem nomine *Pelagoniam*, adeò ut erret Syncellus, & ex regione malè oppidum fecerit. Si quid tamen credendum Philippo Ferrario, Livius etiam nominis illius urbem nobis narrat; sed ego id invenire non potui, & *lib.* 26. *cap.* 25. *lib.* 31. *cap.* 33. 34. & 39. *Pelagonia* non est nisi regio: quòd si alii plus otii est, ut in hanc rem diligentiùs inquirat, illudque inveniat, quod mihi sese non obtulit, haud gravabor mutare sententiam. Ita autem sese habent verba D. Lucæ: Ἐκεῖθεν εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη D τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, κολώνια; id est, uti vertit Interpres Vulgatus, *Et inde Philippos, quæ est prima Partis Macedoniæ civitatis* (at civitas) *colonia*. Sed Beza addit *hujus*; ita ut hic respiciat divisionem Macedoniæ, alter verò, ut & ipse D. Lucas ita possint interpretari, ac si Philippi totius Macedoniæ prima urbs foret; & ita Drusius explicat, τὸ *Partis Macedoniæ*, per regionis Macedoniæ, quia *Pars* sæpe pro regione ponitur; & Casaubonus existimat subaudiri ταύτης, *hujus tractus Macedoniæ*: & verteret alioquin μερίδος *Provinciæ*, ut sit pro ἐπαρχία, ut E Ptolemæus vocat. Grotius contrà jungit binas voces πόλις & κολώνια; ita ut dicat D. Lucas; *venienti à Sinu Strymonico primam urbem, quæ sit colonia, Philippos esse*; Paulum colonias maximè sectatum esse addit, quòd ibi & plus hominum & gentes variæ. Sed tamen ego crediderim D. Lucam potiùs nos docere, Philippos esse primam urbem illius Partis Macedoniæ, & simul coloniam; & inde factum, ut eadem urbs fuerit in regimine Ecclesiastico Metropolis Macedoniæ secundæ, postquam regio illa divisa fuit in primam & secundam, uti docet Carolus à S. Paulo in *Geographia Sacra*: cui addantur omnino, quæ notat in F ejusdem nominis libro, Frider. Spanhemius, magnum quondam Academiæ Lugduno-Batavæ lumen, meusque inprimis amicus.

Quin & hoc addendum est, præstantissimum Begerum in *Notis ad Florum*, cujus duos primos libros multis monumentis publicis ornatum publicavit, rectè putare ad divisionem Macedoniæ spectare Gentis illius Nummos, quorum aversa pars lineis divisa est in quadras vel quatuor partes, cum litteris MA. id est, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.

Sed, ut ad elephantos, quorum operâ nonnunquam Romani in præliis usi fuerunt, revertar, Appianus in libro de *Bel. Syriacis* docet, Manium Acilium Glabrionem elephantos aliquot secum habuisse, cum A. V. C. 562. adversùs Antiochum Magnum ad Thermopylas erat dimicaturus; sed tamen non tradit illos in ipso prælio fuisse, id quod tamen verisimile est, licèt narret, Regem elephantos suos in sinistro cornu collocasse. Sic Romani etiam tempore prælii, quo Antiochus Magnus victus est, habuerunt elephantos; sed Legatus Domitius, existimans eos utiles non fore, quia pauciores & minores erant, utpote ex Africa arcessiti, cùm Antiochus haberet Indos & majores, hosque illi metuant, belluas post omnes copias collocavit, uti narrat Appianus lib. *de Bel. Syriacis*; qua de re ita etiam loquitur Livius *lib.* 37. *cap.* 39. „Sedecim elephantos post Triarios in subsidio locaverat. Nam præterquam quòd multitudinem „Regiorum elephantorum (erant enim quatuor „& quinquaginta) sustinere non videbantur posse, ne pari quidem numero Indicis Africi resistunt; sive quia magnitudine, (longè enim illi „præstant) sive robore animorum vincuntur. Atque hæc ita sese habere, & elephantos Indicos terrori esse Libycis vel Æthiopicis docet etiam Polybius *lib.* 5. *cap.* 83. ubi Antiochi & Ptolemæi prælium nobis describit: „Mox ut pervenere „Ptolemæus quidem & soror ejus ad aciei lævum „cornu, Antiochus verò cum regia equitum turma, classicum incinere jussis tubicinibus, prælium elephantis commiserunt. Ac fuerunt è Ptolemaicis bestiæ nonnullæ, quæ in hostem summa vi atque impetu irruerunt; cùm quidem cerneres eos, qui è turribus pugnabant, acre prælium ciere: sarissis, quas manibus tenebant, è „proximo rem gerentes, seque invicem cædentes: „pulchrius tamen adhuc spectaculum erant belluæ ipsæ, totis viribus inter se decertantes, & „cum impetu aliæ in alias irruentes. Nam elephanti hoc ferè modo inter se pugnant; complexi „invicem, dentibus commissis, quanta maxima „vi pollent, in eodem vestigio conniuntur, de „statione dimicantes, donec victor tandem alter „evadat, & alterius proboscidem impulsu suo dimoveat; ubi verò semel inclinatæ bestiæ latus „patet, sic dentibus, ut taurus cornibus, victor „infert vulnera. Ceterùm belluarum Ptolemæi „pleræque detrectabant certamen; quod enim „Libycis elephantis accidere solet, ut neque odorem, neque barritum ferant Indicorum: sed „cùm magnitudine, tùm robore illarum, ut equidem arbitror, perterritæ properè, antequam appropinquent, fugiant, tunc quoque usu venit. Et inde Polybius narrat Ptolemæi ἄγημα πιεζόμενον ὑπὸ τῶν θηρίων, *conculcatum à bestiis inclinasse*; licèt postea Rex ille victoriam sit consecutus; de qua egi in *Exercitatione* prima. Et huc pertinet, quod scribit Philostratus *lib.* 1. *cap.* 16. quantum elephas Libycus major est equo Nisæo, tanto Libycis majores esse Indicos; quos equos constat à magnitudine & celeritate commendari.

Cn. præterea Domitius Ahenobarbus, qui Consul fuit A. V. C. 631. vicit Allobroges & Arvernos ope elephantorum: Orosius *lib.* 5. *cap.* 13. *Cn. quoque Domitius Proconsul Allobroges Gallos juxta oppidum Vindalium gravissimo bello vicit, maximè cùm elephantorum novâ formâ equi hostium, hostesque conterriti diffugissent*: id quod & ante eum Florus *lib.* 3. *cap.* 2. memoriæ mandavit; *Maximus Barbaris* (Allobrogibus & Arvernis) *terror elephanti fuere, immanitati Gentium pares*: unde nihil mirum, eum per Provinciam eam elephanto vectum esse, narrante Suetonio cap. 2. *Neronis*: *Cn. Domitius, atavus Neronis, in Consulatu Allobrogibus Arvernisque superatis, elephanto per*

Pro-

Provinciam invectus eſt; turba militum, quaſi inter ſolennia triumphi, proſequente.

Quin etiam C. Julius Cæſar elephanto uſus eſt in Britannia, dimicaturus adversùs Regem Caſſovaldum; & cùm ingentem fluvium trajicere deberet, belluam σιδηραῖς φολίσι, *ferreis ſquamis*, vel *loricâ* munivit; alta valde in turri ſagittarios collocavit & funditores; cúmque Britannis nunquam animal tale fuiſſet viſum, illi novitate rei conſternati cum equis & currubus ſeſe in fugam conjecerunt; & ea re factum eſt, ut Romani abſque periculo flumen tranſierint, ἐνὶ ζώῳ τοὺς πολεμίους φοβήσαντες, *unâ beſtiâ hoſtes terrentes*; uti legere licet apud Polyænum *lib.* 8. *cap.* 23. §. 5.

Et notandum inprimis, Cæſarem videri unum tantùm elephantem ſecum habuiſſe; id quod non modò ex verbis laudatis, verùm etiam ex aliis ſequentibus patet: Καίσαρι μέγιστος ἐλέφας εἵπετο, ζῶον Βρεττανοῖς οὐχ ἑωραμένον, *Cæſarem maximus elephas ſequebatur, animal Britannis nunquam viſum*; adeò ut videatur id potiùs feciſſe gloriæ causâ, & propter victum Jubam & Scipionem, quàm ut elephantis in prælio uti voluerit; niſi tamen & alios ſibi tunc temporis habuerit, quorum hic erat μέγιστος, vel *maximus*. Sed, quod obſervatione etiam non indignum, hujus hiſtoriæ vel elephanti ipſe Cæſar libro v. *Belli Gallici* non meminit, licèt in eo hunc trajectum deſcribat. Vix autem dubitandum ea de hiſtoria eſſe puto, quia eadem tam clarè narratur Polyæno; neque etiam ego repugnarem belluam hanc in illo altero Orbe mortuam eſſe. Nam Joh. Morthonus narrat in *Hiſtoria Naturali Provinciæ Northampton*, uti patet ex *Memoriis Trivultienſibus*, Art. 50. menſis Aprilis 1714. inventum eſſe prope locum, cui nomen Bowdon, dentem elephanti ingentis magnitudinis, *d'une énorme groſſeur*, non ſecus ac alium minorem, & poſt diligens examen, apparuiſſe illos eſſe veros dentes elephantorum. Et quanquam hic Cæſaris elephas dicatur fuiſſe μέγιστος, propereaque illi optimè conveniat dens maximus, non tamen à me in medium adducitur ille, ut inde probare velim, elephantem Cæſaris ibi occubuiſſe, ſed quia non incommodè mihi hæc res locum habere poſſe videbatur; quanquam non ignorem illud & alia phænomena inter foſſilia & naturæ quaſi miracula referri: quem campum ſi ingrederer, nimis certè à propoſito aberrarem.

Præterea in caſtris Scipionis, qui pro Pompeji partibus adversùs Cæſarem ſtabat, erant elephanti centum & viginti, teſte Hirtio cap. 1. *Belli Africani*; quos credo fuiſſe auxilia Regis Jubæ, inter quæ ſcribit in caſtris Labieni Scipionis Legati totidem belluas fuiſſe, idem *cap.* 19. & tot memorat in partibus illis Julius Celſus p. 170. *Comment. de Vita Julii Cæſaris*, quem Joh. Georgius Grævius, illuſtre & grande Muſarum decus, & amicus meus inprimis, revocavit in lucem. Cùm autem P. Sitius, & Rex Bogud regnum Jubæ invaderent, Juba timens regno ſuo rebuſque, eò profectus triginta tantùm elephantos reliquit Scipioni, & reliquos nonaginta proculdubio ſecum duxit, uti patet ex *cap.* 25. Quomodo autem Scipio belluas illas ad prælia inſtituerit, tradit idem Hirtius *cap.* 27. „Scipio interim elephantes hoc „modo condocefacere inſtituit: duas inſtruxit „acies, unam funditorum contra elephantos, quæ „quaſi adverſariorum locum obtineret, & contra „eorum frontem adverſam lapillos minutos mitte„ret; deinde in ordinem elephantos conſtituit. „Poſt illos autem aciem ſuam inſtruxit: ut quum „ab adverſariis lapides mitti cœpiſſent, & ele„phanti perterriti ſe ad ſuos convertiſſent, rurſus

A „à ſua acie lapidibus miſſis eos converterent ad„verſùm hoſtem; quod ægrè tardéque fiebat. „Rudes enim elephanti multorum annorum do„ctrina, uſuque vetuſto vix edocti, tamen com„muni periculo in aciem producuntur. Appianus Alexand. lib. 2. *Belli Civil.* ſcribit in exercitu Scipionis fuiſſe elephantos triginta, Jubamque adventaſſe cum aliis ſexaginta; ita ut fuerint omnes nonaginta: moxque addit, Jubam, cùm intellexiſſet Bocchum occupaſſe Cirtam, regiam ſuam, in regnum reduxiſſe exercitum, relictis ſolùm Scipioni elephantis triginta; id quod etiam B narrat Hirtius: qui & ſcribit *cap.* 48. Jubam à Scipione rogatum ei ſubſidio veniſſe cum multis copiis, & *elephantis triginta.* Scipio autem antequam illi cum Rege adeſſent cum Cæſare pugnaturus illos xxx. elephantos turritos ante aciem inſtruxit, *cap.* 30. cúmque pugnatum non eſſet, mittit duos Gætulos, qui ſpecularentur caſtra Cæſaris, ad quem cùm tranſiſſent, rem omnem hiſce verbis aperiunt: *Pro ſpeculatoribus miſſi à Scipione, ad te cupidiſſimè venimus, ut perſpiceremus, num quæ foſſæ aut inſidiæ elephantis ante caſtra portaſque valli factæ eſſent: ſimulque conſilia veſtra contra eaſdem beſtias, comparationemque pugnæ cog-* C *noſceremus, atque ei renunciaremus*, *cap.* 35. Poſtea Scipio quadruplicem aciem inſtruxit ex inſtituto ſuo, & primam quidem equeſtrem turmatim direxit, *elephantoſque turritos interpoſuit*; Cæſar autem putans prælium committere velle Scipionem, *dextrum ſiniſtrumque cornu, ubi elephanti erant, in conſpectu patenti adverſariorum conſtituit*, *cap.* 41. Alio die univerſas *Scipio ſuas Regiſque copias cum elephantis* LX. *perductas in aciem quàm ſpecioſiſſimè potuit, inſtruxit*; ſed cùm & tunc pugna non ſuccederet, ſeſe recepit in caſtra, *cap.* 48. Inde Scipio alia in acie elephantos dextro læ- D voque cornu collocavit, æqualibus inter eos intervallis interjectis, *cap.* 59. & alio itidem tempore Legiones productas cum elephantis ante caſtra in acie, terroris gratiâ in conſpectu Cæſaris collocaverat, ſed in caſtra reduxit, *cap.* 70. Cúmque elephantorum magnitudo & multitudo animos Cæſariani militis detineret in terrore, tale remedium ille excogitavit; „elephantos ex Italia tranſ„portari juſſerat, quo & miles noſter ſpeciemque „& virtutem beſtiæ cognoſceret, & cui parti cor„poris ejus, telum facile adjici poſſet: ornatuſque „ac loricatus elephantus cùm eſſet, quæ pars ejus „corporis nuda ſine tegmine relinqueretur, ut eò E „tela conjicerentur; præterea, ut jumenta beſtia„rum odorem, ſtridorem, ſpeciem, conſuetudi„ne captarum non reformidarent. Quibus ex re„bus largiter erat conſecutus; nam & milites be„ſtias manibus pertractabant, earumque tardita„tem cognoſcebant: equiteſque in eos pila præpi„lata conjiciebant: atque in conſuetudinem equos „patientia beſtiarum adduxerat, *cap.* 72. & Jul. Celſus p. 176. Atque idem illuſtris Grævius, ultima hæc verba corrupta eſſe putabat, & illa, uti edita ſunt, explicari non poſſe; Ciacconium deprehendiſſe, addebat, locum eſſe vitioſum, duplicem eum adhibuiſſe medicinam; ſibi videri F unicam litteram excidiſſe, & legendum eſſe: *atque in conſuetudinem equos patientiæ beſtiarum adduxerat:* id eſt, equos adſuefecit pati beſtias; *patientiam beſtiarum* ſumi, uti *patientiam obſidionis* apud Juſtin. *lib.* 22. *cap.* 4. & *patientiam locorum*, *lib.* 2. *cap.* 1. ita ſexcenties vocem hanc uſurpari Senecæ, & Romanam veterem editionem Anni 1469. exhibere, *in conſuetudinem equos ipſarum beſtiarum adduxerat*; eamque lectionem ferri poſſe, quamvis ſit duriuſcula; ſed melius eſſe ſtatuere, τὸ *patientiæ* à ſciolo omiſſum eſſe, qui illius vocis vim ignorabat. Atque inde patet Cæſarem in

prælio elephantis uſum non eſſe, licèt eos ſibi haberet: unde cùm Scipio elephantos dextro ſiniſtroque cornu collocaſſet, ipſe iis non oppoſuit ſuos, ſed quinas cohortes, *cap.* 81. & à dextro cornu funditores ſagittariique concita tela in elephantos frequentes jecerunt; quo facto beſtiæ ſtridore fundarum lapidumque perterritæ ſeſe convertere, & ſuos poſt ſe frequentes ſtipatoſque proterere; & in portas valli ſemifactas ruere contendebant, *cap.* 83. Mox ſequitur: *Item Mauri equites, qui in eodem cornu cum elephantis erant, præſidio deſerti principes fugiunt: ita celeriter beſtiis circuitis Legiones vallo hoſtium ſunt potitæ:* & *cap.* 84. narratur militis veterani Legionis quintæ nobilis audacia. Tandemque victor prælio Cæſar, cepit elephantos ornatos armatoſque cum turribus ſexaginta quatuor, *cap.* 86. quos tantùm LIV. fuiſſe ſcribit p. 178. Jul. Celſus; niſi numerus apud eum corruptus ſit.

Illud autem inprimis notandum, Appianum memoriæ mandare in tantum contemſiſſe Cæſarianos elephantes, ut τὸ πέμπτον τέλος, vel *Legio quinta*, depopoſcerit belluis illis opponi, atque eam egregiè viciſſe, & inde tempore Appiani eamdem pro inſigni habuiſſe *elephantos:* καὶ νῦν ἀπ' ἐκείνου τῷδε τῷ τέλει ἐλέφαντες ἐς τὰ σημεῖα ἐπίκεινται; *unde hodieque ejus Legionis elephantes ſunt inſignia*, uti tradit ipſe Appianus lib. 2. *Belli Civil.* & verba hæc, ἐς τὰ σημεῖα ἐπίκεινται, ſignificant haud obſcurè, elephantorum effigies vel haſtis ad inſtar aquilarum fuiſſe impoſitas, vel iiſdem affixas, uti effigies Imperatorum ſolebant, vel denique in vexillis ſive velis pictas fuiſſe; quo pertinet, Lipſium exiſtimare lib. 4. dial. 6. *de Mil. Rom.* aquilam amotam non fuiſſe, ſed in clypeis ſignisque manipulorum elephantem fuiſſe. Neque dubito quin huc referri debeat id, quod de milite Legionis quintæ narrat Hirtius c. 84. *Belli Afric.* qui armatus ſe beſtiæ offerens, à beſtia circumdatur proboſcide, atque in ſublime tollitur, quique cùm in ejuſmodi periculo conſtanter ſibi agendum eſſe videret, *gladio proboſcidem cædere, quantum viribus poterat, non deſtitit; quo dolore adductus elephantus, milite abjecto, maximo cum ſtridore curſuque converſus ad reliquas beſtias ſe recipit.* . . . . Atque hanc rem ante oculos habuiſſe puto Lydium egregiè ſtudioſum virum, cùm ſcribit, lib. 3. c. 7. *Syntagmatis Sacri de Re Militari*, *ſigna* fuiſſe imagines perticis impoſitas ex ſolido auro, potiſſimùm tamen ex argento, & eas fuiſſe varias, *Deorum, Imperatorum, ac Principum, aquilarum, draconum, elephantum:* unde patet utique, eum generaliter nimis de *elephantis* loqui, ne dicam jam, nondum certò conſtare, an ſimulacra illarum belluarum illius ipſius Legionis fuerint perticis impoſita; certè illud factum non eſt imaginibus Deorum, & Imperatorum, vel Principum.

Atque ita ex iis, quæ diſputavi, patet, Romanos ipſos etiam in præliis uſos fuiſſe operâ elephantorum; qui mos tamen quamdiu obtinuerit, & an frequenter à vel ſub Imperatoribus uſitatus fuerit, affirmare nullus poſſum. Invenio apud Dionem *lib.* 60. Claudium trajicientem in Britanniam, & ad eam expeditionem etiam *elephantos* paratos fuiſſe. Et hinc Guiel. Muſgrave Anglus doctiſſimus in *Commentario Epitaphii Julii Vitalis*, quem mihi donum miſit, Cogidunum, cujus meminit Tac. 14. *An.* 2. regio more veſtitum, Satrapis ſtipatum, ad caſtra Claudii venientem, aquilas, elephantos, arma Romanorum mirantem, dextram dextræ Imperatori jungentem, quaſi per nebulam ſe intueri putat; mihique ea de re per litteras agenti reſpondit, id quod ſcripſit *planè conjecturale eſſe.*

A Sed belluæ illæ non ſculptæ ſunt in Columnis Trajani, Antonini, Severi, Conſtantini, vel aliis monumentis vetuſtis, quæ nobis Auguſtorum bella conſervarunt; nec dubito, quin forent depictæ, ſi earum fuiſſet aliquis uſus. Julius tamen Pollux *lib.* 1. *cap.* 10. §. 8. ſcribit, elephantorum uſum ad pugnas eſſe, non ſecus ac equorum; elephanti ductorem vel rectorem vocari ἐλεφανταγωγὸν, qui verò iis (omnibus ſcil.) præeſt, ἐλεφαντάρχην: unde videri poſſent Romani tempore Commodi elephantis uſi eſſe. Ælianus quoque cap. 2. *Tactic.* tradit, *alios equis,* B *alios elephantis vehi*; & mox, *inſtructionem* διακοσμήσιν *elephantorum* ac currum μονοειδῆν, eſſe; & *cap.* 23. ita hac de re loquitur per Interpretem: „In elephantorum ordinationibus, qui uni „præeſt elephanto, Zoarchus vocatur; qui duobus Therarchus, ac ſyſtema eorum, Therarchia; qui quatuor, Epitherarcha, ac eorum ſyſtema, Epitherarchia; qui octo, Ilarcha, ac eorum ſyſtema, Ilarchia; qui ſexdecim, Elephantarcha, ac ſyſtema eorum, Elephantarchia; qui triginta duobus, Ceratarcha, eorumque ſyſtema, Ceratarchia; quæ verò è LXIV. conſtat elephantis, eam „elephantorum phalangem appellamus, & præfe- C „ctus dicitur Phalangarcha. Ælianus hic alius eſt ab Auctore *Variæ* & *Animalium Hiſtoriæ*, uti pulchrè docet celeberrimus Perizonius; & vixit ſub Trajano & Hadriano; atque ita loquitur, tanquam ſub Impp. Romanis adhuc elephantis fuerit bellatum. Sed Arrianus, qui imperante etiam Hadriano floruit, narrat quidem *cap.* 2. elephantorum uſum in bellis etiam ad Romanos veniſſe; ſed *cap.* 28. ſcribit, ſuo tempore non ampliùs eos fuiſſe ab iis uſurpatos: *Curruum autem ac elephantorum ordines, ordinumque vocabula ac præfecturas, earumque nomina explicare fruſtranei eſſe laboris mihi quidem videtur;* D ὅτι ἐκλελειμμένας ἐκ παλαιοῦ ἤδη λέξειν ἔμελλον; *quia hoc pridem uſurpari deſitum requirit, ut vetuſta vocabula repetamus:* & mox addit, curruum & elephantorum uſum ad prælia exoleviſſe, *niſi fortè apud Indos aut ſuperiores Æthiopes adhuc uſurpentur;* ὅτι μὴ παρ' Ἰνδοῖς τυχὸν, ἢ τοῖς ἄνω Αἰθιόψιν καὶ αὐτοὶ ἐκλέλειπται. Et notandum, eum dicere elephantos ἐκ παλαιοῦ *jam diu non fuiſſe in præliis* vel *bellis adhibitos*; adeò ut illud diu antè, & proculdubio finitis bellis cum Aſiæ Regibus, Carthaginienſibus, Civilibuſque Julii Cæſaris & Pompeji, abierit in deſuetudinem planè: atque ita Vegetius, qui ſub Valentiniano vixit, agit E quidem *lib.* 3. *cap.* 24. de elephantis, ſed ſimul indicat ſatis ſuperque, inter vetera inſtituta illos numerandos eſſe; totum exhibebo locum, quia varia complectitur, quæ Operi huic inſervire poſſunt; & quia inde patet, qua ratione diverſis temporibus contra elephantos à Romanis fuit bellatum: „Elephanti in præliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipſius novitate, „homines, equoſque conturbant. Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania Rex Pyrrhus eduxit. Poſtea Hannibal in Africa, Rex „Antiochus in Oriente, Jugurtha in Numidia co- F „pioſos habuerunt, adversus quos diverſa excogitata ſunt genera armorum. Nam & Centurio in „Lucania gladio manum (quam proboſcidem vocant) uni abſcidit, & bini cataphracti equi jungebantur ad currum, quibus inſidentes clibanarii, ſariſſas, hoc eſt, longiſſimos contos, in elephantos dirigebant. Nam muniti ferro, nec à „ſagittariis, quos vehebant belluæ, lædebantur, „& earum impetum equorum celeritate vitabant. „Alii contra elephantos cataphractos milites immiſerunt: ita ut in brachiis eorum, & in caſſidibus, vel humeris, aculei ingentes ponerentur è „fer-

„ferro, ne manu sua elephas bellatorem contra se „venientem posset apprehendere. Præcipuè tamen „velites antiqui adversùm elephantos ordinave„runt. Velites autem erant juvenes, levi armatu„ra, corpore alacri, qui ex equis missilia optimè „dirigebant. Hi equis prætercurrentibus ad latio„res lanceas, vel majora spicula belluas occide„bant; sed crescente audacia, postea collecti plu„res milites pariter pila, hoc est, missilia, in ele„phantos congerebant, eosque vulneribus elide„bant. Illud additum est, ut funditores cum fusti„balis & fundis, rotundis lapidibus destinatis In„dos, per quos regebantur elephanti, cum ipsis „turribus affligerent atque mactarent, quo nihil „tutius invenitur. Præterea venientibus belluis, „quà irrupissent aciem, spacium milites dabant. „Quæ cùm in agmen medium pervenissent, cir„cumfusis undique armatorum globis, cum ma„gistris absque vulneribus capiebantur illæsæ. „Carroballistas aliquanto majores (hæ enim lon„giùs & vehementiùs spicula dirigunt) superposi„tas curribus, cum binis equis aut mulis post „aciem ordinari convenit, ut cùm sub jactum te„li accesserint bestiæ, sagittis balistariorum trans„figantur. Latius tamen contra eas & firmius præ„figitur ferrum, ut in magnis corporibus majora „sint vulnera. Adversùm elephantos plura exem„pla & machinamenta retulimus, ut si quando „necessitas postulaverit, sciatur quæ sint tam im„manibus belluis opponenda; quæ maximam partem sumta sunt ex Modesti Libello, *de Vocabulis Rei Militaris*. Et sum persuasus ultima à Vegetio adjecta fuisse, quia Romani illo tempore pugnabant sæpe cum Persis, quos elephantis usos fuisse, docebo, ubi pervenero ad Diocletiani ævum.

Sed tamen belluis illis usus videtur fuisse Claudius in Britannia, cùm Dio *lib.* 60. scribat fuisse ad eam expeditionem parata omnia, *atque etiam elephantos*; uti antea monui: & uti voluit Julianus adversùs L. Sept. Severum præliaturus. Nam Herodianus *lib.* 2. *cap.* 39. scribit, eum Romæ apparasse bellum, & elephantos omnes, quos alebat ad pompam, conatum esse docere, ὑπηρετῶν ἐπὶ νώτων φέρειν, *sessores pati*, vel milites, ut puto; idque ideo, quia putabat Illyricos milites & equos territos iri ὄψει καὶ μεγέθει θηρίων, cùm nullas antea conspexissent. Notanda autem obiter Scriptoris illius verba, καὶ τὴν πρὸς Σεβῆρον μάχην, ὡς ἐν τῇ πόλει ποιησόμενος, παρεσκεύαζε, verti, *omnemque belli apparatum in ipsa demum urbe expediebat*; cùm mihi videantur reddi debere, *& prælium contra Severum, tanquam in ipsa urbe cum eo dimicaturus, apparabat.*

Juliani autem consilium & propositum caruerunt effectu, uti patet ex eodem Herodiano, nec non Dione *lib.* 73. extremo, qui ita ea de re loquitur: *Per eos dies Romæ, tanquam in hostili terra, nihil aliud fuit quàm castra: nam magnus erat tumultus stabulantium exercentiumque se equorum, hominum, elephantorum: ab armatis ingens timor reliquis civibus injectus est. Nos interdum vix risum tenebamus, quòd Prætoriani nihil facerent dignum suo nomine, aut promissis; (quippe molliter & delicatè vivere didicerant) & quòd milites ejus classis, quæ apud Misenum erat in statione, accersiti, quemadmodum se exercerent, nescirent;* οἵτε ἐλέφαντες, ἀχθόμενοι τοῖς ἵπποις, οὐδ᾽ αὐτοὺς ἐπὶ τοὺς ἐπιβάτας ἔφερον, *nec elephanti, infensi equis, sessores suos ferrent.*

Atque tandem nec Romani videntur in castris usi esse ad impedimenta portanda; quam in rem tamen constat eos camelos, exoticum itidem animal, imbuisse. Valerianus apud Vopisc. in *Clau-*

A *dio* cap. 14. ad Zosimionem Procuratorem Syriæ scribit, ut Claudio, qui postea Imperator factus est, tradat, *mulos annuos sex, equos annuos tres, camelos annuas decem, mulas annuas novem*; notatque illustris Salmasius, camelorum usum in castris Romanorum jam inde à vetustis temporibus fuisse, ad prædam portandam; quibus cum epibatis suis quinque pedes assignat Hyginus, & in prætentura eos collocat, *aut juxta Quæstorium, si ad prædam præstandam præsto erunt.* Hunc locum illustrat Rabbodus Hermannus Schelius, Nobilis Transisalanus, & excellentis vir doctrinæ; qui
B etiam promittit, sese alibi acturum de camelorum & *elephantorum usu*; id quod tamen num factum ab eo sit, scio juxta cum ignarissimis. Et puto Julium Cæsarem uti ad onera & impedimenta portanda potuisse duo & viginti camelis, quos ceperat, Regis Jubæ, apud Hirtium c. 68. *Belli Africani.*

CAP. VI.

An Pompejus primus curru Elephantorum
C *quatuor triumphaverit: Viros doctissimos qui id affirmant, humani aliquid pati ostenditur. Non id fecit C. Julius Cæsar, non Domitius Ahenobarbus, non Claudius, non Gordianus. Dempsteri nota examinata; & Schefferus illustratus, Elephanti lychnuchi in triumpho Julii Cæsaris; qua de re tamen ut dubitetur, facit Dion Cassius. Ulyssis Aldrovandi varii lapsus. Nummus Gentis Claudiæ expensus. Nummi C. Julii Cæsaris Ele-*
D *phantis signati & explicati: an privatus eos belluâ signaverit: quid illa significet, an virtutes Cæsaris, an Africam. Tristani ingeniosa explicatio rejecta; quid designet Elephas in Nummis serpentem conculcans. Stephani Ambrosii Sciappalariæ opinio: an* Cæsaris *nomen respiciat Elephantum; Bochartus notatus: ita appellatum a Mauris; ejusmodi allusiones in aliis Nummis Gentium Aquiliæ, Voconiæ, Thoriæ, Pomponiæ, & fortè Rho-*
E *diorum. Carmen ineditum de morte Cleopatræ; Gallæus laudatus, aliud ex ejusdem MS. Carmen: varia Poëtarum, quæ in eo inveniuntur, nomina: nummus Julii Cæsaris cum litteris Punicis; alius ineditus in Hispania percussus cum aliis characteribus. Jacobi Barii laus: Dissertatio inedita ex Biblioth. Gudiana: Ez. Spanhemius notatus. Adipe elephanti innunctus, à serpentibus tutus. Joh. Alb.*
F *Fabricius tentatus. In alio nummo Julii quadriga Elephantorum; de eo dubitatur. Tristani error: de alio Schelkenii nummo disputatur. Alius a Bario acceptus nummus in Hispania inventus, ineditus & pulcherrimus: examinatur, an signatus sit in Utica Africæ, an vero Ityca vel Utica Hispaniæ. Nummus Jul. Cæsaris in Ægypto percussus, an genuinus; Ciceronis locus examinatus: Franc. Fabricii error: quomodo Elephantos & quo*

quo tempore nactus sit Octavianus, disquiritur.

ATque ita quidem disputavi capite proximo de variis rebus, docuique in præliis Romanos usos fuisse elephantis, atque ita perveni ad ultimam Remp. & Cæsarum vel Augustorum tempora, quorum Nummi amplum de his belluis disserendi aperient campum. Cn. igitur Pompejus Magnus primus omnium Romanorum de Africa victa triumphavit quadrigis elephantorum, & ita in Capitolium vectus fuit, uti existimant dignitatis & eruditionis eminentis atque excellentis viri; quod si verum, necesse est, illud accidisse A. V. C. 672. quo ille ex Africa adhuc Eques, victis Cn. Domitio & Hiarba, natusque quatuor & viginti annos, invito Sulla triumphavit. Certè Plinius lib. 8. cap. 2. *Histor. Natur.* illud memoriæ mandat absque ullis ambagibus: *Romæ juncti elephanti primum subiere currum Pompeji Magni Africano triumpho: quod prius, Indiâ victâ, triumphante Libero Patre memoratur.* Sed licèt Pompejus junxerit ad currum elephantos, non tamen ita videtur triumphasse; unde & illius rei nec vola, nec vestigium in Nummis apparet. Scilicet voluit id facere Pompejus, sed quo minùs perficere potuerit, obstitit angustia portæ; Plutarchus, dignus utique fide testis, in *ejus Vita*: *Pompeji audaciâ defixus* (Sylla) *bis deinceps exclamavit, triumphet, triumphet. Multis indignantibus & stomachantibus, quò magis (ut dictitant) eos pungeret Pompejus,* ἐπεχείρησεν ἅρματι ἐλεφάντων τεττάρων ἐπιβὰς εἰσελαύνειν, *aggressus est quadrigâ elephantorum Urbem ingredi*; mox sequitur, quare incepto destiterit: ἀλλὰ τῆς πύλης στενοτέρας οὔσης ἀπέστη, καὶ μετῆλθεν ἐπὶ τοὺς ἵππους; *sed quia porta* (triumphalis, ut puto) *erat angustior; destitit & equis ingressus est.* Neque hoc commemorare oblitus est Plinius *loco laudato*, & quidem ex Procilio, qui Pompeji ipsius tempore vixit, & propterea, si quis alius, fidem meretur: *Procilius negat potuisse Pompeji triumpho junctos egredi portâ.* Nihil certè clarius affirmari potest, & cùm Plutarchus idem narret, crediderim facilè Pompejum ita non triumphasse vel Capitolium adscendisse. Ultima tamen Plinii verba difficultates suas habent, & cùm mira videatur loquendi ratio, *egredi portâ*, Hermolaus legendum judicat, *ingredi portam*; id quod & facit Nardinus lib. 1. cap. 10. *Vet. Romæ*; sed Harduinus alteram scripturam notat firmari MSS. optimis; & putat Plinium declarare, portæ angustias ejuscemodi fuisse, ut cùm in Urbem ingressi singuli elephanti fuissent, juncti ad currum, bigarum instar, egredi portâ nequiverint. Verùm non video necesse fuisse primò, ut elephanti juncti portâ egrederentur; potuerunt singuli duci ad locum, unde triumphus incipiebat; deinde elephantos proculdubio Pompejus extra Urbem habuit; cùm nec ipse ante triumphum Urbem ingredi posset; firmaturque hoc mirificè à Plutarcho, qui narrat, Pompejum capto Hiarba insumsisse venationi leonum & elephantorum dies quadraginta; inde regresso Uticam à Sulla adlatas litteras, quibus jubebatur exercitum dimittere, atque una tantùm retenta Legione exspectare successorem; milites id ægrè tulisse, coëgisse Pompejum, ne deponeret imperium; inde eum cum exercitu petiisse Italiam, Sullam ipsi factum obviam cum civibus Romanis, atque ita invito Sulla triumphasse; quæ omnia clarissimè evincunt, Pompejum cum omni triumphi apparatu extra Urbem more solemni mansisse; & cum elephantis non esse eam ingressum, quia porta nimis arcta erat. Certè difficultas omnis foret sublata, si MSS. exhiberent nobis *ingredi portam*, vel *portâ*; uti habent nonnulli veteres Codices; sed tamen constanti MSS. Librorum lectioni refragari nolim; neque tamen propter rationes allatas amplecti possum Harduini explicationem: nec affirmare audeo, portam fortè ea parte, quâ Urbem spectabat, angustiorem fuisse, & ita potuisse elephantos junctos ingredi portam, sed non eâ egredi; quia ejuscemodi ædificandi ratio symmetriæ & architecturæ regulis repugnat planè; quare malim credere *egredi portâ* Plinio idem esse, quod nos dicimus, *door de poort gaan*, *transire per portam*; cujus tamen locutionis adhuc exempla quæro: existimabatque Grævius nihil verisimilius esse emendatione Hermolai; & ut *egredi portâ* significet *transire per portam*, Latinæ Linguæ usum refragari.

Non igitur triumphavit Pompejus quadrigis elephantorum; licèt etiam olim Dempsterus *ad Rosin. lib.* 10. *cap.* 29. annotaverit; „Pompejum „Magnum elephantos primum currui junxisse, „Plin. *lib.* 8. *cap.* 2. Post hunc Cajum Cæsarem „Gallico triumpho, Suet. *cap.* 37. Claudium, *cap.* „11. ac deinde Domitium Allobrogibus, Arver„nisque superatis, *Ner.* cap. 2. Gordianum, Jul. „Capit. in *ejus Vita*, Alexandrum Severum, Æl. „Lamp. & de Aureliani curru triumphali agere „Zonaram T. 3. Sed eruditissimus Schefferus, & mihi, dum viveret, amicus valde, rectè docet lib. 1. *de Re Vehic.* cap. 9. malè notare Dempsterum, Cajum Cæsarem post Pompejum ita triumphasse, vel Claudium, vel Domitium atavum Claudii; tandemque putat neque Gordianum tertium triumphasse quadrigis elephantorum, sed ipsi tantùm eas ex lapide marmoreve honoris causâ in publico positas fuisse, non secus ac Misitheo Gordiani socero quadrigas equorum & triumphalem currum. Et certè constat, Cajum Cæsarem, Caligulam vulgò dictum, ita nunquam triumphasse; & hunc à Dempstero designari Schefferum putare vel inde patet, quia scribit *cap.* 37. nihil tale legi, nec alibi de Cajo memorari, quod de Gallis triumphaverit; sed puto Dempsterum loqui de C. Julio Cæsare, qui sæpe simpliciter *Cajus Cæsar*, non secus ac Octavianus in nummo Gentis Livinejæ, & aliis apud Mediob. vocatur, uti vel patet ex Seneca, *Consol. ad Helviam* cap. 9. & lib. 2. *de Ira* cap. 23. & Plinio *lib.* 3. *ep.* 12. quique de Gallis triumphavit non quidem elephantorum quadrigâ, sed elephantis tædas, vel lampadas, vel lychnos gestantibus, quales annotavi antea depingi in Nummis Syriæ Regis, Antiochi Epiphanis Dionysi vel Bacchi: hæc sunt Suetonii verba cap. 37. *Julii Cæsaris*: *Gallici triumphi die Velabrum prætervehens pænè curru excussus est, axe diffracto: adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextrâ atque sinistrâ lychnuchos gestantibus.* Hæc verba ante oculos proculdubio habuit Dempsterus, sed errat, dum C. Julio Cæsari tribuit quadrigas elephantorum; rectéque insuper notat Schefferus, nec Claudium, nec Domitium illud fecisse, uti nec Gordianum; de quo tamen quid statuendum sit, examinabo, ubi eò usque processerit hæc Dissertatio; malè ad hoc Dempsterus Domitium postponit Claudio, C. Julio Cæsari, atque adeo Pompejo; quippe quos omnes præcessit, uti patet ex iis, quæ antea annotavi. Quin & Dion Cassius *lib.* 43. narrat elephantos, faces accensas proboscide gerentes, non inserviisse Cæsari triumphanti, verùm cùm ultimo triumphorum die post cœnam soleis indutus, & omnis generis floribus coronatus, in forum suum prodiret; καὶ ἐκεῖθεν οἴκαδε παντὸς μὲν, ὡς εἰπεῖν, τοῦ δήμου παραπέμποντος αὐτὸν, πολλῶν δ' ἐλεφάντων λαμπάδας φερόντων, ἐκομίσθη:

ἐκομίσθη : *atque inde domum vectus est, comitante ipsum toto ferè populo, multisque elephantis faces ferentibus :* adeò ut non tàm hic fuerit triumphus, quàm comessatio ; & Cæsar fortè postquam genio indulsisset, ita nocte vel multo vespere domum redierit : nisi tamen hæ historiæ distinguendæ sint.

Atque hinc patet satis superque errare etiam largiter Vlyssem Aldrovandum, dum lib. I. *de Quadrupedibus* varios triumphos elephantis actos nobis annumerat ; quemadmodum patet ex illius verbis : „Romæ quoque non pauci elephantis triumpharunt : at quis primus is fuerit, haud certò constare videtur. Sabellicus L. Metellum, qui xv-Vir fuit, Magister Equitum, bis Consul, Pontifex maximus, elephantos ait primum in triumpho duxisse, ex Plinio, ni fallor, quem mirum est (inquit Cælius) *libro* VII. scribere L. Metellum elephantos primum bello Punico primo duxisse in triumpho, cùm tamen idem *libro* VIII. tradat elephantes Italiam vidisse primùm Pyrrhi bello, & boves Lucas appellasse in Lucanis visos, anno Urbis 472. Romam autem in triumpho, septem annis ad superiorem numerum additis. Eandem plurimos, anno 502. victoria L. Metelli in Sicilia de Pœnis. Sed in septimo forsitan de iis sentit, qui modò in Carthaginenses depugnarunt, sicuti meminit *libro* 19. ab Urbe condita Livius. Certè auctor est Seneca in libro *de Brev. Vitæ*, *principem omnium Curium Dentatum elephantos duxisse in triumpho* ; sed & mox paulò : *Idem*, inquit, *enarrabat, Metellum victis in Sicilia Pœnis triumphantem unum omnium Romanorum ante currum centum & viginti captivos elephantos duxisse.* Eutropius ait *victo Pyrrho Manium Curium Dentatum in Consulatu triumphasse, & Romam primum elephantos* IV. *duxisse.* Idem & Cuspinianus testatur. Conciliabimus fortassis Auctores, quòd alter currui junxerit, alter ante currum duxerit. Procedente mox tempore Pompejus Magnus triumpho Africano, ut ait Plinius, & D. Cæsar Gallico, ut Suetonius ; elephantis quoque triumpharunt. De Pompejo sic Plutarchus : *Optans Pompejus graviori eos molestia afficere, conatus est curru quatuor elephantis ducto triumphum ducere*, inter alia quæ ex Africa adduxerat : horum nonnullos captivos duxerat, angustiori tamen porta Urbis prohibitus equis usus est. Cæsarem verò ait Suetonius imitatione Pompeji, vectum fuisse elephantis XL. dextrâ lævâque lychnos gestantibus.

Nam primò conciliatio illa, quòd alter vel Manius Curius Dentatus elephantos currui junxerit, & alter vel Metellus ante currum duxerit, nequaquam admitti potest, quia nec Curius, nec alius quispiam, liberâ Republicâ, curru, ad quem elephanti juncti erant, triumphavit ; deinde nec Pompejus, nec Julius Cæsar id fecerunt ; nec Suetonius tradit, eum *imitatione Pompeji elephantis vectum fuisse.*

Sed hanc totam de eo, qui primus triumphavit, ratiocinationem valde turbat nummus Gentis Claudiæ, & nota Vaillantii, quâ eum illustrat. In illo igitur hinc repræsentatur caput Romæ cum inscriptione ; ROMA ; in altera area cernitur currus IV. elephantorum, quibus singulis insidet captivus, manibus post terga revinctis, & currui ipsi instat figura vel triumphans sinistrâ erectam tenens aquilam, additur subscriptio, M. MARCEL. M. F. M. N. uti ex ectypo patet :

A Vir egregiè doctus hunc refert ad M. Claudium Marcellum, qui Consul fuit cum C. Sulpitio Gallo A. V. C. 587. inde alterum Consulatum gessit cum Scipione Nasica A. 598. & tandem tertium cum L. Valerio Flacco A. V. C. 601. pro quo apud Vaillantium errore typothetæ malè scribitur 621. illo anno observat, obtigisse illi Hispaniam Citeriorem, quam pacatam armis reddidit, ad pacem petendam compulit, pecunias & obsides imperavit. Quibus acceptis libertatem populis iis indulsit, pecunias & obsides imperavit, ut refert Appianus in *Tiber.* (imò in *Iber.* id est, *Ibericis*, vel libro *de Bellis Hispaniensibus*) Romamque re-
B versus obtinuit, (nempe triumphum) ET ELEPHANTIS, QVOS SECVM DVXIT IN TRIVMPHO VECTVS EST, dignus omni laude, sed miserè in Africa, paulò ante tertium bellum Punicum, submersus periit. Ità commentatur Vaillantius ; quæ si recto stant talo, utique M. Claudius Marcellus anno V. C. 601. vel 602. primus curru elephantorum triumphavit. Quæ ultima unde hausta sint, equidem ignoro ; Appianus, binis locis in illo libro, Marcellorum meminit ; narratque, Marcellum, qui è Sicilia nuper venerat, in Hispaniam missum esse cùm Claudio cum
C mille equitibus & decem mille peditum, sed eos ignaviter rem gessisse, & inde auctas valde Pœnorum opes ac potentiam, tota Hispania ferè occupata. Inde postea scribit, M. Claudium Marcellum succedentem in imperio Q. Fulvio Nobiliori, qui Consul fuit A. V. C. 601. in Africam anno nempe sequente missum esse, narratque eum res satis feliciter gessisse, varios Populos in gratiam recepisse, & ita fecisse, ut ante adventum Luculli Consulis A. 602. qui ipsi successor erat datus, varia bella exstincta fuerint. Sed nihil loquitur de præliis, de elephantis captis, de reditu illius Romam, multò minùs de triumpho, &
D quidem curru elephantorum. Primo Consulatu hic Marcellus Galliam obtinuit Provinciam, Consulatu altero Gallias, Ligures & Dalmatas, & tertio Hispaniam ; sed nullibi lego, eum prælio decertasse, vel elephantos cepisse.

Credo Vaillantium talia collegisse ex nummo illo, in quo cernitur elephantorum currus, & fortè unius ex majoribus, & quidem qui undequadragesies pugnaverat, & Siciliam domuit, captis Syracusis, victoriam repræsentare voluit. Nam ille postquam ob victoriam illam in Albano monte triumphasset, inde ovans in Urbem ingres-
E sus est, & multam præ se prædam intulit, & *Punicæ victoriæ signum, octo ducti elephanti*, teste Livio *lib.* 26. *cap.* 21. Neque tamen puto eum elephantis triumphasse, cùm nemo veterum Auctorum istud memoriæ mandaverit ; sed fieri tamen potuit, ut talis currus decretus sit Ludis Circensibus. Et licèt de ingenuitate illius nummi dubitaverim, tamen nunc facilè eum crediderim esse genuinum, quia eundem Familiis Romanis inseruit Vaillantius, insignis, dum viveret, horum monumentorum & certus æstimator ; atque huc omnino pertinet, id quod & antea notavi, hunc Marcellum cepisse duos & occidisse quattior
F elephantos in prælio, quod cum Annibale habuit prope Nolam.

Perventum igitur est ad C. Julium Cæsarem, cujus Nummi ut & aliorum Cæsarum vel Imperatorum, atque adeò eorumdem temporum Auctores amplum mihi campum aperiunt de elephantis disserendi ; & quidem hoc ordine ; ut primò agam de C. Julii Cæsaris Nummis, qui animali illo signati sunt ; postea de elephantis exhibitis in Circo ; inde de elephantis singularibus ; tunc de bigis & quadrigis in honorem Augustorum decretis ; tandemque de quadrigis trium-

 phan-

A *Vous verrez, Mr, par le dessein, que la médaille est d'Osicerda, qui est Ossera en Arragon, autrefois municipe de Cæsar-Augusta, qui est Zaragosa; je la crois frappée à l'honneur de Jules Cæsar, & peut-être pour sa victoire contre les fils de Pompée; l'exergue sous l'éléphant, six lettres inconnues, qu'on nomme Puniques; je les crois Celtibéres ou Espagnoles naturelles. J'ai plus de deux cens Médailles avec de semblables caractéres, mais ceux d'Arragon different de ceux de Cadix, ceux-ci du reste d'Andalousie, & ceux-là de Portugal, Estremadure, &c. ce qui marque, que toute l'Espagne n'usoit pas des mêmes; & je crois que leurs Langues étoient différentes, ne pouvant me persuader, que les Carthaginois pendant leur domination contestée, ayent pû exterminer les Langues du païs, & que les Romains dans une si longue possession absolue n'auroient pû détruire celle de leurs Ennemis si peu enracinée; ce qui seroit constant, si les lettres des Médailles Espagnoles étoient Puniques; car on les trouve même sur leurs monnoyes, qui portent l'effigie de l'Empereur, jusqu'à la fin du regne d'Auguste.* Quæ nota certè laudem singularem meretur, & digna est, ut illustretur pluribus Nummis ab eodem sollerti viro & curioso.

C Inter manuscriptos Libros Bibliothecæ Gudianæ, qui nunc sunt in Bibliotheca Serenissimi Ducis Wolfenbutelensis, invenitur volumen, in quo continentur Dissertationes variæ eruditissimæ in Nummos aliquot antiquos, hactenus ineditæ, quæ Historiam C. Julii Cæsaris ac alias Antiquitates doctè & præclarè illustrant. Sunt numero viginti, & ultima agit de Elephantis Signisque antiquæ Superstitionis. Cùm autem magno teneret desiderio cognoscendi, quid illa contineretur, rogavi illustris dignitatis & eruditionis virum, Georg. Gothefr. Leibnitzium Serenissimo Electori Brunsvicensi à Consiliis, ut hoc mihi dare D & studiis velit, atque adeò per amicos, quos ubique habet, inquirere, quo pacto argumentum hoc ibi sit tractatum. Annuit votis meis, & mecum communicavit non modò ectypos varios Nummorum C. Julii Cæsaris, elephantis insignium, verùm etiam breviter complexus est, quomodo Auctor ille hanc provinciam exornare sit conatus; id quod te, Lector, sequentia docebunt.

„Dissertatio nescio cujus (Itali, ut ex scriptura „apparet) inscripta *de Elephantis Signisque antiquæ* „*Superstitionis*; ad explicandos Nummos quatuor „in honorem Julii Cæsaris cusos & elephanto insi-E „gnitos potissimum composita videtur. In primo „est ab una parte L. BVCA, & caput, quod Au„ctor meritò putat esse Veneris Genetricis, in „aversa elephas, cui subscriptum, IMP. In altero „nummo est, Γ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΑΥΤΟ„ΚΡΑΤΟΡΟΣ, in aversa parte elephas cum litteris „ignotis. In tertio est caput, sine inscriptione, „simile priori, adeóque itidem Veneris Genetri„cis, & ex opposito elephas cum subscriptione, „DICT. QVART. In quarto est elephas, cui „subscriptum, CÆSAR, & ab altera parte instru„menta sacrificii:

„Hos Nummos Auctor sub Augusto in honorem „Julii Cæsaris cusos putat, & suspicatur elephan„tem in Nummis Cæsaris significare Apotheosin, „ob religionis sensum in bestia, & adducit figu„ram nummi ænei, ubi una parte, S. C. & cir„cumscriptum, TI. CÆSAR. DIVI. AVG F. „AVGVST. P. M. TR. POT. XXXVII & „in aversa currus à quatuor elephantis tractus, cui „insidet figura; & suprà, DIVO. AVGVSTO. „S. P. Q. R. Idem colligit ex quarto nummo „instrumenta sacrificii ostendente, in quo & ele„phas draconem calcare videtur; ubi notat ser„pentem referendum ad quandam divinitatis opi„nionem. Citat & Servii locum ad illud Virgilii, „*nascetur pulcher Trojanus origine Cæsar*, & Spar„tianum in *Ælio Vero*, à quibus dicitur quòd „elephas Mauris *Cæsar* appelletur.

„*Cæsaris* etiam *clementiam* in elephanto lauda„tam putat, & in eam rem Pierii *Hieroglyphica* ci„tat. *Munificentiam item Cæsaris designatam.* Itaque „duo affert Numismata ænea, unum Antonini Pii, „alterum L. Septimii Severi, in quibus spectatur „elephas, & subscriptum est, MVNIFICEN„TIA. AVG. Et *pietatem Cæsaris*, nam ele„phas pietatis symbolum in nummo, ubi ab una „parte caput, ab altera elephas, cui subscriptum, „Q. C. M. P. I. id est, *Q. Cæcilius Metellus Pius* „*Imperator.* Affert & nummum Q. Metelli, in „quo figura Africæ cum elephantis probóscide & „spica, & in averso Hercules, & citat Ant. Aug. „Dialogos, quorum unius sit *Africa*. Quædam ex F „Pierio Valeriano describuntur de docilitate ele„phantorum.

„Quædam etiam affert de inscriptione Phœni„cum ex Procopii *Bell. Vandal.* l. 2. & de Lin„gua Punica ex Augustino Serm. 35. *de Verbo* „*Dom.* & l. 3. contra litteras Petiliani. Hæc ferè „notabiliora tota Dissertatione continentur.

Et quanquam hi Nummi ab aliis editi sint, tamen rectè me facturum putavi, si eosdem hîc exhiberem; quia honorificum mihi est hanc Lucubrationem exornare rebus, quæ ex divite & Augusta illa Bibliotheca profectæ sunt.

Nos

Notandus autem inprimis, à Goltzio itidem vulgatus, qui habet ab una parte inscriptionem Græcam, ab altera verò Punicam, ut videtur; unde statuendum omnino videtur eum in Africa signatum esse: vellem equidem hunc manibus tractare, quia mihi mirum admodum videtur, Afros Linguâ Græcâ usos esse.

Deinde notandus elephas loricatus, qui nummo posset videri insculptus, propter victum Scipionem, qui talibus in Africa contra Cæsarem usus est, teste Hirtio: *ornatusque ac loricatus elephantus quum esset, quæ pars ejus corporis nuda sine tegmine relinqueretur, ut eo tela conjicerent:* uti notavit illustris Serenissimi Regis Borussiæ Legatus pag. 134. Amstelædamensis, & p. 183. editionis Londinensis *Dissertat. De præstantia & Usu Numismatum.* Sed verba quidem illa leguntur *cap.* 72. & Scipio in prælio usus est elephantis; sed tamen humani aliquid patitur excellentis vir eruditionis; neque enim illo capite agitur de Scipione, sed de Cæsare, qui ita instruxerat elephantum, ad docendum milites suos, quomodo in prælio elephantos Scipionis adoriri & occidere deberent: ecce ita loquitur Hirtius: „Accedebat „etiam hæc causa, quòd elephantorum (Scipio„nis) magnitudo multitudoque militum animos „detinebat terrore: cui uni rei tamen invenerat „remedium: namque elephantos ex Italia trans„portari jusserat, quo & miles noster (Cæsaris) „speciemque & virtutem bestiæ cognosceret, & „cui parti corporis ejus, telum facilè adjici; or„natusque ac loricatus elephantus cùm esset, quæ „pars ejus corporis nuda sine tegmine relinquere„tur, ut eò tela conjicerentur; præterea ut ju„menta bestiarum odorem, stridorem, speciem, „consuetudine captarum non reformidarent. Qui„bus ex rebus largiter erat consecutus, nam & „milites bestias manibus pertractabant, earumque „tarditatem cognoscebant: equitesque in eos pila „præpilata conjiciebant, atque in consuetudinem „equos patientia bestiarum adduxerat. Quæ verba, licèt antea mihi laudata, repetenda censui, ut constaret me vera monere, & doctissimos etiam properantiâ labi posse. Neque, uti credo, is errabit, qui judicabit, hanc historiam fortè per *loricatum elephantum* in nummo designari; quanquam omnino videatur certum, Scipionem ita ornatis & armis elephantis pugnasse.

Sed notandum inprimis in uno illorum Nummorum elephantem calcare serpentem, & virum eruditum hoc symbolum referre vel serpentem *ad quandam Divinitatis opinionem*, quod tam ad Cæsarem quàm ad serpentem pertinere potest; quia ille Venerem generis sui originem esse jactabat, & feræ illæ etiam instar Numinum vel Geniorum colebantur. Neque ego huic expositioni me oppono, sed monebo tantùm, elephantem cum serpente, etiam ab Hispanis & qui in urbe Osicerda, inditum esse Nummis, & voluisse Monetarios fortè indicare, Africam serpentibus abundare, & eam nihilominus à Cajo Julio Cæsare victam esse; & potuissent, si ejuscemodi argutiis locus esset in veteribus hisce monumentis, per elephantum designare ipsum Cæsarem, quia Maurorum Linguâ ita animal illud appellabatur, teste Spartiano. Et *serpens* mihi occasionem dat annotandi, Veteres scripsisse, illum, qui adipe elephanti inunctus erat, tutum esse à serpentibus: Anatolii Fragmentum hoc est apud Joh. Alb. Fabricium lib. IV. parte altera p. 300. *Bibl. Græcæ:* Ἐλέφαντος στέαρ ἐὰν ἀλείψῃ, οὐδέν σοι τῶν θηρίων προσπελεύσεται, *Elephanti adipe si te inunxeris à ferarum incursu tutus*, uti vertit eruditus Interpres; id quod mihi generale nimis videtur, mallemque, *serpens nullus ad eum accedet*; maximè cum ex Æliani lib. I.

A *de Animal.* c. 37. notet Rendtorfius, θηρίων ἀλεξιφάρμακον esse πιμελὴν ἐλέφαντος, id quod omnino de serpentibus, non autem de omnibus feris bestiis intelligendum est omnino. Et do, ut hoc obiter adjiciam, viro præstanti considerandum, an non eadem pagina scribi debeat: Κροκοδείλους τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ ἀπάγουσιν (non ἀνάγουσιν) ἀσφοδέλου ῥίζαι: *Asphodeli radices Crocodilos in Ægypto fugant* (non *educunt*).

Sunt præterea C. Julii Cæsaris Nummi, in quibus quadriga elephantorum picta est: talem edidit Franciscus Angeloni, cujus in una area cer- B nitur caput Cæsaris, & legitur, DIVOS IVLIVS; in altera verò currus quatuor elephantorum vehens Cæsarem, & S. C.

C Vir eruditus eum signatum putat propter devictam Africam; & celeberrimus Grævius censet similiter ostentari triumphum Cæsaris de Juba & Mauris; non quòd ita triumphaverit, hoc enim nemini scriptum est, sed quòd elephantorum feracem Africam vicerit, & de ea equorum quadrigâ triumphaverit. Malè enim Tristanus tom. I. pag. 87. existimat, Cæsarem talem triumphum duxisse; uti patet ex his ipsius verbis: *Au reste Auguste ne fut pas le prémier Romain, qui fit voir cette rareté* D *au Peuple, mais Pompée en son triomphe d'Afrique, comme ayant été pratiqué par Bacchus triomphant des Indes; & après lui Jules César eut aussi l'ambition de se faire voir, tiré par ces admirables animaux, aux Romains, en un chariot triomphant*; id quod probat, vel probare conatur potiùs per Plinium *lib.* 8. *cap.* 2. & Julii Cæsaris Nummos. Sed nec id docet nos Plinius, nec Nummi ullo sunt subsidio, quia ille, in quo Cæsar quadrigâ elephantorum vehitur, si est genuinus, indicat potiùs, talem currum à Senatu Cæsari decretum esse; vel ob devictam Africam esse percussum E hunc nummum: vel fortè docere nos, statuam Julii Cæsaris inter Divos relati per Circum curru quatuor elephantorum vectam fuisse. Ceteroquin in aliis etiam apud Mediobarbum Nummis scribitur DIVOS IVLIVS pag. 8. & 22. quorum ectypos videre licet apud Goltzium Tab. 22.

Inter Nummos Schelkenii, Antecessoris Frisii, (quorum index additus est Catalogo Librorum ipsius) in Gente Julia recensetur unus, in quo hinc cernitur *Caput Veneris cum ciconia*; inde verò *elephas*; quem, cùm ineditus foret, mirabar summopere, & dubitabam an non alieno loco recensitus, & Gentis Cæciliæ foret. Consului sta- F tim doctissimum celeberrimumque virum, Guillelmum Coetier, humaniores Litteras magna cum laude in Frisiis profitentem, cùm collectio illa jam vendita esset, neque propterea nummum illum mihi parare possem. Is me fecit certiorem, eundem pertinere non ad Juliam, sed ad Cæciliam Gentem, & errasse eum qui indicem composuerat. Quin & malè puto eundem hîc sibi fingere *caput Veneris cum ciconia*; cùm proculdubio caput sit pietatis, cujus ciconia symbolum, eam ob causam à Petronio dicta *pietati-cultrix*; quomodo eandem picturam non modò in Cæciliæ, sed Juliæ etiam Gen-

A Gentis Nummis obviam explicant etiam Goltzius & Gevartius, viri utique doctissimi.

Sed nunc ectypum nummi exhibebo, qui raritate sua notabilis est, quemque mecum communicavit idem Jacobus Bary, vir utique juvandis studiis natus & eorum inprimis peritus; in una area pictum est caput imberbe, galeâ, nullis ornamentis insigni, tectum, cum inscriptione, ASCVT: in altera elephas demissâ proboscide, & supra eum legitur C.CVT; infra verò IMP. CÆSAR, uti ex ectypo patet:

Vir doctus non absque ratione putat esse caput Martis, quod in aliis Andalusiæ coloniis & municipiis etiam nobis exhiberi affirmat; & quanquam ignoret cui oppido ille attribui debeat, addit nihilominus videri sibi, ad *Vticam Africæ* eundem pertinere, & fortè explicari debere *Colonia Cæsarea Vtica*; id quod tamen refelli fatetur Nummis Tiberii, in quibus scribitur, MVN. IVL. VTICEN.

Ego, quid sibi velit ASCVT planè etiam non video; nec absque ope aliorum Nummorum illud explicari posse vix credo: quod ad *Coloniam Cæsaream Vticam* pertinet, nequaquam Africæ urbem locum posse habere puto; sed persuasus sum eodem nomine fuisse urbem Hispaniæ; *Vtica* Græcis Ἰτύκη dicitur, ipsisque Ἰτυκαῖος est *Vticensis*; jam Appianus in libro *de Bell. Hispan.* memorat urbem in Bætica sitam, nomine Ἰτύκην itidem; Interpres semper *Itycam* vertit, cùm Africæ Ἰτύκην reddat rectè per *Vticam*; & illud altero loco faciundum erit, & ita *Vticam* Hispaniæ etiam fuisse urbem inde cognoscimus, eamque arbitror fidem nummi sequutus à Cæsare coloniam esse factam; licèt nemo aliorum Auctorum illius faciat mentionem. Neque enim Africæ urbs potest intelligi, quia illa Tiberii adhuc tempore fuit municipium, uti patet ex Nummis Tiberii Cæsaris, & postea primùm colonia facta est, uti haud obscurè nos docet Imp. Hadrianus apud A. Gellium *lib. 16. cap. 13.* Postea tamen Vir amplissimus mihi significavit, se nummo diligentiùs inspecto inter duo C. C. invenisse AS. unde faciebat non absque ratione, *Castrum Cæsaris Vticense.*

Præterea Goltzius p. 180. *Fastorum* & *Tab. 10.* Cæsaris nummum edidit; cujus in una area repræsentatur nobis Cæsaris caput, & DIVI IVLII. in altera verò ipse Cæsar vectus quadriga elephantorum, & tenens lauri ramum; suprà, L. Γ. *anno tertio*, infrà, S. C. uti patet ex ectypo:

In Ægypto signatus videtur, sed cùm aliis non adjiciatur τὸ S. C. uti patet ex variis, quos edidit
B monumentorum horum sollers & eruditus enodator Andreas Morellus *Tab. 10. 11. 16. 17. & 18. Speciminis*; dubito valde, an genuinus sit; id quod postea vidi etiam sentire insignes Antiquarios Sebastianum Erizzum pag. 174. & Æneam Vicum; quin & ejusmodi nummum fictitium nactus sum; cujus una in area caput Julii laureatum, & DIVI IVLII. in altera verò figura, vel Julius vectus quadrigâ elephantorum, tenens rami laurum, LΓ. *anno sexto*, & infrà S. C. Nam vel *annus sextus* eum arguit imposturæ. Comes Mediobarbus binos alios recenset pag. 8. in quibus
C etiam quadrigæ elephantorum, & L. E. S. C. id est, *anno quinto*; & in altera area DIVI IVLII. vel DIVO IVLIO, caputque Cæsaris laureatum cum lituo; additque quadrigis talibus Impp. consecrandorum imagines cereas, in forum ad pyras ductas esse, teste Herodiano in *Severo:* quod tamen nec apud illum, nec apud alium Auctorem veterem invenio; & errorem hunc gravem esse patebit quàm clarissimè, ubi aliam similemque alterius viri eruditi ad nummum Pertinacis notam examinabo.

Ceterùm est locus Ciceronis, qui ad successo-
D rem C. Julii Cæsaris, Cajum Cæsarem Octavianum, postea Augustum dictum, pertinet, inprimis notabilis, & propterea examine dignus *Philipp. 5. cap. 17.* „Hoc autem tempore ita censeo „decernendum. Q. C. Cæsar Caji filius, Pontifex, „Proprætore, summo Reip. tempore milites ve„teranos ad libertatem Populi Romani cohortatus „sit, eosque conscripserit: quódque Legio Mar„tia, quartaque summo studio, optimoque in „Rempubl. consensu, C. Cæsare duce & aucto„re, Rempubl. libertatem Populi Rom. defen„dant, defenderint: & quòd C. Cæsar, Pro„prætore, Galliæ Provinciæ cum exercitu subsi-
E „dio profectus sit: equites, sagittarios, ELE„PHANTOS IN SVAM POPVLIQ. RO„MANI POTESTATEM REDEGERIT, „difficillimoque Reip. tempore, saluti, dignitati„que Populi Romani subvenerit; ob eas causas „Senatui placere, C. Cæsarem, Caji filium, Pon„tificem, Proprætorem, Senatorem esse, senten„tiamque loco Prætorio dicere: ejusque rationem, „quemcunque Magistratum appetet, ita haberi, „prout haberi lege liceret, si anno superiore „Quæstor fuisset. Habita hæc Oratio fuit A. V. C. DCCX. C. Vibio Pansa, A. Hirtio Coss. non autem Anno 720. uti legitur in *Historia Ciceronis*
F à Franc. Fabricio conscripta, & inserta editioni Gruteri atque ultimæ Lugdunensi, in quibus etiam malè annus DCCXI. pro DCCIX. ponitur, quod longè aliter sese habet in editione ejusdem *Historiæ* Coloniensi Anno 1570. ubi rectè tempora hæc notantur; quod monendum duxi, ut pateat editiones Auctorum accuratissimas etiam vitiis suis laborare.

Sed haud levis mihi equidem nascitur difficultas, ubi Octavianus & quomodo hos elephantos ceperit; neque enim vivo Julio Cæsare ulli publico muneri nedum militari admotus fuit; cúmque is oc-

occisus Idibus Martiis anni DCCIX. & hæc Oratio habita sit anno sequente, & quidem Calendis Januariis, necesse est, ut Octavianus intermedio illo tempore elephantos redegerit in potestatem, unà cum equitibus & sagittariis, vel *equitibus sagittariis*; uti fortè, sublata distinctione, scripsit Cicero; designans equites, qui arcubus & sagittis utebantur; quos *Hippotoxotas* appellant Cæsar lib. 3. *Bel. Civ.* c. 4. & Hirtius c. 19. *de Bello Africano*, scribuntque fuisse in exercitu Pompeji & Labieni: qui & Tacito *Ann.* lib. 2. cap. 16. similiter planè *equites sagittarii* dicuntur: Octavianus, ubi accepit Cæsarem occisum esse, Romam ex Epiro venit, quò illum præmiserat, bellum Parthis illaturus, Veteranos patris evocavit, & Legiones Martiam & quartam Antonium relinquentes, multosque alios ejusdem sævitiam fugientes recepit. Nullum tamen tunc prælium habuit, in quo capere elephantos potuit, sed intercepit eos, quos Antonius habebat eodem, quo Cæsar occisus fuit, anno; docet hoc nos Dion Cassius lib. XLV. *His Cæsar acceptis* (Legioni Martiæ & quartæ) *quum sicut prioribus argentum divisisset, multos etiam reliquos ad se pertraxit:* ϰ̀ τὺς τε ἐλέφαντας τὺς τῦ Ἀντωνίυ πάντας ἔλαβεν ἐξαπίνης, *elephantisque subitò omnibus Antonii potitus est, quum in eos, dum præteragerentur, incidisset:* & de his elephantis etiam loquitur Cicero in Oratione apud eundem Dionem pag. 291. *Militum enim major ac melior pars eum* (Antonium) *deseruit:* ϰ̀ νὴ Δία ϰ̀ τῶν ἐλεφάντων ἐςέρηται, *& elephantis per Jovem spoliatus est:* quæ adseverandi formula haud obscurè significat, magnum inde ad Octavium emolumentum pervenisse. Crediderim autem hos elephantos victis Mauris, Juba & Scipione, adeptum esse Julium Cæsarem, & eosdem illo occiso venisse in Antonii potestatem unà cum Legionibus, quas Cæsar bello Parthos adoriturus præmiserat, quibusque Senatus Antonium præfecerat, teste eodem pag. 307. & hinc patere, Cæsarem iis uti voluisse adversus Parthos.

CAP. VII.

De Elephantis in Ludis Circensibus, aliisve Romæ exhibitis: initium repetitur ab A. V. C. 503. Fenestellæ, ut mihi videtur, apud Plinium lapsus; idem fecerunt alii, atque etiam Pompejus: Senecæ locus expositus, non secus ac Asconii: ab Harduino dissensum: Pompejus primus cum Elephantis commisit homines sive noxios sive alios: an illi Elephanti & homines occisi: quo Ludorum die à Pompejo exhibiti: Cicero explicatur, rejectis Victorii & Manutii expositionibus: quid sint binæ Venationes; *Venatio Africanarum. C. Julius Cæsar inde Elephantos exhibuit: Interpres Appiani notatus: An iis Ludis Elephanti cum Elephantis, an vero cum peditibus & equitibus pugnaverint, disquiritur: Dionis Interpres notatus a Casaubono; Germanicus Cæsar Elephantos Populo Ludis dedit. Quo sensu Elephas dicatur* Bestia insulsissima: *Schefferi lapsus in explicando Plinio; de iisdem Ludis luculentissimus locus Æliani: & mira harum belluarum docilitas: Plinius & Suetonius conciliati: Elephanti funambuli; gladiatorum cum iis certamina, Impp. Claudio & Nerone. Harduinus laudatus: Vologeses Elephanto insidens flumen trajecit. Domitianus eosdem in spectaculis suis dedit; Martialis a Grævio tentatus: Elephas saltator. Antoninus Pius, Commodus, L. Septimius Severus, Caracalla idem fecerunt, testibus Auctoribus veteribus & Nummis: Vir doctus in Plinii Notis bis notatus. Rhinocerotis cum Elephanto pugna in nummo Domitiani, & forte Severi; perpetuæ inter belluas hasce inimicitiæ: Rhinoceros primus Populo exhibitus a Pompejo, non ab Augusto, uti Dio putabat: Pliniani Commentatoris nuperi lapsus; Crocota forte in Severi nummo, Hippotigris. Dio illustratus; Bocharti & aliorum lapsus: Onager describitur: differentia inter Onagrum, & Hippotigrim; Clar. Nicolai Witsen laus: Tachardi animadversio elegans; animalia illa non habuerunt cornua; Elephas in nummis Caracallæ cur corona ornetur in dorso vel capite.*

ATque ita quidem egi de Nummis C. Julii Cæsaris, qui elephantis fuerunt signati; nunc dicendum est de iis, qui Romæ Ludis Circensibus, aliisve spectaculis harum rerum cupidissimo Populo fuerunt exhibiti. Et primò quidem liberâ Republicâ dati fuerunt à L. Metello A. V. C. DIII. quo triumphavit: Plinius *lib.* 8. *cap.* 6. „Verrius eos pugnasse in Circo, interfectosque jaculis tradit penuriâ consilii; quoniam neque ali placuisset, neque dari Regibus. L. Piso inductos duntaxat in Circum, atque ut contemtus eorum incresceret, ab operariis hastas præpilatas habentibus, per Circum totum actos. Nec quid deinde iis factum sit, Auctores tradunt, qui non putant interfectos. Inde id iterum factum A. V. C. DLXXXIV. Coss. Q. Marcio Philippo, & Cn. Servilio Cæpione; Livius *lib.* 44. *cap.* 19. *Et jam magnificentia crescente, notatum est, Ludis Circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicæ & P. Lentuli Ædilium Curulium* LXIII. *Africanas, &* XL. *ursos, & elephantos lusisse.* Laudat hunc locum ὁ πάνυ Salmasius *ad Solin.* p. 312. sed scribit, Scipionem *Ludis Circensibus* XL. *ursos,* LX. *Africanas,* XL. *elephantos misisse*; quod non tam credo à Livio esse, quàm à viro illo summo, qui indicare voluit tot bestias à Scipione Nasica, &, qui eidem additur ab Historico, P. Lentulo Ædilibus Curulibus exhibitas fuisse.

Hæc exempla evincere videntur, malè tradere Fenestellam apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 7. elephantos primùm Romæ exhibitos fuisse in Circo, anno 605. Urbis conditæ: *Romæ pugnasse Fenestella tradit primum omnium in Circo, Claudii Pulchri Ædilitate, M. Antonio, A. Posthumio Coss. anno Urbis sexcentesimo quinto: Item post annos* XX. *Lucullorum Ædilitate adversùs tauros:* quæ certè quomodo concilianda sint, ego nullus video; cùm ipse Plinius elephantos in Circo exhibitos scribat, quos ceperat Metellus in Sicilia; & Livius *lusisse elephantos*, sive pugnasse Ædilitate Scipionis Nasicæ & P. Lentuli. Sed hoc ut aliis examinandum relinquo, ita tamen ex Fenestella constat post tempora Metelli & Nasicæ belluas illas exhibitas fuisse A. V. C. 605. & 625. quo simul Ædiles fuerunt Lucius & Marcus Luculli fratres, ut auctor est Plutarchus. Inde ejuscemodi spectaculum Populo dedit Cn. Pompejus Magnus in dedicatione theatri sui,

tui, quibus Ludis *confecit per dies quinque*, *leones quingentos*, *& elephantes octodecim induxit pugnantes cum viris armatis*; καὶ ἐλέφαντες ὀκτωκαίδεκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχήσαντο, teste Dione *lib.* 39. *Noxios* scribit fuisse Seneca cap. 13. *de Brev. Vitæ*, *Gætulos* Plinius *lib.* 8. *cap.* 7. & ille haud obscurè significat homines illos occisos, alii verò tradunt belluas neci datas fuisse: „Num & Pompejum, *ait Seneca*, primum in Circo elephantorum duodeviginti pugnam edidisse, commissis more prælii noxiis hominibus, ad ullam rem bonam pertinet? Princeps civitatis, & inter antiquos Principes, ut fama fert, bonitatis eximiæ, memorabile putavit spectaculi genus, novo more perdere homines. Depugnant; parum est: lancinantur; parum est: ingenti mole animalium exterantur. Satius erat ista in oblivionem ire, ne quis postea potens disceret, invideretque rei minimè humanæ. Id est, si quid video, ne quis postea Cæsarum idem faceret; & invideret Pompejo, quòd talia excogitasset, illumque crudelitate superare conaretur. Sed notandum inprimis Senecam scribere, Pompejum *primum elephantorum* XVIII. *pugnam edidisse*; id quod etiam tradit Asconius Pedianus in *Oration. Ciceronis in Pisonem*, *Cn. Pompeji Ludos significat*, *quibus theatrum à se factum dedicavit*, *quibus Ludis* ELEPHANTORVM PVGNAM PRIMVS OMNIVM *dedit in Circo*. Imò Auctor *Chronici Alexandrini* haud dubiè, si Interpreti credendum, eandem sententiam sequitur, & simul scribit *quadraginta elephantos* pugnasse: Πομπήϊος ὁ μέγας τὸ κτισθὲν ὑπ' αὐτοῦ θέατρον ἀφιέρωσεν, καὶ θεωρίας ἀπετέλεσεν αὐτοῦ δι' ἐλεφάντων τεσσαράκοντα, καὶ ἱππέων τ', καὶ πέζων ω, καὶ μονομάχων χ', ἐλεφαντομαχίαν ποιήσας: *Pompejus Magnus conditum à se theatrum dedicavit, & elephantos exhibuit quadraginta*, *equites* 300. *pedites* 800. *gladiatores* 1000. *certamenque* seu *pugnam cum elephantis instituit*. Nam qui aliquid *instituit*, primus id utique facit; & quanquam Græca verba potiùs verti debeant per *exhibere*, tamen videndum, quomodò Seneca & Asconius interpretandi sint. Nam nullum dubium, quin ante Pompejum elephanti in Circo fuerint exhibiti; & Harduinus quidem putat, fortè apud Asconium legendum esse *viginti*; & *primum* Pompejum id fecisse dici, quia tantum elephantorum numerum antè hos Pompeji Ludos pugnasse in Circo, non est ullis, quod sciat, monumentis proditum. Sed quid Senecæ fiet, qui *octodecim* nobis annumerat, & *primum* Pompejum scribit ejusmodi spectaculum dedisse? Quin & CXXX. antea fuerunt in Circum introducti à L. Metello, uti Verrius & L. Piso tradunt. Quare ego quidem aliâ viâ hanc difficultatem tollendam esse judico; nempe tempore L. Metelli, elephantos quidem exhibitos fuisse plures longè, sed homines cum iis non pugnasse; neque enim *pugnare* est, eos jaculis, è longinquo proculdubio, confodere, vel ab operariis per Circum agi; Ædilitate Scipionis Nasicæ elephantos inter se tantùm pugnasse & quasi *lusisse*, non secus ac Claudii Pulchri Ædilitate; vel contra alias bestias, quomodo vidimus Lucullis Ædilibus vasta hæc animalia pugnasse adversùs tauros. Rectè igitur Pompejus dicitur *primus elephantorum pugnam dedisse*, *commissis more prælii noxiis hominibus*; id est, primum instituisse certamen elephantorum & hominum; id quod certè antea factum fuisse nequaquam videtur. Et de hoc facto Pompeji etiam loquitur Plinius *lib.* 8. *cap.* 7. *Pompeji quoque altero Consulatu* (qui incidit in A. V. C. DCC.) *dedicatione templi Veneris Victricis*, *pugnavere in Circo viginti*, *aut*, *ut quidam tradunt*, XVIII. *Gætulis ex adverso jaculantibus*, *miraculi unius dimicatione*, *qui pedibus confossis repsit genibus in catervas*, *abrepta scuta jaciens in sublime*, *quæ decidentia voluptati spectantibus erant in orbem circumacta*, *velut arte*, *non furore belluæ jacerentur*. *Magnam & in altero miraculum fuit*, *uno ictu occiso*. *Pilum autem sub oculo adactum*, *in vitalia capitis venerat. Universi eruptionem tentavere non sine vexatione Populi*, *circumdati clathris ferreis*. Atque hoc ex loco patet, elephantos occisos esse; id quod etiam haud obscurè patet ex Dione *lib.* 39. cujus itidem integra verba adscribenda sunt, quia multùm faciunt ad historiam elephantorum: „Quinque enim dierum spatio, quingenti leones confecti sunt, elephantique octodecim cum armatis depugnarunt: partim in ipsa pugna mortui, partim paulò post; nam Populus aliquos, etiam invito Pompejo, miseratus est: quum vulnerati à pugna destitissent, circumeuntesque proboscidibus ad cælum erectis ita lamentati sunt, ut sermoni occasionem præberent, non id ab ipsis temerè aut casu fieri: sed eos jusjurandum, quo persuasi è Libya transmisissent, clamore suo testari, & vindictam numinis implorare. Ferunt enim haud priùs eos in naves ingressos esse, quàm à ducentibus sibi cautum esset de omni injuria. Id verum sit, nec ne, haud scio: certè hoc quoque memoriæ proditum est, præterquàm quod elephanti sermonem patrium percipiant, etiam eos illa scire, quæ in cælo fiunt; καὶ τῶν ἐν τῷ οὐρανῷ γιγνομένων συνιᾶσιν. *Hinc in noviluniis*, *antequam in conspectum hominibus Luna perveniat*, *eos ad aquam perennem vel fontem accedere*, *eâque se lustrare*; πρός τε ὕδωρ ἀέναον ἐφικνεῖσθαι, κἀνταῦθα καθαρμόν τινα σφῶν ποιεῖσθαι. His igitur ex locis patet, elephantos Ludis Pompeji occisos maximam partem esse; & contrà Seneca narrat, *noxios* illos occisos; quæ non facilè videntur posse conciliari, nisi statuamus primò noxios elephantis exhibitos & ab iis protritos; inde Gætulos eadem animalia sagittis suis confecisse, vel nonnullos eorum; nec non elephantos neci datos esse: quod ultimum etiam clarè patet ex verbis Plinii *lib.* 8. *cap.* 7. „Sed Pompejani amissa fugæ spe misericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes supplicavere, quadam sese lamentatione complorantes: tanto Populi dolore, ut oblitus Imperatoris ac munificentiæ honori suo exquisitæ, flens universus consurgeret, dirasque Pompejo, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur.

Hi autem elephanti à Cn. Pompejo M. fuerunt exhibiti ultimo Ludorum, vel quinto die; per quinque enim dies eos protractos fuisse ex Dione patet: Cicero hoc nos docet lib. 7. *ad Famil.* ep. 1. „Nam quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompejus confitetur se & operam & oleum perdidisse. Reliquæ sunt venationes binæ per dies quinque magnificæ, (*ita* Orat. in Pison. *hos Ludos vocat* apparatissimos magnificentissimosque, additque, quales non modò nunquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possum ullo modo suspicare) nemo negat. „Sed quæ potest homini esse polito delectatio, cùm aut homo imbecillus à valentissima bestia laniatur, aut præclara bestia venabulo transverberatur? quæ tamen si videnda sunt, sæpe vidisti: neque nos, qui hæc spectavimus, quidquam novi vidimus. Extremus elephantorum dies fuit, in quo admiratio magna vulgi atque turbæ, delectatio nulla exstitit: quin etiam misericordia quædam consecuta est, atque opinio ejusmodi, esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem. Petrus Victorius explicaturus hæc vor-

verba, *venationes binæ per dies quinque*, notat Dionem tradere, quingentos leones quinque diebus ferro absumtos esse; & Manutius *binas venationes* dici, quia manè datæ, post meridiem restauratæ sunt; quæ certè nequaquam Ciceronem, si quid video, explicant. *Binæ venationes* sunt, una leonum, quæ per quatuor dies duravit; altera elephantorum, quæ ultimo, vel quinto die peracta: ita *Africanarum venatio* apud Sueton. *Calig.* cap. 18. VENATIO BESTIARUM AFRICANARUM in *Inscript.* 3. p. CCCIX. apud Gruterum; & *venatio dentis Erythræi*, sive elephantorum, apud Martialem, occurrunt. Videnturque elephanti, ut maximè singulare & rarum spectaculum, ultimo die & loco fuisse exhibiti; certè C. Julium Cæsarem id etiam fecisse, patebit ex Sueton. *cap.* 39. cujus verba mox in medium adferentur.

Post Pompejum C. Julius Cæsar etiam elephantos Populo exhibuit: Vellejus *lib.* 2. *cap.* 56. „Cæsar omnium victor, regressus in Urbem, quod „humanam excedat fidem, omnibus qui contra se „arma tulerant, ignovit, magnificentissimisque „gladiatorii muneris, Naumachiæ, & equitum „peditumque simul elephantorum certaminis spe„ctaculis, epulique per multos dies data celebra„tione, replevit eam. Dedit autem hos Ludos A. V. C. DCCVII. vel potiùs DCCVIII. quo tertiùm Consul fuit, quo consulatu id factum fuisse scribit Plinius, nempe post quatuor triumphos, quos duxerat A. V. C. DCCVII. Appianus lib. 2. *Belli Civil.* memorat *quadraginta elephantos*; *ἐλεφάντων τε μάχην εἴκοσι πρὸς εἴκοσι*: malè reddit Interpres, *commissi sunt & viceni elephanti*; nam ita tantùm ab utraque parte stetissent decem, cùm fuerint hinc inde *viginti*, & ita *quadraginta*. Hos Cæsaris Ludos etiam commemorat Plinius lib. 8. cap. 7. *Hist. Natur.* & postquam dixisset, Cæsarem Dictatorem, simile elephantorum Pompejano spectaculum editurum, euripis arenam circumdedisse, quia scilicet antea belluæ vulneratæ vexaverant Populum, licèt ferreis clathris esset circumdatus, vel ab arena divisus, paulò pòst hæc nobis narrat: *Pugnavere & Cæsari Dictatori tertio Consulatu ejus, viginti contra pedites quingentos: iterum totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus, eodem, quo priores, numero peditum, & pari equitum ex diverso dimicavere*; unde sequitur omnino, non elephantos cum elephantis, uti disertè scribit Appianus, sed eosdem cum peditibus & equitibus pugnasse; & eò respicere proculdubio Vellejum, cùm ita loquitur, *& equitum peditumque simul elephantorum certaminis.* Quin & illud notandum, Plinium narrare Cæsarem duabus vicibus elephantos exhibuisse, vel potiùs iisdem Ludis bis illud fecisse; ita ut primò viginti elephanti contra pedites quingentos; deinde totidem turriti cum tribus singuli propugnatoribus (neque enim puto unumquemque elephantem sexaginta armatos gestasse) cum quingentis peditibus, totidemque equitibus pugnaverint.

Atque de his Ludis ita loquitur Suetonius in *ejus Vita* cap. 39. *Venationes in Circo editæ per dies quinque, ac novissimè pugna divisa in duas acies, quingenis peditibus & elephantis vicenis, trecenis equitibus hinc & inde commissis, nam quo latiùs dimicaretur, sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex adverso constituta sunt.* Dion Cassius, si Interpretem sequimur, nobis narrat *quadraginta viros* ab elephantis pugnasse: *Commisit alios plures*, ait, *in Circo simul, equites equitibus, peditibusque pedites, aliosque promiscuè, æquali utrinque numero; erant enim quadraginta viri, qui ab elephantis pugnabant*; sed rectè animadvertit egregiè doctus vir Casaubonus ad Suetonium, eundem

A errare, & hæc Græca verba, *καὶ τινὲς καὶ ἀπ' ἐλεφάντων τεσσαράκοντα ἐμαχέσαντο*, verti debere, *& quidam ab elephantis quadraginta pugnarunt*; qui scilicet in turribus, impositis elephantorum dorsis, erant constituti, quos tamen Plinius videtur significare fuisse tantùm viginti; *iterum*, ait, *totidem turriti cum sexagenis propugnatoribus*; & antè dixerat pugnasse viginti elephantos contra pedites quingentos.

Germanicus postea Cæsar, Tiberii nepos, elephantos etiam Populo exhibuit, non pugnantes cum hominibus, sed saltantes & alia facientes,
B quæ vix credimus in tam vastæ molis animalia cadere posse, nisi nobis historia reliquisset tot præclara sollertiæ hujus animalis exempla: Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. ita loquitur; „Germanici Cæsaris mu„nere gladiatorio, quosdam inconditos motus ede„re, saltantium modo. Vulgare erat, per auras „arma (*id est, clypeos*) jacere non auferentibus „ventis, atque inter se gladiatorios congressus „edere, aut lasciviente Pyrrhice colludere; postea „& per funes incessere, lecticis etiam ferentes qua„terni singulos, puerperas imitantes; plenisque ho„minum tricliniis, accubitum iere per lectos ita „libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur.
C Inprimis autem observandum, Plinium narrare, quatuor elephantos per funes incessisse, & gestasse in lectica imposita dorso suo, jacentem elephantem, qui imitabatur puerperam; quod utique instar miraculi est, & unde ingenium atque docilitas hujus animalis etiam clarissimè probatur atque evincitur; adeò ut existimem Tertullianum, cap. 6. *de Resurr. Carnis*, elephantem appellare *bestiam insulsissimam*, non respectu ingenii, sed corporis; quod utique *insulsum* non immeritò dici potest, licèt omnia membra mirificè conveniant.

Illud autem præterire nequaquam debeo, erudi-
D tissimum Schefferum lib. 2. cap. 5. *de Re Vehic.* agere de loco illo Plinii, sed me non satis capere, quò tendat animadversio illius; „Equidem, *ait*, „observo apud Plinium in lectica elephantos: ita „enim habet *lib.* 8. *cap.* 2. *Postea & per funes in„cessere*, (elephanti) *lecticas etiam ferentes, quaterni „singulas.* Vel, ut habent alii, *lecticis etiam fe„rentes.* Ubi numerus quaternarius homines qua„tuor exprimere debebat, quia minimum quatuor „in lectica fuere. Sed fuit ea lectica non ordinarii „vel recepti generis, verùm admirationis & spe„ctaculi causâ sic ornata, ut nihil derogare queat „Lipsianæ observationi. Hoc sequitur doctus ju-
E venis, qui Diatriben edidit *de Lecticis Veterum*, additque majoris explicationis gratiâ, post verba, *quatuor in lectica fuere*, quæ sequuntur, *scilicet tali, ab elephantis portata, ita enim mentem esse Schefferi credo.* Sed miror utique in re obvia Schefferum titubasse, & nodum quæsivisse in scirpo; neque enim ullo modo per τὸ *quaterni*, possunt designari *quatuor homines*, nec homines totidem jacuerunt in lecticis; sed quatuor elephanti gestabant unam lecticam, inque ea jacebat elephas, qui imitabatur puerperam; ipsa verba Plinii id tam clarè docent, ut vix capere possim, quomodo talia tam erudito viro potuerint venire in mentem.

F Atque hos Ludos à Germanico, Tiberii ex Druso fratre nepote, editos multis describit Ælianus lib. 2. cap. 11. *de Animal.* cujus verba supponenda sunt, ut pateat, quid fecerint illi elephanti hisce Ludis: „Quum Tiberii Cæsaris nepos (*Græ„ca omitto*) Germanicus gladiatorium spectaculum „edidit, plures jam grandes utriusque sexus ele„phanti Romæ erant, è quibus alii plerique ge„nerati exstiterunt: quorum artus interea dum „committebantur, & confirmabantur, & membra „infirma conglutinabantur, peritus vir ad pertra-

„ctandos eorum ſenſus animoſque, mirabili quodam diſciplinæ genere eos erudiebat. Primum „enim eos maximè lenitudine & mollitudine cibos illecebris & varietate ſuavium invitamentorum refertos indulgens, ad diſciplinam informabat: ut ſi quid eſſet agreſte, expelleret, ex feritate ad manſuetudinem, & quaſi ad humanitatem quandam transformaret: ſicque eos moderabatur, ut feritate expulſa Diſciplinis & Muſicæ ſtudio operam darent, tibiarum tympanorumque ſono nihil exterrerentur, fiſtulis oblectarentur: pedum ingredientium ſtrepitum cantumque miſcellaneum ferrent: eos præterea exercebat ad non formidandam hominum multitudinem. Illa verò virilis diſciplina accedebat, non ad gravem plagarum ictum excandeſcere, coactos membrum aliquod concinnè & ad ſaltandum flectere, non iracundè (quum eſſent maximo robore præditi) incitari. Quis hoc non egregiæ & generoſæ indolis argumentum dixerit, belluam hominis imperio non adverſam nec immorigeram eſſe? „Quum igitur magiſter elephantorum (ὁ ἐλεφαντοδιδάσκαλος) ſpectaculum ederet, ii tempore ſuo ſpecimen dederunt, ſe rectè inſtitutos eſſe, illumque in ipſis erudiendis operam non perdidiſſe oſtenderunt. Nam XII. numero theatrum ingreſſi, compoſito gradu incedebant, in diverſas theatri partes diviſi, ac molliter ingredientes toto corpore diffluebant, miro ornatu, nimirum ſtolis ſaltatoriis & floridis induti, ſolaque magiſtri ſignificatione vocis ordinatim inſtructi, ut ferunt, gradiebantur. Ac verò rurſus, ſi illis hoc imperaretur, in orbem ſaltabant; eundemque orbem ad imperantis vocem denuo ſolvebant & explicabant. Atque nunc flores ſpargentes pavimentum ornabant, idque parcè & modeſtè: nunc pedibus terram pulſantes concinnam & moderatam ſaltationem una conſenſione obibant. Damonem igitur, & Epitharum, & Ariſtoxenum, & Xenophilum, & Philoxenum, ac alios pleroſque pulcherrimè muſicâ eruditos, inter paucos hujus peritos exiſtimatos fuiſſe, mirificum quidem; at non certè incredibile, neque à ratione alienum fuit, quum homines eſſent rationis participes, valuiſſe vi intelligendi, ac ratiocinandi. At verò animal rationis expers, numeros & cantum percipere, formam & ornatum tenere, non à ſaltandi moderata elegantia aberrare, quæ didicerit repetere poſſe, hoc naturæ donum eſt, ſimulque vis quædam ſingularis. Illa verò vel ad ridiculè inſaniendum præ admiratione ſpectatorem inducere poſſint, in theatri arena humiles lecticas ſpectare, & eis impoſitos lectos, eoſque vario ſtragulo textili & magnificis operibus picto opertos, copioſæ alicujus & vetuſtæ familiæ teſtimonium: lauta item pocula & argenteas crateras, aureaſque permultas aquâ repletas, menſaſque magnificas è thyo & ebore, perquam ſuperbas, tanto pane & carnibus exſtructas, ut vel edaciſſimorum animalium ventrem implere potuiſſent. Omnibus ita abundè apparatis, convivæ intromiſſi ſunt elephanti, mares ſex virili veſte induti, totidem fœminæ, ſtola muliebri ornatæ, decorè epulis accubuere. Tum ſigno percepto in menſam promuſcides, tanquam manus modeſtas, porrexerunt, ſummaque cum moderatione epulati ſunt: neque ex ipſis quiſpiam viſus eſt vorax, neque vel delicatioris vel majoris partis avidior, ut Perſa ille apud aureum illum Xenophontem. Quum eſſet bibendum, unicuique crater exhibebatur, & hi quidem promuſcidibus potionem haurientes, moderatè bibebant: deinde circumſtantes leviter & feſtivè ſine contumelia adſperge-

A „bant. Inde addit Ælianus alios non pauca ſimilia atque adeò admirabilia de ingenio & natura hujus animalis ſcripſiſſe; ipſum vidiſſe elephantum rectè & ordine in tabula Latinas litteras ſcribentem, ejuſque oculos, cùm ſcriberet, fuiſſe immotos & dejectos; πεπαιδευμένους εἶναι τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ ζώου, καὶ γραμματικοὺς εἴποις ἄν, *inſtitutos & doctos animalium oculos, non ſecus ac ſi Grammaticorum fuiſſent, dixiſſes*: quod ultimum ideo adjiciendum putavi, quia fortè Romæ evenit, & quia inde belluæ, cujus hiſtoriam digeſſi, natura docilis mirificè conſpici poteſt.

B In deſcriptione autem Ludorum Germanici apud Ælianum non fit mentio funambulorum elephantorum, & dubito an Plinii verba ad eoſdem pertineant. Nam Suetonius cap. 6. *Galbæ* teſtatur, cum *etiamnum Prætorem, commiſſione Ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantos funambulos dediſſe.* Nam ſi Galba præturam urbanam geſſit A. V. C. 773. & tunc elephantos tales primus exhibuit, utique id ante eum facere non potuit Germanicus, mortuus anno præcedente, uti commentatur Pighius. Et certè dubitare quiſquam non abſque ratione poſſet, an omnia illa, quæ Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. commemorat, C ad Ludos Germanici pertineant: nam mihi videtur dicere, ante Ludos illos vulgare fuiſſe per *auras arma jacere*, &c. inde munere à Germanico edito eos *ſaltaſſe*; & *poſtea*, nempe poſt Ludos à principe illo viro exhibitos, funambulos factos, & quæ alia ſequuntur. Hæc ſi ita ſeſe habent, jam nulla inter Plinium & Suetonium erit diſcrepantia; certè poſt Germanicum plures elephanti ita fuerunt edocti, & admiratione ſumma ſunt digna, quæ Hiſtorici memoriæ tradiderunt. Nam idem Suetonius cap. 11. *Neronis*, teſtatur, *Ludis Circenſibus notiſſimum Equitem Romanum elephanto ſuperſedentem per catadromum decurriſſe*; id D eſt, per funem funambulorum vel ſchœnobatarum, uti patet ex Dionis *lib.* 50. *Ludos*, ait, *maximos & ſumtuoſiſſimos in honorem matris fecit: nam ſimul in quinque vel ſex theatris complures feſtos dies egit. Quo tempore elephas ſubvectus vel deductus eſt in altiſſimam ejus fornicem, inde per funes decurrit ferens ſeſſorem*; & in genere de hac re loquitur Plinius *lib.* 8. *cap.* 3. *Mirum maximè eſt, & adverſis quidem funibus ſubire, ſed regredi magis utique pronis*; quæ ſignificant, dignum eſſe admiratione, elephantos per funem extenſum adſcendere, ſed admirabilius, per eundem regredi, quia tunc E faciliùs cadere, utpote in terram proni, poſſent.

Seneca quoque talem elephantum commemorat *epiſt.* 85. *Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem*; adeò ut Neronis principatu res ea videatur vulgata fuiſſe.

Nec utique omittendum, tàm ſub Nerone, quàm antea ſub Claudio, elephantos etiam Populo exhibitos fuiſſe: & quidem cum iis ſingulari certamine pugnaſſe gladiatores, ut hoc ſpecimine edito rude donarentur & pugnandi fierent immunes; Plinius *lib.* 8. *cap.* 7. *Poſtea ſinguli Principibus* F *Claudio & Neroni, in conſummatione gladiatorum*; quemadmodum hæc verba rectè mihi videtur exponere Harduinus. „Sicut enim, addit, „conſummati milites hi erant, qui legitimis peractis ſtipendiis, militiæ onere ſolvebantur, quos „emeritos etiam appellabant: ſic conſummati gladiatores hi erunt, quos debita virtutis experimenta pugnandi immunes donatio rudis efficiebat.

Et notandum, quia Neronis mentio, illius principatu, Vologeſem Parthorum Regem elephan-

phanto vectum esse, uti legere licet apud Tacitum lib. 15. *Ann.* cap. 15. & Dionem in *Excerptis* περὶ Πρεσβείων, atque ita eum trangressum esse fluvium Arsaniam, cùm reliqui equis uterentur, nec uti vellet ponte, quem victos Romanos facere jusserat.

Domitianus etiam Augustus Populo elephantos exhibuit: Martialis carm. 17. *Spectaculorum:*

Quod pius & supplex elephas, te, Cæsar, adorat,
Hic modò qui tauro tam metuendus erat;
Non facit hoc jussus, nulloque docente Magistro;
Crede mihi, numen sentit & ille tuum.

Et iterum carm. 19.

Qui modò per totam, flammis stimulatus, arenam
Sustulerat raptas taurus in astra pilas;
Occubuit tandem cornuto ardore petitus,
Dum facilem tolli sic elephanta putat.

Unde quàm clarissimè patet elephantem cum tauro pugnasse, huncque ab elephanto occisum, quia eum adinstar pilæ in aërem jacere conatus fuerat. Joh. Georgio Grævio videbatur, neminem dicturum, *cornuto ardore petitus*; & Martialem scripsisse, *cornu potiore petitus*, id est, elephanti cornu, quod *potius* vel præstantius cornu tauri; quod aliis relinquo examinandum.

Idem Martialis *lib.* 1. *epigr.* 105. iterum horum spectaculorum facit mentionem, varias bestias à Domitiano exhibitas enumerat, additque elephantem saltasse,

Et molles dare jussa quod choreas
Nigro bellua nil negat Magistro.

Id quod factum etiam esse Ludis Germanici Cæsaris antea ex Æliano docui.

Antoninus Pius etiam in Ludis Populo *elephantos* cum aliis animalibus dedit; Jul. Capitolinus *cap.* 10. *Edita munera, in quibus elephantos, & crocotas, strepsicerotas, crocodilos etiam atque hippopotamos, & omnia ex toto terrarum orbe cum tigridibus exhibuit.* Atque inde in Nummis hujus Augusti elephas cernitur, addita inscriptione, MVNIFICENTIA. AVG.

Commodus quoque non aliter sese gessit, & testatur Lampridius, eundem *ferarum diversarum manu sua occidisse multa millia; ita, ut & ELEPHANTOS occideret*; nempe in Ludis, quos Populo exhibebat; & mox addit, *virium ad conficiendas feras tantarum fuisse, ut ELEPHANTVM conto transfigeret.* Atque ita Dion Cassius *lib.* 72. scribit, Commodum, *quinque equos fluviatiles, & duos elephantos* ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ ἡμέρᾳ

A *solum manibus suis confecisse*; & alibi, *tigrim & equum fluviatilem & elephantum*; adeò ut mirum non sit, in ejus nummo apud Magnavaccam, & in Indice Polatio, teste Mediobarba Comite, exstare nummum * cum inscriptione, MVNIFICENTIA. AVG. TR. P. VIIII. IMP. VI. P. P. S. C. quæ exhibita fuit Anno Æræ Christianæ 184. uti docent notæ temporis, illi inditæ.

Nec dubium ullo modo, quin & alii Imperatores ita Populum devinxerint, quippe qui jam diu nihil aliud optabat, quàm *panem & Circenses*; patebitque satis, ubi ad elephantos singulares, qui in illorum Nummis frequentes sunt, erit perven-
B tum. Nunc autem addendum omnino est, L. Sept. Severum, propter Imperii decennium, reditum & victorias, Ludos magnificentissimos edidisse, atque cum aliis in iis animalibus *elegantes*; uti patet præclarè ex Dionis *lib.* 76. „Tum edita sunt „(*Græca omitto*) varia quoque spectacula propter „reditum Severi, decennium Principatus ejus & „victorias, in quibus apri LX. Plautiani ex præ„cepto inter se decertarunt: interfectæque sunt „aliæ permultæ bestiæ, atque inprimis ELE„PHAS, & crocota. Id animal est Indicum, ac „tum primùm, quod sciam, Romam advectum,
C „(*errare Dionem docet Capitolinus*) color ejus est „leænæ permixtæ cum tigri, figura quodammo„do ex cane & vulpe. Machina erat facta in navis „formam, ut 400. feras intra se caperet, & una „vice emitteret; eaque dissoluta, subitò exsilie„runt ursæ, leænæ, pantheræ, leones, struthio„nes, onagri, bisontes, quod genus boum est „patria & adspectu barbarum. Atque hæc munificentia Severi exhibetur nobis in præclaro ejus nummo, quem edidit doctissimus Morellus tab. VI. *Speciminis*; in quo non modò navis illa picta est, sed etiam *elephas* clarè conspicitur, legiturque peropportunè LAETITIA TEMPORVM,
D uti ex ectypo patet:

E Fallor, aut eadem res & machina occurrunt in alio argenteo Caracallæ cum eadem epigraphe apud Vaillantium, quanquam in eo, vitio fortè Artificis, non conspiciam elephantum. Diversus etiam à priore est ille, quem majorem longè, quàm potuit esse, aut fuit unquam, publicavit Onuphrius in Libro *de Ludis Circensibus* cum inscriptione, SEVERI AVGVSTI LAETITIA TEMPORVM; picta tamen in eo video esse hæc animalia, *elephantum*, leonem, rhinocerotem, &, ni fallor planè, crocotam:

* Rescr. *elephantum.*

Rhinoceros, ut hoc obiter addam, videtur petere elephantem, cujus perpetuus hostis est; Solinus *cap.* 30. „Ante Ludos Cn. Pompeji rhinocerotem „Romana spectacula nesciebant; cui bestiæ color „buxeus in naribus cornu unicum & repandum, „quod subinde attritum cautibus in mucronem „excitat, eoque adversùs elephantos præliatur; „par ipsis longitudine, brevior cruribus, natu„raliter alvum petens, quam solam intelligit icti„bus suis perviam. Hæc verba si quis conferat cum Plinianis, videbit facere *, an rectè annotaverit vir egregiè doctus, Solinum totum hoc caput *ad verbum* è Plinio expressisse, vel *iisdem verbis* hæc narrare. Rem eandem narrari fateor, eamque è Plinio à Solino sumtam; sed an hoc sit, *ad verbum*, vel *iisdem verbis* exprimere, illud equidem doceri velim; & de hac illorum animalium inimicitia etiam loqui Agatarchidem apud Photium, nec non Diodorum Sic. lib. 3. *Biblioth.* optimè ab eodem viro annotatum est.

Hoc autem animal, uti & hoc addam, primus omnium Ludis exhibuit Augustus, non in triumpho de Cleopatra, uti notatum est ad Plin. *lib.* 8. *cap.* 20. verùm, cùm sacrarium Julii dedicaret, quemadmodum testatur Dion *lib.* 51. pag. 460. Neque tamen in ullo Augusti nummo rhinoceros, quod equidem sciam, occurrit. Sed notat illustris Spanhemius *Diss.* 2. in alio Domitiani, quem à Pyrrho Ligorio pictum servat Bibliotheca Christinæ Augustæ, exhiberi *rhinocerotem cum elephante*; unde sequitur omnino belluam hanc primò pictam esse in Nummis Domitiani, nec in hunc diem vetustiores eandem nobis ostendere; illius exhibitionem repetendam esse à temporibus Augusti, si Dionem audimus; imò Pompejo gloriam illam deberi, quem Plinius id fecisse *lib.* 8. *cap.* 20. disertè narrat: *Iisdem Ludis* (Pompeji) *& rhinoceros unius in nare cornus, qualis sæpe, visus. Alter hic genitus hostis elephanto: cornu ad saxa limato præparat se pugnæ, in dimicatione alvum*

A *maximè petens, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par, crura multò breviora, color buxeus.* Nollem ad hæc verba, *sæpe visus*, annotasse virum doctum, id factum esse non modò Augusti & Domitiani temporibus, verùm etiam Trajani, Antonini Pii, Elagabali & Gordiani; quia spectacula à quatuor ultimis Augustis edita Plinius ante oculos habere nequaquam potuit, cùm iis sit vetustior.

Sed ut pergam, in Caracallæ nummo apud Angeloni in Caracallæ nummo cernitur *elephas*; quod factum vir doctus putat, vel ob Ludos Seculares à patre celebratos, vel quia Caracalla in B amphitheatro manu sua occidit *elephantem, rhinocerotem, tigrim, & hippotigrim*; id quod certè eum fecisse testatur Dio *lib.* 77. pag. 873. Quin & paulò pòst tradit, eundem fuisse imitatorem Alexandri Magni & admiratorem, Aristotelicos Philosophos odio habuisse, eorumque Alexandriæ sustulisse συσσίτια, quia Aristoteles auctor habebatur necis Alexandri: ταῦτα μὲν οὕτως, addit, ἐποίησε· καὶ τὸν Δία καὶ ἐλέφαντας πολλοὺς συμπεριήγετο... *Hæc quidem ita faciebat: & per Jovem etiam multos elephantos secum ducebat, ut ita Alexandrum, vel potiùs Dionysum, sive Bacchum* C *imitari videretur*; quomodo verba Græca reddenda sunt. Nihil igitur mirum animal illud cerni in Nummis Caracallæ; sed observandus inprimis hac occasione *Hippotigris*, Dioni laudatus, quia hujus loci nullam fecerunt mentionem viri doctissimi, qui de Animalibus scripserunt, Gesnerus nempe, Bochartus, Jonstonus & Majus; quorum primus & ultimus scribunt, animalis illius tantùm mentionem fieri in recentiore quodam Scriptore Græco, qui sub Constantino Monomacho Anno Chr. 1044. imperante, vixit; cujusque Gesnerus habebat Libellum MS. in quo erant separata capita de tigre & hippotigri; & scribebatur, hippoti- D grim similem esse onagris, animal pernicissimum, pelle maculosa, colore cinereo; hujus generis feras Romæ in theatro exhibitas fuisse cur-

rum

* Videtur leg. *facilè*.

rum trahentes agente auriga, mirabili spectaculo, talemque currum tigribus junctum regiam sponsam vexisse. Joh. ad hoc Majus exstimat *hippotigres* Oppiano lib. 1. *de Venat.* v. 315. appellari *orynges*; nam cùm descripsisset equos Nisæos, addit aliud genus esse equorum, *pictum*, *decorum*, & *ferox* (ita enim τὸ ἀείζηλον verto) τοὺς ὄρυγγας καλέουσι, *quos orynges vocant*; inde eorum facit genera duo; unum insigne oblongis lineis, vel virgis, quo sensu apud Senecam & alios *virgatæ tigres* occurrunt, alterum rotundis maculis adinstar pardorum; iisque insignibus *pardos* & *tigres* distingui docuit satis superque illustris Bochartus. Neque tamen *hippotigrim* tigribus accenserem, vel statuerem eos esse ex illius animalis genere & unguibus armatos; & dubitandum mihi nequaquam videtur, quin purus putus sit equus, non aliam ob causam ita appellatus, quàm quia pellis tigrim referebat; eò certè nos ducit Oppianus, quippe qui varii generis equos describit, & inter eos *orynges*, quos similes *hippotigri* planè facit; postquam pensum illud absolvisset, addit, πόσσα μὲν ἀμφ' ἵπποισιν, *tantùm quidem de equis*; significans quàm clarissimè *hippotigres* non nisi *equos* esse. Gesnerus postquam ex Arriano docuisset in India esse tigres equis magnitudine, & ex Megasthane, leonibus duplo ferè majores, adfert verba modò laudata ex Auctore, qui vixit sub Constantino Monomacho; & ita statuit, *hippotigrim* sola magnitudine ab aliis tigribus discrepare; & Majus dubitat an Romani Scriptores intelligant *hippotigres*, quando eas vel in spectaculo exhibitas, vel curribus junctas memorant. Sed ut ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς hæc examinem; nequaquam puto *hippotigres*, sed veras genuinasque tigres designari ab Auctoribus, qui tradunt eas ad currum junctas, vel in amphitheatro exhibitas fuisse; clarè hoc docet Martialis *lib.* 1. *epigr.* 105.

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello.

Nec non Lampridius in *Heliogab. Junxit & tigres Liberum sese vocans*; constatque ex Auctoribus, nec non Nummis, quorum antea feci mentionem, Bacchum vectum fuisse veris tigribus. Quem in censum Auctor Græcus *hippotigrim* referat, non ita liquet; & quanquam videri possit, eum *tigribus* eundem accensere, quia descriptiones illorum animalium jungit; tamen cùm similem *hippotigrim* faciat *onagro*, crediderim eum animal illud equis adscripsisse: nam *onager*, vel *asinus silvester*, est instar equi, & pulcherrimus, pelle adinstar tigris virgata, uti præter Bochartum docet illustris amicus meus Jobus Ludolphus, in *Notis ad Histor. Æthiop.* ubi etiam illius animalis effigiem conspicere licet; quam mihi dono datam à Reip. Amstelædamensis Consule, Nicolao Witsen, summis gestis honoribus & Legatione ad potentissimum Angliæ Regem Gulielmum tertium, atque adeò eruditione illustri, cum illo communicavi. Et certè rectè canit de onagro Martialis *lib.* 13. *epigr.* 101.

Pulcher adest onager, mitti venatio debet
Dentis Erythræi.

Apud Athenæum in pompa Regis Ptolemæi leguntur fuisse συνωρίδες τέσσαρες ὄνων ἀγρίων, *bigas quatuor asinorum silvestrium*, sive *onagrorum*; quos Regem munificentissimum ex Æthiopia accepisse, ne dubitandum quidem est; sub Gordiano *onagri* Romæ fuerunt viginti, teste Capitoli-

A no *cap.* 33. Adeò ut existimem vel *hippotigres* veros fuisse *onagros*; vel hæc animalia ambo fuisse virgata, & corpore equis similia, sed *hippotigrim* capite magis retulisse equum, *onagrum* verò asinum. Id quod mirificè firmatur à Jesuita Tachardo lib. 2. *Itinerarii Siamensis*, in quo distinguit equos & asinos silvestres ejusmodi virgis pelles distinctas habentes, quemadmodum ex ipsis illius verbis patet quàm clarissimè: *On y a vû* (au Cap de Bonne Espérance) *des chevaux & des ânes d'une rare beauté. Les prémiers ont la tête extrêmément petite, & les oreilles assez longues. Ils sont couverts de bandes noires & blanches, qui leur prennent du* B *haut en bas de la largeur de quatre doigts, & qui font un effet fort agréable. J'en ai vû la peau d'un qu'on avoit tué, & que M. l'Ambassadeur a acheté pour porter en France, comme une chose fort curieuse. Pour les ânes, ils sont de toutes couleurs; ils ont une grande raye sur le dos depuis la tête jusqu'à la queue, & le reste du corps comme le cheval semé de bandes assez larges, bleues, jaunes, vertes, noires & blanches, toutes fort vives.* Atque similiter ferè eadem animalia describit Dapperus in *Descript. Africæ*, vel ejus parte, Inferiore Æthiopia, ubi agit de Populo, cui nomen Sonquas: „Sunt ibi feri equi & C „muli, qui utrique adeò elegantes ac formosi sunt, „ut nihil supra. Equorum clunes cinerei coloris „scutulis distinctæ sunt, & præter clunes, eorum „pelles ubique virgis flavis, nigris, rubris & cæsiis distinctæ sunt. Item muli virgis albis & fuscis „pelles eleganter distinctas habent, sed clunibus „nullæ insunt scutulæ. Quin & *hippotigris*, nisi me planè fallo, iterum meminit Dio *lib.* 75. pag. 857. ubi agit de rebus Plautiani: καὶ τέλος ἵππους ἡλίῳ τιγροειδεῖς ἐκ τῶν ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ νήσων, πέμψας ἑκατοντάρχους ἐξέκλεψεν: *postremò equos Solis tigribus similes ex insulis Maris* D *Rubri missis centurionibus furatus est*; & proculdubio ex iis fuit iste, quem Caracalla dicitur manu sua occidisse. Sed mirum, ut hoc addam, Philen c. 67. *Histor. Animal.* scribere *Onagrum*, cornu habere καὶ πῆχυν μέγα, & eum sequi Bochartum lib. 3. *de Animal.* c. 26. Et quamvis Herodoto *lib.* 4. *cap.* 191. memorentur ὄνοι οἱ τὰ κέρατα ἔχοντες, & Onesicrito apud Strabonem ἵπποι μονοκέρατες ἐλαφόκρανοι, *equi unicornes cervinis capitibus*; quamvis historiæ animalium Scriptores nobis depingant talia, & quamvis, uti persuasum mihi est, inveniantur *monocerotes*, tamen puto nec *onagro*, nec *hippotigri* cornua un- E quam fuisse.

Sed ut ad *elephantos*, à quibus me abduxit *hippotigris*, revertar, apud Erizzum in ejusdem Caracallæ nummo, à Tarsensibus signato, cernitur *elephas*, & supra eum *corona*; adnotatque illustris Spanhemius *Dissert.* 6. Edit. Londin. in hoc nummo coronam dorso elephanti, & in alio ejusdem Augusti, qui servatur in Gaza Medicea, capiti belluæ coronam imponi. Hoc quare factum sit, velim equidem docuisset excellentis vir ingenii. Ego hariolabar nonnunquam, hunc elephantum in Ludis palmam tulisse, sive pugnantem F contra alias feras, sive edoctum varias artes, quales Romæ Tiberii tempore fuisse antea monui. Certè *equos* & *mulas* victores in sacris agonibus fuisse coronatos, docet idem vir summus præclarè ex Theocrito, Pindaro, aliisque, laudato Opere.

CAP. VIII.

Heliogabalus, Gordianus, Gallienus, Carinus elephantos in spectaculis suis dederunt; Lampridius expositus; Banagius refutatus: duæ veteres Inscriptiones expositæ; Feræ dentatæ *quæ: à Gudio & Everh. Ottone dissensum. An Carinus etiam funambulos dederit; Zimmermanni lapsus; multis agitur de Cari & Numeriani Ludis magnificentissimis, ostenditurque eos non Alexandriæ, sed Romæ fuisse celebratos; Tristani error;* herbatica animalia; *an eædem sint* bestiæ herbariæ. *Elephantorum Romæ paucitas; Interpres Auctoris Chron. Alex. notatus; Calpurnius aliter, ac a Tristano factum est, expositus; Vlietius notatus: Carinus non Romæ, sed apud Murgum a Diocletiano interfectus. Imperatores ad bellum profecturi, soliti erant dare spectacula; illos Ludos, de quibus ago, dederunt Carus & Numerianus; Carinus in Galliis relictus; ex Illyrico Romam profecti, inde adversus Persas, susceperunt expeditionem; Jos. Scaligeri error: Vopiscus tentatus. Nemesiani emendatio Vlietiana examinatur, firmaturque: Numerianum præcipuè laudat ecl. 72. Calpurnius; non scripsit eclogam post Cari mortem: Tristanus notatus: Numerianus quare præcipue in Eclogis illis laudetur: Vlietii emendatio rejecta: quis qualisve Calpurnius: varii Calpurnii: non fuit in comitatu Cæsaris: Salmasii & Pagii opinio examinata: Aper a Diocletiano occisus post necem Numeriani, non post victum & occisum Carinum; Numerianus ex Oriente Romam non rediit: Vopiscus expositus: Aur. Victoris error; ut & Jac. de Strada: Jos. Scaliger notatus. Carus Deus vivus dictus; Ulietii lapsus. Calpurnius variè tentatus & expositus. Imperatores Romani in agro Laurentino Elephantos aluere: num & in Etruria pasta fuerint illa animalia.*

HEliogabalus etiam exhibuit quadrigas elephantorum, easque ipse agitavit: *Fertur elephantorum quatuor quadrigas in Vaticano agitasse, dirutis sepulchris, quæ obsistebant: junxisse etiam camelos quaternos ad currus in Circo privato spectaculo*; uti legere licet apud Lampridium. Banagius eruditionis vir præstantis lib. 5. c. 23. §. 14. *Histor. Judæor.* agit de hoc loco, & putat sepulchra hæc non fuisse procerum Romanorum, quorum corpora cremabantur; nec plebis, cujus cadavera puteis in Esquilino condebantur; nec Christianorum, qui nondum eò licentiæ pervenerant, uti sibi supra terram sepulchra facerent, quæ impedirent agitationes curruum. *Judæis* igitur ea attribuit, quia ex *Roma subterranea* constat Judæorum cœmeterium in Vaticano fuisse, nec non ex Auctore Anonymo, qui scripsit *de Mirabilibus Romæ*, quem edidit Montfauconius in *Diario Italico*, quique scribit *Pontem Adrianum dictum esse Judæorum, quia ibi Judæi habitant*; constatque *Pontem* A *Ælium* vel *Hadriani* ducere per Tiberim in Vaticanum Montem.

Atque ut hoc facilè concedam, maximè cùm aliunde constet in Regione Transtiberina Judæis sedes fuisse assignatas, tamen dubito valde, an Judæi ausi fuerint sibi erigere monumenta splendida & super terram elevata. Et primò quidem obstat ipsum illud à Bosio inventum cœmeterium, in quo cùm conderentur eorum cadavera, non utique verisimile eosdem sibi operosa monumenta erexisse: deinde nequaquam hæc ratiocinatio procedit, sepulchra illa non fuisse procerum Romanorum, quia eorum corpora cremabantur; nam B licèt hoc verum sit, tamen inde alterum sequitur nullo modo; & certè constat ex infinitis Auctorum locis, ex Inscriptionibus, & plurimis relliquiis prisci ævi, ipsis illis cineribus ollis & terra conditis, imposita fuisse splendidissima ædificia vel monumenta; & tandem in ipso illo Monte & Campo Vaticano fuerunt sepulchra Adriani Imperatoris, M. Aurelii Imperatoris, Scipionis Africani, Equorum L. Veri, uti videre licet apud Famianum Nardinum in *sua Roma* lib. 7. cap. 13. Nec dubito, quin alia in eadem Regione fuerint egregia monumenta, quorum cùm nonnulla dejecerit Heliogabalus, annotare id visum fuit Lam- C pridio, quia illa violari & destrui jure nequaquam poterant; nec puto recutitam Gentem miseram & egenam hîc locum habere posse. Dio etiam vel Xiphilinus testatur *lib.* 79. eundem Ludos exhibuisse, atque in iis occisos esse *elephantem, & tigres quinquaginta & unam, quod nunquam antea simul factum erat*; id quod uti de ultimis feris intelligi debet, ita *unus elephas* occisus mihi videtur indicium esse, raros illos tunc temporis Romæ fuisse.

Tempore Gordiani Pii Romæ fuerunt *elephanti duo & triginta*, quos cum aliis animali- D bus parùm visis postea Ludis Secularibus exhibuit Philippus; Capitol. *cap.* 33. unde etiam *elephas* in illius Nummis pictus est. Idem tamen Gordianus, antequam ad bellum Persicum proficisceretur belluas hasce Populo spectandas videtur dedisse. Nam pereruditus Vaillantius numisma illius maximum describit, in quo amphitheatrum, inque *eo taurus & elephas* decertantes, hinc & inde duæ ædes; ad latus dextrum figura stolata stans, cum epigraphe, MUNIFICENTIA. GORDIANI. AVG. & illustris Spanhemius, nec non Comes Mediobarbus similem recensent, in quo itidem pictum est amphitheatrum, & vir insidens E elephanto, pugnansque cum tauro.

Gallienus postea cùm celebraret Decennalia, *decem elephantos* in pompa traduxit, teste Trebellio Pollione *cap.* 8. notandumque tunc temporis non plures Romæ fuisse, decrescente scilicet in dies eorum numero. Trebellius Pollio: *Processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro jugatis, & dorsualibus sericis discoloribus præfulgentes; agnæ candentes ab utraque parte ducentæ præcesserunt, & decem elephanti, qui tunc erant Romæ.*

Hinc videtur major penuria horum animalium oborta; nam Ludis, quos magnificentissimos in F Circo dedit Probus, nulli narrantur fuisse exhibiti; & mihi verisimile admodum est, Vopiscum eosdem non omissurum, quia annumerat nobis *struthiones, cervos, apros, damas, ibices* (Crinitus legebat *Libycas*) *oves feras, & cetera herbatica animalia, quanta vel ali vel inveniri potuerunt*; præterea addit in amphitheatro datos fuisse *centum jubatos leones, centum leopardos Libycos, centum Syriacos, centum leænas, trecentos ursos.* Et quanquam inter *cetera herbatica animalia* etiam *elephanti* comprehendantur, tamen non puto eos silentio præteriturum fuisse Vopiscum, si Probus Augustus

ſtus illos exhibuiſſet. Sed *herbatica animalia* mihi in memoriam revocant Inſcriptionem veterem, in qua, mutilata tamen, deſcribuntur Ludi à MVNERARIO quodam editi, & inter cetera legitur:

. . . HORAS. THEATRI. VOLVPTAS.
TENVIT. ET. HILARIS
. . ERIDIE. TRANSIIT. IN. QVA. MIRATVS. HONESTISSIMVM
GENERE. HERBARIARVM. ET. NVMEROSAS. ORIENTALES
MERIDIE. IN. VTRIVSQ. CAVEIS. VARIS. MISSIONIBVS. . . .

Nam quamvis Gualtherus, qui hoc monumentum edidit, putet τὸ *herbariarum* poni pro *herbarum*, & interpretetur de *Circo*, vel area arboribus conſita, id quod in edendis ſpectaculis fiebat; ego tamen Eruditis do perpendendum, an non *herbariæ*, nempe beſtiæ, ſint eædem, quæ *herbaticæ*; & an non eò ducant *numeroſæ orientales caveæ*, & *miſſiones*.

Atque hæc Inſcriptio mihi & aliam revocat in memoriam, unde videtur adſtrui poſſe Neapoli etiam *elephantos* exhibitos fuiſſe, licèt eorum nomen in eadem non legatur. Severianus quidam dicitur ADLECTVS fuiſſe IN ORDINEM, & DIE FELICISSIMO. III. ID. IAN. NATALIS DEI PATRII N dediſſe VENATIONEM. PASS. DENIS. BESTIIS. ET. IIII. FERIS. DENT. IIII. PARIBVS. FERRO. DIMICANTIVM. Per *paſſeres* autem (nam ita adbreviationem illam exponi debere exiſtimo) intelligo paſſerem marinum vel ſtruthionem; & Eruditis do conſiderandum, an non per FERAS DENTATAS deſignentur elephanti, qui certè optimè ita vocantur, quanquam non diffitear & *apros* poſſe intelligi: & licèt hic Eques Romanus fuerit CVRATOR REIP. TEGIANENSIVM, & ita hoc in Africa, non autem Neapoli factum videatur eſſe, tamen DEVS PATRIVS & lapidis locus, niſi ex Africa fuerit Neapolim deportatus, evincere puto, Italiam præferri debere; & video illuſtrem auctorem *Indicis Deorum* etiam decurrere ad Neapolitanos. Gudius autem, ut hoc adjiciam, per DEVM PATRIVM putat deſignari *Julium Cæſarem*, cùm tamen ejus natalis incidat a. d. IV. Idus Quintilis vel Julii; id quod rectè animadvertit Everh. Otto in eleganti Libro, quem conſcripſit *De Ædilibus Coloniarum & Municipiorum*. Sed tamen idem vir doctus etiam putat Julium Cæſarem hîc locum habere poſſe, ita tamen ut voce *natalis* non dies geniture intelligendus ſit, ſed alius fortè propter res geſtas vel inſignem lætitiam Cæſaris ſolennis, quos Veteres quoque *Natales* vocabant. Ego autem arbitror nequaquam hanc Inſcriptionem ſpectare Julium Cæſarem, ſed Deum, quem coluerunt Neapolitani jam inde à priſcis temporibus, ſive is fuerit *Hebon*, ſive alius; cujus nomen nobis ignotum eſt; illumque cultum eſſe à Neapolitanis patet ex Macrobio lib. I. *Sat.* cap. 18. qui etiam apud Gruterum & Capacium in Inſcr. veteri, illa in urbe reperta, appellatur Ἐπιφανέστατος Θεὸς, quem putat Capacius in urbis illius Nummis repræſentari bove, cui caput humanum cornutum & barbatum eſt, quanquam videatur potiùs eſſe Minotaurus, & Macrobius de Hebone, tanquam ſtatua humana, loquatur omnino.

Poſtea tamen, ſi audimus Matthiam Zimmermannum in *Florilegio Philologico*, Carinus dedit *elephantos funambulos*; id quod ego apud Vopiſcum non reperio; & *neurobates ac tichobates* ipſi memorati *cap.* 19. ſunt homines, non autem elephanti; neque eos etiam recenſet Calpurnius *ecl.* 7. quâ magnificentiſſimos hos Ludos deſcribit: quanquam à ratione alienum nequaquam ſit, inter genus *omne ferarum* fuiſſe *elephantos*. Sed hi Ludi me parumper, bonâ tuâ, Lector, cum veniâ detinebunt, & relictis elephantis, examinabo, ubi, & à quibus fuerint editi; ſuper quibus rebus diſputant inter ſeſe eruditionis præſtantis viri.

Triſtanus igitur tomo III. pag. 313. Ludos, quos deſcribit Calpurnius, arbitratur à Numeriano ſolo editos eſſe Alexandriæ, eo ipſo tempore, quo Carinus alios Romæ celebrabat. Sed nunquam mihi placere potuit hæc ſententia, & certiſſimum eſſe credo, hoſce Ludos eoſdem & Romæ editos fuiſſe; ſive à Caro, Carino & Numeriano conjunctim, ſive à Carino, ſive à Carino & Numeriano; variant enim hac ſuper re Eruditorum ſententiæ, quas examinabo illâ, quâ fieri poteſt, diligentiâ, & intentione, adjiciamque tandem, quid mihi venerit in mentem, & magis rationi hiſtoriæque illorum temporum conſentaneum videatur. Et primò quidem *Numerianum* nunquam fuiſſe Alexandriæ, uti putabat Triſtanus, & propterea ibi Ludos celebrare non potuiſſe in comperto eſt. Nam cum patre Caro rectà in Perſas profectus eſt, & illo ictu fulminis occiſo, poſt victos, ut videtur, iterum Perſas, & captam Babylonem, Europam & Italiam proximâ viâ petiit, & ita iter fecit per Syriam, Aſiam minorem & Thraciam; cúmque Perinthum attigiſſet, occiſus eſt ὑπὸ Ἄπρου Ἐπάρχου, ab *Apro* non *Præſide Perinthi*, ſed *Præfecto Prætorii*, uti legere licet apud Auctorem *Chronici Alexandrini*; adeò ut Interpretem, non autem ipſum *Chronicon* conſuluerit Triſtanus, cùm Aprum facit *Gouverneur de Perinthe*. Idem tamen vir eruditus opinioni ſuæ putat favere Calpurnium *eclogâ* VII. cùm canit:

Ordine quid regeram? vidi genus omne ferarum;
Hîc niveos lepores, & non ſine cornibus apros,
Manticoram, ſilvis etiam quibus editur Alcen.
Vidimus & tauros, quibus aut cervice levata,
Deformis ſcapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Jactantur per colla jubæ, quibus aſpera mento
Barba jacet, tremuliſque rigent palearia ſetis.
Non ſolùm nobis ſilveſtria cernere monſtra
Contigit; equoreos ego cum certantibus urſis
Spectavi vitulos, & equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo naſcitur amne,
Qui fata riparum venientibus irrigat undis:

atque adeò ultimos verſus clarè indicare hoſce Ludos Alexandriæ editos fuiſſe; quia ruſticus niſi experientiâ ſcire poterat Nilum exundare & agros fertiles reddere. Sed hoc argumentum mihi fragile admodum videtur, quia Nili exundatio & fertilitas in Italia & Romæ, in quam claſſi Alexandrina magna frumenti vis devehebatur, erat notiſſima; hæcque cognitio veriſimiliter in ruſticos cadit, quippe qui inquirere ſolent in res, quæ agriculturam ſpectant, & dum de laboribus & ſudoribus ſuis loquuntur inter ſe, Ægyptios felices appellare potuerunt, quorum agri abſque multo labore per Nili adſcenſionem fiebant fœcundi. Quid, quòd beſtias ſpectans, hoc ab aliis occaſione Hippopotami diſcere potuit; & Calpurnius præterea malè celebraſſet *Lucanæ pecuaria ſilvæ*, *Palem Deam*, & amphitheatrum, quod vincebat ferè altitudine ſua templum Jovis Capitolini:

Vidimus in cælum trabibus ſpectacula textis
Surgere, Tarpejum prope deſpectantia culmen;
Immenſoſque gradus, & clivos lenè jacentes;

præ-

præterea *Vrbem*, id est, Romam, & loca, quæ in amphitheatro tenebant. *Equites & nivei Tribuni*, si Ludi hi fuissent celebrati Alexandriæ; cùm omnia illa Romæ conveniant, & rusticus Ægyptius nullo modo ita loquens potuisset introduci, nisi omne verisimile, id quod à ratione alienum est, abjecisset planè Calpurnius. Si autem Carinus, uti opinatur Tristanus, absente fratre Numeriano hæc magnifica spectacula edidit; malè utique Eruditi scribunt, *Carinum & Numerianum Ludos Romanos magnificentissimo apparatu edidisse*; & malè Janus Vlietius, elegantis vir ingenii, per *Juvenem Deum* ỳ. 7. putat designari Numerianum:

O piger & durò jam durior osse Lycota,
Qui veteres fagos, nova quàm spectacula, mavis
Cernere, quæ patula IUVENIS DEUS *edit arena.*

Nam quàmvis optimè hæc conveniant Numeriano, & Calpurnius eundem laudet & celebret *eclogâ* IV. tamen non potuit introducere rusticum, dicentem, Principem illum sese Romæ vidisse, cùm esset in Oriente, imò Alexandriæ, si Tristanum audimus: & qui notant *Carinum & Numerianum* Ludos istos edidisse, non possunt excusari, nisi statuamus, Carinum communi nomine id fecisse. Vti enim legibus Augustorum, si plures simul erant, omnium nomina præscribebantur, quomodo Impp. Carinus & Numerianus in Oriente & Occidente positi, & multis terris à sese invicem remoti, junguntur in titulis variarum legum, ita etiam Ludi edebantur communi nomine & titulo. Notat præterea Vlietius, Numeriano soli Poëtam attribuere munus, quod Carus & Carinus simul ediderant, eadem de causa, ob quam Nemesianus eidem, patris gesta in Persas adscripsit; nimirum, quia Caro jam mortuo, hunc unum Imperatorem Romani exspectabant, Carino fortè jam oppresso, vel saltem confligente cum Diocletiano. Nollem certè ultimum hoc excidisset viro polito: notissimum enim est primò Carum fulmine absumtum esse; inde Numerianum in Thracia ab Apro interfectum; & tandem Carinum pòst varia prælia à Diocletiano, qui occiso Numeriano Augustus factus erat, victum & neci datum fuisse ad Murgum urbem in Mœsia; non autem Romæ, uti nobis tradere videtur Georgius Syncellus in *Chronographia*: *Ea tempestate Carinus Cari filius, à patre in Persas bellum moturo Romæ relictus, gravis Romanis fuit: Diocletianus autem imperium adeptus Aprum Numeriani interfectorem occidit*; τὸν δὲ Καρῖνον ἀδίκως τῇ ἀρχῇ χρώμενον ἀναζεύξας εἰς Ῥώμην ἀναιρεῖ, *Romamque regressus, Carinum nequissimis moribus imperio abutentem tollit è medio*: & quanquam, cùm antè dixerit Romæ Carinum relictum esse, videri possit hoc scripsisse; tamen Græca commodè ita possunt exponi; ut nempe narret, Diocletianum Romam cum exercitu petentem, vicisse & interfecisse Carinum, in itinere scilicet & prælio ad Murgum.

Sed notandum inprimis, Vlietium existimare non modò dicto loco, verùm etiam *ad v. 65. Cynegetici Nemesiani*, hos Ludos à *Caro*, *Carino & Numeriano* simul editos Romæ fuisse. Et certè Salmasius apud Vopiscum *cap.* 19. ex Palatino codice scribit: *Memorabile maximè Cari, & Carini, & Numeriani hoc habuit imperium, quòd Ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt*; cùm in editionibus, & in ultima etiam amplissimi Obrechti, *Cari* nomen omittatur; unde etiam Tristanus mox binis locis pro *Cari* scribit *Carini*; id quod tamen necesse non est, si sequimur lectionem cum Salmasio Palatinam; qui vir summus addit, memorabiles hos Ludos edidisse Ca-

A rum Augustum, priusquam in Orientem ad bellum Persicum proficisceretur, cum Carino & Numeriano filiis, qui Cæsareanum Imperium tenebant; Calpurnium ultimâ eclogâ hos Ludos describere & canere ab *uno tantùm Principe* editos fuisse, hoc est, ad *Augusto Caro*, cùm filii Cæsares essent, eumque his versibus designari:

—— *utcunque tamen conspeximus ipsum*
Longius; ac, nisi me decepit visus; in uno
Et Martis vultus & Apollinis esse putavi.

Et filios Carinum & Numerianum designari per
B *Principes* à Vopisco: *Diocletiani denique dictum fertur, quum ei quidam Largitionalis suus* EDITIONEM CARI *laudaret, dicens multam placuisse* PRINCIPES ILLOS *causâ Ludorum theatralium, Ludorumque Circensium: Ergo, inquit, benè risus est in imperio suo Carus.* Atque ita ex iis, quæ disserui, patet, Tristanum, id quod & ante eum fecit Scaliger *ad Eusebium*, statuere Ludos illos magnificentissimos Romæ editos fuisse à Carino solo; alios Ludos, memoratos Nemesiano, Alexandriæ à Numeriano eodem tempore; esse Eruditos, qui eos Romæ exhibitos tribuunt Cari-
C no & Numeriano; Salmasium verò & alios Caro, Carino, & Numeriano, illi Augusto, his Cæsaribus. Et quidem Ludos eos distingui nequaquam posse, & Romæ editos esse ex iis, quæ annotavi, patet satis superque; & ex aliis tribus opinionibus, prior propterea nequaquam admitti potest, secundæ repugnat ratio temporum, & ultima maximè est verisimilis; quia postquam in Persas profecti sunt Carus & Numerianus, Romam nunquam redierunt; & tamen à pluribus hosce Ludos editos fuisse, non autem, ut Tristanus putabat, à Carino solo post patris mortem, patet ex Vopisco, qui nobis PRINCIPES memorat, & ex variis
D locis Calpurnii, de quibus mox agendi dabitur locus. Sed jam & meam opinionem, quæ mihi commodum in mentem venit, in medium proferam, non quòd eam credam veriorem Salmasianâ; sed quia mihi videor animadvertisse, eam multum verisimilitudinis habere, & optimè convenire cum historia temporum illorum, nec non cum Calpurnio, qui Romæ fuit, cùm hæc spectacula Populo fuerunt exhibita.

Puto igitur non tres, sed duos Principes, nempe Carum & Numerianum, hos Ludos Romæ edidisse; antequam ad bellum Persicum profici-
E scerentur. Nam ut Probus victis Germanis, triumpho acto, exhibitisque amplissimis Ludis expeditionem Persicam suscepit, teste Vopisco *cap.* 19. ita idem illius, & fortè aliorum exemplo Augustorum, fecit Carus. Atque hæc fieri solita Romæ, antequam ad bellum Imperatores proficiscerentur, docet insignis locus apud Capitolinum in *Vita Maximi & Balbini*, cap. 8. ubi postquam narrasset illum, celebratis sacris, datis Ludis Scenicis, Ludisque Circensibus, gladiatorio etiam munere, & votis susceptis in Capitolio, ad bellum contra Maximinum profectum esse, addit: „Vnde au-
„tem mos tractus sit, ut proficiscentes ad bellum
F „Impp. munus gladiatorium & venatus darent,
„breviter dicendum est. Multi dicunt, apud Ve-
„teres hanc devotionem contra hostes factam, ut
„civium sanguine litato, specie pugnarum se Ne-
„mesis, id est, vis quædam fortunæ, satiaret. Alii
„hoc litteris tradunt, (quod verisimilius credo)
„ituros ad bellum Romanos, debuisse pugnas vi-
„dere, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se
„cohortes, ne dimicantes in bello armatos hostes
„timerent, aut vulnera & sanguinem perhorresce-
„rent. Carus autem mense Septembri Augustus factus, paucissimis diebus Sarmatas debellavit,

pro-

prout memorat idem *cap.* 9. & majorem filium Carinum ad defendendam Galliam miſit, ſimul ac imperium adeptus eſt: Aur. Victor: *Et quoniam cognita Probi morte Barbarorum quique opportunè invaſerant, miſſo ad munimentum Galliæ majore filio, Numeriani comitatu in Meſopotamiam pergit protinus:* non ſtatim, ut puto, ac Imperator factus fuit, ex Illyrico, ſed poſtquam Romæ fuiſſet cum Numeriano, Ludoſque illos edidiſſet: neque enim veriſimile Carum non adiiſſe caput rerum, Romam; præcipuè hyemali tempore, cùm difficilia per Illyricum & in Orientem & Perſiam erant itinera. Fateor ex Salmaſii emendatione hæc ſpectacula data fuiſſe à *Caro*, *Carino*, *&* *Numeriano*; ſed *Carini* nomen apud Vopiſcum fortè delendum eſt, vel additur, quia illius etiam nomine, licèt abſens foret, Ludi Romani celebrati ſunt; vel denique Vopiſcus, poſtquam Cari, Carini & Numeriani vitam deſcripſit, loquens de re, quæ ſub illorum imperio maximè memorabilis fuerat, patris & filiorum facit mentionem; licèt Carinus relictus fuerit ad defendendas Gallias, nec Romam venerit, niſi illis pacatis & patre abſente, vel fortè mortuo: nam Paulus Diaconus *lib.* 10. ſcribit, Carinum Cæſarem à patre in Illyrico relictum fuiſſe; & antea Carum ad Parthos proficiſcentem, eum in Italia, Illyrico & Gallia reliquiſſe; quæ ultima ita ſunt interpretanda, ut eas regiones regeret, quemadmodum patet ex Vopiſco: *Hic quum Cæſar decretis ſibi Galliis atque Italia, Illyrico, Hiſpaniis, ac Britanniis & Africa, relictus à patre Cæſarianum teneret Imperium, ſed ea lege ut omnia faceret, quæ Auguſti faciunt, enormibus ſe vitiis & ingenti fœditate maculavit.* Plures autem, non unum Auguſtum & Cæſarem, Ludos edidiſſe tam celebres, patet quàm clariſſimè ex eadem *ecloga* VII. cùm Nemeſianus canit,

> *Dic, age, dic, Corydon, quæ ſit modò forma* DEORVM.

Nam primò nemini dubium fore puto, quin per DEOS, plures quàm una perſona deſignentur; quamvis non ignorem ſæpe Poëtas poëticè magis quàm humanè loqui. Quin & ipſo ſpectaculorum tempore duos tantùm, Carum, ut puto, & Numerianum, Romæ fuiſſe patebit quàm clariſſimè, ex ipſa *ecloga* VII. ſi modò verſus ille rectè emendatur à Jano Vlietio; vulgò, uti ex præcedentibus patet, legitur,

> ——— *Utcumque tamen conſpeximus ipſum*
> *Longiùs.*

Sed vir doctrinæ & elegantiæ non vulgaris ſcribendum judicat,

> *Utrumque tamen conſpeximus ipſum.*

Quæ emendatio ſi vera eſt, nullo modo de explicatione mea dubitandum videtur, quia *utrumque* non poteſt de pluribus quàm *duobus* exponi; & quia hiſtoria illius temporis haud obſcurè docet, Carum & Numerianum Romæ ſolos fuiſſe, Carino in Galliis relicto ad avertendos Barbaros, qui eas infeſtas habebant. Inde cùm Corydon reſponderet, unum tantùm laudat:

> —— *Utrumque tamen conſpeximus ipſum*
> *Longiùs, ac, niſi me decepit viſus, in uno*
> *Et Martis vultum & Apollinis eſſe putavi.*

Id eſt, è longinquo in Carum & Numerianum oculos defixos habui, & eorum unum putavi referre Martem & Apollinem. Salmaſius quidem

A censet hîc deſcribi nobis *Carum*; nec repugno, quia magna mihi tam magni viri auctoritas; ſed tamen aliis examinandum relinquo, an non potiùs Calpurnius, ut Poëta, Poëtam vel Numerianum laudaverit, *qui verſu talis prædicatur fuiſſe, ut omnes Poëtas ſui temporis vicerit*, quique contendit cum Olympio Nemeſiano, cui Calpurnius inſcripſit ſuum *Bucolicon*. Quin & animadverto à Calpurnio præcipuè laudari Numerianum, nec puto eundem ullam Carini facere mentionem in omnibus ſuis *Eclogis*; atque ita cum Eruditis credo pertinere ad eum hunc locum *ecl.* IV.

B
> *Dii, precor, hunc* IVVENEM, *quem vos, niſi fallor, ab ipſo*
> *Æthere miſiſtis, poſt longa reducite vitæ*
> *Tempora.*

Quomodo *ecloga* VII. non alius intelligendus eſt, etiam ex opinione Jani Vlietii:

> *O piger & duro jam durior oſſe Lycota,*
> *Qui veteres fagos, nova quàm ſpectacula, mavis*
> *Cernere, quæ patula* IVVENIS DEVS *edit arena.*

C Scilicet Calpurnius præcipuè laudat Numerianum, quia in ejus fuit comitatu, ut nonnulli Eruditi cenſent: quia etiam erat Poëta, eumque *juvenem Deum* appellat, uti equidem arbitror, quia pater *Dominus & Deus* volebat appellari, & ita quaſi *ſenior Deus* habebatur: & fallor, aut verſus *eclogæ* ſeptimæ ultimi pertinent præcipuè ad Numerianum, & quando loquitur de DIIS, & NVMINIBVS, etiam ad patrem Carum reſpicit: totum locum ſupponam, ut ita clarior nobis appareat:

D
> LYC. *O felix Corydon, quem non tremebunda ſenectus*
> *Impetit! o felix, quòd in hæc tibi ſecula primos*
> *Indulgente* DEO *dimittere contigit annos!*
> *Nunc tibi ſi propiùs venerandum cernere* NVMEN
> *Sors dedit, & præſens vultumque habitumque notaſti;*
> *Dic, age, dic, Corydon, quæ ſit modò forma* DEORVM.
> COR. *O utinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet!*
> *Vidiſſem propiùs* MEA NVMINA: *ſed mihi ſordes*
> E *Pullaque paupertas, & adunco fibula morſu*
> *Obſuerunt.* VTRVMQVE *tamen conſpeximus* IPSVM
> *Longiùs, ac, niſi me decepit viſus, in* VNO
> *Et Martis vultum & Apollinis eſſe putavi.*

Atque hinc puto conſtare plures quàm unum Cæſarem laudari à Nemeſiano; quia non video quomodo aliàs memorare potuiſſet *Deos* & *Numina*, atque adeò canere, in VNO, nempe, *eorum*, fuiſſe ſibi viſum Apollinem & Martem; & ſi Jani Vlietii emendatio vera, de duobus ne dubitandum F quidem eſt. Calpurnium autem fuiſſe unà cum Caro & Numeriano profectum in Perſas, ſtatuunt Triſtanus, Janus Vlietius, nec non Voſſius in libello, quem *de Poëtis Latinis* compoſuit; & eundem faciunt cum Junio Calphurnio, qui apud Vopiſcum *cap.* 8. dicitur *epiſtolam dediſſe ad Præfectum Vrbis ſuper morte Cari.* Triſtanus exiſtimat, Calpurnium has *Eclogas* poſt Cari mortem compoſuiſſe, maximè laudare Numerianum, & multò magis quàm Carinum, quia cum illo erat: id quod tamen mihi à ratione videtur alienum, cùm omnis gratia periiſſet, ſi Poëta magnificentiſſimos

hosce Ludos tam tardè laudasset; furor vates impellit, & statim ad arma sua prosiliunt; & rideretur aliquis, si post longum adeò tempus celebraret & caneret spectacula ab Imperatore edita.

Quin etiam mihi non est verisimile, eundem virum fuisse *Junium Calphurnium*, & Poëtam, qui appellatur *Titus Calphurnius*, vel, *Calpurnius Siculus* in omnibus MSS. in nullis autem *Junius*. Præterea nondum video, unde concludant Eruditi eum in comitatu Cari & Numeriani fuisse: certè non fuit; cùm scriberet *eclogam* primam, quia *Melibœum*, id est, *Nemesianum*, rogat, uti illam offerat Imperatori:

> *Carmina, quæ nobis obtulit ipse canenda*
> *Dicamus, teretique sonum modulemur avenâ;*
> *Forsitan Augustas feret hæc Melibœus ad aures.*

Ad Nemesianum enim *Bucolicon* suum misit Calpurnius; unde nescio, quare Janus Vlietius putet fortè scribendum esse, *Bucolicon ad Numerianum Cæs.* pro *ad Nemesianum Carth.* uti in Editionibus & MSS. legitur: atque ita iterum *ecloga* IV. eundem Nemesianum adloquitur:

> *At tu, si qua modò non adspernanda putabis*
> *Fer, Melibœe, mea carmina: nam tibi fas est*
> *Sacro Palatini penetralia visere Phœbi;*

& quæ alia ibi sequuntur; quæ certè quàm clarissimè docent, Nemesianum, non autem Calphurnium, in comitatu Cari & Numeriani fuisse.

Quidquid autem de personis sit hisce, mihi nullum dubium, quin Numerianus Romæ, non autem Alexandriæ, Ludos illos dederit; cúmque post profectionem in Persas Romam non redierit, grave inde argumentum peti potest, id factum esse cùm pater simul in Urbe esset.

Scio Salmasium existimare, Romæ tunc temporis fuisse Carum, Carinum & Numerianum, Carum solum tunc Augustum, cùm filii Cæsares tantùm forent; atque inde per hæc verba, *utcumque tamen conspeximus ipsum Longiùs*, Carum designari; & per *Deos*, *atque Numina*, Carinum & Numerianum. Sed ego existimo, hos Ludos datos esse, antequam Carus, Romam post victos Sarmatas redux, expeditionem comite Numeriano in Persas susciperet; qui ambo nunquam in Urbem Dominam redierunt; quod de Numeriano adeò verum esse notat Salmasius, ut post patris obitum haud diu imperaverit, & post ejus mortem in Europa pedem non posuerit. Sed non tam breve Numeriani imperium mortuo patre fuisse, imò forsitan unius anni, qui fratres Augustos Consules habuit, non absque ratione judicat Vlietius *ad Nemes.* v. 81. Id quod eò faciliùs amplector, quia etiam Chronologus eruditissimus Antonius Pagius *ad Baronium* illi ad minimum XI. menses tribuendos esse variis argumentis, iisque haud tralatitiis, contendit; deinde si Numerianus Europam, uti existimat vir summus, ingressus non est, & pedem ex Oriente non extulit, quid fiet Auctori *Chronici Alexandrini*, qui tradit eum occisum esse *Perinthi*, quæ urbs Thraciæ est, uti antea memini me monuisse, ab Apro Præfecto Prætorii, qui mox à Diocletiano occisus fuit. Neque enim, ut hoc obiter etiam moneam, rectè puto notare eruditissimum virum ad Annum Christi 285. illud primò factum esse post victum Carinum ad Mœsiæ oppidum Murgum; nam cùm de prælio illo esset loquutus, addit, *Diocletianum victoriâ modestè usum, neminem fama, dignitate ac bonis spoliasse, solumque Aprum, cujus dolo Numerianus perierat, proximè adstantem ictu transegisse*, uti loquitur Victor *de Cæsaribus*, & reportatam hanc histo-

A riam* esse post initium Augusti Anno 285. Carino tertium imperii annum circa mensis illius initium ingresso. Et certè Auctor ille prima fronte id narrare videtur: nam cùm dixisset, *Is finis Caro, liberisque; Narbone patria, imperium biennii fuere*, adjicit: *Igitur Valerius prima adlocutione, cùm educto gladio Solem intuens, obtestaretur, ignarum cladis Numeriani, neque imperii cupientem se fuisse, Aprum proximè adstantem interfecit: cujus dolo, ut suprà docuimus, adolescens bonus facundusque & gener occiderat*; & mox ita pergit: *Cæteris venia data, retentique hostium ferè omnes; ac maximè vir insignis Aristobulus Præfectus Prætorio,*
B *per officia sua.* Atque hanc mentem Victoris esse putat etiam doctissima Daceria; cujus in *Notis* errore typothetæ malè scribitur à *Valeriano* Aprum necatum esse, cùm debeat esse *Valerio*, nempe Diocletiano; sed ego puto Victorem errare largiter, vel conjungere ea, quæ post finem Numeriani & Carini acciderunt; & ita necem Apri referri debere ad tempus, quo Numerianus occisus; veniam aliis datam & Aristobulum servatum; ad illud, quo victus Carinus; cúmque hoc acciderit circa Septembrem Anni Christi 284. alterum verò circa mensem Augustum Anni 285. uti docet Pa-
C gius, non utique est verisimile, Diocletianum sollertem & providum Principem, cujusque imperii initium incipit ab Anno 284. passum esse vivere Aprum, interfectorem Numeriani, & adfectantem Imperium; maximè cùm id factum narret Vopiscus, antequam ipse Augustus fieret, & inde arripuerit omen imperii, cùm ipsi fuisset prædictum, *eum futurum Imperatorem, cùm aprum occidisset*: & quidem, uti fine Numeriani commemorat, initio imperii: *Ipsum Diocletianum idem avus meus dixisse dicebat, nullam aliam fuisse sibi causam occidendi manu sua Aprum, nisi ut impleret Druidis dictum & suum firmaret imperium: non enim tam*
D *crudelem se innotescere cuperet*, PRIMIS MAXIME DIEBVS IMPERII, *nisi illum necessitas ad hanc atrocitatem occisionis attraheret*: & si hoc primis imperii sui diebus, ut omnia etiam suadent, factum est, utique fieri nullo modo potuit Anno 285. post victum & occisum Carinum; quem, ut hoc obiter addam, ingenti errore Jacob. de Strada scribit apud Mursium in Galliis victum & occisum esse; cùm id factum sit prope *Margum* (alii *Murtium* malè scribunt) oppidum Mœsiæ, testibus Vopisco & Eutropio.

Sed & hoc examinandum est, an Numerianus ex Oriente redierit Romam. Putat id illustris Sca-
E liger in *Animadversionibus Eusebianis*, additque eum unà cum fratre Carino consecrationem patris defuncti celebrasse; illi assensum suum præoet, aliisque hanc notam argumentis firmat Janus Vlietius *ad Nemes. Cyneg.* v. 81. Sed primò arbitror me satis clarè docuisse Numerianum ex Perside redeuntem in Thracia, certè in itinere, fuisse occisum: nec contrarium secundò potest evinci ex certamine, quod Numerianus habuit cum Aurelio Apollinari de præstantia carminis, quâ de re ita loquitur Vopiscus: *Versu autem talis fuisse prædicatur, ut omnes Poëtas sui temporis vicerit: nam*
F *& cum Olympio Nemesiano contendit, ... &c Aurelium Apollinarem jamborum Scriptorem, qui patris ejus gesta in litteras retulit, iisdem quæ recitaverat editis, veluti radio Solis obtexit:* Vlietius *hæc gesta patris* refert ad Persicum bellum; additque: „Nulla enim relatu digna quàm in Persas „gessit Carus; nec ea nisi post mortem ejus re„ferri dignè ab Aurelio Apollinari potuere. Con„sequens itaque est, ut si ea ipsa ab Apollinari „recitata Numerianum edidisse intelligit Vopiscus „(nam

* Restit. *victoriam*.

„(nam & de Apollinari accipi possunt verba illa) „haud ita multò post mortem Cari & ab illo re„citata, & ab hoc edita fuerint: & inde conclu„dit Numerianum Romam rediisse; ut tum scili„cet, non alibi, aut antea (quî enim poterat, si„ve in expeditione adhuc, sive in itinere occupa„tus?) res gestas patris sui ab Aur. Apollinari in „litteras redactas & recitatas ediderit, eumque vel„ut Solis obtexuerit: quantò certiùs eas edere & „corrigere poterat, quibus ipse interfuisset, & „quarum pars magna eundem auctorem & acto„rem haberet. Quod sanè alibi, quàm Romæ ab „eo factum fuisse, credi non potest.

Sed reditum hunc Numeriani Romam omnis historia rejicit planè, & cùm verba Vopisci obscuriora sint, eorumque sensum non videatur cepisse vir doctus, primò in eundem est inquirendum. Si quid igitur video, narrat Vopiscus Numerianum de palma contendisse cum Aurelio Apollinari; hunc Cari res gestas memoriæ mandasse, sed Numerianum eum, uti Sol reliquas stellas, obtexuisse editis carminibus, quæ ipse Numerianus de eadem re, vel de patris sui gestis, de victoria cum Apollinari contendens, composuerat. Neque enim video, quî aliàs Numerianus possit dici *obtexuisse Aurelium Apollinarem*; sive per sua fecisse carmina, ut illa Apollinaris rejicerentur & judicarentur non tam esse polita & elegantia; sive illa heroïca fuerint, sive jambica. Deinde non est necesse, hanc contentionem accidisse post mortem Cari; nam Numerianus adolescens & juvenis bonus facundusque cum Nemesiano & Apollinari contendere potuit antequam pater Augustum accepisset imperium; ante quod & Carus, Dux & exercitus regens, res multas præclaras gessit, uti patet ex epistola Probi, & victis Sarmatis; quod si tamen, ut videtur, res Cari adversùs Parthos fuerint litteris ab Apollinari mandatæ & à Numeriano, crediderim id factum esse vivo Caro, & cùm Mesopotamiam redegisset, quiescentibus Persis, in potestatem; Numeriano adhuc Cæsare; quem nequaquam verisimile est; Augustum factum cum Poëta, qui proculdubio in ejus fuit comitatu, contendisse; idque eò magis; quia mortuo patre videtur adversam valetudinem expertus esse, certè nimio fletu vel aliunde ex oculis laborasse; quando & versibus componendis non satis idoneus fuit.

Et certè quò magis conjecturam de Ludis à Caro & Numeriano Romæ, antequam in Persas proficiscerentur, editis, perpendo, eò verior mihi videtur esse; & examinandum do Eruditis, an non ad Carum pertineant varia *eclogæ* I. & IV. loca, quæ respicere Numerianum solum putabat Tristanus. Sic cùm *ecloga* I. de Numeriano cecinisset,

Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito, IVVENEMQVE *beata sequuntur*
Secula, maternis CAVSSAM QVI LVSIT *in ulnis*;

addit & subjungit;

Dum populos DEVS *ipse reget*; *dabit impia victas*
Post tergum Bellona manus.

Nam per IVVENEM designari Numerianum vel inde patet, quia canit Calpurnius eum jam incepisse quasi causas agere in tenera ætate; cùm adhuc matris curæ erat commissus, eumque Oratorem temporibus suis potentissimum fuisse patet ex Vopisco: per DEVM autem Carum puto de-

A bere intelligi, qui ita appellari volebat; uti mox pluribus docebitur; nisi tamen velit significare, tàm diu quàm ipse Numerianus, *Deus* vel Augustus factus, reget populos; unde sequeretur patrem Carum adhuc in vivis fuisse. Putat præterea Tristanus Calpurnium alludere ad Numeriani nomen, cùm canit *altera regna Numæ*, & eundem nobis describere miserabile Cari, utpote fulmine consumti, fatum; cùm *de cometa* loquitur; sed allusio illa mihi nihil equidem ad rem facere videtur; deinde canit tantùm stellam cometen tunc fulgentem non fuisse cruentam, uti fuerat post

B mortem C. Julii Cæsaris, cùm in bella civilia itum est, quemque per *raptum Cæsarem*, non autem *Carum*, intelligit:

Cernitis ut puro nox jam vicesima cælo
Fulgeat; *ut placida radiantem luce cometen*
Proferat; *ut liquidum mittit sine vulnere sidus*;
Non per utrumque polum, *sicut solet*, *igne cruento*
Spargit, *& ardenti scintillat sanguine lampas*.
At quondam non talis erat, *cùm Cæsare rapto*
Indixit miseris fatalia civibus arma.

Nam cometam fulsisse post occisum C. Julium

C Cæsarem patet ex Suetonio, Plutarcho, Dione; & gravissima bella excepisse mortem illius constat utique satis superque; inde ad Carum, ut videtur, redit, rationemque reddit, quare cometa nihil infelix portendat:

Scilicet ipse DEVS *Romanæ pondera molis*
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,
Vt neque tralati sonitu fragor intonet orbis;
Nec priùs ex meritis defunctos Roma Penates
Censeat, *occasus nisi cùm respexerit ortus.*

D Si enim per *Penates* designantur Carinus & Numerianus, uti existimat Tristanus, utique ab iis DEVS sive Carus distinguitur; quia jam non potuit fuisse mortuus, quemadmodum idem vir doctus statuit, cùm Poëta canat, eum imperii pondus excepturum fortibus lacertis; & quanquam per *Penates* possint intelligi *Carinus* & *Numerianus*, tamen puto respicere Calpurnium ad *Deos Penates* ipsos, quos Populus Romanus non existimabit defunctos esse dignè munere suo, nisi eorum ope Carus junxerit Ortum & Occidentem, id est, Germanos & Persas vicerit; qui tunc temporis, vel cùm Carus Augustus factus est, infe-

E stum habebant Romanum Imperium. Tandem autem ita concludit *eclogam*,

Carmina, *quæ nobis Deus obtulit ipse canenda*;
Dicamus, *teretique sonum modulemus avena*;
Forsitan AVGVSTAS *feret hæc Melibœus ad aures.*

Quod Numeriano non videtur posse convenire; quippe qui Augustus nondum esset, cùm Romæ cum patre foret: nisi hoc Poëticè quis dictum esse velit; & roget quasi Nemesianum, quem appellat Melibœum, ut *eclogam* hanc offerre & da-

F re velit Cæsari Numeriano; cum quo contenderat, & cujus in comitatu erat Romæ, antequam ad bellum Persicum proficiscerentur Carus & Numerianus: ad quod illos eum sequutum non esse haud obscurè patet ex *Cynegetici* v. 77. quo testatur se Divi *pignora*, vel filios *Cari*, Carinum & Numerianum, tunc temporis non adspicere, vel prope eos esse:

Hæc vobis nostræ libabunt carmina Musæ,
Cùm primùm vultus sacros, *bona numina terræ*
Contigerit vidisse mihi. Jam gaudia nota

Temporis impatiens sensus; spretorque morarum
Præsumit: videorque mihi jam cernere fratrum
Augustos habitus; Romam; clarumque Senatum.

Adeò ut malè illustris Scaliger putet, Nemesianum ita loqui de Carino & Numeriano, tanquam in eodem loco positi essent; cùm contrà optet ille, ut Augustos à se invicem magnis locorum intervallis sejunctos simul Romæ videre possit. Præterea putat doctissimus Vlietius, eum videri scripsisse *Cynegetica* Carthagine in patria sua, vel ruri alicubi; Româ tamen remotum valde: quod ut incertum, cùm & Romæ potuerit fuisse; ita tamen clarè patet; Nemesianum non fuisse comitatum, Carum & Numerianum in Orientem proficiscentes. Inde Tristanus procedit ad *eclogam* IV. censetque Carinum & Numerianum designari v. 10.

—— —— *sed magnæ* NVMINA *Romæ*
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.

Verùm ego crediderim potiùs Carinum tunc temporis fuisse in Galliis, & proinde respici ad Carum & Numerianum, quos conatus fui docere Romæ Ludos edidisse ante expeditionem Persicam; atque ad *Carum*, non autem ad *Numerianum*, arbitror fortè pertinere versus, qui illos eâdem *eclogâ* præcedunt:

Carmina jam dudum, non quæ nemorale resultent
Volvimus, o Melibœe; sed hæc quibus aurea possint
Secula cantari, quibus & DEVS ipse canatur,
Qui populos urbesque regit, pacemque togatam.

Nam *Carus* cognominari *Deum* voluit, id quod Carinum vel Numerianum fecisse, lectum mihi non est; unde etiam puto, mox Poëtam non canere Numeriani imperium felicius fore paterno, sed respicere ad Carum:

Hæc ego, confiteor, dixi, Melibœe, sed olim
Non eadem nobis sunt tempora, non DEVS *idem.*
Spes magis arridet.

Id est, olim vel ante hæc tempora talis Augustus non erat, ac Carus, vel tale imperium ac sub Caro, Carino & Numeriano, ut ita securè in umbra recubare, & cantando me oblectare potuerim. Et certè Janus Vlietius judicat, Calpurnium *ecl.* I. vers. 47. & 74. nec non aliquoties *ecl.* 4. per *Deum* designare nobis *Carum*, non autem filios ejus, ut Barthius, vel alterutrum, ut Casaubonus putabat: & *Deos* insuper vocare *ecl.* 7. Carum & filios ejus, atque adeò Nemesianum canere v. 72. *Cynegetici*, *pænè prior genitore Deo*, id est, Caro, qui hanc appellationem ambisse, vel saltem amasse videtur; idque patere ex Nummis, inscriptis ΘΕΩ ΚΑΡΩ, DEO ET DOMINO CARO AVG. &, citante Casaubono, DIVO CARO PARTHICO: qui tamen ultimus nummus ad consecrationem, non autem ad appellationem *Dei* pertinet; & Casaubonus illius tantùm facit mentionem, ut probet Carum fuisse dictum *Parthicum*: similiterque à Scaligero, illustri inprimis & erudito viro, *ad Eusebium* nummus, cui inscribitur DEO ET DOMINO CARO AVG. allegatur, ad probandum, Carum fuisse consecratum, cùm signatus sit vivo eodem: id quod postea animadverti, etiam observasse splendidum dignitate & doctrina virum Ezech. Spanhemium *Dissertat.* V. Atque ita versibus mox sequentibus *Cari* videtur facere mentionem, quibus ipsum *Deum*, & Augustum appellat.

A —— *non ipse daret mihi forsitan aurem*
Ipse DEVS *vacuam.*

Et mox,

At mihi, qui nostras præsenti numine terras
Perpetuamque regit juvenili robore pacem,
Lætus & AVGVSTO felix arrideat ore.

Nam quamvis *juvenile robur* optimè conveniat Numeriano, tamen ille, Romæ cùm esset unà cum patre, *Augustus* non fuit, & Carus erat in B florentissima ætate; uti ex Nummis constat, quales Romani *juvenes* appellare solebant: & Romæ fuisse Augustum & Cæsarem ex versibus mox patet sequentibus:

Me quoque facundo comitatus Apolline Cæsar
Respiciat, montes neu dedignetur adire,
Quos & Phœbus amat, quos Jupiter ipse tuetur,
In quibus Augustos visuraque sæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos.

Describitur enim palatium, vel sedes Imperato- C rum, & fortè *Cæsar* est Numerianus; quòd si tamen alius *Carum* præferat, crediderim *facundum Apollinem* esse Numerianum; atque inde constaret Carum & Numerianum fuisse tunc temporis simul Romæ. Inde v. 93. sequitur alius locus, dignus utique examine:

Ipse polos etiam qui temperat igne geluque
Jupiter ipse parens, quo tu jam proximus ipse
Cæsar, abes, posito paulisper fulmine sæpe
Cressia rura petit.

Neque enim ille de alio quàm Augusto, & proin- D de Caro, videtur rectè posse exponi, quia à Jove secundus in terris habebatur Imperator vel Augustus, non autem is qui Cæsaream tantùm habebat dignitatem, uti, Romæ cùm esset, Numerianus; & inde mox v. 97. *audito Cæsare*, v. 132. *Numine Cæsareo securior ipse Licæus*, non incommodè etiam Carus potest intelligi; quamquam nec eos rejiciam, qui de Numeriano putant loqui Poëtam; quò pertinere Eruditi etiam censent v. 137.

Dii, precor, hunc juvenem, quem vos (nisi fallor) ab ipso
E *Æthere misistis, post longa reducite vitæ*
Tempora, vel potiùs mortale resolvite pensum,
Et date perpetuo cælestia fila metallo:
Sit Deus, & nolit pensare palatia cælo;

me haud invito; quanquam illud DEVS soli Caro videatur convenire, quem etiam *juvenem* propter rationes modò dictas appellat. Quin imò Janus Vlietius & Tristanus existimant Calpurnium mox Numerianum adpellare *patrem*:

Tu quoque mutata seu Jupiter ipse figura
F *Cæsar, ades, seu quis Superûm sub imagine falsa*
Mortalique lates: vivas, atque hunc, precor, orbem,
Hos, precor, æternus populos rege; sit tibi cæli
Vilis amor, cœptamque PATER *ne desere terram.*

Quod quanquam verum esse possit, quia præcipuè hac *ecloga* laudatur Numerianus, & Imperatores *Patres* vocabantur *patriæ*, licèt juvenes admodum forent; tamen magis placet mihi *Carus*, quia non *pater patriæ*, sed *pater* respectu Carini & Nume-

riani vocari videtur, & quia Jovi comparatur, atque adeò quia *adesse* dicitur, id est, præsens esse Romæ; ubi scilicet tunc temporis erant Carus & Numerianus, ille Augustus, Deus, Jupiter; hic verò Cæsar & Apollo. Et tandem petit Calpurnius, ut Melibœus ferat sua carmina *Deo*; id est, si quid video, *Caro*; quanquam nec præfracta fronte Numerianum ablegare velim, quem adulatoriè & poëticè *Deum* appellare potuit, licèt tantùm foret Cæsar, & nondum Augustus; nisi scripta sit hæc *ecloga* mortuo Caro, & ita rogetur Nemesianus, uti ad Numerianum carmina illa mittere velit absentem, & in Perside bellantem:

Fer, Melibœe, Deo mea carmina; nam tibi fas est
Sacra Palatini penetralia visere Phœbi.
Tu mihi talis eris, qualis qui dulcè sonantem
Tityron è sylvis dominam deduxit ad Urbem,
Ostenditque Deos.

Sed, ut verum fatear, videtur mihi Nemesianus vel Melibœus Romæ fuisse, cùm hanc *eclogam* scriberet Calpurnius, quia canit eum in palatium esse admissum; & inde sequi omnino Carum & Numerianum etiam fuisse in Vrbe, quò nunquam à bello Persico regressi sunt.

Neque omittendum mihi videtur, Romanos Impp. elephantos aluisse in agro Laurentino, qui sylvis, pascuis, & paludibus dives erat. Huic opinioni mihi ansam dedit Inscriptio vetus apud Gruterum num. 2. pag. CCCXCI.

D. M
TI. CLAVDIO. SPECLATORI
AVG. LIB
PROCVRATOR. FORMIS. FVNDIS
CAIETAE. PROCVRATOR
LAVRENTO. AD. HELEPHANTOS
CORNELIA. BELLICA. CONIVGI
B. M.

Scio videri posse potiùs locum designari, cui nomen in agro Laurentino *Ad elephantos*, uti complura alia sunt in Italia, *Ad laminas*, *Ad juglandem*, *Ad gallinas*, *Ad enses*, *Ad duas columnas*, & reliqua, quæ diligentissimo Cluverio recensentur. Sed quia etiam *Procuratores* obvii sunt in Lapidibus vetustis, *Ad alimenta*, *Ad bona damnatorum*, *Ad prædia Gallicana*, putabam in Lapide, quem in medium adduxi, posse designari virum qui curam habebat elephantorum, qui ibi alebantur; id quod certè firmatur per vocem *Laurento*, quæ me docet eos in ipsa urbe stabula sua habuisse, & inde fortè pastum in agros & sylvas missos esse; neque enim per *Laurentum* aliud, quàm *urbs* designari potest; non ager, qui *Laurens* vel *Laurentinus* appellatur: & nequaquam est verisimile locum aliquem, vel domum in urbe Laurento peculiariter designari; quæ quamvis mihi videantur verisimilia planè; tamen hoc quicquid est, aliorum judiciis relinquo. Adde Augustos Romanos potuisse Laurenti, vel etiam in sylva Laurentina alere elephantos, non secus ac in Rutulis, qui Latio vicini erant; quod ultimum factum esse ex Juvenale patet, cujus verba postea à me examinabuntur.

Quin & videri possit in Etruria etiam hæc vasta animalia pasta fuisse; & inde Augustum in epistola ad Mæcenatem jocosa apud Macrobium lib. 2. *Sat.* cap. 4. eum appellare *ebur ex Etruria*: Pontanus quidem notat, ridiculè Augustum vocare Mæcenatem adamantem Supernatem, quia nullus ibi reperiatur adamas; ut neque ebur in Etruria, aut margaritum in Tiberi: & quanquam hoc nequaquam rejiciam, tamen conjecturam meam publicare volui, si fortè quid veri illi insit; quin & dicere possemus *ebur ex Etruria* memorari, quia Etrusci artifices, quos valde laudari à Veteribus constat, opera ex ebore faciebant exquisita, vel illud exemplo Lydorum, unde oriundi erant, rubro colore tingebant, quod Mæonum vel Lydorum & Carum fœminas fecisse cecinit jam olim Homerus.

CAP. IX.

De Elephantis, qui in Nummis singulares occurrunt: in Catilinæ nummo elephas alatus plumbeo, si modo genuinus: Augusti Nummi, & ab eo dedicati Elephanti ex lapide Obsidiano. Lipsii & Salmasii de Africæ ursis opiniones. Nummi alii Tiberii & L. Apronii, de quo ultimo ex Goltzio petito disputatur: Vespasiani tempore Romæ mulier enixa est Elephantum, vel monstrum: Chronici Alexandrini Auctor illustratus: eruditus Plinii Commentator notatus: Indorum fabula de Adamo: Titi Imp. Nummi: in uno Æquitas *Elephanto designatur, si modo genuinus: fictus videtur ob Historiam Elephanti, quæ illo tempore evenit: longe aliter* Virtus *illa repræsentatur in Nummis, licet & Pierio* Elephas *sit ejus hieroglyphicum. Elephas sub Vespasiano edoctus scribere: sub Hadriano saltare, & cymbalum pulsare: unde non secus ac ex aliis locis patet tunc belluas tales Romæ fuisse, atque itidem ex sequentium Impp. Nummis; Elephantes loricati in iisdem: eorundem cancellata cutis, quam tamen non repræsentari in Nummis verisimile: præfertur explicatio ill. Spanhemii: Harduini nota examinata: Elephanti etiam obvii in Græcarum urbium Nummis Augustorum & Augustarum: cujus rei in rationem inquiritur: & exhibitos Ludis ostenditur: inde illis adscribitur* MUNIFICENTIA AUG. *vel* MAGNIFICENTIA *in Nummis Commodi, Antonini Pii, aliorumque: vox ultima variis exemplis illustratur; Vell. Paterculus tentatus; nec non nummo Commodi inedito; ejus furor in spectaculis edendis: Lampridius expositus: quid sibi velit corona, in cujus medio legitur* MAGNIFICENTIA. *Coronæ aureæ ob varias causas ad Imperatores missæ, quod etiam obtinuit libera Republica. Cardinalis Norisii laus: inde videntur explicandæ coronæ, obviæ in plurimis Coloniarum Nummis: in aliis Gordiani & Philippi Elephas, symbolum Æternitatis: Tranquillinæ nummus ineditus è Gaza Gallorum Regia: Oudineti & Frid. Spanhemii laus: Philippi nummus explicatus: Harduinus laudatur & arguitur. Descriptiones variorum Nummorum Elephantis insignium ex Gazophylacio Gothano.*

no. De duobus Nummis Bacchi disceptatur.

ATque ita quidem absolvi *elephantos* in Ludis vel spectaculis Romæ exhibitos; & nunc transgrediendum est ad singulares, qui in Nummis antiquis depicti sunt. Quod quamvis sæpe factum sit, quia ejusmodi muneribus Populo cum aliis animalibus fuerunt dati, & inde ad proximam disputationem videantur pertinere, tamen malui hæc distinguere; quia hîc unà se offerunt aliæ causæ, propter quas hoc factum sit.

Et elephantos quidem singulares sculptos esse in Nummis Antiochorum, Neapolitanorum, Metelli, C. Julii Cæsaris, aliorumque, patet ex iis, quæ disputavi, & conatus fui expiscari, quare id factum sit. Et nunc initio hujus capitis inprimis notandum, missum ad me esse à Jacobo de Bary, Consule Hispalensi; qui non modò pulcherrimum & ditissimum Cimelium possidet, verùm etiam peritus admodum Interpres est explicandarum hujus generis veteris ævi reliquiarum, nummum plumbeum, in quo hinc cernitur, si quid video, *caput Martis*; inde *elephas alatus* cum inscriptione, L. CATILINA, uti ex ectypo patet, quanquam non satis benè cognoscere possim, quid sibi velint illa, quæ sequuntur illam inscriptionem, & infra elephantem picta sunt:

Genuinum profectò diceres, & illo loco eundem nummum habet Barius; & arbitror, licèt dubitabundus, significare ejus architectos, Catilinæ consilium de patria occupanda æquè successurum, ac volaturum per aëra elephantum.

Comes Mediobarbus ex Thesauro Theupolitano pag. 49. recenset nummum, in quo hinc caput Augusti sine epigraphe, inde *elephas*, cum inscriptione, LIVINEI. CAL. PRO. PR. S. C. putatque eum in aliqua Coloniarum signatum esse. Sed nescio, an illud patiatur τὸ S. C. deinde obscurum valde, quid sibi CAL. velit, dubiumque an sit Livinei cognomen, *Caldus* puta, vel simile, cùm ceteroquin Livenei dicerentur *Reguli*; & tandem nescio, quare hæc bellua nummo insculpta sit; nisi *Livineus* Africam rexerit, vel elephas Ludis sit exhibitus, quos ipse vel Augustus, cujus vultus in altera area cernitur, edidit.

Notandum autem, quia ad tempora Augusti pertinet, Principem eum in templo Concordiæ dedicasse *elephantos quatuor ex lapide Obsidiano*, atque hac de re ita loqui Plinium *lib.* 36. *cap.* 26. „In genere vitri & Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, quem in Æthiopia invenit „Obsidius, nigerrimi coloris, aliquando & translucidi, crassiore visu atque in speculis parietum „pro imagine umbras reddente: vidimusque & „solidas imagines D. Augusti, capti materiæ hujus crassitudine, dicavitque pro miraculo in tem„plo Concordiæ Obsidianos quatuor elephantos. Atque *habitantium sub ipso Sole Indorum Legatos elephantes inter munera*, Augusto destinata, *traxisse*, uti loquitur Florus *lib.* 4. *cap.* 12. quanquam Dion *lib.* 53. *tigres* memoret, eosque tunc primùm addens Romanis ac Græcis visos; id quod tradit etiam Plinius *lib.* 8. *cap.* 17.

Alium nummum vidi olim in Cimelio Johannis Smetii, nunc Serenissimi Electoris Palatini, quem etiam referebam ad Augustum: in unâ area caput laureatum absque epigraphe; in altera pictus est

A *elephas*, scribiturque S. C. uti patet ex ectypo, quem vir, harum relliquiarum studiosissimus & nunc ἐν ἁγίοις, mecum communicavit:

Nescio tamen, an ad probandum, Augustum elephantos Populo exhibuisse, adferre debeam verba
B Dionis *lib.* 53. ubi ita loquitur de Ludis Augusti tempore exhibitis, in quibus P. Servilius Prætor dicitur *occidisse trecentos ursos*, καὶ Λιβυκὰ ἕτερα θηρία ἴσα, *& totidem alias Libycas feras*: nam commodè pantheræ vel Africanæ, & struthiones possunt intelligi, quanquam nec sic *elephantos* excludere velim. Et cùm ἕτερα, ut hoc adjiciam, dicit Dion, videtur haud obscurè innuere ἄρκτους illos etiam ex Africa fuisse: nam quamvis Lipsius lib. 2. *Elect.* cap. 4. multis contendat, Africam *ursos* non gignere, licèt Romanis memorentur, *Numidæ, Libyci ursi* & *Libystides ursæ*; tamen ὁ πάνυ Salmasius *ad Solin.* contrariæ est opinionis, docetque
C nullo modo per *ursos Libycos* debere vel posse intelligi *leones*. Dubitare de hac ipsa re videtur Servius, cùm ad hæc verba Virgilii, *pelle Libystidis ursæ*, notat, *aut revera ursæ, aut feræ Africanæ*; Harduinus *ad Plinium lib.* 8. *cap.* 36. sequitur Lipsium, Vossiumque, id quod ego facilè patior; sed tamen ultimum egregiæ doctrinæ virum illi aufero, cùm absque ambagibus 3. *Instit. Orat.* & in *Etymologico* scribat, se quidem antea sequutum esse opinionem Lipsii, sed eam postea ipsi exemisse Salmasium.

Tiberii recenset nummum Mediobarbus pag.
D 62. in quo hinc caput illius Imperatoris imberbe, inde TIBERIVS CAESAR, & *elephas*; & Goltzius ad annum 760. & 761. pictum exhibet, cujus in una area caput Herculis cum leonis exuviis & clava; in altera elephas; & supra eum L. APRONIVS IMP. & infra aliud nomen, uti ex ectypo patet:

E Hic Tiberii tempore Proconsul Africæ fuit, teste Tacito lib. 3. *Ann.* cap. 21. & antea ob res benè cum Germanico gestas triumphalia ornamenta illi decreta fuisse tradit idem lib. 1. *Annal.* cap. 72. Quòd si propter administratam sub Tiberio Africam, elephas in nummo hoc cernitur, certè malè Goltzius eum refert ad A. V. C. 760. quo adhuc in vivis erat Augustus; & Africam hîc designari tamen, videtur patere ex Hercule; qui propterea fortè etiam obvius nobis est in Gentis Cæciliæ
F nummo apud Vrsinum; & in Africa valde cultum Herculem fuisse ex variis Auctoribus patet; quorum loca in medium adferre supersedeo, quia ita viderer extra oleam versari, & rei protritæ probandæ incumbere.

Principatu Vespasiani elephantos fuisse Romæ, res ipsa docet; & hac occasione examinabo locum Auctoris *Chronici Alexandrini*, qui scribit pag. 586. Olympiade 211. *Coss. Vespasiano Augusto* VII. *Tito* V. *Alcippen feminam Romæ enixam esse elephantum.* Junius in Catalogo Architectorum & Mechanicorum Plinium loqui putat de eadem femina *lib.*

lib. 7. *cap.* 3. nec non Tatianum *Orat. contra Gentes*; & facere id potuit Plinius, quia post sextum Consulatum Titi, gestum anno sequente, *Historia Naturalis* vulgata est: potuit & eódem respicere Tatianus; qui tamen non *Alcippen*, sed *Glaucippen* memorat; additque Niceratum Atheniensem Euctæmonis filium statuam mulieris istius & monstri ex ære fecisse: omnis difficultas sublata foret, si constaret, quo tempore floruerit Niceratus; Plinius *lib.* 34. *cap.* 4. tradit, *omnia quæ ceteri* (statuarii) *aggressum, repræsentasse Alcibiadem, lampadeque incensa matrem ejus Demaraten sacrificantem*; quæ quamvis videantur aliquo modo suadere, eum florentibus Græciæ rebus vixisse, tamen non liquere pronuntio. Joh. Harduinus putat à Plinio & Tatiano eandem historiam memorari, & in alterutro nomen mulieris in mendo cubare, & illud esse arbitratur, quod Livius *lib.* 27. *cap.* 11. & Valerius Max. *lib.* 1. *cap.* 6. §. 5. inter ostenta referunt, *puerum cum elephantino capite natum:* monstrum hoc certè tale fuit procul dubio; sed partus Alcippes sub Vespasiano Imperatore, nec Livius nec Val. Maximus meminisse potuerunt, quod quanquam nec eum tradere persuasum habeam, credamque eundem similitudinem potiùs ante oculos habere, tamen monendum fuit, quia verba illius sunt obscuriora.

Atque non ingratum Lecturo me facturum arbitror, si hac occasione adjiciam, Missionarios, ut vocant, narrare in secunda parte *Imaginum* Vinc. Cartari, non modò Goæ se vidisse statuam hominis cum tribus capitibus elephantinis, verùm etiam idolum cum uno capite; Indosque narrasse Adamum & Evam, matrimonio junctos, initio nullam prolem habuisse; cùm ille foras exivisset, Evam nescio quod opus fecisse, sudasse, & ex sudore hominem natum perfectæ staturæ; Adamum redeuntem vidisse eum cum conjuge colloquentem, & occidisse; sed pœnitentiâ ductum elephanti caput amputasse, & occisi hominis trunco imposuisse, hunc revixisse, & Diis fuisse adscriptum; quæ certè germanæ fabulæ licèt sint, tamen hîc commodè inseruntur, & videre ibi licet portentosas hasce statuas.

In nummo Titi apud Tristanum tom. 1. p. 302. & Mediobarbum p. 125. *elephas* nobis etiam depingitur; estque argenteus integer planè apud me, in quo hinc IMP. TITVS. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. P. M. laureatus; inde elephas & TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. qualem aureum ex Gaza serenissimi Borussiæ Regis exhibet Spanhemius *Dissert.* 3. extr. quem signatum illustris Legatus putat *dedicatione amphitheatri*, de qua loquitur Suetonius *cap.* 8. & legere licet apud Ælianum lib. 11. cap. 15. *de Animal.* elegantem historiam, quæ Principe illo evenit; elephantem nempe adulterum & adulteram (quos belluam hanc magno odio prosequi dixerat) occidisse, cadavera texisse veste stragula, & rectori vel nutritori, marito mulieris, advenienti ostendisse κειμένους πλησίον ἀλλήλοις. Et hinc putat Joh. Baptista Menestrier nummum Titi signatum fuisse elephanto, addita epigraphe, AEQVITAS. S. C.

Sed fortè vir ille ab aliis fuit deceptus, vel more suo nobis imponit; quia à Mediobarbo plures Nummi recensentur, quibus inscripta AEQVITAS, & in eorum nullo elephas pictus est, sed figura *Æquitatis*, stans dextrâ bilancem tenens, & sinistrâ cornucopiæ. Quanquam diffiteri nolim typum hunc non malè elephanto convenire, quippe cui Plinius etiam *lib.* 8. *cap.* 1. eam virtutem tribuat: *imò verò* (*quæ etiam in homine rara*) *probitas, prudentia, æquitas*, nempe est illi animali, vel elephanto. Atque ita Pierius *elephantem* facit symbolum & hieroglyphicum AEQVITATIS; sed nullis Nummis id probat; verùm narrat historiam, ex qua patet, animal hoc par pari referre, & ita *æquitatis* diligentem custodem esse: elephantem nempe vidisse quendam mensuræ lapillos & pulverem immiscere, ut ita de pondere aliquid fraudaret; eum animadvertentem apud ipsum carnes elixari, cinerem è foco in ollam injecisse, & ita paria fecisse: quæ petita sunt ex Æliano lib. 6. cap. 52. *de Animal.* Mucianus præterea, qui sub Vespasiano Consul fuit, *auctor est*, apud Plinium *lib.* 8. *cap.* 3. „aliquem ex his (*ele*„*phantis*) & litterarum ductus Græcarum didicis„se, solitumque præscribere ejus Linguæ verbis, „IPSE EGO HAEC SCRIPSI ET SPOLIA „CELTICA DICAVI; itemque se vidente Pu„teolis, cùm advecti è nave egredi cogerentur terri„tos spatio pontis procul à continente porrecti, ut „sese longinquitatis æstimatione fallerent, aversos „retrorsus esse. Unde discimus, elephantos Romæ sub Vespasiano etiam fuisse, & quidem advectos ex Africa; & arbitror plerósque tunc temporis Romæ conspectos ea ex regione, non autem ex India fuisse arcessitos. Et Arrianus Hadriani Imperatoris tempore vidit elephantum pulsantem cymbalum, & alios saltantes; clarum utique signum eos illo tempore Romæ & in Imperio Romano fuisse. Quin & Spartianus narrat *cap.* 7. eundem Imperatorem *dedisse dono Hiberorum Regi elephantum & quingenariam cohortem:* & *cap.* 19. belluarum illarum operâ usum esse ad Colossi erectionem: *Colossum stantem atque suspensum per Detrianum* (alii legunt *Dextrianum*, alii *Demetrianum*) *architectum, & de eo loco, in quo nunc templum Vrbis est ingenti molimine*, (transtulit) *ita ut & operi elephantes* XXIIII. *exhiberet.*

Elephanti præterea singulares obvii nobis sunt in Nummis Latinis Antonini Pii, Commodi, L. Septimii Severi, Caracallæ, Macrini, Philippi, aliorumque Augustorum, apud Erizzum p. 138. 288. 376. Ducem Arschotanum Tab. 29. 42. 51. 53. 58. Patinum p. 103. *Thes. Mauroc.* Vaillantium & alios. Notandumque inprimis plerósque horum elephantorum contectos esse loricis, & ad pugnam instructos, uti unius in honorem Commodi signati, cui similis est planè alter aureus Anton. Pii apud Hemelarium, ectypus docet:



Atque uti hac de re videri potest illustris dignitate atque eruditione vir Ezech. Spanhemius, *Dissertat.* 3. ita facere non possum, quin examinem Cassiodori & Plinii, quæ commodum mihi in mentem veniunt, verba, quia loricæ illæ *cancellos*

re-

referunt; & *cancellata cutis* elephanto tribuitur; A Plinius *lib.* 8. *cap.* 10. „Durissimum dorso tergus, „ventri molle, setarum nullum tegumentum, ne „in cauda quidem præsidium abigendo tædio musca„rum, (namque id & tanta vastitas capit) sed CAN„CELLATA CUTIS, & invitans id genus ani„malium odore. Ergo cùm extenti recepere exa„mina, arctatis in rugas repente CANCELLIS „comprehensas enecant; hoc illis pro cauda, ju„ba, villo est. Et notat Joh. Harduinus, Cassiodorum *lib.* x. *ep.* 30. expressisse illud, per *cutem ulcerosis vallibus exaratam*; cujus ecce tibi verba prout leguntur in Editione Genevensi, An. 1663. B *Cutis hujus ulcerosis vallibus exaratur, (à qua transportaneorum nefanda passio nomen accepit) quæ in tantam duritiem solidatur, ut putes esse osseam cutem.* Et quidem primò *transportaneorum passio* est lepra, elephas, elephantia, ἐλεφαντίασις, uti veteribus Medicis vocatur, quia hic morbus generatur corruptione quadam vel laxatione extremæ cutis in corporibus; humor ab interioribus ad superficiem transmittitur & transportatur partibus, & ita cutis fit similis corio elephanti, uti ex Cælio Aureliano notat Du-Cangius; quanquam Vossius, vir certè magni nominis, existimet, eum morbum non tàm esse *lepram*, quàm *vitiliginem* Latinorum, C & Græcorum ἀλφὸν, quem morbum soli Ægypto peculiarem facit Plinius, & ante Cn. Pompeji tempora non fuisse in Italia scribit alicubi; ignotum in Italia penè, frequentissimum in quibusdam regionibus, Celsus *lib.* 3. *cap.* 25. & denique Judæis in Ægypto degentibus tribuit Justinus *lib.* 36. *cap.* 2. *Cancellatam* hanc elephantorum *cutem* ita explicat Cælius Rhodiginus lib. 5. cap. 14. *Lection. Antiq.* ut optimè cum Nummis conveniat; putatque cancellorum rationem optimè depinxisse Varronem lib. 3. *de Re Rustica: Præterea è perticis inclinatis ex humo ad parietem, &* D *in eis transversis gradatim modicis intervallis perticis adnexis ad speciem cancellorum scenicorum & theatri*; additque hinc *cancellatam elephantorum cutem dici* Plinio. Rhodiginus utique ita hac de re agit, ac si describeret elephantem in Nummis obvium; & cùm ad bellum instructus in editione Ludorum non videatur fuisse, censeret fortè alius, cum ita depingi nonnunquam propter cutem cancellatam; sed tamen, ut verum fatear, malo credere cum illustri Spanhemio, elephantos loricatos in spectaculis fuisse; neque tamen adhuc videre possum, eandem rem describi Plinio & Cassiodoro, uti putabat Harduinus; quia hic loquitur E de cute elephantorum ordinaria, alter verò narrat elephantos cancellatam cutem fecisse, vel rugas contraxisse, cùm à muscis infestarentur.

Præterea in Græcarum urbium Nummis sæpe elephanti nobis repræsentantur: atque ita in præclaro Tarsensium Caracallæ occurrit elephas, supra eum bovis caput, ex adverso corona; in alio Getæ Nicæensium elephas cum sessore; in Macrini ab eodem populo signato, rector elephantem ducens, & gerens virgam; & tandem in Mitylenensium Saloninæ eadem bestia cum sessore, apud insignem Antiquarium Joh. Vaillantium in libro, quem ultimum edidit *de Numismatibus Imperato-* F *rum, Augustarum & Cæsarum à Populis Romanæ ditionis Græcè loquentibus percussis*; qualem Tarsensium nummum jam olim edidit Sebastianus Erizzus p. 415. cujus ectypum supponendum curavi; & de quo memini me antea etiam egisse:

Sed tamen non omnia respondent nummo, quem describit Vaillantius, & proculdubio litteræ nonnullæ malè exscriptæ & pictæ sunt; cùm in aliis & in hoc ipso etiam, atque in altero apud Norisium Dissert. IV. *De Epochis Syro-Macedonum* pag. 309. legatur, Α. Μ. Κ. Γ. Β. quæ siglæ mirum quantum exercuerunt Eruditos; uti ex iis patebit, quæ in altera *Historiæ trium Gordianorum* editione monebo.

Et ego quidem existimo, elephantos solos, tam in Latinis quàm Græcis Augustorum Nummis cerni præcipuè, quia illi Ludis, Romæ vel in Provinciis, fuerunt exhibiti. Atque ita Erizzus existimat belluam hanc in Tarsensium nummo, in quo ab altera parte cernitur Caracalla, pictam esse, quia Ludis Secularibus Romæ eam Populo exhibuerat Severus Imperator; quanquam verisimilius sit eandem Tarsenses exhibuisse Ludis celebratis in honorem & pro salute Imperatoris. Certè in Nummis Antonini Pii, Commodi, S. Severi, & Elagabali, circum elephantem scribitur MUNIFICENTIA AUG. & in uno Caracallæ eadem bellua exhibetur absque illa inscriptione; & in Commodi quidem nummo legitur, MUNIFICENTIA AUG. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. in Caracallæ, P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. S. C. & in Elagabali, MUNIFICENTIA. AUG. S. C. quorum trium Nummorum ectypos, licèt editi sint, exhibeo, quia illos nitidè admodum depictos mecum communicavit illustris dignitatis & excellentis doctrinæ Legatus, Ezechiel Spanhemius, ex Gaza Gallorum Regia, beneficio politi & eruditi Oudineti:

Commodi. Caracallæ.





Elagabali

Et Commodum elephantos exhibuisse, docet nos Dio *lib.* 72. *His igitur rebus primo die confectis, reliquis diebus descendit de superiore loco in solum vel aream theatri, altilesque bestias. . . . . occidit, tigrim, equum fluviatilem & elephantum*; id quod & antea memini me monuisse.

Est

Est autem inprimis notandus Antonini Pii nummus apud Angelonum, cujus altera in area pictus est elephas, legiturque MAGNIFICENTIA. AVG. COS. III. uti patet ex ectypo:

qua admirabili inscriptione significatur Ludos sumptuosissimos editos, varia animalia, & inter ea elephantos exhibitos: eumque in muneribus dandis *magnanimum* fuisse, uti de M. Antonino loquitur Capitolinus *cap.* 17. Neque aliter de Spectaculis, vel Ludis, in quos immensi sumtus fiebant, loquebantur optimi quique Auctores: Cicero lib. 3. *de Q. fratrem* ep. 8. memorat *Ludos* MAGNIFICENTISSIMOS, *& munus sumtuosum atque* MAGNIFICVM: Aurel. Victor cap. 66. *de Viris illustr.* non aliter loquitur: *M. Livius Drusus genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus & superbus, Ædilis munus* MAGNIFICENTISSIMVM *edidit*: Vellejus quoque Paterculus *lib.* 2. *cap.* 100. ne alios Auctores, & quidem Tacit. lib. 12. *Ann.* cap. 56. ad partes vocem, eadem utitur dicendi ratione: *At in Urbe eo ipso anno, quo* MAGNIFICENTISSIMI *gladiatorii muneris, naumachiæque spectaculis D. Augustus. . . . animos oculosque Populi Romani repleverat*: ubi fortè meliori jure scriberetur *magnificentissimis*, nempe *spectaculis*, ut eo epitheto etiam comprehendat naumachiam, quæ certè absque maximis sumtibus fieri non poterat: & ita planè loquitur cap. 56. *libri* ejusdem, qui locus à me jam antea in medium adductus fuit. Et cùm, teste Cicerone libro II. *de Inventione*, *Magnificentia sit rerum magnarum & excelsarum, cum animi ampla quadam & splendida propositione, agitatio & administratio*: facili opera constare potest Spectacula Antonini Pii fuisse splendidissima & sumtuosissima, dignaque, quæ MAGNIFICENTIAE nomine veniant. Neque tantùm in illius Augusti, verùm etiam in Commodi nummo æreo, in medio coronæ laureæ apud Vaillantium, insignem Antiquarium, scribitur MAGNIFICENTIAE. AVG. COS. III. P. P. Quin etiam communicavit mecum Hieron. Guielmus Snabelius, antè per aliquot annos mysteriorum sacrorum Daventriæ Interpres, nunc Bremæ S. S. Theologiæ Doctor & Professor, nec non Ecclesiastes in æde Ancharii doctissimus & facundissimus, & singularis veterum Numismatum, omnisque prisci ævi cultor; communicavit, inquam, vir reverendus mecum ectypum nummi argentei:



A in quo hinc est caput Commodi laureatum, AVR. COMM. AVG. P. FEL. inde verò in corona, MAGNIFICENTI. : AVG. COS. VII. P. P. & putat *magnificentiam* hanc, quam nummus insolita inscriptione præ se fert, vel affectasse Commodum, vel ab adulatoribus ipsi esse assignatam; Morellumque addit, pag. 178. *Speciminis*, eam referre ad ingentem apparatum Ludorum, quos Imperator ille sæpissime exhibuit. Certè cùm nummus apud Vaillantium signetur Consulatu III. alius apud Morellum tab. 17. Consulatu VI. & hic, quem vulgamus, Consulatu VII. haud absque ratione statuo iis
B Consulatibus Ludos Populo datos fuisse. Atque ex Lampridio patet, *cap.* 12. & 13. Commodum sub patre sexagies quinquies; postea, mortuo scilicet Marco, tantum palmarum gladiatoriarum fecisse, vel victis retiariis vel occisis, ut mille contingeret; ferarum diversarum manu sua occidisse multa millia, *ita ut elephantos occideret*; *id fecisse sæpius spectante Populo Romano*; *& virium in conficiendis feris tantarum fuisse, ut elephantum conto transfigeret*; *& singulis ictibus multa millia ferarum ingentium conficeret*; quod ultimum non puto ita capiendum esse, ac si Commodus uno
C ictu tot feras occiderit; sed significare Lampridium, eum non vel rarò aberrasse, & singulis ictibus, si omnes in unum colligerentur, eum occidisse multa ferarum millia; adeò ut nemo necesse habeat hæc legens explere suam cum τῷ πάνυ mirandi libidinem. Præterea *cap.* 11. narrat idem Commodum etiam gladiatorium certamen subiisse, & nomina gladiatorum recepisse eo gaudio, quasi acciperet triumphalia, Ludum semper ingressum esse, & quoties id fieret, in publicis monumentis scribi jussisse; & pugnasse septingenties tricies quinquies. Atque hinc non secus ac ex VOTIS XX. VOTIS SOLV-
D TIS. PRO. S. P. Q. R. MVNIFICENTIA. AVG. quæ apud Mediobarbum in variis Nummis Commodi leguntur, & alio, in quo idem equo insidens leonem oppugnat, addita epigraphe, VIRTVTI. AVGVSTI. P. M. TR. P. X. IMP. VII. nec non ex multis gestis Consulatibus, in quibus Consules varios Ludos exhibebant, patet satis superque frequentia Commodum spectacula eaque splendida dedisse; & propterea mirandum nequaquam esse MAGNIFICENTIAM in variis ejusdem Nummis legi.

E Sed observatione inprimis dignum est, MAGNIFICENTIAM Commodi scribi in medio coronæ laureæ, & in tribus Nummis, in quibus legitur MVNIFICENTIA, pingi *elephantum*, non secus ac in aliis Antonini Pii, Veri, Elagabali, & Gordiani. Nescio profectò, an hîc celebretur Commodi Liberalitas & MAGNIFICENTIA, & significetur eum victoribus coronas laureas ex auro vel argento dedisse; quales etiam liberâ Republicâ, ne de Cæsaribus aliquid dicam, datas fuisse Scenicis docet Lipsius Cent. 2. ep. 100. *ad Belgas*; an verò Senatus Populusque Romanus eidem propter
F editos Ludos magnificentissimos ejusmodi coronam auream dono dederit. In nummo Antonini Pii circum elephantem scribitur MAGNIFICENTIA AVG. & nullum dubium, quin designentur magnifica illa spectacula; in aliis verò in medio coronæ, MAGNIFICENTIAE, ad indicandum, si quid video, aliquid à Senatu & Populo decretum esse in honorem Imperatoris, propter illius magnificos Ludos. Et si nummus ideo signatus est, haud video quid commodius huc spectare pos-

 sit,

sit, quàm datam esse coronam auream; ita in alio ejusdem Commodi nummo apud Mediobarbum in medio coronæ itidem legitur, S. P. Q. R. LAETITIAE C. V. vel *Consulis quintum*, uti explicant has siglas Eruditi; videturque tunc Senatus ejusmodi coronam Imperatori læto dedisse, quia victor Romam rediit, qua re & auctor erat LAETITIAE Urbis. Et ejusmodi coronas aureas datas fuisse tàm liberâ Republicâ quàm sub Augustis à Provinciis & Italiæ oppidis docet multis doctissimus Lipsius lib. 2. c. 9. *de Magnit. Rom.* quibus adde A. Gellium *lib.* 5. *cap.* 6. Polyb. *Exc. Leg.* 28. 30. 32. 35. 46. 83. 93. 119. 120. 121. & 126. Corn. Nep. *Annib.* cap. 7. Joan. Antioch. p. 817. Exc. Dionis apud Vales. p. 745. Zosim. *lib.* 3. *cap.* 13. Diodorum Sic. *lib.* 16. p. 479. & Polyb. in *Exc. de Virt. & Vitiis* p. 1409. nec non Flav. Vopiscum in *Vita Probi* cap. 15. ex quibus ultimis duobus patet etiam Regibus honorem eum habitum fuisse. Huc pertinet *aurum coronarium*, de quo *loco laudato* Lipsius, & Casaubonus *ad Mon. Ancyranum*; hincque puto, Augusto Antiochenses coronam misisse, cùm mortuo Lepido Pontificatum Maximum susciperet; idque docere nummum, cui inscriptum ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ, nempe στέφανον, *miserunt Augusto*; qualem ipse possideo elegantissimum cum nota numerali Α. qualemque exstare apud Apollonium Bassettum, Serenissimo Magni Etruriæ Duci à Secretis, testatur Eminentissimus Norisius Dissertat. III. *de Epochis Syro-Macedonum*, ubi hunc nummum optimè explicat, & Harduinum paradoxa nobis propinantem eruditè refellit.

Sic puto in nummo Lucillæ argenteo apud Vaillantium, cui inscribuntur VOTA PVBLICA, depingi nobis coronam, quam auream votis illis obtulerunt Romani Augustæ. Quin & videant Eruditi, an non ejusmodi coronæ aureæ pictæ sint in Nummis, apud Vaillantium, Patinum p. 71. & 93. aliosque, variarum Coloniarum; ut in Augusti, signatis à Corinthiis, Bilbilitanis, à Libertate Julia vel Ebora, à Colonia Patricia vel Corduba, à Julia Traducta, à municipio Turiasone; in Agrippæ Cæsaris, à Corintho; in Tiberii, percussis à Col. Julia Gemina Accitana, Augusta Bilbili, Corintho, Ergavica, Segobriga, Tarracone, Turiasone; in Germanici, signatis à Corintho, Col. Romulea; in Caligulæ, à Bilbili, Segobriga; in Claudii, à Julia Babba; in Neronis, Domitiani, M. Aurelii, L. Veri, à Corintho; in Sept. Severi, à Col. Heliopolitana; in Juliæ Domnæ à Beryto, Col. Heliopolitana; in Caracallæ, à Beryto; in Getæ, à Col. Heliopol. Laodicea; in Macrini & Diadumeniani, ab Antiochia; in Elagabali, à Laodicea, uti putat vir doctissimus; in Anniæ Faustinæ Heliogabali conjugis, à Sidone; in Philippi, Otaciliæ Severæ, Treb. Galli, Volusiani & Gallieni, à Damasco; in Philippi Junioris, à Colon. Heliopoli; in Trajani Decii, ab Ælia Capitolina.

Atque ita mihi videtur Alexandria galeâ elephantinâ caput tecta, apud Vaillantium in *Ægypto Numismatica*, coronam manu dextra tenere, uti ex ectypo antea edito patet, ad indicandum, ab illa urbe coronam auream Othoni ob acceptum imperium missam esse. Et eandem ob causam in nummo Mylassensium apud Morellum *Tab.* XV. puto coronam cerni, & in illius medio legi, Γραμματεύοντος Ὑβρέω, quia Hybrea Scriba talis corona aurea missa est ad Augustum, cujus caput in altera area cernitur.

Neque tamen omnes Nummos, in quibus *coronæ* sunt pictæ, ita explicari debere crediderim; cùm & præmia in nonnullis possint designari, quæ Ludorum victoribus dabantur; uti maximè illi, in quibus legitur, ΣΕΒΑΣΜΙΑ, ISTHMIA, CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA, & ΑΚΤΙΑ, ΠΥΘΙΑ, aliaque.

Sed uti è diverticulo in viam redeam, Heliogabalus, cùm daret Romæ Ludos gladiatorios, multæ in iis feræ cæsæ sunt, atque inter eas *elephas* & tigres quinquaginta & una, teste Dione vel Xiphilino *lib.* 79. unde proculdubio sequitur non multos elephantos tunc in Vrbe vel Italia fuisse. Præterea Gordianus tertius elephantos etiam in amphitheatro exhibuit, qua de re memini me egisse: nam quamvis Capitolinus enumeret feras, & inter eas *elephantos triginta duo*, illasque omnes, tàm mansuetas quàm efferas, Gordianum parasse ad triumphum Persicum, & Philippum postea Ludis Secularibus vel dedisse vel occidisse narret *cap.* 33. tamen ex nummo rarissimo, quem primus è Gaza Medicea publicavit illustris Spanhemius, videor optimo jure posse affirmare, illum ipsum Imperatorem, antequam ad bellum Persicum proficisceretur, Ludos dedisse, & in iis elephantos: nam in una area cernitur caput ejus laureatum, IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. in altera amphitheatrum, & in eo elephas cum sessore pugnans contra taurum, addita inscriptione, MVNIFICENTIA. GORDIANI. AVG.

In Philippi apud Vaillantium & alios nummo bellua hæc etiam repræsentatur, addita epigraphe, AETERNITAS AVG. Et quanquam non dubitem, quin referenda sit ad Ludos Seculares, quos Augustus ille celeberrimos exhibuit teste Capitolino cap. 33. *Gordian.* tamen videntur simul ad æternitatem imperii Philippi & posterorum allusisse Romani, quia vivax admodum hoc animal, adeò ut ex Aristotele narret Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. *elephantos ducentis & quosdam trecentis annis vivere*; Arrianus in *Indicis*, *eos utplurimum vivere annos ducentos*, *plerosque autem ante hoc tempus morbo interire*; imò historiæ, quas ex Juba & Philostrato inserui *Exercitationi* primæ, illud tempus valde augeant, & Cassiodorus illis tribuat *supra millenos annos*, uti ex ejus verbis mox patebit. Et lætor profectò idem in mentem venisse Eruditis Trivultiensibus *Artic.* 31. Anni 1708. Sed tamen, quod inprimis notandum est, in nummo Tranquillinæ Augustæ, conjugis Gordiani Pii,

Tranquillina



& ita ante Philippum signati idem planè ectypus occurrit, nullam aliam, uti arbitror, equidem ob causam, quàm quia Romani & illi liberisque, si qui nascerentur, optabant imperii æternitatem. Rarissimum illum nummum delineatum,

tum, ex Gaza Gallorum Regia, mecum communicavit illustris Spanhemius, cui plurimum eo me nomine, uti & Cimelii illius Custodi, doctissimo Oudineto, multum me debere confiteor. Quin & Car. Patinus, in *Indice Numismatum Antiquorum*, unum Maximiani Herculii recenset, in quo scribitur AETERNIT. AVGG. & cernitur elephas, cui puer (sessor proculdubio vel Indus) insidet.

Nec hic silentio prætereundum est, Frider. Spanhemium, Professorem & Theologum apud Batavos primarium, Antiquitatis Ecclesiasticæ nec non profanæ peritissimum virum, existimare in nova eaque luculentissima *Historiæ Christianæ* Editione, quam mihi in amicitiæ tesseram, paulò antè acerbam omnibus πεπαιδευμένοις mortem, dono misit; Philippi Augusti nummum, de quo egi, pertinere ad apotheosim illius Imperatoris; quem cum filio consecratum fuisse unus Eutropius memoriæ mandavit. Et certè hæc opinio veneres suas habet, atque à ratione non videtur esse aliena; idque vel ideo, quia in Faustinæ Nummis scribitur etiam AETERNITAS circum thensam, ad quam elephanti juncti sunt; & ita proculdubio indicatur eam consecratam esse, & honoratam ejuscemodi curru in Ludis Circensibus; unde etiam in altera area legitur DIVA FAVSTINA. Sed in Philippi Nummis inde scribitur, IMP. PHIL. AVG. vel IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. COS. III. & inde est, quòd suspicabar eos signatos esse vivo Philippo, cujus in aliis Nummis, non secus ac filii, obvia est AETERNITAS IMPP. vel IMPERII, additis aliis figuris: quæ utique nihil ad consecrationem faciunt, quò referri *elephas* posse videbatur.

Sed & observatione inprimis dignum, in Philippi quodam nummo cerni elephantem cum rectore cum inscriptione, LIBERALITAS AVG. uti video scribi in *Catalogo Numismatum Græcorum & Latinorum* Joannis Brill, typis descripto Amstelædami 1679. pag. 65. Et cùm nunquam *liberalitas* Imperatorum ita nobis repræsentetur, ego nummum illum rarissimum existimo, quia proculdubio denotantur Ludi Seculares, quibus Philippus elephantos exhibuit; cùm ceteroquin munera designari in Nummis soleant vocibus MVNIFICENTIA & MAGNIFICENTIA; at contrà congiaria & donativa LIBERALITATE.

Nec profectò omittendum, Harduinum, multæ sed novæ eruditionis virum, *elephantem* in nummo Metellorum, de quo antea egi, rectè referre ad L. Metelli memoriam, qui primus elephantos ex primo Punico bello duxit in triumpho; eandem belluam obviam in Nummis Titi, Antonini Pii, Commodi, Septimii Severi, & Caracallæ ad Ludos ab Augustis illis exhibitos, & in Philippi ad *æternitatem*, quia vox illa ibi legitur. Id quod ultimum quare idem vir præstans non sequatur in explicandis binis Nummis Diocletiani & Maximiani, in quibus itidem elephanti occurrunt cum inscriptione, AETERNITAS AVGG. malitque commentari in *Addendis & Corrigendis*, argumentum hoc esse perstitisse sobolem Augustorum jam annis trecentis ab Augusto Cæsare, quoniam elephantos vivere ducenis annis & quosdam tricenis Aristoteles apud Plinium prodit. Sed credit omnes Imperatores ab Augusto Cæsare originem ducere, & insertos esse Cæsareæ Domui, & inde est, quòd nobis exhibeat tam egregia stemmata, vel genealogias, quæ profectò nemo alius comminisci posset, & à ratione non modò alienæ sunt planè, & contrariæ omnibus Auctoribus veteribus, quos ejuscemodi ratiocinatione de statu dejicere, & fictos esse posterioribus seculis, quæ opinio arx est eruditionis istius, ostendere per curiculos testatur. Ast quis tam sanæ mentis inops, ut talia figmenta credat? & ego non dubito, quin AETERNITAS elephanto juncta respiciat tempora futura, quibus posteros Augustorum regnaturos indicabant Romani.

Est & alia explicatio Harduini, quam, licèt propriè ad argumentum hujus capitis non pertineat, tamen supponendam & refellendam necessarium fore existimavi. Exponit igitur in iisdem *Addendis* quatuor currui, quo statua illius vehitur, junctos elephantos in nummo consecrati Pertinacis, de perpetuitate æternitateve nobilissimarum quatuor familiarum, Juliæ sive Cæsareæ, Antoniæ, Pompejæ & Æliæ per Helvios Pertinaces, qua ex Domo Pertinax Aug. & filius sororis ejus Severus Pertinax forent. Quæ certè, ut & alia sequentia, mihi sunt meræ & germanæ hallucinationes, quarum nec vola nec vestigium in veteri Historia invenitur; quin certum est, elephantos sive quatuor sive duo esse notam sæpe consecrationis, & omnino id significare in Pertinacis nummo, uti postea probabitur, statuasque Imperatorum & Augustarum in signum apotheoseos ita per Circum Ludis solemnibus vectas esse.

Cùm autem mecum communicaverit vir eximius Ernestus Salomon Cyprianus descriptiones variorum Nummorum, qui vel uno, vel pluribus elephantis insignes servantur in Gazophylacio Gothano, rectè me facturum putavi, ut easdem huic capiti adjicerem; licèt similium Nummorum sparsim in hoc Opere fecerim mentionem, aut illorum ectypos exhibuerim.

Aurei.

1. NERO CLAVD. DIVI. F. CAE. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. Capita Neronis & Agrippinæ juncta. ℞. AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. Nero & Agrippina in thensa ab elephantis tracta; ad latus, EX. S. C.
2. IMP. TITVS CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. Caput Titi laureatum lævam versùs. ℞. TP. P. IX. IMP. XV. COS. VII. P. P. Elephas dextrorsum gradiens.
3. D. AVGVSTA. FAVSTINA. Caput Faustinæ matris velatum. ℞ EX SENATVS CONSVLTO. Imperatrix sub Cereris persona in thensa, dextrâ spicas tenens, tracta à biga elephantorum.
4. DIVA FAVSTINA. Caput Faustinæ matris velatum, lævam versùs. ℞. AETERNITAS. Faustina à bigis elephantorum vecta.

Argentei.

5. CAESAR. Elephas gradiens & conculcans draconem. ℞. Simpulum, adspergillum, securis & apex.
6. NERO. CLAVD. DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. P. COS. Capita Neronis & Agrippinæ jugata. ℞. AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. Quadrigæ elephantorum, quibus Nero & Agrippina insident, supra, EX. S. C.
7. IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. Caput Titi laureatum dextrorsum. ℞. TR. P. IX. IMP. XV. COS. VIII. P. P. Elephas dextrorsum gradiens.
8. DIVA. AVGVSTA. MARCIANA. Caput Marcianæ ornatum. ℞. EX. SENATVS CONSVLTO. Marciana sedens in thensa tracta à duobus elephantis cum sessoribus suis.
9. ANTONINVS. PIVS. AVG. Caput Caracal-

callæ laureatum & barbatum. ℞. P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. Elephas sinistrorsum gradiens.

10. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput Caracallæ laureatum & barbatum. ℞. P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. Elephas sinistrorsum gradiens.

11. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi radiatum. Item, IMP. PHILIPPVS. AVG. ℞. AETERNITAS. AVGG. Elephas dextrorsum cum sessore gradiens.

Ærei majoris moduli.

12. DIVI IVLII Caput Julii Cæsaris laureatum cum lituo. ℞. S. C. Imperator in thensa tracta à quadriga elephantorum, in qua figura sinistrâ palmam tenens.

13. DIVA. AVGVSTA. FAVSTINA. Caput Faustinæ velatum. ℞. EX. S. C. Duo elephanti cum suis sessoribus trahunt currum, in quo Faustina sedens.

14. DIVVS. M. ANTONINVS. PIVS. Caput Marci Aurelii nudum. ℞. CONSECRATIO Quadriga elephantorum cum suis sessoribus thensam trahunt cum statua M. Aurelii.

15. DIVVS. VERVS. Caput Veri nudum. ℞. CONSECRATIO. Thensa cum statua Veri à quatuor elephantis trahitur.

16. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput Philippi laureatum. ℞. AETERNITAS AVGVSTI. Elephas cum sessore.

Ærei medii moduli.

17. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. Caput Antonini Pii laureatum. ℞. MVNIFICENTIA. AVG. COS. IIII. Elephas ad dextram spectans.

18. Idem. ℞. Elephas lævam versùs tendens.

19. Caput Bacchi cum corona hederacea, sed videtur caput Commodi juvenile. ℞. S. C. Elephas gradiens.

20. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput Caracallæ laureatum. ℞. P. M. TR. P. XV. COS III. P. P. Elephas gradiens.

Vir insigni pietate & eruditione, natusque ad studia promovenda, hunc Indicem mecum communicavit 20. Aprilis die Anni 1716. ipsisque Idibus Maji sequentis reposui ea, quæ supposita sunt.

Deinde mecum communicas Elenchum Actorum Elephantinorum Tonnensium, quorum pars etiam foret Elephas meus, licèt profectò nihil commune cum argumento illo habeat, nec non Indicem Nummorum, qui Elephantis insignes servantur in Bibliotheca vestra Palatina.

Singulari profectò me affecisti beneficio, & ego non desinam Indicem illum inserere *Exercitationi* meæ secundæ, licèt omnes ferè Nummos eos jam mihi notaverim. Sed id faciam, ut vel inde harum elegantiarum curiosi bona fide cognoscant, quantas opes in Thesauro suo recondat Dux serenissimus.

Adverterunt inprimis animum meum aurea Numismata, non quia belluis erant insignia, sed quia in uno scribitur, EX. S. C. & in alio integris verbis, EX. SENATVSCONSVLTO. Scis eruditos Antiquarios tradere, jus cudendæ monetæ æreæ penes solum Senatum remansisse, & inde legi in talibus S. C. auream verò atque argenteam monetam ab Augustis & Cæsaribus signatam esse: id quod planè hîc contrarium apparet, atque etiam ex aliis Nummis aureis vel editis, vel recensitis, quales prioris ordinis varios, & quidem hunc ipsum Neronis & Agrippinæ notavi mihi in Cæsaribus aureis serenissimi Parmæ Ducis, quos non secus ac argenteos commentario egregio illustravit Paulus Pedrusius S. J. S. amicus meus, qui tam valde Duci commendavit studia mea, ut ille quatuor priores Tomos Operis edolati mihi donum miserit.

Si mihi temporis abundè esset, ego hanc in rem inquirerem, & excuterem Eruditorum loculos, quorum varii proculdubio hoc argumentum illustrare sunt conati, examinaremque ea occasione, an differant S. C. & EX SENATVSCONSVLTO, vel EX S. C. Certè Gallandus, celebris ille antiquarum ejuscemodi enodator rerum, ad me olim misit Dissertationem Gallicam *Sur la différente signification de* S. C. *sur les Médailles de bronze, & d'* EX. S.C. *&* S. C. *sur les Médailles d'or & d'argent*, quam recitavit 15. Febr. An. 1707. in Academia Regia Inscriptionum & Numismatum; *j'y ai fait quelques doutes*, fluctusque in simpulo quasi movi, *mais je ne me souviens pas, si nous étions d'accord, & le temps me manque pour pouvoir consulter mes réponses*.

Magno autem me afficeres beneficio etiam, si mittere ad me velles ectypum nummi XIX. quem ita describis: *Caput Bacchi cum corona hederacea, sed videtur caput Commodi juvenile.* ℞. S.C. *Elephas gradiens.* Neque enim talem apud ullum Antiquarium inveni, & inde illustraretur mirificè Elephas meus. Hac occasione referam, mihi ingens & frequens commercium epistulare fuisse cum Principe Lignæo Marchione d'Aronches, qui Vindebona vel Vienna relicta, ibi gerebat personam Legati Regis Portugalliæ, Venetiis agebat, dives veterum, eorumque rarissimorum Nummorum; is ad me misit ectypum unius, in quo itidem caput Bacchi visebatur, addita inscriptione, CEBACTOC ΔΙΟΝ.... OC. in altera area vitis & AMACTPIANAN ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Quòd si ectypum illum impetro à tua benevolentia, non desinam eum debitis elogiis publicare, & propter similitudinem argumenti, si Bacchum spectes, adjiciam alterum Principis; examinaboque an ille pertineat ad Caracallam, qui Νέος Διόνυσος dictus fuit, an verò ad Commodum, vel Elagabalum, ut nonnulli putant; & ita mihi aperietur haud exiguus ea de re differendi campus, quem bonis avibus, uti equidem spero, mihi aperiet nummus ille serenissimi Principis tui, in quo miror Bacchum & Elephantum conspici:

Utriusque nummi ectypum vides, Lector, & absque dubio fateberis eos raritatis eximiæ valde esse. Et primum, qui servatur in florentissimo serenissimi Ducis Gothani Gazophylacio, diceres propter Senatus-Consulti notam Romæ percussum esse. Salomon Cyprianus, vir insignis, cujus fidei spectatæ thesaurus ille creditur, me certiorem fecit hunc nummum maximè esse genuinum, æreum medii moduli, ac ut ipsi videtur, olimque Morellio visum fuit, *Commodi* Augusti. Mihi hi bini vultus haud dissimiles videntur, sed utrùm hi Nummi signati sint in honorem Commodi, an Caracallæ, an verò Heliogabali, equidem affirmare non ausim, quanquam propendeat animus ad secundum, quia Νέος Διόνυσος cognominatus fuit; uti patet ex Inscriptione veteri, quam post Reinesium cl. 3. n. 36. pleniorem edidit Sponius pag. 369. *Miscellan.* & in quo L. Septimius Tryphon Alexandrinus Philosophus dicitur Ἀρχιερεὺς τοῦ

τῷ καθηγεμόνι Διονύσῳ (nescio an *antiquum Bacchum* designent) non modò, verùm etiam ΑΧΡΙΕΡΕΥΣ ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΤΟΥ ΝΕΟΥ ΔΙΟΝΥΣΟΥ. Adeò ut privati non observaverint jussa Principis, qui apud Spartianum *cap.* 5. *Deorum se nominibus appellari vetuit, quod Commodus fecerat, quum illi eum, quòd leonem, aliasque feras occidisset, Herculem dicerent*: id quod nomen publicè accepisse & usurpasse Commodum ex Lampridio & Dione docemur. Nec certè in Nummis videmus Caracallam, alicujus Dei nomine fuisse decoratum, quanquam ut Deus exceptus à Persis fuerit, narrante Herodiano, & contrà Commodum in iisdem monumentis *Herculem Commodianum*; adeò ut dubitare aliquis possit, an rectè à me Caracalla aliis præferatur, & non potiùs Elagabalus, uti putabat Princeps de Ligne, sit intelligendus, cujus vultus juvenilis non malè Baccho conveniret. Multi fuerunt certè Reges & Cæsares, qui se *Bacchos* vel Διονύσυς appellari vel voluerunt vel passi sunt, de quibus alibi dabitur agendi locus, sed tamen ego nullos tales, ac binos illos, conspexi Nummos, aliique insignibus tantùm fictitii illius Dei fuerunt contenti. Et ita putat Vaillantius Alexandri II. Syriæ Regis caput ornari corona hederacea & diademate, ad indicandum, illum Bacchum velle videri, in cujus etiam nummi alterius aversa area integer Bacchus nobis repræsentatur. In iisdem monumentis occurrit Antiochus X. insignis coronâ radiatâ & hederaceâ, & elephantem λυχνόφορον in eo cerni putat vir eruditus propter sacra Bacchi, cujus nomen idem Antiochus invaserat; uti patet ex nummo, quem edi curavi in *Exercitatione* I. Sed vultus illi nihil mutati erant, id quod secus sese in binis illis raris habet. Quin & putabam nonnunquam in unius altera area non aliam ob causam cerni *elephantum*, quàm propter Bacchum, qua de Deo illi adtributa bellua satis me puto antea egisse; & ita adulatores expeditiones & victorias Indicas augurari Imperatori, exemplo falsi istius Dei.

Quin & notandum inprimis, nobis exhiberi à Phil. Thomasio in *Antiquis Statuis Vrbis Romæ num.* 46. statuam Minervæ Ephesiæ perelegantem, quæ tamen apud Bellorium in ejus materiæ pereleganti Libello non invenitur; cujus basi insculptus est Elephas; qui tamen nescio an non postea illi sit inditus.

CAP. X.

De bigis & quadrigis Elephantorum in Nummis Augusti & aliorum obviis, inquiriturque quam ob causam id factum sit; Philippi Poetæ carmen: a Fr. Vavassore dissensum: an Augustus ita triumphaverit: primo omnium tamen Elephanti decreti: Plinius expositus: Hemelarii nota examinata, & Aldrovandi. Caligulæ insignis Nummus, & arrogantis: Domitiano decretæ Elephantorum quadrigæ: Martialis carmen explanatum: Ejusdem Imp. alii Nummi; non secus ac Trajani Elephantis insignes: Hadriani quoque: unusque illius ineditus ex illustris Foucautii thesauro: Gallandi laus: M. Aurelio quadriga elephantorum posita: Vaillantii nota examinata; Onuphrius Panvinus notatus: Balbino sociisque Augusto & Cæsari eædem erectæ. Mortuis Imperatoribus habitus honor in Circo ejusmodi A *curruum: quibus Elephanti quatuor vel bini juncti; & inde Nummis ad perpetuam honoris memoriam insculpti; illi decreti Augustis inter Divos relatis: exemplum ab Augusto, cujus statua ita transvecta fuit; hujus rei memoriam conservavit in Nummis Vespasianus; Torrentius perstrictus: Caligula eundem honorem habuit sorori Drusillæ; Dionis Interpretes notati; Claudii nummus examinatus; Vespasianus, Nerva, aliique ita culti:* B *Vaillantii explicatio alia examinata; & ea occasione varia notata, quæ pertinent ad exsequias Imperatorum; & Auctores veteres illustrati. Ænei Elephanti Romæ collapsi, à Rege Theodahado restituti: Cassiodorus tentatus, & notatus. Loca ab Elephantis denominata.*

ATque ita perveni ad bigas & quadrigas elephantorum, qui obvii sunt in Cæsarum Nummis; quos arbitror distingui debere in duas classes; cùm aliæ positæ sint vivis Imperatoribus, aliæ C iisdem mortuis decretæ, & per Circum Ludorum tempore ductæ, atque propter binas illas causas in Nummis signatæ.

Ipse Augustus Cæsar curru vehitur rotundo, ad quem bini *elephanti* juncti sunt, uti patet ex Nummis Familiæ Aquiliæ & Petroniæ apud Vrsinum & Goltzium, uti ex unius ectypo patet:

D Quin & Snellio pag. 17. laudatur alius ejusdem Augusti Nummus, in quo hinc duo itidem elephanti currum trahentes, inde M. DVRMIVS. III. VIR. HONOR: quem mihi suppeditavit amplissimus doctissimusque vir Otto Sperlingius, cui plurimum studia nostra debent, & qui suæ erga me benevolentiæ publicum, illudque splendidissimum testimonium exstare voluit, Dissertationem nempe doctissimam *De Nummis non cusis*, quam mihi dedicare ipsi visum fuit. Postea tamen E animadverti eundem editum esse à Goltzio, & apud eum scribi in nummo HONORI, Augustumque malè pileo caput habere tectum.

In alio idem Imperator vehitur curru IV. elephantorum, addita inscriptione, S. P. Q. R. IMP. IX. uti itidem ex ectypo patet:

F Tristanus existimat hic nobis repræsentari Augusti triumphum Actiacum, eumque à Philippo Poëta memorari lib. I. *Antholog.* c. 69. Sed hoc à ratione videtur planè esse alienum, quia nunquam ita triumphavit Augustus, & Actiacus triumphus nullo modo incidere potest in tempus, quo nonùm appellatus fuit Imperator: quippe quo tantùm dictus Imperator IV. unde anno sequente signatis in Nummis scribitur CAESAR. DIVI. IMP. V. COS. IV. & inde ACT. Neque etiam tunc

temporis, vel A. V. C. 723. in quem incidit victoria Actiaca, verùm primùm anno 727. Augustus dictus est; quod nomen in altera area legitur, CAESAR. AVGVSTVS. Nec puto hoc tradere nobis Philippum; sed vel describere currum elephantorum Augusto positum; vel thensam, ad quam juncti erant IV. elephanti, & cui imposita erat statua Augusti; licèt Brodæus idem epigramma etiam referat ad D. Augustum in curru elephantorum jugum subeuntium triumphantem:

Οὐκ ἔτι πυργωθεὶς ὁ φαλαγγομάχος ἐπὶ δῆριν
    Ἄσχετος ὠμαίνει μυριόδους ἐλέφας,
Ἀλλὰ φόβῳ στείλας βαθὺν αὐχένα πρὸς ζυγοδέσμους
    Ἄντυγα διφρέλκει Καίσαρος Οὐρανίου·
Ἔγνω δ' εἰρήνης καὶ θὴρ χάριν, ὄργανα ῥίψας
    Ἄρεος, εὐνομίης ἀντανάγει πατέρα.

Non ampliùs turritus cum phalangibus stans in acie
    Impetuosus irruit magnis dentibus elephas,
Sed timore demittens profundam cervicem ad lorum temonis
    Currum trahit Cæsaris Cælestis;
Novit verò pacis etiam fera gratiam, instrumenta abjiciens
    Martis, bonæ constitutionis sursum vehit patrem.

Et Καῖσαρ quidem Οὐράνιος, *Cæsar Cælestis*, optimè explicari potest *Cæsar Augustus in Deos relatus*, qui vivus *pacem* dederat Orbi Romano, & εὐνομίης vel *bonarum legum* habebatur auctor. Hæc ultima etiam optimè vivo; & inde esse puto factum, ut Franciscus Vavassor Jesuita in libro polito *De Epigrammate*, cui hoc & alia carmina inseruit, putet, Augustum invectum aliquando triumphali curru, quem juncti elephanti subierint, etsi nulli suo loco Historici hoc scriptum reliquerint; tamen magnam ipsi ortam esse suspicionem ita rem habere. Sed & addit hoc carmen potuisse esse compositum, quòd fuerit decretus defuncto à Senatu, in Circensi pompa, currus elephantorum; putatque Philippum vivo Augusto Romæ fuisse, quia etiam canit psittacum Cæsarem salutasse, *Ave Cæsar*, qua de re vide Macrobium, & fortè unum ex Græculis, qui epigrammata ei porrigebant.

Sed cùm nec Dio, nec Suetonius narrent Augustum curru elephantorum triumphasse, id quod non videntur omissuri fuisse, si factum foret, crediderim describi potiùs elephantorum currum, ob pacem partam Augusto vivo à Senatu decretum; idque eo magis verisimile videtur, quia Augusto primò omnium Romanorum *elephanti*, vel currus elephantorum positi sunt: Plinius *lib. 34. cap. 5.* „Equestres verò statuæ modò Romanam celebrationem habent, orto sine dubio à Græcis „exemplo. Sed illi celetas tantùm dicabant in sa„cris victores, postea verò & qui bigis vel qua„drigis vicissent: unde & nostri currus nati, in his „qui triumphassent: serum hoc, & in his non ni„si à D. Augusto sejuges, sicut & elephanti. Videri alicui posset Augustus vectus fuisse curribus sex equorum, & elephantorum sive in triumpho, sive Ludis Circensibus, sed cùm de *statuis* toto illo capite agatur, crediderim Plinium nobis narrare Augusto primo sejuges positos, non secus ac currus elephantorum; unde & paulò antè dicit, à curribus, qui victoribus sacrorum certaminum dicabantur, ortum esse morem, etiam quadrigas ponendi his, qui triumphassent. Quin etiam fieri potuit, ut currus elephantorum vexerit Ludis Circensibus Augusti statuam etiamnum vivi, atque eo respexerit Philippus; id quod tamen difficulter credo, quia nemo Veterum honoris illius facit mentionem.

Quicquid sit, vivo Augusto currus elephantorum decreti sunt, sive ob victorias, sive ob aliam causam, unde Respublica singulare commodum capiebat; in nonnullis certè Nummis conspicimus arcus, & super eos tropæa, vel statuas equestres, vel quadrigas equorum, vel denique, quod argumento meo inservit opportunè, bigas elephantorum; additâ causâ, propter quam id factum sit: QVOD. VIAE. MVNITAE. SVNT. apud Ducem Arschotanum:

Quo de arcu Eruditi putant loqui Dionem *lib. 53. Itaque arcus triumphalis super ponte Tiberis ei Arimini positus, quòd triumphalium virorum opus & cura concurrisset*, apud Hemelarium; cùm tamen Græca sint: καὶ διὰ τοῦτο καὶ εἰκόνες αὐτῷ ἐπ' ἀψίδων ἔν τε τῇ τοῦ Τιβέριδος γεφύρᾳ, καὶ ἐν Ἀριμίνῳ ἐποιήθησαν, id est, *ob id statuæ illi super fornices pontis Tiberis, & Arimini positæ sunt.* Neque enim Arimini super ponte Tiberis arcus Augusto poni potuit, cùm urbs illa fuerit sita in Vmbria ad ostia fluvii ejusdem nominis, qui sese in mare Adriaticum exonerat; id quod tamen sequitur ex loco Dionis apud Hemelarium, nisi vitio operarum *ei* sit positum pro *&*: & Arimini etiam arcus extructus, quia Augustus sibi desumserat muniendam Viam Flaminiam ab ea urbe, uti legere licet apud Suetonium. Quæ apud Hemelarium sequuntur, *Quod triumphalium*, &c. apud Dionem non reperiuntur; scribitque ille tantùm Augustum Flaminiâ sibi desumtâ Viâ, reliquas Senatoribus quibusdam tradidisse, suis sumtibus reficiendas; quos Suetonius appellat *triumphales*.

Notandum autem, multæ eruditionis & lectionis virum Vlyssem Aldrovandum scribere etiam, Augusto currum ex quatuor elephantis S. P. Q. R. *in Nummis* decrevisse, quòd spoliis Orientis onustus Imperatorium inde triumphum duxit. Sed, uti jam monui, non constat Augustum ita triumphasse; deinde currus talis non in Nummis decretus fuit, sed in Urbe positus, vel à vivis elephantis tractus, & simulacro Augusti inter Deos relati onustus, & inde inditus auro, argento, vel æri; id quod certè ultimum patet ex ipsa Inscriptione Aldrovando etiam laudata, TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. P. M. TR. POT. XXIIX. DIVO. AVGVSTO. S. P. Q. R. qui tamen vir eruditus, ut hoc obiter dicam, non satis accuratè capite illo agit de Nummis variorum Impp. in quibus elephanti picti sunt:

Et cùm de Augusto loquar, facere non possum, quin addam illi ab Indis dono missos esse elephantos, id quod Florus nos docet *lib. 4. cap. 12. Nam & Scythæ misere Legatos, & Sarmatæ amicitiam petentes: Seres etiam habitantesque sub ipso Sole Indi, cum gemmis & margaritis* ELEPHANTES

TES *quoque inter munera trahentes, nihil magis quàm longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleverant.*

Post Augustum invenio elephanti currum positum esse Caligulæ, vel saltem ejus in honorem Nummos signatos esse, in quibus tanquam vivus Deus thensa elephantorum stellis circundatus septem apud Carolum Patinum *ad Suetonium:*

Ex argento est, cerniturque in altera area caput nudum, & super sinistrum humerum sceptrum vel hasta; addita inscript. ΓΑΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹΕΒΑϹΤΟϹ. ΑΡΧ. ΜΕΓ. ΔΗΜ. ΕΞ. similem manibus meis tractavi æreum, sed variabat scriptura, & in eo legebatur, .. ΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒ. ΓΕΡΜ. ΑΡΧ. &c. quem tamen genuinum esse vix adseverare ausim. Atque C rectè notat vir insignis, eum post Caligulæ mortem cusum non esse, quia non fuit consecratus; mavultque referre ad locum, qui exstat *cap.* 22. *Quidam eum* LATIALEM IOVEM *consalutaverunt. Templum etiam numini suo proprium, & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum aureum stabat Iconicum.* Posset etiam referri ad statuam ejus auream, quæ festis in Palatio diebus vehebatur in Capitolium, cujus rei meminit Dio *lib.* 59. *Postridie rursus convenerant, ac multas ei laudes tanquam veracissimo & piissimo tribuentes, maximasque agentes gratias, quòd vivere eos passus fuisset, quotannis eo die, quo* D *hæc recitata erant, sacrificare ejus Clementiæ decreverunt,* καὶ ἐν τῷ Παλατίῳ προσηκέσαις, εἰκόνος τε αὐτοῦ χρυσῆς ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀναγομένης, καὶ ὕμνων ἐπ' αὐτῇ διὰ τῶν εὐγενεστάτων παίδων ᾀδομένων, *& iis diebus, qui in Palatio festi celebrabantur, ita ut veheretur in Capitolium imago ejus aurea, hymnos ei accinentibus nobilissimis pueris.* Et certè ejusmodi thensa à Caji insania & superbia non est aliena; quanquam & Circensibus Ludis statua illius curru elephantorum vehi potuerit, idque adinstar Jovis, quod ut in ære magis pateret, stellæ in nummo depictæ sunt.

E Inde Domitiano is honos habitus; estque hanc in rem nummus elegantissimus apud Erizzum p. 143. Ducem Arschot. Tab. 32. & Tristan. Tom. I. p. 33. in quo elephantorum quadrigæ binæ positæ sunt super arcum *δίπυλον:*



quem eleganter nobis describit Martialis *lib.* 8. *epigr.* 65.

Hic ubi Fortunæ Reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.
Hic stetit Arctoi formosus pulvere belli
Purpureum fundens Cæsar ab ore jubar.
Hic lauro redimita comas, & candida vultu
A *Roma salutavit voce manuque Ducem.*
Grande loci meritum testantur & altera dona,
Stat sacer edomitis gentibus arcus ovans.
Hic GEMINI CVRRVS *numerant* ELEPHANTA FREQVENTEM,
Sufficit immensis AVREIS *ipse jugis.*
Hæc est digna tuis, Germanice, digna triumphis,*
Hos aditus Vrbem Martis habere debet †.

Atque hoc ex carmine evincere conatur Aldrovandus Domitianum subactis Sarmatis, *elephantis triumphasse*; cùm Poëta canat, arcui impositos B fuisse IV. elephantorum binos currus, & in his stetisse binas aureas Principis illius statuas.

Quin etiam in Domitiani nummo Græco, signato, ni fallor, in Ægypto, occurrit nobis quadriga elephantorum, apud Patin. pag. 116. *Thesauri Mauroceni*; quia, uti puto, talis arcus Alexandriæ ipsi positus est, vel in Ludis sive pompâ exhibitus. In Catalogo præterea Numismatum Henrici d'Acquet, Consulis Delfensis, invenio recenseri argenteum, & in eo exhiberi hinc Domitianum cum Domitia, inde verò *currum triumphalem, cui juncti elephanti.*

Inde in Trajani nummo Græco apud Erizzum pag. 174. quadrigas elephantorum invenio, quibus ipse insistit, lauri ramum tenens sinistrâ, & dextrâ sceptrum cum aquila; quod in ectypo omittitur; sed talem possidet amicus meus Uylenbroekius, horum monumentorum valde diligens & curiosus, qui & mecum hunc ectypum communicavit, dolendumque nomen urbis, cujus vestigia infra elephantos cernuntur, detritum planè esse; cum nota numerali L. ΙΕ, *anno quintodecimo.* Et puto hoc monumentum erectum fuisse Trajano in ea urbe, in qua nummus signatus fuit, quam, propter numeralem notam, crediderim Alexandriam esse; certè Ægyptiacus nummus est.

Et similis Hadriani exstat in Gaza Magni Ducis, in quo circum Imperatorem stantem in quadriga elephantorum scribitur, ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ. ϹΕΒ. L. ΙϚ. *anno sextodecimo*; & rectè censet Eminentissimus Norisius non ob triumphum, quippe quem nullum habuit, sed honoris tantùm gratiâ has quadrigas Hadriano à Græca urbe (quam itidem *Alexandriam* credo) decretas esse, quomodo OPVS. QVADRIGAE. CVM. EFFIGIE. IMP. HADRIANI. ab Italica urbe dicatum laudatur in antiquis Inscriptionibus p. 444. Estque penes me nummus ejusdem Augusti æreus, memoratus etiam Patino pag. 118. *Thes. Mauroceni*, in quo signato anno imperii illius nono, similiter planè vehitur, quemadmodum ex ectypo patebit:



F adeò ut tunc talis currus decretus sit, vel etiam antea, Hadriano, ejusque rei memoria sequentibus annis sit repetita; nisi dicamus eidem sæpius honorem hunc singularem habitum fuisse. Atque commodum mecum communicavit Gallandus elegantissimum & ineditum, ac in Ægypto itidem signatum, ejusdem Hadriani nummum ex Cimelio il-

* Rest. *porta.* † Omnes Edit. quotquot vidi, habent, *decet.*

illustris Foucautii, in quo uni ex quatuor elephantis victoria corollam tenens insistit, quod in aliis nullis occurrere rectè animadvertit vir ille doctissimus:

Quin etiam Romæ Marco Aurelio Antonino arcus factus est, cui elephantorum quadriga imponitur, uti ex nummo maximi moduli patebit, cujus ectypum exhibeo ex *Selectioribus Numismatibus* Musei illustrissimi Francisci De Camps, Abbatis S. Marcelli, à Vaillantio, insigni inprimis Antiquario, editis:

Non abs re est, quod existimet vir doctissimus, hîc exhiberi arcum *Veri & Marci Augustorum*, quem in VII. Vrbis regione recensent Victor & Sextus Rufus, erectum Augustis fratribus ob confectum bellum Parthicum. Bellum hoc geri cœptum A. V. C. 915. duravit usque ad annum 920. quo L. Verus Romam reversus cum M. Aurelio de Parthis triumphavit, & inde diem suum obiit mense Decembri anni 922. In nummo M. Aurelio tribuitur Tribunitia potestas XXVIII. Consulatus III. & Imperator dicitur VI. quæ incidunt in annum 927. Igitur M. Aurelius à bello Germanico reversus per hunc arcum (licèt Mediobarbus illius reditum rejiciat in annum 939. & Tribunit. potestatem trigesimam) ovans quasi Urbem introiit, & Romani lætantur ob Principis ADVENTVM, qui etiam in aliis ejusdem Imperatoris Nummis celebratur. Neque tamen illo tempore arbitror arcum Victori memoratum erectum esse; quia tunc non diceretur *arcus Veri & Marci*, sed *Marci* tantùm; videturque mihi à ratione non alienum esse *Veri*, junioris Augusti, nomen præponi, quia is Parthos devicit, & quadrigæ elephantorum, uti postea patebit, ad eos pertinere propriè videntur; & nescio, quo jure Onuphrius appellet hoc monumentum, *Arcum DD. Marci & Veri*.

Diu postea *quadrigæ elephantorum* à Senatu Romano decretæ fuerunt Maximo, Balbino & Gordiano III. binisque Augustis mortuis iterum Gordiano tunc Augusto ob victorias Persicas; qua de re agam, ubi absolutis thensis elephantorum, pervenero ad triumphos, actos curribus, ad quos belluæ illæ junctæ fuerunt.

Ex iis igitur, quæ annotavi, patet, Augusto vivo currus elephantorum positos, eundemque honorem aliis etiam Imperatoribus fuisse habitum; nunc iisdem mortuis quid factum sit, videndum utique est; & quidem Augusto inter Deos relato ejuscemodi currus decretus est, qui Ludis Circensibus ferret ipsius imaginem vel statuam; id quod non modò ex Auctoribus vetustis, quorum

A verba mox adferentur, verùm etiam ex Nummis à Tiberio signatis patet præclarè, quos videre licet apud Goltzium Tab. 76. & Ducem Arschotanum Tab. 16. aliosque, qualem æneum ipse etiam possideo; & hinc legitur TI. CAESAR. DIVI. AVG. F. AVGVSTVS. IMP. vel GERMANICVS. CAESAR. TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. COS. II. vel denique DRVSVS CAESAR TI. AVG. F. DIVI. AVG. N. PONT. TR. POT. II. & in medio majusculis litteris S. C. inde cernitur Augustus insidens thensæ, ad quam juncti sunt quatuor elephanti unà cum rectoribus, addita epigraphe, Divo AVGVSTO S. P. Q. B R. uti ex ectypo patebit quàm clarissimè:

C Notandumque in uno apud Goltzium elephantos videri insignes esse coronis radiatis; & in aliis nullos nobis exhiberi *sessores*; malè enim puto doctissimum Torrentium *ad Suetonii Tiber. cap. 6.* commentari, quatuor elephantis insidere totidem pueros, (nempe prætextatos) uti solebant vehi equis funalibus triumphantium; cùm nulli alii sint quàm Indi, vel Æthiopes sive rectores elephantorum, & currus hic non sit triumphalis, verùm sacer, & thensa; quam Augusto decretam fuisse docet Xiphilinus in *Nerone* lib. 61. Καὶ οἱ ἐλέφαντες οἱ τὴν τοῦ Αὐγούστου ἁρμάμαξαν ἄγοντες. *Et elephanti, qui currum Augusti agebant, in Circum* D *ingressi, quum eò usque, ubi Senatores sedebant, venissent, non ultra progressi, constiterunt*; quo ex loco insuper patet sub sequentibus Imperatoribus traductos fuisse currus, qui Augustis inter Divos relatis erant decreti. Meminit etiam ejusdem thensæ Suetonius *Claud.* cap. 11. *Aviæ Liviæ divinos honores, & in Circensi pompa currum elephantorum Augustæo similem, decernendum curavit.* Notandumque Vespasianum hunc nummum restituisse, vel Nummos signasse, in quo hujus rei memoria fuit conservata: nam apud Mediobarbum in uno hinc legitur circum Vespasiani caput, IMP. CAES. VESPASIAN. AVG. P. M. TR. P. E P. P. COS. VI. & inde DIVO. AVGVSTO. S. P. Q. R. addito curru elephantorum, cui insidet Imperator.

C. Cæsar, Caligula cognominatus, sororem suam, quam præ reliquis duabus amaverat, Drusillam ita coluit; ejusque rei testis satis locuples Dio *lib.* 59. Καὶ μετὰ τοῦτο ἐπανελθὼν πρὸς τὰ τῆς Δρουσίλλης γενέσια, ἄγαλμά τε αὐτῆς ἐπὶ ἐλεφάντων ἐν ἁρμαμάξῃ ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσήγαγε: quæ ita sunt vertenda, *Et postea revertens ad celebranda Drusillæ natalitia, simulacrum ejus thensæ elephantorum impositum in Circum induxit:* errant enim, qui interpretantur, F *elephantis impositum bigis in theatrum induxit:* vel qui reddunt, *consecratum simulacrum in thensa collocavit, elephantis imposuit, inque Circum invexit*; nam inde sequeretur thensam dorso elephantorum fuisse impositam; id quod nunquam factum, & à moribus Romanorum alienum est planè; nec certè *thensa* pluribus elephantis imponi posset, sed uni tantùm, quomodo hodie Reges & Magnates Indorum sedentes sub οὐρανίσκῳ, in suggestu vel cubiculo, uti ex Itinerariis notum, elephantis vehuntur.

Atque huc etiam pertinet aliquo modo thensa, quâ

quà Caligula vehitur in nummo, quem Patinus edidit, & quem recensui atque explicavi, cùm de vivis Imperatoribus agerem; quia scilicet tanquam Deus in ea sedet, & quia hic ago de honore, qui mortuis Divisque Imperatoribus habitus fuit.

Claudium aviæ Liviæ decrevisse, vel potiùs curasse, ut à Senatu decerneretur in Circensi pompa currus elephantorum, Augustæo similis, modò nos Suetonius docuit: postea à Nerone is honos habitus fuit Claudio mortuo; nam in nummo Arschotano circum talem currum scribitur, DIVI. CLAVDII. NERONIS. CAES. AVG. qualis etiam editus est ab Onuphrio, addito titulo P.P. *Patris Patriæ*, & , EX. S. C. cúmque in altero exhibeatur nobis currus itidem quatuor elephantorum, in quo sedent binæ figuræ virilis & muliebris, addita epigraphe, AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVDII. NERONIS. CAES. MATER. EX. S. C. suspicatus nonnunquam sum, additam Claudio, Agrippinæ conjugis & quidem vivæ imaginem; eandemque tantum per Neronem filium fecisse, ut Senatus Claudio hunc honorem haberet; quippe quæ illi etiam in Cælio Monte templum occœperit exstruere, quod postea à Nerone fuit destructum, & à Vespasiano restitutum; uti legere licet apud Sueton. *Vespas.* cap. 9. *Fecit & nova opera, templum Pacis foro proximum; denique Claudii in Cælio Monte, cœptum quidem ab Agrippina, sed à Nerone funditus destructum.*

Alii putant in curru sedere Neronem & Agrippinam, uti Patinus p. 22. *Thesauri Mauroc.* & Mediobarbus p. 89. & 91. id quod tamen à ratione alienum videtur esse; tum quia figura virilis, quæ ad dextram sedet, insignis est coronâ radiatâ, & repræsentat proculdubio Claudium Divis adscriptum, cùm quia altera est muliebris; & quia ejusmodi honores non videntur fuisse habiti Neroni, quamvis Augusto, juveni admodum; ne jam dicam nummum magis videri signatum esse in honorem Agrippinæ, quàm Neronis. In ipsius tamen Neronis aureo nummo, nulla facta Agrippinæ mentione, picta est elephantorum quadriga apud Mediob. p. 91. NERO. CLAVD. DIVI. FIL. CAESAR. AVG. GERM. P. M. TR. P. COS. quanquam & illa potuerit fuisse quadriga Claudii & Agrippinæ; id quod ipse nummus, si editus foret, facilè doceret; & fortè inscriptio, quæ Agrippinam spectat, omitti potuit, quia illa ex præcedente nummo recensetur. Quin & Vaillantius Tom. 2. p. 64. similem vel eundem nummum ita describit: „NERO. CLAVD. „DIVI. F. CAES. AVG. GERM. IMP. TR. „P. COS. *capita* jugata Neronis & Aripinæ; „AGRIPP. AVG. DIVI. CLAVD. NERO„NIS. CAES. MATER. S. C. Quadrigæ ele„phantorum currum vehunt, in quo figura viri„lis togata radiata sedet, dextrâ hastam puram, „prope eam mulier, dextrâ aquilam legionariam „tenet:



„Claudius, ut narrat Suetonius, *aviæ Liviæ di„vinos bonores & Circensi pompa currum elephanto„rum Augustino similem decernendum curavit.* Ne„ro & Agrippina nummum cuderunt, in quo

A „utrumque exhiberent; Augustus coronâ radiatâ „insignitur, Livia tanquam mater castrorum aqui„lam legionariam gerit. Nero ipsis statuas conse„cravit, quæ in ejus Nummis visuntur cum epi„graphe, AVGVSTVS AVGVSTA. Atque inde patet haud obscurè eruditum hunc Antiquarium existimare in hoc nummo repræsentari nobis Augustum & Liviam; quod ut fieri potest, ita diversas has sententias aliis examinandas trado libens lubens. In editis binis apud Ducem Arschot. figura ad dextram sedens tenet hastam, cui aquila est imposita, coronâque radiatâ cingitur; altera

B verò muliebris nullo insigni est notabilis; & vellem equidem inspicere nummum, in quo figura virilis togata & radiata ad dextram sedens hastam tenet puram, muliebris autem aquilam legionariam. Nam in uno apud Onuphrium, cujus epigraphe est, DIVI. CLAVDII. NERONIS. CAESARIS. AVG. P. P. EX. S. C. picta est thensa IV. elephantorum, cui insident binæ figuræ, quæque ad dextram sedet, aquilam, quæ ad sinistram, hastam puram tenet, hæcque fœminea est, si nummus rectè est exscriptus. Præterea Livia non fuit dicta *mater castrorum*, eoque nomine aquilam in manibus habere potest; sed Senatus mor-

C tuo Augusto censuit, uti appellaretur MATER PATRIAE, id quod tamen permittere noluit Tiberius, uti legere licet apud Dionem *lib.* 57. Tacit. lib. 1. *Ann.* cap. 14. & Suetonium *cap.* 50. sed Dio tamen *libro* 58. narrat, nonnullos eam Μητέρα τῆς Πατρίδος nominasse, quia liberos multorum educaverat, & variorum filias elocaverat; unde patet id factum esse à privatis, non autem publicè, quanquam apud Mediobarbum nummus recenseatur cum epigraphe, AVGVSTA. MATER. PATRIAE: & in alio p. 37. hinc scribatur, CAESAR. AVG. PONT. MAX. TR. P. inde verò, AVGVSTAE. MATRI. PATRIÆ.

D quem ad annum 741. refert Mediobarbus, quo Augustus mortuo Lepido factus est Pontifex Maximus. Sed tunc temporis ejusmodi titulus Liviæ datus non videtur fuisse; & quid de ejusmodi Nummis statuendum sit, optimè judicabunt illi, qui eos possident; & certè Dio de ea re loquitur post mortem Augusti. Julia Severi conjux prima dicta fuit MATER CASTRORVM, non secus ac SENATVS (ita Claudium appellare voluerunt *patrem Senatus* apud Tac. lib. XI. *Annal.* cap. 25.) & PATRIAE, uti patet ex Nummis & Inscriptionibus; & ante eam, quod eódem redit,

E Faustina Marci Antonini, Μήτηρ τῶν στρατοπέδων, MATER EXERCITVVM, uti observavit Tristanus; vel *legionum*, quomodo Piso à deterrimis dicitur appellatus esse *parens legionum*, apud Tac. lib. 3. *Ann.* cap. 13. Postea Victorina, vel Victoria, itidem MATER CASTRORVM, uti patet ex Trebel. Pollione *cap.* IV. cognominata fuit.

Atque postea nactus sum nummum Neronis & Agrippinæ argenteum, cujus facere non possum, quin ectypum exhibeam:

F



unde patet mutilum esse eum, qui argenteus itidem servatur in Gaza Parmensi, cùm in ejus aversa parte legatur tantum, CLAVD. NERONIS. CAES. MATER. apud quem tamen integra, ut in meo, nobis exhibetur inscriptio in alio nummo aureo; annotatque præstantissimus Pedrusius, Neronem & Agrippinam curru vel thensa quatuor elephantorum vehi; cùm mihi potiùs videantur esse Claudius & Agrippina ob ra-

 tio-

tiones, quas antea in medium attuli; cui sententiæ etiam accedit Gevartius ad Nummos Arschotanos, cùm agnoscat quadrigam elephantorum D. Claudio & Agrippinæ decretam in similibus Nummis.

Vespasianum inter Deos relatum non aliter fuisse cultum & honoratum docet nos nummus Arschotanus Tab. 26. quales etiam recensentur à Mediobarbo, cum epigraphe, DIVO. AVG. VESP. & in nonnullis additur S. P. Q. R. Vespasiani autem statua sedet in quadriga elephantorum, dextrâ hastam, sinistrâ tenens Victoriam.

Nervam ita coluit Trajanus, uti docet nos nummus apud Vaillantium Tom. 2. p. 117. in quo hinc caput Nervæ nudum, & DIVVS. NERVA. AVG. inde biga elephantorum cum sessoribus, & in illa Augusti statua, &, IMP. CAES. TRAIAN. AVG. GER. DAC. P. P. REST. uti clariùs ex ectypo patebit:

Notat vir eruditionis spectatæ, & antiquorum rituum cognitione diligenter instructus, hanc thensam à Trajano in Nervæ Nummis apponi, ad consecrationis ejus memoriam posteris relinquendam: imaginem autem Principis æream thensis impositam cum solemni pompa per Circum in Campum Martium latam fuisse; ubi corpus cremabatur; qualia etiam repetit pag. 59. in *Claudio*, p. 137. & 138. in *Marciana*; & tradit Mediobarbus p. 8. uti antea me monere memini; quæ unde hausta vel desumta sint, fateor me scire cum ignarissimis: nam nullibi mihi lectum est, imaginem Principis æream per Circum in Campum Martium fuisse deportatam. Verum est, exsequias Imperatoribus illo in Campo fuisse celebratas, & rogum accensum; uti vel patet ex Herodiano *lib.* 4. *cap.* 2. ubi funebrem pompam Severi describit; sed nec *statuæ æreæ*, nec *viæ per Circum*, ullam facit mentionem; narratque nobis *ceream statuam* Principi quàm simillimam lecto eburneo impositam fuisse, illum per nobiles juvenes latum per Viam Sacram in vetus forum, & inde in Campum Martium, in quo licet liberâ Republicâ cives de ea præclarè meriti ex S. C. fuerint sepulti, tamen postea is honos videtur soli Augustæ domui fuisse reservatus; unde Appianus lib. 1. *Bel. Civ.* scribit, corpus Sullæ à Senatoribus translatum humeris fuisse in Campum Martium, ἔνθα βασιλεῖς θάπτονται μόνοι, *ubi soli Reges*, (id est, Imperatores, vel Augusti) *sepeliuntur*; id quod certè scire potuit, cùm vixerit temporibus Trajani, Hadriani & Antonini Pii; & lætor hunc nobilis Antiquarii lapsum etiam notatum fuisse Joh. Vignolio, viro utique eruditissimo, cap. 8. Dissert. *de Columna Antonini Pii.*

Marcianæ, sorori Trajani, idem honos habitus est; uti patet ex Nummis, quos describit Vaillantius, argenteo, atque æreo, & in quo legitur, EX. SENATVS CONSVLTO, depictaque est thensa à duobus elephantis cum sessoribus vecta, supra quam figura velata; & ex alio simili, in quo circum, elephantorum thensam scribitur CONSECRATIO apud Mediobarbum.

Quin & addit vir pereruditus p. 59. uti Imperatorum carpenta in pompa funebri traducebantur per Circum à quatuor equis vel elephantis; ita *Augustarum tracta fuisse à duabus mulis*; & ita in

A Marcianæ nummo thensam consecrationis esse symbolum; sed cùm super eam cerea illius figura non vilatur, & desuper cooperta sit, videri eam esse, in qua corpus ejus reconditum transferebatur ad rogum: imò mox explicans ejusdem Marcianæ argenteum nummum, in quo thensa à duobus elephantis cum sessoribus vecta, supra quam figura velata, & epigraphe, EX. SENATVS CONSVLTO, scribit: thensam esse vehiculum sacrum, supra quod imago cerea illius, qui consecrandus erat, per Circum solemni pompa in Campum Martium deferebatur: illudque traxisse

B elephantes æternitatis symbola, quòd illi vivere trecentos annos dicebantur. Sed primò ita sibi contrarius est vir egregius, quippe qui statuerit ad Augustorum thensas junctos fuisse equos vel elephantos, ad Augustarum verò mulas; quia illud, quo vehitur Marcianæ Augustæ statua, elephanti trahunt: deinde à nemine Veterum scriptum est cadavera vel imagines cereas Imperatorum consecrandorum ejusmodi thensis vel carpentis fuisse impositas. Portabantur illa humeris, & statuæ non sedebant in curribus, vel thensis, sed in lectis adinstar cadaverum jacebant: ex ipsa sepultura Severi apud Herodianum, cui veluti fundamento omnes illæ Notæ innituntur, patet,

C imaginem ceream Severi in lecto positam fuisse in vestibulo, lectum humeris sustulisse nobilissimos juvenes Equestris & Senatorii Ordinis, per Viam Sacram in vetus forum detulisse; atque inde extra Vrbem in Campum Martium: nulla Circi, per quem ducta pompa funebris fuerat, facta mentione. Notandumque Augusti consecrandi etiam imaginem vel statuam ceream, εἰκόνα κηρίνην, in lecto funebri positam, habitu triumphali, ad rogum latam fuisse, teste Dione *lib.* 56. qui addit & alteram ejus auream curru triumphali ductam fuisse. Quin imò res constantissima est, cadavera

D apud Romanos lectis fuisse imposita, humerisque gestata, & idem factum, quando in Augustorum consecrationibus imagines eorum ceræ ad rogum deferebantur; carpenta autem illa & thensas Augustis eorumque conjugibus decreta, sive illis jungerentur equi, sive elephanti, sive mulæ, nihil cum funere habuisse commune; sed ducta fuisse per Circum in pompis Circensibus, non secus ac thensas Deorum, Dearumque; & iisdem non cereas, sed aureas vel ex alia materia duriore factas statuas, atque adeò vivos Augustos vel Augustas, uti ex Senatus decreto in honorem Agrip-

E pinæ Claudii uxoris apud Dionem *lib.* 60. patet, insedisse. Multis testimoniis hoc probari posset, sed res notissima est; & tu, Lector, consule eruditissimos Panvinii & Schefferi libros *de Ludis Circensibus* & *de Re Vehiculari*, aliosque doctrinæ præstantis viros. Nec quicquam alia sentientes juvat Dio, cùm narrat initio *libri* 55. Drusi cadaver Romam perlatum in foro positum, ibi à Tiberio laudationem habitam, inde substitisse in Circo Flaminio, portatum in Campum Martium, ibi combustum, & reliquias in Augusti sepulchrum vel monumentum, μνημεῖον, fuisse illatas: nam hoc extra ordinem videtur factum, quia Augustus ipse etiam defun-

F ctum laudare voluit, nec pomœrium intrare poterat, quia cum exercitu & imperio ab Urbe erat profectus, talesque extra eam deberent manere: *Cadavere in foro proposito, duplex Drusi laudatio, una à Tiberio in ipso foro, altera in Circo Flaminio ab Augusto habita est:* ἐξεστράτευτο γὰρ, καὶ οὐκ ἦν οἱ ὅσιον μὴ οὐ τὰ καθήκοντα ἐπὶ τοῖς κατειργασμένοις παρ' αὐτὴν τὴν εἴσω τοῦ Πωμηρίου εἴσοδον ἐπιτελέσαι, *quoniam cum exercitu ab Urbe profecto, nefas erat in ipso pomœrii ingressu ea peragere; quæ ad celebrandas res ejus gestas pertinerent.*

Atque ita ex Nummis cognoscimus, Marcianæ Tra-

Trajani ſorori inter Deas relatæ eundem honorem habitum fuiſſe; Vaillantius enim argenteum deſcribit, in quo hinc DIVA MARCIANA, inde thenſa à duobus elephantis cum ſeſſoribus vecta, ſupra eam figura velata, & inſcriptione, EX SENATVS CONSVLTO: quem etiam ex Foucaultii inſigni Gaza recenſet Harduinus in Imperatorum Nummis.

Hadrianum quoque tali curru vehi putat, ſed dubitabundus, Angeloni; quia altera area planè corroſa eſt: currus tamen, uti ex ectypo patebit,

oſtendit hanc ſtatuam illius Auguſti vectam eſſe Circenſi pompa; vel talem eidem decretum eſſe; neque enim puto eum ſignatum eſſe in memoriam triumphi, quem vivus egerat Hadrianus, cujuſque fortè Hiſtorici obliti ſunt ſervare memoriam; uti commentatur idem vir diligentiſſimus.

Antonino Pio idem honos habitus fuit; quemadmodum nos docet nummus apud Mediobarbum p. 206. in quo hinc legitur DIVVS ANTONINVS, inde S. C. & repræſentatur quadriga elephantorum cum ductoribus, uti in Auguſti Nummis, & currui inſidet Imperator, tenens dextrâ lauream, ſiniſtrâ haſtam. Nec Marcus Antoninus aliter cultus, (notatque doctiſſimus Vignolius cap. 6. Diſſertat. *de Columna Antonini Pii*, Ludos Circenſes eidem conſecrato decretos eſſe; eoſque præcipuè nummum indicare, in quo eſſedum ſive thenſa à IV. elephantis tracta, quæ in Divorum natali per Circum traduci ſolebat) poſtquam Deorum numero adſcriptus eſt, teſte alio nummo apud Erizzum pag. 317. in quo hinc ſcribitur circum Imperatoris caput, DIVVS M. ANTONINVS PIVS. inde cernitur quadriga elephantorum (quam non ſatis cautè Patinus p. 100. *Theſ. Mauroc.* facit *currum triumphalem*) & thenſæ faſtigiatæ inſidens Marcus, cum epigraphe, CONSECRATIO. S. S. qualis etiam editus eſt inter Numiſmata Ducis Arſchotani Tab. 47. quem delineandum curavi:

Et eodem honore non caruit L. Verus; cujus ſimilem planè nummum publicarunt Erizzus p. 342. & Angeloni p. 290. quem itidem edere & Lectorum oculis ſubjicere viſum fuit;

A Præterea bini Fauſtinæ majoris Nummi ſunt apud Ducem Arſchotanum Tab. 43. & 44. in quibus hinc cernitur DIVA FAVSTINA, inde Auguſta ſedens in thenſa ſupernè tecta, cum epigraphe, AETERNITAS, vel in ſola ſella, thenſæ impoſita, cum S. C. ad quam juncti bini elephanti: qualem ejuſdem Fauſtinæ nummum mecum ex Gaza Gallorum Regia communicavit illuſtris Spanhemius, uti ex eleganti patebit ectypo:

B

Quin & Patinus pag. 101. *Theſauri Mauroceni* recenſet Fauſtinæ junioris nummum, in cujus averſa area AETERNITAS & *quadriga elephantorum*; qui nummus eò rarior eſt, quòd in aliis apud Mediobarbum tantùm *elephantorum bigæ* pictæ ſunt; nec ille faciat quadrigarum ullam mentionem; videanturque ad Auguſtorum currus
C quatuor, ad Auguſtarum verò bini, ut plurimùm elephanti juncti fuiſſe; id quod tamen perpetuum non eſſe patebit ſatis ſuperque ex iis quæ diſputavi: & ita Mediobarbus p. 210. nummum Fauſtinæ hujus conſecratæ recenſet, in quo bini elephanti ad currum juncti, cui adſiſtunt binæ figuræ.

Lucius poſtea Septimius Severus ita eſt proſecutus mortuum Pertinacem, teſte Dione *lib.* 74. Καὶ χρυσῆν εἰκόνα αὐτοῦ ἐφ' ἅρματος ἐλεφάντων ἐς τὸν ἱππόδρομον ἐσάγεσθαι; juſſitque, *ut ſtatua ejus aurea curru elephantorum veheretur in Circum.* Et num-
D mum, hujus honoris certiſſimum teſtem, exhibet nobis Onuphrius, licèt majori longè forma, in libro *de Ludis Circenſ.* quem itidem delineandum curavi:

E

F

Quin & alium inter maximi moduli Numiſmata recenſet præſtantiſſimus Vaillantius; in quo hinc caput Pertinacis nudum, DIVVS. PERTINAX. PATER. inde ſtatua ejuſdem currui à quatuor elephantis, ſupra quos ſeſſores, tracto & AETERNITAS: qualem etiam in *Indice*

Polatio describi testatur Comes Mediobarbus.

Notandum tandem Romæ diu mansisse superstites elephantos æneos, proculdubio huic vel illi Augusto dicatos; & eosdem collapsos restitutos esse à Rege Theodahado apud Cassiodorum lib. 10. *Variar.* 30. „Relationis vestræ tenore comperimus in Via sacra, quam multis superstitionibus ditavit Antiquitas, elephantes æneos vicina omnimodis ruina titubare, & qui solent in carnali substantia supra millenos annos vivere, occasum videantur proximum in simulacris æreis sustinere. His providentia vestra reddi faciat propriam longævitatem, uncis ferreis hiantia membra solidando. Alvum quoque demissam subdito pariete corroboret; ne illa magnitudo mirabilis solvatur turpiter in ruinam. Nam & vivis ipsis casus adversus est. Quid (*fortè* qui) dum ingeniis cubationis arte hominum succisis arboribus ingentia membra commiserint, toto pondere supinati, nequeunt propriis viribus surgere, quos semel contigerit corruisse: scilicet quia pedes eorum nullis articulis inflectuntur, sed in modum columnarum rigentes atque incurvabiles jugiter perseverant. Ibi tanta mole prostrati sunt, ut tunc magis metallicos possis credere, cùm se vivos adspicias non movere. Jacent superstites similitudine cadaverum, mortuos putes, quos vivos esse non dubites: & more cadentium fabricarum, nescium * locum sponte relinquere, quem suis membris potuerunt occupare. Magnitudo illa terribilis, nec formicis minutissimis par est: quando beneficium non habet naturæ, quod ultima videntur animalia meruisse. Humano solatio consurgunt, cujus arte jacuerunt. Bellua tamen suis gressibus restituta, novit memor esse beneficii: in magistrum quippe recipit, quem sibi subvenisse cognoscit: ad ipsius arbitrium gressus movet; ipsius voluntate cibos capit. Et quod omnem intelligentiam quadrupedum superat, non dubitat primo adspectu adorare, quem cunctorum intelligit rectorem esse; cui si Tyrannus appareat, inflexa permanet, nec imponi potest belluæ: hoc & malis pendere, quod à se novit bonis Principibus exhibere. Invicem manus promuscidem tendit, & magistro profutura gratanter accipit, quia se ipsius curâ vivere posse cognoscit. Est enim (ut ita dixerim) prædictæ belluæ NASUTA MANUS: per quam data suscipit; ut ori suo voranda transmittat. Nam cùm sit altum animal brevissima cervice compositum est; ut quod cibos ex humano non prævalebit carpere, hoc se ministerio videtur posse satiare. Tentando solum cautus semper incedit, retinens initio captionis suæ fuisse sibi noxiam ruinam. Flatum suum, quia dolori capitis humani mederi dicitur, rogatus exhalat. Hic dum ad aquas venerit hauriendas, per cavum promuscidis in modum pluviæ imbrem postulatum effundit: & sic agnoscit, quod petitur; & ut libens faciat, quod rogatur; motu corporis ab diversis postulat, quod magistro porrigat, & nutritoris compendia, sua putat alimenta; quòd si aliquis præbere contemserit postulata, vesicæ collectaculo patefacto, tantam dicitur alluvionem egerere, ut in ejus penatibus quidam fluvius videatur intrasse, contemtum vindicans de fœtore. Nam & læsus servat offensam, & longo post tempore reddere dicitur, à quo injuriatus esse sentitur. Oculi quidem parvi, sed graviter se moventes: credas aliquid regium ejus intendisse conspectum. Despicit scurriliter ludentes; honestum aliquid gratanter attendit: & advertis rectè judicare, cui levia cognoveris displicere. Cutis hujus ulcerosis vallibus exaratur, (à quo Transportaneorum nefanda passio nomen accepit) quæ in tantam duritiem solidatur, ut putes esse osseam cutem. Hæc nulla vi transmittitur, nullo ferri acumine penetratur. Ideoque Persarum Reges hanc belluam ad bella traxerunt, quæ & nullis ictibus pulsata cederet, & adversarios sua mole terreret.

* Videtur leg. *nesciunt*.

Hæc omnia exhibere visum fuit, ut pateat quàm ventosa tunc fuerit eloquentia, & quantopere sibi placuerit Cassiodorus in describendis rebus, quæ certè nihil ad rem, quam fieri Rex jusserat, faciunt; quæ si quis nunc imitari vellet, naso certè suspenderetur adunco; idque, nisi me fallo planè, optimo merito. Hæc autem vel alia hujus animalis ex ære sive alia materia expressa figura, Romæ postea videtur nomen dedisse loco vel vico alicui: nam scribit Mabillonius tom. IV. *Analectorum* in porta S. Petri usque ad S. Paulum exstare Inscriptionem, in qua Viæ & Loca Romæ recensentur nonnulla: *In sinistra Sancti Laurentii & Theatrum Pompeji & per porticum usque ad Sanctum Angelum & templum Jovis. In dextra Theatrum iterum per porticum usque ad elephantum: inde per Scholam Græcorum: ibi in sinistra Ecclesia Græcorum.* Neque enim dubito, quin hic locus à simulacro elephanti nomen illud habuerit.

CAP. XI.

Nulli Elephanti vivi Romæ tempore Cassiodori; Philostratus expositus: quid in somnis visa bellua hæc denotet: Plutoni sacra: Artemidorus examinatus: color Elephanti niger: varia carmina inedita; horum quædam emendantur: Scriverius reprehensus; Vopisci locus: Elephanti Linguas Gentium, apud quas nascebantur, intellexisse creduntur: maris piscis quidam ita vocatur; annulis insculpti: privati Romæ non habuerunt Elephantos: in Rutulis pascebantur: an alios ibi genuerint: Mulæ apud Tartaros generant: Ælianus expositus; Gesnerus notatus. Aurelianus primus privatorum possedit Elephantum; an hoc verum sit disputatur: Vopisci locus examinatus: Is. Vossius notatus: Dio explicatus; ut & Seneca: Lucerna Elephanto majore & parvo insignis. Inscriptio vetus explicata: feræ dentatæ; Elephanti tapetibus intexti; Wormii opinio examinata; D. Paulus non tapetium, sed tentoriorum confector: Elephantus herbarius *Romæ; Anonymus* de Mirab. Urbis Romæ *notatus. Rudolphus Dux Sueviæ Nummis suis Elephantum indidit: Elephas pictus &c. in mortem Gustavi Adolphi; varii Nummi Regum Daniæ cum Elephantis; ut & Insulæ Sumatræ: insigne Romæ in opere musivo Elephas turritus: Alexander VII. Pontifex obeliscum Elephanto imposuit: eorum mentio in Jure Civili:* Bestiæ dentatæ *quæ; Ulpianus, & Claudianus expositi: proverbia inde sumta: Fulgentii locus examinatus: tuba quædam Gallis dicta* olifant; *Elephantus nomen proprium: Capacius notatus: aliis magnis animalibus datum à Græcis. Mercurius in gemmâ Elephanto insidet: in ejus rei rationem inquiritur; Lucilii versus examinatus: non*

non secus ac Scaligeri nota: Hippocampus; de eo multis agitur. Elephanti postea rari Romæ & Constantinopoli; nonnulli subinde ex India ad Impp. mittebantur: Aaron Rex Persarum uno etiam donavit Carolum Magnum, eumque nominatum fuisse Abulabaz; *alius missus ad Leonem X. cui nomen* Hanno.

FAcit autem Cassiodori locus, ut differam parumper triumphos curribus elephantorum actos; & ita simul alia inter sese parùm connexa, quæ tamen omittenda nequaquam sunt, in hoc caput conjiciam. Ex ultima igitur Senatoris *Epistola* patet, elephantos vivos tunc ampliùs Romæ non fuisse: „ Quapropter (*subdit Cassiodorus*) habere „ eorum vel formas gratissimum est, ut qui vivam „ substantiam non viderunt, opinatum animal tali „ imaginatione cognoscant. Et ideo non patiaris „ perire: quoniam Romanæ dignitatis est, artifi- „ cum ingeniis in illa Urbe recondere, quod per „ diversas Mundi partes cognoscitur dives natura „ procreasse. Et certè elephantorum numerus lapsu temporis Romæ & in Imperio Romano diminutus est, quia sumtuosum animal in bello nullius usus erat Imperatoribus; & ita Tristanus Tom 1. p. 340. ex Philostrato (qui floruit sub Sept. Severo) notat, elephantos Romæ raros fuisse: quod ut verum esse potest, ita tamen apud eum pag. 903. illud non invenio; sed postquam dixisset se peregrinum adolescentem, ad quem scribit, amare, *peregrinos vel* ξένας *etiam esse imbres in terra, fluvios in mari, Æsculapium apud Athenienses*, adjicit: *Hospes etiam est animus in corpore, luscinia in aëre, hirundo in domo, Ganymedes in cælo, alcyon in petra, elephas apud Romanos, & phœnix avis apud Indos*; unde certè de numero nulla potest iniri ratio; sed tantùm concludi, elephantem adventitium & peregrinum Romanis animal esse. Id quod non modò verùm est respectu Romanorum, verùm etiam multorum aliorum Populorum; unde & Græci elephantem non offerebant Diis in sacrificium: eandemque ob causam putat Prophyrius lib. *de Abstin.* porcum in Cypro, Phœnicia & Ægypto non sacrificari, quia non erat ἐντόπιος, vel indigena, sed aliunde eas in regiones deportatus.

Illud præterea est notandum, Artemidorum lib. 2. *Oneirocr.* cap. 12. scribere, elephantem *extra Italiam & Indiam*, ἔξω μὲν Ἰταλίας καὶ Ἰνδίας, *in somnis visum*, significare periculum & timorem propter colorem (nigricans enim est) & magnitudinem; & eundem addere, ἐν Ἰταλίᾳ δὲ δεσπότην σημαίνει, καὶ βασιλέα, καὶ ἄνδρα μέγιστον: id quod nescio an ab ullo Veterum traditum sit. Rigaltius putat designari Cæsarem, clarum & duraturum cum æternitate Mundi nomen, quia ita Mauri elephantum vocant; uti tradit Spartianus in *Ælio Vero*; cujus tamen in optimis libris scriptum est *Cæsai*, teste Salmasio. Tristanus Tom. 1. p. 31. Rigaltium errare existimat; & Artemidorum tradere, elephantem in Italia usurpari ad indicandum hominem summæ auctoritatis, & fortè Mauros eam ob rationem, & imitatione aliorum Populorum, elephantem symbolum fecisse monarchiæ, & animal illud appellasse *Cæsarem* in honorem & memoriam Julii Cæsaris, Monarchæ famigeratissimi. Quæ uti à ratione aliena sunt, ita miror admodum, Artemidorum memorare *Italiam & Indiam*, & non meminisse *Libyæ* vel *Africæ*, ubi elephas *Cæsar* vocabatur, nec *Æthiopiæ*, nec Insulæ *Taprobanes*, nisi generali Indiæ nomine veniat, ubi etiam magna illarum belluarum copia; & quidem in hac Insula maximi & robustissimi dicebantur nasci, uti legere licet apud Ælian. lib. 16. *de Anim.* c. 18. id quod etiam tradit Onesicritus apud Plinium *l.* 6. *c.* 22. & confirmant hodierna Itineraria. Apud Indos certè regium fuit animal, βασιλικὸν κτῆμα propterea dictum Straboni; sed in Italia pauci elephanti, erantque peregrini & adventitii; quare ego quidem aliis hunc locum examinandum relinquo; addam tamen, quod observatione etiam dignum est, eundem Artemidorum mox tradere, *elephantem Plutoni sacrum esse*: nam cùm narrasset, eum in somnis visum persequentem & minantem, prædicere morbum; apprehendentem verò & interficientem, mortem; non autem apprehendentem, ex extremo periculo servandum esse somniantem, subjungit: Καὶ γὰρ φασὶ τὸ ζῶον ἀνακεῖσθαι τῷ Πλούτωνι; quod puto factum esse ob *furvum* vel *nigrum colorem*, qui animali illi tribuitur. Ita paulò antè vidimus *propter colorem* elephantem in somnis visum significare periculum; & color ille ominosus & infelix valde habebatur: id quod & satis apparet ex Martiale *lib.* 6. *epigr.* 77.

Quæque vehit similem bellua nigra Libyn;

unde haud patet obscurè elephantos tunc ex Africa ferè arcessitos, rectoresque eorum fuisse Æthiopes illo tempore. Atque hoc licèt vulgatum sit, probabo tamen carmine non ineleganti & inedito, quod debeo Jacobo Gallæo, amico meo singulari, & erudito admodum viro:

De Memnone.

Filius Auroræ, Fœbi nascentis alumnus;
Producit gentis milia tetra suæ.
Succurrens fessis fausto non omine Teucris;
Pergit Pelidæ protinus ense mori.
Jam tum monstratur maneat qui Pergama casus;
Cùm nigrum Priamus suscipit auxilium.

Nam belluis nostris *niger color* tribuitur: unde apud Horatium,

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris?

si modò Poëta elephantos, & non Indos vel Æthiopes, ut alii censent, ante oculos habet: apud Ennium in *Annalibus* legitur, *It nigrum campeis agmen*; id est, elephanti; quos in iisdem libris *pecudes* appellat: *Barreitu pecudum titubantes arma requirunt*; & *tetros elefantes*; quod ultimum epithetum etiam legitur apud Lucretium *lib.* 5.

Inde boves Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

Sic apud Lucianum in *Zeuxide*, Galatæ conspectis Antiochi belluis dicuntur vidisse *dentes insigni candore nitentes*, ὡς ἂν ἐκ μέλανος τοῦ παντὸς σώματος, *ex toto nigro corpore provenientes*. Atque ita in epigrammate veteri Auctoris incerti apud Pithœum, & apud Lotichium ad Petron. qui illud Petronio Afranio, nescio quam ob causam, tribuit; *albedo dentium & nigredo corporis* elephanti opponuntur:

Monstrorum princeps elephas promuscidis armis
Horret mole nigra, dente micat niveo.
Sed vario fugienda malo cùm bellua gliscat,
Est tamen ex certis mors pretiosa feræ.
Nam quæ conspicimus montani roboris ossa,
Humanis veniunt usibus apta satis.
Consulibus sceptrum; mensis decus, arma tablistris;
Discolor & tabulæ calculus inde datur.
Hæc est humanæ semper mutatio mortis,
Fit moriens ludus, qui fuit arte pavor.

Vbi alii pro *usibus* legunt *lusibus*; & reponit Salmasius *feri* pro *feræ*, *tablistis* pro *tablistris*; nec non scribendum est, ut puto, *ante* pro *arte*: & in Gallæi MS. annotatum erat legi debere *fortis* pro *mortis*; apud Lotichium quoque scribitur *proboscidis*, nec non *apta suis*. Et facere non possum, quin hac occasione, Lector, tecum communicem aliud ab eodem Gallæo acceptum epigramma ineditum, *De Elephanto*, nisi quod tres illius versus vulgaverit ὁ πάνυ Salmasius *ad Histor. Aug.* pag. 268. & *Epigrammatibus* suis inseruerit doctissimus vir, cui multum studia nostra debent, Theodorus Janssonius ab Almeloveen:

Orrida cornudo procedit velua rostro,
Quam dives nostris India misit horis:
Sed licet immani pugnet provoscide varrus;
Spondeat & sævis dentibus interitum.
Fert tamen edomitus residentis jussa magistri,
Quóque velit monitor cogitur ire ferus.
Vis humana potest ravie mutare ferinam,
Ecce hominem parvum bellua magna timet.

Ita planè hoc epigramma scribitur, unde patebit adspirationem addi & omitti, & proinde *Orrida* poni pro *Horrida*, & *horis* pro *oris*; præterea V. pro B. & *velua* esse *bellua*; *provoscide*, *proboscide*; *varrus*, *barrus*, & denique *ravie*, *rabiem*; quod commodùm in ipso MS. erat annotatum. Sunt & bina eodem in libro carmina inedita, in quibus *elephas* vocatur *elefans*, inque uno eidem tribuitur *obscurus* vel niger color; unius epigrammatis titulus est; *De Olimpio Venatore Ægyptio*; qui scilicet vel natione erat Ægyptius & propterea subfusci coloris, vel niger & ater, quales *Ægyptios* appellare solebant, & operam dabat venationibus Circi:

Grata voluptatis species & causa favoris
Fortior innumeris Venator Olimpie palmis,
Tu verò nomen membrorum robore signas,
Alcides collo, scapulis, cervice, lacertis,
Admirande, audax, velox, animose, parate,
Nil tibi forma nocet nigro fucata colore;
Sic ebenum pretiosa suæ natura creavit,
Purpura sic magno depressa in murice fulget;
Sic nigræ violæ per mollia gramina vernant;
Sic tetras quædam commendat gratia gemmas;
Sic placet OBSCVROS ELEFANS *immanis anartus.*
Sic turis piperisque Indigni credo placessit.
Postremum tanto populi pulchre sis amore
Fedior est quantum pulcer sine viribus alter.

Vbi primò legendum *in artus* pro *anartus*, quod nihili est; deinde cum Scriverio, *Indi nigredo*; & *pulcrescis*, quas ultimas emendationes annotaverat in MS. doctissimus vir Antonius Clemens, Gallæi avunculus, malè tamen Scriverius pro *placessit* scribebat *placentis*; videtur enim esse *placessit* idem, quod *placet*, *arridet*, volupe est; ita mox *pulcrescis*: & nota sunt *lucescit*, *pinguesco*, & alia.

Alterum epigramma erat *In vetulam virginem nubentem*, quam non illepidè Poëta, quisquis tandem fuit, perstringit:

Virgo, quam Flegeton vocat sororem,
Saturni potiùs parens senectæ,
Quam nox atque ereb, tulit caosque:
Cui rugæ totidem graves, quot anni;
Cui vultus ELEFANS *dedit cutemque:*
Mater simia, quam creavit arvis
Grandeva in Libicis, novo sub orbe
Olim quam decuit. Martoditi
Pronata Cereris dari per umbras,
Quis te tam petulans suburit ardor
Nunc cùm jam exitium tibi superfit,
An hoc pro titulo cupis sepulchri,
Ut te cognita fama sic loquatur,
Quod subtrata viro est anus nocente.

Respicit Auctor *ad rugosam elephanti cutem*, cui similem anum hanc habere indicat; deinde legendum, si quid video, *erebus* pro *ereb*; & præterea *decuit marito Diti Pro nata Cereris*; id est, quæ debuisset nubere Diti vel Plutoni, loco Proserpinæ, filiæ Cereris; id est, mori, vel monumento inferri.

Quin & illud notandum est, apud Capitol. c. 9. *Maximini*, mimum ostendere, comparatione ab elephanto & aliis bestiis sumta, eum, ut ut sese immortalem prope crederet ob corporis magnitudinem, interfectum iri, dixisse versus Græcos, quorum hæc erat sententia:

Et qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis est, & occiditur:
Leo fortis est, & occiditur:
Tigris fortis est, & occiditur:
Cave multos, si singulos non times.

Præterea Vopiscum ex Aureliano Festivo narrare, Firmum, qui Aureliani tempore purpuram sumsit, *inter crocodilos unctum crocodilorum adipibus natasse*, & ELEPHANTUM REXISSE, & *hippopotamo sedisse*, & *sedentem ingentibus struthionibus vectum esse*, & *quasi volitasse*. Memoriæ hoc mandatur ad probandum, Firmum nervis robustissimum fuisse; sed, ut verum fatear, non video, quale hoc fortitudinis insolitæ sit argumentum, cùm minimus Indus elephantum regere potuerit. Nisi fortè belluæ illæ non nisi ab Indis, Æthiopibus vel Afris regi voluerint; Firmusque adeò fuerit robustus, ut illos domare & regere etiam invitos potuerit. Et certè Seneca *epist.* 86. ita loquitur: *Elephantum minimus Æthiops jubet subsidere in genua & ambulare per funem*; eosque Indorum Linguam intellexisse tradit nobis Ælianus lib. 13. cap. 22. *de Animal.* quomodo etiam statuendum est elephantos, qui in Africa nascebantur, indigenarum Linguam intellexisse; unde Plinius *lib.* 8. *cap.* 1. scribit, *Illis intellectum esse sermonis patrii*, & idem Ælianus *lib.* 4 *cap.* 24. eos gnaros esse γλώττης ἀνθρωπίνης τῆς ἐπιχωρίε: quò pertinet aliquo modo, Oppianum lib. 2. *de Venat.* v. 540. canere, elephantos inter sese loqui barritu articulato, & illam loquelam intelligere τιθασευτῆρας ἄνδρας, viros qui eos curabant, vel eorum curam gerebant.

Atque occasione elephantorum ab Indis vel Æthiopibus rectorum, venit mihi in mentem locus elegans Nicetæ Choniatæ lib. 3. *de rebus Isaaci Angeli Imp. Constantinopolitani*; quem scribit ita deditum fuisse parvulo puero, ut ei summam rerum committeret, eumque propterea addit non *absimilem fuisse apiculæ aut culici, aurem leonis circumsonanti*, ἢ μυρμηκάνθρωπος μελαγχρόος, τὸ τῆς γῆς μέγιστον ἄχθος διακυβερνῶν ἐλέφαντα, *aut atro pumilioni; maximum terræ pondus elephantum gubernanti, aut tenui funiculo camelum naso trahenti.*

Sed & hoc addendum est, in mari quoque ELEPHANTOS fuisse, si fides habenda Plinio lib. 9. cap. 5. *Hist. Nat.* *Tiberio Principe*, ait, *contra Lugdunensis Provinciæ littus, trecentas ampliùs belluas ab Oceano reciprocante relictas, & inter eas* ELEPHANTOS; quos etiam memorat *lib.* 32. *cap.* 11. & rectè notat Harduinus neminem alium eorum meminisse; eundemque eodem capite

capite nobis *in locustarum genere elephantos* recen-
ſere; quanquam fortè locuſtæ maximæ ita potue-
rint appellari.

Notandum inſuper Plautum in *Curcul.* act. 3.
vel narrare verè, vel fingere potiùs, annulo ſi-
gnatorio inſculptum fuiſſe militem armatum, qui
gladio ſuo in duas partes ſcindebat elephantum:

> *Cape, ſignum noſce: noſtin'?* LY. *quidni noverim?*
> *Clypeatus elephantum ubi machæra digerit:*

id eſt, diſcindit, uti legi debere ex Nonio &
Feſto probat Salmaſius ὁ πάνυ.

Præterea privatos Romæ elephantos non ha-
buiſſe, eoſque pertinuiſſe, vel ad Rempublicam,
vel ad Cæſares. Locus hanc in rem elegans valde
eſt apud Juvenalem *ſat.* 12. v. 101. ubi Poëta
acerbè hæredipetas perſtringit, canitque eos heca-
tomben promittere, promiſſuros etiam elephantos,
ſi proſtitiſſent venales:

> ——— *exſiſtunt, qui promittant hecatomben,*
> *Quatenus heic non ſunt, nec venales elephanti.*

Inde narrat eos à Cæſare fuiſſe poſſeſſos, & ali
ſolitos in Rutulorum agris, peti ab Æthiopibus,
nec in Italia generari:

> *Nec Latio, haud uſquam noſtro ſub ſidere talis*
> *Bellua concipitur, ſed furva gente petita.*
> *Arboribus Rutulis & Turni paſcitur agro*
> *Cæſaris armentum, nulli ſervire paratum*
> *Privato, ſiquidem Tyrio parere ſolebant*
> *Annibali, & noſtris Ducibus, Regique Moloſſo,*
> *Horum majores, & dorſo ferre cohortes*
> *Partem aliquam belli, & euntem in prælia tur-*
> *mam.*

Et tandem hæredipetas tam ſollicitos fuiſſe pro ſa-
lute eorum, quos captabant, ut elephantos pro-
miſiſſent, ſi eos ſibi potuiſſent comparare:

> *Nulla igitur mora per Novium; mora nulla per*
> *Iſtram*
> *Pacuvium, quin illud ebur ducatur ad aras,*
> *Et cadat ante Lares Gallitæ victima ſola*
> *Tantis digna Deis, & captatoribus horum.*

Et notandum, Juvenalem canere in Italia elephan-
tos non naſci; & proinde per *horum majores*, in-
telligendos eſſe elephantos, qui in Africa &
India alios progenuerant, & quorum minores Ro-
mæ tempore Domitiani alebantur; ſed tamen ani-
madverſione dignum eſt, Ælian. lib. 2. *de Anim.*
cap. 11. tradere, tempore Tiberii Cæſaris plures,
τελείȣς, *adultos* Romæ fuiſſe elephantos, tàm ma-
res, quàm fœminas; & ex iis ibi natos fuiſſe
alios, εἶτα ἐξ αὐτῶν ἐτέχθησαν αὐθιγενεῖς, *inde
eodem in loco alii nati ſunt:* non ſatis benè Geſne-
rus reddit, *è quibus alii plerique generati ſunt*; nam
locus nativitatis omittitur, & αὐθιγενεῖς ſunt ele-
phanti qui nati ſunt ἐν Ῥώμῃ, vel indigenæ; & ex
ſequentibus patet, hoc aliter non poſſe exponi,
quia ſcribit, virum peritum eos docuiſſe, dum
membra & artus committebantur & confirmaban-
tur, ὅτε τὰ κῶλα ὑπήρξαντο πήγνυσθαι. Quin
& pullus elephanti, qui in caſtris Pyrrhi ad Ta-
rentum erat, & percuſſus erat caput telo gravi,
quemque ſtridore mater agnovit, mihi videtur na-
tus eſſe ſi non in Italia, attamen in Epiro, vel
Græcia, qua de re conſuli poteſt Florus *lib.* 1.
cap. 18. Et hanc elephantorum in Italia nativita-
tem firmare aliquo modo videtur lucerna, cujus
ectypum mox exhibeo, in qua ſculptus eſt ele-
phas cum catulo vel prole ſua; quia occaſione fa-

A cere non poſſum, quin annotem Bouvetum S. J.
Sacerdotem, & virum pereruditum, ſcribere in
epiſtola ad illuſtr. Leibnitzium, in Tartaria mulas
ſilveſtres generare, eundemque putare id noſtris
fortè non evenire, quia domeſticæ ſunt & ſtabu-
lis continentur; & idem accidere elephantis Sia-
menſibus, quos aſſeverant illi, qui imperium in
belluas habent, ſteriles eſſe domitos, & ſtabulis
concluſos, eoſdemque ſylvis redditos, & libe-
ros, non ſecus ac feros, prolem edere.

Primus omnium Aurelianus, qui poſtea factus
fuit Imperator, privatus elephanti dominus fuit;
nam qui liberâ Republicâ eos habuerunt, ut Æ-
B nobarbus, ne quid dicam de Curio Dentato &
Metello, in Allobrogibus, & C. Julius Cæſar in
Britannia, fuerunt Duces & Imperatores Romani,
erantque cum exercitu; Vopiſcus in *Vitâ Aurel.*
cap. 5. *Donatus eidem etiam elephantus præcipuus,
quem ille Imperatori obtulit: ſoluſque omnium pri-
vatus Aurelianus elephanti dominus fuit.* Poſtea
eodem, poſtquam factus fuit Auguſtus, donante,
alii caſdem belluas videntur poſſediſſe: idem *cap.*
33. *Præceſſerunt elephanti viginti, feræ manſuetæ
Libycæ, Palæſtinæ, diverſæ ducentæ, quas ſtatim
Aurelianus privatis donavit, ne fiſcum annonis gra-
varet:* niſi potiùs ultima verba reſpiciant ſolas *fe-
C ras Libycas Palæſtinas*, quas Iſaacus Voſſius in
Variis Obſervat. ita appellari putat, quia Romam
deportatæ erant ex Libya prope Mareotin paludem,
quam inhabitabant Judæi ſive Palæſtini, (id quod
utique examine dignum eſt) & ita Imperator ſibi
ſervaverit elephantos. Nam apud Vopiſcum non
legitur, uti Voſſius ſcribit, currum Aureliani
triumphalem præceſſiſſe ducentas diverſas feras
manſuetas *è Libyca Palæſtina*; verùm *feras man-
ſuetas Libycas, Palæſtinas*; & Salmaſius, nec non
Obrechtus eas diſtinguunt; & vir ille ſummus pu-
tat ex Libya & Palæſtina ducentas pantheras fuiſſe
D Romam deportatas, quia prioribus numerus non
additur; ac propterea videant Eruditi, an non
tranſponenda verba ſint: *feræ manſuetæ Libycæ di-
verſæ, Palæſtinæ ducentæ*: vel, *feræ manſuetæ
Libycæ ducentæ, Palæſtinæ diverſæ.* Vel an non
potiùs ſcribat Vopiſcus fuiſſe ductas *feras Libycas
& Palæſtinas diverſas*, ita ut omnes ducentæ illæ
non fuerint pantheræ, ſed diverſi generis. Sed
apud Dionem *lib.* 49. exemplum eſt, unde quis
non abſque ratione affirmare poſſet, privatos, vel
ſaltem unum, Triumvirorum tempore elephan-
tum ſibi habuiſſe; narrat enim L. Cornuficium
exercitum ab Octaviano Cæſare ſibi in Sicilia
E commiſſum A. V. C. 717. ſervaſſe, & eum pro-
pterea eò inſolentiæ veniſſe, ut quando domum
à cœna rediret, elephanto vectus ſit: Τοσοῦτον γάρ
που καὶ ὁ Κορνουφίκιος ἐπὶ τῇ τῶν στρατιωτῶν σωτηρίᾳ
ἐφρόνει, ὥστε καὶ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπὶ ἐλέφαντος, ὁσάκις ἔξω
τῆς οἰκίας ἐδείπνει, ἀνακομίζεσθαι: *Ipſe Cornuficius
tantum ſibi ob ſervatos à ſe milites tribuit, ut Ro-
mæ etiam domum, quoties foris pranderet* vel *cœna-
ret, elephanto vectus rediret.* Nec certè quomodo
hæc conciliari poſſint cum Juvenale video; niſi
hoc factum temporibus turbulentis tribuas, ſta-
tuaſque poſtea ſtabilita Cæſarum dominatione,
F neminem privatum elephanti dominum fuiſſe.

Sed & Joh. Schefferus, magnum, dum viveret,
Sueciæ lumen, lib. 1. cap. 19. *de Re Vehic.* notat,
Romanos vehiculis aliis, quàm Circenſibus,
junxiſſe elephantos, quibus nempe onera porta-
bantur, adducitque verba Senecæ lib. 2. *de Ira* c.
31. *Adſpice elephantorum jugo colla ſubmiſſa*; ut hoc
probet; atque inde videtur ſequi, eum ſtatuiſſe,
privatos etiam habuiſſe ſibi elephantos, non autem
ſolos Cæſares. Sed hoc mihi nequaquam veroſi-
mile videtur; & puto Senecam reſpexiſſe ad ele-
phantos, qui Ludorum tempore juncti erant ad
cur-

currus, & ita colla jugo submittebant: nisi Imperatores subinde belluarum illarum operâ in deportandis materiis, quæ ad moles & opera publica exstruenda requirebantur, usi sint; quomodo vidimus Hadrianum colosso erigendo adhibuisse elephantos quatuor & viginti.

Notandum etiam est, P. Petavium in *Antiquariæ supellectilis portiuncula*, lucernam fictilem exhibere, in quo nobis elephas cum sessore vel Indo repræsentatur, nec non parvus elephas, & fundo inscribitur SAECVL.

cujus ectypum supponere visum fuit, quia Libellus ille admodum rarus est; & fortè hîc conservatur memoria *Ludorum Sæcularium*; nisi sit nomen vel nomina artificis, cùm post SAE. punctum, ut vocant, positum sit; & in Inscript. 3. pag. DL. memoretur apud Gruterum SAECVLARIA SEVERINA.

Neque profectò facere non possum, quin addam Inscriptionem 6. pag. CCCCLXXXIV. apud Gruterum, & dein examinandum Eruditis, an in illa nobis etiam *elephanti* memorentur: Neapoli fuit inventa, & in ea hæc inter cetera leguntur:

—— —— HONOREM. AEDILITAT
LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT.
ET. DIEM. FELICISSIM. III. ID.
IAN. NATALIS
DEI. PATRI. N. VENATIONE. PASS.
DENIS. BESTIS. ET. IIII. FERIS.
DENT. ET. IIII. PARIBVS
FERRO. DIMICANTIB. CETEROQ.
HONESTISSIM. APPARATV. LARGITER. EXIBVIT.

Nam quamvis elephantorum ibi nulla fiat mentio, tamen do aliis considerandum, an non per *bestias*, vel saltem *feras dentatas* designentur belluæ nostræ. Certè Capacius libro 1. extremo *Historiæ Neapolitanæ* ultimis accenset, lupos, canes, leones, pantheras, homines, equos, asinos, boves, oves, capras, apros & *elephantos*, quæ ultima animalia binos dicit ostendere exertos dentes, licèt *cornua* potiùs in elephanto appellentur. Sed *homines* ibi memorare non convenit; neque etiam alia animalia mihi videntur locum habere posse, & ego crederem vel describi *apros* vel *elephantos*, quanquam rationem comminisci nequeam, quare vel hoc, vel illud ita in lapide illo positum sit. Per PASS. autem, quam vocem non attingit Capacius, puto designari *passeres*, vel *struthiocamelos*, quos alii *passeres marinos*, id est, transmarinos, vocant, uti notissimum; *Deus* autem *patrius noster*, quæ religio penitus Capacio ignota, vel est *Hebon* à Neapolitanis, uti ex Macrobio patet, cultus inprimis; vel alius quidam; quo modo *Eumelus* vocatur in alia Inscript. Θεὸς Πατρῷος à tribulibus Eumelidis. Idem Capacius addit *Rempubl. Tegianensium*; cujus in eo-

A dem lapide mentio, sibi planè esse incognitam; Cluverius lib. 4. *Ital. Ant.* c. 6. oppidum in Campania fuisse *Tegianum* nomine inter Vesuvium montem & Nolam putat, quia in Tabula Itineraria scribitur, *Nuceria Ad teglanum* VIIII. *Nola.* V. & ibi scribi debere *Tegianum*. Sed Holstenius miratur locum adeò obscurum *Reipubl.* nomine vocari, & existimat scribi debere *Teglarium*, vel *Tegularium* in Tabula illa, ut sit locus ubi tegulæ coquebantur; & in lapide *Tegianenses* pro *Teanenses*, quæ olim secunda post Capuam Campaniæ civitas; atque hoc quadratarii erratum esse.

B Quin & venit mihi nonnunquam in mentem elephantos ab Alexandrinis artificibus fuisse intextos tapetibus. Certè Plautus *Pseud.* Act. 1. Sc. 2. ỳ. 14. ita loquitur:

Ita ego vostra latera loris faciam, ut validè varia sint:
Ut ne peristromata quidem æquè picta sint Campanica,
Neque Alexandrina BELLVATA *conchyliata tapetia.*

C Nam cùm elephas per excellentiam appelletur *bellua*, uti patet ex Terentio, & aliis Auctoribus, qui passim his in *Exercitationibus* laudantur, hinc putabam commodè per *belluata tapetia* designari illa, in quibus elephas erat textus, quanquam nec ita alia excludam animalia. Imò nec rejicere volo Isaaci Vossii *ad Catullum* explicationem, qui putat in Alexandrinis tapetibus, à Judæis factis, (nullam tamen rationem video, quare ipsi Ægyptii non admittantur) non conspectas fuisse veras animalium imagines, sed fabulosorum animalium & immanium monstrorum, qualia in India nasci mentiuntur Græci, effigies tantùm; idque maximè, quia Claudianus lib. 1. *in Eutrop.* postquam
D recensuit testudines volantes, cornutos vultures, æquora frugibus consita, delphines silvestres & homines junctos cochleis, demum addit,

—— *& quidquid inane*
Nutrit Judaicis quæ pingitur India velis.

Et *bellua* mihi nasci fecit suspicionem, Plautum respicere ad elephantos pictos in tapetibus, sive à Judæis Alexandrinis, sive ab Indis Orientalibus in gratiam Judæorum textis; nam hosce designari putat vir eruditus qui *Acta Eruditorum Gallica* edidit, & mense Majo Anni 1703. notat, ordina-
E riè nos malè de Indis sentire, eosque à nobis considerari ut barbaros, apud quos nihil nisi monstrosum, inde laudatis Claudiani verbis, addit, eos habuisse suos sapientes, libros, & morum doctrinam æquè puram ac Græci, idque probat ex *Specimine Sapientiæ Indorum veterum*, qui liber originem suam Indiæ Orientali debet.

Locum illum Claudiani etiam ad partes vocat Wormius lib. 2. c. 20. *De Corr. Antiquit.* Hebræis, & Judæis in genere, ejuscemodi monstrosa tapetia tribuit, & advocat magnifica peristromata, quæ ab iis in Deserto facta, narrante Mose, ad-
F ditque posteriori etiam tempore Paulum se huic arti addixisse S. S. testari. Sed Paulus dicitur fuisse σκηνοποιὸς, id est, *tentoriorum confector*, quod artificium nihil commune habet cum polymitariis: atque ita mox non satis cautè scribit Assyriorum tapetia monstrosa commendari Petronio,

Tuo palato clausus pavo pascitur
Plumato amictus aulæo Babylonico.

Neque enim hîc aliquid monstrum apparet; sed dicit Petronius tam pulchri ac varii coloris esse pavonem, ac sunt tapetia Babylonica.

Fuit

Fuit & Romæ in regione octava, teste Victore, *Elephantus herbarius*; putatque doctissimus Nardinus lib. 4. cap. 5. *Romæ veteris*, statuam elephanti fuisse ab Augusto positam, cum munusculis ab olitoribus ei porrectis; vel fuisse pilæ impositam, seu basi, quæ loco illi foret pro insigni; & saltem eo in loco positam fuisse, ubi olera vendi solita, certive aliquid indicari vel dici non posse. Nescio an locus ab eo nomen acceperit; lego tamen apud Anonym. *De Mirabil. Urbis Romæ*, qui est nugator egregius, & quem edidit Bern. de Montfaucon pag. 295. *Diarii Italici: in Elephanto templum Sibyllæ & templum Ciceronis in Tulliano.* Et notandus hac occasione insignis error, qui irrepsit in Indicem Latinum Nardini, juxta quem *Elephantes ænei Tiridatis* fuissent Romæ, cùm tàm ille, quàm Donatus agant de *Equis Tiridatis*, vel æneis, vel marmoreis.

Adjiciendus tandem est nummus, licèt vetusti temporis non sit, Rudolphi, Ducis Sueviæ, filii Rudolphi Imperatoris, qui obiit prid. Cal. Octob. Anni 1291. & Annæ Augustæ Suevæ, filiæ Alberti Comitis de Hohenberg, qui ante patrem obiit & Spiræ sepultus est. Octavius enim de Strada nummum illius Ducis exhibuit, cujus in aversa parte elephas pictus est, unà cum epigraphe, VI PARVA NON INVERTITUR, ad significandum, ut puto, Rudolphum nullis viribus cogi posse, ut sententiam mutaret, vel ut eum alii evertere & lædere possent; quemadmodum elephas etiam difficulter nolens invertitur vel convertitur:



A Quin & observandum inprimis, in mortem Gustavi Adolphi occisi in prælio prope Lutzenum, oppidulum Misniæ, & tamen Victoris, pictum fuisse elephantem mortuum cadentem, & occidentem draconem, cum hoc symbolo, *Etiam post funera victor*; quod emblema sumtum est ex Plinio lib. 8. cap. 12. *Histor. Natur.* ubi de inimicitiis elephantorum & draconum loquitur, & quidem in fine ejus capitis: *Dracones esse tantos, ut totum sanguinem* (elephantorum) *capiant. Itaque elephantos ab iis ebibi, siccatosque concidere; & dracones inebriatos opprimi, commorique.*

B Sed, cùm ad posteriora elephantorum monumenta descendam, quæque nihil ad Romam vel Asiam Græcosve pertineant, injurius certè forem in Serenissimum Daniæ Regem, si nullam mentionem facerem Ordinis Elephantini, quo singulari & summo animal illud ingens adfectum est, cùm ejus effigies in signum virtutis & nobilitatis gestetur ab iis, quos Rex Ordini illi adscripsit, in quem non modò recepti sunt varii Principes & Duces, verùm etiam nonnulla patriæ meæ decora & magnæ nobilitatis viri, & quidem Wassenarii & Rhedii Amerongii. Mei non est instituti in Ordinis hujus originem inquirere, aut disputare, C an ille institutus sit à Christiano I. ex gente Oldenburgica, aut illo sit vetustior, sed tantùm dicam varios Daniæ Reges Nummos animali hoc signasse, uti plures videre licet editos à clarissimo Jacobæo in *Museo Danico*, in quibus elephanti etiam turriti conspiciuntur, quosque ex eo recenset in Dissertatione, quam *de Ordine Elephantino* Wittebergæ Anno 1697. edidit, Ernestus Loeschcrus, in qua etiam diligenter inquirit in decoris hujus originem.

Nec omittendum, Vartomannum apud Aldrovandum narrare in Insula Sumatra Nummos cudi, qui ab una parte cælatum habent caput Cacodæ- D monis; ab altera carpentum, quod ab elephantis trahitur: & Bernhardum de Montfaucon p. 342. *Diarii Italici* describere pavimentum operis musivi, quod Senis visitur, & eum tradere videri in illo insignia urbis illius, & aliarum ipsi fœderatarum; *Senæ insigne esse lupam, Arretii equum, Orbis veteris, Orvieto, anserem, Romæ* ELEPHANTUM, *cui imposita turris, qualem in Numismatibus videmus, Perusiæ crucem, Viterbii unicornem, Pisarum leporem, Lucæ pantheram, Florentiæ leonem, &c. adposito ad singula insignia singularum urbium nomine:* quod puto seculis po- E sterioribus factum esse, quia Roma urbium maxima & elephas animalium terrestrium; neque enim quam aliam rationem expiscari possum; vellem autem Nummos videre, in quibus elephantorum dorsis turres sunt impositæ; neque enim ad hunc usque diem ullum conspexi.

Adjiciendum tandem est, Alexandrum VII. Pontificem Romanum, erectum obeliscum Ægyptiacum in foro Minervæ superimposuisse elephanto:

Et rectè me facturum existimavi si à Kirchero, vastæ viro eruditionis, exscriptum pictumque etiam hac in *Exercitatione* exhibeam, adjiciamque carmen, quo non infelix Poëta memoriam tam magnanimæ & sumtuosæ rei celebravit.

A

Epigramma I.

Sustinet Ægypti veterem nova machina molem,
Et docilis doctum Bellua gestat onus:
Romuleam Princeps sic ornat, & erudit Vrbem,
Eruta restituit prisca, novamque facit.

II.

Hic ubi Romulidæ quondam coluere Minervam
Palladis antiquæ fert Elephantis opes,
B *Quantum Pontificis sapientia proficit Vrbi,*
Erudit ornando, qui sapienter amat.

III.

Barbara monstrosis sapientia sculpta figuris
Turrigeræ cumulat tergora vasta feræ.
Cur gerit hanc Elephas? fert munera docta Minervæ
Saxeus, ingenio Principis ille sapit.

IV.

C *Monstra refert Obelus: latitat sapientia monstris*
Bellua, quæ molem gestat, & ipsa sapit.
Ad veterem veniunt peregrina tributa Minervam;
Hanc sub Alexandro monstra vel ipsa colunt.

V.

Quæ sapiens monstris inscripsit marmora Memphis
Protulit ingenium Barbara Terra suum.
Pondere quæ docto gravis hic stetit ante Minervam
Promsit & ingenium Bellua docta suum.

D Nec, si quid video, omittendum est, elephantorum etiam mentionem fieri in Jure Civili, in quo inter mixta animalia recensentur, sive quæ partim mitia, partim fera sunt: *l.* 2. §. 2. *ad L. Aquil. Canis inter pecudes non est. Longè magis bestiæ in eo numero non sunt; veluti ursæ, leones, pantheræ.* ELEFANTI *autem & cameli, quasi mixti sunt: nam & jumentorum operam præstant, & natura eorum fera est:* qualia etiam leguntur Tom. VII. Βασιλικῶν tit. III. §. 2. ad eandem legem.

Et hîc quæri haud incommodè posset, an in Edicto Prætoris, quod exstat apud Vlpianum *l.* 1. E *de postulando*, §. 6. *Bestias accipere debemus ex feritate magis, quàm ex animalis genere: nam quid si leo sit, vel alia* DENTATA *mansueta.* Mihi enim non incommodè videtur quæri posse, an non etiam elephanti inter *bestias dentatas* numerari debeant, cùm certum utique sit, illos magnos dentes ore exertos habere, eosdemque pugnasse in Circis & Amphitheatris constat satis ex iis, quæ antea notavi. Atque ita etiam Claudianus lib. 3. *de Laud. Stilic.* v. 315. enumerans animalia, quæ undique accita Populo Ludis exhibere ille constituerat, ferarum *dentatarum* etiam meminit:

F —— *cervos aliasque in vincula cogit*
Non sævas pecudes, sed luxuriantis arenæ
Delicias, pompam nemorum: quodcunque TREMENDVM
DENTIBVS, *aut insigne jubis, aut nobile cornu,*
Aut rigidum setis: capitur decus omne, timorque
Silvarum.

Inde ỷ. 334. fingit Dianam in Africa venari eximios leones, & pardos virides, & colligere cetera

ta Austri prodigia, nec non immanes dentes, elephantorum nempe, ex quibus sectis Consules fieri curabant pugillares, quos alio initio honoris dona mittebant. Illud autem quod sequitur, mihi videtur indicare, Romanos tunc temporis non tam cupidos fuisse adducendi elephantos, quàm eorum dentes, quia fingit insuper Deam eripuisse illos belluis, & ita hiatus in cranio reliquisse, atque adeò eandem non adduxisse elephantos, quia verebatur detineri à pigro & grandi hoc animali:

Plurimus ereptis elephas inglorius ibat
Dentibus. Insedit nigra cervice gementum,
Et fixum Dea quassat ebur, penitusque cruentis
Stirpibus avulsis patulos exarmat hiatus:
Ipsos quinetiam nobis miracula vellet
Ducere, sed pigra cunctari mole veretur.

Ubi nescio, an non distingui debeat. . . . *exarmat hiatus Ipsos: quinetiam*; quanquam non ignorem *miracula* posse jungi cum ea voce per figuram, adeò ut sit, *ipsos elephantos, quæ sunt miracula.* Sed ut ad Vlpianum redeam, adseverare tamen nolim, eum *bestiarum* nomine etiam elephantos comprehendisse, quia Isidorus lib. 12. *Orig.* cap. 2. ita loquitur: *Bestiarum vocabulum propriè convenit leonibus, tigribus, pardis, & vulpibus, canibusque & simiis, & cæteris, quæ vel ore, vel unguibus sæviunt*; atque ita videtur excludere elephantos, quippe qui non tàm ore lædunt & unguibus, quàm proboscide & pedibus; & illi non tàm *bestiæ* appellantur, quàm *belluæ*, uti apud Terentium, Juvenalem *sat.* 10. Silium Italicum, cui etiam *fera* dicitur, Plinium, Livium, aliosque; imò Suetonius alicubi *bestias* à *bellua* vel elephanto distinguit. Neque tamen hoc perpetuum, cùm elephanti etiam *bestiæ* appellentur, id quod facit Hirtius, & proculdubio etiam alii, quorum verba per hasce *Exercitationes* sparsa sunt. Hæc autem Prætoris verba si quis, excepta hac mea conjectura, pleniùs intelligere velit, adeat Notas celeberrimi Antecessoris, Gerh. Noodt, *ad lib.* 1. *Tit.* 1. *Pandectarum*, quem politum & eruditum Libellum, ut reliquos suos, mihi donum misit, quo nomine me multum eidem debere confiteor.

Quin & Romani proverbiis ab eadem bellua petitis usi sunt, uti Plinius in *Præfatione, celeriùs elephanti pariunt*, quod de tardis & cunctatoribus, quia elephanti dicuntur per x. annos uterum gestare; Plautus, *elephanti corio circumtectus*, quod de fatuis & insulsis; & Augustus apud Suetonium; & Quintil. lib. 6. *Instit.* cap. 3. *elephanto assem porrigere*, quod de iis usurpare potest, qui timidè aliquid agunt, vel ad aliquem accedunt, quia qui assem vel nummulum belluæ dant, non absque timore ad eam accedunt, sibique metuunt. Sic Ennius apud Varronem lib. 6. *de Lingua Lat.* de rebus, quæ fieri non possunt,

Atque priùs pariet locusta Lucam bovem.

Nec non Fulgentius in *Astronomicis*, ubi postquam sese imparem illi materiæ esse cecinisset, addit:

Quin mage pernices aquilas vis pigra ELEFANTUM
Præcurret, volucremque pigens testudo Molossum,
Quamvis rorifluam sectemur carmine Lunam.

Quod proverbium commodè de iis usurpari potest, qui impares operi sunt suscepto, vel præ modestia se impares esse scribunt; & nisi *pigens* usurpatum tunc fuerit pro *pigro* & *tardo*, fortè legi debet *piger*, vel *pigrens*; cujus tamen, non secus ac alterius vocis exemplum quæro: licèt descendere possit à *pigret*; quo apud Nonium utuntur Ennius & Accius: & *pigro* vel *pigror*, quæ in *Glossis* occurrunt. Et hanc ad classem pertinet etiam Ciceronis locus, apud quem c. 9. *de Sen.* Cato ita loquitur: *Nec nunc quidem vires desidero adolescentis, non plùs quàm adolescens tauri aut elephanti desiderabam.*

Nec omittendum Scriptoribus Gallis vocem *Olifant*, notante amplissimo & eruditissimo Du-Cangio, usurpari pro litui vel tubæ specie; quod fortè factum, quia illa stridorem inflata edebat, adinstar barritus elephanti; vel quia prima earum ex dente vel cornu elephantino fuit; vel quia ex ære facta illud referebat.

Quin & notandum, homines nonnullos nomen sibi vasti hujus animalis adsumsisse: nam in *Collectione veterum Monumentorum* apud Petrum de Marca p. 777. Marcæ Hispanicæ memoratur *Elefantus* Vzeciæ urbis, & p. 1138. *Elephas* Aptensis Episcopus. Quò pertinet omnino Poëtriam etiam fuisse, cui nomen *Elephantis*, memoratam Martiali *lib.* 12. *epig.* 43. & Tatiano lib. *advers. Gentes*; quam malè Poëtam facit Capacius in *Historia Neapolitana*, uti observavit vir insignis Joh. Gerh. Vossius. Imò ex Polybio antea memini me docere, Philippum, Macedoniæ Regem, Ducem habuisse *Nicanorem* nomine, cui cognomen erat *Elephanti.* Atque Græci hoc nomen etiam dabant aliis magnis animalibus, & *Taurelephantos* vocabant, boves ingentes & maximos, qui revera boves vel tauri erant, & magnitudine, corio & colore elephantos referebant, quales in Æthiopia nobis describit Philostratus *lib.* 3. *cap.* 11.

Et tandem occasione singularium elephantorum, commodè mihi venit in mentem gemma vetus, in qua Mercurius, gerens crumenam & caduceum & alis carens, insidet elephanto apud Gorlæum:

Hoc symbolum quò referendum sit, nescio planè, & credo multa gemmis insculpta esse pro lubitu artificum, vel eorum, qui gemmas sculpendas curarunt, quorum nulla certa ratio reddi potest. Quod si quid tamen hoc ænigmate significare artifex voluit, fieri fortè potest, ut mercatoribus aptari possit: eorum enim Deus Mercurius dictus propterea in Lapidibus apud Gruterum CENSVALIS & NEGOTIATOR; in alio apud Sponium, & Martiano Capellæ *lib.* 2. LVCRORVM POTENS; Ausonio *Dives*; Hesychio & aliis Κερδῷος & Ἐμπολαῖος; Heliodoro Ἀγοραῖος καὶ Ἐμπορικός: eundemque mercatoribus præesse docet eleganti loco Artemidorus *lib.* 2. *cap.* 42. ipsumque illud nomen à *Mercibus* deductum, quia erat Deus negotiatorum, putat Festus. Hic igitur Mercurius insidet elephanto, ad denotandum, mercatores debere valere *memoria*, *probitate*, *prudentia*, & *æquitate*, quas virtutes belluis his tribuit Plinius; atque inde certum lucrum, quod crumenâ denotatur; quin imò potest hæc gemma signata esse mercatori, qui opera ex ebore vendebat, vel qui ipsam etiam Indiam petebat, regionisque illius vendebat merces; quò pertinet illud Horatii,

Impiger extremos currit mercator ad Indos.

Quicquid hujus rei sit, videmus Mercurium alis pla-

planè carentem, qualis etiam occurrit apud doctissimum mihique, dum viveret, amicissimum Fabrettum, in marmore p. 174. *ad Col. Traj.* & alibi, impositum elephanto; & nisi planè à proposito abducerer, daretur hîc agendi locus de aliis Diis, quos etiam animalibus insidentes finxit stulta Gentilium superstitio. Addam tamen, Lucilium apud Nonium in V. *Mira*, libro 1. *Satyrarum* canere, *Miracla cient elefantes*, id est, facient res miras; & apud eundem in nescio quo libro scribere, *Transverso ordine posuit hippocampelephantocamelos*; voce more Aristophanico composita id fieri notavit Scaliger *ad Verronem in lib. de Lingua Latina*; & quanquam alii alia comminiscantur, atque hæc verba, *transverso ordine posuit*, Nonii putent esse, ego tamen sequendam existimo viri magni lectionem; sed ut video ibi *hippocampos*, *elephantos & camelos*, sibi invicem junctos, ita non satis capio, quid sibi Lucilius velit; nisi significet, Regem aliquem in exercitu suo & acie disposuisse, *equos*, *elephantos & camelos*, & illos vocet *hippocampos*, quia ungulis campos quatiebant; nisi quis malit *elephantos* vocari *campelephantos*, propter magnitudinem, & quia Græci omnia cetacea, & propterea etiam balænas καμπὰς appellabant. Lucilii autem ætate elephanti & cameli propter bella in Asia & cum Carthaginiensibus gesta satis noti erant. Nonius quidem *Hippocampos* explicat, equos marinos, à flexu caudarum; & certè ita illi vocantur; sed nullus video, quomodo illi conveniant elephantis & camelis. Agit idem Scaliger eruditè de *Hippocampa* & *Hippocampo*, *ad lib.* 4. *Varronis de L. L.* ubi ita hic loquitur: *Sunt etiam animalia in aqua, quæ interdum in terram exeunt: alia Græcis vocabulis, ut polypus, hippopotamus, crocodilus: alia Latinis, ut rana, anas, mergus*; sed miror illum annotare Hippopotamum dici etiam *Hippocampam*, & esse diversum ab *Hippocampo*; Hippocampum esse animalculum apud Dioscoridem: at *Hippocampam*, quòd *Campas* equos marinos dicerent, auctore Festo; inde agit de Hippocampis, quos Veteres jungebant curribus Neptuni & Nereidum, eosque fictitios rectè putat: nam Varro non agit ibi de fictis animalibus, vel de animalculo Dioscoridis, sed de Hippopotamo, qui in Nilo & alibi nascitur, qui obvius est in Romanorum Impp. Nummis, quique est ἀμφίβιος, & tàm in aqua, quàm terra vivit, non secus ac ejusdem fluminis incola crocodilus.

Quin & Mercurius elephanto insidens significat proculdubio mercatores Indias & quidem navibus petiisse, unde fortè ratio peti posset, quare inter marinos Deos ille fuit numeratus, quo scil. elemento maximè mercimonia exercebantur, & ubi negotiantes Mercurius etiam conservabat. Dabit mihi, ut spero, veniam Lector, si supponam, quæ ea de re annotata mihi sunt. Et certè inter *marinos Deos* numeratur Mercurius: Lycophroni v. 680. dicitur Τρικέφαλος Θεὸς, cujus cognominis varias rationes reddens Scholiastes, & mare advocat: Τρικέφαλος δὲ ὁ αὐτὸς, ὡς οὐράνιος, θαλάσσιος, καὶ ἐπίγειος; atque similia legas apud Eustathium *ad Iliadem*; quò pertinet Aristidem *Platonica* 1. rationem reddentem, quare ἀκάκητος & aliis cognominibus appellaretur, ita loqui: Ἀγαθὰ ἑξῆς ἅπαντα πορίζει τοῖς ἀνθρώποις, ἐν πολέμοις, ἐν εἰρήνῃ, ἐν γῇ, ἐν θαλάσσῃ, ἐν δυσκόλοις, ἐν εὐφροσύνῃ, πανταχοῦ: ubi non errabit is, qui *mare* ad mercaturas, quæ elemento illo magno cum humani generis commodo exercentur, referat, quibus præerat hic fictitius Deus. Et hinc proculdubio explicandus est Gallieni nummus, cujus in aversa area legitur MERCVRIO. CONS. AVG. & cernitur apud Comitem Mediobarbum, monstrum marinum anteriori parte equum, posteriori piscem exhibens; quale etiam occurrit in aliis, in quibus legitur NEPTVNO. CONS. AVG. qualem etiam æneum possideo. Factum hoc proculdubio, quia Mercurius censebatur inter tutores maris, non secus ac Neptunus, conservatoresque navigantium & mercantium.

Atque ut Romæ, ita postea Constantinopoli etiam ab Imperatoribus Græcis vel Byzantinis elephanti fuerunt Populo exhibiti: nam Michael Glycas *libro* 1. ubi de sextæ diei operibus agit, cùm memorasset cameli iracundiam & longam injuriarum memoriam, subdit, elephantem, cùm in Circum deduceretur, interfecisse καταλλάκτην, *mensularium*, non *magistrum ferarum*, uti vox illa redditur apud Lipsium lib. 1. epist. 50. *Cent. Misc.* quâ de hisce belluis agit, sedentem ad *Milium*, vel *Milliarium aureum*; quia ante decem annos eundem, cùm etiam in Circum deduceretur, ipso illo in loco vulneraverat: nam hoc proculdubio accidit Constantinopoli, quia Glycas ea in urbe Seculo XII. floruit, quo jam Roma venerabatur Pontificem, & ejusmodi spectacula, dirutis per Barbaros Circis aliisque operibus publicis & collapsis, ibi non exhibebantur. Rarum tamen Constantinopoli hoc animal etiam; & Cedrenus pag. 375. narrat Justiniani tempore, Indorum Legatum eò venisse, & adduxisse secum elephantem, qui noctu stabulo egressus multos occidit, & alios mutilavit: quam rem etiam memoriæ mandat Anastasius p. 64. addens, Legatum ingressum esse Hippodromum cum elephante ad ostendendum, ut puto, munus suum, & mense Martio belluam è stabulo noctu exsiliisse, interfecisse multos, & alios debilitasse. Atque ita Marcellinus Comes, proculdubio veluti rem extraordinariam, narrat, ex India ad Anastasium Imp. missum esse elephantem: *India Anastasio Principi elephantem, quem Plautus Poëta noster* LVCABVM *nomine dicit, duasque camelopardales pro munere misit.*

Nec modò Constantinopoli, verùm etiam in Occidente insolens hæc bellua erat, unde inter maxima munera habebatur: sic legimus Aaronem, Persarum vel Saracenorum Regem, Carolo Magno Anno Christi DCCCII. misisse dono elephantum, eum Imperatori oblatum fuisse Aquisgrani, & mortuum in loco, cui nomen Lippia, trans Rhenum, in *Annalibus Francicis* incerti Auctoris, *Vita Caroli Magni*, Gotfrido Viterbiense, Reginone Abbate, Lamberto Schafburgensi, & aliis: atque ex Auctore Annalium rerum gestarum à Carolo Magno ad eundem annum patet, nomen elephanto fuisse *Abulabaz*, uti antea monui. Et Hier. Osorius, lib. 9. *de Gestis Emanuelis Regis*, narrat, Anno 1514. elephantum Indicum Romæ, ubi id animal post inclinatam Imperii Romani majestatem visum nunquam erat, Leonem X. Pontificem Maximum ter genibus flexis, & demisso corporis habitu venerabundum salutasse. De quo non secus ac de binis aliis in Europam advectis elephantis agit etiam Pierius lib. 2. *Hierogl.* cap. 18. „Sanè elephas, *ait*, ad hæc usque tempora „longa seculorum serie in Italia fabulosus habitus est, neque hominum quisquam adduci poterat, tam deformem, immanemque belluam, qualem quantamque in picturis adspiciebant, iis dotibus excellere, quibus apud rerum Scriptores „insignis habebatur: nam quamvis trecentesimo „abhinc anno Fredericus II. Imperator elephantum ad nos ex Idumæa transvexerit, & superiori ætate alter in Italia visus fuerit, nihil tamen præter corporis vastitatem, quod celebratione dignum censeretur, super illis memoriæ proditum exstabat. Ceterùm omnem Historiæ antiquæ fidem adimplevit Hanno elephas, quem

„ ini-

„initio diximus ab Emanuele Lusitaniæ Rege, „Indiæque triumphatore, Leoni X. Pontifici „Max. dono missum, ac nos Romæ vidimus, „qui tanta ingenii, intelligentiæ, atque docilitatis exempla præstitit eâ ætatulâ, (quadrimus enim „adhuc advectus erat) ut non modò, quæ à Scriptoribus tradita fuerant, credamus, verùm Auctores ipsos in hoc animantium genus quasi invidos, elevasse plurima, quæ longè magnificentiùs illustranda fuerant, suspicio sit. Quo de Hannone, id nomen erat elephanto, plura apud eundem legere licet; & ideo præcipuè viri pereruditi verba inserui huic *Exercitationi*, ut pateat, quàm rarus elephas per multos annos in Italia & Romæ fuerit.

CAP. XII.

De Triumphis curribus Elephantorum actis: non Pyrrhus, non Pompejus, non Nero ita triumphavit; Lipsii nota ad Senecam examinata: primus id fecisse Alex. Severus videtur; quamvis contrariæ sit sententiæ Phil. Buonaroti, vir doctissimus; inde exemplum ad alios bello Persico victores; Gordianus ita triumphasset, si Romam rediisset: tales currus ipsi decreti. Capitolini, & aliorum Historiæ Augustæ Scriptorum, verba examinata: currus tales triumphales etiam Imperatoribus aliam ob causam, quam victoriam Persicam, decreti: Gordiani nummus explicatus. Aldrovandus notatus: Seb. Erizzo expositus. Aurelianus Elephantorum curru in triumpho vectus dicitur fuisse: alii ipsi cervorum tribuunt currum: arcus Vesontionensis an ejus rei indicium. Lactantii insignis locus: Nummi Diocletiani, Maximiani & Maxentii: variæ de iis Doctorum sententiæ: Elephanti inter munera, quæ Persarum Reges mittebant Imperatoribus Constantinopolitanis: Herduini Maxentiani nummi explicatio examinata; Norisii probata: Consulum Cal. Januariis processus; an idem fecerint suffecti: Plinius Jun. tentatus. Parthi & Persæ post Alexandri successorum excussum jugum, bellarunt Elephantis: Heraclius iis triumphavit; Nicephorus expositus. Alii Constantinopolitani Impp. longè aliter agebant: Juliani tempore Elephanti in exercitu Persarum, Chosroës mille habuit, & quidem candidos: ea occasione de candido elephanto actum; ostenditurque Romæ etiam, tempore Augusti fortè, visum: apud Indos in pretio, & cur: an omnes albi in Æthiopia fuerint: Persæ iis in variis præliis usi; captique ab Imperat. Constantinopolitanis; Theophilacti Interpres reprehensus; Brissonius notatus: a Tarquinensibus adorati, & olim Constantinopoli a Severo: qui, qualisve fuerit disputatur: Originum Constantinopol. Libellus explicatus: Hesychii Mil. Interpres notatus; Suidas emendatus. Elephantorum simulacra Constantinopoli, non secus ac Antiochiæ. Rex Abassiæ Elephantis vectus: Joh. Malelæ locus examinatus. Epilogus.

HIs ita absolutis & disputatis, ad ultimam tandem *Exercitationis* II. partem veniendum est, sive ad TRIVMPHOS, qui fuerunt acti Romæ curribus, ad quos elephanti juncti fuerunt. Pyrrhum id fecisse videtur tradere Scholiastes Juvenalis, sed eum non satis idoneum esse testem, vel aliter verba ejusdem exponi debere; & Pompejum ejus moris non esse auctorem, vel quadrigis elephantorum, quamvis id facere constituerit, triumphasse, puto me docuisse; cúmque propterea Neronis usque ad imperium nemo Romanorum ita triumphaverit, miror utique præstantissimum Lipsium ad hæc verba *Senecæ lib. 2. cap. 31. de Ira*, *Adspice elephantorum jugo colla submissa*, annotare, „satis crebrum Romæ elephantos currum „trahere; sive Deorum in pompa Circensi, sive „triumphali: nam aliquem ita triumphasse ante Neronis tempora adhuc mihi non liquet; nec huc quicquam pertinent bigæ vel quadrigæ elephantorum ob victorias, vel alias ob causas, Augustis decretæ; quippe quæ ex ære vel marmore fuerunt; & nullum argumentum præbent, veris elephantis eos solemni in pompa sive sacra, sive triumphali, vectos fuisse. Quin nec Nero, id quod ex illa ratiocinatione videtur sequi, legitur ita triumphasse; primusque omnium Romanorum Imperatorum, si quid video, id fecit Alexander Severus, devictis Persis: nam quamvis hoc disertè & clarè non tradat nobis Lampridius, tamen ex Historia puto illud patere satis superque. Ille igitur Augustus, postquam Romam victor redierat, *pulcherrimo triumpho acto* VII. Cal. Oct. A. V. C. 955. verba ad Senatum fecit, dimisso Senatu Capitolium adscendit, & inde re divina facta concionem habuit, Populo congiarium & Ludos Circenses Persicos crastino die promisit: *Et post hoc ingenti gloria, & comitante Senatu, Equestri Ordine, atque omni Populo, circumfusisque undique mulieribus & infantibus, maximè militum conjugibus, pedes Palatium conscendit, quum retro* CVRRVS TRIVMPHALIS A QVATVOR ELEPHANTIS TRAHERETVR. Hæc puto omnia acta esse uno eodemque tempore; & cùm *currus triumphalis* ea in pompa fuerit, licèt redierit Imperator pedes in Palatium, credibile utique est, eum antea illo vectum fuisse, & ita Capitolium adiisse. Potuit certè meritò ita triumphare Severus, quia, teste Lampridio, bello Persico feliciter confecto, & *Artaxerxe fuso fugatoque trecentos elephantos ceperat, ducentos interfecerat, & decem & octo Romam perduxerat.* Et notandum inprimis, Nardinum lib. I. cap. 10. *Romæ Veteris* existimare, Pompejum non triumphasse quadrigâ elephantorum, quia porta nimis erat angusta; & quanquam Lampridius non narret Alexandrum Augustum curru tali Vrbem fuisse ingressum, tamen neminem sanæ mentis dubitaturum, quin id fecerit; & portam tempore illius fuisse dilatatam fortè. Rex autem Persarum habebat in exercitu *septingentos elephantos*, ex quibus Imperator Severus Alexander testatur sese *cepisse trecentos, interfecisse ducentos, & decem & octo perduxisse*; ubi tamen Salmasius in optimo codice notat scribi *triginta*, pro *trecentos*, quem ille numerum magis verum & ex Historiæ fide esse putat. Atque inde postea *Quadrigæ elephantorum* propriæ evaserunt Persici triumphi; uti multis docuit Eminentissimus Norisius, qui in hocce studio, omnique Historia tàm Ecclesiastica quàm profana ultra fidem est versatus; nec non illustris dignitatis, & excellentis doctrinæ, Serenissimi & Potentissimi Bo-

ruſſorum Regis Londini cùm maximè Legatus, Ezechiel Spanhemius; qui quàntum me complectatur, & quàm præclara & omnigena eruditione imbutus & inſtructus ſit, teſtantur tot edita Opera, & Exercitationes ad Conſtitutionem Antonini; quarum primam editionem mihi dedicavit, quo nomine me tam illuſtri & præſtanti adeò viro æternùm devinctum eſſe publicè teſtor & fateor; & tandem etiam hac de re agit Antonius Pagius, præclaræ itidem vir eruditionis.

Sed ne abrumpam filum meæ Diſſertationis, & quia, quæ annotarunt lumina illa, longiuſcula ſunt, viſum fuit ea his *Exercitationibus* adjicere; meliùs ita & uno adſpectu apparebit, quæ tantorum virorum ſit ſententia; & ſic meis nihil decedet, nec qualiſcunque diligentia mea obfuſcabitur; id quod proculdubio fieret, ſi infererem quæ occaſione triumphi Perſici ab iis publicata ſunt in *Explicatione Nummorum Diocletiani & Licinii*, in *Notis ad Julianum*, & in *Epiſtola Conſulari*; Operibus, quæ ætatem ferent, & ſemper admirabuntur illi, qui honorem ſtudiis habent.

Neque tamen omittendum eſt, Philippum Buonaroti pag. 237. *Obſervat. Hiſtor. in Numiſmata maximi moduli* arbitrari, Alexandrum Severum non fuiſſe vectum triumpho Perſico quadrigâ elephantorum, ſed eam ponè ſequutam eſſe, uti tradit de eo Palatium, poſt actum triumphum, petente Lampridius; & propterea in nullis Severi Nummis conſpici currus, quibus elephanti ſunt juncti: id quod etiam nos docent Nummi recenſiti à Mediobarbo, in quibus frequenter, quod notandum inprimis, Imperator vehitur quadrigâ equorum, ſive ob victoriam, ſive in proceſſu Conſulari.

Quicquid ſit, Alexander Severus primus curru elephantorum vel triumphavit, vel certè talem quadrigam tranſvexit in triumpho; & inde alii Imperatores, qui cum Perſis bella geſſerunt, illud imitati fuerunt, vel ſaltem tales currus iiſdem ob res contra Perſas benè geſtas à Senatu decreti ſunt. Sic cùm Gordianus Pius vel tertius multos elephantos cepiſſet, delatis Romam laureatis litteris, & lectis in Senatu; *quadrigæ elephantorum in Senatu decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet*; id eſt, ut quadrigis elephantorum vectus triumpharet ob devictos Perſas: videri tamen poſſet Senatus decreviſſe, ut quadrigæ elephantorum ex ære vel alia materia in quodam Urbis loco Gordiano ponerentur, (illud enim hæc loquendi ratio, *quadrigæ decretæ ſunt*, videtur ſuadere) & ſimul ſtatuiſſe, ut triumpho Perſico triumpharet, ſive id equis fieret, ſive potiùs elephantis. Tillemontius poſteriorem ſententiam ſequitur, & hunc locum ante oculos habens ſcribit, Senatum decreviſſe, *que Gordien triompheroit ſur un char trainé par des élephans, puiſqu'il avoit vaincu les Perſes, & decerna auſſi un char de triomphe à Miſithée, avec une inſcription magnifique, qui le qualifioit le Tuteur de la République, & qu'on croit, qu'on l'a encore preſque toute entiére à Rome.*

Currus elephantorum ob alias res etiam decretos fuiſſe, patet ſatis ſuperque ex iis, quæ antea annotavi; nec non ex ejuſdem temporis hiſtoria; quo ſcilicet Maximo & Balbino Auguſtis, atque Gordiano Cæſari ob occiſos Maximinos idem honos habitus eſt; digna ſunt Capitolini in *Vita Maximini* cap. 26. verba, quæ integra adſcribantur: „Pòſt rogatus ſententiam Cuſpidius Celerinus „hæc verba habuit: P. C. eraſo nomine Maxi„minorum, appellatiſque Divis Gordianis, victo„riæ causâ Principibus noſtris, Maximo, Balbi„no, & Gordiano ſtatuas cum elephantis decer„nimus, currus triumphales decernimus, ſtatuas „equeſtes decernimus, tropæa decernimus. Hoc factum eſſe propter illorum Principum clementiam & manſuetudinem, & quia Senatus Romanus timore liberatus erat, quem ex Maximini Imp. immanitate contraxerat, putat Pierius lib. 2. *Hieroglyph.* cùm tamen Capitolinus *Victoriam* tantùm alleget. Præterea verbis illis ſupponit hanc Vir eminentiſſimus ἐπίκρισιν: „Balbino, Maximo & „Gordiano poſt occiſum Maximinum ſtatuas cùm „elephantis S. C. decretas teſtatur Capitolinus, „cùm tamen in Hiſtoria Romana ſtatuæ tantùm „equeſtres S. C. deſtinatæ dicantur. Quare ſicuti „ſtatuæ elephantorum decretæ ſunt, itidem & cur„rus elephantorum decerni potuit. Hæc nota, ſi benè illius mentem percipio, diſtinguit *ſtatuas elephantorum*, & *currus elephantorum*; inter quæ ſi qua differentia eſt, videtur ſequi, ſtatuas fuiſſe elephantis impoſitas ad eum modum, quo hodie pedibus ſub corpus inflexis inſident iis Reges & Magnates Indi; vel pedibus divaricatis, quomodo Mercurium in gemma depictum eſſe docui; vel denique ſtatuas elephantis pedibus inſtitiſſe; non ſecus ac exhibetur ſtatua Dei Dolicheni, vel militis potiùs Deo illi conſecrata bovi inſiſtens apud Carolum Patinum, & alia figura virilis animali incognito in nummo Tarſenſium apud Begerum pag. 507. *Theſauri Brandeburgici.*

Sed ne jam dicam alias etiam quàm equeſtres ſtatuas S. C. poſitas eſſe, cùm nullibi legamus Romanos ſtatuas Auguſtorum ita elephantis impoſuiſſe; putabam nonnunquam *ſtatuas elephantorum* nihil aliud eſſe, quàm *elephantos* ex ære ſive marmore factos; vel *ſtatuas cum elephantis* Maximo, Balbino & Gordiano decretas, fuiſſe curru, ad quem elephanti erant juncti, vectas; *currus triumphales*, eſſe *equorum* quadrigas; & inde ſequi *ſtatuas equeſtres*; vel idem eſſe, *currus triumphales decernimus*, cum altero, quod præcedit, *ſtatuas cum elephantis decernimus*; vel fortè ſcribi debere, *ſtatuas decernimus, currus triumphales cum elephantis decernimus*; ita ut primo loco deſignentur ſtatuæ pedeſtres, ſecundo curru elephantorum vectæ, & tandem equeſtres; quin imò commodè, ſi me planè non fallo, *curribus triumphalibus*, additur, *cum elephantis*; quia alii currus triumphales erant, equeſtres, vel ad quos equi erant juncti. Et hanc diſtinctionem mirificè firmat Capitolinus in *Gordiano* cap. 27. „His in Senatu „lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decre„tæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho „Perſico triumpharet: Miſitheo autem quadriga „equorum & triumphalis currus. Jam docui mihi videri Gordiano decretas fuiſſe quadrigas elephantorum, ſimulque Senatum cenſuiſſe, ut propter devictos Perſas triumpharet; & hinc præterea patet Miſitheo, qui erat Imperatoris ſocer, decretum fuiſſe triumphalem currum, ad quem quatuor equi erant juncti; quod deſignatur figura ſolemni, quam διὰ δυοῖν vocant, *quadriga equorum & triumphalis currus*; quæ ſi etiam in verbis præcedentibus locum habere poſſet, jam nihil aliud dixiſſet Capitolinus, quàm Senatum cenſuiſſe, ut Gordianus propter devictos Perſas quadrigâ elephantorum Romanis redditus triumpharet; quod tamen neſcio an rectè explicetur per *quadrigas elephantorum decretas*; quippe quomodo loquebantur, quando ejuſmodi quadrigæ in honorem alicujus publicè ponebantur. Atque ut libenter aliorum, qui feliciores erunt in his difficultatibus enucleandis, ſententiam amplectar; ita facere non poſſum, quin moneam humani aliquid pati Ulyſſem Aldrovandum, cùm in Libro *de Quadrupedibus* ſcribit, *Gordianum Imp. ſuo quoque triumpho elephantis vectum eſſe*; cùm nihil tale apud Capitolinum, cujus auctoritate id probat, legatur, & Gor-

Gordianus nunquam Romam, postquam in Persas profectus est, redierit, multò minùs triumphaverit. Narrat ille tantùm, quod & annotatum Aldrovando, Romæ tunc temporis fuisse elephantos XXXII. quorum Gordianus XII. miserat, Alexander decem; eosque, uti etiam alia animalia, quæ cap. 33. *Gordian.* recensentur, parasse Gordianum ad triumphum Persicum, & Philippum Ludis secularibus dedisse vel occidisse. Atque hæc cùm scripsissem, video doctissimum Schefferum lib. I. cap. 9. *de Re Vehic.* ita legere verba Capitolini: *His litteris in Senatu lectis quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ sunt, atque, qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet:* additque, Quicquid sit, quadrigæ elephantorum Gordiano hìc decretæ, non ut iis triumpharet, sed ut ex lapide marmoreve formatis publico loco honoraretur. Nunquam enim triumphantibus à Senatu legimus decretum, quo animalium genere uterentur in curru: at honores, statuas, bigas, quadrigas invenimus decretas sæpissime. Et sequitur statim apud Capitolinum, *Misitheo* autem *quadriga equorum & triumphalis currus*, & titulus hujusmodi, quæ omnia de statuis intelligenda: atque ita tandem concludit, Gordiano etiam decretas fuisse quadrigas cum elephantis; quæ certè viri præstantissimi nota conjecturas meas firmat mirificè.

Et notandum inprimis, à Sebastiano Erizzo recenseri nummum pag. 504. cujus in una area cernitur Gordianus laureatus, legiturque M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΓ. & in altera, currus triumphalis, ad quem quatuor elephanti sunt juncti, cui Imperator insistit, tenens dextrâ coronam, sinistrâ hastam, cum inscriptione ΝΕΩΚΟΡΩΝ, aliis litteris detritis. Putat vir doctus illum signatum esse ab urbe Græciæ, in honorem hujus Principis, & memoriam triumphi sui propter victoriam de Persis, *facto Scto, ut curru elephantorum triumphare posset.* Quæ rectè satis sese habent, si modò statuas, à Gordiano triumphum non actum esse, & urbem illam Asiæ, ut puto, hunc nummum elephante signasse, quia talem currum Imperatori posuit, & in hoc nummo ejus honoris memoriam servavit.

Aurelianus postea, victis Zenobia & Tetrico, curru quatuor elephantorum triumphavit; si Zonaræ *lib.* 12. habenda fides; cujus hæc sunt verba: *Hic Gallias etiam plurimis annis à Tyrannis occupatas, Imperio Romano recuperavit, & Magistratibus ibi ordinatis Romam reversus*, καὶ ἐθριάμβευσεν ἐπὶ ὀχήματος ἐλεφάντων τεσσάρων, *quadrigis elephantorum triumphavit.* Sed Vopiscus *cap.* 33. scribit præcessisse elephantos viginti, & alio longè curru Imperatorem vectum fuisse: „Fuit alius „currus quatuor CERVIS junctus, qui fuisse di- „citur Regis Gothorum, quo, ut multi memo- „riæ tradiderunt, Capitolium Aurelianus inve- „ctus est, ut illic cæderet cervos, quos cum eo- „dem curru captos vovisse Jovi Opt. Max. fere- „batur: præcesserunt elephanti viginti, feræ „mansuetæ Libycæ, Palæstinæ diversæ ducentæ: & cùm narret, *multos id tradidisse*, videtur sequi, alios scripsisse, Aurelianum *curru elephantorum* triumphum hunc egisse. Firmatur autem Vopisci narratio per arcum, qui Vesontioni visitur, si modò is Aureliano positus est, & in eo repræsentatur ejusdem de Zenobia triumphus, uti putabat Chifletius; sique cervi in eo expressi sunt; nam dubitat hac de re Pagius in *Dissertat. Hypatica*, & ipse Chifletius non benè dignoscere potest, an sint cervi, an verò cameli: „Hìc, *ait*, „vides cervorum pedibus subjacentem Zenobiam, „quibus Aurelianus Capitolium ingressus est; si „camelos mavis, (vix enim propter attrita vetu-

A „state saxa possis dignoscere) quibus Aurelianum „fugit Zenobia, non repugno.

Ceterùm illo seculo elephantis fuisse triumphatum, haud obscurè patet ex Lactant. cap. 16. *de Mort. Persecut.* ubi Donatum Confessorem alloquitur, ejusque tormenta & cruciatus, quos ob Christum pertulerat, describit: „Novem præliis „Zabulum cum satellitibus suis debellasti, novem „victoriis seculum cum suis terroribus triumphasti. „Quàm jocundum illud spectaculum Deo fuit, „cùm victorem te cerneret, non candidos equos, „aut IMMANES ELEPHANTOS, sed ipsos „potissimùm triumphatores currui tuo subjugan- B „tem? Notat rectè ad eum locum doctissimus Baluzius, elephantos etiam ad currum junxisse Antiquos, idque patere ex Lampridio in *Vita Heliogabali* cap. 23. id quod & antè à me observatum est; sed illud inter res Principis illius insolitas, non autem inter triumphos, referri debet; nec ad currus pertinet triumphales, Aureliani de Zenobia & Tetrico triumpho, viginti elephantos præcessisse, vel quod Abbas Biclarensis annotat, Justinianum Ducem Romanæ militiæ XXIV. elephantos Constantinopolim direxisse pro triumpho, qui de Persis erat agendus.

C Diocletianus & Maximianus Herculius nobis repræsentantur in nummo Mediceo stantes in curru, ad quem quatuor elephanti juncti sunt, quem pulcherrimè explicavit eminentissimus Norisius; cui & alium debemus, in quo Maxentius ad eundem modum depingitur; quique etiam servatur æneus secundæ formæ in Gaza Gallorum Regia, cujus ectypum, beneficio doctissimi Oudineti, mecum communicavit illustris Spanhemius. Et licèt Romæ elephanti lapsu temporis valde imminuti sint, tamen Diocletianus & Maximianus eos sibi habere potuerunt vel à prioribus Augustis relictos, vel à Persis, cum quibus bellarunt, ca- D ptos, vel ab eorum Rege dono acceptos: vix enim dubito, quin elephantos etiam miserit ad felicissimos Imperatores, cùm ita loquatur Mamertinus cap. 10. *Panegyrici*, quem Maximiano dixit: „Hoc eodem modo Rex ille Persarum, nun- „quam se antè dignatus hominem confiteri, fra- „tri tuo supplicat, totumque, si ingredi ille di- „gnetur, regnum suum pandit. Offert interim „varia miracula, EXIMIAE PVLCHRITVDI- „NIS FERAS mittit, amicitiæ nomen impetra- „re contentus, promeretur obsequio. Et quanquam illud adseverare nolim, tamen verisimile admodum est, cùm & elephanti postea inter mune- E ra à Persis Theodosio Augusto missi sint; Lat. Pacatus cap. 22. *Panegyr.* „Denique ipse ille „Rex ejus (*Persidis*) dedignatus antea confiteri „hominem, jam fatetur timorem: & in his te „colit templis, in quibus colitur, tum legatione „mittenda, gemmis sericoque præbendis: ad hoc „TRIVMPHALIBVS BELLVIS IN TVA „ESSEDA suggerendis, & si adhuc non est „fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius „est. Et notandum elephantos appellari *triumphales belluas*, & junctos fuisse *ad esseda Imperatoris*, vel de Persis triumphantis, vel in alia so- F lemni pompa procedentis, tandemque magni hæc munera habita, viderique propterea harum belluarum Romæ & in imperio Romano fuisse solitudinem.

Nummus autem Diocletiani & Maximiani hinc inscribitur: IMPP. DIOCLETIANO. ET. MAXIMIANO. AVGG: inde verò, IMPP. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS. In una autem area nummi Maxentii scribitur, FEL. PROCES. CONSVL. AVG. N. quemadmodum ex ectypis quàm clarissimè patet:

Sta-

Maxentii.

Statuunt, idque non immeritò, viri eminentis dignitatis atque excellentis doctrinæ, designari processiones Augustorum Consulares; atque inde simul liquidum est, eosdem tunc temporis quadrigis elephantorum vectos fuisse in aliis etiam pompis, quàm triumphalibus. Apud Mediobarbum pag. 450. in Maxentii nummo legitur, FELIX. PROCES. CONSVLAT. AVG. N. putatque vir eruditus & diligens triumphum de victo Alexandro Tyranno, & Africa recepta à Maxentio actum hoc anno in nummo exprimi: & illustris Spanhemius pag. 705. eundem refert ad solemnem pompam Consularis processus, & ad Maxentii triumphum de Alexandro Tyranno; unde iterum sequitur, non modò in aliis, quàm triumphalibus pompis, elephantorum quadrigis vectos fuisse Imperatores; verùm etiam iisdem illos de aliis quàm Persis triumphasse. Joh. Harduinus, pag. 148. Numismatum Seculi Constantini, similem nummum laudat, in cujus una area cernitur IMP. C. MAXENTIVS. P. F. AVG. laureatus, in altera quadriga elephantorum cum supervolitante Victoria, FEL. PROCES. CONSVL. AVG. N. *Felix processus Consulatus Augusti nostri*; & infrà, RE Q. *Remorum quartum*, nempe, *tributum*: inde addit, esse nummum illum perrarum ex ære minimo in Gaza Regia; significare, feliciter processisse Consulatum Maxentio partâ victoriâ, ita Latinè dici, *id feliciter processit ex sententia*; nec *processum* hìc esse pompam Consulatum ineuntis, eamque neminem Latinè appellaturum *felicem pompam*; & triumphum in nummo notatum docere successum insignem, qui tempore Consulatus obtigerit. Sed ego, pace viri dictum sit, sententiæ illustrium virorum accedo, qui existimant, hìc nobis repræsentari *Consularem processum*; & certè aliud longè est, *felix pompa*, & *felix processus*; illud de primo & solemni die, quo Consules novi procedebant, vix potest usurpari; ast alterum optimè huic rei convenit, quia tunc scilicet se Populo ostendebant, quod PROCEDERE dicebatur, & omnia fausta & felicia Augustis Consulibus precabantur, atque ita in Nummis legitur, FELIX ADVENTVS AVG. quia testabantur se lætos esse propter felicem ejus adventum, & quia omnia sibi prospera ex illo spondebant. Consules autem primo anni die, vel Calendis Januariis, curru vectos processisse multis, iisque, ut solet, haud vulgaribus, docet eminentissimus Norisius. Id quod etiam fecisse Con-

A sules suffectos haud obscurè patet ex Plinii *Panegyrico* cap. XCII. „Nam quòd cum potissimùm „mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, „quàm pulchrum nobis! quibus edicto, quibus „spectaculo celebrare continget diem illum tripli„ci gaudio lætum, qui Principem abstulit pessi„mum, dedit optimum, meliorem optimo ge„nuit. Nos sub oculis tuis AVGVSTIOR SO„LITO CVRRVS accipiet; nos inter secunda „omina, & vota certantia, quæ præsenti tibi con„ferentur, & vehemur alacres, & incerti ex utra „parte major auribus nostris accidat clamor: nisi tamen ita Plinius loquitur, quia Circenses, vel
B spectacula, Consul suffectus factus dare debebat, uti putabat, dubitabundus tamen, Justus Lipsius, magnum illud Belgarum quondam lumen.

Atque ut antea ad Byzantinos Imperatores transgressus fui, cùm de elephantis in Circo exhibitis agerem, ita & nunc mihi idem faciundum esse video, & ita simul docebo, Persas tunc temporis, & quidem post excussum Successorum Alexandri Magni jugum, elephantis in præliis usos fuisse. Heraclius igitur Imperator Anno Christi 631. Constantinopolim rediens, triumphavit quadrigâ elephantorum, victo Chosroë, & coacto
C Sarbato, cui post Chosrois, Sirois, Cabois & Hormisdæ subitas mortes Persarum regnum dederat, cedere omnibus regionibus, quas Persæ de Romanis tenebant, & ita recepit Orientem atque Ægyptum: Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus pag. 15. *Paulò pòst verò Heraclius cum fausta omnium acclamatione atque ingenti magnificentia à civibus receptus est:* Τέσσαρας δὲ ἤγαγεν ἐλέφαντας, οὓς δὴ καὶ εἰς τοὺς ἱππικοὺς ἀγῶνας ἐθριάμβευσεν ἐπὶ τῇ τῆς πόλεως τέρψει, *quatuor illum elephanti vehebant, quos insuper ad populi voluptatem Ludis Circensibus traduxit:* possunt tamen Græca verba, si quid video, aliter explicari, Heraclium nempe, cùm
D Constantinopolim ingrederetur, in pompa & processu duxisse quatuor elephantos, eosque etiam in Circo exhibuisse. Atque huc pertinet quod scribit Theophylactus Simocatta *lib.* 1. *cap.* 12. Imperatorem Mauricium *non fuisse vectum curru, ad quem juncti erant equi, vel muli, vel elephanti, sed homines*; unde patet tunc usitatos fuisse in pompa currus elephantorum.

Sed alii Byzantini Imperatores postea equo insidentes, vel pedites urbem ingrediebantur, currui quatuor equorum triumphali imponentes statuam vel imaginem beatæ Mariæ: Joannes Comnenus
E apud Man. Comnenum p. 13. *Ingreditur Byzantium pedibus ferens crucem & præcedens currum, quatuor alborum equorum, cui imposita erat imago* Θεομάτορος; quæ processio mirificè illustratur illius Imperatoris nummo, in quo cernitur Imperator pedibus incedens & currus vehens modò dictam statuam, uti docet Baudelotius in *Dissertat.* quam pronuntiavit in Academia Inscriptionum, testibus eruditis Trivultianis Art. 91. Anni 1707. ubi laudat pulchrum locum Nicetæ idem tradentis; & ipse Manuel *lib.* 5. *cap.* 3. triumphans de Pannoniis *insidens equo feroci*, ἵππῳ ὑψαύχενι ἔποχος *sequitur currum argenteum auratum, ad quem quatuor iti-*
F *dem equi nive candidiores erant juncti, & in quo ferebatur imago* τῆς ἀπροσμάχου καὶ ἀκαταγωνίστου συστρατήγου τῷ Βασιλεῖ Θεομήτορος, *invictæ adjutricis & insuperabilis Regis* vel *Imperatoris commilitonis, Matris Dei.*

Sed his omissis ad Parthos, Persas & Romanos tandem veniendum est. Docui veteres Persas ante Alexandrum elephantis ad bella usos non esse, sed postquam Parthi, duce & auctore Arsace, à Syriæ Regibus defecerunt, & quidem Seleuco Callinico Asiam obtinente, easdem belluas exemplo Successorum Alexandri Magni in præliis adhibuerunt.

Ita

Ita legimus apud Tacitum lib. 15. *An.* 15. „Vologesem flumen Arsaniam elephanto insidentem „& proximos quosque Regi vi equorum perrupisse, quia rumor incesserat, pontem cessurum „oneri, dolo fabricantium: & tàm Parthos quàm Indos ante oculos habere puto Plinium *lib.* 8. *cap.* 9. „Domiti militant, & turres armatorum in ho„stes ferunt; magnaque ex parte Orientis bella „conficiunt. Postea Alexander Severus Imperator, victo Persarum Rege Artaxerxe, multas belluas cepit & occidit, unde apud Capitolinum *cap.* 56. ita loquitur in Senatu: „Jam primùm elephanti „septingenti, iidemque turriti cum Sagittariis & „onere sagittarum. Ex his trecentos (*Salmasius* „*mavult scribere* triginta) cepimus, ducenti inter„fecti jacent, decem & octo perduximus. Amm. quoque Marcellinus *lib.* 25. *cap.* 1. & 3. necnon Zosimus narrant, elephantos in Persarum acie contra Julianum fuisse; & Theodoretus *lib.* 2. *cap.* 30. scribit eosdem belluarum illarum operâ usos fuisse in obsidione Nisibis: „Orationem Jacobi „nubes cinifum & culicum protinus excepere, & „elephantorum quidem proboscides instar tubo„rum cavas, καὶ τῶν μὲν ἐλεφάντων τὰς προνομίας „αὐλοειδεῖς πεφυκότας, repleverunt. Agathias quoque *lib.* 3. tradit sub Justiniano elephantos Romanis ab eadem Gente fuisse oppositos. Et observatione dignum est singulari Auctorem Arabem in Libro, quem *Speculum temporum* inscripsit, narrare apud illustrem Bochartum, Chosroëm Persarum Regem mille elephantos habuisse: „Aberwez filius „Hormoz (*Persæ Cosroëm Hormisdæ filium ita* „*vocant*) plures congessit opes, & elephantos, & „equos, & servos, & puellas, & plus pretiosæ su„pellectilis, quàm ullus Regum Persiæ, qui præ„cesserant. Nempe in thesauris recondebat quot„annis quadringentos milliones denariorum au„reorum, & argenteorum duplo magis; & mar„garitæ ejus erant in mille arcis; habebatque in „stabulis MILLE ELEPHANTOS, quorum „nonnulli candore nivem æquabant: nonnulli „duodecim cubitorum erant, quod valde rarum „est, cùm plerique non superent septem cubitos. Notandi autem præcipuè ELEPHANTI ALBI, qui hodie in India tam rari sunt, ut Reges dicantur propter eos bella gerere, atque adeò unus eorum titulis suis adscribat, sese *Regem* vel *Dominum elephanti albi* esse, si quid Itinerariis nostris credendum est.

Quin & hac occasione præterire non possum, Nicolaum quendam Venetum, quem esse puto *Nicolaum de Comitibus*, vel, ut alibi vocatur, *Nicolaum de Conti*, qui circa Annum 1400. per 25. annos in Oriente vixit, cujusque Iter Puggius Papæ Secretarius Latinè ex ore ipsius consignaverat, uti tradit Mullerus in Præfatione ad M. Paulum Venetum; illum, inquam, Nicolaum memoriæ mandasse, Regem Mancini, ita vocabant Australem Sericam vel Chinam, *album elephantum* habuisse, id quod jam monui in *Exercitatione* prima. Quin & Jesuitæ in *Itinerario Siamensi* narrant in Aula Regis illius fuisse elephantem nomine *Principem*, quia natus eodem, quo Rex fuerat, die; prope cubiculum Regis belluas illas excubias agere; & denique alio loco ali *elephantum album*, qui multo in honore erat, quique multorum bellorum causa fuerat, parvum esse, cibum sumere ex vasis aureis, locum, in quo alebatur, magnificè fuisse ornatum, & plures Magistratus* illius curam habuisse. Quò pertinet Geographum Ducis Lotharingiæ in *Descriptione Gallica Caravanarum* scribere, in iis esse elephantos Indos, unum constare 750. Imperialibus, & eorum pretia augeri, prout magis albi sunt, usque ad 15000. florenos.

* Leg. videtur, *Magistros.*

Rationem autem, quare *elephas albus* tanto apud Indos sit in pretio, dat nobis Kircherus cap. 4. *Chinæ illustratæ*: Matrem nempe Xacæ vidisse in somno elephantem album ex ore primùm, deinde per latus sinistrum exire; cùm autem is Xaca plurimi apud Indos fiat, & tanquam Deus colatur, inde fabulam hanc tantum efficere potuisse apud Reges Siam, Lai, Tunchini, Chinæ, ut ne regnum quidem tantum, quantum *elephantis candidi* munus videantur æstimare; seque perbeatos putent, si quandoque cælesti munere illis hujuscemodi bestia offeratur; addit paulò pòst Xacam sustinuisse septuaginta mille migrationes in omnis generis animalia, quarum ultima fuerit in *elephantem album*; Regesque etiam in elephantos transmutari.

Quin & narrat Cæsar Fredericus in *Itinerario* suo, quod insertum est *Collectionis* Petri vander Aa tomo XVI. Regem potentem valde Regni Pegu suo tempore possedisse *quatuor elephantos albos*, illumque sese appellasse *Regem alborum elephantorum*; & tantam inde gloriam cepisse; ut alium Regem bello aggrederetur, si talem belluam illi tradere nollet, idque cum periculo regni sui. Addit, cùm ibi moraretur, duos insuper albos elephantos ex longinquis regionibus adductos fuisse, Regem in bellum ducere quatuor millia belluarum istarum, tandemque maximæ molis ibi nigram fuisse, altitudine nempe novem cubitorum, *neghen elleboogbs ellen hoogh*, quo tamen alter ille Chosroïs major fuit, si Auctores illi de eadem mensura loquuntur. Atque ita Regi Pegu Caspar Balby, qui Orientem lustravit Anno 1579. & sequentibus, *quatuor elephantos albos* tribuit, narratque Reges, qui ipsi parent, non solùm eum, verùm etiam ipsos illos elephantos adorare, Regem alere octingentos instructos ad prælia, inter titulos scripsisse post subactum regnum Ceylon, *Regem alborum elephantorum*, uti legere licet tomo XVIII. ejusdem *Collectionis*.

Notandum autem Souchu de Rennefort scribere in *Historia Gallica Indiarum Orientalium* edita Parisiis 1688. in urbe Calicut in Aula Regis ostendi templum, atque in eo *Elephantem ex auro*, adoratum ab ipso, & aliis Gentilibus. Quò pertinet Vincentium le Blanc p. 125. *Itiner.* notare etiam *elephantem album* ab Indis adoratum esse, & alibi, Indiæ Reges inter sese acriter bellasse ut album sibi acquirerent, & Regem Pegu quatuor albos habuisse.

Mirum autem Reges Indos tantùm laborasse de *albis elephantis*, si verum est quod tradit Ptolemæus cap. 9. *Africæ*, elephantes Æthiopiæ omnes albos fuisse: χώρα πολλὴ Αἰθιόπων, ἐν ᾗ ἐλέφαντες λευκοὶ πάντες γίγνονται, quod non memini me alibi legisse, & dubito equidem an verum sit.

Romæ autem olim visi sunt etiam *elephanti albi*, fueruntque & ibi admirationi: Horatius *lib.* 2. *epist.* 1.

Si foret in terris, rideret Democritus, seu
Diversum confusa genus panthera camelo,
Sive ELEPHAS ALBVS *vulgi converteret*
ora:

notatque Scholiastes à Cruquio editus, Populum audientem recitantes Poëtas sua carmina, vel videntem Comœdias agi, exorasse elephantorum magistros, ut adducerent in theatrum camelopardalim aut elephantum album, eoque sese etiam convertisse nobiliores aliquos, qui præcipiebant cessare recitationes carminum, aut Comœdias intermitti, eamque rem non parùm turbasse Poëtas. Videtur hoc factum ipso Horatii ævo, & fortè talis bel-

bellua fuit inter dona, quæ Indi Augusto miserunt apud Dionem pag. 527.

Sed ut eò, unde digressus sum, redeam, Theophylactus *lib. 5. cap.* 10. in prælio, quod habitum est à Chosroë & Romanis contra Varanum, qui regnum Persarum invaserat, scribit hasce belluas fuisse: „Elephantos insuper Indicos, veluti præsidiarios quosdam ac propugnatores ante equitatum constituit, (Varanus) & in „iis omnium de exercitu fortissimos ad dimicandum collocat. Nec verò pars adversaria hujuscemodi bestiarum auxilio carebat. Inde sequitur, Romanorum vel Græcorum Ducem Narsen elephantos parvi pendisse, *captivosque à Chosroë partim truncatos, partim elephantis conculcandos objectos fuisse*; & capite sequente narrat, Barbaros ἐπὶ τῶν ἐλεφάντων ἱδρυμένους ἀκροβολιζομένους, *collocatos in elephantis & sagittis jaculantes, à Romanis victos esse.* Præterea Cedrenus pag. 418. narrat Heraclio Imperatori nuntiatum fuisse, Chosroëm Regem Persarum cum elephantis & exercitu suo commorari apud Palatium suum, nomine Dystagardam, Imperatorem illud cepisse, & ingentem nactum esse prædam, sed Regem antea clam cum uxoribus & liberis perforato urbis muro effugisse: qua de re etiam loquitur Anastasius p. 98. & licèt paulò aliter historiam hanc narret, tamen etiam *elephantos* recenset. Idem Anastasius p. 70. suæ *Historiæ*, in rebus Tiberii Anno Christi 571. hanc Persarum consuetudinem etiam nos docet: „Accipiunt interea & Persarum supellectilem & „Regium tabernaculum, totumque splendidissimum apparatum. Tenent autem & elephantos „Romani, & ad Tiberium mittunt insignes & „Regias exuvias. & iterum Anno 581. scribit, Romanos sub Mauritio Chosroï contra Balam opem ferentes, cepisse ejus tabernaculum & elephantos, quos ad Chosroëm deportarunt: observationeque dignum est Anno 574. Chaganum Avarorum Regem petiisse ab eodem Imperatore, ut elephantem ad eum videndi gratiâ mittere vellet, missum esse omnium maximum, Regemque illum visum remisisse; quæ historia pluribus narratur à Menandro Protectore in *Excerptis de Legat.* & à Theophylacto lib. 1. cap. 3. *Historiarum.* Atque ex iis patet Imperatores Constantinopolitanos varias tales belluas aluisse, simulque eas aliis Gentibus, atque adeò vicinis Regiæ Vrbi visas non fuisse. Et idem Theophylactus *lib.* 3. *cap.* 14. scribit, tempore Mauricii & Tiberii Romanos castra Persarum diripuisse, tentorium Regis & omnem apparatum cepisse; τῶν τε ἐλεφάντων κρατήσαντες ἅμα τοῖς σκύλοις τοῖς Περσικοῖς πρὸς τὸν Καίσαρα, *elephantos in potestatem redactos cum ornamentis Persicis misisse ad Cæsarem*; & notandum his cladibus factum esse, ut Persarum Reges ipsi adversùs Romanos bellare noluerint: δεσμοθετεῖ γὰρ μὴ τὰς ἐπὶ πολέμους ἐξόδους προσήκειν ἐς τὸ λοιπὸν Βασιλέα Περσῶν ἐμπορεύεσθαι: *Statuit autem, ne quis de cetero Persarum Rex Romanis arma inferre vellet*; id quod non satis benè versum est; cùm lex fuerit lata, ne quis postea Rex Persarum ipse in bellum vel expeditionem proficisceretur, sed per Satrapas & Duces bellaret; aliudque longè est *arma inferre*, quàm exercitui imperare, & prælio interesse. Legem hanc sancitam fuisse tertio Tiberii anno tradit nobis Anastasius post verba modò laudata: „Itaque legem ponit Persarum Rex, „confusionem non ferens, nunquàm jam Persarum Regem in prælium exiturum; deque ea ita etiam loquitur Euagrius: „At legem, quam „scripsit, ne Rex Persarum in posterum contra „Romanos arma ferret, velut sempiternum suæ „fugæ monumentum post se reliquit. Atque de his Persis verba faciunt Auctores, qui illis ele-

A phantorum usum in bellis tribuunt; uti Cassiodorus lib. 10. *Var.* ep. 30. „Hæc (*cutis*) nulla vi „transmittitur, nullo ferri acumine penetratur. „Ideoque Persarum Reges hanc belluam ad bella traxerunt, quæ & nullis ictibus pulsata cederet, & adversarios sua mole terreret; nec non Ambrosius lib. 6. cap. 5. *Hexaëmeri*: „Hæc in „elephantis quoque probare debemus, qui magnum rebus bellicis usum ministrant. Inde Gens „Persarum ferox bellis, valida sagittis, omniumque telorum jactu, quia de superioribus ad inferiora, validiore nisu tela torquentur. Acies „eorum, velut gradientibus telis septa, procedit.
B „In mediis campis tanquam de muro dimicant, „& velut in arce quadam & specula collocati spectant magis bella, quàm subeunt. Ita alieni à „periculo videntur, tuti molibus bestiarum; quem locum nollem, ut illustris Brissonius lib. 3. *de Regno Pers.* explicasset in genere de Gentis illius Sagittariis; mirorque eundem ne quidem elephantorum facere mentionem, cùm tamen iis posteriores Persæ, de quibus etiam sæpe agit, bellaverint.

Hodie autem ejusdem regni Reges elephantos, dono acceptos ab Indiæ Regibus, alunt, sed iis in
C bellis non utuntur; constatque id non modò ex variis Itinerariis, verùm etiam disertè idem tradit Tavernierius cap. 7. *Descriptionis Persiæ*; qui & alio loco narrat, elephantos inter sese lusisse vel pugnasse præsente Rege: & quidem capite laudato ita loquitur: *Cha-Sefi qui étoit jeune n'avoit pas encore vû des élephans faire ce que firent ceux-ci en sa présence. Ces élephans marchérent l'un après l'autre selon leur qualité, c'est-à-dire, selon qu'ils ont plus ou moins de paye, & qu'ils sont le mieux instruits pour la guerre. Ce n'est pas que le Roi de Perse se serve d'élephans dans ses armées; mais il garde par honneur ceux, dont les Ambassadeurs des*
D *Rois des Indes lui font présent.* Qui etiam, ut hoc obiter addam, alibi commemorat, eò superstitionis venisse nonnullos Tunquinenses, & tam strenuè fuisse idololatras, ut sacrificia obtulerint elephantis, equis, vaccis, & ferè omnibus animalibus.

Quæ ultima impietas mihi revocat in memoriam historiam, quam Suidas in V. Βασιλικὴ scribit accidisse Constantinopoli. Scilicet in Basilica post Milium, vel prope eam, habitabat argentarius, qui iniquis lancibus merces suas vendebat; alebatur in vicinia elephas ingentis magnitudinis,
E qui subinde tabernam argentarii evertebat; ille domino belluæ necem minari, nisi illam cohiberet; quod cùm ille facere non posset, ab argentario occiditur, daturque edendus elephanto, qui ferus & indomitus etiam argentarium occidit: additurque: Καὶ ὁ Σεβῆρος ἀκούσας, τῷ θηρίῳ θυσίαν ἤνεγκεν, *quo Severus audito, belluæ sacrificium obtulit*; ob vindicatam proculdubio Domini sui necem: eodemque in loco narratur, statuam eo loco à Severo positam esse ingentem elephanti, & belluæ Domini vel curatoris: Ἐν οἷς ἐλέφας ἵστατο παμμεγέθης ὑπὸ Σεβήρου κατεσκευασμένος, *inter hæc stabat & ingens elephas à Severo confectus.* Eadem
F historia narratur pluribus Auctori anonymo, quem in *Manipulo Origin. Rerumque Constantinop.* edidit Combefixius, vir egregiè doctus: scribitque Severum θυσίας οὐκ ὀλίγας bestiæ obtulisse; ad hæc elephantem à *Severo quodam* fabricatum esse; ὁ ἐλέφας ὑπὸ Σεβήρου τοῦ Κάρου Ἕλληνος ἐτυπώθη θέαμά τι κατὰ τὴν παράδοσιν· ἐν δὲ τῇ αὐτῇ χρυσορόφῳ Βασιλικῇ τὸν ἐλέφαντα παραμένειν εἰς θέαμα ἐξαίσιον: *Ejus fabricator Severus Cari filius, homo Græcus,* (an *Gentilis*?) *ceu nimirum rei spectatu dignissimæ. Quippe statutum, ut in eadem Basilica auro laqueata elephas ad eximii cujusdam ac singularis specta-*

culi ſpeciem conſiſteret. Et inquirendum hac occaſione eſt, quis hic ſit *Severus*, ſi fortè aliquo modo illuſtrari poſſet: pagina igitur 27. idem videtur memorari: *In locis Tauro* (Forum fuit Conſtantinopoli, docente Du-Cangio) *vicinis, Conſtantinus Magnus æſtate ſecurus morabatur: ubi Severi, Cari filii, palatium erat & delubrum*, Εἴδωλον Θεȣ̃ Σεβήρȣ, *Idolum Dei Severi nuncupatum*: unde ſequitur hunc Severum Cari Imperatoris filium fuiſſe, id quòd ego planè à ratione alienum, & fabulis accenſendum eſſe judico. Pag. 9. iterum *Severi* meminit: *In eo* (Xerolopho) *Diana, ſtatua compoſita, & Severi* τοῦ κτίσαντος, καὶ Θεαματίου τρίποδ *qui conſtruxit, ac Theamatium tripes*; ubi ϛήλην mallem reddere *columnam*, quam Severus ex variis lapidibus videtur exſtruxiſſe, ſive curaſſe, ut exſtrueretur; moxque addit, *plures illo in loco à Severo victimas factas eſſe.* Iterum p. 26. meminit: *Eodem quoque loco ad ædes Vigilantii Severus* Γάζȣς κατῴκισεν, *Gazæos collocavit.* Pag. 28. loco antea etiam laudato memorat quatuor fornices, αὐτὰς ὑπὸ Σεβήρου κατασκευασθείσας, *ab ipſo Severo exſtructas*: & mox ſcribit, *Severum Herculium* à Conſtantino victum eſſe: pag. 34. *Xeuxippus, balneum, Severus vocatur, quia à Severo eſt exſtructus.*

Mihi vix videtur, omnibus hiſce in locis unum eundemque Severum memorari: & *Severus* quidem *Herculius* is, niſi me planè fallo, eſt, qui tempore Diocletiani & Maximiani Herculii Auguſtus fuit; &, uti alii, etiam *Herculii* cognomen aſſumſit: errat tamen largiter Auctor ille, cùm ſcribit eundem à Conſtantino victum eſſe, quia id aliter longè ſeſe habet, uti patet ex Lactantio *de Mortibus Perſecutorum.*

Ille *Severus*, qui tot opera dicitur exſtruxiſſe, fortè eſt *Septimius Severus* Imperator; qui Vrbem quidem iratus diruit & Perinthum ſubjecit, ſed poſtea reſtauravit, & multa publica opera exſtruxit; & quidem inter ea *Xeuxippum*, ſive balneum eo nomine, uti disertè tradit Heſychius Mileſius; quodque ædificium, uti docui, Auctor ille anonymus etiam tribuit ſimpliciter *Severo*; eundemque vocari puto τὸν κτίσαντα, quia ſcilicet Vrbem tam ſplendidis operibus ornavit, & reſtauravit; id quod apud eundem Heſychium videre licet, cujus hæc verba, ἐπειδὴ δὲ τοῖς θείοις τῶν θεῶν ἀπεδόθη, peſſimè vertuntur, *ſed divinis Imperatoribus poſtquam reſtituta*, cùm inde fieri debeat, *ſed poſtquam conſecratus fuit Caracalla.* Vel quia fortè & Ξηρόλοφον exſtruxit, de quo etiam videri poteſt Suidas, apud quem pro θέαμα legitur θέμα, & pro Ἄρτεμις &c. Ἀρτέμιδος σύνθετος ϛήλη, adeò ut ſtatua Artemidis vel Dianæ ita fuerit conſtructa. Quòd ſi autem pag. 27. rectè Græca redduntur *Severi, Cari filii*, certè & idem faciendum erit p. 14. ſed ut hunc filium Cari Morboniam mitto, ita animadverto p. 15. tradi, novam hanc ſpectaculi Severi hiſtoriam contigiſſe *Conſule Anthimo*; qui Conſul ſi idem eſt cum *Anthemio*, certè hæc res nullo modo ad Sept. Severum pertinere poteſt, cùm ejus nominis Conſul vel Conſules fuerint A. C. 405. 455. & 515.

Illud inſuper notandum, in Foro Conſtantinopoli fuiſſe ingentis elephantis ſtatuam, cujus unus è poſterioribus pedibus cùm fractus eſſet, & terræmotu corruiſſet, & eam erigere iterum vellent, inventa in ea ſunt duorum hominum oſſa integra cum tabella, cui inſcriptum, Ἀφροδίτης παρθένȣ Ἱέραος οὐδὲ θανȣ̃σα χωρίζομαι, *A Venere virgine Ieraus nec mortua ſeparabor.* Quòd ſi legeretur θανών, *Ieraus* eſſet nomen juvenis; ſed Combefixius nihil mutandum cenſet, putatque Ἀφροδίτην & Ἱέραον binas puellas fuiſſe: poſt quem eandem Hiſtoriam publicavit doctiſſimus Bandurius in ſuis *Antiquitatibus Conſtantinopolitanis.* Hinc autem patet elephanti ſtatuam loco urnæ & in ea oſſa humana fuiſſe condita.

Antiochiæ etiam credo fuiſſe *Tetrapylo*, quali de opere agit Du-Cangius lib. 2. extremo *Conſtant. Chriſtianæ*, impoſitos elephantos; nam Joh. Malela parte 2. p. 15. *Chronici* ſcribit, Julianum Imperatorem Orationem contra Antiochenſes habitam affixiſſe extra Palatium urbis illius, εἰς τὸ λεγόμενον Τετράπυλον τῶν ἐλεφάντων, πλησίον τῆς Ῥηγίας, *ad elephantorum Tetrapylum, quod prope Regiam eſt.*

Nec certè omittendum eſt, licèt in aliam Orbis terrarum partem abeam, Joh. Malelam tom. 2. p. 195. narrare, Juſtinianum Imp. Legatum miſiſſe ad Regem Indorum, ſive Æthiopum, qui hodie Abaſſini vocantur, Regem eo nomine valde fuiſſe lætatum, & eundem excepiſſe, ne quid jam de corporis ornatu dicam, inſidentem currui quatuor rotarum, tracto à quatuor elephantis. Atque, ut verum fatear, locus ille mihi difficilis valde videtur, & neſcio an eruditus Interpres ſenſum illius rectè nobis ſubminiſtraverit: Καὶ ἵϛατο ὑπεράνω τεσσάρων ἐλεφάντων, ἐχόντων ζυγὸν καὶ τρόχȣς δ΄, καὶ ἐπάνω, ὡς ὄχημα ὑψηλὸν, ἠμφιεσμένον χρυσοῖς πετάλοις, ὥσπερ ἐϛὶ τὰ τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν ὀχήματα ἀργυρῷ ἠμφιεσμένα. Καὶ ἵϛατο ἐπάνω ὁ Βασιλεύς... Hæc Græca ita redduntur: *Currui verò inſidebat alto, quatuor rotis ſuffulto, quatuorque elephantis tracto, qui petalis quatuor aureis (qualibus argenteis Provinciarum Præfecti utuntur) circumdabatur: huic inſidens Indorum Rex...* Et primò quidem puto Regem in curru *ſtetiſſe*, deinde illud ἐπάνω mihi ferè perſuadet, eundem ſtetiſſe in dorſis elephantorum; neque enim video, quomodo commodè hæc Græca, καὶ ἵϛατο ὑπεράνω τεσσάρων ἐλεφάντων, explicari poſſint; niſi ſtatuamus currum, cui juncti erant elephanti, longè altiorem iis animalibus fuiſſe, eóque certè ducunt nos *rotæ quatuor* & *jugum*, quo colla elephantorum erant juncta. Sed &, ἐλεφάντων, ἐχόντων ζυγὸν, videntur ſuadere, currum quatuor rotarum eorum dorſis fuiſſe impoſitum, non ſecus ac ἐπάνω, ὡς ὄχημα ὑψηλὸν, quia ἐπάνω videtur omnino reſpicere elephantorum dorſum.

Præterea ex eodem p. 228. patet Indorum Legatum, donum Juſtiniano Imp. duxiſſe Conſtantinopolim *elephantum*, unde equidem clarè patet, rarum hoc animal illo tempore fuiſſe in Imperio Romano.

Illud autem notandum inprimis, in Columna Triumphali Arcadii Auguſti Conſtantinopoli cerni elephantem cum ſeſſore: edidit eam Bandurius, Benedictinæ Familiæ inſigne decus, in *Antiquitatibus Conſtantinopolitanis*, qui Liber profectò laudes ſuperat; cujus ecce tibi, Lector, ectypum;

annotatque vir doctrinæ spectatæ Num. xv. *Elephas Principis Scytharum , quo Principes illius Gentis in aliquibus solemnitatibus solent vehi , quemadmodum in bello equis , ducitur in triumpho à servo omnibus ornamentis spoliatus.* Certè Columna hæc dedicata est propter victos Scythas , & proculdubio elephas hic captus fuit in illorum exercitu ; sed non constat plures alios in eodem fuisse & pugnasse ; & quanquam Bandurii explicatio ita facilè admitti posset, nihilominus optandum foret usum , quem Gentis illius Principibus attribuit, testimonio alicujus ejus ætatis Auctoris firmasset.

Atque ita tandem binas hasce *Exercitationes* absolvi ; in quibus si quid præstiti laude dignum , vel qualiscunque meæ diligentiæ indicium , & otii , quod mihi subcisivis horis superest , rationem dedi, erit quod serium in modum læter ; si verò alii judicaverint, hæc non satis limata, imò multa protrita esse , per me id faciant licet ; sed tamen monendi sunt , me maximam partem mihi legere , & studere , contentum esse tacitâ qualiscunque eruditionis meæ conscientiâ ; & fieri non posse , quin illi, qui dissertationibus rem aliquam illustrare & digerere conantur, ea, quæ ab aliis sparsim dicta sunt, immisceant ; id quod utique mihi fraudi esse nequaquam debet, quia nunquam silentio prætereo , nec dignis viros eruditos, quorum scriptis profeci, laudibus privo. Quod si nonnunquam à vivis vel mortuis dissentio, & nonnulla Auctorum loca aliter , quàm illis visum fuit , explicari debere judico , id ægrè eos , qui adhuc inter mortales versantur, quique absentium rationes præferunt , laturos , nequaquam confido. Nam cùm fieri vix possit, ut nemo erret, cúmque dies diem doceat, utique Reipublicæ Litterariæ interest ; ut verus Auctorum sensus & genuinus protrahatur è tenebris ; utque ex iisdem meliùs explicentur Nummi , qui hucusque non satis benè intellecti sunt. Ego certè à me errores nullo modo alienos esse puto ; nec unquam mihi dolet vel dolebit, alios in alia omnia transire , & diversas semitas sequi. Illud tantùm optandum foret , ut harum rerum studiosi , & Polymathiæ , ut sic loquar , sacerdotes , modestè aliorum errores & lapsus emendarent , nec tanquam *barrientes elephanti* , vel *porci grunnientes*, vel *ranæ coaxantes* , vel *ursi sævientes* , vel *leones rugientes* , (veniunt enim mihi in mentem commodùm quæstiones, quas Grammaticis proponit Geta apud Spartianum) inveherentur & irruerent ; spreto divino & humano jure, in eos, qui eorum in verba non jurant , nec amplecti possunt explicationes, quæ ipsis non rectè sese habere videntur. Melius certè actum foret cum Musis , castis illis & placidis virginibus , si istiusmodi ingenia nunquam ad scribendum animum adjicerent, vel si in regionibus viverent , à quibus exsulat omnis humanitas , omnis elegantia , regnantque mores incommodi , feri & immanes ; ut ita nullum dedecus ad eos perveniat , qui humanioribus studiis operam dant , quique eâ viâ sese tollere humo , & nomen suum ab interitu vindicare conantur. Si enim unquam , hîc locum habere multi existimant, *Crimine ab uno disce omnes* ; sed ἄλις δρυός : & tu, Lector , hæc omnia æqui bonique consule , erroribus tàm meis quàm operarum veniam da ; illosque si placidè, si modestè, si amicè corrigere velis, plurimum me tibi debiturum , sanctè profiteor ; cùm mihi nihil acceptius sit, quàm veritatem sectari , & genuinos Auctorum sensus cognoscere.

† Se-

† Sequuntur ea, quæ eminentiſſimus NORISIUS, excellentiſſimus SPANHEMIUS, & doctiſſimus PAGIUS de Quadrigis elephantorum commentati ſunt.

Hæc igitur annotavit Noriſius in duplici Diſſertatione *De duobus Nummis Diocletiani & Licinii*, Diſſert. I. cap. IV.

Cap. IV.

Quadrigas triumphales in nummo ſignatas non exprimere triumphum ab Imperatoribus peractum. Deſignare eorundem victorias Perſicas ac Germanicas. Conſulatus Maximiani in Numiſmate poſitus antiquo Oratori commendatus. Carauſius novus in Britannia Auguſtus. Ejuſdem rariſſimus Nummus è Medicea Gaza producitur. Panvinus immeritò à Triſtano reprehenſus.

Conſulari Numiſmatis charactere omnium priſcæ ætatis monumentorum cónſenſu contra vulgarem Chronologorum ſententiam comprobato, gradum facio ad explicandas quadrigas, quæ in averſa Numiſmatis parte viſuntur. In primis mihi compertum eſt non deſignari triumphum à Diocletiano & Maximiano peractum. Nam licèt iidem Auguſti innumeris hoſtium copiis profligatis, plura toto penè Orbe trophæa erexerint, novis ſubinde bellis impliciti, triumphum in poſtrema Imperii, quod abdicarunt, tempora diſtulere. Mamertinus in *Panegyrico* die natali Maximiani dicto cap. 4. utrumque Imperatorem alloquens ait: *Hos fructus capitis operum maximorum; ſic interim meritoriâ * conſcientiâ triumphatis, dum* TRIVMPHOS *ipſos ſemper vincendo* DIFFERTIS, *quòd quæcumque pulcherrima facitis, continuò tranſitis, & ad majora properatis.* Hanc Orationem recitavit A. 291. exacto quinquennio imperii Maximiani, ut in procœmio teſtatur. Fortaſſe habita eſt Oratio XII. Kal. Auguſti; hæc enim dies in Actis S. Marcelli Centurionis, ſub iiſdem Principibus paſſi, dicitur *natalis Imperatoris* apud Surium 31. Octobris. Verùm cùm æquè intelligi poſſit dies natalis Diocletiani, rem in medio relinquo. Sufficiat alterutrius natalem ibidem deſignari, quod nemini hucuſque obſervatum fuit. Idem Mamertinus in *Panegyri* die natali Vrbis recitato cap. 13. Romam alloquens ait: *Hi cùm primùm redeant ad te triumphantes, uno cupiunt invehi curru, ſimul adire Capitolium, ſimul habitare Palatium.* Dicta eſt hæc Oratio coram Maximiano A. 289. die 21. Aprilis, ut poſtea oſtendam. Itaque iidem Imperatores A. 287. quo nummus ſcalptus eſt, nullum adhuc triumphum Romæ egerant. Eutropius elegantiſſimus Scriptor in fine lib. 9. ſcribit, utrumque Auguſtum privato habitu imperii inſigne mutaſſe *poſt triumphum inclytum, quem Romæ ex numeroſis gentibus egerant, pompa ferculorum illuſtri, quâ Narſei conjuges, ſororeſque, & liberi ante currum ducti ſunt.* Henricus Valeſius eximiæ eruditionis vir, in Notis ad cap. 13. lib. 8. Euſebii, pluribus oſtendit, hunc triumphum geſtum fuiſſe Anno 302. Nec ipſe quicquam novi eam in rem addere poſſum, cùm ab accuratiſſimo Scriptore meliora occupata ſint. Hunc trium-

A phum laudat Anonymus Panegyriſtes in epithalamio coram Maximiano & Conſtantino recitato, ubi cap. 8. ſeniorem Auguſtum alloquens ait: *Te* PRIMO INGRESSV *tuo tantâ lætitiâ, tantâ frequentiâ populus excepit, ut cùm te ad Capitolini Jovis gremium vel oculis ferre geſtiret, ſtipatione ſui vix ad portas Urbis admitteret.* Itaque Maximianus anno imperii XVI. Romam primùm venit, de ſubactis hoſtibus triumphaturus, ac proinde nullus eiſdem nec collegæ geſtus triumphus in Numiſmate deſignatur.

B Auguſti devictis hoſtibus laureatas ſtatim litteras Romam mittebant, quibus à P. C. perlectis, triumphus eiſdem S. C. decernebatur, cuſis etiam in perenne delati honoris monumentum Numiſmatibus. Gordianus Perſas abs ſe victos Senatui per litteras ſignificavit; *quibus*, inquit Capitolinus cap. 27. *in Senatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet.* Et quidem certum eſt quadrigas in Nummis non ſemel ſignificare triumphos non ab Auguſtis Romæ actos, ſed eiſdem à Senatu decretos. Exſtant in Cimeliarchio Mediceo Nummi cum quadrigis triumphalibus tum Macrini, tum Maximini; illius cum hac inſcriptione; C IMP. CAES. M. OPEL. MACRINVS AVG. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. S. C. hujus verò cum epigraphe, IMP. MAXIMINVS PIVS AVG. P. MAX. TR. P. II. COS. P. P. S. C. ubi victoria utrumque coronans inſpicitur. At nec Macrinus de Parthis, nec Maximinus de Germanis Romæ triumpharunt, cùm uterque antequam in Urbem veniret, militum ſeditione vitam cum imperio amiſerit.

Ceterùm cùm triumphales quadrigæ niſi poſt debellatos hoſtes decretæ fuerint, inveſtigandæ ſunt victoriæ Diocletiano & Maximiano partæ; D ob quas in nummo, A. 287. percuſſo, currus triumphalis eiſdem S. C. decretus fuerit. Diocletianus, victo in ſuperiori Myſia A. 285. Carino, ſtatim contra proximos Germaniæ populos, qui Carino ſuppetias tulerant, movit, eoſque ingenti clade affecit. Interim etiam per legatos rem feliciter in Britannia geſſit; unde à Senatu Britannicus, ac Germanicus appellatus fuit, delatis triumphi inſignibus. Hæc nulla Scriptorum volumina produnt; colliguntur tamen ex hoc antiquo lapide à Baronio laudato A. 285.

E

IMP. CAES. C. VALERIO.
DIOCLETIANO. PIO.
FELICI. INVICTO. AVG.
PONT. MAX. BRITANNIC.
MAX. GERM. MAX. TRIB.
POTEST. II. COS. II. P. P.
PROCOS
HONORATI. ET. DECVRIONES.
ET. NVMERVS. MILITVM.
CALIGATORVM.

F Poſita eſt hæc Inſcriptio ante XVII. Kal. Octobris A. 286. illa enim die terminabat Poteſtatem Trib. II. At Germanos ab eodem victos A. 285. quo Carinum profligavit, patet ex ejuſdem *l. 6. de fide inſtrument. Dat. Nicomediæ* XIII. *Kal. Februarias Maximo II. & Aquilino Coſſ.* nempe A. 286.

† Vide ſuprà pag. 250. & 251. * Alii legunt, *meritorum.*

286. ex quo rescripto colligo Maximianum eodem anno Kal. Aprilis Augustum renunciatum à Diocletiano Nicomediæ in hibernis morante, ac bellum adversus Persas ibidem adornante.

Maximianus novus Augustus, cum parte legionum, atque auxiliaribus copiis in Gallias contra Ælianum & Amandum, qui ibidem imperium occupaverant, profectus, utrumque Tyrannum uno ferè impetu oppressit, ac civile bellum, occisis seditionum auctoribus, pari celeritate ac felicitate confecit. Ita intra paucos dies Galliæ in libertatem assertæ, atque ad obsequium revocatæ. Hanc Maximiani victoriam paucis perstringit Orator in epithalamio cap. 8. *Hic est*, inquit de eodem, *qui in* IPSO ORTU *Numinis sui Gallias priorum temporum injuriis efferatas, Reipublicæ ad obsequium reddidit, sibi ipsas ad salutem.* Mamertinus etiam in *Panegyrico* dicto Maximiano ipsis Parilibus Urbis cap. 4. memoratam victoriam cursim celebrans ait: *An non illud malum simile monstrorum biformium* (Ælianum & Amandum intelligit) *in hisce terris fuit, quod tua, Cæsar, nescio utrum magis fortitudine repressum sit, an clementia mitigatum, cùm militares habitus ignari agricolæ appetiverunt; cùm arator peditem; cùm hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est? quod ego cursim prætereo, video enim te (qua pietate es) oblivionem illius victoriæ malle quàm gloriam.* Bellum enim civile fuit ab imperita rusticorum, quos Bagaudas dixere, multitudine ducibus Æliano & Amando conflatum. Carausius egregiam hoc in bello operam Maximiano navavit. Scribit Victor Schotti: *Quo bello Carausius Menapiæ civis factis promtioribus enituit: eoque eum simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi, ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecere.* Ex quibus patet errare Calvisium & Alfordum, qui Carausii rebellionem hoc Anno 286. recensent, cùm id temporis Carausius in castris Maximiani summa cum laude militaverit, & in partem victoriæ venerit, ac postea adornandæ classi incubuerit. Germani cùm Romanos civili bello occupatos viderent, superato Rheno in proximiora Galliarum oppida impetum facientes, omnia igne ferroque vastabant. Maximianus militem recenti contra Tyrannos victoria ferocem contra Barbaros movit, ac divisis copiis, eodem tempore diversis in locis prædas agentes aggressus, universos partim fame confecit, partim aperto Marte prostravit. Audiatur Mamertinus cap. 5. *Quod statim vixdum misero illo furore sopito* (nempe civili bello cum rusticis) *cùm omnes barbaræ Nationes excidium universæ Galliæ minarentur, neque solum Burgundiones & Alamani, sed etiam Chaibones Erulique, viribus primi Barbarorum, locis ultimi, præcipiti impetu in has Provincias irruissent, quis Deus tam insperatam salutem nobis attulisset, nisi tu affuisses?* Pluribus Maximiani victorias describit. Itaque A. 286. Ælianus & Amandus, dein Germani qui in Gallias irruperant, à Maximiano victi sunt.

Dum hæc in Galliis geruntur, Diocletianus cum ingenti exercitu è Bithynia discedens, in Persas movit, ac bellum de proximo ostentans, tantum Persarum Regi terrorem incussit, ut is abductis properè è Syria præsidiis, non modò eandem advenienti Imperatori ultrò cesserit, verùm etiam missa cum muneribus legatione, pacem supplex rogaverit. Diocletianus Antiochia aliisque urbibus incruentâ victoriâ potitus, recenti terrore utendum ratus, bellum undique urgebat, quo metum hostium intenderet. Antiquus Panegyristes victorias Diocletiano nullo suorum cruore, Maximiano verò cum ingenti hostium clade partas describens, ducta similitudine à Jove, & ab Hercule, quorum agnomina iidem Augusti per summam ambitionem assumserant, hæc inquit cap. 7. „Credo itidem optimam illam fertilemque Syriam vel„ut amplexu suo tegebat Euphrates, antequam „Diocletiano sponte se dederent regna Persarum. „Verùm hoc Jovis sui more nutu illo patrio, quo „omnia contremiscunt, & Majestatis vestri nomi„nis consecutus est. Tu autem, Imperator invi„cte, feras illas indomitasque gentes vastatione, „præliis, cædibus, ferro, igneque domuisti. Has inter victorias hyems clausit Annum 286.

Diocletianus tertium, Maximianus primùm Consules insequentem Annum 287. aperuere, ut ex epigraphe Numismatis apparet, IMPP. DIOCLETIANO III. MAXIMIANO COSS. Et quidem Maximianus, cùm ipsis Kalendis Januarii palmatam induisset, insigni de Barbaris victoriâ reportatâ, primum sui consulatus diem felicissimè auspicatus est. Hæc fusiùs prosequitur Mamertinus cap. 6. quæ cùm maximè illustrent ejusdem Augusti consulatum in Numismate expressum, operæ pretium duxi eadem hîc recitare: „Transeo, „*inquit*, innumerabiles tuas tota Gallia pugnas „atque victorias; quæ enim tot tantisque rebus „sufficiat oratio? Illum tamen primum consula„tus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo „modo possum, quo tu solus omnium consecutus „es, ut quod tempus antea incipiendis tantummo„do rebus aptum videbatur, tunc primùm suffi„cere potuerit peragendis, unoque sol curriculo „suo, eoque brevissimo, & officia te Consulis in„choantem videret, & Imperatoris implentem. „*Postea*: Vidimus te, Cæsar, eodem die & in cla„rissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis „ornatu. Bonâ veniâ Deûm dixerim, ne Jupiter „quidem ipse tanta celeritate faciem cæli sui va„riat, quàm facilè tu, Imperator, togam præ„textam sumto thorace mutasti, hastam posito „scipione rapuisti, à tribunali temet * in cam„pum, à curuli in equum transtulisti, & rursus „ex acie cum triumpho rediisti, totamque hanc „Urbem repentina tua in hostes eruptione sollici„tam lætitia & exsultatione, & aras flagrantibus „sacrificiis & odoribus accensis Numini tuo im„plesti. Ita utroque illius diei supremo tempore „bis divina res pari religione celebrata est, Jovi, „dum pro futuris vovetur, tibi, dum pro victo„ria solvitur. Maximianus Treviris urbe metropoli Galliarum, ac Imperatorum domicilio, hiemabat, cúmque Rhenus gelu constitisset, Germani populabundis agminibus in Gallis effusi, Treviros usque pervenerant, quos Maximianus ipsi † Kal. Januariis repentina eruptione aggressus, ingenti clade affectos, procul à mœnibus propulsavit. Postea appetente Vere, Erulos, Chaibones, aliosque Germaniæ populos suis in sedibus aggressurus, Carausium maritimæ classi præfecit, ut hostes terra marique simul opprimeret. Audiatur iterum idem Orator cap. 7. *Tale igitur*, inquit, *auspicium illius anni quid sequebatur, nisi novum aliquod & ingens miraculum? Quod autem majus evenire potuit illa tua in Germaniam transgressione?* Itaque Maximianus Rheno superato, pluribus præliis hoste ubique profligato, victrices aquilas per Germaniam latè circumtulit, ac in Transrhenanis Provinciis Romani Imperii limites fixit. Carausius, qui classi præerat, privatæ potiùs quàm publicæ rei curam gerens, piratas prædas totâ maritimâ Galliâ agere sinebat, ut spoliis onustos in reditu interciperet, atque ea se occasione ditaret. Neque enim prædam vel in ærarium intulit, neque provincialibus restituit. Hinc cùm intelligeret

* Alii, *omisisti.* † Legendum videtur, *ipsis.*

ret se in affectati imperii suspicionem venisse, ac A successore misso, necem sibi à Maximiano destinatam, cum Classiariis deficiens, in Britanniam transmisit, ac occupata legione, imperium cum Augusti titulo Anno eodem 287. capessivit.

Cùm Maximianus Anno etiam 288. iterum consulatum inierit, victoriam illam, quam ipsis Kalendis Januarii, teste Oratore, consecutus fuit, primo ejusdem consulatui in Numismate designato, adscripsi, quòd Anno 288. idem Imperator, Germanica expeditione intermissa, ædificandæ classi incubuerit, ut novum imperii æmulum navalibus copiis instructum è Britannia expelleret. B Idem Panegyristes cap. 12. *toto ferè anno* naves ædificatas scribit. Diocletianus recepta Syria, ac plurimis Persarum oppidis in deditionem acceptis, bellum impigrè urgebat. Verùm audita Carausii rebellione, pace cum Persis composita, in Europam se contulit, cum Maximiano de bello contra novum Imperatorem administrando consulturus. Utriusquè Augusti colloquium laudat Mamertinus cap. 7. *in quo*, inquiens, *vobis mutua præbuistis omnium exempla virtutum*, *atque invicem vos* (*quod fieri jam posse non videbatur*) *auxistis: ille tibi ostendendo dona Persica*, *tu illi spolia Germanica*. Livinejus in *Notis* scribit hoc Imperatorum C colloquium contigisse Mediolani, ut idem Mamertinus testatur in *Genethliaco Maximiani*. Verùm congressus Mediolanensis contigit Anno 291. desinente primo Maximiani quinquennio, ut in procemio *Genethliaci* idem exponit. Hic verò congressus contigit, antequam iidem Augusti expeditionem maritimam contra Carausium imperii æmulum susciperent, ut ex cap. 12. constat: *Quid nunc*, inquit, *animi habet ille pirata*, (Carausium notat) *cùm fretum illud*, *quo solo mortem suam hucusque remoratus est*, *penè vestros exercitus videat ingressos?* Et postea his Orationem concludit: *Facilè itaque quivis intelligit*, *Imperator*, D *quam prosperi te successus in re maritima secuturi sint*, *cùm jam sic tempestatum opportunitas obsequatur*. Habita est hæc Oratio die 21. Aprilis natali Vrbis A. 289. cùm Maximianus classem contra Carausium totis Germaniæ ac Galliæ fluviis educeret. At Carausius bello navali superior, Maximiani classe partim capta, partim adversa tempestate disjecta, pacem cum Britanniæ imperio & Augusti titulo obtinuit. Scribit Eutropius *lib.* 9. *Cum Carausio tamen*, *cùm bella frustra tentata essent*, *contra virum rei militaris peritissimum*, *ad extremum pax convenit*. Idem ex hoc singulari Serenissimi Magni Etruriæ DVCIS nummo colligitur:

In Nummis Occonis, Tristani, Patini, aliorumque legitur PAX AVG. ubi unus Carausius indicatur; at in Mediceo Numismate illis notis AVGGG. Diocletianus, Maximianus, ac Carausius Imperatores designantur.

Ex his colligimus triumphales Diocletiani & Maximiani quadrigas, in Mediceo Numismate sculptas, designare eorundem Principum victorias ante Annum 288. Germanico ac Persico bello reportatas; unde & in antiquis Inscriptionibus iidem *Germanici* ac *Persici* nuncupantur. Recitantur à Grutero pag. 166.

IMP. CAES. C. AVREL. VALER.
DIOCLETIANVS
SARM. MAX. PONT. MAX.
TRIB. POT. X
IMP. CAES. M. AVREL. VALER.
MAXIMIANVS
GERM. MAX. PERSIC. MAX.
PONT. TR. POT. IIX. COS
IMP. VIII

FL. VALERIVS. CONSTANTIVS.
ET. GALERIVS. VALERIVS.
NOBB. CAESARES. MVRVM....

Altera:

IMP. CAES. C. AVR. VAL. DIOCLE-
TIANVS. AVG. PONT. MAX
SAR. MAX. PERS. MAX. TRIB.
POT. XI. IMP. X. COS. V.
P. P. ET
IMP. CAES. M. AVR. VAL. MAXSI-
MIANVS. AVG. PONT. MAX. SAR
MAX. PERS. MAX. TRIB. POT. X.
IMP. VIII. COS. IV. P. P. ET. IMPP
FL. VAL. CONSTANTIVS. ET GAL.
VAL. MAXIMIANVS. FILII
CAESS. MVRVM. VITVDVRENSEM.
A. SOLO. INSTAVRARVNT
CVR. AVRELIO. PROCVLO. V. C.
PROV. MAX. SEQ.

Prior Inscriptio posita est intra xv. Kal. Octobris A. 293. & Kal. Aprilis A. 294. quo tempore Diocletianus gerebat Pot. Trib. x. primò initam die 17. Sept. A. 284. Maximianus verò IIX. inchoatam A. 286. Kal. Aprilis. Altera Inscriptio incisa est à Kal. Aprilis A. 295. ad xv. Kal. Octobris ejusdem Anni, quo sanè tempore erat Diocletianus Trib. Pot. XI. Maximianus x. Tristanus tomo 3. pag. 366. nummum Maximiani profert cum epigraphe P. M. TR. P. VIII. COS. IV. P. P. ex quo, inquit, intelligimus Maximianum *anno imperii octavo Consulem* IV. *fuisse*, *quod Onuphrium ac cæteros fugit*. Hic censor Onuphrii Fastos non legit, qui in Tabulis consularibus lib. 2. hæc grandioribus characteribus scribit: IMP. CAES. MAXIMIANVS P. F. AVG. TR. POT. VII. VIII. COS. IV. P. P. Rectè cum E quarto consulatu Maximiani A. 293. junxit Tr. Pot. VII. usque ad Aprilem, inde verò VIII. ut nullus sit reprehensioni locus.

Quamvis Maximianus nunquam contra Persas pugnavit, *Persici* tamen nomen ex Collegæ Diocletiani victoriis obtinuit; solemne enim Augustis fuit victoriarum titulos cum imperii Collegis participare, licèt iidem vel Romæ, vel alibi procul à belli periculis degerint. Ita M. Aurelius in Nummis Armeniacus, & Parthicus appellatur; cùm tamen Verus Augustus Aurelii Antonini Collega bellum cum hostibus gesserit. Peculiari autem Antonini modestiæ Capitolinus deputat F *cap.* 12. quòd post mortem Veri, hunc *tantùm Parthicum*, *Germanicum se vocaret*, *quod sibi bello proprio peperer at*.

CAP.

CAP. V.

Numisma Mediceum esse consulare. Eidem simillimus Maxentii Nummus ex Cimeliis CHRISTINÆ Augustæ *profertur atque explicatur. Maxentii consulatus apud Panvinum & alios confusi suo ordine digeruntur. Processus consulares ex Imperatorum Rescriptis ac antiquis Scriptoribus illustrantur. Consules ad edendos Ludos curru triumphali vectos processisse adversus Schefferum ostenditur. Chimentelli sententia de sella curuli in curru triumphali rejecta.*

Romani Principes, cùm ceteros magistratus civibus capessendos reliquissent, consulatum tamen ordinarium passim inibant, ut annum in Fastis denominarent, suoque nomine omnia implerent. Egregiè hæc describit Libanius in *Panegyricô Juliani: Quid venerabilius*, inquit, *esse potest, quàm universum Orbem terrarum Solis instar appellatione continere, & in ore cunctorum hominum esse nomen à parentibus inditum, cujus memoria multas complectatur necessitates, judicia, nuptias, forum, portus, debita, venditiones, contrahentes, paciscentes, litigantès, fidem per litteras facientès, communicantes, dissidentes, filiorum opulentorum natales, puerorum in scholis institutiones, quorum unum studium est nominare Consules; in quo etiam & acquiescunt. Quod igitur quidam dixit de Jove omnium summo Consule, Jovis vias omnes esse plenas; omnia fora, portus, maria, hoc aliquis dicere possit de Consulibus, qui appellationem cum Deo communem habent.* Et concludit: *Imperator ab illo dignitatis cumulo non minùs ubique celebratur.* Hinc plerique Principes tanta aperiendi in Fastis anni ambitione tenebantur, ut Octavianus Augustus A. U. C. 720. cùm Kalendis Januariis manè pro æde Jovis Capitolini in sella curuli præsedisset, intra paucas horas magistratum abdicaverit. Cajus tertium consulatum septem, quartum tredecim diebus gessit. Novi etiam Imperatores ineunte anno consulatum statim usurpabant, uno Trajano excepto; quare idem à Plinio in *Panegyri* laudatur: *Hoc ergo*, inquit, *honore, quem, & incipientes Principes, & desinentes adeò concupiscunt ut auferant, te otioso ac vacante privatis cessisti.* Quo verò gesti, vel saltem deflorati magistratus memoria ad seros quosque posteros deveniret, Numismata cudebantur, in quibus Consulis effigies cum notis consulatus exprimebatur. Hi Nummi consulares appellantur. Laudantur id genus Numismata passim ab Antiquariis. Apud Occonem Diocletiani nummus inscribitur in aversa parte, CONSVL. IV. P. P. Item alter Maximiani in parte postica signatus, CONSVL. AVGG. NN. *Consules Augusti Nostri.* In aliis majoribus Nummis ipse Consulum processus exprimitur, cujus generis duos indicat vir Cl. Spanhemius Dissert. 8. *de usu & præstantia Numism.* pag. 705. Unum quidem Constantini Magni cum inscriptione, FELIX PROCESSVS COS. VI. AVG. Alterum Maxentii inscriptum, FEL. PROCES. CONSVLAT. AVG. N. quem cùm intellexissem servari in Cimeliarchio CHRISTINÆ Augustæ, ejusdem ectypum per litteras impetratum subjicio:

Hic consulatus Imp. Maxentii cum quadrigis Elephantorum ac Victoria coronam Principi offerente conspicitur, quæ omnia in Mediceo etiam Numismate exprimuntur. Panvinus quatuor Maxentii consulatus ponit præeunte Scriptore Vitæ S. Marcelli Papæ; & omnes quidem suffectos: primum à Kalend. . . . . Anno 306. secundum Anno 307. à Kalend. Julii, tertium VII. Kal. Maji A. 308. modò Maximinum, modò Romulum eidem Collegas assignans; quartum verò statuit Anno 309. Goltzius de more ad verbum eadem ex nostro Scriptore suis Fastis inseruit, uti etiam Calvisius. Baronius quartum Maxentii consulatum alligat eidem A. 309. Cuspinianus cùm in depravatum codicem libelli *de Præfectis Urbis* incidisset, unicum tantùm Maxentii consulatum expiscari potuit. Ceterùm ex libello eodem ex nitidiori codice à Bucherio exscripto ac publicato, itemque ex Fastis Idacianis, quatuor consulatus Maxentii suis quosque annis designatos accepimus. Occiso Severo, ac Galerio ab Italia pulso, Maxentius ejusque filius Romulus A. 308. consulatum ordinarium inierunt. A. 309. iidem Consules in Urbe processere. Exstat nummi inscriptio apud Baronium A. 309. IMP. C. MAXENTIVS P. F. AVG. CONS. II. Tertium consulatum solus gessit A. 310. Unde infero Romulum Cæsarem, quem pater inter Divos retulit, anno superiori diem obiisse. Visitur nummus mediocris magnitudinis in scriniis Serenissimi Card. LEOPOLDI inscriptus, DIVO ROMVLO NOBIS. CONS. *Nobilissimo Consuli*; ex quo patet eundem mortuum & consecratum fuisse in suo altero consulatu. Quartum denique consulatum Maxentius gessit A. 312. quo vitam cum imperio amisit. In aliis verò Romani Imperii Provinciis Augusti Maxentii hostes, consulatus iisdem annis iniere, ut ex Fastis intelligitur.

Quadrigæ in laudato nummo inclytæ Reginæ non designant triumphum Maxentii de Alexandro. Etenim Anno tantùm 310. Alexander victus fuit à Maxentii Ducibus, ut fusiùs ostendam lib. 1. *Historiæ Donatistarum*, & patet ex Nummis Græcis, quos laudat Goltzius, cùm epigraphe, ΑΥΤ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΕΥΣ. ΕΥΤ. L. A. alius L. B. alius L. Γ. postremus L. Δ. *Imperator Cæsar Alexander Pius Felix Augustus. Anno primo; anno secundo; anno tertio*; tandem *anno quarto.* Itaque Alexander A. 307. cùm, fugato ab Italia Galerio, Maxentius Africam in potestatem redigere conaretur, purpuram induit, quam tamen Anno 310. quarto tyrannidis inchoato occisus amisit. Cùm verò in Numismate Augustæ legatur FEL. PROCESSUS CONSVL. AVG. N. nulla addita nota numerali, prior Maxentii consulatus designatur, quem A. 308. ex ante diem XII. Kal. Majas cum Romulo capessivit. Certè in nummo Constantini consulatus ejusdem VI. exprimitur, (aliam tamen interpretationem subjiciam) quod etiam in omnibus consulatibus Augustorum, in Nummis obsignatis, apparet. Itaque biennio ante debellatum Alexandrum, regium Numisma scalptum fuit. Maxentius plures victorias, antequam classem in Africam mitteret, obtinuerat contra Severum, Gale-

Galerium, & patrem Herculium, ut patet ex *Panegyrico* Constantino dicto post cædem Maxentii cap. 3. In agro nostro Veronensi apud Cotiniolam hoc epigramma legitur:

IMP. CAESARI. M. AVRELIO.
VALERIO. MAXENTIO. PIO.
FELICI. INVICTO. AVGVSTO.
IMP. XI.

Titulus ille Imperatoris toties iteratus; plures ejusdem victorias indicat. Hinc ob easdem quadrigæ elephantorum Maxentio S. C. decerni potuere. Nec obstat eundem bello civili adversus socerum ac patrem victorem evasisse; nam cùm Senatus post Maximini Augusti cædem cogeretur, Cuspidius à P. C. sententiam rogatus dixit: *Victoriæ causâ Principibus nostris Maximo, Balbino, & Gordiano statuas cum elephantis decernimus, currus triumphales decernimus, statuas equestres decernimus, trophæa decernimus.* Quòd tamen bello civili victores evaserant, nullum Romæ triumphum egerunt. Exstat in Gaza Magni Ducis Numisma æreum majoris magnitudinis exprimens Hadrianum in quadrigis elephantorum, cùm inscriptione, ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΣ CΕΒ. L. ΙΖ. Patet nummum scalptum fuisse anno imperii ejusdem XVII. Certè Hadrianus nullum triumphum gessit. Hinc honoris tantùm gratiâ quadrigæ elephantorum Hadriano à Græca urbe decretæ sunt. Ita OPVS QVADRIGAE CVM EFFIGIE IMP. HADRIANI ab Itala urbe dicatum, laudatur in antiquis Inscriptionibus pag. 444.

Ego tamen puto non triumphum, sed processum consularem Maxentii in regio Numismate obsignari. Hujus consulatus mentionem facit antiquus Auctor Libelli *de Præfectis*, *Consules*, inquit, *quos jusserint DD. NN. Augusti.* Quare A. 308. Kal. Januarii ob civilia bella inter Maxentium, & Collegas Augustos, nulli Consules ordinarii magistratum iniere. Postea, *Ex* XII. (Cuspinianus VII. legit) *Kalend. Maji factum est Maxentio & Romulo, quod est Diocletiano decies, & Maximiano septies.* Scaliger in *Notis Eusebianis* num. 2320. ex hoc decimo Diocletiani consulatu putavit nondum eo anno Diocletianum purpuram exuisse, pleni quadriennii metachronismo. Galerius Maximianus, quò devoti animi obsequium erga Diocletianum, à quo ad imperium evectus fuerat, testatum faceret, eundem quamvis privatum unà secum Consulem designavit. Hinc Orator in *Panegyrico* A. 310. dicto Constantino post mortem Herculii de Diocletiano loquens ait: *Felix beatusque verè quem vestra tantorum Principum colunt obsequia privatum.* Consules cùm ad magistratus insignia accipienda, vel ad Ludos pro delatis trabeis de more edendos prodibant, vulgò *procedere* dicebantur, eaque pompa *processus* nomine indicabatur. Plutarchus in *Galba*; *Erat etiam*, inquit, *Liviæ uxoris Cæsaris genere conjunctus: itaque operâ Liviæ ex Palatio* CONSVL PROCESSIT. Græcè, Ὕπατος ἐκ Παλατίου προῆλθε. Lampridius in *Elagabalo* cap. 15. *Denique*, ait, *Kal. Januariis quum simul designati essent Consules, noluit cum consobrino* PROCEDERE. Auctor *Chronici Alexandrini* de Diocletiano scribit: Καλάνδαις Ἰανουαρίαις προῆλθεν Ὕπατος. Rectè Interpres, *Kalendis Januariis Consul processit.* In Fastis Idatianis A. 385. *Occisus est Carinus Margo, qui ipso anno cum Aristobulo* CONSVL PROCESSERAT. In Actis SS. Martyrum Joannis & Pauli apud Surium die 26. Junii: *Cùm autem Gallicanus vellet privatus obscedere, rogatus ab Augustis* CONSVL PROCESSIT. Hac eadem phrasi, utpote vulgari, Poëtæ etiam usi sunt in novorum Consulum pompa

A designanda. Claudianus in fine *Panegyrici ad Manlium Consulem* ait:

Consul per populos, idemque gravissimus auctor
Eloquii, duplici vita subnixus in ævum,
PROCEDAT, *pariter libris fastisque legendus.*

Corippus lib. 4. *de laudibus Justini secundi*, describens consularem pompam, quâ idem Kal. Januariis in publicum exiit, hæc canit:

B

Consulis adventum summa tardantis in aula
Exspectant, pendentque moras, causasque morarum
Inquirunt, oculosque omnes ad regia tollunt
Limina, PROCESSVMQVE AVGVSTI
Consulis optant.

Exstat in Cod. Just. *l.* 2. *de Consulibus* hoc Rescriptum Marciani Augusti: *Cessante ergo ista spargendi vilitate, amplissimi* CONSVLES PROCEDENTES *deinceps abstineant hoc errore perdendi.* Rursus *leg.* 4. Zeno concedit Consulibus PROCEDENDI *legitimam facultatem.* Verùm his omnibus luculentior est *Novella* Justiniani 105.

C in qua non solùm processus Consulum leguntur, verùm etiam eorundem numerus lata lege statuitur, ne per ambitionem, aut popularis auræ captandæ gratiâ, patrimonia profusis largitionibus à novis Consulibus absumantur. Hæc sancit Imperator: *Erit* PROCESSVS *primus, quo suscipit consulatum, & hujusmodi possidet codicillos Kalendis Januariis.* Dein sex alios processus Consulibus permittit. Nempe ut iterum procedant in Circum ad edenda equorum certamina. Tertiò ad exhibendam venationem ludicram, quâ animalia herbatica à Populo diripiebantur. Quartò ad amphitheatrum, ubi homines cum feris depugnabant. Id genus spe-

D ctaculi *pancarpum* dixere, ut rectè notat Cassianus *Collat.* 5. *cap.* 14. Quintò prodibant ad dandos Ludos scenicos. Sextò iterum ad edendos Circenses. Postremus processus erat cùm magistratu exibant. Et concludit, *ita septem noctium, & processuum complebitur cursus.* Hos processus Consulum egregiè describit Claudianus proximè laudatus, & Panvinus lib. 1. *de Ludis Circensibus.* Certum est Imperatores, Consules, Prætores, aliosque editores munerum curru vectos cùm ad exhibendos Ludos procederent. In tabulis magni Panvini ejusque Commentariis hoc omissum fuit, uti constat ex *lib.* 2. *cap.* 2. ubi pompam Circensium descri-

E bens, videtur velle editores Ludorum pedites cum reliquis magistratibus in Circum perrexisse. At eosdem curru vectos disertè tradit Juvenalis *Sat.* 10. ℣. 34.

Quid si vidisset Prætorem in curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi,
In tunica Jovis & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, &c.

Cùm sub initium imperii Tiberii Cæsaris Tribuni plebis petiissent, ut proprio sumtu ederent

F Ludos, qui de nomine Augusti, cujus honori destinabantur, Augustales nuncuparentur, scribit Tacitus lib. 1. *Annal.* id eisdem permissum, sed *decreta pecunia ex ærario, utque per Circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum.* Nempe ne eo honore summis magistratibus æquarentur. Porrò inter spectacula in Mœnianis in sella curuli editores Ludorum sedisse eruditè ostendit Chimentellus in præclaro Opere *de Bisellio* cap. 12. Suetonius in *Augusto* cap. 43. *Commissione*, inquit, *Ludorum, quibus theatrum Marcelli dedicabat, evenit, ut laxatis sellæ curulis compagibus, caderet supinus.*

Sella curulis adeò erat propria editorum Circensium, ut teste Dione *lib.* 44. Cæsari S. C. datum fuerit, *ut semper curuli sella sederet, exceptis Ludis; tum enim sessio ei in Tribunitio subsellio cum iis, qui quo tempore Tribunatum plebis gererent, concedebatur.* Finitis Ludis, editores munerum eodem curru iterum per Circum procedebant. Hæc ait Livius *lib.* 45. *cap.* 1. *Ad* x. *Kal. Octob. Ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio Consuli ad quadrigas mittendas adscendenti, tabellarius, qui se ex Macedonia venisse diceret, laureatas literas attulisse dicitur. Quadrigis missis, Consul currum conscendit, & quum per Circum veheretur ad foros publicos, laureatas tabellas Populo ostendit.* Hæc ille.

Currum, cui editores insistebant, fuisse triumphalem tradunt Argolus in *Notis Onuphrianis* lib. 2. cap. 14. Rubenius lib. 1. *de Re Vestiaria* cap. 21. & ob eximiam eruditionem magni inter Litteratos nominis Octavius Ferrarius in *Analectis de Re* item *Vestiaria* cap. 36. Hoc quidem deducunt ex Capitolino, qui in *M. Antonino* cap. 16. scribit ab Augusto patre in Commodum delatum *citò nomen Cæsaris, & mox sacerdotium, statimque nomen Imperatoris, ac triumphi participationem, & consulatum; quo quidem tempore senex Imperator filio ad triumphalem currum in Circo pedes cucurrit.* Hîc verò Capitolinum loqui de tempore, quo Commodus procedebat ad edendos Circenses pro inito consulatu, ex eo constat, quòd triumphum unà cum patre egit, ex Lampridio *cap.* 2. ac proinde Antoninus id temporis neutiquam pedes ad currum Commodi cucurrit. Cùm in textu legatur *sine Imperatoris filio*, Casaubonus aliter erratum emendat, pro *sine* ponens *Senatus*, quasi Patres pedites accurrerint Commodo, non quidem Consuli procedenti, sed unà cum Aurelio ac Vero Augustis triumphanti. Verùm in hoc postremo Casaubonus deceptus est; etenim Commodus ex Lampridio *cap.* 12. *appellatus est Imperator* v. *Kal. Exsuperatorias Pollione iterum, & Apro Coss. Triumphavit* x. *Kal. Amazonias iisdem Coss.* nempe A. V. C. 929. Christianæ Epochæ 176. Verus autem ante septennium obierat. Itaque ex illo depravato textu Capitolini triumphalis currus edentium Ludos minùs certò colligitur. Id meliùs cuipiam fortè probari posset ex Dione, qui *lib.* 59. describens pompam, quâ Cajus Augustus in suo primo consulatu processit ad exhibendos Ludos, ait, *Sex equis tractus est currus triumphalis, quo Cajus vehebatur.* Hanc tamen Interpretis versionem non admittit Schefferus lib. 2. *de Re Vehiculari* cap. 14. nam verba illa πομπικὸν ἅρμα non triumphalem, sed pompaticum currum significant; πομπὴ enim non triumphum, sed pompam apud Græcos exprimit; additque toto illo loco *nihil de bello, multò minùs de triumpho*; ut planè appareat eundem editori munerum non concedere currum triumphalem. Verùm observo currum triumphalem alibi à Dione πομπικὸν ἅρμα disertè appellatum; nam *lib.* 43. describens triumphos Cæsaris ait: *Ceterùm prima die triumphi omen ei adversum obtigit, axe currus triumphalis apud fanum Fortunæ à Lucullo ædificatum confracto.* Græcè ligitur τοῦ ἅρματος τοῦ πομπικοῦ. Sed video neque ex Dione currum triumphalem probari; nam omnis currus triumphalis pompaticus, non omnis pompaticus item triumphalis; thensæ enim ac carpenta, quæ inter Circensium spectacula visebantur, erant currus pompatici, non triumphales.

Ex raro tantùm ac insigni Augustæ nummo currus triumphalis, quo Consules ad edendos Ludos procedebant, innotescit. Zonaras tom. 3. describens formam currus triumphalis ait: *Currus non erat similis ei, cujus usus est in certaminibus ludicris, nec cujus usus in bello, sed rotunda figura instar turricula constructus.* Hoc ipsum ex quadrigis triumphalibus, quæ Romæ in arcu Titi visuntur, aliisque innumeris in Nummis Augustorum obsignatis, eruditè docuit Panvinus in libro *de Triumpho*. Currus erat duarum rotarum, cujus capsa erat rotunda, ac in ambitum clausa, in qua Imperator non quidem sedens, sed stans vehebatur; unde Ovidius lib. 3. *de Ponto* el. 4.

Illa Ducis facies in curru stantis eburno.

Prudentius lib. 2. *in Symmachum* ℣. 555. triumphatores in curru stantes describit:

Frustra igitur currus summo miramur in arcu
Quadrijugos, stantesque Duces in curribus altis.

In omnibus Nummorum quadrigis triumphantes Cæsares stantes exhibentur, nusquam sedentes. Rubenius in explicatione gemmæ Augusteæ currum triumphalem arcuatum instar hemicycli exhibet; quæ tamen sententia vetustis omnibus monumentis adversatur. Est currus qualis à Gentilibus Diis dabatur.

Et quidem cùm summis Magistratibus munera edentibus vestis triumphalis permitteretur, currus item triumphalis concedi debuit, quo splendidiùs pompam Circensium ducerent. Itaque in nummo Maxentii PROCESSVS ejusdem ad edendos Ludos exhibetur, idemque stans in quadriga triumphali visitur; ut planè vera appareat sententia, quæ currum triumphalem editoribus Ludorum tribuit; quod tamen nec Salmasius in *Notis ad Capitolinum* in *M. Aurelio* intellexit, & minùs rectè Schefferus negavit.

Quæri possit, num in eodem curru posita esset sella curulis, quæ inter præcipua Consulum insignia censebatur. Chimentellus *cap.* 12. putat in curru triumphali positam fuisse sellam curulem ex Servio *ad lib.* 11. *Æneid.* ℣. 384. Sed nihil tale ex Servio colligitur; ille enim scribit usum sellæ curulis iis tantùm concessum, qui partâ victoriâ, triumphali curru in Vrbem invehebantur, quod falsum est; cùm in curuli sederent togati Magistratus in Vrbe procul à castris, ut ex Nummis Ædilium ac Historicis omnibus patet. Rursus eadem Chimentelli sententia refellitur, quia cùm Senatus Parthicum triumphum Septimio Severo detulisset, is ex Spartiano *cap.* 16. *idcirco recusavit, quòd consistere in curru affectus articulari morbo non posset.* Si in curru triumphali fuisset sella curulis, Severus quamvis podagrâ laborans, sedere potuisset. At cùm triumphus stanti in curru perageretur, nullus ibidem sellæ usus esse potuit. Isidorus *lib.* 20. *cap.* 11. ait: *Apud Veteres Prætores & Consules propter itineris longinquitatem curru provehebantur. Sellæ autem, quæ post eos vehebantur, quibus sedentes jura dicere solebant, à curru curules sellæ sunt nominatæ.* At secus testatur Gabius Bassus apud Gellium *lib.* 3. *cap.* 18. *Senatores, qui curulem magistratum gessissent, dicit curru solitos honoris gratiâ in Curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur.* Ita cùm Consules in magistratu essent, post eorumdem currum sella curulis uti consulatus insigne palam ferebatur; cùm verò magistratum gessissent, sella intra currum reponebatur. Hac ratione uterque Scriptor conciliari possit. Utut sit de hoc, in curru triumphantium nullam curulem fuisse certum est, cùm nullus ejusdem usus ibidem esse potuerit.

Cùm Maxentius in suo primo consulatu quadrigis elephantorum ad edendos Ludos processerit, easdem ob victorias Imperatori decretas puto; præsertim cùm in regio Numismate appareat Victoria coronam Principi offerens, editores enim mu-

munerum triumphalibus equorum quadrigis de more vehebantur. Fortaſſis etiam Tyrannus, qui poſt fugatum ab Italia Galerium, cuncta pro arbitrio agebat, propria auctoritate elephantos currui junxit, quo pompam ſplendidiorem duceret. Rem in medio relinquo. Ceterùm cùm in numiſmo Mediceo non exprimatur PROCESSVS conſularis Auguſtorum, conſequens fit, ut eorundem tantùm victoriæ indicentur, ob quas utrique, vel Diocletiano ſaltem, triumphus in quadrigis elephantorum decretus fuerit, ut pluribus paulò inferiùs demonſtrabo.

Unum hic adijciam, epigraphen regii Numiſmatis poſſe etiam ſic explicari: *Felix proceſſus conſularis Auguſti Noſtri.* Alteram verò nummi Conſtantiniani: *Felix proceſſus conſularis ſextus Auguſti Noſtri.* Ut in hoc Conſtantini Numiſmate non quidem ſextus ejuſdem conſulatus inſcribatur, ſed ſextus proceſſus, quum idem in conſulatu ſextùm ad edendos Ludos exivit. Scribit de Gordiano ſeniori Capitolinus *cap.* 3. *Quæſturam magnificentiſſimè geſſit; ædilitatis ſuæ tempore* XII. *Populo Romano munera, id eſt, per ſingulos menſes ſingula de ſuo exhibuit.* Itaque duodecies ad edendos Ludos proceſſit. Hos tamen proceſſus ad ſeptem Juſtinianus reduxit. Poſterioris ævi Auguſti cùm Conſules procederent, ſedebant in ſella hominum humeris impoſita, ut de Juſtino II. ſcribit Corripus *lib.* 4. & de Mauricio Simocatta *lib.* 8. *cap.* 12. ait: *Agebatur annus Mauricii ſecundus, cùm hyeme Conſul creatus, conſcenſa ſella regia, ſummoperè perſpicuus erat. Ferebant Imperatorem non equi, non muli, non elephanti, ſed, quod longè pretioſius eſt, homines.* Sed de his aliàs.

CAP. VI.

Pompejus Elephantos Africano triumpho primùm Romæ currui junxit. Quadrigas Elephantorum Perſici triumphi proprias evaſiſſe, Alexandri Severi ac Gordiani exemplis oſtenditur. Capitolini textus minùs rectè Scheffero correctus. Antiquariorum de quadrigis equorum in Alexandri Imp. Nummis ſententia refellitur. Hac occaſione laterculus Conſulum in Faſtis depravatus reſtituitur. Quadrigas triumphales Elephantorum in Numiſmate Mediceo Perſicas victorias Diocletiani deſignare.

ROmani adverſùs finitimos Latii ac Thuſciæ Populos bello feliciter geſto, re adhuc tenui & anguſta, humiles planè triumphos agebant. Romulum pedibus omnium primum triumphaſſe, ex pedeſtribus ejuſdem ſtatuis ſpolia ferentibus, probat luculenter Plutarchus in libello *de Vita Romuli* adverſùs Dionyſium Halicarnaſſenſem. Dein aucta unà cum imperio triumphi pompa, Tullus Hoſtilius & Ancus Martius equo vecti de hoſtibus triumpharunt. Idem verò Plutarchus teſtatur Tarquinium Priſcum quadrigis equorum Romæ primitus triumphaſſe. Etenim cùm bello difficili duodecim Tuſciæ Gentes in poteſtatem Populi Romani redegiſſet, *inde*, inquit Florus *lib.* 1. *cap.* 5. *faſces, trabeæ, curules, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta; inde quòd aureo curru* QVATVOR EQVIS TRIVMPHATVR. *Togæ pictæ, tunicæque palmatæ; omnia denique decora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Ita rudis ille Populus præclara quæque cùm pacis tùm belli ornamenta Etruriæ accepta tulit. Camillus de-

A bellatis longo ac periculoſo bello Vejentibus, albos equos currui junxit, & hos quidem æqua fronte locatos. Scribit de Camillo Livius *dec.* 1. *lib.* 5. *Maximè conſpectus ipſe eſt curru equis albis juncto urbem invectus, parúmque id non civile modò, ſed humanum etiam viſum, Jovis ac Solis equis æquiparatum Dictatorem in religionem etiam trahebant.* Verùm ubi Romanus Populus latè per Orbem arma circumtulit, & ditiſſimas Provincias in Capitolii jura tranſcripſit, triumphorum pompa ſumtuoſiſſima evaſit, & planè humanum modum prætergreſſa, omnem prorſus formam exuit priſcæ tenuitatis. Certè, ut cetera omittam, albi equi, B qui olim humani triumphi pompam, quòd Numinum quadrigis deputati erant, ſuperare viſi ſunt, præ aſſiduitate Romanis quibuſdam Imperatoribus viluerunt. Hinc ab inſuetis quadrijugibus nova triumphis pompa quæſita. Pompejus omnium primus de Africa triumphans, quadrigis elephantorum in Capitolium venit. Plinius *lib.* 8. *cap.* 2. *Romæ*, inquit, *juncti elephanti primùm ſubiere currum Pompeji Magni Africano triumpho, quod priùs India victa triumphante Libero Patre memoratur.* Nec ullus in religionem traxit quadrijuges Bacchi ad currum junctos; tunc enim Ro- C mani, magna Orbis parte ſubacta, diviſum cum Diis imperium jactabant. Quadrigæ poſtea elephantorum vehendis in Circum ſtatuis Principum conſecratorum deputatæ ſunt, qui honor Auguſto primùm S. C. decretus fuit. Hinc Dio in *Nerone* apud Xiphilinum: *Et elephanti, qui trahebant currum Auguſti, in Circum ingreſſi eò uſque, ubi Senatores ſedent, proceſſerant.* In Cimeliarchio Mediceo quadrigæ elephantorum in nummo primæ magnitudinis viſuntur, cum inſcriptione, DIVO AVGVSTO S. P. Q. R. Item Veſpaſiani ſtatua in altero Numiſmate currui elephantorum impoſita, cum epigraphe, DIVO AVG. VESP. Et id ge- D nus Nummi paſſim apud Antiquarios proſtant. Cùm Septimius Severus Pertinacem inter Divos retuliſſet, *juſſit ſtatuam ejus auream curru elephantorum in Circum vehi*; Dio apud Xiphilinum in *Pertinace*. Itaque quadrigæ elephantorum aureis Divorum Principum imaginibus in Circum trahendis inſerviebant.

At ſequiori ætate Imperatoribus Perſico triumpho quadrigas elephantorum decerni ſolitas disertè teſtatur Capitolinus in *tertio Gordiano* cap. 27. *Quadrigæ*, inquit, *elephantorum Gordiano decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet.* Eruditiſſimus Schefferus libro 1. *de Re Ve-* E *biculari* cap. 9. contendit mendum in Capitolini textum irrepſiſſe; *Eccur enim*, ait, *quia Perſas vicit, quadrigæ elephantorum decerni tandem ei debuerunt? Non ſunt elephanti propriè ac ſpeciatim uſitati Perſis. Itaque*, concludit, *vix credo ſic Capitolinum ſcripſiſſe.* Non ſum neſcius Imperatores, antequam à Romanis cum Perſis bella gererentur, quadrigis elephantorum in triumpho uſos, uti de Pompejo proximè ex Plinio referebam. Exſtat etiam nummus Trajani apud Erizzum, in quo idem in quadrigis elephantorum exprimitur, cum inſcriptione, ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝ. ΓΕΡ. ΔΑΚΙΚ. *Impera-* F *tor Trajanus Germanicus, Dacicus.* Cùm Parthicus non appelletur, conſtat nummum cuſum fuiſſe poſt victum Decebalum, ac Daciam in Provinciam redactam, priuſquam in Orientem contra Parthos moveret; ac proinde quadrigas elephantorum, in ejuſdem Numiſmate ſignatas, non indicare Parthicam victoriam. Ceterùm ut Capitolini dictum adverſùs viri clar. dubitationem defendam, res mihi paulò altiùs ex Herodiano *lib.* 6. *cap.* 2. repetenda eſt. Macrinus ultimus Romanorum Principum cum Artabano Rege Parthorum bellum geſſit, cui Anno 217, poſt cruenta certami-

na finis impositus. Inde Artabano cum Artaxerxe Persarum Rege infaustis auspiciis bellatum est. Etenim Artaxerxes acie superior, Artabano interfecto, regnum Arsacidarum, qui jam inde à Crassi cæde cum Romanis de Orientis Imperio variâ fortunâ contenderant, Persarum ditioni adjecit. Hinc victoriâ tumidus, possessam Persis, ante Alexandri Magni irruptionem, Asiam armis vindicaturus, Mesopotamiam infestis agminibus ingressus, prædas totâ Syriâ agere, ac Romana castra fluminum ripis ad Imperii limites tutandos imposita expugnare. His Romæ nunciatis Alexander Severus Imperator habito ubique militum delectu, cum ingenti exercitu Romanorum primus in Persas movit, cum quibus variis etiam præliis conflixit. Postremo prælio tanta clade Persas affecit, ut fugato Artaxerxe, Mesopotamiam receperit, ac cum ingenti præda in Urbem victor redierit. Alexandri Orationem in Senatu habitam recitat Lampridius *cap.* 56. ejusdem initium, quòd plurimum ad rem facit, exscribam: *Persas P. C vicimus. Longâ eloquentiâ opus non est; tantum scire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primùm elephanti septingenti: iidemque turriti cum Sagittariis, & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus, ducenti interfecti jacent, decem & octo perduximus*, &c. Porrò Alexandrum primùm de Persis triumphum quadrigis elephantorum egisse testatur laudatus Lampridius *cap.* 57. *Dimisso*, inquit; *Senatu Capitolium adscendit*, &c. *Post hoc cum ingenti gloria, & comitante Senatu, Equestri Ordine, atque omni Populo, circumfusisque undique mulieribus & infantibus, maximè militum conjugibus, pedes Palatium conscendit; quum retro currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur.* Ut victoriæ pompa illustrior fieret, capti elephanti triumphali currui S. C. juncti sunt. Hinc quadrigæ elephantorum Persici triumphi propriæ evasere, quòd iisdem prior de Persis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuit. Gordianus annó tertio ab Alexandri Severi obitu Imperium indeptus, Attico & Prætextato Coss. secundum contra Persas bellum gessit, insignemque ab iisdem victoriam reportavit, *effectumque est*, inquit Capitolinus *cap.* 27. *ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Respubl. detineret.* Ipse etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam misit, quos postea Philippus Ludis Secularibus confecit. Delatis autem Romam Gordiani laureatis, eisdem in Senatu lectis, *quadrigæ elephantorum*, inquit Capitolinus, *Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet*, nempe alterum de Persis triumphum ageret curru elephantorum vectus, uti Alexander primùm paulò antè de iisdem hostibus triumpharat. Cùm Persæ septingentos in acie elephantos contra Romanos instruxerint, minus rectè scribit vir insignis, non fuisse id genus animalium propriè ac speciatim Persis usitatum; nam Pyrrhus, Annibal, aliique, paucos tantùm elephantos Romanis in præliis objecere. Profectò Parthorum robur in cataphractorum equitatu fuit; soli autem Persæ in bello adversùs Romanos magnam victoriæ spem in elephantorum numero posuere. Opponit idem Schefferus: *Nunquam triumphantibus à Senatu legimus decretum quo animalium genere uterentur in curru.* At hoc contigit, quòd quadrigis tantùm equorum triumphandi mos fuit. Elephantorum quadrigæ triumpho Persico Alexandro Imperatori primùm S. C. decretæ sunt; hinc ejusdem exemplo Gordiano etiam destinatæ. Et quidem Balbino, & Maximo, ac Gordiano post occisum Maximinum; *statuas cum elephantis* S. C. decretas testatur Capitolinus; cùm tamen in historia Romana statuæ tantùm equestres S. C. destinatæ dicantur. Quare sicuti statuæ elephantorum decretæ sunt, itidem & currus elephantorum decerni potuit.

Ceterùm quadrigas elephantorum Alexandro Persico triumpho ductas, ejusdem Alexandri Nummi dubias facere videntur; etenim nusquam triumphus Alexandri quadrigis elephantorum, sed equorum tantùm, in Nummis exprimitur cum epigraphe in antica parte, IMP. SEV. ALEXANDER AVG. & in postica, P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Duo id genus Numismata continet Gaza Ser. Magni DVCIS, tria verò Cimeliarchium Serenissimi Card. LEOPOLDI, quorum unum est majoris magnitudinis & cælaturæ pulcherrimæ. Carolus Patinus, vir planè doctissimus, & in Nummorum interpretatione summa cum laude versatus, putat quadrigis equorum in laudatis Numismatibus designari triumphum Persicum; in qua sententia video etiam fuisse Erizzum, Angelonum, aliosque Antiquarios. Non possum eruditissimi viri sententiæ accedere, cùm eadem Dionis testimonio penitus revellatur. Alexander Tribunitiam potestatem à Senatu accepit Anno 222. mense Martio. Quod mensem attinet, testes sunt Dio & Lampridius. Annus evidenter probatur ex lapide antiquo, in quo Heckædecaeteridem Paschalem S. Hippolyti Martyris incisam legimus. Hic eidem titulus præfigitur: *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris, facta est* XIV. *Paschæ Idibus Aprilis Sabbato.* Est character insignis A. 222. Christianæ Epochæ; nam eo Anno Idus Aprilis incidunt in diem Sabbati, ac in XIV. Lunam Paschalem. Consules illius Anni in Fragmento consulari apud Bucherium pag. 247. ponuntur, *Antoninus* IV. & *Alexander Mar.* ubi significatur iisdem Coss. die Martis contigisse Kalendas Januarias, qui est alter evidentissimus character ejusdem Anni 222. Cyclo Solis VII. Lunæ XIV. lit. F. Baronius initium Alexandri ac eosdem Consules posuit Anno 224. Panvinus 223. Itaque Tribunitia Potest. VIII. Alexandri inchoavit A. 229. mense Martio, quo Anno ordinarii Consules statuuntur Alexander Augustus III. & Dio II. Exstat in Cod. Just. Alexandri lex XI. *de pactis PP. Non. Decemb. ipso Augusto* III. & *Dione* II. *Coss.* At hoc Anno Alexandrum nondum expeditionem Persicam suscepisse, sed degisse Romæ, & ad Campaniæ delicias divertisse, testatur ejusdem Anni Consul, idemque Historicus celeberrimus Dio Cassius in *Alexandro*, ubi cùm narrasset, se à Prætorianis accusatum fuisse, at *Alexander*, inquit, *horum rationem habuit nullam, sed contrà me magis honestavit, secumque unà designavit secundum Consulem.* Quod cùm ægrè milites ferrent, *Jussit*, inquit, *mihi Alexander, ut alicubi extra Urbem commorarer in Italia tempore hujus consulatus mei. Quod cùm fecissem, Romam veni, dein profectus sum ad ipsum in Campaniam*, &c. Ibi verò asserit, Artaxerxis contra Parthos victoriis ingentem Romanis terrorem incussum, nullamque contra eosdem susceptam ab Alexandro expeditionem recitat. Ex hoc tam locupleti testimonio patet, Alexandrum anno Trib. Po. VIII. Romæ, & in Campania commoratum; tantùm abest, ut eo Anno in Oriente degens cum Persis pugnaverit. Quare quadrigæ equorum signatæ *Trib. Pot.* VIII. non exprimunt triumphum Persicum, sed alias Alexandri victorias, quas per Legatos obtinuit. Easdem paucis perstringit Lampridius in *Alexandro cap.* 58. *Actæ sunt res feliciter & in Mauritania Tingitana per Furium Celsum, & in Illyrico per Varium Macrinum affinem ejus, & in Armenia per Junium Palmatum, atque ex omnibus locis ei tabellæ laureatæ sunt delatæ, quibus in Senatu & apud Populum lectis, omnibus nominibus est adornatus.*

Ex-

Exſtat rariſſimus nummus Alexandri in Gaza Medicea in averſa parte ſignatus quadrigis triumphalibus cum Victoria ſtantem in curru Imperatorem coronante, cum epigraphe, P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. S. C. ut planè conſtet eundem Anno etiam 228. victoriam alicubi contra hoſtes conſecutum fuiſſe, unde quadrigæ triumphales eidem S. C. decretæ ſunt. Hac occaſione unus Conſulum laterculus à prima uſque ad octavam Trib. Pot. Alexandri corrigendus eſt. Etenim Anno 225. Panvinus, Calviſius, Petavius, Ricciolius, ceterique, Conſules aſſignant *L. Turpilium Dextrum & M. Memmium Ruffum*. Verum ex lapide apud Gruterum pag. 121. & ex altero ſaxo pag. 9. ſtatuendi ſunt Conſules *Fuſcus* II. *& Dexter.* Exſtant plura Reſcripta Alexandri *l. 6. de teſt. militis. L. 4. de impub. ſubſtit. L. 2. de liberis præt. L. 7. de fideicommiſſis*, ſignata *Fuſco* II. *& Dextro Coſſ.* Fragmentum conſulare apud Bucherium pag. 247. Conſules exhibet *Fuſcum & Dextrum Sat.* Et rectè; nam A. 225. Kalendæ Januariæ inciderunt in diem Saturni Cyclo Solis X. Lunæ XVII. lit. B. Interim mirari liceat, cur nuſquam in lapidibus, aut Nummis Alexander Mauritanicus, Armeniacus, ſed neque Perſicus inſcribatur. Sed de his hactenus.

Victi ab Alexandro Perſæ, dein iterum à Gordiano profligati, octodecim annos pacem ſervarunt, donec viribus reparatis, Valeriano imperante tertium Romanis bellum intulere, ac inſigni victoria acceptas ab Alexandro & Gordiano clades compenſarunt, capto Imperatore, ac legionibus cæſis. At ne univerſam Aſiam ſub jugum mitterent, Odenati, ejuſque conjugis Zenobiæ virtus fecit. Aurelianus in bello contra Zenobiam auxiliares quidem Perſarum copias, in Reginæ ſubſidium miſſas, intercepit; cum Perſis tamen pacem coluit; aureo etiam curru in ſignum amicitiæ ab illorum Rege donatus fuit, teſte Vopiſco in libello *de Vita ejuſdem* cap. 33. Carus quartum bellum Perſicum ſuſcepit, captiſque Cteſiphonte ac Colche nobiliſſimis Perſarum urbibus, dum victoriam feliciter exercens, caſtra in Tigridis ripa metatur, fulmine ictus occubuit. Imperator Diocletianus quintum bellum contra Perſas geſſit, ac receptâ Syriâ, plurimis hoſtium oppidis captis, &c, ut ait Orator in *Panegyrico Conſtantii*, *Partho ultra Tigrim redacto*, Narſeum Perſarum Regem ad petendam pacem coegit. Hinc ob Perſicas victorias *quadrigæ elephantorum* eidem *decretæ ſunt*, *utpote qui Perſas viciſſet, ut triumpho Perſico triumpharet:* quemadmodum de Gordiano Capitolinus ſuperiùs laudatus loquebatur. Et quamvis nulla veterum Scriptorum monumenta appellare poſſimus, Mediceum Numiſma horum fidem facit, in quo Diocletianus quadrigis elephantorum triumphans exhibetur. His etiam accedit, Mamertinum hæc ſcribere in *Panegyrico ad Maximianum* ipſis Parilibus recitato: *Hoc eodem modo Rex ille Perſarum, nunquam ſe ante dignatus hominem confiteri, fratri tuo* (Diocletianum intelligit) *ſupplicat, totumque, ſi ingredi ille dignetur, regnum ſuum pandit, offert; interim varia miracula eximia pulchritudinis feras mittit, amicitiæ nomen impetrare contentus, pacem promeretur obſequio*; cap. 10. Has autem inter feras fuiſſe elephantos crediderim, quòd ob uſus bellorum plurimi à Perſis fiebant, quos cùm Diocletianus in victoriæ ſignum Romam miſiſſet, uti Alexander ac Gordianus olim fecerant, eidem triumphus in quadrigis elephantorum S. C. decretus fuit. Num verò idem Imperator A. 302. quo de univerſis hoſtibus tum à ſe, & à Collega Maximiano, tum à Cæſaribus Conſtantio ac Galerio ſuperatis triumphavit, quadrigis elephantorum uſus fuerit, in medio relin-

A quo, neque auſim hac de re quidpiam ſine teſte affirmare.

SPANHEMIUS pag. 155. *ad Orat.* I. *Juliani* ita commentatur.

Nec præterire etiam hîc licet, quod de antiquiore vel victoria à Diocletiano, de eodem Narſeo Perſarum Rege parta, ac inde quadrigis triumphalibus in Diocletiani & Maximiani nummo Mediceo, juxta eorum Conſulatum in eodem adſcriptum, Anno Chriſti CCLXXVII. ſignatis; aut vero *pace* dein illo Anno cum eo compoſita, à

B duobus viris eruditiſſimis eſt adnotatum, Noriſio in peculiari de eodem nummo *Diſſertatione*, & Pagi in *Critica Baroniana* ad eundem Annum. Adde, quæ eam in rem adrigit in *Notis ad Lactantium* pag. 143. ac in Epiſtola ad ampliſſimum Voetium, vir illuſtri eruditione Cuperus. Quum tamen, ut id paucis tangam, nec prioris illius de Narſeo victoriæ, aut ſequutæ cum eodem pacis, ulla expreſſa occurrat in eodem nummo ſignificatio aut alibi mentio; nec etiam elephantorum in priſcis id genus monumentis quadrigæ, Perſici triumphi, ut ſtatuit laudatus Baronianus Ariſtar-

C chus, & quidem ab Alexandri Severi temporibus juxta Cl. Noriſium, eſſent demum propriæ; ideo nempe quòd Alexandrum Severum, qui pedes juxta Lampridium in *ejus Vita* cap. LVII. Palatium conſcenderat, currus retro, quem quatuor elephanti traherent, ſequeretur; aut quòd Gordiano Tertio, poſt victoriam Perſicam, quadrigæ elephantorum à Senatu decretæ dicantur à Capitolino in eodem *Gordiano* cap. XXVII. Ut enim receptas pridem ante Alexandri Severi ætatem, quod agnovit vir eximius, & veteres Nummi etiamnum ante oculos ponunt, in pompis Romanorum vel triumphalibus, vel memoriæ & hono-

D ri Cæſarum ſacratis, elephantorum quadrigas mittam; neque eas ut Perſicæ victoriæ demum proprias, vel tradunt in eodem *Alexandro* Lampridius, aut in Capitolino * Gordianus; immo neque ſoli, & quidem ante bellum Perſicum, Gordiano, ſed ſimul illi & Maximo ac Balbino itidem Auguſtis, poſt duorum Maximinorum cædem, eundem honorem, juxta Caputii † in Senatu ſententiam, decernendum tradiderat in *Maximinis* cap. ultimo idem Capitolinus, *victoriæ cauſſa Principibus noſtris Maximo, Balbino, & Gordiano ſtatuas* CUM ELEPHANTIS *decernimus*. Ad-

E de, ut alia mittam, eundem illum Maxentii nummum cum quadrigis elephantorum, quem à me olim Diſſ. IIX. *de Num. præſt.* pag. 705. è Gaza Chriſtinæ Suecorum Reginæ adductum, & ad ſignandam, ut illius inſcriptio continuò arguit, ac ibidem monui, *Conſularis proceſſus* memoriam, à viro doctiſſimo denuo ibidem prolatum, nempe Diſſert. *de Nummis Diocletiani & Licinii* pag. 24. & quidem, ut illum, non in alicujus victoriæ Perſicæ, ſed illius proceſſus Conſularis honorem, percuſſum ſimiliter agnoſceret.

PAGIUS in *Diſſertat. Hypatica* pag. 178.

F Carolus Patinus, Erizzus, & Angelonus rectè ſcripſêre, Alexandrum in ſuo tertio Conſulatu de Perſis triumphaſſe, ſed Nummi, quibus ad illud probandum utuntur, id minimè oſtendunt. In iis enim quadrigæ equorum exprimuntur cum epigraphe in antica parte, IMP. SEV. ALEXANDER AUG. & in poſtica, P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. S. C. Quippe hæc, ut Noriſius doctiſſimè obſervavit, non Trium-

 phum

* Reſt. *Gordiano Capitolinus*, vel *Capitolinus in Gordiano*. † Reſcr. *Cuſpidii.*

phum Persicum, sed alias Alexandri victorias, quas per Legatos obtinuit, exprimunt. Ille enim cum elephantorum quadrigis peragebatur, alii verò cum equis albis fiebant; cujus rei plura Veterum adduci possent loca, sed sufficiet hos Claudiani versus ex *Panegyri de sexto Consulatu Honorii Augusti* num. 506. afferre:

Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.

Sed in Triumpho de Persis Imperatores Romanos quadrigis elephantorum usos, tàm Alexandri Severi, quàm Gordiani exemplis ostendit idem Norisius. Lampridius enim in *Alexandro* cap. 56. Orationem, quam is in Senatu habuit paulò antequam triumpharet, refert; cujus hoc initium est: *Persas, Patres Conscripti, vicimus. Longâ eloquentiâ opus non est: tantùm scire debetis, quæ illorum arma fuerint, qui apparatus. Jam primùm elephanti septingenti, iidemque turriti cum sagittariis, & onere sagittarum. Ex his trecentos cepimus: ducenti interfecti jacent: decem & octo perduximus*, &c. Porrò eumdem Alexandrum primum de Persis triumphum quadrigis elephantorum egisse testatur laudatus Lampridius capite sequenti: *Dimisso Senatu Capitolium adscendit*, &c. *Post hoc cum ingenti gloriâ, & comitante Senatu .... pedes Palatium conscendit; cùm retrò currus triumphalis à quatuor elephantis traheretur.* Capti enim elephanti Senatûs-consulto currui juncti sunt, ut victoriæ pompa illustrior foret. Hinc Quadrigæ elephantorum Persici triumphi propriæ evasêre, quod iisdem prior de Persis triumphus Romæ ab Alexandro peractus fuisset. Gordianus non multò pòst, Attico & Prætextato Coss. Anno nempe 242. secundùm in Persas bellum gessit, insignemque de iis victoriam reportavit, ut docet Capitolinus in *Gordiano* cap. 27. is etiam elephantos plurimos cepit, ac duodecim Romam misit, quos postea Philippus Ludis Secularibus confecit. Delatis autem Romam Gordiani laureatis, eisque in Senatu lectis, *quadrigæ elephantorum*, inquit Capitolinus, *Gordiano decretæ sunt, utpote qui Persas vicisset, triumpho Persico triumpharet*; nempe alterum de Persis triumphum ageret curru elephantorum vectus. Sed eam felicitatem consecutus non est; à Philippo enim Præfecto Prætorio, qui ei in imperio successit, apud Ctesiphontem, accensis in seditionem militibus, occisus est. Non itaque præfati Nummi, in quibus equorum quadrigæ expressæ, Persicum Alexandri triumphum respiciunt.

F I N I S.

JACOBI

IACOBI GVTHERII,

IN SENATV PARIS. ADVOCATI,
CIVIS ET PATRICII ROMANI,

DE

OFFICIIS DOMVS AVGVSTAE
PVBLICAE ET PRIVATAE,
LIBRI TRES.

AD AMPLISSIMVM VIRVM

NICOLAVM BELLEVRAEVM,

SENATVS PARISIENSIS PRAESIDEM.

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS. A

Cap. I. DE ordine hujus Operis.
—— II. *Notitia Imperii. Breviarium Imperatoris. Domus Augustæ Officia, Magistratus, Judex, Cognitio.*
—— III. *De Magistratibus & illorum cognitionibus.*
—— IV. *De Dignitatibus & earum ordine.*
—— V. *De Clarissimis Præsidibus.*
—— VI. *De Clarissimis Consularibus.*
—— VII. *De Clarissimis Correctoribus.*
—— VIII. *De Rectoribus & moderatoribus Provinciarum & Juridicis.* B
—— IX. *De Spectabilibus.*
—— X. *De Illustribus.*
—— XI. *De iis qui sunt supra Illustres.*
—— XII. *De Consulibus & Consularibus.*
—— XIII. *De Consulibus Ordinariis, Suffectis & Honorariis.*
—— XIV. *De Vacantibus & Honorariis.*
—— XV. *De Dignitatum societate & adæquatione.*
—— XVI. *De Minoribus & infimis Dignitatibus.*
—— XVII. *De Consistorianis Comitibus.*
—— XVIII. *De Consiliariis priorum Principum, qui Jurisconsultis præcipuè usi sunt.* C
—— XIX. *De Majestate Principis; dignitatum omnium fonte.*
—— XX. *De Cognitionibus Principum.*
—— XXI. *De iis, quæ Principis Consistorio servantur, & de sententiis in Cognitionibus prolatis.*
—— XXII. *Exempla Imperialium Cognitionum, & de Cognitionibus Christianorum.*
—— XXIII. *De Cognitionibus Principis per Appellationem & Relationem.*
—— XXIV. *De Cognitionibus quæ in Sacro Consistorio finiebantur.* D
—— XXV. *De Cognitionibus selectorum Judicum à Principe. Qui Cognitores nuncupentur.*
—— XXVI. *De Consultationibus sublatis.*
—— XXVII. *De Constitutione Imperatoris Justiniani super eadem re.*
—— XXVIII. *De Consultationibus, Relationibus, Suggestionibus, & Remissionibus ad Principem.*
—— XXIX. *De Retractatione & Restitutione in integrum.*
—— XXX. *De Orationibus Principum.*
—— XXXI. *De Legibus & Constitutionibus Principum.* E
—— XXXII. *De Pragmaticis jussionibus, & Edictis Principum.*
—— XXXIII. *De Mandatis, Decretis, & Epistolis Principum.*
—— XXXIV. *De Rescriptis & interpretationibus Principum.*
—— XXXV. *De Rescriptorum forma, Inscriptionibus, Subscriptionibus, & Subnotationibus.*
—— XXXVI. *De Rescriptorum die & Consule, verbisque in illis usitatis.* F
—— XXXVII. *De Beneficiis Principum.*
—— XXXVIII. *De Beneficiis legis, & Principum indulgentia.*
—— XXXIX. *De decretis Principi honoribus, à S. P. Q. R.*
—— XL. *De Patris Patriæ appellatione, Patriciatu & Præfectura morum.*
—— XLI. *De Proconsulari Imperio: Jure Relationis & Senatoria Principum dignitate.*
—— XLII. *De Cæsaribus.*
—— XLIII. *De tribus Imperii Romani Principibus, qui novam administrationis formam induxerunt: ac primùm de Augusto Cæsare.*
—— XLIV. *De Hadriano Imperatore.*
—— XLV. *De Constantino Imperatore.*

LIBER SECUNDUS.

Cap. I. DE *Officio Præfecti Prætorio, ac primùm de illius origine & dignitate: an potestatem habuerit in Urbe.*
—— II. *An Præfectus Prætorio fuerit ab initio Magistratus legitimus, & de illius potestate.*
—— III. *De Cognitione Præfecti Prætorio: & de Retractatione.*
—— IV. *De Adsessoribus Præfecti Prætorio. De numero Præfectorum.*
—— V. *De Præfectis Præt. in Comitatu: & quomodo ii Magistratu abierint.*
—— VI. *De Tractibus Præfectorum Præt. post divisionem Constantini.*
—— VII. *De Præfecto Prætorio Galliarum.*
—— VIII. *De Præfecto Præt. Africæ, & de omni ejusdem Diœceseos statu.*
—— IX. *Notitiæ Præfecti Præt. Africæ interpretatio. Et primùm de Annonis & Capitu.*
—— X. *De Annonis & Capitu Præfecti Præt. per Africam, & de Scriniis.*
—— XI. *De Annonarum varietate & differentia.*
—— XII. *De Duplicibus & Amplioribus militum annonis seu stipendiis. Notitia eorum, quæ viris fortibus decreta sunt.*
—— XIII. *De variis Scriniorum Officiis.*
—— XIV. *De Scholis, & de Scholaribus, qui in Præfecti Præt. Officio fuerunt.*
—— XV. *De aliis Præfectorum Præt. Officiis, quæ in Africæ Notitia prætermissa sunt.*
—— XVI. *De Sedibus Præfectorum Præt. De vicem Præfectorum gerentibus. De honoraria Præfectura. De Præfecturæ insignibus.*
—— XVII. *De Notitia Consuetudinum Præfectorum Præt. & de Sportulis Officiorum.*
—— XVIII. *De Quæstore Palatii.*
—— XIX. *De Officio Patriciorum.*
—— XX. *De Magistro Officiorum.*
—— XXI. *De aliis Sacrarum cognitionum Judicibus.*

LIBER TERTIUS.

Cap. I. DE *Officio Advocati fisci.*
—— II. *De Advocatis.*
—— III. *De Magistris Scriniorum. Ac primùm de Magistro Memoriæ.*
—— IV. *De Magistro Epistolarum.*
—— V. *De Magistro Libellorum.*
—— VI. *De Magistro Scrinii dispositionum.*
—— VII. *De Proximis sacrorum Scriniorum, & ceteris qui in sacris Scriniis militant.*
—— VIII. *De Referendariis & ad Responsum.*
—— IX. *De Primicerio Notariorum; Utroque Laterculo; Tribunis & Notariis Principis.*
—— X. *De Palatinis Magistratibus: ac primùm de Magistro Officiorum.*
—— XI. *De Principibus Agentium in rebus, Barbaricariis, Admissionalibus & Cancellariis.*
—— XII. *De Fabricis & Fabricensibus.*
—— XIII. *De Officiis seu Officialibus Magistri Officiorum.*
—— XIV. *De Cursu Publico, Angariis & Parangariis.*

— XV. *De Curſu Clabulari, Evectionibus, Tractoriis, Stativis, & Canalibus publicis.* A

— XVI. *De Officio Comitis ſacrarum Largitionum.*

— XVII. *De Annonis, Tributis & Vectigalibus.*

— XVIII. *De Rationalibus & Præpoſitis Theſaurorum.*

— XIX. *De Procuratoribus Monetæ.*

— XX. *De Procuratoribus Gynæciorum & Linificii.*

— XXI. *De Procuratoribus Baphiorum.*

— XXII. *De Præpoſitis Barbaricariorum, ſive Argentariorum. Et de Præpoſitis Baſtagarum.* B

— XXIII. *De Comite Commerciorum per Illyricum, & de Officio Comitis Largitionum.*

— XXIV. *De Palatinis ſacrarum Largitionum.*

— XXV. *De Illuſtri Comite Rerum privatarum, & illius Officio.*

— XXVI. *De Comite Largitionum privatarum: Comite Gildoniaci patrimonii: Rationalibus, Procuratoribus, & Præpoſitis rei privatæ.*

— XXVII. *De Comite Patrimonii.*

— XXVIII. *De Comite Domorum.*

— XXIX. *De Præpoſito Sacri Cubiculi.*

— XXX. *De Comite Caſtrenſi.*

— XXXI. *De jure Fiſci: & Fiſci privilegiis.*

— XXXII. *De Præfectis Ærarii.*

— XXXIII. *De Procuratore Cæſaris.*

— XXXIV. *De Procuratore Cæſaris vices Præſidis agente.*

— XXXV. *De Cæſaris Procuratoribus diverſarum rerum, ſed non omnium.*

JACOBI GVTHERII,

IN SENATV PARIS. ADVOCATI, CIVIS ET PATRICII ROMANI,

DE

OFFICIIS DOMVS AVGVSTAE PUBLICAE ET PRIVATAE, LIBRI TRES.

AD AMPLISSIMVM VIRVM

NICOLAUM BELLEVRAEVM,

Senatus Parisiensis Præsidem.

Cap. I.

De Ordine hujus Operis.

OFficii erga te mei ratio postulat, Præses Amplissime, aliquid ex diuturnis laboribus meis edere, quod tuæ virtutis & humanitatis memoriam posteris prodat. Etenim eâ me semper benevolentiâ complexus es, ut susceptam conservare & merito tuo maximas gratias agere & habere ubique debeam. Atque eò maximè quòd Illustrissimus Brulartius, Franciæ Cancellarius, socer tuus, tanta me benevolentia & comitate obstrinxerit, ut studiorum meorum fautorem se præstiterit, illaque suis ad me litteris excitarit & comprobarit. Duplici ergo nexu tibi debitor sum. Nam ut optima tibi tuisque hereditas tradita est, & à Pomponio patre tuo Franciæ Cancellario, Attico quidem illo sapientiore, amplior quoque, & omni patrimonio nobilior, ab eo & socero relicta est gloria virtutis rerumque gestarum. Quæ cùm tibi & Naturæ Jure & animi magnitudine obvenerit, præclaras tantorum virorum virtutis divitias imitatione tua reddis illustriores. Splendor tamen & existimatio horum duorum hortatur me, ut primùm tibi gratuler, quòd partam ab his maximam Dignitatem augeas, dum nullis illorum fama immortalis laudibus augeri potest. Ea enim præbuerunt & magni animi, & excelsæ sapientiæ exempla, ut iis comparari alia non possint: eam gloriam consecuti, quæ vix toto Orbe capi posse videatur. Quæ enim Terrarum ubique pars, miram utriusque prudentiam in Legationibus experta non est? Qui Reges, qui Principes, qui Fœderati, qui Hostes, consummatæ illorum prudentiæ miracula non prædicarunt? Roma ipsa, quæ nihil facilè mirari solet, cælestes illorum mentes quàm sanctè percoluit? At nostra Gallia tanta eos populari admiratione celebravit, quanta Optimates & omnes boni eos reverentia commendarunt: cùm difficillima tempora, dura, impedita, sic perpetuò moderati sunt, ut in maximis turbinibus & fluctibus, navem ferè obrutam invictissimi Regis Errici Magni auspiciis, dum Remp. justis

A armis ulcisceretur, ac repararet, in portu tranquillitatis, quâ etiamnum fruimur, suis consiliis salvam collocarint. In utroque æqualitas in omni vita constans & perpetua, idem semper vultus, eademque frons, ut de Socrate dicebatur. Ita certè ut morum præstantia in facie emineret, probitas in ore, vultusque dignitatem referret. Ea verò quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita fortunaque versantur, ita tulerunt, ut nihil à Sapientis magnitudine quidquam discesserint. Has ego piis illorum Manibus inferias quasi usuras pro mora præstiterim. Exsolvo tandem

B dem tibi quod possum, ut levis aliqua sortis cum obsequio & observantia mea computatio fiat. Offero enim, Præses Optime, quæ ex antiquis thesauris compilavi, veteres Nummos, Inscriptiones antiquas, litterarum latebras, & tanquam in tabula Officia Domus Augustæ depicta: quorum te Æstimatorem & Judicem æquissimum semper expertus sum, vel in multa quadam hujusmodi litterarum despectione. Etenim nostra hæc ætas, reconditas illas litteras, sicut picturam egregiam intuetur, quam coloribus renovare, ne illa quidem curat, aut saltem extrema illius lineamenta servare. Tantùm quæ ad usum forensem spectant,

C multi leviter sciscitamur, atque si ad rem attentiores simus, interpolatam veteris Juris, ex solo rerum usu scientiam profitemur, inanique verborum strepitu resarcimus, prudentiæ nomen vultu ad fastum composito retinentes, quod re ipsa jampridem amisimus. Arcana & occulta in Digestorum libris, Antiquitatis vestigia latent plurima, quæ qui effodiunt, nullam apud imperitos gratiam ineunt, sed quasi ad metallum damnati spernuntur & irridentur. Ecquis hodie est, qui cupiat aliquid discere aut legere, quod in usu fori, in quo occupatur, non sit habiturus? quis Pragmaticus litterarum hostis, cui suspecta virtus, inertia in pretio,

D refractoriolum dicendi genus pluris non faciat, quàm abstrusam veterum Juris Auctorum prudentiam? In hac tamen studiorum perturbatione, plures sunt adhuc in foro, qui hisce litteris delectantur, quique ab ipsis Juris fontibus, veram Juris Civilis scientiam hauriunt. In qua explicanda, nos fortè merebimur, ut aliqua, non dico ingenii, id enim superbum esset, sed studii nostri & laboris sit posteris cura. Etenim id unum præcipuè præstare conatus sum, ut Jurisconsultorum veterum auctoritate firmarem, quæ de Domus Augustæ Officiis

ſcriberem: Legeſque plurimas vel neglectas, vel tenebris involutas, ſuæ luci redderem. Quod ut faciliùs aſſequi poſſem, remoto foro, ſubſelliis & negotiis, in quibus per annos quadraginta deſudavi, ad otium moderatum & honeſtum, tanquam in portum tutiſſimum confugi, ut in cognoſcendo aliquid, aut diſcendo, ætatis quod ſupereſt tempus contererem. Mihi quidem undique ſolitudo & ſylvæ, ipſumque altum ſilentium, magnarum cogitationum incitamenta ſunt. Nihil audio, ut dicebat ille, quod audiſſe; nihil dico, quod dixiſſe pœniteat. Nemo me apud alium ſiniſtris ſermonibus carpit, neminem ego reprehendo; niſi ipſum me, cùm anteactæ vitæ errores recogito. Mecum tantùm & cum Deo & cum Libris ita loquor, ut hanc quietam & tranquillam ſenectutis meæ ſolitudinem, Provinciam putem. Ex divina lectione beatæ vitæ oblectationem ſentio & concupiſco. Ex Libris noſtris, ſparſa colligo, quæ parùm mihi, aliis fortè ſint profutura: eo tamen animo, ut mors, quàm pauciſſima, quæ abolere poſſit, inveniat. Opus hoc otii & ſolitudinis munus eſt; in quo loci multi præcipites, qui periculi vicinitate me plerumque terruerunt, in abrupto & lubrico itinere: in quo titubare, & à recta quandoque via deflectere coactus ſum. Sed in hujuſmodi difficultatibus, quæ occurrunt plurimæ, audendum aliquid eſt, & exemplo eorum periclitandum, qui res arduas antea ſuſceperunt. Nam & doctiſſimi viri, quibus omnia propemodum debemus, in pluribus lapſi ſunt, & nos labimur, cùm multa tantùm per caliginem videmus. Ecquis tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nuſquam incurrat? unum mihi hoc ſolatium eſt, quòd viri humaniores, ut ſpero, erranti mihi comiter monſtrabunt viam, ut ego aliis: hoc enim debemus cuique vel ignoto. Atque ſi me illi mutuo officio juverint, hæc noſtra Officia, juvante Deo, abſolvam, & Opus integrum perficiam, quod propter amplitudinem in quatuor volumina diviſi. Primum hoc, Statum Domus Auguſtæ, in judiciis & cognitionibus Principum poſitum, explicat, & illuſtrium Magiſtratuum Civilium, qui vice Principis judicabant. Quæ apud illos negotia tractarentur, quæ cauſæ, quomodo agerentur, & quæ in iis omnibus Principis partes fuerunt. Deinde laterculum utrumque, res fiſci, & quæ ad utrumque ærarium pertinent, ſacrum & privatum, breviter expoſui. Volumen alterum, quod expolio, Vrbis Romæ Magiſtratus Civiles, variaque illorum Officia continebit. Tertium ad Provinciarum Poteſtates refero: Quartum ad rei militaris magiſtratus, ordinem & diſciplinam. In his omnibus ita veteribus Inſcriptionibus utor, ut eas tantùm dignitates & officia, quæ ad inſtituti mei rationem faciunt, exſcripſerim, ceteraſque omiſerim. Leges & Reſcripta Imperatorum pleniùs quandoque interpretatus ſum, ut qui in Jure Civili minùs verſati ſunt, ea intelligant, quæ breviùs dicta, ab iis facilè percipi non poſſent, noſcantque Digeſtorum & Codicis libros, omni antiquarum litterarum notitiâ refertos; quam qui neſciat, fruſtra ſe in illorum lectione verſari ſentiet. Aggredior ergo, Præſes integerrime, auſpice te & benè favente, arduum & difficile volumen primum, ut ſi quæ gloria Scriptorem ſequatur, totam illam tibi jure tuo poſſis vendicare.

CAP. II.

Notitia Imperii. Breviarium Imperatoris. Domus Auguſtæ Officia, Magiſtratus, Judex, Cognitio.

NOtitia utriuſque Imperii ſub Theodoſio Juniore ab incerto Auctore deſcripta eſt, quam Breviarium Theodoſii Alciatus appellat lib. 5. *Parerg.* cap. 13. Notitia tamen à Breviario diſcrepat: nam Breviarium Imperii illius rationes complectitur, & rationarium Imperii vocatur [1]: quod quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecuniæ in ærario & fiſcis & vectigalium reſiduis, breviter continebat [2]. Fuit & Breviarium rationum privatarum [3], quo ſenſu à Scævola dictæ ſunt Breviariæ rationes [4]. Rectè Budæus Breviarium principale interpretatur libellum, quem nos Statum generalem dicimus [5], quo ſingulis annis Princeps tàm de ærarii pecunia, quàm de fiſcali ſtatuit, quid quoque anno fieri velit.

Notitia Imperii eſt nomenclatura Magiſtratuum & Dignitatum civilium & militarium, quæ breviter illorum officium poteſtatemque declarat. Hæc penes Primicerium Notariorum aſſervata eſt, quæ afflicto & penè deleto Imperio, in hoſtium manus delata, ope & ſtudio Eruditorum, erepta eſt & vulgata. Ab ea quidem, quæ ab Imperatore Conſtantino commutata ſunt, multa diſcimus; pauca verò quæ ab anterioribus Imperatoribus conſtituta. Quapropter altiùs repetenda ſunt pleraque omnia, & ab everſis Imperii fundamentis multo labore diſquirenda, multaque præmittenda, quæ ad faciliorem rerum cognitionem neceſſaria videntur.

Primùm ergo Domum Auguſtam voco Rempublicam, vel Imperium; quod ſub Imperatore, quaſi in una eademque Domo, morantur ii, qui Romano Imperio obſequuntur. Nam Domus & Reſpublica ratione quadam & eadem quaſi diſciplina deſignari videntur, ſi in eis præmia rectè factis exſiſtant, & ſupplicia peccatis, ait Tullius lib. 3. *de Natura Deor.* Ut Domus Auguſta una ſit omnium eaque communis, quæ ſuis legibus & Magiſtratibus regatur. Leges præſunt Magiſtratibus, Populo Magiſtratus, vel Princeps, in quem Populi tranſlatum eſt Imperium. Legem ergo appello ipſum Principem, qui νόμος ἔμψυχος, ut Magiſtratum, legem loquentem nomino. Princeps verò non ſolùm leges ponit & ſancit, ſed & Magiſtratus creat & mandat, Dignitates confert & Officia diſtribuit. Atque quatuor hæc Domum Auguſtam publicam conſtituant.

Officii nomen, cujus latior eſt ſignificatio, ad Civiles, Militares & Palatinos Magiſtratus & Dignitates extenditur: quod quidem ab Officio, quod Magiſtratui apparet, ſeparatur: hoc enim eſt munus & miniſterium publicum, quod Magiſtratui obſequitur; at Officium ipſius Magiſtratus dicitur ab effectu, actu, & poteſtate, quæ jure Magiſtratus competunt. Quod quidem Officium latiſſimum eſt, & ad res à juriſdictione alienas etiam porrigitur [6]. Nam Officium Magiſtratus eſt intelligere ſe gerere perſonam Principis, debereque ejus Majeſtatem & Decus ſuſtinere, ſervare leges, jura deſcribere, eaque fidei ſuæ commiſſa meminiſſe [7]. Hinc librorum noſtrorum

Tituli

1 Sueton. in *Auguſto* cap. 28. 2 Idem *ibid.* cap. 101. 3 Idem in *Galba* cap. 12. 4 L. fin. D. de pecul. leg. 5 In Pandect. de Offic. Quæſtor. 6 L. 1. D. de juriſdict. 7 Cicer. 1. *de Offic.*

Tituli *De Officio Præfecti Prætorio*, *De Officio Consulis*, ceterorumque Magistratuum concepti sunt.

Majorum Magistratuum propriè Imperium est, ut Papinianus docet [1], Judicum Officium; legis potestas. Ex quo notandum est Judicem à Magistratu differre: nam jus dicere Magistratuum est; Judicum verò judicare. Jus dicebat Magistratus de plano, aut pro Tribunali. De plano leviora negotia expediebat, quæ causæ cognitionem non desiderabant [2]. Pro Tribunali ordinario postulantium die, atque hi dies Sessionum vocati [3]. Magistratus autem dicebat jus non in juris ordinarii causis; sed in cognitionibus extraordinariis tantùm, vel postulationibus [4]. Postulare est apud eum, qui jurisdictioni præest, in jure rem exponere: in jure, hoc est, pro Tribunali [5]. Cognitio autem à jurisdictione separatur, estque notionis species; notio enim jurisdictionem continet & cognitionem [6]. Jurisdictionem Magistratus mandare potest, cognitionem non potest. In his aliquantulum immorari necesse est: nam cùm de cognitionibus Principum pòst paulò dicendum sit nobis, visum est de cognitionibus Magistratuum aliquid præmittere.

Etenim in Magistratuum cognitionibus Principes ipsi, ut Assessores & Consiliarii, plerumque intererant. Sic Magistratibus pro Tribunali cognoscentibus Tiberium assedisse Suetonius refert in *ejus Vita* cap. 33. ut Claudium quoque Imperatorem, in *Claudio* cap. 12. & 15. Atque hic quidem jure Imperii, de privatorum causis, sæpius ipse cognovit, & *in cognoscendo, & decernendo mira animi varietate fuit. Nam cùm quis interpellaretur ab adversariis, de propria lite, negassetque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse; agere hunc causam apud se confestim coegit, proprio negotio documentum daturum, quàm æquus Judex in alieno negotio futurus esset.* Hadrianus Turnebus lib. 27. *Advers.* cap. 14. ordinarii juris esse existimat, quæ per Judices à Prætore datos, juris ordine deciduntur; quod verum est: cognitionis autem quæ extra juris ordinem ad Cæsarem deferuntur, aut ab ipso Magistratu cognoscuntur, qualia ferè sunt, ait, quæ ad Remp. spectant, aut ad exemplum trahuntur: quod non probo. Nec enim cognitiones ad Rempub. aut exemplum pertinent semper: etenim ut cognitio vel notio Judicis dati est facti; sic cognitio Magistratus juris est, quæ ad omnes juris quæstiones extenditur, quæ sunt innumeræ. Plura enim sunt negotia quàm vocabula [7].

Cognitiones ergo quæ extra ordinem fiunt, id est, quæ propriæ sunt Magistratus, & in quibus Judices dari non possunt: *Cùm ex variis causis numerus earum descendat*, ait Callistratus [8], *in genera dividi facilè non possunt, nisi summatim eæ dividuntur. Quare cognitionum numerus ad quatuor ferè genera deducitur: aut enim de muneribus sive honoribus gerendis agitur, aut de re pecuniaria disceptatur, aut de existimatione alterius cognoscitur, aut de capitali crimine quæri solet.*

De muneribus & honoribus postea viderimus: pecuniaria res ad omnem omninò civilem quæstionem pertinet, ut de usu aquæ; de rivis novis inciviliter institutis; de Præceptorum aut Medicorum mercedibus; de Comitum salariis & honorariis Advocatorum [9], ceterisque hujusmodi, quæ jure aut æquitate nituntur, & si quæ sunt quæ juris ordinarii non habent executionem [10]. Existimationis cognitio in eo versatur, si Judex litem suam fecisse dicatur, ex Tituli inscriptione, & Callistrati mente, cui *existimatio est Dignitatis illæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro, auctoritate legum, aut minuitur, aut consumitur.* Capitales causæ ad merum imperium pertinent, quod habet Magistratus, vel delegatus, non Magistratus jure, sed à lege: quod quidem imperium ad delegatos à Principe transmitti potuit. Officium ad eos pertinet qui etiam Magistratus non sunt, quales sunt Judices dati, Assessores, & ii qui in dignitate sunt constituti.

1 L. obligationes. D. de act. & oblig. 2 L. 9. §. de plano. D. de Offic. Proconf. 3 L. 2. §. dies. D. quis ord. in honor. poss. 4 D. l. 1. §. postulare D. de postuland. 5 L. 4. §. hoc autem D. de damn. infect. 6 L. 99. D. de verb. sign. 7 L. natura D. de præscript. verb. 8 L. 5. D. de var. & extraord. cognit. 9 L. 1. & 2. D. eod. 10 L. 178. §. actiones D. de verb. sign.

CAP. III.

De Magistratibus & illorum cognitionibus.

MAgistratuum creatio ad curam Principis pertinet, non ad populi favorem [1]. Hi vel in Aula & Comitatu Principis, vel in Vrbe Roma veteri & nova Rempub. administrant, vel in Provinciis. Magistratus Vrbani, propriè Magistratus vocantur; ceteri qui in Provinciis, Potestates. Hoc docet Ulpianus: *Magistratus*, ait [2], *vel qui in aliqua potestate sunt, ut putà Proconsul, vel Prætor, vel alii qui Provincias regunt.* Quod & Suetonius intellexit; *Jurisdictionem*, inquit in *Claud.* cap. 23. *de fideicommissis quotannis in Vrbe delegari Magistratibus solitam in perpetuum, atque etiam per Provincias Potestatibus demandavit.* Potestas est Imperium in persona Magistratuum [3], quod commune est Provinciarum Rectoribus, quibus tamen Magistratus nomen propriè non convenit. Idem Vlpianus [4]: *Qui concilium iniit, quo Magistratus Populi Romani, quive Imperium Potestatemve habeant, occidatur.* Hîc Imperium à Potestate separat ex lege Julia, quæ cùm lata est, merum imperium jure Magistratus non competebat: Magistratus enim creabantur Comitiis; Imperium lege aliqua aut Senatusconsulto, quod ad Magistratus & Potestates, seu Provinciarum Rectores, postea translatum Principis auctoritate.

Sed ne à Magistratus nomine aberremus, si à propria ejus denominatione tantisper recedimus, Provinciales Potestates etiam Magistratus cum Imperatore dicemus [5]: quorum alia quædam ratio est, alia urbanorum, quam Cujacius fusiùs explicavit [6]. Magistratus per derivationem à Magistris cognominantur: nam quibus præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quàm ceteri curam & sollicitudinem debent rebus quibus præsunt, hi Magistri appellantur [7]. Quæ notatio nominis, Magistratus definitionem juvare potest, hucusque non satis explicatam. Goveanus, cui ex omnibus Justiniani Interpretibus Cujacius palmam detulit [8], Magistratum definire difficile putavit. Ego quidem illi lubens assentior; nam omnis definitio in jure periculosa est. Magistratum tamen dici posse existimat, *potestatem Populi Romani ordinariam* [9]. At Sigonius, lib. 3. *de antiq. jur. Provinc.* cap. 5. vocat Magistratus, *potestates omnes eorum qui res humanas, quæ ad Rempub. pertinent, publica auctoritate curant.* Magistratum Aristoteles definit eum, cui de aliquibus rebus consultandi & judicandi & imperandi munus assignatum est, Ἀρχὰς λεκτέον ταύτας, ὅσαις ἀποδέδοται βουλεύσασθαι

1 L. unic. D. ad leg. Jul. de ambit. 2 L. eum qui. D. de jurisdict. 3 L. 215. D. de verb. sign. 4 L. 1. D. ad leg. Jul. majestat. 5 L. 8. C. de Adsessorib. 6 In paratitl. C. de contract. judic. 7 L. 57. D. de verb. sign. 8 Tit. 6. in Not. ad Ulpian. 9 Ad l. eum qui. D. de jurisdict.

τὲ καὶ περὶ τινῶν καὶ κρῖναι καὶ ἐπιτάξαι, lib. 4. *de Rep.* cap. 15. Aliter Plato lib. 6. *de Legib.* Sed Magistratus Romani non in Græcorum Scholis aut Philosophorum Lyceis effinguntur. Rectiùs Pomponio Magistratus est qui juri dicundo præest [1]: quod ad omnes Magistratus, majores & minores, referri potest. Sed quoniam de majoribus Magistratibus hîc tractamus, latiorem Magistratus definitionem hanc affero, ut Magistratus sit dignitas à Principe mandata, cum jurisdictione, potestate, & imperio, ad jus dicendum, edicendum, decernendum more Majorum, cum jure gladii. *Jurisdictio*, ex Ulpiano, est *Judicis dandi licentia* [2]: quod de natura jurisdictionis accipiendum est. Nam jurisdictio est potestas à Principe concessa, cum necessitate juris dicendi, edicendi, & cum æquitate statuendi. Edicta Magistratuum modicam juris auctoritatem obtinent; & qui eis plurimùm tribuunt, legem annuam dixerunt [3], quæ Magistratus auctoritate nititur, atque hîc auctoritas appellatur [4]; ut cùm bona alicujus ex edicto possidentur, ex Prætoris auctoritate possideri dicuntur. Et si quis in possessionem rerum pupillarium mittitur, hoc ex Magistratus auctoritate fieri dicitur [5]. Magistratuum tamen auctoritas, ut pleraque quæ jurisdictionis sunt, more majorum introducta est [6].

Decernere est causa cognita, vel de plano aliquid statuere; ut decernere actiones [7], alimenta [8], tutelam [9]; quod est jus dicere: nam & Prætor cùm iniquè decernit, jus dicit [10]. Jus gladii ad merum imperium refertur [11].

CAP. IV.

De Dignitatibus & earum ordine.

DIgnitas est alicujus pro cultu & honore & verecundia digna auctoritas, ait Tullius lib. 2. *de Invention.* Hæc quidem ad privatos etiam trahi potest, qui vitam degunt in otio cum dignitate. Magistratus verò dignitas honor est legibus & moribus comprobatus; cujus pro ratione potestatis varii gradus numerantur. Magistratus sine dignitate nullus est: dignitas sive Magistratus iis competit qui ceteros virtute antecellunt. Dignitates autem Magistratuum aut legitimæ sunt, aut honorariæ [12]. Legitimæ sunt eorum qui in actu positi: honorariæ quæ sine administratione. Florente Republica duo dignitatum gradus fuere præcipui, Majestas & Amplitudo. Majestas Populi, Amplitudo Senatus fuit. Majestatem definio Populi Romani magnitudinem ex M. Tullio in *Partitionib.* Hæc & dignitas dicitur, quæ & ad Magistratum refertur; quem qui contemnit aut lædit, Majestatem minuere & Majestatis crimine teneri dicitur [13]. At Amplitudo Senatus est, qui Ordo amplissimus nominatur Cicer. *pro Fontejo*, quod & in libris nostris passim occurrit [14]. Senatum olim clarissimum Ordinem appellatum, scripsit Casaubonus *ad Lamprid. in Elagabalo*, quod nulla auctoritate probat, nec uspiam me legere memini. Florentissimum Ordinem, & florentissimum Senatum dixit Justinianus [15]: Clarissimi quidem Senatores ratione dignitatis ut plurimùm vocati sunt, ut omnes virtute præstantes clarorum virorum nomine honorabantur, quòd veluti fulgore quodam famæ resplendere viderentur, Cicer. 1. *de Finib.* Illi etiam quandoque clari & illustres, idem lib. 1. *de Divinat.* atque etiam amplissimi & ornatissimi, idem Orat. *pro Rosc. Amerino*, ac postea speciosi dicti sunt. Speciosas personas accipit Ulpianus [1], clarissimas personas utriusque sexus. Clarissimorum enim appellatio latissima est, quæ & uxores & liberos Senatorum cujuscumque sexus vel ætatis complectitur [2].

Sed alia verba dignitatum, novitas temporum & officiorum numerus adinvenit; quæ tribus potissimùm nominibus designantur: ut Magistratus alii sint clarissimi, alii spectabiles, illustres alii. Clarissimi sunt Rectores Provinciarum, Præsides, Consulares, Correctores. Spectabiles qui majores administrationis infulas meruerunt, Præfectus Augustalis, Proconsules, Comes Orientis, cujuslibet Tractus Vicarii. Clarissimi ut plurimùm singulas Provincias regebant; Spectabiles, Diœceses; Illustres per amplissimum diversarum Diœcesium Tractum, potestatem exercebant, ut Sirmondus noster non ita pridem notabat in *Censura vindic.* Illustres autem sunt Præfectus Prætorio, Præfectus Vrbi, Magister militum, quorum dignitates indiscretæ habentur, hoc est; pares dignitates, quibus ornati, deposita administratione nullam aliam inter se nisi temporis prærogativam haberent [3]. Tribus his Imperatores Honorius & Theodosius Præfectum sacri cubiculi addiderunt, in honorem Macrobii, qui *Saturnaliorum* libros vulgavit [4], quem postea sequuti sunt Magister Officiorum, Comites utriusque Ærarii, atque alii.

Illustres & Spectabiles ex majore laterculo emittuntur; Clarissimi ex minore. Latercula sunt codices dignitatum in scrinio memoriæ, quorum minus sub cura & dispositione Quæstoris fuit, majus sub cura Primicerii Notariorum [5], de quibus nos alio loco.

De ordine Dignitatum Tituli sunt in utroque Codice. Valentinianus certum locum meritumque Dignitatibus præscripsit inter honoratos [6]. Legitimarum autem Dignitatum ordo in Senatu hic fuit, ut Præfectus Urbi supra Illustres consideret [7], quem sequebantur Patricii, Consules, Consulares, Præfecti Prætorio, Magistri militum, ceterique Illustres [8].

Præfectos Prætorio Italiæ & Orientis Illustres lego [9]: Præfectos Prætorio Galliarum per Illyricum & Africam Illustrium nomine non semper decoratos video, sed aliis titulis honorantur, cùm tamen sint illustres. Præfectus Prætorio Italiæ simpliciter, & sine adjectione, Præfectus Prætorio per eminentiam dicitur.

Justinianus nova nomina dignitatum excogitavit: excelsus illi est Præfectus Prætorio Italiæ; gloriosissimus Præfectus Urbi; eminentissimi Præfecti Prætorio per Illyricum & Africam. Sed excelsi titulum Tribonianus Magister Officiorum sibi arrogavit [10]: ut Quæstori sacri Palatii eminentissimi & magnificentissimi nomen etiam datum est [11]. Sublimis magnificentia Præfecti Prætorio [12]: illustris magnificentia Præfecti Vrbi [13].

Et

1 L. 2. §. post originem. D. de orig. jur. 2 L. 3. D. de jurisdict. 3 Cicer. act. 2. *in Verrem.* 4 L. fin. C. de fabricensib. 5 L. 3. D. de reb. eor. 6 L. more. D. de jurisdict. 7 L. si post constitutum. D. de pecun. constit. 8 L. 2. ubi pupill. educar. 9 L. 3. §. fin. D. de administr. tut. 10 L. Jus. §. Prætor. D. de just. & jur. 11 L. imperium. D. de jurisdict. 12 L. 2. C. T. ad leg. Jul. repetund. 13 L. 9. D. de jurisdict. l. 1. D. ad leg. Jul. majest. 14 L. 2. §. 1. D. ad Vellejan. l. 21. §. fin. D. de legat. 3. 15 L. 5. §. si tamen. C. de temp. reparat.

1 L. 100. de verb. sign. 2 L. feminæ. D. de Senatorib. 3 L. 1. C. de Præfect. Prætor. sive Vrb. 4 L. 1. C. T. de Præposit. sacr. cubiculi. 5 L. 1. & 2. C. de Offic. Quæstor. 6 L. 2. C. T. ut ord. dign. servet. 7 L. 3. C. de offic. Præfect. Vrb. 8 Novel. 62. 9 L. 4. C. de Decurionib. 10 L. 1. C. de rapt. virg. 11 L. 1. C. de vet. jur. enucl. Auth. gloriosissimi. C. de divers. rescript. 12 L. 1. C. T. de grege Dominic. 13 L. 12. C. T. de annon. Civic.

Et ne quid in Dignitatibus prætaream; illarum apex tandem fuit Nobiliſſimatus à Conſtantino introductus, qui omnibus Dignitatibus antecellit. Hujus inſignia fuêre veſtis purpurea aureis ornata limbis: ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιπορφύρῳ τῆς τοῦ λεγομένου Νωβιλισσίμου παρ' αὐτοῦ Κωνσαντίνου τυχόντος ἀξίας, Zonar. in *Conſtantino*. Nobiliſſimatus veſtigia in veteribus Nummis impreſſa ſunt, quæ ſolis Cæſaribus conceſſa. Ante Conſtantini tempora tamen Nobilitas Cæſarum in Getæ Nummis videtur, in quibus ſcriptum eſt, NOBILITAS: & in parte adverſa, Nobilitatis typus eſt. Sanctiſſimus & Nobiliſſimus Imperator vocatus à Scævola, M. Antoninus [1], eoque titulo gaudebant Cæſares & Principum filiæ & ſorores [2].

Diſcretio autem Dignitatum hæc fuit, ut aliæ majores, aliæ mediæ, tertiæ minores vocarentur. Major Dignitas ut Illuſtrium, Spectabilium, Clariſſimorum. Media Dignitas Equites complectitur, qui ſecundum locum poſt clariſſimatus dignitatem dicuntur obtinere. De inferioribus dignitatibus Titulus eſt Codicis Theodoſiani de perfectiſſimatus dignitate. Egregiatus in legibus notatur [3], nam & Ordo eſt egregiorum [4]. Perfectiſſimi dicuntur Præſes Arabiæ, Dalmatiæ, Magiſter Curſus, & Primicerii Scriniorum. Sub Conſtantino nullus Dux cum Clariſſimatus dignitate provectus eſt: erant enim Duces perfectiſſimi [5], qui poſtea Spectabiles [6], imò & Illuſtres.

Confuſæ tandem fuerunt hæ dignitates, & pro temporum varietate commutatæ. Nam & Clariſſimi, Spectabiles dicti ſunt, ut Clariſſimi iidem & Illuſtres nuncupati. Sunt qui tribus majorum dignitatum nominibus fruuntur; ſunt qui duobus. Cùm Præfectis Prætorio Severus Alexander Senatoriam dignitatem tribuit, voluit ut Clariſſimi haberentur [7]: quod Dignitatis nomen poſt multa ſecula retinuerunt [8], atque vir Clariſſimus & Illuſtris Præfectus Prætorio quandoque appellatus [9]: quod ex Imperatoris arbitrio pendebat. Sic ex Clariſſimis Juſtinianus Spectabiles fecit [10]: & qui Spectabiles erant, aliquando inter Clariſſimos reponuntur. Præfectus vigilum in Pandectis Spectabilis appellatur [11], qui in Codice inter Clariſſimos ponitur. Sic etiam Clariſſimi ſunt Conſules, Prætores, Conſulares, Prætorii, qui tamen ſupra Illuſtres ſunt [12]. Duces etiam alii ſunt Spectabiles, Illuſtres alii [13]. Comes Orientis Illuſtris & Spectabilis eodem legis titulo vocatur [14]. Sed inter Senatores; hæc nomina Dignitatum differentiam ponunt: horum quidem alii ſunt Illuſtres, alii Spectabiles; atque alii Clariſſimi: quidam etiam harum omnium Dignitatum expertes [15].

CAP. V.

De Clariſſimis Præſidibus.

Clariſſimi ſunt ex Conſtitutione Zenonis, Præſides, Conſulares, Correctores [16]. Præſidis nomen generale eſt, eoque continentur Proconſules, Legati Cæſaris, omneſque Provinciarum Rectores [17]. Proconſulis appellatio ſpecialis eſt: ſed propriè Præſidis nomine continentur Provinciarum

1 L. 3. D. de natalib. reſtit. 2 L. fin. C. T. de luſtr. condend. 3. L. 3. C. T. de cohortal. & princip. 4 L. 1. C. T. de honorar. codicil. 5 Ammian. Marcel. *lib.* 21. 6 L. 30. C. T. de erogat. milit. annon. 7 Lamprid. in *Alexand.* 8 L. 1. C. de ſent. paſſis. l. 1. C. T. de paſcuis. l. 15. C. T. de Prætorib. & Quæſtorib. 9 L. 6. C. T. de annon. & tribut. 10 Novel. 24. 25. & 26. 11 L. 3. D. de offic. Præfect. vigil. 12 Cujac. ad l. 1. C. de dignitatib. 13 L. 36. C. de appellationib. 14 L. 3. C. de advocat. diverſ. Judicum. 15 L. 52. & 54. C. T. de hæretic. 16 L. 1. C. ut omn. judic. tam civil. 17 L. 1. D. de offic. Præſid.

Rectores, Conſulares, & Correctores [1]: inter quos primum locum tenuiſſe Conſulares quidam putant, illoſque ab Auguſto inſtitutos Pancirollus ſcribit, in *Notitia Orient.* c. 155. cui Spartianus refragatur in *Hadriano*: nam Conſulares quatuor, qui per Italiam jus dicerent, ab Hadriano creatos tradit: atque ante Auguſti tempora, Provinciæ fuerunt Conſulares, ut M. Tullii *de Provinciis Conſularibus* Oratio probat, quæ & poſt Auguſtum durarunt, & à Conſularibus regebantur, quos ab his poſterioribus Conſularibus omnino differre certiſſimum eſt. Zenonis Conſtitutionem ſequor, qui inter Clariſſimos, Provinciarum Præſides primo loco, deinde Conſulares, & poſt hos Correctores numerat. Dubitationem tamen adfert alia Conſtitutio [2], in qua Præſides, Correctores, Conſulares, Vicarii, Proconſules, leguntur, honoratioreſque videntur, quibus poſterior locus aſſignatus. Conſulares etiam à Præſidibus non ſolùm nomine, ſed & Dignitatis inſignibus diſtinctos notamus [3]: nam Conſulares habuerunt faſces; Præſides vexilla: quod dubitationem non tollit. Vexilla Præſidialia in Martyrologio leguntur [4]. Nobiliora ſunt inſignia, quæ Præſidibus præferebantur, cùm in publicum prodirent, illaque vultum Principis habebant [5]. Præſides etiam faſces habuiſſe nemo negabit, qui Duûmviros, qui ſine poteſtate ſunt, faſcibus ornatos intelliget. Atque hi quidem prohibentur extollere poteſtatem faſcium extra muros territorii propriæ civitatis [6]: ſed hi Duûmvirorum faſces, bacilli fuerunt, ut Clariſſimorum ſecures, ut ex M. Tullio colligitur: *Deinde lictores*, inquit *Agrar.* 2. *non cum bacillis anteibant*, *ſed ut hic Prætoribus*, *anteeunt*, *cum faſcibus duobus*. Faſces ergo ſeu bacilli Duûmvirorum, honoris fuerunt ſolùm, faſces enim pro honoribus accipiuntur [7]: Clariſſimis verò ſecures honoris fuerunt & imperii.

Ad Præſides & Conſulares redeo, quorum indiſcretas dignitates credere malim, & Præſides ut antiquiores primo loco ponere, qui ab Imperatoribus Amici vocantur [8], quique fuêre Cæſaris Legati [9] & Præfecti Provinciæ dicti [10]: hos etiam à Petronio, *Provinciæ Imperatores*, nominatos Bertherius putat [11], quod Petronii verbis ita confirmat: *Cùm interim*, inquit ille, *Imperator Provinciæ latrones juſſit crucibus affigi*. Suſpicor tamen poſt dictionem, *Imperator*, adhibendam eſſe diſtinctionem, ut Provinciæ latrones cruci affixos intelligamus Imperatoris juſſu. Præſes autem eſt Magiſtratus Magiſtratuum, ſi Cujacio credamus [12], quòd, ut arbitror, omnium Magiſtratuum officia exſequeretur.

Non me præterit, Præſides non omnes Clariſſimos fuiſſe: nam Arabiæ & Dalmatiæ Præſides perfectiſſimi fuerunt [13]. Invenitur & in antiquis Inſcriptionibus, vir perfectiſſimus Præſes Provinciæ Hiſpaniæ Citerioris, ut Alciatus aſſerit, qui ita conceptam Inſcriptionem Tarracone tradit lib. 3. *Diſpunct.* cap. 4.

PIISS. FORTISS. FELICISS. D. N
CONSTANTINO MAXIMO
VICTORI SEMPER AVGVSTO
BALDVS. * MACRIFVS
V. P. P. P. HIS. TAR

Has

1 Novel. 8. 2 L. 13. C. T. de accuſationib. 4 L. 1. C. T. de Conſularib. & Præſid. 4 31. Jul. 5 L. 4. C. de injur. 6 L. 53. de decurionib. 7 Serv. 2. *Georgic.* 8 L. 4. C. de jur. & fact. ignor. 9 L. 20. D. *de* offic. Præſid. Dio *lib.* 53. 10 L. 2. D. ad leg. Jul. de ſicar. 11 lib. 1. *Pithag.* c. 9. 12 ad Novel. 15. 13 L. 12. C. de perfectiſſimat. dignit.

* Reſt. BADIVS. MACRINVS. uti legitur apud Grut. pag. 283. num. 9. & pag. 139. *Inſcript. Vrbium Hiſpanic.* quæ habentur ad calcem Comment. Julii Cæſ. Edit. Francof. An. 1575.

Has notas sic interpretatur, *Vir Perfectissimus Præses Provinciæ Hispaniæ*, ex quo reprehendit eos qui Provinciarum Præsides Clarissimos dicunt, eorumque sententiam, Veterùm auctoritati discordem, ex isthac Inscriptione probare frustra contendit: nam & Tarracone alia Inscriptio hæc legitur, apud Grut. pag. 278. 2.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI. IVVENTVT
M. AVR. CARINO NO
BILISSIMO. CAESARI.
COS. PROCOS. M. AVR.
VALENTINIANVS. V. C
PRAESES. PROV. HISP. CIT.

Hæ litteræ, *V. C. Virum Clarissimum* denotant. In alium errorem idem Alciatus lapsus est, cùm scribit Equestris dignitatis viros, Clarissimorum gradum consecutos, cùm illi sint medii inter Clarissimos & Perfectissimos[1]: nam & stante Republica hæc ordinum distinctio fuit, ut post Senatores Clarissimos, Equites secundum locum obtinerent, nec Clarissimi vocarentur. Et quæ Senatori nupserat, si secundi Ordinis virum, id est, Equitem, postea sortita esset, claritatem amittebat.

CAP. VI.

De Clarissimis Consularibus.

MAgis miror Alciatum virum magnum, uno eodemque capite, toties à vero, & ab omnium Eruditorum sententia recedere. Rectè quidem arguit eos qui Claudianum Poëtam, cujus statuæ inscriptum est, apud Grut. 391. 5.

CL. CLAVDIANO. V. C. TRI
BVNO. ET NOTARIO

Virum Consularem interpretantur, cùm hæ notæ *Virum Clarissimum* designent, & Notarii ipsi inter Clarissimos numerentur[2]. Sed non intelligo, quomodo Claudiani temporibus, qui sub Arcadii & Theodosii imperio vixit, abolitam consuetudinem dicat Alciatus, quâ quis Consularis diceretur, & dignitates in semibarbaras appellationes recidisse. Quandoque viri Illustres aut Spectabiles Clarissimi nomen sibi vendicarunt, ut suprà ostendimus: quod Alciatum torquet; qui & Consularium nomen post Arcadii tempora abolitum scribit, cùm tamen ad Justiniani imperium & ultrà perdurarit: nam quartæ Armeniæ Consularem Justinianus constituit, ut secundæ Correctorem[3].

Consulares autem ad Præsidum similitudinem primùm certas quasdam Italiæ regiones administrabant[4]. Primus Hadrianus quatuor illos per omnem Italiam constituit[5], qui ab anterioribus Consularibus sunt separandi: nam Consulares hi, qui Consulatum gesserant, longè majorem dignitatem consecuti sunt, cùm iis plus tribuatur quàm Illustribus[6]. De his nos aliquando plura: satis sit ante Hadriani tempora, Consulares, Legatos pro Consulibus intelligere[7], ut Legatos Cæsaris pro Præsidibus.

Inter quatuor Consulares, quibus Italiæ cura ab Hadriano commissa est, Antoninus Pius, quem successorem imperii habuit, hoc officio functus est[8]. Sed Consularium nomina M. Antoninus brevi commutavit[1], illosque Juridicos Italiæ nominavit, qui ad Macrini usque tempora durarunt, sub quo desierunt illi Juridici. Ea autem ratione, ut Consulares crearet, motum Hadrianum arbitror, ut cùm vellet novam Imperii formam inducere, Italiam à Provinciis nomine tenus separaret, quæ Legatis Cæsaris commissa nusquam fuerat, sed primi ordinis Consularibus[2], quorum potestas amplissima ad Præsidum Provinciarum formam redacta est, prisco tantùm nomine ab Hadriano retento. Nam Provinciæ nomen in Italia, & Augusti temporibus, & multis post eum seculis inauditum, extraque Italiam, omnes Provincias fuisse nemo nescit. Atque hoc jus Italiæ ad Constantini Magni tempora intactum remansit. Rectè itaque Marcianus[3], *in Provinciis, in Italia, in Urbe* scripsit: nam Italiæ res Provincialibus sæpe opponuntur: & Provinciæ sunt procul Italiâ positæ regiones[4]. Neque ante Constantini tempora Præsides ullos Italia habuit, quæ ab illo postea octo Consulares nacta est, Correctores duos, & Præsides septem, qui in *Notitia* recensentur, in qua vir Clarissimus Consularis Campaniæ dicitur, ad cujus similitudinem in partibus Occidentis Consulares ceteri officium habent. Pandectæ nostri de Correctoribus loquuntur, in quibus nullum verbum de Consularibus, qui fortè generali Præsidis nomine continentur, ut ipse conjicio: nam & Ulpianus librum singularem scripsit de Officio Consularium[5], qui eos à Præsidibus differre testari videtur.

CAP. VII.

De Clarissimis Correctoribus.

PLerumque legitur Corrector Campaniæ, ut Corrector Flaminiæ & Piceni, Corrector Tusciæ & Umbriæ, qui tamen in *Notitia*, ut in variis Auctoribus Consulares erant. Correctori Tusciæ inscripta est lex Valentiniani & Valentis[6], qui etiam Tusciæ Consularem agnoscunt[7]. Suspicari licet Tusciam, quæ his temporibus duplex erat, unam Correctori commissam, alteram Consulari. Duos tamen tantùm Correctores Italiæ *Notitia* tradit, Apuliæ scilicet & Calabriæ, Lucaniæ & Brutiorum. Sed nihil ferè differt Corrector à Consulari, indeque Flaminiæ & Piceni, atque Campaniæ & ceterarum, quibus ex *Notitia* præsunt Consulares, interdum in eadem Correctores, ut in antiquis lapidibus scribuntur, ut scribit Bertherius lib. 1. *Pithag.* cap. 5. à quo non dissentio: nam & Correctores Venetiarum & Istriæ, Illyrici, Italiæ, Africæ, Inscriptiones habent. Correctorem Venetiarum agnoscit Aurelius Victor sub Diocletiano, in *ejusd. Vita*: Correctorem Italiæ, legis inscriptio introduxit, quem vulgati Codices Italiæ rectorem nuncupant[8]. Pro Rectore Correctores Critici Correctorem substituunt, atque pro Rectore Provinciæ Correctorem reponunt, in lege Diocletiani[9]: quàm aptè, ipsi viderint: vix enim Corrector Provinciæ dici potest, cui pars Provinciæ tantùm mandata fuit, licèt inter Provinciæ Rectores numeretur. Nec abnuo Correctores, ut Præsides, Amicos & Clarissimos ab Imperatoribus appellatos: imò Correctores & Con-

1 L. cùm te. C. de nuptiis. 2 L. 4. C. de advocat. diverf. judic. 3 Novel. 31. 4 L. 1. C. ut omn. judic. 5 Spartian. in *Hadriano*. 6 L. fin. C. ubi Senator. vel Clariff. 7 Sueton. in *Augusto* c. 28. 8 Capitolin. in *Antonino Pio*.

1 Capitolin. in *M. Antonino*. 2 Dio *lib.* 53. 3 L. 1. D. de colleg. & corp. illicit. 4 L. 1. C. de usuc. cap. transfer. 5 Tit. l. 25. D. de reb. cred. 6 L. 4. C. T. de jurisdict. & L. 6. C. T. de Decurionib. 7 L. 72. C. T. de Decurionib. 8 L. 3. C. quib. non objicit. long. temp. præscript. 9 L. 4. C. de jur. & fact. ignorant.

Consulares labante Imperio Spectabiles dictos, ut Inscriptiones apud Cassiodorum nos docent lib. 1. *Variar.* cap. 8. & cap. 27. una est Venantio V. S. Correctori Lucaniæ & Brutiorum: altera Joanni V. S. Consulari Campaniæ, in quibus litterarum notæ *Viros Spectabiles* designant, qui inter Clarissimos manere debent.

CAP. VIII.

De Rectoribus & Moderatoribus Provinciarum, & Juridicis.

RECtores Provinciarum cum Præsidibus confundi videntur [1], cùm ad Consulares & Correctores Præsidis etiam appellatio extendatur. Nam leges omnes, quæ sub Titulo Codicis, de Officio Rectoris Provinciæ conceptæ sunt, de his tantùm agunt, qui Clarissimi sunt. Et licèt Proconsul, Comes Orientis, & Præfectus Augustalis Rectores sint, cùm plurium Provinciarum administrationem habeant, minùs illis Rectoris Provinciæ appellatio convenit, quæ Clarissimis, uni tantùm præpositis Provinciæ tribuitur, qui sub cura Spectabilium ἐμβαθμοι [2], & Judices ordinarii vocantur, atque illorum munus ordinaria dignitas [3], ut Provinciæ etiam Judices dicuntur [4], qui à Proconsulibus separantur. Dicuntur etiam Provinciarum Præpositi & Provinciæ Præfecti [5], qui vulgatiùs Rectores, à Principe fratres appellantur, Cassiodor. lib. 6. *Var.* cap. 21. Rectorem Apulum impropriè Symmachus vocat Apuliæ Correctorem, *lib.* 10. *ep.* 5. & 53. ut Campanum Moderatorem: nam Moderatoris Provinciæ nomen pro Rectore aliquando positum est [6], cùm tamen inter Provinciæ Rectores & Moderatores nonnulla fuerit differentia. Etenim Moderatores Viri Spectabiles erant, Rectores Clarissimi, & à Clarissimis ad Spectabiles Moderatores appellari poterat; quibus id lege specialiter datum, ut vice sacra cognoscerent in causis, quæ non excedunt quantitatem x. librarum auri [7]. Moderatores à Justiniano duo constituti sunt, unus Helenoponti, alter Arabiæ, qui Ἁρμοσταί. Hoc illis nomen Justinianus tribuit, cùm antea Præsides & Correctores essent. Et cùm duæ Helenoponti & Ponti Polemoniaci Provinciæ essent, quas Præsides duo obtinerent; fecit ex utraque Justinianus Provinciam unam, eique Moderatorem unum præfecit [8]. Arabia etiam olim habuit Præsidem civilem Magistratum, & Ducem militarem: Justinianus Præsidem mutavit in Moderatorem, & Clarissimum in Spectabilem, assignavitque ei milites, quamvis civilis esset, non militaris Magistratus [9].

Inter Clarissimos numerari posse Juridicos puto, cùm illi fuerint Judices ordinarii: *Datis Juridicis M. Antoninus Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat*, Capitolin. in *M. Antonin.* Juridicos ergo à M. Antonino pro Consularibus creatos videmus, qui & Correctorum locum sortiti sunt, ut Inscriptiones veteres probant, in quibus Juridicus per Apuliam & Juridicus de infinito per Picenum & Apuliam leguntur, pag. 45. 9.

HERCVLI. CONSERVATORI
PRO. SALVTE. L. RAGONI
IVRIDIC. PER. APVLIAM
PRAEF. I. D.

Altera Romæ, pag. 455. 5.

C. SALIO. ARISTÆNETO. C. V
IVRIDICO. PER. PICENVM. ET
APVLIAM

Est hæc alia Arimini, pag. 1090. 13.

M. AELIO. AVRELIO
IVRIDICO. DE. INFINITO. PER. FLAM
ET. VMBRIAM. PICENVM.

Juridicum de infinito interpretor, cujus jurisdictio ad certam summam coarctata non est: certum enim & infinitum sibi adversantur [1], ut infinita pecunia modicæ opponitur [2]. Hac ratione Juridici à Præfectis Juri dicundo distinguuntur: hi enim à Decurionibus creabantur, erantque Duûmviri. Inscriptio vetus pag. 195. 4.

L. FABIVS. GAL. RVFFINVS
II. VIR. PRAEF. IVR. DIC. AB
DECVRIONIBVS. CREATVS
D. D.

Hi quidem Juri dicundo Præfecti ad certam usque summam judicandi jus habent, qui Clarissimi dici non possunt.

CAP. IX.

De Spectabilibus.

EXcelsi, ait Justinianus [3], *Præfecti Prætorio in hac Regia Vrbe, & vir gloriosissimus Præfectus Vrbi. In Provinciis viri eminentissimi Præfecti Prætorio per Illyricum & Africam, Magistri militum per diversas nostri orbis regiones: necnon vir Spectabilis Præfectus Ægypti, & Comes Orientis, & Vicarii, Viri omnes Spectabiles, & Duces, & Viri Clarissimi Rectores Provinciarum.* Ex hac Justiniani Constitutione propriè Clarissimos Provinciarum Rectores dici confirmamus: licèt Proconsules inter singularum etiam Diœcesium Rectores contineantur [4]. Sed soli Clarissimi ordinario jure Provincias moderari dicebantur [5]. Qui Spectabiles appellantur, eos Spectatos & honestos viros M. Tullius nuncupavit 2. *in Verrem.* Sic *Spectata Juventus* est Virgilio lib. 8. *Æneid. Spectati Viri* Plauto in *Mercator.* qui virtutum commendatione probati sunt.

Inter Spectabiles, primi Proconsules habentur: hos Comites Orientis sequuntur, quos una eademque lege Spectabiles & Illustres dictos invenimus [6]. Ex hoc tamen Spectabilium numero, latissimam habet jurisdictionem Præfectus Augustalis, qui Proconsulum habet potestatem, non tamen Proconsulare imperium, Trebel. Pollio in *Æmiliano.* Vicarii in Spectabilium ordine ultimi sunt, qui pro Præfecto Prætorio judicabant [7]. Sed Vicarius Vrbis Romæ ceteris

V præ-

1 L. 1. & 2. C. de offic. Rector. Provinc. 2 Novel. 20. & 112. 3 L. 7. C. de offic. Rector. Provinc. 4 L. 3. C. T. de operib. public. 5 L. 4. C. T. de curs. public. 6 L. 164. C. T. de Decurionib. 7 Cujac. ad Novel. 23. 8 Novel. 28. & 102. 9 Cujac. ad Novel. 102.

1 L. 91. D. de condit. & demonstr. 2 L. 192. D. de verb. sign. 3 L. 1. §. sin autem. C. de rapt. virg. 4 L. 1. C. de operib. publ. 5 L. 6. C. de modo multar. 6 L. 3. C. de advocat. divers. judic. 7 L. 1. §. 4. D. de legat. 3.

præstantior est; qui propriam jurisdictionem habebat, sibi datam à Principe, Cassiodor. 6. *Var.* 15. Porrò ex Clarissimis, multos Spectabiles Justinianus fecit [1]; ut Prætorem Pisidiæ, Prætorem Lycaoniæ; Justinianeum Prætorem Thraciæ. Atque hic ordo Spectabilium pro Imperatorum arbitrio sæpe immutatus est: nam qui Spectabiles erant, plerumque inter Clarissimos censebantur, ut de Præfecto Vigilum notabamus: ut Prætores Silentiarii, Tribuni Notarii, aliique permulti modò inter Spectabiles, modò inter Clarissimos leguntur.

Cap. X.

De Illustribus.

ILlustris nomen primùm notæ fuit, non meriti aut honoris: unde & meretricibus tribuitur, Servius 6. *Æneid.* Hoc sensu *famam illustrem* Virgilius dixit 7. *Æneid.* Usus postea obtinuit, ut viri magni nominis, Illustres vocarentur, nomenque hoc maximæ dignitatis esset, Cicer. *de petit. consulat.* ut Illustres Provinciarum Suetonius dixit, in *Julio* cap. 48. *Illustrium* ordo ita à Zenone componitur, ut *primi sint Patricii vel Expatricii, Præfecti Prætorio, Præfecti Urbis, Consulares Viri, quos tàm ordinaria professio, quàm Principis sublimavit oratio* [2]. Qui Magisteriæ potestatis sudoribus clari facti sunt, Magistri Officiorum, vel Quæstoris Officio functi, sacri Cubiculi Præpositi post depositam administrationem Senatorio Ordini sociati. Ut qui Domesticorum Scholam regit: qui sacros Principis thesauros, aut illius res privatas, aut Serenissimæ Augustæ gubernat. Fuerunt & quidam Spectabiles illustri dignitate decorati [3], ut Comites Ærarii [4], Duces limitum nonnulli [5], quorum omnium varii sunt gradus; nam alii majores, minores alii existimari debent. Ut Præfectus Prætorio major est Magistro Officiorum, qui nec indiscretam cum illo aut ceteris majoribus habet dignitatem, quamvis sit Illustris.

Alia quoque est inter Illustres differentia, quos in quinque gradus distinguendos Cujacius docet [6]. Primus eorum est qui verè illustrem dignitatem gesserunt: secundus Vacantium præsentium, in Comitatu Principis: tertius Vacantium absentium: quartus Honorariorum præsentium: quintus Honorariorum absentium. Atque hi tituli dignitatis tanti fuerunt, ut illis Reges ipsi insigniri voluerint. Nam in antiquis nostrorum Christianorum præceptis & constitutionibus, nihil usitatius quàm REX. VIR. INLUSTER. Sirmond. *ad Ennodium lib.* 4. *ep.* 10. quod illustris Bignonius, in Senatu Parisiensi Fisci Patronus, eruditissimis ad Marculfum Notis sic illustrat, ut majore nostra, hac in re, industria opus non sit.

1 Novel. 24. 25. & 26. 2 L. 3. C. ubi Senator. vel Clariss. 3 L. 1. C. de ratiocin. oper. public. 4 L. 15. C. de susceptorib. præpos. & arc. 5 L. 36. C. de appellationib. 6 Cujac. ad leg. 2. C. ut dignit. ord. servet.

Cap. XI.

De iis qui sunt supra Illustres.

QUædam sunt Dignitates, quæ personas Illustres præcedunt [1]: nam Patricii & Consules Superillustres sunt. Patricii in Imperatorum Constitutionibus [2], illorum sunt Consiliarii, atque alii ab antiquis illis Patriciis, qui à Romulo lecti sunt, vel ab Imperatoribus adsciti: ut à Julio Cæsare lege Cassia; ab Augusto lege Sænia, & à Claudio jure potestatis, Tacit. 11. *Annal.* Posteriores enim Patricii nostri, à Constantino selecti sunt, Zosim. *lib.* 2. & quasi Imperatoris patres, in illius consilium assumti [3]. Atque honor illorum sublimis omnibus honoribus anteponitur, ad quem adscendere nemini licebat, nisi priùs aut Consulatus honore potitus, aut Præfecturæ Prætorio, vel Illyrici, vel Præfecti Urbis, aut Magistri militum, aut Magistri Officiorum in actu positi administrationem gessisse nosceretur [4]; quod postea Justinianus intervertit.

Patricii ergo Præfectorios & illustrium dignitatum viros omnes præcedebant, Cassiodor. 4. *Var.* 2. ampliorque Patriciatus in hoc saltem videtur Consulari dignitate, quòd Consularis honor patria potestate non liberat: at Patriciatus Imperialibus codicillis præstitus, ab illa patria potestate eximebat [5].

Ante Constantini tempora Jurisperiti in consilium Principis allecti Patriciorum locum obtinebant. Illi enim circa latus Imperatorum agebant, & honor delatus finem certi temporis & loci non habebat [6]. Patriciatus tamen dignitatem Sirmondus noster putat [7] mediam inter Præfecturam & Consulatum: quia Consulatus sit apex omnium dignitatum, κορυφὴ καὶ κεφαλὴ, ex Chrysostomo. Quod tamen ita intelligi potest, ut si Patriciatus dignitas addatur Consulatui, Consulares omnes Patricius præcedat: alioqui diversa culmina dignitatum Consulatui cedere, evidenti auctoritate Gratianus, Valentinianus & Theodosius decreverunt [8]. Aliâ etiam prærogativâ dignitatis Patricii aliquando decorati sunt: nam eumdem Patricium & Magistrum Officiorum, ut Præfectum Prætorio & Patricium notamus [9], quod latiùs persequemur.

Cap. XII.

De Consulibus & Consularibus.

SIrmondi maximè tuetur sententiam Plinii Junioris auctoritas; *Consulatum enim suscipit Princeps*, ait ille in *Panegyric. Præfecturam Prætorii, Magisterium, aut Patriciatum non gerit.* Honorem igitur Consulatus & incipientes Principes & desinentes concupierunt. Quare Præfectus Prætorio potestate, Consul dignitate præstare dicitur. Omnes quidem quotquot fuerunt Imperatores Consulatum gesserunt quandoque soli, quandoque perpetuum, aut discontinuum. Consulem se perpetuum Vitellius ordinavit, ut vetus Inscriptio probat Romæ, pag. 239. 1.

A. VITELLIVS. L. F.
IMPERATOR
COS. PERP.

Do-

1 L. 26. §. ideoque. C. de usur. 2 §. in summa. Instit. de injur. 3 §. filiusfamil. Inst. quib. mod. jus patriæ pot. solvit. 4 L. 3. C. de consul. & non sparg. 5 d. §. filiusfamil. 6 L. Jurisperitos. D. de excusationib. 7 lib. 5. ad Sidon. epist. 16. 8 L. 1. C. T. de Consulib. & Præfect. &c. 9 L. 14. C. T. de metatis.

Domitianus verò Consulatus XVII. cepit, quot ante eum nemo; ex quibus septem medios continuavit: omnes autem titulo tenus gessit, nec quemquam ultra Kalendas Majas, plures ad Idus usque Januarias, Sueton. in *Domitiano* cap. 13. Augustus Consulatus plures gessit, quos brevi exiit & paucissimis horis retinuit. Nugatur Zonaras, suo more, cùm de Augusto scribit, τὴν δὲ τῶν Ὑπάτων τιμὴν διὰ βίου ἔλαβε. Quod tamen de Proconsulari dignitate verum esset. Hinc Consulum Majestas dicta est [1], quæ in Imperatoribus aut illorum filiis vel Cæsaribus plurimùm residebat.

In Fastis & Legum subscriptionibus occurrit sæpe, Consule Nobilissimo puero, vel Nobili puero [2]. Qui pueri vocantur, ut putat Contius [3], ii sunt quales hodie in Hispania Regum filiæ *Infantes* appellantur: quare cavendum monet, ne pueros pro infantibus, aut impuberibus accipiamus. Sed huic Contii sententiæ varia exempla refragantur, ex quibus duo afferre, ne longiùs divagemur, hoc loco sufficiet. Primum est Severi Imperatoris, qui filium majorem, eumque impuberem, Consulem designavit, data illi virili toga. Alterum est Joviani Principis, qui Consulatum iniit adhibito in societatem Trabeæ Varoniano filio suo admodum parvulo, cujus vagitus pertinaciter reluctans, ne in Curuli sella veheretur, ex more id, quod mox accidit, portendebat, Ammian. Marcel. *lib.* 25.

Priores Principes Consulatum cum viris receptæ auctoritatis gesserunt, ut Fasti Consulares ubique testantur: posteriores aut soli, aut cum Cæsaribus. Quapropter cùm Julianus Imperator assumsisset in Consulatu collegam Sallustium Præfectum Prætorio per Gallias, id visum est novum, adjunctum Augusto privatum; quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum, idem *lib. eod.* Notat Dio Xiphil. in *Alexandro*, quòd cùm ab Alexandro una Consul esset designatus, Prætorianos molestè tulisse, atque timuisse, ne illum, ut vidissent cum insignibus Imperii, interficerent. Itaque jussit Alexander ut alicubi extra Vrbem commoraretur in Italia, tempore hujus Consulatus: Οὐ μέν τοι περιεττίμησέ τι αὐτῶν ὁ Ἀλέξανδρος, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον, ἀλλ' ὥστε ἐσέμνησέ με, καὶ δεύτερον ὑπατεύσαντα σὺν αὐτῷ ἀπέδειξε, τό, τε ἀνάλωμα τὸ τῆς ἀρχῆς αὐτῷ αὐτὸς ἀναλώσειν ὑπεδέξατο· ἀχθεσθέντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τούτοις, ἐφοβήθην μὴ καὶ ἀποκτείνωσί με, ἐν τῷ τῆς ἀρχῆς σχήματι ἰδόντες, καὶ ἐκέλευσεν ἔξω τῆς Ῥώμης ἐν τῇ Ἰταλίᾳ που διατρίβειν τὸν τῆς ὑπατείας χρόνον. Consulibus autem obviam procedere Imperator solebat, quos ita salutabat, AVE CONSVL AMPLISSIME, Mamertin. in *Gratiar. act.* quod Carinus primus contemsit, Vopisc. in *ejus Vita.* Consul præterea præsidebat Senatui etiam præsente Principe, si ille Consul non esset, Plin. in *Panegyr.*

CAP. XIII.

De Consulibus Ordinariis, Suffectis & Honorariis.

PRimus Cæsar Julius Consulum ordinem perturbavit; qui cùm annui essent, non toto deinceps anno, neque reliquo anni tempore permanserunt: sed Consulum alii pauciores, alii plures A menses, diesque, prout casus tulisset, eo Magistratu functi sunt. Dionis tempore, ut ipse testatur, nemo neque ad integrum annum, neque ampliùs duobus ferè mensibus cum Collega aliquo Consul fuit, *lib.* 43. Ἐπὶ νῦν γε οὐδεὶς οὔτε ἐπ' ἐνιαυτὸν, οὐδὲ ἐς πλείω διμήνου χρόνον, ὡς πλήθει σὺν ἑτέρῳ τινὶ ἄρχει. Hinc Suffectorum Consulum pro ordinariis substitutio frequentissima, quibus postea Honorarii additi sunt. Ordinarii ab anni exordio incipiebant semper, annoque nomen dabant, Dio *lib. eod.* τὴν δὲ ἐξαρίθμησιν τῶν ἐτῶν, οἱ κατὰ πρώτας αὐτῶν ὑπατεύοντες καρποῦνται. Et qui postea illorum locum occupabant, Suffecti dice- B bantur. Consules tandem bimestres ferè fuerunt: atque inter ceteros menses, Kalendæ Januariæ & Juliæ ineundis Consulatibus celebriores erant.

Consules in annum unum Commodus XXV. designavit, Lamprid. in *ejus Vita:* Consulatum Alexander ter iniit ordinarium, ac primo Nundino sibi alios semper suffecit, Lamprid. in *ejus Vita.* Stante Republica Consules Comitiis Centuriatis creabantur, quibus sublatis, ordinatio Consulum dici cœpit, deinde Nundinum Consulum. Quod quare ita dictum sit, Casaubonus fatetur se satis non scire, sed illud scire, non esse aliud Nundi- C num quàm ordinationem Consulum. Hoc verbi etiam torsit magnum Cujacium lib. 4. *Observ.* cap. 7. qui Nundinas pro epulis ab Ulpiano accipi existimat. Nos fortè, si quid in iis verborum difficultatibus tentabimus, excusationem merebimur, si cum tantis viris aliquantisper à vero aberramus. Primùm enim Ulpiani verba Cujacius non satis explicat, quæ nobis expendenda sunt: *Cùm societas*, ait Ulpianus [1], *ad emendum coiretur, & conveniret ut unus reliquis Nundinas, id est, epulas præstaret, eosque à negotio dimitteret, si eas eis non solvit, & pro socio, & ex vendito, cum eo agendum est.* Nundinarias epulas quidam D Codices habent, sed Florentini Pandectæ, Nundinas, id est, quòd Nundinis illæ epulæ præstarentur. Pari loquendi modo nos Galli diceremus, *payer la foire: quod inter Mercatores, payer ou boire le vin du marché.* Nam cùm nono die ad mercatum emtores venditoresque convenirent, & ab eo Nundinæ dictæ, ut hodie etiam fit, illorum aliquis epulas dabat, ex more vel pacto, illasque lautiores: quod Plautus intellexit, huc usque non satis intellectus, in *Aulul.*

Coquus iste nundinalis est, in nonum Diem
Solet ire coctum.

E Nundinalem Coquum, non rectè interpretantur imperitum & ignobilem, cùm pro perito & maximè nobili accipi debeat: nam cùm Euclio, homo parcissimus & avarissimus, in filiæ nuptiis Coquos duos conduxisset, servusque de Domini avaritia quereretur; Coquus unus nundinalem socium insimulat, quasi minùs aptum Euclionis parsimoniæ, & non ex vulgaribus Coquis, qui obsonii modicum parare solent; sed ex eorum numero qui largiores epulas instruebant. Quod cùm alteri quasi vitio daretur, ideo se vituperatum queritur, F quasi prodigus esset, & minùs ad vulgare convivium aptior. Jam ad Lampridii locum alium transeamus: *Consulatum*, ait, *Alexander ter iniit ordinarium, ac primo nundino sibi alios semper suffecit.* Nundinum Consulum, quod alii Nundinium vocant, ex Vopisco clariùs addiscimus in *Tacito*; ille enim: *Cùm prima oratione ad Senatum Tacitus Consulatum Floriano fratri petiisset, non impetravit: quod jam Senatus omnia Nundina* V 2 *suf-*

1 Novel. 13. Valent. & Theodos. 2 L. 4. C. T. de prox. comit. disposit. & l. 9. & 10. C. de Veteran. 3 Ad leg. fin. C. de relationib.

1 L. cùm societas, D. pro socio.

A *suffectorum Consulum clausisset.* Non soleo Auctorum nomen, à quibus aliquid acceperim, dissimulare, ut mihi vendicem, quod ab illis didicerim. Nicolaus Grucchius magnam mihi, ad hujus loci interpretationem, lucem attulit, quam ipse à Livio & M. Tullio mutuatus est lib. 1. *de Comitiis* cap. 3. Livius *lib.* 3. *Postquam Comitia Decemviris creandis in Trinundinum indicta sunt.* M. Tullius de Cæsare ad Tironem *lib.* 16. *ep.* 12. *Ad Consulatus petitionem se venturum, neque jam velle absentis rationem haberi sui, se præsentem Trinundinum petiturum.* Ex quibus locis intelligitur ordinarium fuisse, ut post edicta Comitia, Trinundini B spatium relinqueretur, ante Diem Comitiorum; atque hoc Trinundini intervallo, qui Consulatum petebant, togâ candidâ induti supplicare solebant: hincque *Lex Didia* de tribus Nundinis, *Consularis* à M. Tullio appellatur in Orat. *pro Sextio.*

Primo igitur Nundino Alexander sibi Consulem suffecit, non exspectato Trinundino, cùm Populi suffragia & Comitiales dies in usu esse desiissent, omniaque ex Principis arbitrio penderent, qui Nundinis Consules suffectos ut ordinarios renunciabat; quò innotesceret Populo frequenti, qui Consules essent. Suffectorum autem C Consulum Nundina Senatum clausisse credo, ex Principis nutu, qui suffectos & ordinarios vel ex Senatus sententia crearet, ut solebat Severus Alexander, Lamprid. in *ejusd. Vita*; aut Senatui sententiam suam aperiebat, quam actis mandaret, ut totius anni Consules certi essent ac præfiniti. Hæ Nundinæ Πανηγύρεις, à quibus Panegyricæ Orationes, quæ in publico Conventu Principi ab ipsis Consulibus dicebantur, qualis illa est, quam Plinius, cùm ipse * adeptus Consulatum, in Trajani laudem peroravit.

Hæc autem est inter Consules observanda dif- D ferentia: ut illi Ordinarii sint, aut Suffecti, aut Honorarii. Ordinarii, & Suffecti Consulatum gesserunt: Honorarii honoris tantùm codicillos adepti sunt. Qui Kalendis Januariis Consulatum inibant, Ordinarii dicebantur propter ordinem Fastorum Consularium: ceteri Suffecti, qui post eos, reliquo anni tempore, Consulatum gesserunt. Honorarii imaginaria Consulatus dignitate ornati sunt, codicillis ab Imperatore impetratis, quorum formulam Cassiodorus refert 1. *Variar.* 10. Hac ratione Alexander Pontificatus Codicillares fecit, ut in Senatum allegerentur, E Lamprid. in *ejusd. Vita.*

Consulatus Honorarii in Fastis non numerantur, sed Ordinarii tantùm & Suffecti. Hinc propter par Consulum Suffectorum, quod pro Ordinariis plerumque irrepit, magna Fastorum perturbatio facta est. Sed cùm par Consulum Suffectorum pro Ordinariis positum est, par illud Suffectorum extra numerum ponendum putat Scaliger in *Animadversionib. ad Euseb.* ut rectè temporum ratio constet. Lapsus est Cardinalis Baronius cùm Suffectos pro Honorariis accepit, sicque Fastis additos scribit, ut sub Ordinariis Consulibus ordinarium dicerentur gerere Consulatum, F 2. *Annal.* ad Annum 103. Hoc frustra ex verbis Plinii probare contendit: *Ergo*, inquit ille in *Panegyrico*, *non alia nos pagina, quàm te Consulem accipiet, & nostra quoque nomina addentur Fastis, quibus ipse præscriberis.* Fasti enim Suffectum Plinium Consulem & Cornutum Tertullum ex Kal. Septemb. testantur, in quibus

IMP. CÆS. DIV. NERV. F. NERVA
TRAIAN. OP. AUG. IV. COS.

EX K. SEPT. C. PLINIVS C. F. C. N.
SECVNDVS. CÆCILIANVS.
CORNVTVS
TERTVLLVS.

In Fastis ergo, allisque publicis monumentis, Suffectorum nomina adscripta sunt, sed ad numerum annorum consignandum. Ordinarii solùm notantur: nec opus est Suffectos extra numerum ponere, cùm temporum ordo facilè turbari non possit. Ad hanc rem facit vetus Senatusconsultum, quod ab Ulpiano refertur, sic conceptum [1]:

PRIDIE IDVS MARTIAS QVINTVS IVLIVS BALBVS ET PVBLIVS IVBENTIVS CELSVS, TITVS AVFIDIVS, OENVS SEVERIANVS, CONSVLES VERBA FECERE DE IIS QVÆ IMPERATOR CÆSAR TRAIANVS PARTHICI FILIVS DIVI NERVÆ NEPOS, HADRIANVS AVGVSTVS IMPERATOR, MAXIMVSQVE PRINCEPS PROPOSVIT, QVINTO NONAS MARTIAS, QVÆ PROXIMÆ FVERVNT, LIBELLO COMPLEXVS, QVID FIERI PLACEAT.

Paulò aliter Fasti Consulares:

IMP. CÆS. DIVI TRAIANI PARTH.
F. TRAIANVS. HADRIANVS AVG.
P. M. TR. P. XII. XIII. COS.
P. IVVENTIVS CELSVS. II. Q. IVLIVS BALBVS. EX K. MART. T.
AVFIDIVS FRONTO.
ARRIVS SEVERIANVS.

En quatuor Consulum nomina, qui verba faciunt de his quæ Princeps libello complexus est. Priores duo Ordinarii Consules, posteriores Suffecti. Ex quo videmus in publicis monumentis nomina Consulum, qui Ordinarii annum inchoassent, licèt abiissent Magistratu, primo loco inscribi solere, & secundo Suffectorum, qui Consulatum gererent: primi enim Consules majoris dignitatis erant: posteriores plerumque ignorabantur, ideoque Consules minores appellati, καὶ διὰ τοῦτο σμικροτέρους σφᾶς Ὑπάτους ὑπεκάλουν, ut Dio *lib.* 48.

De Honorariis hoc unum addiderim ex Dione *lib.* 46. quòd si Ordinarii aliquando vel Suffecti fierent, Honorarius Consulatus in dignitatis hujus ordine non numerabatur. Primus tamen omnium Severus Imperator cùm Plautiano honores Consulares tribuisset, ὑπατευτικὰς τιμὰς, id est, Consulatum Honorarium, cúmque postea Consulem faceret, iterum Consulem dixit, δεύτερον ὑπατεύσαντα. Hunc Plautianum in secundis Consularibus nominatum Herodianus ait *lib.* 3. ἐν τοῖς δευτέροις ὑπατεύσασιν. Quod de Honorario Consulatu accipiendum non est, cùm hoc inter magnas Plautiani felicitates, quæ hominem ad imperii cupiditatem inflammarent, recenseatur: sed quòd eum obtinuit locum, qui daretur iis qui secundùm Consules fuissent, quique Honorarios omnes antecederent [2]. De Consularibus, quos hîc à Provinciæ Rectoribus separo, satis sit notasse eos appellari, qui Consulatum gessissent, atque inter Consulares potiorem esse eum, qui prior Consul fuit, etiamsi posterior bis Consul fuisset [3].

C A P.

* Videtur leg. *esset.*

1 L. item veniunt. §. pridie. D. de petit. hereditat.
2 L. 4. C. de Consulib. & non sparg. pecun. 3 L. 1. C. eod.

CAP. XIV.

De Vacantibus & Honorariis.

DIgnitatum ordinem hunc esse monuimus, ut primus sit eorum qui in actu positi sunt, secundus Vacantium, tertius Honorariorum. Vacantium verbum à militia traductum est; nam Vacantes milites in unum pugnæ laborem reservati, immunes operum militarium erant, & hujusmodi Vacatio à Centurionibus redimebatur. *Flagitatum*, ait Tacitus 1. *Annal.* & 1. *Histor. ut Vacationes præstari Centurionibus solitæ redimerentur: namque gregarius miles ut tributum annuum pendebat.* Deinde, *tum locupletissimus quisque miles, labore ac sævitia fatigari, donec vacationem emeret.* Hoc tandem munus Vacationis porrectum à Principe ad Vicarios, Comites, Tribunos Vacantes, qui aliquo merito antegestæ administrationis, majores dignitatis infulas meruerunt. Sic Primicerius Notariorum peracta administratione fit *Magister Officiorum* Vacans: Primicerius Domesticorum Tribunus Vacans[1]: ut apud Cassiodorum 6. *Variar.* 12. legitur illustratus Comitivæ Domesticorum, & Comitiva primi ordinis vacans. In Novella Theodosii & Valentiniani[2], sunt Vacantes Illustres per omnes Provincias: & Vacantes Tribuni apud Amm. Marcellinum *lib.* 16. & 18. Vacantes autem dicuntur adscriptitii & allecti, ut etiam Honorarii: utriusque enim dignitas Codicillis data est. Hinc Vacantes Codicilli[3], Honorarii Codicilli[4], & allectionis honor[5]. Alexander Severus jurejurando constringit, ne quem adscriptum, id est, vacantem, haberet[6]: quod de supernumerario milite, qui in numeros referebatur ad commoda tantùm percipienda, Casaubonus interpretatur. At Commodus cùm allectionibus innumeris innumeros Prætorios miscuisset, Senatusconsultum Pertinax fecit, jussitque eos qui Præturas non gessissent, sed allectiones accepissent, post eos esse, qui verè Prætores fuissent[7]. Vacantes ζωστοὶ, Honorarii ἄζωστοι. Vacantes præcincti honore otiosi cinguli[8], & quietæ dignitatis[9]. Atque una hæc maximè differentia est inter Vacantes & Honorarios. Hi enim nullum cinguli honorem consecuti, solo Principis beneficio nituntur. At Vacantibus otiosi cinguli honore præcincta dignitas est[10], de qua Sidonius *lib.* 1. *epist.* 9. *Avienus ad Consulatum felicitate, Basilius virtute pervenerat.* Deinde, *cinctus Avienus, Basilius discinctus.* Avienus inter Ordinarios aut Suffectos Consules; Basilius inter Honorarios. Idem Sidonius *lib.* 5. *ep.* 7. *cinctis jura, discinctis privilegia.*

Vacantibus autem, ut allectionis beneficio utantur, adjicienda est prærogativa militiæ: *Hac quippe relaxari divalia constituta voluerunt, quos Castrensis honor illuminat*, ait Symmachus *lib.* 7. *ep.* 95. Si igitur & hoc insigne detulerit, quod Annonarum & Evectionum cumulabit adjectio, prono cursu in Consulares legetur. De hac militiæ prærogativa Vegetius *lib.* 2. *cap.* 21. *Primipili Centurio, postquam in orbem omnes cohortes per diversas administravit scholas in prima cohorte, ad hanc pervenit palmam, in qua ex omni legione, infinita commoda consequitur: sicut Primicerius in officio Præfecti Prætorio, ad honestum quæstuosumque pervenit gradum. His enim multiplicantur an-*

A *nonæ, qui in actu sunt, quæ illis etiam Vacantibus tribuuntur, quas Honorarii nullas habent.*

Insignis locus est apud Synesium *ep.* 67. *ad Theotimum*, de Vacantibus, quem Clarissimus Bignonius in Senat. Paris. fisci Patronus, pro sua humanitate mihi indicavit: Περινοστοῦσί τινες Βακαντίβοι παρ' ἡμῖν· ἀνέξῃ γάρ μου μικρὸν ὑποβαρβαρίσαντος, ἵνα διὰ τῆς συνηθεστέρας τῇ πολιτείᾳ φωνῆς, τὴν ἐνίων κακίαν ἐμφατικώτερον παραστήσαιμι· οὗτοι καθέδραν μὲν ἀποδεδειγμένην ἔχειν οὐ βούλονται· οἵ γε τὴν οὖσαν ἀπολελοίπασιν, οὐ κατὰ συμφορὰν, ἀλλ' αὐθαίρετοι μετανάσται
B γενόμενοι· καρποῦνται δὲ τὰς τιμὰς, ἐκεῖ περινοστοῦντες, ὅπου κερδαλεώτερον. Quod sic Interpres: *Oberrant nonnulli apud nos Bacantibi: feres enim me paululùm barbara quadam dictione utentem, ut per vocem usitatiorem Reipublicæ, ostendam nonnullorum improbitatem significantiùs. Ii nolunt habere sedem ratam & constitutam, qui quidem reliquerunt suam Ecclesiam, non quadam calamitate, verùm voluntarii errones sunt: fruuntur honoribus illuc oberrantes, ubi major quæstus.* Corrupta est Synesii lectio, & pro Βακαντίβοι legendum Βακάντοι, quod est Vacantes. Suidas, Βακάντης ὁ σχολαστής:
C quæ dictio usitatior in dignitatibus, quæ *Bacantibos* non agnoscit. Optimè Synesius otiosos Episcopos Vacantibus otiosis confert; utrique enim in otio cum dignitate. Comites Vacantes non vult Imperator ullam in publicis salutationibus injuriam pati. *Licèt enim*, ait, *unum* (lego *vanum*) *nomen sit, tamen est meritis æstimandum*[1].

Honorarii Tituli Dignitatum nullo laborioso administrationis actu acquiruntur[2]: & sunt umbræ & nuda nomina, quæ plerumque per Suffragia mercabantur[3]; solum lucrati honorem, manentes in antiqua fortuna[4], maximè in Provinciis: sunt enim & honorati Provinciarum[5], ut Vacan-
D tes, & honorati Corporum & Artificum. Nam honorarii inter naviculariοs inveniuntur[6], & honoratos vitæ sordidæ & furtorum reos Lampridius narrat in *Alexandro*: apud quem legendum putat Casaubonus *inhonoratos*: *Quomodo enim*, inquit, *honoratus iste, si homo vitæ sordidæ? nec potest*, ait, *referri ad loci dignitatem, quam in Republica occuparet; paret enim omni munere civili fuisse immunem.* Vulgatam retineo, quæ pura est, & duplicem Casauboni errorem rejicio. Primùm in lectionis depravatione: nam honorati quilibet, imò etiam & Illustres, & in actu positi,
E vitam sordidam agere possunt, & furtorum & peculatus rei peragi. Nec mirum si Provinciæ honorarius isthoc vitio laborarit, qui per ambitionem nimiam ad militiam adspiravit, ut liberiùs furaretur. Nam *vacantes milites per latrocinia & raptus, aut ministeriis servilibus militare munus exercebant*, ait Tacitus 1. *Historiar.* Alter error est in eo, quòd honoratos Provinciales omni munere civili immunes asserit Casaubonus: nam qui honorati sunt, manent sub antiqua fortuna, & solum honorem ita lucrantur, ut alios Curiales dignitate præcedant, nec tamen consuetis Curiæ functionibus liberantur[7]. Quod ita accipiendum Julianus
F Antecessor docuit, *ut Curialis homo si Præfectoria dignitate potitus est, siquidem honoraria, manet in sua conditione: sin autem re vera Præfecturam gessit, vel Magisterium Militiæ, Curiæ nexibus liberatur.*

Nos ad Vacantes & Honorarios Corporum & Artificum revertamur, de quibus Honorius & Theo-

V 3

1 Cujac. ad L. 1. C. ut dignit. ord. servet. 2 de Tironib. 3 Cassiodor. 6. Variar. 10. 4 Tit. C. T. de honorar. Codicil. 5 L. 10. C. T. de Prætorib. & Quæstorib. 6 Lamprid. in *Alexandro*. 7 Capitolin. in *Pertinace*. 9 L. fin. C. de primicer. & secundic. 9 Cassiodor. 6. Var. 10. 10 Cassiodor. 6. *Variar.* 12.

1 L. 1. C. T. de Comitib. vac. 2 L. 187. C. T. de decurionib. 3 L. 2. C. T. de honorar. Codicil. 4 Novel. 70. 5 L. 1. C. T. de offic. judic. civil. 6 L. 4. C. T. de navicular. 7 Novel. 70.

Theodosius constituunt[1], ut Vacantes & nulla Veterum dispositione ullius corporis societate conjunctos, Curiæ atque Collegiis singularum urbium subjugari.

Licet autem Vacantes Honorariis præferantur, Honorariorum tamen dignitas antiquior est quàm Vacantium. Nam Macro & Laco, qui mandatum Tiberii in Sejanum exsecuti sunt, variis honoribus à Senatu affecti: huic quidem Quæstores *, illi verò Prætorios tribuerunt: quos illi, Sejani territi exemplo, honores repudiarunt: καὶ τιμὰς Λάκωνι μὲν τὰς τῶν τεταμιευκότων, Μάκρωνι δὲ τὰς ἐστρατηγηκότων ἔδωκεν· τὸ γὰρ παράδειγμα σφᾶς ὑπόγυιον ὂν ἐθορύβει, Dio *lib.* 58.

Vacantes & Honorarii præsentes, sunt qui in Comitatu Principis erant, atque utrique vel præsentes, vel absentes, allecti dicebantur: vetus lapis 393. 6. ALLECTVS INTER PATRICIOS. ALLECTI CONSVLARES[2]. INTER ALLECTOS VELVT EXCONSVLARES HABITI[3]. ALLECTVS INTER PRÆTORIOS ET TRIBVNOS, 389. 2. INTER QVÆSTORIOS. ALLECTVS IN ORDINE SENATORIO A TI. CLAVDIO CÆSARE AVGVSTO, 458. 6. ALLECTVS A D. TRAIANO IN SPLENDIDISSIMVM ORDINEM, 390. 5. Ex quibus videmus omnes omnium Dignitates à Vacantibus & Honorariis titulo tenus acquisitas, Patriciorum, Consularium, Præfectorum; quæ quidem nihil aliud nisi purum honorem conferebant, qui augebatur, si administrationis merito & in ipso cingulo vacantes designarentur[4]. Atque hi honores excogitati ad sumtus vitandos, quibus sine magna fortuna sufficere facile non fuit. Quod Cassiodorus in formula Vacantium Procerum nobis demonstrat lib. 6. *Variar.* 9. *Quid*, inquit, *si expensas Consulatus pauper Nobilis expavescat? sapientiâ clarus Præfecturæ nesciat sustinere molestias?* Rectè ergo Sidonius gestos honores in actu felicitati, adumbratos virtuti tribuisse mihi videtur, *lib.* 1. *ep.* 9.

CAP. XV.

De Dignitatum societate & adæquatione.

VAriis Dignitatum gradibus ornati sunt non Magistratus solùm Civiles, Palatini, & Militares, sed & ii qui apud eos aut cum eis varia officia exercuerunt, etiam sine potestate & imperio: ut Senatores plerique omnes Clarissimi sunt, & Clarissimatûs dignitas pro Senatoria ut plurimùm usurpatur[5]. Tribuni Prætoriani & Notarii sunt Clarissimi, ut Comites Provinciarum, qui illarum Rectoribus adsidebant, aliique Comites omnes minores, qui ex minori laterculo emittuntur, ubicumque illi militarunt, Clarissimi habentur[6].

Inter Palatinos, qui versati sunt annis viginti in Scriniis memoriæ, Epistolarum, Libellorum, hi inter Consulares allectos computantur; eumque honorem vel apud Rectorem Provinciæ, vel in cœtu amplissimi Senatus obtinent, ex Constitutione Honorii & Arcadii[7]. Decemprimi post Primicerium, in utraque Schola, Domesticorum & Protectorum, Senatoriam dignitatem veluti inter Consulares adipiscuntur inter Allectos, suntque Clarissimi Senatores[8]. Præpositi laborum, ab si-

1 L. 179. C. T. de decurionib. 2 L. 5. C. T. de agentib. in reb. 3 L. 8. C. T. de domestic. & protector. 4 Novel. 70. 5 L. 1. C. de equestri dignit. 6 L. 3. C. de offic. omn. judic. 7 L. 7. & 8. C. T. de proxim. comitib. dispositionum. 8 Cujac. ad leg. 2. C. de domestic. & protectorib.

* Rescr. *Quæstorios.*

A militudinem Decemprimorum, Clarissimi inter Allectos ut ex Consularibus habentur[1], id est, quasi Provinciarum fuerint Consulares. Primicerii quoque privilegiis largitionalis Officii funguntur, ut Primicerius Officii privatarum, & alii quatuor reliquorum Primicerii Scriniorum, ex Consularibus inter Allectos erant[2]. Decuriones etiam Palatii inter Duces numerantur, quod interpretor inter Duces, qui Clarissimi sunt, & in amplissimo ac venerabili Ordine inter Allectos & immunes, à Senatoris descriptione habentur[3]. Comes sacri Stabuli Clarissimus est[4], Princeps Scholarum agen-
B tium in rebus[5]: Comites ordinis secundi Provinciarum agentium in rebus[6], qui secundum inter Notarios gradum adepti sunt[7].

Inter Milites verò Clarissimorum honore potiuntur Tribuni & Comites rei Militaris ordinis secundi[8]; nam ex militaribus Judicibus inferioribus, & minoris laterculi sunt, Tribuni scilicet minorum cohortium, seu numerorum. Tribuni omnes laticlavii Clarissimi sunt[9]: ut Principes & Præpositi seu Præfecti castrorum honorati Comitiva dignitate[10], & Duces limitum non pauci.

Inter Spectabiles, varii etiam dignitatum gradus fuêre: nam alii Vicariis, alii Proconsulibus
C æquantur. Rectores Provinciarum, si Comites primi ordinis esse meruerint, Vicariæ dignitatis privilegiis fruuntur post depositam administrationem[11]: ut qui primi ordinis meruerint Comitivam, eorum qui sunt Exvicariis honore potiuntur[12]. At verò qui Consularitatis functi sunt dignitate, Comitibus Italicianorum & Gallicianorum præferuntur[13]: atque hi sunt Consulares Provinciarum. Qui autem fuerint isti Comites Italiciani, & Galliciani, quorum nomina ab Honorio & Theodosio produntur[14], diu dubitavi: eosdem tamen Hispaniarum Comites credo, ad quos Le-
D ges variæ scriptæ sunt in utroque Codice[15]: nam Duces & Comites, quibus regendæ militiæ cura commissa est, in ripis & limitibus ut plurimùm constituebantur; & Riparensibus imperabant[16]. Hinc Comites duo in Hispania constituti, unus Italicensibus, alter Gallicianis. Divi fratres Verinæ Italicensi rescripserunt, suam mutare sententiam neminem posse[17]. Italicenses dicti ab Italica urbe, à Scipionibus in Hispania condita. Quod Hadrianus, qui in Italica urbe natus erat[18], in Oratione, quam de Italicensibus in Senatu habuit, clarè demonstrat. Et Plinius inter oppida Hispalensis Conventus, Italicam numerat, *lib.* 3. *cap.* 1. Ἰταλικὴ πόλις Ἰβερίας, τὸ ἐθνικὸν Ἰταλικήσιον, ait
E Stephanus. Et Ptolomæus *lib.* 2. *cap.* 4. *Juxta Lusitaniam tenent Turditani urbes plurimas, in quibus Lælia, & Italica, & Gallicia ad Lusitaniam spectat*: & *lib.* 2. *cap.* 6. *utraque in ultimis Hispaniarum finibus sita.* Comites duos Hispania habuit, seu limitum Duces, qui Consularibus & Præsidibus postponuntur, post depositam administrationem, nisi Vicariorum honore, ut Consulares & Præsides, cumulentur.

Inter Consulares & Principes Agentium in rebus,

F 1 L. 1. C. T. de præposit. labor. 2 L. 24. C. T. de Palatin. sacr. larg. 3 L. 1. C. T. de decurionib. & silentiar. 4 L. 3. C. T. de equor. collat. 5 L. 2. C. de Comitib. consistorian. 6 Novel. 7. 7 Ammian. Marcell. *lib.* 29. 8 Cujac. in paratitl. de offic. Tribun. 9 L. 4. C. de testament. milit. 10 L. 2. & 3. C. de offic. militar. judic. 11 L. 1. C. T. de Comitib. qui Provinc. regunt. 12 L. 1. C. T. de professorib. qui in urb. const. 13 L. 1. C. T. de Consularib. & Præsidib. 14 D. l. 1. 15 L. 6. C. de servis fugitiv. l. 14. C. de fid. instrum. l. 3. C. T. de matern. bon. l. 1. C. T. de accusat. 16 L. 18. C. T. de re militar. 17 L. Divi. D. de pœnis. 18 Agel. *lib.* 16. *cap.* 13. Spartian. in *Hadriano.*

bus, qui prior dignitatis locum occuparit, potior habetur [1]. Ut Agentes in rebus, qui Ducenæ dignitatis meruerunt Principatum, eorum qui Vicariam gerunt Præfecturam honore potiuntur [2]: ut Adsessores, qui primi ordinis Comitiva Agentibus in rebus adsident, post militiam inter eos, qui Vicariam Præfecturam administrarunt, numerantur [3]. Sed qui ex numero Ordinariarum Potestatum, seu Consularis administrationis, seu Præsidialis, aut etiam Exproconsulibus honorarios impetraverint Codicillos, post Vicarias Potestates habentur. In honoribus enim hic ordo servatur, ut quorumcunque Codicillariæ dignitates, iis qui insignia administrationis gesserunt, non præferantur [4].

Comites, qui Provincias regunt, administratione civili, si primi ordinis meruerint Comitivam, Vicariæ dignitatis privilegiis fruuntur [5]. Et Primicerius Notariorum Vicariis anteponitur, eodemque honore atque eodem ordine sequens Primicerium Tribunus ac Notarius perfruitur; alii verò Notarii Vicariis æquantur. Notarium tamen Primicerium in numero Proconsulum Imperatores habuerunt: & qui Tribunatum hujus nominis sortitus est, Orientis sive Ægypti Comitiva videtur infulas consecutus: Tribuni residui ordinis Vicariis exæquantur [6].

Ex Palatinis, Magistri Scriniorum præferuntur Vicariæ Potestati [7]; & Comites Consistoriani Proconsulibus æquantur, atque inter Spectabiles numerantur. Hi tranquillitatis Principes vocantur, maximorum culmina dignitatum adepti [8]; ut Notarii Principis Cubicularii omnes, atque Excubicularii [9]. Sunt etiam Spectabiles Comites & Tribuni Scholarum [10], qui & Præpositi divinis epulis adhibentur: atque cum iis Tribunus etiam & Comes sacri Stabuli, qui primùm Clarissimus, & Cura Palatii, si primi ordinis Comitivam cum Præpositura meruerint. Comites quoque Ægypti, vel Ponticæ Diœceseos, parem habent dignitatem [11]. Primicerius Domesticorum eodem honore potitur, quo ii qui Ducatus gesserunt, & inter Spectabiles habentur [12]. Spectabiles Silentiarii sunt [13], ut omnes primi ordinis Comites [14]. Magister Officiorum & Comes rei privatæ aliquando inter Spectabiles fuêre [15]: Archiatri sacri Palatii primi ordinis Comites inter Vicarios taxantur [16].

Ex militaribus primi mihi inter Spectabiles videntur, Tribuni sive Præpositi Militiæ, qui propriè Tribuni Militares, quique alii sunt ab iis qui numeros agunt, & inter Clarissimos recensentur [17]. Atque hi Comites Militum, in militaribus negotiis, Vicariis Præfecti Prætorio anteponuntur, ut Vicarii illis in civilibus. Quòd si societas in judicando contigerit, priori loco Vicarius ponitur, & Comes adjunctus accedit [18]. Qui honorarios Magistri Equitum obtinuit Codicillos, ei idem locus præstatur, qui Proconsulatus adornatis datur [19].

Illustrium dignitate decorantur ii, quos suprà enumeravimus [20], quibus adjicere possumus No-

1 L. 10. C. T. de Agent. in reb. 2 L. 21. C. T. de Agentib. in reb. 3 L. 1. C. T. de Comitib. qui illustrib. agentib. 4 L. 7. C. T. de honorat. Codicil. 5 L. 1. C. de Comitib. qui Provinc. reg. 6 L. 1. 2. & 3. C. T. de primicer. Notarior. 7 L. 1. C. T. de Magist. Scrin. 8 L. 1. C. T. de Comitib. Consistorian. 9 L. 12. C. de dignitatib. 10 Novel. Theod. & Valent. 45. 11 L. 1. C. T. de Comitib. & Tribun. Scholar. 12 L. 11. C. T. de Domestic. & Protectorib. 13 L. 30. §. fin. C. de inoffic. testam. 14 L. 16. C. T. de censitorib. & peræquatorib. 15 L. 35. C. T. de curs. public. & l. 7. C. T. ad leg. Jul. repetund. 16 L. 1. C. T. de Comitib. archiatr. 17 Novel. Theod. & Val. 13. §. 3. 18 L. 1. C. de Offic. Vicar. 19 L. 4. C. T. de honorar. Codicil. 20 Cap. 10.

tarios illustres, qui si ad illustratum vel Vacantem meruerint pervenire, omnibus anteponuntur qui Illustratibus sunt codicillis ornati, Cassiodorus 6. *Var.* 16. Stelicho cùm ad amplissimam potestatem evectus esset, filio, qui ei unicus erat, hanc dignitatis metam statuit, ut ad Officium Tribuni Notariorum provectus, nullam aliam potestatem acquireret, Zosim. *lib.* 5. Tribuni Notariorum sunt ceteris in Officio Præpositi, & ad Imperialia secreta pertinent [1]. Sunt & Duces quidam illustres, & Comites, de quibus nos plura, cùm de illorum Officiis agemus.

CAP. XVI.

De Minoribus & infimis Dignitatibus.

DE mediis & inferioribus Dignitatibus nihil addo ad ea quæ superiùs attigi. Infimas Dignitates etiam puto eorum, quibus aliqua cura commissa est; qualis fuit procuratio Ludorum, quæ inter Dignitates computatur [2], & Dignitas Ducenaria, Centenaria, Biarchia [3], Circitoria [4]. Infimis etiam adscribo Dignitates municipales Decurionum [5], illasque honorarias, quas suffragio Præsidum aut Rationalium adepti sunt [6]; quibus præferuntur ii, qui judicio Principis honorarias illas Dignitates in municipiis consecuti sunt [7]. At Officia Magistratuum, quæ illorum mandata exsequuntur, ut Ministeriani, Magisteriani, Commentarienses, & alia hujusmodi, dignitatem non habent, sed sunt adminicula dignitatum [8].

CAP. XVII.

De Consistorianis Comitibus.

COmites primùm ii dicti sunt, ante Augusti tempora, qui Consules, Proconsules, aut Prætores peregrè comitabantur, in negotiis publicis obeundis, tanquam Administri, Adjutores, Adsessores, & consilii ac rerum participes habentur [9]. Hac de re unum M. Tullii locum adfero: *Mea quidem sententia*, inquit *pro Leg. Manil. A. Gabinius belli maritimi rerumque gestarum Comes Cn. Pompejo adscribitur.* In antiquis Inscriptionibus legitur Comes Tiberii Cæsaris Augusti, pag. 447. 4.

SEX. PALPEIO. LEG. TI. CLAVDI
CAESARIS. AVG. PRO. COS.
COMITI. TI. CAESARIS. AVG
DATO. SVB. DIVO. AVG. C.

Idem Tiberius Imperator in Germaniam iturus legit Comites, Tacitus 1. *Annal.* quos Otho multis è Magistratibus, magnam Consularium partem non participes, aut Ministros bello, sed Comitum specie secum expedire jussit, Tacit. 1. *Historiar.* Vespasianus in peregrinatione Achaïca, Neronis Comes fuit, cùm nullis antea honoribus perfunctus esset, Sueton. in *Vespasiano* cap. 4. Alia etiam Comitum significatio fuit in personis privatis: Comitem enim dixerunt, qui matrifamilias subser-

1 L. 12. C. de excusationib. muner. 2 Tacit. 13. *Annal.* 3 L. 1. C. de offic. magist. offic. 4 L. 2. C. T. de fil. milit. appar. 5 L. eum qui. D. de decurionib. & l. 1. D. de albo scrib. 6 L. 3. C. T. de honorar. Codicil. 7 L. 2. D. de alb. scrib. 8 L. 15. C. de erogat. militar. annon. 9 L. 5. D. de offic. adsess.

serviret, illamque comitaretur, aut sequeretur[1]. Quod Plautus in *Aulular.* observat; nam cùm Alcumena ob probri suspicionem divertere à viro vellet;

Juben', ait, mihi ire Comites?
Ibo egomet, & Comitem mihi pudicitiam ducero.

Ministri etiam Magistratuum in illorum Comitatu esse dicebantur. Sed à temporibus Augusti ad Constantinum, qui in consilium Principis assumti erant, honorem consecuti sunt, sine certo nomine dignitatis: & cùm illi circa latus Principis agerent, honor delatus finem certi temporis aut loci non habebat[2], illique circa Principem occupati dicebantur, ut de Menandro Arriano Ulpianus refert[3]. In veteri lapide invenio Consiliarium Augustorum, Romæ, pag. 458. 7.

Q. VAL. POSTIMIO. ROMVLO
PROC. AD. BONA. DAMNATORVM.
CONSILIARIO. AVGG.

Nam in Consilium adsidere, aut in Consilio esse dicebantur. *Pater meus*, ait Celsus[4], *referebat, cùm in Consilio esset Ducenii Veri Consulis, itum in sententiam suam.* Unde Consilium Principis nuncupatum quod postea Consistorium. Spartianus clarè in *Hadriano*: *Causas*, inquit, *Romæ, atque in Provinciis frequenter audivit, adhibitis Consilio suo Consulibus atque Prætoribus, & optimis Senatoribus.* Magistratuum quoque Adsessores Consiliarii vocati[5], qui Comitum nomen retinuerunt[6], & in commentarium Principis referuntur: nos dicimus, *couchez sur l'Estat*[7], quorum præfinitus erat numerus, quique omnes Juris studiosi fuerunt[8].

Hoc tandem Comitum nomen tractum est ad Consistorianos, qui Principi in Consistorio adsidebant. Consistorium enim locus est, in quo, qui in Consilio Principis erant, consistunt. Quod novum verbum est, quodque ab Auditorio aliquatenus differre puto: nam in Consistorio Principis, & publicæ res, & privatorum tractantur; in Auditorio causæ tantùm agebantur, & Princeps sententiam dicebat[9]. In utroque Consistoriani Comites consilium præbebant, maxima culmina dignitatum consecuti[10], *τὴν ἀξίαν τοῦ ὑψηλοῦ βήματος*[11]. Illustrium virorum supremi & ultimi[12].

Ut verò dignitatum gradus varii, sic etiam Comitum tripartiti fuerunt à Constantino introducti, Euseb. *de Vita Constantini* cap. 4. Inter quos Consistorianos Comites, primi ordinis omnes fuisse, Cassiodorus docet lib. 2. *Var.* 12. *Comitivam*, inquit, *primi ordinis largimur, ut Consistorium nostrum ingrediaris.* Inter hos primi ordinis Comites aliquam differentiam constituo: nam aliis Consistorium Principis ingrediendi facultas concessa est; aliis deliberandi, alii etiam fuerunt Comites ordinis primi in Consistorio; alii ordinis primi intra Consistorium, ut Inscriptiones veteres probant[13], Romæ, pag. 438. 1.

1 L. 1. §. omnemque. D. de injur. 2 L. Jurisperitos. D. de excusationib. 3 L. verum. §. ex facto. D. de minorib. 4 L. pater. D. de leg. 2. 5 Capitolin. in *Pescennino*. 6 L. diem functo. D. de offic. adsessor. 7 L. abesse. D. ex quib. caus. major. 8 L. 1. §. sed & si Comitem. & l. 4. D. de var. & extraord. cog. 9 L. minor. §. 1. D. de minorib. 10 L. 12. C. de excusationib. muner. 11 Novel. 13. 12 L. 2. C. ut dignit. ord. servet. 13 Vid. inf. cap. 45.

MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V.C.
NOBILITATE. ACTIBVSQVE. AD. EXEMPLVM
PRAECIPVO. PRAEFECTO. VRBI. PROCONSVLI
AFRICAE. COMITI. IN. CONSISTORIO ORDINIS. PRIMI.

Alia etiam Romæ, pag. 465. 8.

SATVRNINO. SECVNDO. V. C.
PRAESIDI. PROVINCIAE. AQVITANICAE.
MAGISTRO. MEMORIAE. COMITI. ORDINIS
PRIMI. PROCONSVLI. AFRICAE. ITEM
COMITI. ORDINIS. PRIMI. INTRA CONSISTORIVM.

Comites in Consistorio, quod Suidas *θεῖον συνέδριον* vocat, multis negotiis interesse poterant. Ut si Legati adirent Principem, & audirentur; si Princeps de causis privatorum cognosceret. Quod & hodie in Regio Consistorio observatur, ut Comites Principis alii operti sedeant, alii stent aperto capite, qui dispiciunt negotia aut inquirunt. Plerique quibus jus ingrediendi datum est, atque hi omnes sunt Comites primi ordinis in Consistorio. At verò qui ex iis sunt Comites intra Consistorium sacrum, hi arcanis Principis interesse meruerunt, *in contubernium Imperatoriæ Majestatis adsciti*, ut Spartianus loquitur in *Hadriano*. Nec moveri debemus, quod Orfitum Præfectum Urbi, Comitem ordinis primi in Consistorio legimus, & non intra Consistorium: nam qui de Consistorio discedebant, intra Consistorium Comites esse non poterant[1]: ut Orfitus, qui Constantii imperio Urbis Præfectus, ultra modum delatæ dignitatis se intulit insolenter, quo administrante seditiones concitatæ sunt graves, Ammian. Marcel. *lib.* 14. ac tandem in exsilium ille actus à Valentiniano Imperatore revocatus, patrimonii redintegratâ jacturâ, remissus est in lares, idem *lib.* 27.

Valeriani Imperatoris Consistorium Vopiscus depinxit, ex libris Acholii, qui Magister admissionum illius Principis fuit: *Cùm in arrogatione Aureliani*, inquit in *Aureliano*, *consedisset Valerianus Augustus, in Thermis apud Byzantium, præsente exercitu, præsente etiam Officio Palatino, adsidentibus Memmio Fusco Consule Ordinario, Bebio Macro Præfecto Prætorii, Quinto Ancario Præside Orientis: adsidentibus etiam à parte lævâ Anulino Saturnino Scythici limitis Duce, Murentio ad Ægyptum destinato, Julio Tryphone Orientalis limitis Duce, & Meceo Brundusino Præfecto annonæ Orientis, & Ulpio Crinito Duce Illyriciani limitis & Thraciæ, & Fulvio Bojo Duce Rhetici limitis: Valerianus Augustus dixit*; &c. Probat hic locus Consistorianos Comites consedisse: quod de iis, qui primi ordinis intra Consistorium erant, intelligendum arbitror: nam Comites in Consistorio stetisse ex Epistola 27. D. Ambrosii colligo; ille enim *ubi sedit*, ait, *in Consistorio, ingressus sum, assurrexit, ut osculum daret, ego inter Consistorianos steti.* Quare Cujacio assentiri non possum, qui ex hoc loco probare nititur Comites Consistorianos stetisse, non adsedisse[2], cùm Acholii auctoritas huic sententiæ omnino reclamet.

1 L. 2. C. T. de Primicer. & Notar. 2 Adleg. l. C. de Comitib. Consistor.

CAP.

CAP. XVIII.

De Consiliariis priorum Principum, qui Jurisconsultis præcipuè usi sunt.

JUris Civilis scientiam maximi viri professi sunt, qui & dignitatis amplissimæ apud Populum Romanum fuerunt [1]. Inter hos P. Papyrius Leges regias in unum contulit. C. Scipio Nasica, qui optimus à Senatu appellatus est. Q. Mutius, qui ad Carthaginienses missus Legatus, cùm essent duæ tesseræ positæ, una pacis, altera belli, arbitrio sibi dato utram vellet, referret Romam; utramque sustulit, & ait Carthaginienses petere debere utram mallent accipere. Sextus Ælius & frater P. Ælius maximam Juris scientiam in profitendo habuerunt. Attilius primus à Populo sapiens appellatus est. M. Cato princeps Porciæ familiæ omnium jurisperitissimus fuit. P. Mutius & Manilius Consules fuerunt. Brutus Prætorius. P. Rutilius Rufus Romæ Consul & Asiæ Proconsul fuit. Q. Tubero & ipse Consul: Alfenus Varus etiam Consul. Labeo noluit, cùm offerretur ei ab Augusto Consulatus, honorem suscipere. Atque ita Juris scientia probata est, ut turpe esset illam Patricios & Nobiles viros ignorare. Quare Cæsar Julius Jurisperitos familiarissimos habuit, atque inter hos Ofilium & Nervam, quem secuti Imperatores ceteri, qui Jurisperitos in Consilium semper assumserunt. Augustus cùm jus diceret, negotia cum Adsessoribus suis communicabat, *καὶ μετὰ τῶν συνέδρων διεσκέψατο*, Xiphil. in *Augusto*: quos Jurisperitos fuisse certum est, Comites sedendi & participes Consiliorum [2]. Hos quidem Adsessores & Consiliarios Principis Hadrianus *συνέδρους καὶ συμβούλους* appellavit, Herodian. *lib.* 6. quos Modestinus *συνκαθέδρους* [3]. Idêm Augustus sorte quindecim Senatores in Consilium adhibuit, in sex menses: postea quinto decennio, cùm Reipublicæ administrationem suscepisset, petiit à Senatu viginti Consiliarios annuos, *συμβούλους εἴκοσιν ἐτησίους ᾐτήσατο*, Xiphil. in *Augusto*. Quod à Tiberio intermissum, cùm in Insulam secessisset, Claudius morem renovavit, de Adsessoribus Principis: *τοὺς συνέδρους, ἐκλειφθὲν, ἐξ οὗ ὁ Τιβέριος ἐς τὴν νῆσον ἐξεχώρησεν, ἀνενεώσατο*, Dio *lib.* 60. Quod ad Hadriani tempora servatum est, qui, ut mos tunc erat, Senatores & Equites Romanos in Consilium vocabat, & Jurisconsultos, quos præcipuos habuit, Julium Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque, quos Senatus omnes probasset. Iste est Neratius Priscus, quem cum Aristone Trajanus Imperator ita coluit, ut ei relinquere Imperium aliquando cogitarit [4].

Antoninus Pius, qui post Proconsulatum in Consilio Hadriani diu vixerat, usus est Jurisperitis Vinidio Vero, Salvio Valente, Volusio Meciano, Vlpio Marcello, & Jaboleno, Capitolin. in *Antonino Pio*. Idem Volusius Mecianus in Consilio M. Antonini fuit, de quo exstat Imperatoris Rescriptum hoc honorificum [5]: *Volusius Mecianus amicus noster & Juris Civilis præter veterem & benè fundatam peritiam, anxiè diligens.* Idem Imperator cùm & ipso Meciano & aliis amicis Jurisperitis adhibitis pleniùs tractaret, Salvii

1 L. 2. §. juris. D. de orig. jur. 2 L. 7. C. de offic. Adsessor. 3 L. οὐ μόνον D. de excusationib. 4 L. fin. D. si quis à parent. manumiss. 5 L. Divi. D. de jur. patronat.

A Juliani, quem amicum & clarissimum virum vocat, sententiam secutus est. Usus est tamen præcipuè Cervidio Scævola, qui fuit Severi Imperatoris, & Papiniani præceptor, Capitolin. in *M. Antonino*. Et Severus Juris peritiam adeptus, ab Antonino Pio ad fisci advocationem delegatus est, cui in eadem advocatione Papinianus successit, qui & Severi & Caracallæ postea Consilii Princeps fuit, è cujus Schola præcipui Juris Auctores fluxerunt, ex quorum scriptis Pandectæ sunt compositi: atque ex his plerique in Alexandri Consilio fuerunt. Horum catalogum Lampridius ita refert

B in *Alexandro: Hoc ordine*, inquit, *Fabius Sabinus, Sabini viri insignis filius, Cato sui temporis, Domitius Ulpianus, Ælius Gordianus Gordiani Imperatoris pater, Julius Paulus, Pomponius, Alphenus, Africanus, Florentinus, Martianus, Callistratus, Hermogenes, Venulejus, Tryphonius, Mecianus, Celsus, Proculus, Modestinus.* Deinde addit: *Hi omnes Juris Professores discipuli fuerunt Papiniani, & Alexandri Imperatores familiares & socii, ut scribit Acholius & Marius Maximus.*

Corruptum locum omnes Docti observarunt, qui erroris causam non aperiunt, quam hanc su-

C spicor, quod cùm antea dixisset Auctor nullam Alexandrum Constitutionem sanxisse sine viginti Jurisperitis, hunc numerum confinxisse aliquem, qui temporum rationem ignoraret: nam viginti hîc Consiliarii numerantur. Sed non agnosco suppositos in Lampridio Sabinos. Primùm enim supponunt Sabinum Consularem virum in *Elagabalo*, ad quem Ulpianus libros scripsit, Elagabalum jussisse occidi; & cùm Centurio surdior imperari sibi crederet Urbe pellendum, salvum evasisse. Nugæ meræ: nemo enim in Jure versatus ignorat, Ulpiani libros ad Sabinum, unum & quinquaginta scriptos, ut Pauli libros sexdecim,

D Pomponii triginta quinque, interpretationes Sabini continere. Atque hunc Massurium Sabinum fuisse, qui publicè primus de jure respondit, Ulpianus ipse testatur in multis legum inscriptionibus [1]. Ex quo constat libros ad Sabinum notas esse, & explicationes librorum Massurii Sabini. Non rejicio tamen Sabinum alium ab Alexandri Consilio: nam in Fastis Consularibus offendo Aquilium Sabinum sub Caracalla secundum Consulem, quarto ipsius Imperatoris Consulatu:

Q. AQVILIVS SABINVS II. SEX. CORNELIVS P. F. ANVLLINVS.

E Quem opinor Consularem illum esse, quem Elagabalus morti destinarat.

Gordianum etiam in Consiliariorum albo retineo, qui Jurisperitus, & pater Imperatoris in Lampridio vocatur, quem ego seniorem puto illum, qui Consulatum gessit sub Alexandro: nam Consules in contubernium Imperatoriæ Majestatis adscitos monuimus, & ipse Gordianus Consularis ad Proconsulatum Africæ missus est ex Senatusconsulto, Capitolin. in *Gordiano* I. in quo Magistratu ad Imperium evectus est. Nec

F me error nominis moratur, quo Gordianus Ælius appellatur, pro quo vir magni in litteris nominis, reponendum putat *Antonius*. Scio Gordianos Antonini vel Antonii prænomen usurpasse, sed illud solùm postquam Imperium adepti sunt. Quare Seniori Gordiano sub Alexandri Imperio prænomen Antonii vel Antonini tribuere non ausim, sed malo Mæcium Gordianum legere, qui natus est ex patre Mæcio. Facilius enim fuit ex

X Mæ-

1 L. 1. de legationib.

Mæcio Ælium facere, quàm Antoninum vel Antonium, C in L commutato, & litterâ M deletâ; unde factus Ælius. Juvat suspicionem meam Mæcius Gordianus, Gordiani tertii Prætorio Præfectus, qui gentile illud nomen retinuit, Capitolin. in *Gordiano* 3. Pomponium Alfenum, qui libros Digestorum composuit à Paulo Epitomatorum; Africanum, Mæcianum, Celsum, Proculum eradendos credo, quorum nullus ad Alexandri tempora vixisse legitur. At pro Tryphonio scribendum est *Tryphoninus*, ut pro Hermogene *Hermogenianus*, à quo Antonius Augustinus Codicem Hermogenianum putat dictum fuisse librum Constitutionum ab eodem collectum: sed hanc conjecturam Hermogeniani Codicis fragmenta destruunt, in quibus solæ ferè Impp. Diocletiani & Maximiani leges referuntur. Posteriorum Principum Jurisconsultos ignoramus, ad Justinianum usque, qui tamen peritissimi fuerunt, ut Rescripta præcipuè Diocletiani testantur.

Cap. XIX.

De Majestate Principis, dignitatum omnium fonte.

Dignitatibus Magistratuum Principis Majestatem annectere incivile non est; cùm Majestas in Imperio atque in omni Principis dignitate posita sit, & Majestas nihil aliud quàm amplitudo & dignitas appelletur, Cicero lib. 2. *de Inventione.* Trebellii Pollionis locus viros perdoctos exercuit, quorum explicationem ita laudo, ut patiantur rationem meam cum illorum ratione contendere. De Valeriano Juniore Principe ait Pollio in *Gallienis: Constat de genere, non satis tamen constat de dignitate; vel, ut alii cœperunt loqui, de Majestate.* Certè quid sibi velit Pollio, facilius est conjectura quàm rei veritate assequi: hoc tamen certum est, dignitatem Principis illum pro Majestate usurpare. Num verò Majestatis nomen sub Imperatoribus, alii quàm Imperatori tributum sit, dubitari potest. Nec eorum sententiam sequor, qui de alio Magistratu, aut dignitate, quàm de principatu Majestatem dictam non putant: nec alias dignitates appellatas Majestates, Imperatorum ævo: nam Majestas, ajunt, est imperii dignitas, quæ in Principem à Populo lege Regia translata est. Ego verò dignitatem à Majestate ita differre credo, ut speciem à genere. Dignitas auctoritatem, Majestas potentiam & imperium habet [1], quæ majoribus Magistratibus communicantur, qui vices Principis gerere dicuntur. Hinc Juris Auctores, qui florente Imperio scripserunt, Majestatem Magistratuum agnoscunt, ut Paulus, qui Prætoris imperii Majestatem dixit [2]. Idem ille cùm Prætoris album corruptum esset à familia, pluraque delicta esse diceret, quæ in ceteris pro uno facto habentur, hanc rationem addidit, *quia hîc contemta Majestas Prætoris vindicatur* [3]. Ulpianus etiam Majestatis crimine eos teneri docet, quorum opera & consilio Magistratus Populi Romani, quive imperium habet, occiditur [4]. Quod & Imperatores ipsi Honorius & Arcadius comprobarunt [5]: *Qui de nece, ajunt, Illustrium, qui Consiliis & Consistorio nostro intersunt, Senatorumve cogitarit, nam & ipsi pars corporis nostri sunt, ut Majestatis reus damnetur.* Et certè Majestas Principis augetur si Magistratibus majoribus conceditur, quorum operâ & Majestatem & amplitudinem suam tuentur. Sic Majestatem Deorum ad honorem personarum trahi Paulus censet, quæ illorum sacris inserviunt, & adstringuntur [1]. Majestas ergo prima Deorum est; secunda Principum; tertia majorum Magistratuum. A Deo Opt. Max. Majestas Principum manat, *à quo*, ut Tertullianus loquitur in *Apologetico* cap. 30. *sunt secundi, post quem sunt primi, ante omnes & super omnes Deos.* Idem ille *ad Scapulam: Colimus Imperatorem, sic ut hominem à Deo secundum, & solo Deo minorem: sic omnibus major est, qui solo Deo minor est. Sed & ipse Deus major est, dum & ipsi in potestate sunt ejus.* In sacris Litteris & Magistratus, ut ipsi Principes, Dii vocantur, per similitudinem, *Psalm.* 49. & 81. utrique Deo subjecti, qui Deus Deorum est, Princeps Principum, Judex Judicum, & qui stat in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat. Principes quidem post Deum sunt primi, à quibus Magistratus sunt secundi: atque ut Deus ipse Principibus nomen suum impertivit & potestatem; sic utrumque Principes Magistratibus quodammodo communicant, & socias suas dignitates cum illis partiri videntur; quæque ut ab Oceano flumina, sic à Principe fluunt, & omnes eódem relabuntur.

Majestas verò, amplitudo, decor & dignitas Principis in eo potissimùm versatur, ut Deum maximè imitetur, quod sola præcipuè justitia & pietate assequi potest. In his virtutis est splendor maximus, & sine his, ut vetus illud dictum est, *nec Jupiter quidem potest Principem agere*: nam remotâ justitiâ, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Augustinus lib. 4. *de Civit.* cap. 4. Rectè itaque tria Principis officia Diotogenes Pythagoræ discipulus faciebat lib. *de Regno*, *imperare, judicare, Deos colere*: ἔργα τάδε βασιλέως τρία, τό, τε στρατηγεῖν, καὶ δικαςοπολεῖν, καὶ θεραπεύειν θεώς. Quapropter cùm de Dignitatibus prævium sermonem absolverimus, à quibus Augustæ Domus Officia suo quoque loco constituta sunt; jam ad ipsa officia & illorum munera progredimur: atque inter illa primum ipsius Augusti officium locamus, qui omnium Legum & Magistratuum & Dignitatum imperium, potestatem, & honorem in se continet, atque ad alienas utilitates porrigit & explicat.

Hoc primum Principis officium in jure dicendo, Legibus, & Constitutionibus, Edictis, Epistolis, Rescriptis, & Cognitionibus positum, primùm exquiremus. Hinc enim magna lux plurimis Pandectarum locis oriri potest, & Majestatis Principum commendatio, qui Jurisconsulti nomen & auctoritatem affectarunt: quod hodie à pragmaticis & ignaris ita polluitur, ut forensium rerum peritos putent solùm, qui solo rerum usu quid sciunt, & jus, in quo versantur, ignorant. Exerceant illi imperium in belluas, dum nos ignota illis jura sagaciter investigamus.

1 Cicer. lib. 2. *de Invent.* 2 L. 11. §. fin. D. de just. & jur. 3 L. si familia. D. de jurisdiction. 4 L. 1. D. ad leg. Jul. majest. 5 L. 5. C. eod.

1 L. 32. §. sacerdotio. D. de recepr. arbitr.

CAP. XX.

De Cognitionibus Principum.

DE COGNITIONIBVS Magiſtratuum quædam præmiſimus, quæ hîc repetere non eſt neceſſe: nunc de Cognitionibus Principum pleniùs agamus. Regium planè eſt de cauſis privatorum cognoſcere, illiſque jus reddere. Dido Regina apud Virgilium lib. I. *Æneid.*

——— ſolio altè ſubnixa reſedit,
Jura dabat, legeſque viris.

Sed externa & vetera exempla nobis quærenda non ſunt, cùm in jure dicendo Principes præcipuè fuerint occupati. Julius Cæſar *jus laborioſiſſimè & ſeveriſſimè dixit, in quo optimè exercitatus Principibus Patronis annumeratus eſt*, Sueton. in *Jul.* cap. 43. & 55. Auguſtus etiam jus dixit aſſiduè, & in noctem nonnunquam. Dixit autem non diligentia modò ſumma, ſed ſumma lenitate; ſi parum corpore valeret, lecticâ pro Tribunali collocatâ, Sueton. in *Auguſto* cap. 33. Tiberius non ſolùm jus dixit, ſed Magiſtratibus pro Tribunali cognoſcentibus plerumque ſe offerebat Conſiliarium, aſſidebatque miſtim vel ex adverſo, in parte primori, Sueton. in *Tiber.* cap. 33. At Caligula cùm jus illi, arbitriumque omnium rerum permiſſum eſſet, de Jureconſultis, quaſi ſcientiæ eorum omnem uſum aboliturus, ſæpe jactavit ſe effecturum, ne quid reſpondere poſſent, præter ECCVM, Sueton. in *Calig.* cap. 34. De Claudio ſuprà locuti ſumus. Notatu dignum eſt de Nerone, qui *in Juriſdictione poſtulantibus, niſi ſequenti die, ac per libellos, non temerè reſpondit*: atque in cognoſcendo morem eum tenuit, *ut continuis actionibus, ſigillatim quæque per vices ageret*, Sueton. in *Nerone* cap. 15. Sigillatim, id eſt, attentiſſimè, & magnâ diligentiâ. Continuas autem actiones intelligo, ſine intermiſſione. Malè in vulgatis legitur apud Suetonium, *continuis actionibus omiſſis*, ut ex MS. notat Torrentius. Hunc enim Nero tenuit morem, ut ſine intervallo lites expediret: cùm Magiſtratus non quovis tempore negotiis vacarent, ſed diſtinctis ſeſſionum diebus. Per vices, id eſt, viciſſim & alternatim audita utraque parte. In eoque Nero Claudio prudentior, *quo non alius*, ut ludit Seneca in *Ludo Claud. potuit citiùs diſcutere cauſas, una tantùm parte audita, ſæpe & neutra.* Omitto ceteros, ut ad M. Antoninum veniam, qui in cauſis cognoſcendis paulò longior, dum undequaque jus inveſtigaret: nam de eadem cauſa dies undecim, & ſæpe duodecim, & de noctu cognovit: καὶ ἕνδεκα πολλάκις καὶ δώδεκα ἡμέρας τὴν αὐτὴν δίκην, καί περ νυκτὸς, ἐςὶν ὅτε δικάζων, Xiphil. in *Antonino*. Meritò Ariſtides Imperatorem vocat *magnum Judicem*, Δικαςὴν μέγαν, in Orat. *de laudibus æternæ Vrbis.* Nullum enim Principis munus præſtantius eſt, quàm jura reddere; cùm Principes, ex pagina ſacra, Judicibus ſucceſſerint: *Et bonus Princeps*, ait Themiſtius in *Orat. ad Valent. Imperatoris nomen reſpuit, & Judicis amplectitur; quia illud potentiæ, hoc verò ſapientiæ vocabulum eſt*: Οὕτω γοῦν Βασιλέως ἐπωνυμίαν ἀπαξιοῖ, τὴν δὲ τȣ͂ Δικαςιςοῦ ἀγαπᾷ, ὡς ἐκεῖνο δυνάμεως προαίρημα, τὸ δὲ σοφίας.

Quid ergo? An Principem Magiſtratum dicemus? ne hoc quidem ſi Tiberio credimus, apud Tacitum 3. *Annal. Non Ædilis*, ait, *aut Prætoris, aut Conſulis partes ſuſtineo; majus aliquid & celſius à Principe poſtulatur. Attamen Hadria-*
A *nus in Hetruria Præturam Imperator egit: per Latina oppida Dictator & Ædilis & Duûmvir fuit: apud Neapolim Demarchus: in patria ſua Quinquennalis: item Hadriæ Quinquennalis, quaſi in aliena patria, & Athenis Archon fuit*, Spartianus in *Hadriano.*

Nos Magiſtratum Magiſtratuum Principem dicemus, cùm Judex ſit, & juri dicendo præſit, edicat, & decernat. In eo tamen Judicium Principis differt à Magiſtratus Judicio, quòd Magiſtratus legibus adſtrictus illarum juſſa exſequitur: at quod Imperator cognoſcens decrevit, vel per Epiſtolam conſtituit, & ſubſcriptionem ſtatuit,
B vel de plano interlocutus eſt, vel edicto præcepit, lex eſt[1].

Nos primùm de Cognitionibus Principis tractemus, quæ ad illius decreta referuntur, cùm cauſâ utrimque peroratâ ex Conſilii ſententia pronuntiat. Libri ſunt Pauli Sententiarum, ſeu Decretorum in Cognitionibus prolatorum, quorum in Pandectis fragmenta reſtant, quæque omnia ſunt Severi & Antonini. An verò iidem ſint Decretorum & Imperialium Sententiarum libri, poſtea viderimus. Theophilus *Inſtit. de jur. nat. gent. & civil.* Decretum Principis vocat ἀπόφασιν, & ſententiam ab illo pronuntiatam, inter duas par-
C tes, de quarum ipſe cauſa cognoſcit & judicat, Βασιλέως μεταξὺ δύο μερῶν παρ' αὐτȣ͂ δικαζομένων, ἐκφερομένην. Dicitur etiam Decretum, Cognitio & Sententia Magiſtratus: ſed in hoc differt à Principe, ut idem Theophilus notat, quòd Principis Decretum, & eam ipſam, & aliam ſimilem cauſam quocumque tempore exactam dirimit: Magiſtratus autem Decretum eam tantùm de qua agitur, ac ne interdum eam quidem, ſi appellatio interceſſerit. Cognitio autem διάγνωσις, Decretum ψήφισμα & ψηφίζεσθαι, Judex dicitur cùm ſententiam profert. Sic Cognitio à Decreto, ut cauſa ab effectu, diſtinguitur. Rectè igitur docuit
D Paulus[2], *Adſeſſorum officium in his ferè cauſis conſtare, in Cognitionibus, Poſtulationibus, Libellis, Edictis, Decretis, Epiſtolis.* Cauſæ propriè cognoſci dicuntur, cùm pro Tribunali finiuntur: nam cauſæ cognitio Tribunal deſiderat[3]. Hinc Suetonius in *Claudio* cap. 46. *In ultima*, inquit, *Cognitione pro Tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis ſemel atque iterum pronuntiavit, quaſi ore proprio & ſeipſo Judice morti addixerit.* Inde Cognitionales ſententiæ[4] dictæ, quas Imperator Juſtinianus ſic explicat[5]. „Si Imperialis Majeſtas, „*ait*, cauſam Cognitionaliter examinarit, &
E „utriſque partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit: omnes omnino Judices, qui ſub „noſtro Imperio ſunt, ſciant hanc eſſe legem non „ſolùm illi cauſæ, pro qua producta eſt, ſed „omnibus ſimilibus. Quid enim, inquit, majus „eſt? quid ſanctius Imperiali Majeſtate? vel quis „tanto ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, ut regalem „ſenſum contemnat? cùm & veteris Juris conditores, Conſtitutiones quæ ex Imperiali Decreto „proceſſerint, legis vim obtinere apertè dilucidé- „que definiant?

Cognitiones autem Principum in cauſa capitis
F ſolemniores fuêre. Nos antequam earum exempla proferamus, veterem Conſulum Cognitionem, illamque ſingularem afferimus, quæ aliis fortè lucis aliquid afferre poſſit. Hanc ex M. Tullio mutuamur: ille in *Bruto*: *Memoriâ teneo, me ex P. Rutilio audiſſe, cùm diceret ex Senatuſconſulto, P. Scipionem, & D. Brutum Coſſ. de re*

1 L. I. D. de conſtitutionib. Princip. 2 L. I. D. de offic. Adſeſſor. 3 L. 2. §. dicit. D. quis ord. in bon. poſſeſſ. ſervet. 4 Novel. Theod. & Val. 6. 5 L. fin. C. de legib.

atroci magnaque convenisse. Nam cùm in sylva cædes facta esset, decrevisse Senatum, ut de ea re cognoscerent, & statuerent Consules. Causam pro Publicanis accuratè dixit Lælius: Consules re audita, ampliùs de Consilii sententia pronuntiarunt. Paucis interpositis diebus, iterum Lælium multa diligentiùs meliùsque dixisse: iterumque eodem modo rem à Consulibus prolatam esse. Et paulò pòst: *Et cùm Cognitionis dies esset, rei, omnibus approbantibus, illa die, quæstione liberati.*

Et quoniam Cognitiones Tribunal desiderare diximus; hoc ita intelligendum est, ut Tribunal accipiatur pro loco omni, in quo ad decernendum Princeps cum Consilio consisteret: nam Imperatoris Tribunal Cognitio vocatur, Plin. *lib.* 10. *epist.* 97. Erat etiam Auditorium Principis, in quo causas judicaret, quod à Tribunali diversum fuit. Solebat Princeps propriè in Auditorio judicare, ut pro Tribunali cognoscere, & in utroque decernere; quod à nemine huc usque observatum est. Hanc ego differentiam ab Vlpiano didici, qui M. Antoninum ex Scævolæ sententia de fideicommissi specie in Auditorio judicasse refert[1]. Et Tryphoninus Alexandri Consiliarius in re dotali in Auditorio sententiam se dixisse testatur[2]. In Auditorio etiam Relationes Judicum, Suggestiones & Consultationes introducto negotio expendebantur[3]; ut pleræque causæ, quæ ordinarii juris essent, in illo finiebantur[4]. In iis enim neque partium, neque Advocatorum præsentia necessaria fuit, neque in iis quæ in Auditorio Princeps de plano interloquebatur. Sic Claudius ad Herculem jus dicebat, totis diebus, mense Julio, & Augusto, Seneca in *Ludo*. Hadrianus in Palatio, foro, Pantheo, qui sæpe etiam in his locis pro Tribunali, (Xiphil. in *ejusd. Vita*) καὶ ἐδίκαζε τότε μὲν ἐν τῷ Παλατίῳ, τότε δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ, τῷ τε Πανθείῳ, καὶ ἄλλοθι, πολλαχόθι ἀπὸ βήματος. Tribunal βῆμα, Auditorium ἀκροαστήριον. Sic Domitianus *jus diligenter dixisse* fertur, *& plerumque in foro, pro Tribunali, ambitiosas Centumvirorum sententias rescidisse*, Sueton. in *Domitiano* cap. 8. *Plerumque* dixit, quia non semper & extra ordinem, ut Cognitionem denotet, in qua etiam de re pecuniaria disceptatur, si res magni momenti sit, & Tribunal postulet.

Hanc Tribunalis & Auditorii differentiam firmare possum uno exemplo, ex Capitonis insolentia petito, qui cùm fortè ab eo jus dicente reus quidam provocasset, statim in sellam excelsiorem transiliit, atque dixit; Age, dic causam apud Cæsarem: eumque causâ cognitâ capite damnavit, Xiphil. in *Galba*: Ὁ Καπίτων ἐφέντος τινὸς, ἀπ' αὐτοῦ ποτὲ δικάζοντος, μετεπήδησέ τε ἐπὶ δίφρον ὑψηλὸν, καὶ ἔφη· λέγε τὴν δίκην παρὰ τῷ Καίσαρι, διαγνούς τε ἀπέκτεινεν αὐτόν.

Tribunal Imperatoris sibi finxit Capito, avaritia & libidine fœdus ac maculosus, ut innocentem capite perderet; quod & ipse postea capite luit, Tacit. 1. *Histor.* Hæc quidem Cognitionis & Auditorii verba à probatis Auctoribus, non tamen à Juris Interpretibus confunduntur.

1 L. mulier. 22. D. ad Trebellian. 2 L. 81. §. si fundus. D. de jur. dotal. 3 L. 2. C. de legib. 4 L. minor, §. denique. D. de minorib.

CAP. XXI.

De iis, quæ Principis Consistorio servantur, & de sententiis in Cognitionibus prolatis.

Consistorium Principis Tribunal & Auditorium complectitur: quod tamen ab utroque quandoque separatur, quantùm ad acta quæ intra Consistorium peragebantur. Nunc de Tribunali videamus, & quis ordo Judiciorum fuerit in Cognitionibus disquiramus. Juvat nos Consulum Cognitio, quam ex M. Tullio retulimus: sed Plinii hac de re Epistola hunc ordinem ob oculos ponit: „Evocatus, *inquit lib.* 6. *epist.* 31. à Cæsare nostro ad Centumcellas, hoc nomine longè maximam cepi voluptatem. Quid enim jucundius, quàm Principis justitiam, gravitatem, comitatem in secessu quoque, ubi hæc maximè recluduntur, suspicere? Fuerunt variæ cognitiones: dixit causam Claudius Ariston Princeps Ephesiorum homo munificus, & innoxiè popularis. Inde invidia, & ab dissimillimis delator immissus. Itaque absolutus, vindicatusque est. Secunda die, audita est Gilita adulterii rea. Nupta hæc Tribuno Militum honores petituro, & suam & mariti dignitatem, Centurionis amore maculaverat. Maritus legato Consulari; ille Cæsari scripserat: Cæsar excussis probationibus Centurionem exauctoravit, atque etiam relegavit. Supererat crimini, quod nisi durum esse non poterat, reliqua pars ultionis. Sed maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris retardabat: quam quidem etiam post delatum adulterium, domi habuerat; quasi contentus æmulum removisse: admonitus ut perageret accusationem, peregit invitus: sed illam damnari etiam invito accusatore necesse erat. Damnata, & Juliæ legis pœnis relicta est. Cæsar & nomen Centurionis & commemorationem disciplinæ militaris sententiæ adjecit, ne omnes hujusmodi causas ad se revocare videretur. Tertia die, inducta est Cognitio multis sermonibus & vario rumore jactata, de Julii Tyronis codicillis, quos ex parte veros esse constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebatur crimini Sempronius Senecio Eques Romanus, & Eurythinus Cæsaris Libertus & Procurator. Hæredes, cùm Cæsar esset in Dacia, communiter Epistolâ scriptâ petierant, ut susciperet Cognitionem: susceperat: reversus diem dixerat: & cùm ex hæredibus quidam, quasi reverentiâ Eurythini remitteret accusationem, pulcherrimè dixerat: nec ille Polycletus, nec ego Nero. Indulserat tamen petentibus dilationem, cujus tempore exacto consederat auditurus. A parte hæredum intraverunt duo omnino, postularunt ut omnes hæredes agere cogerentur, cùm detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur. Locutus est Cæsar summa gravitate, summa moderatione; cúmque Advocatus Senecionis & Eurythini dixisset, suspicionibus relinqui reos nisi audirentur: Non curo, inquit, an isti suspicionibus relinquantur, ego relinquor. Deinde conversus ad nos, ἐπίστασθε quid facere debeamus: isti enim queri volunt quòd sibi licuerit non accusare: tum ex consilii sententia jussit denuntiari hæredibus omnibus, aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi; alioqui se vel de calumnia pronuntiaturum. Vides quàm honesti, quàm severi dies, quàm jucundissimæ remissiones sequebantur. Summo die abeuntibus nobis xenia sunt missa. Ex his no-

tamus adulterii crimen ad Cognitionem Principis non semper pertinere, licèt de illo sæpe Cognitionem susceperit. Nam Claudius Gorgonius vir Clarissimus, uxorem accusans, detectus est eam in adulterio deprehensam retinuisse, etiam sine accusatione, lenocinii damnatus est ab Imperatore Severo. Etenim qui patitur uxorem suam delinquere, matrimonium contemnit; quique ex contaminatione non indignatur, pœna adulterii in eum infligitur [1]. Notamus præterea dilationes datas ex Trajani benignitate. Nam quamvis interdum ex justis causis, & ex certis personis standæ sint Cognitiones & dilationes dandæ à Judicibus [2]; tamen in Consistorio Principis, dilationes nullæ dari solent, vel dierum prolationes, quia imparati ad Cognitionem Principis, necdum benè instituti, non admittuntur [3]. Hinc etiam liquet, in causis quibusdam, *ab Imperatore Cognitionem impetrari*, ut Julianus loquitur [4], quod est impetrato Rescripto, aliquem in Aulam evocare. Quod lenitatis Imperatoriæ indicium Constantinus vocat, & viduis, pupillis, atque fortunæ injuriâ miserabilibus, ab ipso indultum est, ut possint Cognitionem Principis obtinere, cùm alterius potentiam perhorrescant, & adversarios cogere, ut Principi sui copiam facerent [5]. Atque illi quidem evocare possunt, non evocari.

Consistorio item Principis reservantur Illustres, si deliquerint, & post depositam administrationem accusentur. Princeps enim illorum Judex est [6].

In aliis causis, Princeps, si illi supplicaretur, & res esset majoris momenti, Cognitionem retinebat: ut Paulus refert Imperialium Sententiarum in Cognitionibus prolatarum ex libris sex libro primo, seu Decretorum libro secundo [7]. Ex qua inscriptione, videri potest, alios fuisse Pauli Cognitionum Imperialium libros, alios Decretorum. Nec me in suam sententiam Cujacius trahit, quam maximè amplecti soleo; cuique plurimùm, imò vel totum debeo: nam contra Florentinorum fidem emendandum putat, seu Decretorum libro primo; ut Cognitionum libri, & Decretorum iidem sint, nec distinguendi. Sed alia decreta fuere in Cognitionibus prolata, pro Tribunali; alia in Auditorio. Hinc Paulus libros Decretorum laudat sæpe, nulla facta de Cognitionibus mentione [8]. Decreta enim dicuntur & Rescripta Principum ad Consultationes: & multæ leges ex tribus Pauli Decretorum libris digestæ sunt à Triboniano: quatuorque tantùm ab eo, excerptæ ex libris Sententiarum in Cognitionibus prolatarum. Decreta & Cognitiones, esse Imperiales sententias non nego: sed Cognitionum decreta palam & publicè, in solemnibus actionibus prolata: ut in causis capitis, & status, aliisque gravioribus, quæ Tribunal desiderant. Decreta vel in Auditorio, vel in Consistorio peracta, & à Paulo relata, quæ XXIII. Pandectarum legibus continentur, nullam habent partium actionem, sed quæstiones plerumque à Jurisconsultis in Consistorio agitatas. At Cognitiones litis contestatione varias partium & Advocatorum rationes breviter demonstrant, ut ex Pauli libro primo Sententiarum in Cognitionibus prolatarum clarum est [9]. Nam cùm appellatum esset à Proconsule Achaïæ, postquam solus Phœbus egisset, μονομέρως victus est, sola

1 L. 2. §. lenocinii, & §. unde. D. ad leg. Jul. de adulter. 2 L. interdum. D. de judiciis. 3 L. 5. C. de dilationib. 4 L. minor. D. de evictionib. 5 L. 1. C. quando Imp. int. pupill. vel vid. 6 L. fin. C. ubi Senator. vel Clariss. 7 L. fin. D. de hæred. instit. 8 Inscriptio l. Æmilius. D. de minorib. & l. 47. 48. 50. D. de jur. fisc. 9 L. fin. D. de condit. & demonstrat.

A juris ratione, alteraque parte inaudita. In qua Cognitione actio ejus, qui appellavit, descripta est. Secunda lex Pauli desumta ex libro singulari de Cognitionibus [1], quæ ad sententias Magistratuum refertur, ut legis verba comprobant. Tertia Rescriptum continet, non decretum [2]. Quarta autem ad liberalem causam spectat [3], & status quæstio, quæ à Procuratore Cæsaris movebatur, ad Principis Cognitionem translata est. Hæc fortè nimis accuratè quæsita; sed nihil prætermittendum puto, cujus ignoratio in errorem nos inducere possit; nec inanis labor est Auditorium à Tribunali, Decreta à Cognitionibus separasse.

B Ad sententiarum in Cognitionibus prolatarum exempla progredior, primumque adfero ex Marcelli libro vicesimo nono Digestorum: „Proximè, *inquit* [4], in Cognitione Principis, cùm quidam hæredum nomina induxisset, & bona ejus „ut caduca à fisco vindicarentur, diu de legatis „dubitatum est. Sed in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est quàm „tutius. Sententia Imperatoris Antonini Augusti „Pudente & Pollione Coss. cùm Valerius Nepos „mutata voluntate, & inciderit testamentum „suum, & hæredum nomina induxerit; hæredi- C „tas ejus, secundùm patris mei constitutionem, „ad eos qui scripti fuerint, pertinere non videtur. Et Advocatus fisci dixit; Vos habetis Ju„dices vestros: Vivius Zeno dixit: Rogo, Do„mine Imperator, audias me patienter, de legatis „quid statuas. Cornelius Priscianus advocatus „Leonis dixit: Nomina hæredum tantùm indu„xit. Calphurnius Longinus Advocatus fisci di„xit: non potest ullum testamentum valere, „quod hæredem non habet. Priscianus dixit: „manumisit quosdam, & legata dedit. Antoni„nus Cæsar remotis omnibus, cùm deliberasset, „& admitti rursus eodem jussisset, dixit: causa D „præsens admittere videtur humaniorem interpre„tationem: ut ea duntaxat existimemus, Nepo„tem irrita esse voluisse, quæ induxit. Nomen „servi, quem liberum esse jusserat, induxit. An„toninus rescripsit liberum eum nihilominus fore; „quòd videlicet favore constituit libertatis.

CAP. XXII.

Exempla alia Imperialium sententiarum; & de Cognitionibus Christianorum.

E HÆc Antonini sententia usui nostro forensi valde proxima est: solent enim Actuarii in Curiæ placitis Advocatorum actiones tribus verbis concludere, atque ita concipere. Postquam Titius pro Actore, Mævius pro Reo, Sempronius pro fisci Procuratore dixerunt: placuit, &c. Sic concisa à Marcello est omnis Advocatorum actio, & Antonini Caracallæ ex Papiniani Consilio sententia nuda relata est, quæ cùm solo nomine tanti viri fulcitur, omnem omnino rationem complectitur. In ea advertendum est, fisci patronum in Principis Consistorio, si de re Cæsaris F ageretur, causam sustinuisse: ut in hac facti specie, in qua bona, ut caduca, à fisco vindicabantur: cùm Antoninus pronuntiasset, *mutata voluntate testatoris, qui nomina hæredum induxerat, ad eos qui scripti essent, non pertinere.* Advocatus fisci dixit, ut causam dicendi legatariis eriperet; vos habetis Judices vestros: hisque verbis Cæsarem vacantem hæreditatem pronuntiasse significavit:

 nam

1 L. fin. D. de tutorib. 2 D. l. fin. D. de condit. & demonstr. 3 L. 10. D. de manumissionib. 4 L. proximè D. de his quæ in testament. delent.

nam bonorum vacantium cura pertinet ad Comitem rerum privatarum, qui per Scholam Palatinorum ſuorum urgere debet Præſides, ut eà diligenter inquirant & deſcribant; præſente Patrono fiſci; quo peracto auctoritate Comitis incorporatio fiebat[1]. Caduca bona ſunt, ex Vlpiano[2], quæ jure relicta capaci, aliqua ex cauſa, poſt mortem teſtatoris, ab eo cadunt in fiſcum. Quare inducta hæredum ſcriptorum nomina, caduca non faciunt bona, ſed vacantia; quibus poſt mortem nullus ab inteſtato hæres, aut ſucceſſor exſiſtit; ſed cùm hæc fiſco legibus deferuntur, caduca dicuntur, quòd in leges caducarias ceciderint, & ex ipſius Antonini Conſtitutione fiſco vindicarentur[3]. Et quoniam caduca cum ſuo onere tranſeunt, ideo libertates, & legata, & fideicommiſſa ſalva ſunt. Quare poſt ſententiam interpellatus Imperator de legatis, humaniorem interpretationem ſecutus eſt, vacantiaque bona quaſi ad caducorum legem redegit, atque libertates & legata confirmavit. Deinde in exſecutione judicati, non eodem momento, ſed ex intervallo, cùm à Procuratore vel Comite privatorum conſuleretur, de libertate ſervi, cujus nomen erat inductum: ne ſtatus quæſtionem finitam iterum moverent, favore libertatis nihil immutavit. Nos qui in foro verſique litibus verſati ſumus, ſtudioſorum favore hanc noſtram interpretationem attulimus, ut quæ minùs trita ſunt, pleniùs intelligantur.

Exſtat Decretum M. Antonini non abſimile, quod libro quinto Calliſtrati de Cognitionibus, relatum duobus locis, in hæc verba[4]: *Optimum eſt, ſi quas putas te habere petitiones, actionibus experiri; non in rem debitoris intrare, nullo concedente. Et cùm Martianus inde diceret, Vim nullam feci: Cæſar dixit; Tu vim putas, ſi ſolùm homines vulnerentur: vis eſt & tunc quoties quis quod deberi ſibi putat, non per Judicem repoſcit; & cùm ſibi jus in eam rem dixerit, jus crediti non habebit.* Atque hæc de decretis & cauſis levioribus, quæ in Auditorio tractabantur.

Cognitiones pro Tribunali & ad publica judicia, ut ſæpe diximus, aut nobiliores de re pecuniaria controverſias trahebantur. Quod de Chriſtianis cognitiones habitæ demonſtrant. Conſuluit Plinius Trajanum: *Cognitionibus*, inquit *lib.* 10. *epiſt.* 100. *de Chriſtianis interfui nunquam, ideo neſcio quid & quatenus aut puniri ſoleant, aut quæri.* Imperatorum enim ſævitia in Chriſtianos maxima fuit, quos & ipſi damnabant, & variis ſuppliciis eorum plerumque intererant: unum aut alterum exemplum ex pluribus lubens ſubjicio, ex quibus publicorum Judiciorum ordo dignoſcitur. Martyres Chriſti, Patronorum auxilio deſtituti, ſuas ipſi cauſas egerunt. Aurelianus Imperator, immaniſſimus Chriſtiani nominis hoſtis, de partibus urbis Senonicæ Tricaſſim Gallorum oppidum venit, & cùm audiſſet Patrocli vitæ rationem, illumque ad ſe accerſi juſſiſſet; „Audivi, *inquit*, te per „ignorantiam falli: nihil reſpondit Patroclus. Au„relianus dixit: Cujus nominis, cujuſve Religio„nis es? Ille reſpondit: Patroclus vocor, & „Chriſtianus ſum. Aurelianus dixit: Inepta ſunt „& vana quæ loqueris; diſputa & proba eſſe ve„ra quæ dicis. Patroclus reſpondit: Vera quidem „& probabilia ſunt quæ oſtendo; ſed quia men„dacium invaluit, veritas odium parit, hanc tu „niſi credideris, nunquam intelliges. Aurelianus „non ferens diutiùs conſtantiam loquentis, ſic eru„pit in vocem: Statis & miniſtratis? adhibete „catenas ignitas & compedes, ut vinctis poſt ter„gum manibus, mittatur rebellis in cuſtodiam, „donec pertractem quomodo eum ad ſui ſimilium „exemplum perdam. Multis poſtea & aliis ſer„monibus tranſactis, Aurelianus talem dedit ſen„tentiam: Patroclus obnoxius & deteſtabilis & „reus Majeſtatis, qui nobis confuſionem intulit, „& Deos noſtros injurioſè fœdavit, gladio feria„tur, ut verboſitatis ejus nequitia conquieſcat. „Ducite jam illum in locum limoſum & palu„ſtrem, ibique eum decollatum dimittite, ne ſal„tem corpus ejus in arido conquieſcat, Surius ex veteri MS. *tom.* 1. 22. Januar.

„Licinio imperante Hermylus & Stratonicus „oblati ſunt, quos dum Princeps interrogaſſet, „non tulit eorum dicendi libertatem: ſed ſtatim „quibuſdam inſtrumentis æneis ad ſumendum ſup„plicium confectis, jubet genas quidem verbera„ri, & Præconem hæc proclamare: Ne ſis linguâ „nimium profuſus, ô Hermyle: honora Impera„torem, Diis ſacrifica, & libera te à ſupplicio. „Poſtquam viſum eſt Imperatori ſufficere ſuppli„cium, tradidit eum tres dies carceri, & tres dies „juſſit in eo manere. Poſt diem tertium, Tribu„nal adſcendit Licinius, adducto Hermylo: Num „modò, inquit, ſtatuiſti Diis ſacrificare, & ab „imminentibus periculis miniſque liberari? Ad „hæc fortiter Chriſti miles: Semel dixi tibi, ô „Imperator, & oportet contentum prioribus, de „iiſdem non monere ampliùs: eſt enim mihi Deus „in cælo, cui ſoli vivo. Hic iterum in carcerem „truſus ſequenti die, cùm procedendum eſſe ſi„gnificaſſet Licinius, & præſediſſet pro Tribuna„li, proclamari juſſit per Præconem, ut ducere„tur Hermylus. Tum Licinius: Reſponde, & „dic apertè; Diiſne ſacrificabis, & nobis cedes „ſic imperantibus? Habes, inquit Hermylus, „reſponſa, ô Imperator. Licinius jubet eum por„rectum ſupinum virgis triangulis verberari. Et „erat quidem hoc grave tormentum, & corpori„bus humanis minimè tolerandum. Anguli enim „virgarum, non ſecus ac quidam enſes, carnes ve„hementer tangebant. Cùm autem eſſet dies, ad„ductum Hermylum rurſus interrogavit Licinius, „an Diis ſacrificaret? ille autem; Eadem quæ „priùs, ô Imperator, do tibi nunc reſponſa: quam„obrem ure, puni, ſcinde. Hæc cùm audiſſet „Imperator & deſperaſſet Hermylum in aliam tra„ducere ſententiam, eum damnat, ut in Iſtro flu„vio intereat, Surius ex Metaphraſt. *tom.* 1. 13. Januar.

Refertæ ſunt his Cognitionibus Martyrum vitæ, ex quibus duo exempla protuliſſe ſat eſt, ad Judiciorum publicorum ordinem demonſtrandum. Nam Martyrum aliorum ſupplicia eâdem ferè formâ deſcripta ſunt. In his duobus omnia intellectu facilia: hoc tamen unum non omitto, quòd Imperator *procedendum ſignificavit*, quod eſt, Seſſionis diem edicto conſtituit, vel pronuntiavit ſolito & recepto more[1]. Præconis voce, ut in Palatio Pariſienſi Primicerius Apparitorum, ad fores Auditorii cauſarum Provincialium dies ſolet denuntiare, & Seſſionum quæ extra ordinem fiunt. Eo ſenſu ſignificationes Comitiorum & Concionum à M. Tullio dicuntur, Orat. *pro Sextio.* Sed in Cognitionibus, *ſignificare* alia ratione dixit Paulus[2], libro ſingulari de Cognitionibus. Ille enim: *Qui in Collegio Piſtorum ſunt, à tutelis excuſantur; idque Imperator noſter Antoninus cum Divo patre ſignificavit.* Hoc loco ſignificare non eſt judicare aut decernere, ſed apertè oſtendere[3], & voluntatem ſuam nutu, aut alio modo declarare.

CAP.

1 L. 5. C. de bon. vacantib. 2 lib. Regular. tit. 19. 3 Vlpian. eod. & l. licet. D. de leg. 1. 4 Exſtat D. quod met. cauſ. l. creditores, D. ad leg. Jul. de vi privat.

1 L. edicto. D. de jur. fiſc. 2 L. fin. D. de excuſationib. 3 Cicer. lib. 2. in Verrem.

CAP. XXIII.

De Cognitionibus Principis per Appellationem & Relationem.

RES à majore Judicio ad Principis Cognitionem transferuntur duobus modis, Appellatione & Relatione. Relatio fit à Judicibus, Appellatio à partibus. Ad Relationem datur Consultatio vel Rescriptum, ad Appellationem Decretum. Adversùs Rescriptum & Consultationem, appellandi jus superest, si in consulendo Judex mentitus sit. Hoc enim casu ex Antonini Pii Rescripto licet appellare; aliter enim à Consultatione Judicis non est appellandum; si fortè interlocutus sit Principem se consulturum, cùm possit post Rescriptum provocari[1].

Provocationes verò ad Principem fiebant, & à Consulibus, & ab Urbis Præfecto, Præfecto Annonæ, quandoque à Senatu, atque etiam à Proconsulibus, Præfecto Augustali, Comitibus, & iis qui vice Præfectorum cognoscunt, sive ex delegatione, sive ex ordine judicaverint[2]. Appellationibus à Consule factis, M. Antoninus Senatum judicem dedit[3]. A Senatu Appellationes receptæ sunt, usque ad Hadriani tempora, cujus oratione effectum est, ut appellari non posset à Senatu ad Principem[4]. Sed in multa rerum perturbatione, Senatus auctoritas neglecta, quam sub Tacito Imperatore recepit, Vopisc. in *Tacito*. Illam ergo amiserat, si recepit. Unus Caligula, Imperatorum portentum, Magistratibus liberam Jurisdictionem sine Appellatione concessit, Sueton. in *Caligula* cap. 16. Porrò à sententia Judicum, sive prolusoria, sive interlocutoria, aut definitivo Judicio, licet appellare ad Principem. *Prolusorium judicium* vocat Ulpianus, quod nos præparatorium diceremus[5]; quales sunt divinationes, in quibus non de facto quæritur, sed de futuro, quæ à M. Tullio prælusiones vocantur in *Divinatione*: *Si mecum*, ait, *in hac prælusione nihil feceris, quem te in ipsa pugna, cum acerrimo adversario, fore putemus?* Et Plinius Junior *lib.* 6. *ep.* 13. *Tu æstima quantum nos in ipsa pugna prælii & certaminis maneat, cujus quasi prælusio atque præcursio has contentiones excitavit.*

Sed quod illud est prolusorium judicium, seu prælusorium, quo agitur adversùs testamentum, quod ab Ulpiano memoratur? an querelam inofficiosi dicemus, cum Accursio, quæ principaliter causam doloris agit & notæ, quam filio immerito per exhæredationem inflixit pater potiùs, quàm pecuniæ, id est, hæreditatis, petitio? Nam in querela hoc agitur, quasi non sanæ mentis testator fuerit, aut non ex officio pietatis testamentum fecerit. Quod ita verum puto, si controversia cœpta sit vel præparata, & legatarii intervenerint, ne per hæredum collusionem aliquid in necem eorum judicetur. Nam appellare legatariis permittitur à prolusorio judicio, quòd in eo qui de inofficioso agit, non facilè perspicitur, quia querela à petitione hæreditatis non separatur[6].

Aliud prolusorii judicii exemplum nobile habemus in *Apostolorum Actis* cap. 25. Nam cùm D. Paulus accusaretur, & Festus vellet gratiam præstare Judæis, dixit Paulo: *Vis Hierosolymam adscendere, & ibi de his judicari apud me? Dixit Paulus; Ad Tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet* A *judicari: Deinde, Cæsarem appello.* Ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρός ἑστώς εἰμι, οὗ με δεῖ κρίνεσθαι. Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. Tunc Festus cum Consilio collocutus: *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Et servatus est Paulus Cæsaris Cognitioni*, εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν.

1 L. 1. D. de appellationib. 2 L. 19. C. de appellationib. 3 Capitolin. in *M. Antonino*. 4 L. 1. §. 1. D. à quib. appellar. non licet. 5 L. si prolusorio. D. de testament. 6 L. qui de inofficioso. D. de inoffic. testament.

Venio ad Imperatorum Decreta quædam in Appellationum causis. *Non putabam*, inquit Marcellus[1], *diem fideicommissi venisse, cùm* XV. *annum ingressus fuisset is cui erat relictum, cùm ad* XVI. *annum pervenisset: & ita Imperator Aurelius Antoninus ad Appellationem ex Germania judicavit.* B Paulus lib. 2. Decretorum[2]: „Ofidius quidam, „instituta filia hærede, Actori suo Antiocho prædia certa, & peculium & reliqua relegaverat, tàm „sua, quàm colonorum. Legatarius proferebat „manu patrisfamiliæ reliquatum, & tàm suo, „quàm colonorum nomine. Item in eadem scriptura adjectum in hunc modum. Item quorum „rationem reddere debeat, scilicet quæ in condito „habuerat pater familiæ frumenti, vini, & ceterarum rerum; quæ & ipsa libertus petebat, & „ex reliquis esse dicebat, & apud Præsidem obtinuerat. Ex diverso cùm diceretur, reliqua colonorum ab eo non peti, nec propria: diversam C „autem causam esse eorum, quæ in condito essent: „Imperator interrogavit partem legatarii; quærendi causâ; Pone, inquit, in condito centies „aureorum esse, quæ in usum sumi solerent: diceres totum quod esset relictum in arca, deberi? „Et placuit rectè appellasse.

Nihil leviter in libris nostris prætereundum est, sed diligenter attendenda verborum proprietas, maximè in formulis & ordine judiciorum. Ut in foro nostro, exempli causâ, ineptè quis in appellatione *ab abusu* diceret malè judicatum, cùm *abusivè* dici debeat. Jurisconsultorum verba perpendenda sunt, si illorum mentem assequi velimus. D Quare formam istam pronuntiandi, vel respondendi, PLACUIT, placet altiùs investigare. Placita sunt quæ post multas varietates aliquando stabilita sunt[3]. In appellationibus pronuntiari solebat justè vel injustè pronuntiatum[4]. Quòd si in iis Principi quid placeret: illud significat, Principis arbitrio, & benigniori interpretatione ex bono & æquo rem esse decisam: nec Principem eorum sententiam secutum, quæ minus æqua ex juris rigore videretur. Quod ex eleganti Virgilii loco confirmatur lib. 1. *Æneïd.*

> ——— *quin aspera Juno*
> E *Consilium in melius referet, mecumque fovebit*
> *Romanos rerum dominos gentemque togatam.*
> *Sic placitum.*

Observo tamen hoc verbum, *Placuit*, in Imperatorum Decretis, maximè in voluntatum quæstionibus, usurpatum, quæ juris stricti non sunt, sed pendent ex arbitrio judicantis[5]. Nam omnis voluntatis quæstio, in æstimatione Judicis est[6], etiamsi juris subtilitas reluctari videatur[7]: quia testatorum voluntates ex bono & æquo interpretationem capiunt[8]. Quare in hujusmodi contro- F versiis, Principes usi sunt verbo, PLACUIT, ut ex variis illorum Decretis colligitur; quorum alterum hoc adfero: *Cùm quidam Celsus ancillam, quam pignori obligaverat, dimisso creditore, per fideicommissum manumitti voluisset: & hæredibus creditorum*

1 L. non putabam, D. de condit. & demonstrat. 2 Ofidius. D. de leg. 3. 3 L. si Titio. D. de leg. 2. 4 L. furti. §. 1. D. de his qui not. infam. 5 L. 14. C. de donat. int. vir. & uxor. 6 L. 7. C. de fideicommissis. 7 L. filio. D. de injust. rupt. testam. 8 L. in iis quæ. D. de condit. & demonstrat.

ditorem non liberantibus, infantes qui postea erant editi, venissent à creditore: Imperator noster rescripsit secundum ea quæ Divo Pio placuerant, ne pueri ingenuitate destinata fraudarentur, pretio emtori restituto, proinde eos ingenuos fore, ac si mater eorum suo tempore manumissa fuisset[1]. Sic & M. Tullius in *Bruto* loquitur, *Ex æquo & bono, testamentorum sententias voluntatesque Imperator tutatus est.* Omitto cetera, quæ in libris nostris occurrunt plurima, in quibus scio verbum istud, PLACVIT, extendi etiam ad ea quæ extra testamentorum causas à mera Principis voluntate proficiscuntur, & quæ ex æquo & bono terminantur. Placuit, *δοκεῖ*, veteribus Glossis, unde placita Senatus Galliæ, *Aresta* dicuntur: quòd juris rationem prudentissimi Patres, nonnumquam ab æquitate sejunctam, ad ipsam æquitatem revocent, boni & æqui rationem secuti. Quod si Princeps secundùm jus scriptum judicabat, tunc PRONVNTIARE dicebatur. Sic cùm ex Appellatione cognosceret Imperator: *Pronuntiavit quæstione illicitè habita, unius testimonio non esse credendum: ideoque rectè provocatum*, cùm Procurator Cæsaris de ancilla aliena quæstionem habuisset, sub unius testimonio[2].

In dubia autem juris quæstione, Principis Judicium semper prævaluit, ut in eam partem flecteretur, quæ illi æquior videretur. Quod & Paulus lib. 1. *Decretorum* nos docet, qui etiam à sua sententia recessum non diffitetur: „Æmilius, *inquit*, Largianus ab Obinio fundum Rutilianum „lege commissoria emerat, data parte pecuniæ, „ita ut si intra duos menses, ab emtione, reliqui „pretii partem dimidiam non solvisset, inemtus „esset. Item si intra duos alios menses, reliquum „pretium non numerasset, similiter esset inemtus. „Intra priores duos menses Largiano defuncto, „Rutilia pupillaris ætatis successerat, cujus tuto„res in solutione cessaverunt. Venditor denuntia„tionibus tutoribus sæpe datis, post annum eam„dem possessionem Telemacho vendiderat. Pupil„la in integrum restitui desiderabat: victa, tam „apud Prætorem quàm apud Præfectum Vrbi, „provocaverat. Putabam benè judicatum, quòd „pater ejus, non ipsa contraxerat. Imperator au„tem motus, quòd dies committendi in tempus „pupillæ incidisset, eóque effecisset, ne pareretur „legi venditionis. Dicebam posse magis ea ratione „restitui eam, quòd venditor denuntiando, post „diem, quo placuerat esse commissum, & pretium „petendo, recessisse à lege sua videretur. Quia ta„men lex commissoria displicebat ei, pronuntiavit „in integrum restituendam. Movit etiam illud „Imperatorem, quòd priores tutores, qui non re„stitui desiderassent, suspecti pronuntiati erant[3]. Sic injustam Appellationem pronuntiavit Imperator, eorum qui ad eum appellaverant, ut Cognitionem Præsidis impedirent, & Præses in eventum Appellationis cetera Cognitionis distulisset[4], nos diceremus, *qu'il eust differé pour reverence de l'appel.* Et Imperator, *conservare sententiam* dicebatur, cùm judicatum confirmasset[5]. Quòd si testamentorum quæstiones in jure mero versarentur, in iis juris ratione Princeps pronuntiare solebat, ut ex Pauli lib. 3. *Decretorum* addiscimus[6]: *Clodius Clodianus, facto priùs testamento, postea eumdem hæredem, in alio testamento inutiliter facto, instituerat. Scriptus hæres, cùm posterius putaret valere, ex eo hæreditatem adire voluit: sed postea hoc inutile repertum est. Papinianus putabat, repudiasse ex priore hæreditatem; ex posteriore autem non posse adire. Dicebam, Non repudiare eum qui putaret posterius valere. Pronuntiavit Clodium intestatum decessisse.* Ita ferè semper accidit ut repudiata Pauli sententia, Papiniani Consilium Princeps probaret, & sequeretur: nam in arduis quæstionibus juris Paulus plurimùm à Papiniano discedere solebat. Quin & Paulus ipse contra suam mentem, in testamenti causa, pronuntiatum agnoscit: nam cùm ab omni voluntate recessum ei videretur, placuit Principi humaniùs interpretari[1].

1 L. cùm verò. §. cùm quidam. D. de fideicommiss. libert. 2 L. maritus. D. de quæstionib. 3 L. Æmilius. D. de minorib. 4 L. intra utile. D. eod. 5 L. fin. D. quod cum eo qui in alien. 6 L. Clodius. D. de acquir. hæred.

CAP. XXIV.

De Cognitionibus, quæ in Consistorio sacro finiebantur.

PVblicorum Judiciorum Cognitiones pro Tribunali, privatorum in Auditorio expeditas, satis superque demonstratum est. Atque utræque Cognitiones in Consistorio transigi dicebantur. Intra Consistorium autem semotis partibus Appellationum sacra judicia ab ipso Principe disceptabantur adhibitis Proceribus Palatii & Senatoribus[2]. Quod immutavit Justinianus, ut sequenti capite dicemus. Hoc autem genus Cognitionum quæ intra Consistorium, ex more Consultationum fiebat. Consultatio est deliberatio, Conventus, seu Consilium Procerum, sive sententia quam Princeps cum Consilio collocutus dicit, aut decernit, quæ in Basilicis *Συνέλευσις*, quæque more introducta dicitur, illoque veteri, ut Suetonius auctor est: ille enim de Nerone in *ejusd. Vita* cap. 15. *Quoties*, inquit, *ad consultandum secederet, neque in commune quidquam, neque propalam deliberabat: sed conscriptas ab unoquoque sententias, tacitus ac secretò legens, quod ipsi libuisset, perinde ac pluribus idem videretur, pronuntiabat.* Intimi Consistorii secessus est *δικαστήριον*, ut secretarium Judicum[3]. Consistorii autem Cognitiones, quæ sacra Judicia vocantur[4], fuerunt Appellationes non tantùm à Spectabilibus, sed à Clarissimis Judicibus. Sed cùm non posset audiendis omnibus Appellationibus Princeps sufficere, placuit Consultationum more lites finire, absque ulla dierum fatalium observatione[5]. Cùm ergo Imperator cum Consilio collocutus esset, ipse sententiam pronuntiabat, ut inscriptiones legum quarumdam testantur, in quibus, *Imperator Philippus cum Consilio collocutus, dixit*[6]. Malè in vulgatis codicibus, *cum Cœlio*; propriè enim in intimo Consistorio colloqui; in Auditorio, aut pro Tribunali de Consilii sententia pronuntiari dicebatur. M. Tullius lib. 5. *in Verrem, cùm Consilio causam Numantinorum cognoscit, & de Consilii sententia pronuntiat.* Nam colloquium propriè est cùm conveniunt in unum locum, colloquendi causa, Varro lib. 5. *de Ling. Lat.* Hinc cùm Imperator cum Consilio collocutus decernit, apud acta dicere traditur, ut inscriptio legis nos monet, sic concepta[7], *Apud acta Imperator Theodosius dixit.* Acta enim propriè in Consistorio Principis intimo fiunt, atque hac ratione Acta Proconsulum, dicta sunt quæ intra cancellos obducto velo, coram Judicibus, cùm de reo interrogabatur, dicerent: quæ exceptorum litteris mandabantur, ut illustris Card. Baronius observavit tom. 2. ad Annum 238. num. 2. Acta ergo sunt *ὑπομνήματα*, seu rerum gestarum Commenta-

1 L. Paula Callinico. §. Pomponius. D. de leg. 3. 2 L. 2. C. de legib. 3 L. 2. C. de offic. diverf. judic. 4 Novel. 20. & ib. Cujac. 5 L. 3. C. ubi Senator. vel Clariss. 6 L. 6. C. de usucap. pro emtor. 7 L. 6. C. qui bon. ced. poss.

naria, quorum pars aliqua in Codicibus Imperatorum deſcripta eſt, quam hîc ſubjicere opportunum eſt: hæc enim & rei geſtæ fidem faciunt, & decretum Principis continent: ut; *Pars Actorum Diocletiani & Maximiani AA. & CC. Firmino & Apollinario & ceteris principalibus Antiochenſium adſtantibus: Sabinus dixit, &c. Diocletianus dixit: Certis dignitatibus data à nobis eſt indulgentia munerum civilium, & perſonalium, id eſt, iis, qui aut ex protectoribus ſunt, aut ex præpoſitis. Ii ergo ad munera civilia non vocabuntur*[1]. Notat Cujacius, Sabinum Advocatum Græcè dixiſſe, quæ deſunt in vulgatis, & in MS. legi non poſſunt. Nos, ex hac Actorum parte, videmus, quid ſit apud Acta dicere, & apud Acta defendere, quod eſt Juliano, *Acta in Conſiſtorio intimo proferre, inductis partibus quorum intereſſet.* Nec verò in Actis Græcè tantùm locutos Advocatos obſervamus, ſed Imperatorem ipſum quandoque Græcè pronuntiaſſe.

Pars alia Actorum eſt quæ habita ſunt apud Imperatorem Julianum[2], *Mamertino & Nævita Coſſ. x. KAL. APRIL. Conſtantinop. in Conſiſtorio, adſtante Jovio viro Clariſſimo Quæſtore, Anatolio Magiſtro Officiorum, Felice Comite S. L. &c. Imperator Julianus A. dixit*: Τὰ ἔκαςα γραμμάτια μεγάλην ἰσχὺν ἔχει, ὅταν περὶ αὐτῶν τῶν γραμματίων μὴ ἀμφισβήτησις ἐξ ἄλλων ὤφειλε λαβέσθαι. C Quod Imperatoris Juliani vanitati adſcribendum eſt, quem merito loquacem talpam, purpuratam ſimiam, & literionem Græculum carpebant, Ammian. Marcel. *lib.* 17. Nec enim Imperatores Græcè in Actis uſpiam locuti: quin Tiberius Centurioni volenti Græcè in Senatu dicere teſtimonium, non permiſit: etſi antea complures cauſas audiiſſet Græco ſermone, id tamen neque conſtanter, neque convenienter; Xiphil. in *Tiberio*; ſic Interpres: Dio verò, τῦτο μὲν ὀυχ ὁμολογόμενον ἔπραξεν, quod verò, D *non ex Conſilii ſententia*: ὁμολογεῖσθαι enim eſt quod aliquorum conſenſu receptum eſt. Quin ipſe Tiberius veniam petiit à Senatu, quòd Græcum illi monopolii verbum excidiſſet. Judices tamen ex Arcadii & Honorii Conſtitutione tàm Græca quàm Latina Lingua ſententias proferre poſſunt[3]. Sed hæc lex ſcripta eſt ad Proconſulem Aſiæ in mediis Græciæ viſceribus agentem. Et hoc referendum eſt ad loci conditionem, ne quis cauſari poſſit ignorantiam litterarum[4]. Nam Romæ decreta à Prætoribus Latinè interponi debent, & Imperatoriæ Majeſtati non convenit, neque imperii dignitati, Græcè aliquid pronun- E tiare. Quod pars Actorum Conſtantini declarat, in quibus, *cùm Agrippina dixiſſet*, τῷ τόπῳ ἐκείνῳ ὀυκ ἐπάρχει, *Conſtantinus Auguſtus Latinè dixit; Sed jure continetur, ne quis in adminiſtratione conſtitutus aliquid compararet. Unde quidem nihil intereſt, an in ſuo pago, an in alieno compararit, cùm conſtat cum contra jus comparaſſe. Et adjecit: Ignoratis fiſcale effici totum quidquid adminiſtrantes compararint? Agrippina dixit*; Τῦ τόπυ ἐκείνυ πραιπόσιτος ὀυκ ἦν, ἐγὼ ἠγόρασα παρὰ τῦ ἀδελφῦ αὐτῦ εἰδεαιωναί. *Conſtantinus A. D. Recipient à venditore Clodia & Agrippina competens pretium*[5]. Habemus F etiam partem Actorum habitorum in Conſiſtorio Gratiani.

Ceterùm non omnia quæ Princeps in Conſiſtorio dicebat, illum apud Acta dixiſſe credendum eſt: nam Conſiſtorium & Tribunal & Auditorium complectitur. Quare cùm Imperatores Diocletianus & Maximianus in Conſiſtorio dixerunt, A ut legis inſcriptio continet[1], intelligendum eſt de Cognitione pro Tribunali. Decreverunt enim *Decurionum filios beſtiis non debere ſubjici*; quod pro Tribunali aſſidentibus Comitibus ſeu Aſſeſſoribus, pronuntiatum ab illis eſt, cùm ſub titulo de pœnis decretum referatur. Ubi cùm Populus reclamaſſet, (malè in vulgatis ſcriptum eſt, cùm à Populo exclamatum eſt) iterum Principes dixerunt: *Vanæ voces Populi non ſunt audiendæ: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.* Atque hæc, quæ pro Tribunali, non Conſulta- B tionum more acta ſunt, ſed ea tantùm quæ intra Conſiſtorium.

Conſultationum loco tandem introducta ſunt judicia, quæ à delegatis à Principe exercerentur, ex Theodoſii & Valentiniani Conſtitutione[2]; quæ quidem à Juſtiniano innovata eſt, qui ante definitivam ſententiam voluit appellari, nonnullaque alia introduxit Conſtitutionibus Græcis duabus, quas Cujacius pridem vulgavit lib. 12. *Obſervat.* cap. 3.

CAP. XXV.

De Cognitionibus ſelectorum Judicum à Principe. Qui Cognitores nuncupentur.

COgnitor primùm dicebatur in Jure, qui alium defendebat, maximè ſi de illius ſtatu ageretur: ſicque cauſam noſcebat, & illam tuebatur ut ſuam. M. Tullius hoc perſpicuè nos docet in *Divinatione*, & ib. Aſconius: *Me*, inquit, *defenſorem calamitatum ſuarum, me ultorem injuriarum, me Co-* D *gnitorem juris ſui eſſe voluerunt.* Cognitor eligebatur à reo, quem Verres, cùm Prætor eſſet, ex ſuo arbitrio dabat. Idem Tullius lib. 2. *in Verrem: Cognitorem adſcribit Sthenio: quem? cognatum aut propinquum? non: Siculum eum, cui eſſet aliquis ſplendor dignitaſque? minimè: quem igitur? civem Romanum? cui hoc probari poteſt? cùm eſſet Sthenius civitatis ſuæ nobiliſſimus, ampliſſima cognatione, plurimis amicitiis, invenire neminem Siculum potuit, qui pro ſe Cognitor fieret?* Hîc Cognitorem ita deſcriptum habemus, ut de eo nihil præterea quærendum ſit, quid à Procuratore differat: Procurator enim eſt qui aliena negotia mandato Do- E mini adminiſtrat[3]: Cognitor qui ad Cognitionem alieni jurgii ſuffragator accedit[4]: hoc nomen in Pandectis eraſum, quo tamen uſus eſt Paulus libro primo Sententiarum, in quo titulus eſt de Cognitoribus[5]: ſed in omnibus Digeſtorum libris illud ſuſtulit Tribonianus, quòd fortè crederet aliquid dignitati Cognitorum derogare, qui Judices delegati ſunt à Principe, priſcis Juris Auctoribus parum cogniti. Triboniani hoc factum ex collatione verborum Pauli deprehenditur: ille enim[6]: *Si quis inſtrumenta litis ſuæ à Procuratore ſuo, vel Cognitore adverſario prodita eſſe convicerit.* F Hæc cùm Tribonianus tranſtuliſſet[7], Cognitoris nomen exaravit, ſcripſitque, *ſi quis inſtrumentum litis ſuæ, à Procuratore, Adverſario proditum eſſe convicerit.* Sic Cognitor hac in ſignificatione in Theodoſiano ſolùm Codice dignoſcitur.

Y A

1 L. 2. C. de excuſationib. muner. 2 L. 4. C. T. de fid. teſt. 3 L. 12. C. de ſentent. & interlocut. 4 L. ſed ſi pupillar. §. proſcribere. D. de inſtit. act. 5 L. 1. tit. 15. C. T. lib. 8.

1 L. 12. C. de pœnis. 2 L. 32. §. quòd ſi à Duce D. de appellationib. 3 L. 1. D. de procuratorib. 4 L. 6. C. T. de procuratorib. & cognitorib. 5 Lib. 1. Sent. tit. 2. 6 Lib. 5. Sent. tit. 25. 7 L. ſi quis 38. l. ſi quis inſtrumentum. D. de pœnis.

A Cognitionibus dicti postea Cognitores sacri, Judices nempe à Principe delegati, ex Theodosii & Valentiniani Constitutione, qui primi hoc genus Judicum introduxerunt. Gloss. vet. Cognitor, γνώστης, quòd γνῶσις sit Cognitio. In antiquis marmoribus occurrit sacri Auditorii Cognitor, Romæ, pag. 344. 2.

ACILIO. GLABRIONI. VICARIO. PER
GALLIAS. SACRI. AVDITORII. COGNITORI.

Ad hunc ex Provinciis Appellationes devolvebantur. Symmachus *lib.* 8. *epist.* 17. *Provinciali*, ait, *actione decursa*, *quæ ad sacri Auditorii Cognitorem necessaria provocatione pervenit.* Quod est ad sacras Appellationes cognoscere, ex alia Inscriptione veteri, Romæ, pag. 1101. 8.

C. VALERIO. POPLICIO
COS. ORD. ITEM. COGNOSCENTI
AD. SACRAS. APPELLATIONES.

Hi & Sacrarum Cognitionum Judices dicti. Lapis alius, pag. 102. 9.

C. CEIONIVS. RVFIVS. VOLVSIANVS
V. C. PRAEFECTVS. VRBI. ITERVM
IVDEX. SACRARVM
COGNITIONVM.

Nec me præterit, Provinciarum Rectores, Cognitores quoque vocari, ut Moderator Apuliæ, *Provincialis Cognitor*, à Symmacho appellatur *lib.* 10. *epist.* 51. qui præmissis litteris ad Vicariam potestatem, ut susceptum retineret examen; cùm Auditorii sacri Judex consultus esset, & mulctam statuisset provocationibus inferendam, Symmachus pronuntiavit Cognitionem esse sacri Judicii. Sacrum Judicium interpretor, sacri Auditorii Cognitorem: nam sacrum Auditorium tam est Principis, quàm Præfecti Prætorio, & Præfecti Vrbi [1]. Quod ex Ennodio aliter intellexit vir doctus: ille enim ad Stephanum V. S. hoc est, virum Spectabilem, *Te*, inquit [2], *sacrarum Judex*, *& Consilii Comitem meruit*, *& laboris.* Acutè Sirmondus noster sacrarum Judicem monuit esse Comitem sacrarum largitionum, cui Stephanus adsidebat. Alius ergo est sacrarum Judex, alius Judex sacri Auditorii. Ut aliud est, vice sacra judicare, aliud vice sacra cognoscere. Vice sacra judicant jure Magistratus, Præfectus Vrbi, Vicarius Præfecti Prætorio, Proconsul Africæ. Vice sacra, qui quasi vicissim & secundo loco post Principem. Sic vice sacra Imperatoris Provinciam gubernare, hoc est, Principis personam sustinere, in antiquo marmore legimus, pag. 168. 4.

IVL. NEMESIVS. NOMENTANVS. M. AVREL
IMP. SACRA. VICE. BETICAM. GVBERN.

Quo tempore nondum sacræ Cognitiones & Delegationes invaluerant. Præfectus Vrbi ergo vice sacra judicabat jure Magistratus. Cognoscebat autem ex delegatione Principis, atque hinc sacrarum Cognitionum Judex inscribitur, pag. 284. 8.

MEMMIVS. VITRASIVS. ORFITVS
V. C. ITERVM. PRAEF. VRBI
IVDEX. SACRARVM. COGNITION
TERTIVM.

1 L. 67. C. T. de appellationib. & l. 4. C. de jurisdict. omn. judic. 2 Dictione 3.

En Vitrasius Præfectus Vrbi iterum, qui jure Magistratus vice sacra judicabat. Sed Judex sacrarum Cognitionum est tertium, id est, non jure Magistratus, sed delectus à Principe. Quod clarè alia Inscriptio probat, in qua Præfectus Vrbi electus est ad cognoscendas jure Cæsaris Cognitiones, pag. 381. 3.

L. CAESONIVS. PRAE. VRBI. AD
COGNOSCENDAS. VICE. CAESARIS
COGNITIONES.

B Sed quid sibi velit alia Inscriptio, quæ sacrarum Constitutionum Judicem narrat, cognoscere tentemus, pag. 282. 3.

ANICIVS PAVLLINVS. IVN. V. C.
CONS. ORDINARIVS. ET. IVDEX
SACRARVM. CONSTITVTIONVM.

C Suspicabar aliquando mendum fabrile, & scriptum esse CONSTITVTIONVM, pro COGNITIONVM. Sed nihil muto: & sacrarum Constitutionum Judicem agnosco, qui in controversiis, quæ ex Constitutionum interpretatione oriuntur, cùm non possint omnes articuli singulatim illis comprehendi, ideoque ad Principem recurri debeat: nam ejus est interpretari, cujus est condere. Dubias hujusmodi interpretationes Princeps Paullino delegavit.

Alium verò ordinem in cognoscendis Appellationibus, quæ ad eos devolverentur, priores Principes servabant. Nam Augustus Appellationes quotannis urbanorum quidem litigatorum Prætori urbano delegavit; & Provincialium Consularibus viris, quos singulis cujusque Provinciæ negotiis præfecisset, Sueton. in *Augusto* cap. 33. Tiberius autem cùm ab eo petitum esset, ut L. Pisonis accusati in Germanicum veneficii, cognitionem D exciperet, causam integram ad Senatum remisit: *Et die Senatus*, *cùm orationem habuisset*, *meditato temperamento*, *id solùm Germanico supra leges se præstare dixit*, *quòd in Curia potiùs*, *quàm in foro*; *apud Senatum*, *quàm apud Judices de morte ejus anquireretur*, Tacit. 3. *Annal.* Hadrianus optimos quosque de Senatu in contubernium Imperatoriæ Majestatis adscivit. Sic Senatum multis Cognitionibus ad se pertinentibus M. Antoninus Judicem dedit, Capitolin. in *M. Antonino.* Sed capitales causas hominum honestiorum ipse sibi reservavit, idem in *L. Vero.* Probus etiam E secundùm orationem permisit Patribus, ut ex majorum Judicum Appellationibus ipsi cognoscerent, quos *Majores Judices* Spectabiles interpretor.

CAP. XXVI.

De Consultationibus sublatis.

F POstquam Judices Consultationibus sublatis ex Aula Principis delegati sunt [1], (quos Commissarios appellare possumus) disrupto justitiæ Imperii vinculo, & illud ipsum in præceps ruisse perspicuum est. Nam cùm Principes controversiarum Cognitionem exciperent, adhibitis Palatii Proceribus, & præsente Senatu, & Clarissimis viris; mansit illorum illibata auctoritas, quam Theodosius maximè despexit. Sanxit enim [2], more Consultationum sublato, *ut si à Spectabilibus*

1 L. 13. C. de judic. 2 L. 32. C. de appellationib.

bilibus esset appellatum, Præfectus Prætorio, qui in illius Comitatu erat, & Quæstor Palatii sacris Judiciis præsiderent. Si à Duce, qui idem Præses esset, jure ordinario solus Præfectus in sacro Auditorio judicaret: id est, non tanquam Cognitor datus à Principe, sed jure Magistratus, in Auditorio Præfecturæ, quod sacrum vocatum ostendimus. At in iis judiciis, quæ Consultationum loco introducta sunt, Præfectus Prætorio, & Quæstor Palatii Cognitores dati, Appellationes susceperunt, si à privato non Illustri, qui à Principe esset delegatus, provocaretur. Sacræ enim delegationes fuerunt privatis plerumque hominibus concessæ, uni vel pluribus, quorum definitio appellatione suspendi potuit [1], de qua Præfectus Prætorio, qui in Comitatu, cum Quæstore, temporali die, judicabat, id est, quo appellatio introducenda & exercenda fuit.

Consultationes tantùm servatæ sunt, si ab Illustribus appellaretur: nam hoc solo casu appellatione suspensa voluerunt audientiam Principis per Consultationem exspectari. Sicque Consultationum mos in gratiam Illustrium servatus. Hæc duo legis Theodosii capita intellectu facilia, ut de appellationibus Spectabilium Præfectus Prætorio in Comitatu & Quæstor cognoscerent: de Appellationibus Præsidum seu Rectorum Provinciæ Clarissimorum solus Præfectus cum Epistolaribus excipientibus. Sed si à privatis Judicibus delegatis non Illustribus esset provocatum, Præfectus Prætorio cùm Quæstore Palatii judicabat cum Libellensibus, qui quæ apud arbitros gesta essent, susciperent, & Cognitiones inducerent. Qui quidem Libellenses etiam apud arbitros, si Illustres sint, licèt ex delegatione Principis, Cognoscentes excipiunt, si in Principis Comitatu esse dicuntur.

Ex his liquet, Præfectum Prætorio, & Quæstorem Palatii Cognitores à Theodosio constitutos, quorum judicio subjiciuntur delegati Judices, qui vice sacra judicant, non vice sacra cognoscunt: nam & hi privati & arbitri dicuntur: quod ex Inscriptionibus intelligitur. Neapoli, pag. 433. 4.

M. MAECIO. MEMMIO
COMITI. ORDINIS. PRIMI
COMITI. ORIENTIS. ET. AEGYPTI
IVDICI. SACRARVM. COGNITIONVM
TERTIO. IVDICI. ITERVM. EX
DELEGATIONIBVS. SACRIS.

Clarum ergo est Judices delegatos à sacris Cognitoribus distinguendos, cùm illi privati essent, & arbitri vocarentur. Sic idem Theodosius: *Quòd si ab arbitrio ex delegatione sacra disceptante Appellatio subsequatur* [2]. Poterant autem delegati Judices alios in Consilium admittere, quibuscum judicarent. Vt Symmachus Præfectus Vrbi, cùm negotii unius tota Cognitio præceptione divina, ut loquitur, speciatim illi mandata esset, delegatione Principis: hinc V. C. Vicarii præsentiæ reservavit: *Siquidem*, ait *lib.* 10. *ep.* 46. *videbatur hæc causa ceteris provocationibus esse conjuncta, quæ V. C. prædecessore meo negabantur admissæ, & alterum mecum sumserat Cognitorem.*

Nunc de Epistolaribus & Libellensibus, quasi de plano, ἐν πλάτει, aliquid excerpendum est: quos Epistolarum & Libellorum Magistros frustra quis putaret: illi enim sunt qui in sacris scriniis libellorum militant, vel Epistolarum, ut Notarii & Adjutores potiùs quàm Officiales, quibus præerat Magister libellorum, qui Cognitiones & preces tractabat. Epistolares Clarissimorum Appellationes in Cognitionibus excipiunt; delegatorum Libellenses. Nec Epistolares, nec Libellenses Cognitores sacri fuerunt, ut Magistri libellorum. Vetus Inscriptio Romæ, pag. 28. 2.

SEXTILIVS. AGESILAVS. V. C.
CAVSARVM. NON. IGNOBILIS. AFRICANI. TRIBVNALIS
ORATOR. ET. IN. CONSISTORIO. PRINCIPVM
MAGISTER. LIBELLORVM. ET. COGNITION
SACRARVM. VICARIVS. PRAEFECTOR. PER
HISPANIAS. V. S. I.

De Magistro Cognitionum sacrarum postea viderimus. Fuit etiam sacræ Cognitionis Auditor, qui idem ac Cognitor esse videtur [1]. Hic tamen alius est à Cognitore: nam Cognitionis Auditor, seu Auditorii Cognitor propriè domus divinæ negotia tractabat, cùm in causis fiscalibus provocatio interponeretur [2]: sunt enim in causis hujusmodi, quæ curam fiscalis commodi respiciunt, qui vice Principis Cognitionibus præsiderent [3]. Est & inferiorum Judicum sacra Auditio [4], cùm illi appellationem non suscipiunt, vel Apostolorum copiam denegant, id est, litteras dimissorias, per quas causa ad eum, qui appellatus est, dimittitur [5]. Atque hæc Auditio fit vel in Auditorio Principis, vel Præfecti Prætorio, aut Præfecti urbani, ubi provocatio tractatur. Quod ita accipiendum est, non ut Judex inferior præsens audiri debeat, sed qui opinionem manifestet per relationem, quare appellationem non receperit, & causam addat, cur ab eo non fuerit recepta [6].

Quarto capite Constitutionis Theodosii cavetur, *ut si Illustrium Judicum sententiæ fuerint appellatione suspensæ, per Principis Consultationem finiantur.* Quod est, re à Cognitoribus diligenter pertractata, Principem ipsi consulant: quod etiam fit in causis privato homini non Illustri delegatis [7]. Principis autem Consultationem non ita accipio, ut Illustrium appellatio introducatur in commune Auditorium Senatorum vel Procerum sacri Palatii: nam post Theodosii Constitutionem, mos consultationum alius fuit, remansitque solùm umbra aliqua veteris disciplinæ, quam in Illustrium appellationibus solus Princeps sibi vendicavit. Hujus rei exemplum ex Marcellino *lib.* 29. trahimus: *Nam cùm Valens in Majestatis crimine, quod nomen post eum imperaturi, præsagiis quærebatur, Præfecto Prætorio & summatibus in unum quæsitis cognitiones commisisset: illi post eculeos & pondera plumbea, fidiculas & verbera Principem consuluerunt: qui Cognitorum consultationi respondens sub uno proloquio, Majestatis reos omnes jussit occidi.* Respondere præsenti propriè dicimur, ut rescribere absenti. Seneca *epist.* 19. *Si quando interveniunt Epistolæ tuæ, tecum esse mihi videor, & afficior animo tanquam tibi non rescribam, sed respondeam.*

Eadem porrò Constitutione, dignum imperio Imperatores judicarunt, ut litigatores, Procuratores, eorumque Advocati, & omnes qui hujusmodi causis ministerium suum adhibent, quasi præsente Principe, & audiente, tàm veste quàm calceamentis, & verbis apud Cognitores utantur, quibus solummodo uti convenit eos, qui ad Majestatem Imperatoriam ingrediantur. Quin & ipsi Cognitores quasi præsente Principe & interloquente suas sententias proferunt. Hunc habitum attingit Themistius in *Gratiarum Act. ad Valentem*:

1 L. 32. §. huic. C. de appellationib. 2 L. 2. §. quòd si arbiter. C. de temporib. & reparat.

1 L. 7. C. T. de reparat. appellat. 2 L. 64. C. T. de appellationib. 3 L. 28. C. T. eod. 4 L. 67. C. T. eod. 5 L. 106. D. de verb. sign. 6 L. 6. D. de appellationib. recip. 7 L. præcipimus. C. de appellationib.

Ὑμεῖς ὥσπερ πανηγύρεσι μεταμφιασάμενοι τὰς τηβέννας καὶ τὰ ὑποδήματα ἀλλαξάμενοι, συγκαθεζόμενοι ἐπὶ τῶν δίφρων: *Vos ut in diebus solennibus togas & calceos mutatis, unà in sellis sedentes.* Sententiæ autem Cognitorum proferuntur ex vi ejusdem Constitutionis, quasi Princeps ipse loqueretur, ut Interpres Juliani tradit: Dicebant enim, *nostra serenitas*, *nostra pietas*, *nostra mansuetudo.* Et Advocati iisdem formulis ad eos utebantur, hoc est, *vestra serenitas*, & similibus.

CAP. XXVII.

De Constitutione Imperatoris Justiniani super eadem re.

HUnc Cognitorum pronuntiandi modum Justinianus Imperator correxit, sanxitque, *ut sacri quidem Palatii pro tempore Quæstor, unà cum Præfecto Prætorio, de hujusmodi causis cognoscentes, non ex Principis persona, sed ex sua interlocutorias proferrent*. Interlocutio à Justiniano pro sententia impropriè sumitur. Sanxit præterea, *ut in provocationibus ex quibus Consultationum more negotium in Palatio introduci solebat: ut siquidem non excederet litis æstimatio decem librarum auri quantitatem, non duobus ut antea magnificis Judicibus, sed uni tantummodo disceptatio negotii deputaretur. Sin decem libras excederet, duobus tradebatur disceptatio magnificis Judicibus, quibus Epistolares officium præstarent. Quòd si duo illi Judices dissentirent, virum Illustrem pro tempore Quæstorem adhibebant. Si verò viginti libras auri lis excederet, in commune Auditorium sacri Palatii procerum introducebatur*, ἐπὶ κοινῆς ἀκροάσεως πάντων τῶν συγκλητικῶν, ut habent Basilicæ: quod vertit Interpres, *in commune Auditorium omnium Senatorum.* Sed mos Consultationum omnis ex arbitrio ejus pendebat, qui clavum Imperii tenuit. Ille enim Judices feligebat, plerumque rerum ignaros, qui ad libitum suum sacras Cognitiones exercerent. Quare meritò Vopiscus: *Colligunt se*, inquit in *Aureliano*, *quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt: dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est, vera non novit: cogitur hoc tantùm scire, quod illi loquuntur: facit Judices quos fieri non oportet: amovet à Republica, quos debuit retinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, Cautus, Optimus, venditur Imperator. Sic plerique Principes*, ait Plinius in *Panegyrico*, *cùm essent Civium domini, libertorum erant servi, horum nutu regebantur, per hos loquebantur, & per hos Præturæ & Sacerdotia & Consulatus, imò ab his petebantur.* Quod accidit maximè sub Theodosio post Consultationum morem sublatum. Is enim passim Provinciarum Præfecturas quibusque accedentibus venales exponebat, nulla prorsus existimationis aut honestæ vitæ habita ratione, sed eum judicabat idoneum, qui auri vel argenti majorem summam afferret. Atque adeò videre erat Argentarios, & Annularios, & alios professiones in foro fœdissimas obeuntes, Magistratuum insignia ferre, majoremque pecuniæ vim habentibus Provincias tradere: Zosimus *lib.* 4. Τὰς τῶν ἐπαρχιῶν ἡγεμονίας ὠνίους προὐτίθει τοῖς προσιοῦσι, δόξῃ μὲν ἢ βίῳ σπουδαίῳ παντάπασιν οὐ προσέχων· ἐπιτήδειον δὲ κρίνων, τὸν ἀγρὸν, ἢ χρυσίον προσάγοντα πλεῖον. Καὶ ἦν ἰδεῖν ἀργυραμοιβοὺς καὶ ὀβολοστάτας, καὶ ἄλλους ἐπ' ἀγορᾶς τὰ τῶν ἐπιτηδευμάτων αἴσχιστα μετιόντας, ἐπιφερομένους τὰ τῶν ἀρχῶν σύμβολα· καὶ τοῖς πλείονα ἔχουσι χρήματα, τὰς ἐπαρχίας παραδιδόντας.

1 Novel. 126. 2 Novel. 126.

Consultationum eversionem aliam in Arcadio spectamus, apud quem Eutropius quidam Timasio Magistro militum insidias struxit, illumque affectati Imperii reum commentus est: nam criminis Majestatis rei fiebant ii, qui crimine carebant. In hac Cognitione Imperator Judicis officio fungens præsidebat, Eutropius adstans, qui cubiculis Augustalibus in universum præpositus erat, ferendæ sententiæ penes se potestatem habebat. Cùm autem omnes molestè ferrent hominem fartorem, tot muneribus atque dignitatibus Illustri viro crimen intentare; Princeps relicto Judicio, id ipsum Saturnino & Procopio commisit: Zosimus *lib.* 5. Καὶ ὁ μὲν Βασιλεὺς προὐκάθητο δικαστής. Εὐτρόπιος δὲ παρεστὼς, ἐπειδὴ καὶ ἡγεμονίαν τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, τῆς πάσης ψήφου κύριος ἦν. Πάντων δὲ δυσανασχετούντων, ἐφ' οἷς ἀλλαντοπώλης ἄνθρωπος τὸν ἐν ἀρχαῖς καὶ ἀξίαις διατρέψαντα τοσαύταις, ἵστατο κρίνων, ἀνεχώρει μὲν τῆς κρίσεως ὁ Βασιλεὺς, ἐπέτρεπε δὲ ταύτην Σατορνίνῳ καὶ Προκοπίῳ. Pudet dicere Elagabalum ad Præfecturam Prætorii adscivisse hominem, qui Histrioniam fecerat: libertos Consules fecisse, omnesque dignitates polluisse, hominum perditorum ignobilitate, Lamprid. in *Elagabalo.* Tunc qui mos vel Consultationum modus? *Vendidit enim honores & potestates, in Senatum legit sine ætatis discrimine, censùs, generis, pecuniæ merito: Militaribus etiam Præpositurìs, & Tribunatibus, & Legationibus & Ducatibus venditis, ut procurationibus & Palatinis officiis. Quod est maximum in principatu, summæque in omnibus prudentiæ*, ait Dio Xiphil. in *Macrino*: Μέγιστόν ἐστι μέρος τῆς αὐτοκρατορικῆς διοικήσεως, καὶ τῶν ὅλων προνοίας. Hujusmodi portenta in aliis Imperatoribus intuemur. Gallo Cæsare deleto, Constantius Constantini Magni filius, cùm Galli ferocientis ministros perdere concupisceret, *ad illos ab eo audiendos Arbora missus est, & Eusebius tunc cubiculi præpositus, ambo inconsideratæ jactantiæ, injusti pariter & cruenti. Hi nulla perspicacitate, fine innocentium sontiumque differentia alios verberibus, vel tormentis addictos exsilii pœna damnarunt; alios capitalibus addixere suppliciis: impletisque funerum bustis, velut ovantes gesta retulerunt ad Principem*, Ammian. Marcel. *lib.* 15. At Valentinianus Imperator cùm ab Ampelio Urbi Præfecto & Maximino Vicario esset appellatum, consultus, Senatui negotium dedit, qui Reum in Dalmatiæ Provinciam relegavit. Ægrè id tulit Imperator, iracundiâ percitus, quòd hominem addictum, ut ipse proposuerat, morti, clementiori sententia didicerat plexum, idem *lib.* 28. Tum qui postea provocarunt ad Principem, jussi sunt ad ejus Comitatum duci, *de fumo*, ut ajunt, *in flammam. Nam si illi mitiùs agerent, magno periculo Principis infestum animum commovebant, quòd viri probi viderentur.* Mavortius Præfectus Prætorio vir sublimis constantiæ, juncto ad audiendi societatem Ursulo largitionum Comite, severitatis non improbandæ, cùm acri inquisitione illis de crimine quæri mandaretur, & veritas oppressa respirasset, Calumniatores lethali sententia damnarunt. Quo cognito Constantius fremens Ursulum redire ad Comitatum minaciter jussit. At is spretis qui prohibebant, perrupit intrepidus, ingressusque Consistorium ore & nitore libero docuit gesta, atque fiducia linguis adulatorum occlusis, Præfectum & se discrimine subtraxit, idem *lib.* 16. Quorsum tam multa? ut noscamus Procerum & Senatus consilio & auctoritate neglectis, consultationibusque sublatis, quæ firmamenta erant maxima, funditus Romanum Imperium evertisse. Nos tamen frustra temporibus aut Principibus irasceremur. Habent enim omnia magna Imperia ortus suos & occasus, & conversiones quas-

quasdam naturales, quibus nulla cautio mederi potest. Ut ætate defecti homines, cibos non capiunt, quibus alantur, sed arte quadam illorum vita protrahitur, quæ paulò momento naturæ defectu evanescit. Sed nos reliqua persequamur.

CAP. XXVIII.

De Consultationibus, Relationibus, Suggestionibus, & Remissionibus ad Principem.

CONsultationem hîc appello, cùm Imperatorem Magistratus consulit, si de jure dubitaret. Consultationum autem genera quatuor fuerunt. Primum ex more, quò, adhibito Procerum & Senatorum consilio, Princeps cognitionaliter sententiam ferebat. Secundum fuit Præfecti Prætorio & Quæstoris Palatii, qui in Comitatu Principis erant: quorum Cognitio ad Consultationum morem aliquatenus redacta est. Tertium fuit Judicum. Quartum Jureconsultorum, qui responsa dabant de jure consulentibus, ex Principis auctoritate, ab Augusto ad Hadrianum usque, qui hoc muneris non peti rescripsit, sed præstari solere, ab iis qui fiduciam studiorum suorum ingenii & doctrinæ haberent [1]. Hanc Consultationum differentiam nostri pragmatici non ignorant solùm, sed maximè contemnunt eos, qui in jure Civili enucleando operam ponunt, à quibus & ipsi vicissim meritò contemnuntur. Nos quidem puderet, qui Jurisconsulti nomen nobis jure vendicamus, vel hæc minùs trita & obsoleta prætererire, quæ viam ad majora parant.

Nam ab his Judicum Consultationibus consultissimus Imperator vocatur [2], consultissima lex [3], constitutio [4], & consulta cœlestia, imperialia, divalia, consultatio numinis, quæ à Principe proficiscuntur. At in Pandectis consultationis nomen, non pro responsis prudentum, sed pro facti specie accipitur. Sic Modestinus ex verbis consultationi insertis, se respondisse tradit [5]. Atque etiam consultationis nomen in hac significatione quandoque ab Imperatoribus accipitur: nam Valerianus & Valens sanxerunt, *ut omnes omnino causas relationis series comprehendat, ut recitata consultatione, propemodum Actorum recensione non opus sit* [6].

Qua de re autem Princeps consuleretur, paucis explicat Symmachus *lib.* 10. *ep.* 52. *Facit*, inquit, *plerumque ratio aut fortuna causam, ut in controversiis alter æquitate, alter jure nitatur. Tunc humano labante consilio, deliberatio Cognitoris ad clementiæ vestræ recurrit oraculum.*

Scio consultationem Judicum pro relatione confusè accipi: sed scio consultationem, facti speciem, relationem causas dubitandi, & consulendi veriùs continere, atque ita differre ut contentum à continente. Sic Aetrius Severus cùm dubitaret, quid in causa statuere deberet, ad Imperatorem Severum retulit, ad cujus consultationem Princeps rescripsit [7]. Relatio ergo & consultatio fit ad Principem, postquam partes allegationibus renuntiarunt, ante sententiam Judicis, qui ambigit, quid de ea re, de qua apud se agitur, statuere debeat, missa opinione sua, vel etiam post sententiam appellatione interposita, ut Princeps æstimet utrùm sententiam sequi debeat. Hinc Pandectarum idem titulus est de Appellationibus & Relationibus, ut in C. T. de Appellationibus & Con-

A sultationibus: qui quidem ad Relationes & Consultationes, quæ ad Principem missæ sunt, post sententiam, à qua est provocatum, referri debent.

Hîc Relationes ante sententiam duabus de causis potissimùm fiebant, aut ad tollendam dubitationem, aut propter publicam disciplinam. Hujus exemplum habemus in lege Constantini [1], quâ jubet, *ut Provinciarum Præsides, si quis potentiorum exstiterit insolentior, & ipsi vindicare non possint, aut examinare, aut pronuntiare, de ejus nomine ad Principem, aut certè ad Præfecturæ Prætorianæ scientiam referre, quo provideatur qualiter publicæ disciplinæ, & læsis tenuioribus consulatur.*

B Providere est Judicis, qui futura, consilio & prudentia disponit & præcavet. At Princeps jam facta, sapienter providentia corrigit, & ad exemplum trahit. Providere etiam Princeps dicitur, cùm quid suo arbitrio statuit, quod æquum sibi videtur. Ut Rector Provinciæ interdicere, ea Provincia quam regit, potest, alia non potest: unde eveniebat ut qui relegatus esset, ab ea Provincia in qua domicilium habuit, morari apud originem suam posset. Sed huic rei Imperator providit, ut ea Provincia interdicatur, unde oriundus est, ab eo qui regit Provinciam, in qua domicilium habuit [2]. Est alia Relationis species, ut

C illa Symmachi Præfecti Vrbi, Senatus nomine, de restituenda Ara Victoriæ, privilegiisque Vestalium & prædiis Templorum Paganorum, *lib.* 10. *ep.* 54. contra quam D. Ambrosius libellos scripsit, vel potiùs supplices preces.

At Relationes dubiorum Judex promittebat, & cùm referendum esse dixerat, nihil pronuntiabat [3]. Malè in vulgato Justiniani C. præmissa Relatio scribitur contra C. T. fidem, unde transcripta est. Nam propriè Relatio promitti dicebatur, ut ex multis Symmachi locis probatur: *Post promissam Relationem*, inquit *lib.* 10. *ep.* 53. *incassum pro-*

D *vocatur.* Et Relationum exempla plurima in illius *Epistolis* continentur omnibus obvia, *lib.* 10. *ep.* 46. 55. 58. 60. 62. Nec tamen frustra semper à promissa Relatione provocatum: nam si Princeps ex Relatione causam definivit, provocare licet post rescriptum: Εἰ καὶ Βασιλεὺς, δι' ἀναφορᾶς ἄρχοντος ὁρίζει τὴν τομὴν, ἔξεστιν ἐκκαλεῖσθαι [4]. *Quid enim si Præses consulendo mentitus est?* ait Vlpianus [5]: *& pars docuerit, vel falsa, vel non ita se habere, quæ scripta sunt?* Aliter autem si cùm Imperatori scriberetur, exemplum litterarum litigatori editum sit, neque is appellaverit, & postea contra eum rescriptum sit: quia cùm non ap-

E pellavit tunc cùm Judex interlocutus est, se Principem consulturum, vera esse quæ scripta sunt, consensisse videtur: nec audiendus si dicat eventum rescripti sacri sustinuisse [6], id est, appellationem distulisse, ut sustinendæ Cognitiones dicuntur quæ differendæ [7]. Relationes post sententiam maximè in extraordinariis & publicis judiciis fieri solebant. Harum exemplum habemus in *Actis Apostolorum* cap. 25. Cùm Paulus servatus esset Cæsaris cognitioni quem appellaverat, Agrippa Paulum audire concupivit. Jubente Festo ad-

F ductus est Paulus, *cùm Agrippa & Berenice in Auditorium introissent, cum Tribunis & principalibus civitatis. Et dixit Festus: Agrippa Rex, & omnes qui simul adestis nobiscum viri, videtis hunc hominem, de quo omnis multitudo Judæorum interpellavit me Hierosolymis, petentes & acclamantes non oportere eum vivere ampliùs. Ego verò comperi, nihil di-*

1 L. 2. §. fin. D. de orig. jur. 2 L. fin. §. fin autem. C. de testamentar. manumiss. 3 L. Jubemus. C. ad Velleian. 4 L. 9. C. de repud. 5 L. Titia. 34. D. de legat. 2. 6 L. 3. C. de relationib. 7 L. verum §. ex facto. D. minorib. l. 1. D. de appellationib.

1 L. 1. C. de offic. Rect. Provinc. 2 L. relegatorum. §. interdicere. D. de interdict. & releg. 3 L. 2. C. T. de relationib. 4 Lib. 8. Βασιλικ. tit. 1. cap. 1. 5 L. 1. D. de appellationib. 6 L. 3. D. quand. appell. sit. 7 L. interdum. D. de judiciis.

dignum morte eum admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, judicavi mittere. De quo quid certum scribam Domino non habeo. Propter quod produxi eum ad vos: & maximè ad te, Rex Agrippa, ut interrogatione facta, habeam quid scribam. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, & causas ejus non significare: ἄλογον γάρ μοι δοκεῖ πέμποντα δέσμιον, μὴ καὶ τὰς κατ' αὐτοῦ αἰτίας σημᾶναι.

Suggestio Consultationis est species, quæ fit vel à Judice, vel ab Advocatis, vel à parte. Prima propriè fiebat, cùm diversis legibus ex utraque parte prolatis, quæ pugnare videntur, Imperator consulebatur [1]. Aut cùm de novo jure, quod inveterato usu non adhuc stabilitum est, dubitatio emergeret. Tunc enim necessaria est Suggestio judicantis, & Principis auctoritas [2]. Suggestio est & minorum & majorum Judicum, ad Principem, vel Præfectum Prætorio [3]. Sic Lupus Consularis Campaniæ, amplissimæ Prætorianæ Sedi, statuta à se & definita suggessit, Symmach. *lib.* 10. *ep.* 53. Advocationis Illyricianæ Suggestio à Justiniano memoratur, qui familiæ significationem dubiam illis explicavit [4]. Pars Principi suggerit, cùm ab eo rescriptum impetrat [5]. Qui & ipse humanitate suggerente multa decernit, & Consultationes & Suggestiones in commune florentissimorum sacri Palatii Procerum Auditorium introducto negotio Princeps examinat [6].

Remittere verò ad Principem quandoque Judices causam solebant, vel ad sacri Auditorii Cognitionem, si certis de causis non auderent sententiam ferre. Ad Principem tamen remissa cognitio, ab eo circumduci potest, qui remisit [7]. Circumducere hoc loco interpretor, ad se reducere, & causæ cognitionem suscipere ex litigantium voluntate. Ad Imperatorem enim causam remissam partibus consentientibus, Præses, si ad ejus notitiam pertinet, audire potest, quasi priore Judicio, quò remittebat, abolito & obliterato [8]. Vt acta apud se habita, si partes consentiant, & Judex hoc permiserit, potest jubere circumduci [9]. Ad majorem autem Magistratum minor remittere cognitionem debet, ut in Præfecto Vigilum observamus, si tam atrox & famosa persona sit, ut Præfecto Vrbi remitti deberet [10]. Sed & Princeps causas ad se provocatione delatas remittere solebat; si rectè factæ essent appellationes ad Principem, omissis iis, ad quos debebant fieri. Nos dicimus in foro, *omisso medio*. Atque ut ex imo ordine ad Præsides, sic à Judice, quem à Præside Provinciæ quis acceperat, non rectè ad Imperatorem appellatur; ideoque ad Præsidem remitti debere, Severus & Antoninus rescripserunt [11].

Consultationes & Relationes à Justiniano sublatæ [12], qui sanxit secundùm generales leges, singulas causas finiri. Nec enim æquum putavit, Principem Judicibus imperare, quomodo in singulis causis emergentibus judicarent.

Ceterùm factum Præsidis Princeps aliquando comprobat: ut si Præses, qui jus deportandi non habet [13], aliquem deportandum censeat, non judicat, sed in hunc ferè modum, annotatione sic complectitur, *L. Titium deportandum ejusque nomen scribendum Principi videri.* Sic deinde Principi scribit, missa plena opinione, ut Princeps æstimet an illius factum comprobare debeat. Tum demum deportatos accipimus eos, quibus Princeps

1 L. 5. C. de bonis quæ liber. 2 L. 10. C. de legib. 3 L. 34. C. de appellationib. 4 L. 5. C. de verb. sign. 5 L. 1. C. ut lit. pendent. 6 L. 2. C. eod. 7 L. ad Principem. D. de appellationib. 8 L. ad Imperatorem. D. eod. 9 L. acta. D. de re judicat. 10 L. 3. D. de offic. Præfect. Vigil. 11 L. Imperatores. D. de appellationib. 12 Novel. 113. & 125. 13 L. inter poenas. D. de interdict. & releg.

insulas annotavit [1]. Sed si quis in insulam Præse
deportandum annotaverit, & Imperatori rescripse
rit, quæsitum est utrùm provocari possit? & pu
tat Vlpianus tunc appellandum, cùm recipi eum
Præses jubet, sententia prolata Imperatori scriben
dum ut deportetur. Ceterùm verendum est, ne se
rò sit, ut tunc provocetur, cùm Imperator insu
lam ei assignaverit: comprobata enim sententi
Præsidis tunc solet insulam assignare. Rursus il
lud videndum est, si mendaciis eum apud Princi
pem oneravit, quem deportandum laborabat, pro
vocandi illi viam intercludi. Quid ergo? *Rectè di
cetur humanitate suggerente, ut & hoc & illo tem
pore non frustra provocaretur: quia non adversù
Principem, sed adversùs Judicis calliditatem provoca
vit* [2]. Recipi autem Præses jubet reum, cùm milit
traditur deportandus, vel in carcerem recipitur [3]

CAP. XXIX.

De Retractatione & Restitutione in integrum.

RETractationis remedio utebantur, cùm appel
landi jus non esset, adversùs sententiam Prin
cipis, Præfecti Prætorio, aut eorum quos Prin
ceps ita dedit Judices, ut ab iis provocari non pos
sit. Quod sæpe à D. Marco factum est [4], & pri
mùm à Tiberio, qui M. Syllanum in tanto ho
nore habuit, ut nollet ab eo provocari posse
quòd si esset provocatum, rursus ei earumdem re
rum cognitionem dabat: Xiphil. in *Caligula*
Ὥστε μήτε ἔκκλητον ποτὲ ἀπ' αὐτοῦ δικάσασθαι ἐθελῆσαι
ἀλλ' ἐκείνῳ πάντα αὖθις τὰ τοιαῦτα ἐγχειρίσαι. Retra
ctationis verbum in Pandectis frequens est, quo
malè à multis cum Restitutione in integrum con
funditur. Retractata sententia [5], Retractationi
quæstio [6], ut causa retractari dicitur, quæ pos
sententiam rursus ex integro tractatur [7]. Horum
exemplum affert Plinius *lib.* 6. *ep.* 5. *Varenus qui
dam*, ait, *obtinuerat ut sibi evocare testes liceret
quod pluribus æquum, quibusdam iniquum pertinaci
ter videbatur; maximè Licinio Nepoti, qui Præto
finitam causam retractavit. Vareno, quod summ
contentione impetraverat, defendendum, & qua
rursus petendum fuit.* Idem *lib.* 6. *epist.* 13. *Senatu
ipse mirificus: nam illi quoque qui priùs negaran
Vareno, quæ petebat, eadem danda, postquan
erant data, censuerunt. Singulos enim re integra dis
sentire, fas esse; peracta, quod pluribus placuisset
cunctis tuendum. Consules omnia integra Princip
servaverunt, cujus cognitionem suspensus exspecto*
Addit deinde *lib.* 7. *epist.* 6. & 10. *Acta causa &
finitis actionibus, Cæsar, Neutra, inquit, pars d
mora queretur. Erit mihi curæ, explorare Provin
ciæ voluntatem.* Hæc ex variis Plinii *Epistoli*
contuli, quæ mihi ad retractationem facere vi
dentur.

Retractatio autem in Justiniani C. & Novellis
occurrit sæpe. Ex quibus intelligimus omnes Ju
dices, provocationes sibi porrectas, sustinere te
neri, nisi fortè sit Præfectus Prætorio: nam in
hujus sede jus Retractationis integrum custodir
præcipitur [8], ut certo tempore elapso, retractatio
concedatur, & per retractationem adhuc lis viver
speretur [9]. Retractatio, ἀναψηλάφησις in Basilicis

E

1 L. 1. §. deportatos. D. de leg. 3. 2 L. 1. D. quando appelland. sit. 3 L. 6. §. in insulam. D. de interdict. & releg. l. 1. D. de custod. & exhibit. reor. 4 L. 1. §. fin. D. quando appellar. non licet. 5 L. qui de libertate. §. fin D. de liberal. caus. 6 L. 1. §. 1. D. ne de stat. defunct. 7 L admonendi. D. de jurejur. 8 Novel. 82. cap. 12. & Novel. 119. cap. 5. 9 L. fin. §. fin. C. de fid. instrument.

Εἰ μετὰ ἀναψηλαφήσεως νομίμῳ τρόπῳ προϊούσης ἡ ψῆφος ἀνατραπείη [1]: *Si deinceps Retractatione modo legitimo procedente, ſententia reciſa fuerit.*

Retractatio poſtulatur libello oblato Præfecto Prætorio, qui *libellus didaſcalicus* appellatur, ἀδείας διδασκαλικὸς, *libellus fiduciæ & ſecuritatis*, vel *licentia ſupplicandi*, ex Novella Conſtitutione [2]. Hoc verbum ἀναψηλαφήσεως in erogatione militaris annonæ, aliam habet ſignificationem [3], & malè Interpres in Conſtitutione Græca, retractationem vertit, pro reintegratione. Retractatio autem de qua agimus, ad ſententias Principis, Senatus, Præfecti Prætorio, quæ propriè παλινδικία, non facilè impetratur: nam cùm ſtatus Reipublicæ rebus judicatis maximè contineatur: judiciorum perturbationes, rerum judicatarum infirmationes, civitatum afflictarum, perditis in rebus, extremi exitiorum exitus ſolent eſſe. Quæ cùm accidunt, nemo eſt quin intelligat, ruere illam Remp. & ubi eveniunt, nemo eſt qui ullam ſpem ſalutis reliquam eſſe arbitretur, Cicer. *de leg. Agraria, contra Rullum*, & lib. 5. *in Verrem.*

Quare verò à Principe appellari fas non ſit, ſed fas ſit retractationem ſupplici libello petere; hanc Vlpianus rationem adfert, *quia ipſe Princeps ſit, qui provocatur* [4], & ſuperiorem Judicem non habet. A Senatu provocare ad Principem non licet ex Hadriani oratione. A Præfectis Prætorio non licet, quia publicè ſententia principali lecta, appellandi facultas interdicta eſt [5]. Quæ hæc fuerit Principis ſententia, minùs perſpectum eſt, ſed videtur à Conſtantino confirmata aut reſtituta, cùm ad univerſos Provinciales ſcripſit, *Se à Præfectis Prætorio, qui ſoli vice ſacra cognoſcere verè dicendi ſunt, provocari non ſinere, ne ſua contingi veneratio videatur* [6]. Arcadius Jureconſultus, qui ſententiæ principalis meminit, inter Papiniani diſcipulos numeratur, & ſub Alexandro vixit, octoginta annis ante Conſtantinum: cujus principalis illa ſententia dici non poteſt: certum tamen eſt Conſtantinum hac de re legem tuliſſe. Sed minùs certum, quis primus hanc Præfecto Prætorio poteſtatem conceſſerit. Ab aliis qui vice ſacra judicabant, licuit appellare [7].

Quid verò differat in integrum Reſtitutio à Retractatione, videamus. Judex quidem adversùs ſententiam ſuam reſtituit [8], cùm tamen illam retractare nullo modo poſſit, & contrario judicio tollere [9]. Quia poſtquam Judex ſemel dixit ſententiam, Judex eſſe deſinit, & ſive benè, ſive malè, functus eſt officio ſuo [10]. At Præfectus Prætorio ſuam ſententiam retractare poteſt, ut in integrum reſtituere, cùm ab ipſo appellari non poſſit: hoc ideo quia *appellatio quidem, iniquitatis ſententiæ querelam; at Retractatio, erroris proprii veniæ petitionem vel adverſarii circumventionis allegationem continet* [11]. Commune auxilium ex Prætoris edicto eſt reſtitutio; appellatio eſt extraordinarium [12]. Reſtitutio ex Prætoris edicto, lapſis vel circumſcriptis datur, ſi metus aut calliditas, aut ætas, aut abſentia induxerint in captionem, aut ſtatus mutatio, aut juſtus error [13]. Quod ad majores & minores pertinet: ſed hoc ampliùs minores habent, ut læſi reſtituantur, quod majoribus non ſemper conceditur. Nam licet iis vendentibus ſe invicem decipere, niſi ſi in fundo vendito, nec

1 Lib. 8. tit. 2. cap. 11. 2 Novel. 119. & Βασιλικ. eod. 3 Conſtit. Græc. 19. C. de erogat. milit. annon. 4 L. 1. D. à quib. appellar. non licet. 5 L. 1. §. 1. D. à quib. appell. non lic. l. unic. C. de offic. Præf. Præt. 6 L. 16. C. T. de appellationib. 7 L. 11. C. T. de appellationib. 8 L. in cauſæ. §. fin. D. de minorib. 9 L. Paulus. D. de re judicat. 10 L. Judex. D. eod. 11 L. Præfecti. D. de minorib. 12 L. in cauſæ. 2. D. eod. 13 L. 1. & 2. D. de in integr. reſtit. l. 1. D. de minorib.

A dimidia pars veri pretii ſoluta ſit [1]. Minores via ordinaria reſtituuntur: majoribus cùm reſtitutioni locus eſt extra ordinem jus dicitur [2].

Ex facto quæſitum Vlpianus ait [3]: „Cùm quidam urbicam procurationem beneficio Principis „eſſet adeptus, apud Prætorem, ſe cura minorum „excuſavit, abſentibus iis. Adoleſcentes adierunt „Prætorem, deſiderantes in integrum reſtitui: „Prætor ad Severum Imperatorem retulit, qui „reſcripſit: Nullas partes eſſe Prætoris. Neque „enim contractum proponi cum minore, ſed Principem intervenire, & reducere hunc ad adminiſtrationem debere, qui perperam eſſet à Præ- B „tore excuſatus. Intervenire eſt auxilium ſuum impertiri, & ſuas partes interponere. Sic intervenire Prætor dicitur, cùm Juris civilis rigorem temperat, ex neceſſitate, cùm res aliter expediri non poteſt [4]. Hîc verò Princeps intervenit, quia nullæ ſunt partes Prætoris, neque contractus cum minore proponitur, ex quo videretur Prætorem adversùs contractum minorem reſtituere, non adversùs ſuam ſententiam: quod Vlpianus ipſe refellit [5]. Princeps ergo intervenit in iis reſtitutionum cauſis, in quibus illius interpretatio eſt neceſſaria, ut in hac facti ſpecie. Severus Alexander C eſt, de quo Vlpianus loquitur: nam Septimium Severum ſemper ille Divum appellat, & Severus Alexander quatuordecim Vrbis Curatores fecit, Lamprid. in *Alexandro*; quorum unus hic urbicam procurationem adeptus dicitur. Hos verò Curatores ex Conſularibus viris, audire negotia urbana, cum Præfecto Urbis juſſit, ita ut omnes aut magna pars adeſſet, cùm Acta fierent. Quare ob novum iſtud munus meritò cùm de excuſatione ageretur, ad Principem referendum fuit. Nam ſi Magiſtratus civitatum, qui ϛρατηγοὶ τῶν πόλεων, à tutela & cura remittuntur: Procuratores urbici viri Conſulares hanc excuſationem mereri videbantur. Quos D tamen perperam excuſatos reſcripſit Princeps, qui ſolus potuit hac de re decernere; cùm neque conſuetudo, neque lex, neque rerum judicatarum auctoritas Prætori ſuffragaretur, cujus in rebus hujuſmodi, quæ de novo emergunt, nullæ ſunt partes.

Principum Cognitionem in reſtitutione in integrum, ἐν ἀποκαταϛάσει, breviter attingamus. Hic ſi ſententiam dixerit, perrarò permittere ſolet reſtitutionem; & induci in Auditorium ſuum, eum qui per infirmitatem ætatis ſe captum eſſe dicat, dum ea, quæ pro cauſa ſunt, non dicta, allegat, vel ab Advocato prævaricatum queratur. Denique E Glabrionem Acilium D. Severus, & Imperator Antoninus non audierunt, incoloratè reſtitui deſiderantem adversùs fratrem. Poſt ſpeciem in Auditorio eorum finitam, ſed & Percenio Severo contra res bis judicatas, in integrum reſtitui permiſerunt, & in Auditorio ſuo examinari [6]. Idem Imperator Licinio Frontoni reſcripſit, *inſolitum eſſe poſt ſententiam ſuam vice ſua ex appellatione dictam, alium in integrum reſtitutionem tribuere, niſi ſolum Principem.* Sed etſi ab Imperatore Judex datus cognoſcat, reſtitutio ab alio, niſi à Principe, qui Judicem deſtinavit, non fiet.

In quibuſdam etiam aliis cauſis, in integrum F reſtitutio in Conſiſtorio Principis peti debet: ut ſi quid à Procuratore Cæſaris judicatum eſt, ſolus Princeps adversùs ſententiam ejus reſtituit [7]. Sic adversùs libertatem minori à Prætore ſubveniri impoſſibile eſt, niſi ex magna cauſa hoc à Principe fuerit conſecutus [8]. Eſt

1 L. 2. C. de reſcind. vendit. 2 L. 2. D. ex quib. cauſ. major. 3 L. virum. §. ex facto. D. de minorib. 4 L. 10. §. ſi uſus. D. commun. divid. 5 L. præſent. D. de minorib. 6 L. minor. 18. D. de minorib. 7 L. 1. C. ubi & apud quem in integr. reſtit. 8 L. ſi te ex cauſa, cum ſeq. D. de minorib.

A Est & alia Restitutionis species, quæ à Principe solo præstari potest, & à mera illius indulgentia proficiscitur. Singulare hujus exemplum habemus Antonini Caracallæ: *Hic cùm salutatus esset ab Gentiano, & Advento, & Opilio Macrino Præfectis Prætorio, Clarissimis Viris, & principalibus Officiorum & utriusque Ordinis viris, oblatusque esset ei Julianus Licinianus, ab Opilio Ulpiano, tunc Legato, in insulam deportatus; tunc Antoninus Augustus dixit: Restituo te in integrum Provinciæ tuæ. Ut autem scias quid sit in integrum restituere: Restituo te honoribus, & ordini tuo, & omnibus ceteris* [1]. B Itaque tantùm ad restitutionem indulgentia Principis valet, quantùm ad correctionem sententia valuit. Vtque deportationis ipsum per se nomen rerum omnium spoliatio est; ita indulgentiæ restitutio, bonorum ac dignitatis uno nomine amissorum, est recuperatio [2]. Vera tamen est illa Principum prudentum oratio ad Senatum: *Indulgentia, P. C. quos liberat, notat: nec infamiam criminis tollit, sed pœnæ gratiam facit* [3].

C a p. XXX.

De Orationibus Principum.

C ORationem Principum voco, omnem illorum in Senatu allocutionem, aut viva voce, aut ex scripto ab alio recitatam. Hujus variæ fuerunt species: nam aliæ sunt suasoriæ, aliæ sunt Principis sententiæ, cùm de re aliqua Senatus haberetur: quædam objurgatoriæ aut monitoriæ: nonnullæ sunt allocutiones sive deliberationes: aliæ vim legis obtinent, cùm Princeps de re aliqua quid constituit, orationemque in Senatu habet, ut illius auctoritate Senatusconsulto firmetur, quod decrevit. D Hoc dicendi vel scribendi genere, primò vim suam & Imperii Principes auxerunt, & tenuerunt. Hinc egregia vox Cn. Pisonis, moriente libertate, ad Tiberium: *Quo loco censebis, Cæsar? si primus, habebo quod sequar: si post omnes, vereor ne imprudens dissentiam*, Tacitus 1. *Annal.* Augustus pro concione, cùm ex more cœlibes & innuptos allocutus esset; lex Papia Poppæa de maritandis ordinibus secuta est, Dio *lib.* 56. quam Consules tulerunt non sponte, sed de Augusti sententia, Tacitus 3. *Annal.* Idem Augustus de filiæ probro, libello per Quæstorem recitato, notum Senatui fecit, abstinuitque congressu hominum diu præ pudore, Sueton. in *Augusto.* c. 65. E Libellos intelligo litteras Principis, quæ passim orationes vocantur ab Historiæ Augustæ Scriptoribus, Trebell. Pollio in *Claudio.* Nobilis est illa Tiberii oratio, cùm patris patriæ appellationem, & ne in acta sua juraretur, obstinatissimè recusasset, quæ apud Suetonium cuique obvia est in *Tiberio* cap. 67. ut ea de morte Germanici, apud Tacitum 3. *Annal.* quam meditato temperamento habuit. Orationem Claudii Principis præterire non possum, cùm A. Vitellio, L. Vipsanio COSS. dum de supplendo Senatu agitaretur, primoresque Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & Civitatem assecuti, jus adipiscendorum in Vrbe honorum F expeterent: nam cùm diversis studiis apud Principem certaretur, & illi contradiceretur, etiam statim contrà disseruit; & vocato Senatu ita exorsus est, ut Tacitus refert: *Majores mei, quorum antiquissimus Clausus, origine Sabina, simul in civitatem Romanam & in familias Patriciorum adscitus est*, &c. Eleganter Tacitus orationem Claudii expressit, quam quisque legere potest lib. 11. *Annal.* Sed longè aliter habita est à Claudio, alioque verborum contextu prolata, ut ex Tabula ærea, in qua incisa est, comprobatur: quam integram hîc subjicio, Inscript. fol. 502.

Ex una parte:

MAE. RERVM. NOSTR...... SII......
EQVIDEM. PRIMAM. OMNIVM. ILLAM. COGITATIONEM. HOMINVM.
QVAM. MAXIME. PRIMAM. OCCVRSVRAM MIHI. PROVIDEO. DEPRECOR. NE. QVASI. NOVAM. ISTAM.
REM. INTRODVCI. EXHORRESCATIS. SED. ILLA. POTIVS. COGITETIS. QVAM. MVLTA. IN. HAC. CIVITATE. NOVATA. SINT. ET. QVIDEM.
STATIM. AB. ORIGINE. VRBIS. NOSTRAE. IN. QVOT. FORMAS. STATVSQVE. RES. P. NOSTRA. DIDVCTA. SIT

QVONDAM. REGES. HANC. TENVERE. VRBEM. NE. TAMEN. DOMESTICIS. SVCCESSORIBVS. EAM. TRADERE. CONTIGIT. SVPERVENERE. ALIENI. ET. QVIDAM. EXTERNI. VT. NVMA. ROMVLO. SVCCESSERIT. EX. SABINIS. VENIENS. VICINVS. QVIDEM. SED. EXTERNVS. VT. ANCO. MARCIO. PRISCVS. TARQVINIVS. PROPTER. TEMERATVM. SANGVINEM: QVOD. PATRE. DEMARATO. CORINTHIO. NATVS. ERAT. ET. TARQVINIENSI. MATRE. GENEROSA. SED. INOPI. VT. QVAE. TALI. MARITO. NECESSE. HABVERIT. SVCCVMBERE. CVM. DOMI. REPELLERETVR. A. GERENDIS. HONORIBVS. POSTQVAM. ROMAM. MIGRAVIT. REGNVM. ADEPTVS. EST. HVIC. QVOQVE. ET. FILIO. NEPOTIVE. EIVS. NAM. ET. HOC. INTER. AVCTORES. DISCREPAT. INSERTVS. SERVIVS. TVLLIVS. SI. NOSTROS. SEQVIMVR. CAPTIVA. NATVS. OCRESIA. SI. TVSCOS. CAELI. QVONDAM. VIVENNAE. SODALIS. FIDELISSIMVS. OMNISQVE. EIVS. CASVS. COMES. POSTQVAM. VARIA. FORTVNA. EXACTVS. CVM. OMNIBVS. RELIQVIIS. CAELIANI. EXERCITVS. ETRVRIA. EXCESSIT. MONTEM. CAELIVM. OCCVPAVIT. ET. A. DVCE. SVO. CAELIO. ITA. APPELLITATVS. MVTATOQVE. NOMINE. NAM. TVSCE. MASTARNA. EI. NOMEN. ERAT. ITA. APPELLATVS. EST. VT. DIXI. ET. REGNVM. SVMMA. CVM. REIP. VTILITATE. OBTINVIT. DEINDE. POSTQVAM. TARQVINI. SVPERBI. MORES. INVISI. CIVITATI. NOSTRAE. ESSE. COEPERVNT. QVA. IPSIVS. QVA. FILIORVM. EIVS. NEMPE. PERTAESVM. EST. MENTES. REGNI. ET. AD. CONSVLES. ANNVOS. MAGISTRATVS. ADMINISTRATIO. REIP. TRANSLATA. EST

QVID. NVNC. COMMEMOREM. DICTATVRAE. HOC. IPSO. CONSVLARI. IMPERIVM. VALENTIVS. REPERTVM. APVD. MAIORES. NOSTROS. QVO. IN. ASPERIORIBVS. BELLIS. AVT. IN. CIVILI. MOTV. DIFFICILIORE. VTERENTVR. AVT. IN. AVXI-

1 L. 1. C. de sent. pass. & restitut. 2 L. fin. §. fin. C. eod. 3 L. 3. C. de general. abolition.

A XILIVM. PLEBIS. CREATOS. TRIBVNOS. PLEBEI. QVID. A. CONSVLIBVS. AD. DECEMVIROS. TRANSLATVM. IMPERIVM. SOLVTOQVE. POSTEA. DECEMVIRALI. REGNO. AD. CONSVLES. RVRSVS. REDITVM. QVID. IM : : : : : : VRIS. DISTRIBVTVM. CONSVLARE. IMPERIVM. TRIBVNOSQVE. MILITVM. CONSVLARI. IMPERIO. APPELLATOS. QVI. SENI. ET. SAEPE. OCTONI. CREARENTVR. QVID. COMMVNICATOS. POSTREMO. CVM. PLEBE. HONORES. NON. IMPERII. SOLVM. SED. SACERDOTIORVM. QVOQVE. IAM. SI. NARREM. BELLA. A. QVIBVS. COEPERINT. MAIORES. NOSTRI. ET. QVO. PROCESSERIMVS. VEREOR. NE. NIMIO. INSOLENTIOR. ESSE. VIDEAR. ET. QVAESISSE. IACTATIONEM. GLORIAE. PROLATI. IMPERII. VLTRA. OCEANVM. SED. ILLOC. POTIVS. REVERTAR. CIVITATEM.

B

Ex altera.

C .... SANE ...... NOVO .... DIVVS. AVG. ... NO .... LVS. ET. PATRVVS. TI. CAESAR. OMNEM. FLOREM. VBIQVE. COLONIARVM. AC. MVNICIPIORVM. BONORVM. SCILICET. VIRORVM. ET. LOCVPLETIVM. IN. HAC. CVRIA. ESSE. VOLVIT. QVID. ERGO. NON. ITALICVS. SENATOR. PROVINCIALI. POTIOR. EST. IAM. VOBIS. CVM. HANC. PARTEM. CENSVRAE. MEAE. APPROBARE. COEPERO. QVID. DE. EA. RE. SENTIAM. REBVS. OSTENDAM. SED. NE. PROVINCIALES. QVIDEM. SI. MODO. ORNARE. CVRIAM. POTERINT. RECIPIENDOS. PVTO

D

ORNATISSIMA. ECCE. COLONIA. VALENTISSIMAQVE. VIENNENSIVM. QVAM. LONGO. IAM. TEMPORE. SENATORES. HVIC. CVRIAE. CONFERT. EX. QVA. COLONIA. INTER. PAVCOS. EQVESTRIS. ORDINIS. ORNAMENTVM. L. VESTINVM. FAMILIARISSIME. DILIGO. ET. HODIEQVE. IN. REBVS. MEIS. DETINEO. CVIVS. LIBERI. FRVANTVR. QVAESO. PRIMO. SACERDOTIORVM. GRADV. POST. MODO. CVM. ANNIS. PROMOTVRI. DIGNITATIS. SVAE. INCREMENTA. VT. DIRVM. NOMEN. LATRONIS. TACEAM. ET. ODI. ILLVD. PALAESTRICVM. PRODIGIVM. QVOD. ANTE. IN. DOMVM. CONSVLATVM. INTVLIT. QVAM. COLONIA. SVA. SOLIDVM. CIVITATIS. ROMANAE. BENEFICIVM. CONSECVTA. EST. IDEM. DE. FRATRE. EIVS. POSSVM. DICERE. MISERABILI. QVIDEM. INDIGNISSIMOQVE. HOC. CASV. VT. VOBIS. VTILIS. SENATOR. ESSE. NON. POSSIT

E

TEMPVS. EST. IAM. TI. CAESAR. GERMANICE. DETEGERE. TE. PATRIBVS. CONSCRIPTIS. QVO. TENDAT. ORATIO. TVA. IAM. ENIM. AD. EXTREMOS. FINES. GALLIAE. NARBONENSIS. VENISTI

F

TOT. ECCE. IVVENES. INSIGNES. QVOT. INTVEOR. NON. MAGIS. SVNT. PAENITENDI. SENATORES. QVAM. PAENITET. PERSICVM. VIRVM. NOBILISSIMVM. AMICVM. MEVM. INTER. IMAGINES. MAIORVM. SVORVM. ALLOBROGICI. NOMEN. LEGERE. QVOD. SI. HAEC. ITA. ESSE. CONSENTITIS. QVID. VLTRA. DESIDERATIS. QVAM. VT. VOBIS. DIGITO. DEMONSTREM. SOLVM. IPSVM. VLTRA. FINES. PROVINCIAE. NARBONENSIS. IAM. VOBIS. SENATORES. MITTERE. QVANDO. EX. LVGDVNO. HABERE. NOS. NOSTRI. ORDINIS. VIROS. NON. PAENITET. TIMIDE. QVIDEM. P. C. EGRESSVS. ADSVETOS. FAMILIARESQVE. VOBIS. PROVINCIARVM. TERMINOS. SVM. SED. DISTRICTE. IAM. COMATAE. GALLIAE. CAVSA. AGENDA. EST. IN. QVA. SI. QVIS. HOC. INTVETVR. QVOD. BELLO. PER. DECEM. ANNOS. EXERCVERVNT. DIVOM. IVLIVM. IDEM. OPPONAT. CENTVM. ANNORVM. IMMOBILEM. FIDEM. OBSEQVIVMQVE. MVLTIS. TREPIDIS. REBVS. NOSTRIS. PLVSQVAM. EXPERTVM. ILLI. PATRI. MEO. DRVSO. GERMANIAM. SVBIGENTI. TVTAM. QVIETE. SVA. SECVRAMQVE. A. TERGO. PACEM. PRAESTITERVNT. ET. QVIDEM. CVM. AD. CENSVS. NOVO. TVM. OPERE. ET. INADSVETO. GALLIIS. AD. BELLVM. ADVOCATVS. ESSET. QVOD. OPVS. QVAM. ARDVVM. SIT. NOBIS. NVNC. CVM. MAXIME. QVAMVIS. NIHIL. VLTRA. QVAM. VT. PVBLICAE. NOTAE. SINT. FACVLTATES. NOSTRAE. EXQVIRATVR. NIMIS. MAGNO. EXPERIMENTO. COGNOSCIMVS.

Dicentem Principem Consul interpellavit; qui perrexit porrò dicere, & verbis paucioribus sententiam suam aperire, ex qua secuto Patrum consulto, primi Ædui Senatorum in Vrbe jus adepti sunt, & quod Princeps exemplis tuebatur, inter exempla fuit.

Imperatores omnes ad Vitellium, præcipuè Cæsarum genus, adeò litteris exculti fuerunt, ut ni cunctis vitiis, Augusto excepto, nimii fuissent, tantæ dotes minora flagitia texissent, Aurel. Vict. in *Vitellio*. Hi enim ad dicendum paratissimi si præsentes essent, Quæstoris aut alterius operâ non indigebant. Neronis primùm, cùm in Thraseæ necem vocari Patres jussisset, oratio per Quæstorem ejus audita est, quâ Patres argueret, quòd publica exempla desererent, Tacit. lib. 16. *Annal.* Idem ille, de quibusdam rebus orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per Consules plerumque recitabat, Sueton. in *Nerone* cap. 15. Hunc morem deinde Principes posteriores secuti: nam Titus Vespasianus patris nomine in Senatu orationes Quæstoris vice recitavit, Sueton. in *Tito* cap. 6. & orationem Trajani Hadrianus cùm in Senatu pronuntiasset agrestiùs, & ipse risus est, Spartianus in *Hadriano*.

Multa exstant orationum exempla in Historiæ Augustæ Scriptoribus, quæ aut ad Senatum scriptæ sunt, aut per Quæstorem recitatæ: hic enim libris principalibus in Senatu legendis vacabat, ut Epistolas, libellos, litteras, quæ orationis nomine

continentur, recitabat. Horum aliquas tanto honore Senatus habuit, cùm Principi adulari didicisset, ut ob unam à Numeriano Imperatore missam, quæ aliquid elegantiæ habere visa est, decreverit illi statuam non quasi Principi, sed quasi Rhetori in Bibliotheca Vlpia ponendam, Vopiscus in *Numeriano*. Neroni antea hic honor habitus cum dignitate: nam quæ legit in Senatu, abs se & à Seneca conscripta, tantam vim ad demulcendos animos habuerunt, ut decreto Senatus insculperentur in columna argentea, ac quotannis creandis novis Consulibus legerentur: Xiphil. in *Nerone*: Τοσαῦτα δὲ καὶ πρὸς τὴν βουλὴν γραφέντα ἀνέργῳ, ὥστε καὶ ἐς ἀργυρᾶν στήλην ἐγγραφῆναι, καὶ ἐν ταῖς νέαις τῶν ἀεὶ ὑπάτων ἀρχαῖς ἀναγινώσκεσθαι ψηφισθῆναι.

Prætereo objurgationes, aut vanas orationes Principum ad Senatum: sed ineptam Commodi rideo, qui cùm in Senatu multas nugas dixisset, in suis laudibus præter cetera posuit, quòd cùm equitaret, aliquando patrem multo cœno, in quo ceciderat, liberarit: Xiphil. in *Commodo*: Ἐν τοῖς ἐπαίνοις εἶπεν, ὅτι τὸν πατέρα ποτὲ ἐς πηλὸν βαθὺν ἐμπεσόντα ἱππεύων ἐρρύσατο. Ad eas venio quæ verè orationes dici possunt, & Juris nostri aliquam partem faciunt.

In Pandectis plerasque hujusmodi orationes habemus, atque inter eas Hadriani Imperatoris, Senatusconsulto firmatas. Vnius meminit Vlpianus, quam suprà attigimus, & Senatusconsulti verba solùm referuntur quæ orationi simillima [1]. Multæ sunt M. Antonini, & Commodi Severi, & Antonini. Sed celebris illa M. Antonini, cujus Paulus meminit, & ad quam librum scripsit singularem: *Oratione*, inquit [2], *D. Marci cavetur, ut si Senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptiæ essent: quam & Senatusconsultum secutum est.* Nec nuptias, dixit oratio, idque eleganter, quod hucusque omnes Juris Interpretes fugit. *Nec nuptiæ* sunt, injustæ nuptiæ, quæ interim nuptiæ quidem non sunt, sed aliquando justæ fieri possunt. Atque hic loquendi modus Juris Auctoribus familiaris est. Sic enim Marcellus [3]: *Qui pupillam duxit uxorem contra Senatusconsultum, nec matrimonium hoc est.* Sic Vlpianus, *eum, qui se libertinum fatetur, nec adoptando ingenuum Patronus facere potest* [4]. Quod ita Marcianus interpretatur, libertinum qui se ingenuo dedit arrogandum, in ejus quidem familia, ingenui jura consequitur: ut libertinus tamen à Senatoris filiæ nuptiis repellendus est [5]. Dictio, *Nec*, disjunctiva non est, perpetuò Juris exclusiva in nuptiis, sed ob legis aut Senatusconsulti prohibitionem, nec nuptiæ sunt, vel, ut Vlpianus loquitur, *cessat matrimonium*, ut putà in ea quæ tutori suo nupsit, vel contra mandata convenit [6]. Cessare, est tardare, intermittere, moram facere: ut cessat tutor, qui tutelam non administrat, & qui postea administrare potest [7]. Nec nuptiæ quæ sunt, justæ fieri possunt; ut si Senatori, Principis indulgentiâ, fuerit permissum libertinam uxorem justam habere, potest uxor justa videri, quamvis ante Principis indulgentiam justa non fuerit [8]. Vel si Senator in ea conditione est, ut amittat dignitatem, uxor esse incipiet [9]. Item Præfectus cohortis, vel equitum, aut Tribunus si contra interdictum, ejus Provinciæ duxit uxorem, in qua officium gerebat; matrimonium nec est [10], id est, nec maritus dici potest; cùm tamen nupta

1 L. item veniunt. §. pridie. D. de petit. hered. 2 L. oratione. D. de rit. nupt. 3 L. qui pupillam. D. ad leg. Jul. de adulter. 4 L. fin. D. de statu hominum. 5 L. sciendum. D. de rit. nupt. 6 L. si concubina. D. de rit. nupt. 7 L. 1. §. 1. D. de administr. tutor. 8 L. si Senatori. D. de rit. nupt. 9 L. si quis in Senatorio. D. eod. 10 L. Præfectus. D. eod. l. 7. C. de donat. int. vir. & uxor.

uxoris loco sit: quæ si post depositum officium in eadem voluntate perseverarit, justæ nuptiæ efficiuntur [1]. Vnde aliquando putavi legendum apud Terentium in *Andria* actu 1. scena 3.

——— hæc Andria,
Sive justa uxor, sive amica est.

In vulgatis scriptum, *sive ista uxor*. Alius præterea est harum nec nuptiarum effectus, ut si quis contra Senatusconsultum uxorem duxerit, illa quidem ex testamento viri capere possit; ipse autem vir non possit; quia imputari mulieri nihil potest, quæ decepta est, & potentatus ratio illam excusatam habet [2], nec tamen matrimonium constat quoad virum, quantùm ad civiles effectus [3]. Sunt & aliæ in Pandectis M. Antonini orationes à Jurisconsultis latiùs explicatæ. Oratione illius exprimitur, *ne quis messium vindemiarumque tempore cogat ad Judicium adversarium venire* [4]. *Eadem oratione in Senatu recitata, effecit de aliis speciebus, Prætorem adiri, etiam diebus feriatis: ut putà, ut tutores & curatores dentur: ut officia admoneantur: cessantes excusationes allegentur: alimenta constituantur: ætates probentur: jus dicatur de rebus quæ tempore sunt perituræ* [5]. Quod autem statuit illa oratione, ut officia admoneantur; officia pro Magistratuum Ministris accipienda sunt; quæ admonere, id est, coercere & castigare quoquo tempore Magistratui licet. Sic admonitio fustium à Callistrato dicitur [6].

Alia oratione idem M. Antoninus etiam in Senatu recitata effecit, *ne aliter alimentorum transactio rata esset, quàm si auctore Prætore facta esset*: quam Vlpianus plenè interpretatur [7]. Error est in inscriptione legis *Sciendum*, *D. de ritu nuptiarum*, quæ desumta dicitur *ex libro Pauli singulari, ad Orationem D. Severi & Commodi.* Nec enim Severum Commodo conjungi, aut illi anteponi ratio patitur. Quare ex alio legis titulo emendandum est [8], *Paulus libro singulari ad Orationem D. Antonini & Commodi.* Error hinc irrepsit, quòd in lege *Sciendum*, ita Severum & Antoninum rescripsisse Paulus tradit, quasi illorum rescriptum Antonini & Commodi Orationis interpretationem contineret: cùm Orationis à D. Marco habitæ verba deficerent [9]. Sic Justinianus ad certum casum extendendam D. Marci orationem monet [10].

Orationis Severi, quam in Senatu habuit, hæc verba ab Vlpiano referuntur [11]: *Præterea P. C. interdicam tutoribus & curatoribus, ne prædia rustica vel suburbana distrahant, nisi ut id fieret parentes testamento vel codicillis caverint*, &c. Ad hanc Orationem multa Vlpianus, sed & Paulus librum etiam singularem scripsit [12]. Atque hanc Orationem Gordianus Imperator *D. Severi beneficium vocat* [13]. His Orationibus unam Antonini Caracallæ non omittendam adtexo: *Cùm moribus receptum esset, ne inter virum & uxorem donationes valerent, ne mutuo amore invicem spoliarentur: hæc ratio oratione Imperatoris Antonini electa est*: cujus verba hæc scripsit Vlpianus paucis [14]: *Majores nostri*, ait, *inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes,* *fa-*

1 L. 6. C. de nuptiis. 2 L. fin. D. de leg. 1. 3 L. Præfectus. D. de rit. nupt. 4 L. 1. D. de feriis. 5 L. 2. & 3. D. eod. 6 L. 7. C. de pœn. 7 L. cùm ii. D. de transactionib. 8 L. si quis tutor. D. de ritu nupt. & l. oratio. D. de sponsalib. 9 L. 17. C. de excusat. tut. 10 L. fin. §. fin verò. D. de testamentar. manumiss. 11 L. 1. D. de reb. cor. 12 Tit. l. 2. D. eod. 13 L. 2. C. de curator. furios. 14 L. cùm hic status. D. de donat. int. vir. & uxor.

famæ etiam conjunctorum consulentes; ne concordia pretio conciliari videretur: neve melior in paupertatem incideret, deterior ditior fieret[1]. *Quam sententiam ante excessum patris sui Severi temperavit, alia oratione in Senatu habita, qua auctor fuit Senatui censendi, ut aliquid laxaret de juris rigore, & donationes hujusmodi confirmaret.* Gordianus Imperator hanc orationem Severo tribuit[2], cùm tamen sit Antonini, qui eam ante obitum patris pronuntiavit.

CAP. XXXI.

De Legibus & Constitutionibus Principum.

Lege Regia de Imperio lata, Populus Principi omne imperium & potestatem contulit. Pars legis in tabula ærea in Basilica Lateranensi sic incisa legitur, quæ in Vespasiani gratiam à S. P. Q. R. lata vel potiùs renovata est. Inscript. 242.

FOEDVSVE. CVM. QVIBVS. VOLET. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVS. CONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. DIVO. AVG. TI. IVLIO. CAESARI. AVG. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. CVM. EX. VOLVNTATE. AVCTORITATEVE. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. PRAESENTEVE. EO. SENATVS. HABEBITVR. OMNIVM. RERVM. IVS. PERINDE. HABEATVR. SERVETVR. AC. SI. E. LEGE. SENATVS. EDICTVS. ESSET. HABERETVRQVE.

VTIQVE. QVOS. MAGISTRATVM. POTESTATEM. IMPERIVM. CVRATIONEMVE. CVIVS. REI. PETENTES. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. COMMENDAVERIT. QVIBVSQVE. SVFFRAGATIONEM. SVAM. DEDERIT. PROMISERIT. EORVM. COMITIIS. QVIBVSQVE. EXTRA. ORDINEM. RATIO. HABEATVR.

VTIQVE. EI. FINES. POMERII. PROFERRE. PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO.

VTIQVE. QVAECVMQVE. EX. VSV. REIPVBLICAE. MAIESTATE. DIVINARVM. HVMANARVM. PVBLICARVM. PRIVATARVMQVE. RERVM. ESSE. CENSEBIT. EI. AGERE. IVS. POTESTASQVE. SIT. ITA. VTI. DIVO. AVG. TIBERIOQVE. IVLIO. CAESARI. AVG. TIBERIOQVE. CLAVDIO. CAESARI. AVG. GERMANICO. FVIT.

1 L. 3. C. de donat. int. vir. & uxor. 2 L. 10. C. eod.

VTIQVE. QVIBVS. LEGIBVS. PLEBEIVE. SCITIS. SCRIPTVM. FVIT. NE. DIVVS. AVG. TIBERIVSVE. IVLIVS. CAESAR. AVG. TIBERIVSQVE. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. GERMANICVS. TENERENTVR. IIS. LEGIBVS. PLEBISQVE. SCITIS. IMP. CAESAR. VESPASIANVS. SOLVTVS. SIT. QVAEQVE. EX. QVAQVE. LEGE. ROGATIONE. DIVVM. AVG. TIBERIVMVE. IVLIVM. CAESAREM. AVG. TIBERIVMVE. CLAVDIVM. CAESAREM. AVG. GERMANICVM. FACERE. OPORTVIT. EA. OMNIA. IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG. FACERE. LICEAT.

VTIQVE. QVAECVNQVE. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. ACTA. GESTA. DECRETA. IMPERATA. AB. IMPERATORE. CAESARE. VESPASIANO. AVG. IVSSV. MANDATVVE. EIVS. A. QVOQVE. SVNT. EA. PERINDE. IVSTA. RATAQVE. SINT. AC. SI. POPVLI. PLEBISVE. IVSSV. ACTA. ESSENT.

Sanctio.

SI. QVIS. HVIVSCE. LEGIS. ERGO. ADVERSVS. LEGES. ROGATIONES. PLEBISVE. SCITA. SENATVSVE. CONSVLTA. FECIT. FECERIT. SIVE. QVOD. EVM. EX. LEGE. ROGATIONEVE. PLEBISVESCITO. S. VE. C. FACERE. OPORTEBIT. NON. FECERIT. HVIVS. LEGIS. ERGO. ID. EI. NE. FRAVDI. ESTO. NEVE. QVIT. OB. EAM. REM. POPVLO. DARE. DEBETO. NEVE. CVI. DE. EA. RE. ACTIO. NEVE. IVDICATIO. ESTO. NEVE. QVIS. DE. EA. RE. APVD. SE. AGI. SINITO.

Præclarum hoc Antiquitatis monumentum Antonius Augustinus explicavit in lib. *de Legibus*, in quo mihi facessebat negotium Tiberius Julius Cæsar, qui alius à Tiberio, qui post Augustum tenuit Imperium, primùm videbatur: nec enim Tiberii Julii nomen me legere apud Auctorem ullum memini, nec mendum fabrile ausus sum suspicari in hac tabula, in qua non semel repetitum est Tiberii Julii nomen. Quod cùm attentiùs meditarer, venit in mentem Augustum in Nummis Divi filium, in Fastis Consularibus D. Julii filium nuncupatum. Hinc cùm Fastos diligentiùs evolverem, invenio in his Tiberium Julium, D. Augusti filium, D. Julii nepotem inscribi:

TI. IVLIVS. DIVI. AVGVSTI. F. DIVI. IVLI. N. CAESAR. AVG.

Unde constat Tiberium Julium D. Augusti filium esse revera Tiberium, tertium Populi Rom. Imperatorem.

In hac lege Regia immorabor, atque in eo, quòd sexto capite, Vespasianus legibus solutus est; quod perperam à multis intellectum: etenim legibus ita solutos Imperatores Dio scribit, quoniam omnis agendi licentia eis datur, eosque usurpasse ut legibus soluti esse dicerentur, hoc est, omni legis necessitate liberati, nec iis, quæ scripta sunt, subjecti: *lib.* 53. Τυτέστιν ἐλεύθεροι ἀπὸ πάσης ἀναγκαίης νομίσεως εἰσὶ, καὶ ὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχονται. Quod non ad omnes leges porrigi ipsi Principes consentiunt, sed ad eam multitudinem & infinitam varietatem legum novarum, quæ dissen-

ſione ordinum, & adipiſcendi illicitos honores, aut pellendi claros viros, aliaque prava, per vim aut gratiam latæ erant. Nam corrupta Republica plurimæ hujuſmodi leges, ut Tacitus queritur 3. *Annal.* Quales ſunt Papia Poppæa, lex viceſimæ hereditatium, & aliæ hujuſmodi, quæ Principem non ligant. Hinc cùm Vlpianus ſcripſit Principem legibus ſolutum eſſe, de lege Papia Poppæa intellexit [1]: nam Vlpiani lex ſumta eſt ex *lib.* 13. ad Juliam & Papiam, ad quam viginti libros ſcripſit.

At leges naturales etiam contra Principem valent, omniſque illegitima exceptio rejicitur, *καὶ κατὰ Βασιλέως οἱ γενικοὶ κρατείτωσαν νόμοι, καὶ πᾶσα παράνομος ἐκβαλλέσθω παραγραφή* [2]. Nec ſi regnante Tarquinio ulla ſcripta lex eſſet de ſtupro, idcirco non contra legem illam ſempiternam Tarquinius vim Lucretiæ afferre potuit. Etenim *probra quædam*, ait Vlpianus [3], *naturâ turpia ſunt, quædam civiliter & quaſi more civitatis. Vt putà furtum, adulterium naturâ turpe eſt.* Lex ergo, quæ eſt ratio ſumma à natura inſita, quæ jubet ea quæ facienda ſunt, prohibetque contraria, nullo jure tolli poteſt; quia, ut ait Tullius lib. 2. *de Legib. legis vis, non modò ſenior eſt quàm ætas populorum & civitatum; ſed æqualis illius cælum & terras tenentis & regnantis Dei.* Quapropter cùm Princeps lex vera ſit, & recta ratio ſummi Dei; digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri; quia de auctoritate legis, illius pendet auctoritas, & revera *majus Imperio eſt ſubmittere legibus principatum* [4].

Lex igitur Regia, quæ & *lex Imperii* ab Alexandro Principe vocatur [5], ſolemnibus juris, ut ipſe reſcripſit, Imperatorem ſolvit: quod rectè Accurſius intellexit; ut licèt Princeps formulas aut ſolennia juris non obſervet, nemo poſſit ejus Acta infirmare. Sed ſi privatus à juris ſolennibus receſſerit, nihil transfert in Principem. Vt ex imperfecto teſtamento nec Imperatorem capere poſſe, lege conſtitutum eſt [6]. Nam cùm heredes inſtituuntur Auguſtus aut Auguſta, jus commune cum ceteris habent: quod Paulus ſic intelligit, ut cùm Imperatorem ex imperfecto teſtamento legata, vel fideicommiſſa vendicare, verecundum eſſe dicat, hanc optimam affert rationem: *decet enim tantæ Majeſtati eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus videtur.* Quòd ſi Princeps à jure communi aliquando vellet recedere, id ex juſta & probabili cauſa ab ipſo conſtituendum erat, ut Imperator Antoninus fecit, qui conſtituit *ſucceſſori Principi deberi quod Principi relictum eſt, ſi antequam dies legati cederet, ab hominibus ereptus eſſet* [7]. Quod ad Auguſtam trahi noluerunt, cui ſi quid legatum eſſet, & inter homines eſſe deſiiſſet, deficiebat quod relictum eſt, ut Hadrianus in Plautinæ, & Antoninus in Fauſtinæ Auguſtæ perſona conſtituerunt [8]: nam Auguſta legibus ſoluta non eſt, niſi Principis privilegio [9]: quod in iis, quæ contra juris rationem conſtituta ſunt, perſonam non egreditur, nec producendum eſt ad conſequentiam [10].

Miratus ſum aliquando, cùm Romani Principes tot leges ipſi condiderint, nullam tamen ſub eorum nomine in Pandectarum libris enuntiatam. Vnus Auguſtus pleraſque Julias leges tulit; multas non adjecto nomine, licèt & quaſdam retractarit, & quaſdam ex integro ſanxerit, Sueton. in *Auguſto* c. 34. Imò cùm ille de viceſima hereditatium legem tuliſſet, viceſimæ legem voluit nuncupari, non Auguſtam: ea fortè ratione, quòd lex illa à nullo probata & iniqua, Dio *lib.* 55. cui tandem ab Imperatore Trajano derogatum, qui lachrymas parentum vectigales paſſus non eſt, Plin. in *Panegyrico*. Eadem lex acciſa ab Imperatoribus ceteris, & poſtremùm abolita: ad quam Æmilius Macer, Papiniani diſcipulus, duos libros ſcripſit [1], ex quibus colligimus hanc legem ad Alexandri Severi tempora duraſſe.

Conſtitutiones Principum ad ipſas leges, pragmaticas juſſiones, edicta, mandata, decreta, epiſtolas, interpretationes, ſubſcriptiones, interlocutiones, beneficia, atque etiam orationes referuntur. Hæc enim omnia vim legis habere certiſſimi juris eſt. Planè ex iis quædam ſunt perſonales, quæ nec ad exemplum trahuntur; quædam generales [2]. Generales leges ſunt, quæ vel oratione conduntur, vel incerto edicti vocabulo nuncupantur [3]. Conſtitutiones enim cùm generale nomen habeant, non omnes ſunt generales; ſed ut genus nonnihil à ſpeciebus differunt: & propriè Conſtitutiones vocantur leges, quæ fiunt iis duntaxat negotiis atque perſonis quibus fuerunt promulgatæ. Nam quæ per Relationem aut Suggeſtionem Judicum, aut aliorum ſtatuta ſunt, & quæ Corporibus, Legatis, Provinciis vel Civitati, vel Curiæ conceduntur, generalia jura non faciunt [4]. Conſtitutionibus autem Princeps emendat jus vetus, quod certum eſt: ut deciſionibus certum facit, quod erat controverſum. Papirius Juſtus libros viginti Conſtitutionum compilavit, quorum reliquiæ in Pandectis ſparſæ varias leges conficiunt, quæ omnes ab hoc verbo IMPERATORES incipiunt; & ad Antoninum & Verum referuntur, ſi unam excipiamus, quæ ab Antonino ſolo ad Avidium Caſſium [5]. Sed quidquid à Principe conditur, generali nomine Conſtitutio vocatur.

Cap. XXXII.

De Pragmaticis Juſſionibus, & Edictis Principum.

Πραγμάτεια, inquit Heſychius, *σύγγραμμα βίβλε, ἢ λόγος.* Pragmatica Juſſio, ſeu Sanctio, non ad ſingulorum preces ſuper privatis negotiis profertur, ſed tantùm ad preces alicujus Corporis, Collegii, Civitatis, vel Provinciæ: Πραγματικὸς *δὲ θεῖος μὴ ἐκφωνείσθω τύπος πρὸς ἰδικὴν τινος ἰδιωτικῦ πράγματος δέησιν, ἀλλὰ μόνον πρὸς σωματείων, ἢ ἑτέρων σύστημα, ἢ πόλιν, ἢ ἐπαρχίαν* [6]. Hæc fit de conſilii ſententia, ſuggeſtione aliena precibuſve [7]. Breviter Pragmaticæ Juſſiones ſunt, reſcripta diligentiùs diffuſiúſque tractata apud Principem in publicis negotiis cujuſque Vniverſitatis, vel Provinciæ, quæ inter generales leges numerantur.

Pragmaticæ Juſſiones ſunt quæ aliquid jubent; Sanctiones quæ prohibent: quod ex Novella Theodoſii & Valentiniani dignoſcitur [8], quæ de Palatinis miſſa eſt ad Florianum Comitem S. L. id eſt, *ſacrarum largitionum:* Floriane FR. A. hoc eſt, *frater ave, Illuſtris auctoritas tua, Pragmatici noſtri ſecuta præceptum, ſciat ſecundùm ſuggeſtionem tuam Palatinos omnes* S. L. *qui ſtipendiis non peractis, ſine teſtimonio, vel auctoritate Præſulis ſui ad Eccle-*

1 L. Princeps. D. de legib. 2 Lib. 2. Βασιλικ. tit. 6. cap. 1. 3 L. 42. D. de verb. ſign. 4 L. dign. vox. C. de legib. 5 L. 3. C. de teſtament. 6 L. ex imperfect. D. de leg. 3. 7 L. quod Principi. D. de leg. 2 8 L. ſi Auguſtæ. D. eod. 9 L. Princeps. D. de legib. 10 L. quod verò. D. eod.

1 Paul. lib. 4. Sentent. tit. 6. 2 L. 1. D. de conſtit. princip. 3 L. 3. C. de legib. 4 L. 2. C. de legib. 5 L. Imperator. D. de pact. 6 Lib. 2. Βασιλικ. tit. 5. cap. 27. 7 L. fin. C. de prox. ſacr. ſcrinior, 8 Novel. 25.

Ecclesiastica obsequia transiere, nomine Clericorum & privilegio singuli superioris exsutos, Palatino Officio & militiæ protinus esse reddendos. Atque hoc circa Universos oportere servari, quos intra Tricennium post militiæ commutationem, Pragmaticæ hujus Sanctionis forma repererit.

Edicta verò non aliena suggestione, sed ex sua natura motus Princeps statuit, ut eat obviam iis, quæ si contingerent, damno vel dolori subditis essent: Ἔστιν ἔδικτον πᾶν ὅπερ ἐξ οἰκείας φύσεως κινηθεὶς ὁρίζει ὁ Βασιλεὺς πρὸς τὴν τῶν ὑπηκόων εὐταξίαν καὶ λυσιτέλειαν [1].

Edicta perpetua, non rectè putat Accursius generalia appellari [2]: namque Edicta illa, Prætorum sunt, quorum Jurisdictio suis finibus conscripta, Vrbem non egreditur: ideoque Edicta Prætoris urbani nuncupantur, quæ lege Cornelia perpetua facta sunt, ut Prætores iis translatitiis uterentur, nec ad arbitrium suum jus dicerent. Hæc Edicta Julianus collegit, & sub titulis posuit, quæ perpetui Edicti ordinatio à Justiniano dicitur [3]. Habebant etiam Provinciales Edicta Provincialia: hinc tot Jurisperitorum libri ad Edictum urbanum, & ad Edictum Provinciale. Ad Edictum Prætoris Vlpianus unum & octoginta libros scripsit, duos & triginta ad Edictum Provinciale.

Generalia ergo tantùm sunt Principum Edicta, sed non omnia: nam quædam etiam sunt specialia, quæ Vrbis aut Provinciæ utilitatem respicerent, aut breviter aliquid monerent. Atque hæc *monitoria Edicta* vocantur, quæ *Brevia*, ad quæ Paulus Brevium εἴκοσι τρία βιβλία vulgavit, quæ sic inscripta ab eo, ut plures Jurisconsultorum libri titulos habent Græcis nominibus cum Latinis intextos.

Monitorium est Edictum Tiberii, quo prævenit vulgi sermones de morte Germanici, in quo præclarum illud dictum meliori Principe dignum: *Principes mortales, Rempublicam æternam esse*, Tacit. 3. *Annal.* Edictum hujusmodi Breve dictum est: quod & Magistratuum est proprium, ut ex Plinio observamus *lib.* 5. *ep.* ultima: *Nepos Prætor*, inquit, *proposuerat breve Edictum: admonebat accusatores, admonebat reos, exsecuturum se, quæ Senatusconsulto continerentur.* Hoc genere Edicti Principes usi sunt, si quid notum fieri vellent, quale illud fuit Alexandri Severi, (Lamprid. in *ejusd. Vita*) qui cùm iter suscipere cogitaret, itinerum dies publicè proposuit, ita ut penderet ante menses duos, in quo scriptum, *Illa die, illa hora, ab Vrbe sum exiturus, si Dii voluerint. In prima mansione mansurus*, &c. deinde stativæ: deinde ubi annona esset accipienda. Congiarium per Edictum Populo Romano promisit Diadumenus Imperator, quod ita scriptum erat: *Vellem, Quirites, jam præsentes essemus; Antoninus vester Congiarium suo nomine daret. Daret præterea & pueros Antoninianos, & puellas Antoninianas, quæ tam grati nominis gloriam propagarent*, Capitolin. in *Diadumeno*. Congiarium, ἐπίδοσις ἐπὶ τῶν νομῶν, Gloss. vet. Quod à viris Principibus liberalitatis ergo præstabatur.

Alia Edicta Principum specialia sunt, ut illud Augusti, quod deinde Claudii, quo interdictum ne fœminæ pro viris suis intercederent, ad Romanos Cives pertinebat; quod postea ex Senatusconsulto omnibus fœminis plenissimè concessum est [4]. Ideoque Edictum perpetuum Diocletianus & Maximianus dixerunt, quòd Senatusconsulto firmatum esset [5]. Hæc enim Edicta specialia nisi Senatusconsulto probarentur, perpetuam non habebant juris auctoritatem. Quare Edictum Augusti sublatum est, quo cautum fuerat, ne pater filium militem exheredaret [1]. Illa tamen Edicta vim legis habebant, si juris ratione niterentur, ut si quid legi adjicerent aut derogarent. Sic Claudius Princeps Edicto præcepit, adjiciendum legi Corneliæ, *ut si quis cùm alterius testamentum, vel codicillos scriberet, legatum sibi sua manu adscripsisset, perinde teneretur, ac si in legem Corneliam incidisset* [2]. Cautum hoc à Nerone scribit Suetonius in *Nerone* cap. 17. ne quis alieni testamenti scriptor legatum sibi adscriberet. Quem lapsum Levinus Torrentius notat, cui lex & ratio temporum apertè refragatur, ut putat: legem enim Corneliam de falsis secutum est Senatusconsultum Libonianum, ait, Scribonio Libone & Statilio Tauro COSS. Quo tempore ex Fastis Consularibus Claudius Imperio præfuit, quod & legis Antonini auctoritate fulcire nititur. Ille enim disertè [3]: *Senatusconsulto & Edicto D. Claudii prohibitum est, eos qui ad scribunda testamenta adhibentur, quamvis dictante testatore, aliquod emolumentum ipsi scribere, & pœna legis Corneliæ facienti irrogata est.* Sed non falluntur qui Suetonium secuti pro Claudio Neronem interpretantur. Valde enim lapsus est Torrentius, qui Senatusconsultum ad Scribonii Libonis tempora retrotrahit. Quare rectè scripsit Suetonius id Neronem cavisse: qui Claudii nomen adoptionis jure retinuit. Sic titulus Pandectarum de Senatusconsulto Silaniano & Claudiano ad Neronem refertur. Silaniano enim junctum est Claudianum, quod & Neronianum Paulus vocat [4]: quod quidem primùm factum D. Augusti temporibus Cujacius putat lib. 1. *Observat.* cap. 18. hoc argumento, quòd Lepido & Tauro COSS. quinquennii tempus constitutum est Senatusconsulto in cognitione aperti adversùs Senatusconsultum testamenti, ejus qui à familia sua occisus dicitur. Id verò, ait Cujacius, Augusti temporibus factum est, Lepido & Tauro COSS. & est verisimile præcedenti anno, id est, Dolabella & Silano COSS. factum Senatusconsultum Silanianum. Quod quidem mihi vix probari potest: nam cùm Senatusconsulta, quæ nominibus suis nota sunt, ante Imperatorum tempora ἀνώνυμα essent, & ex Fastis Consularibus P. Cornelius Dolabella & C. Julius Silanus anno ab Vrbe condita DCCLXII. sub Augusto Consulatum gesserint: & insequenti anno M. Æmilius Lepidus cum Statilio Tauro COSS. creati, sub quibus Senatusconsultum factum: credibile non est à prioribus Consulibus denominatum Senatusconsultum, quod factum est postquam illi Magistratu abierunt. Quare Silanianum hoc malim ad Junium Silanum referre, qui sub Tiberio cum P. Silio Nerva Consul fuit anno ab Vrbe condita DCCXXC. ex cujus nomine nomen Senatusconsulto impositum est. Minùs etiam probo quod Cujacius [5], Pisonianum Senatusconsultum, idem esse credit, quod Claudianum seu Neronianum: nam in iisdem Fastis Consularibus tres Pisones numerantur: primus qui cum Licinio Crasso COS. fuit, anno ab V. C. DCCLXXIX. alter Calphurnius Piso Magnus, L. Vitellii Collega, anno DCCC. tertius Piso, Neronis Collega, anno DCCCX. Pisonianum ergo Senatusconsultum nomini illius Pisonis tribuo, qui cum Licinio Crasso Consulatum gessit, primusque renuntiatus est: nam Senatusconsulta unius tantùm Consulis nomen sortiebantur, ut Trebellia-

 num,

1 Theophil. Inst. de jur. nat. gent. & civil. 2 L. 2. D. de statu homin. 3 In procemio D. §. & primo. 4 L. 2. D. ad Senatusconsult. Velleian. 5 L. 19. C. eod.

1 L. filiusfam. D. de lib. & posthum. 2 L. Divus. D. ad leg. Corn. de falsis. 3 L. 3. C. de iis qui sib. adscrib. in testament. 4 Lib. 3. Sentent. tit. 5. 5 Ad lib. 48. Pauli ad Edict. l. 8.

num, quod temporibus Neronis Annæo Seneca & Trebellio Maximo COSS. factum est[1]: Velleianum, quod sub Augusto, M. Silano & Velleio Tutore COSS. Silanianum, quod sub Tiberio: Tertullianum sub Hadriano, Tertullo & Maximo COSS. Turpillianum sub Antonino Caracalla, L. Turpillio Dextro & Mætio Rufo COSS. Quæ omnia illius Consulis nomen ferunt, qui verba fecerat de iis quæ Senatus censebat. Nec uspiam legitur Senatusconsulti nomen ab utrisque Consulibus datum. Quare cùm Claudianum seu Neronianum à Claudio Nerone nomen habeat, frustra Pisonis in Consulatu Collegæ nomen sortiretur, vel ob solam ipsius Principis dignitatem, cùm ad relationem Neronis factum dici possit, qui Senatusconsultum Edicto tutatus est, quo Populum increpuit, quòd conglobata multitudine saxa & faces minitaretur: atque omne iter, quo damnati ad supplicium ducebantur, militaribus præsidiis sepserit, Tacitus lib. 14. *Annal.*

Inferiora Edicta à Paulo memorantur[2], quæ Accursius tradit esse de Peculio, Quod jussu, & de in rem verso: atque hoc rectè, quia ex servorum persona & contractibus nascuntur, qui, ut ait Comicus, infra omnes infimos homines sunt, & posthabiti etiam infimis.

Edictales leges eam vim habent, ut omnes ligent, & per omnes populos programmate Præfectorum in celeberrimis locis proponantur: quæ & generales leges nominantur, propositis Edictis vulgatæ[3]. Quare hoc Præfectis Prætorio, Præfecto Vrbi, & Magistris militum mandatum negotium est, ut Edicta ad omnium notitiam pervenirent. Sic Edictalis lex Constantini proposita Romæ in Foro Trajani[4].

Edicta ad Populum Vrbis Romæ, Præfecto Vrbi commissa sunt, ut illud Theodosii & Valentiniani, sic conceptum: *IMPP. Theodosius & Valentinianus AA. Edictum ad Populum Vrbis Romæ. Frequens ad nos, Quirites,* &c. Et manu divina: *Proponatur amantissimo nostri Populo Romano.* Et ad latus: *Data* xv. *Kal. FEB. Romæ*[5]. *Iidem Imperatores ad Præfectum Vrbi: P. K. A.* hoc est, *parens Karissime Ave. Illustris & præcelsa magnificentia tua hac nos generali lege sanxisse cognoscat, quam propositis Edictis vulgare debebit,* &c.[6]. *Dat.* III. *Id. Mart. Romæ, PP. in Foro Trajani.*

Ad Magistrum utriusque militiæ, eorundem Principum scripta Novella, de Episcoporum ordinatione[7]. *P. K. unde Illustris & præclara magnificentia tua, præsentis Edictalis legis auctoritate faciet, quæ sunt superiùs statuta, servari,* &c. *Et manu divina. Divinitas te servet per multos annos, parens KARIS.* Quod Illustrium virorum programmate fiebat, Provincialibus adsignatis.

Ex his legibus constat Edictum etiam esse programma virorum Illustrium, quo generales leges, quæ Edictales, vulgarentur & innotescerent, quæ etiam per Judices in sua quaque jurisdictione proponebantur[8], quibus à Præfecto Prætorio mandatum esset. Vt apud nos Edicta Principum, primùm in Senatu in diebus Sessionum leguntur, & in Acta referuntur; deinde ad inferiora Tribunalia mittuntur, ut omnibus nota sint.

De tredecim Edictis Justiniani, quæ post Novellas Constitutiones habentur, nihil addo ad ea quæ Cujacius in Præfatione Novellarum annotavit.

1 L. 1. D. ad Senatusconsult. Trebellian. 2 L. si quis mancipia. §. si servum. D. de instit. act. 3 Novel. 48. 4 L. 3. C. T. de petit. ultr. dat. 5 Novel. Theod. & Valent. 25. 6 Novel. 48. 7 Novel. 40. & 45. 8 L. 3. C. de legib.

CAP. XXXIII.

De Mandatis, Decretis, & Epistolis Principum.

Mandata Principis sunt præcepta, seu monita, quæ Provinciarum Rectoribus dantur, aut aliis Magistratibus, quibus muneris aut jurisdictionis eorum forma continetur, ad Provinciæ administrationem, morum & disciplinæ publicæ curam. Horum alia sunt commonitoria, alia secreta[1], quæ Tacitus vocat occulta lib. 2. & 3. *Annal.* Ille de Pisone: *Credidere*, inquit, *quidam, data & à Tiberio occulta mandata, ad spes Germanici coërcendas.* Qui & audire se meminit ex senioribus, *visum sæpius inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgaverit, sed amicis ejus dictitasse, litteras Tiberii & mandata in Germanicum continere, ac destinatum promere apud Patres.* Atque id quidem cùm Piso criminis reus fieret. *Nam putarunt quidam*, ait Suetonius in *Tiberio* c. 52. *mandata prolaturum, nisi ea secreta obstarent.* Hunc Suetonii locum corruptum Lipsius putat. Torrentius ex uno libro emendat, *nisi ea secreto obstarent*: quare legendum fortasse putat, *ni Sejanus secretò obstaret.* Casaubonus agnoscit, nihil veteres Codices variare, sed sententiam postulare, *nisi ea secreto ablata forent.* Omnes quidem hæ emendationes veram & elegantem Suetonii lectionem intervertunt. Nam cùm ait, quidam putarunt Pisonem mandata prolaturum, *nisi ea secreta obstarent*, hoc intelligit, quòd cùm secreta mandata essent, & occulta illa resolvere, insignis perfidiæ crimen esset, & graviore supplicio puniendum. Mandata ergo quòd secreta erant & occulta obstabant, & impedimento erant ne ea Piso proderet, & fidem frangeret, crimenque alio crimine cumularet. Hinc aliquando suspicatus sum legendum apud Virgilium lib. 2. *Æneid.*

Fas mihi Grajorum secreta resolvere jura,
Fas odisse viros.

Vulgata & recepta lectio, *sacrata jura*: malim *secreta*, quasi perfidus Sinon aperiret, quod Græci occultè machinabantur, quæque secreta maximè tenebant. Sed ne in eundem impingam lapidem, conjecturam meam sine fraude aperio, & nihil muto.

Mandata autem Principis sive secreta, sive Commonitoria Magistratibus data, non aliter valent, quàm si litteris relata sint[2]. Ammianus Marcellinus *lib.* 28. *Quidam repertus est Gallus audax ad usque insaniam, cui Commonitorium cum litteris Augusti tradidit.* Mandatum ergo Principis nullum sine scripto agnosco, quod à privatorum mandatis distinguendum puto: ex quibus Cujacius in contrarium argumentatur, lib. 27. *Observat.* cap. 39. nam mandata Principum & scripta & legibus comprehensa multi Pandectarum loci testantur, ut Cujacius refert ad Novellam 17. quæ de mandatis Principum & Præsidibus conscripta est: ubi mandata vocat παραγγέλματα & ὑποθήκας & ἀποκρίσεις. Quæ Dioni sunt *lib.* 53. ut veteribus Glossis, ἐντολαί. Sic λαβόντες ἐντολὴν πρὸς τὸν Σίλαν, in *Apostolorum Actis* cap. 17. mandatum ad Silam. Hinc Βασιλικῶν titulus περὶ ἐντολῶν καὶ ἐντολέων[3]: De Mandatis & Procuratoribus. Malim tamen ἐντολὰς de privatorum mandatis accipi: nam quæ Ma-

1 L. fin. C. T. de accusationib. 2 L. 1. C. de mandat. princip. 3 lib. 14. tit. 1.

Magiſtratibus data ſunt, rectiùs ὑποθῆκαι [1], quia libello mandata complexa erant, quæ in ſacro Laterculo deponebantur, inter ceteras Notitias leges, & formas adminiſtrandæ Provinciæ: Secreta tamen quæ & in ſcriptis penes Magiſtratus.

Mandatorum capita plurima explicat Cujacius [2], quorum omnium illud præcipuum fuit, *ſecundùm leges judicare* [3]*: cauſas privatorum cum æquitate audire: conſuetudinarias juſſiones non recipere, veluti de publico aquæductu, de portu, de itineribus muniendis, de pontibus, de muris.* Nec enim ullam habere debent rationem Præſides juſſionum hujuſmodi, niſi divina Pragmatica Sanctio intervenerit. Omitto cetera mandata, quæ in Novellis Conſtitutionibus ſunt plurima. Unum aut alterum ex Pandectis adfero, in quibus primùm adjicitur: *Ne Provinciarum Præſides in ulteriorem familiaritatem Provinciales admittant: nam ex converſatione æquali contemtio dignitatis naſcitur* [4]. *Alterum, quòd mandatis Principum præcipitur, Provinciarum Præſidibus, ne patiantur eſſe Collegia, ſodalitia*, &c [5]. De Collegiis & ſodalitiis aliorum lapſum reparamus, in libris noſtris de veteri Jure Pontificio [6]: hoc mandatum de Collegiis illuſtriſſ. Card. Baronius Trajano tribuit, tom. 2. *Annal.* ad Annum 100. num. 8. Cavit, inquit, inprimis Edicto, ne Collegia ſodalitia eſſent, qua ratione & Chriſtianos ſimul coire, conventus facere, aliiſque quàm Imperatoriis legibus gubernari, vetitum ſcribit. Et Plinium dum in Bithynia ageret ſcripſiſſe Trajano, promulgato Edicto Conventus Chriſtianorum ſe prohibuiſſe, his verbis: Ipſos Conventus facere deſiiſſe, poſt Edictum meum, quo ſecundùm mandata, heterias eſſe volueram. Ex *lib.* x. *epiſtol.* 97. citat Baronius, ubi nihil omninò tale ſcriptum invenitur. Primùm quidem, nullùm mandatum fuit Trajani, vel anteriorum Principum, quo in Provinciis Collegia prohiberet. Quod à Severo Imperatore conſtitutum eſt, qui non tantùm in Urbe, ſed in Italia & in Provinciis hoc ſervari juſſit. Sed Religionis causâ coire nullus prohibuit, dum tamen per hoc non fieret contra Senatuſconſultum, quo illicita Collegia vetita erant [7]. Nec in Plinii Epiſtolis aliud hac de re legitur, & de Chriſtianis, quàm eos ſtato die ànte lucem convenire: cui Trajanus reſcripſit Chriſtianos conquirendos non eſſe. Et quod de heteriis notat Baronius, in eo falſus eſt: nam hoc verbo Trajanus uſus eſt, cùm illum Plinius de Collegio Fabrorum Nicomedienſium conſtituendo conſuleret, *lib.* 10. *epiſt.* 35. cui Trajanus, *Meminerimus*, inquit, *eas civitates ab ejuſmodi factionibus eſſe vexatas. Quodcunque nomen ex quacunque cauſa dederimus iis, qui in idem contracti fuerint, heteriæ (id eſt, ſodalitia) quamvis breves fiant.* Operè in longo ſi quis aliquando dormitaverit, condonandum eſt; ita tamen, ut veritas magis amica ſit, quàm vel ſapiens Socrates, illaque in hujuſmodi lapſu benignè excitanda. Nec verò mandata Præſidibus aut ceteris Provinciarum Rectoribus data ſolùm, ſed etiam Proconſulibus & aliis ſpectabilibus, imò & ipſis Prætorio Præfectis. Nam mandatis continetur, ne Proconſul, aut qui in officio erit, donum, aut munus accipiat [8]. Et Vlpianus lib. 8. de Officio Proconſulis notat [9], mandatis ita caveri, *præterea debebis cuſtodire ne Dardanarii ullius mercis ſint*, &c. Hi erant qui Annonam vexabant, & ſupprimebant cœmtas merces, quas cariùs venderent. Dardanarius, Παντοπώλης, παντομετάβολος, σιτοκάπηλος.

1 Novel. 26. 2 Ad Novel. 8. & 17. 3 D. Novel. 17. 4 L. 19. D. de offic. Præſid. 5 L. 1. C. de colleg. & corp. illicit. 6 Lib. 1. cap. 3. 7 L. 1. D. de colleg. & corp. illicit. 8 L. 6. §. fin. D. de offic. Proconſul. 9 L. 8. D. de extraord. criminib.

Quod nomen deductum ab iniquo homine hujus nominis, cujus avaritiæ obviam itum.

De Mandatis Præfectis Prætorio datis inſcriptio eſt legis ſecundæ, C. de Officio ejus, qui vicem alicujus Judicis obtinet. Hæc ita concepta eſt: *Mandata Impp. Theodoſii & Valentiniani AA. miſſa Antiocho, ceteriſque Præfectis Prætorio per Referendarium: quæ ſic habent: Suggerente magnificentia veſtra*, &c. Vnde liquet mandata Principum etiam ex ſuggeſtione data. Quod non advertit Cujacius, qui mandata citra ſuggeſtionem aut libellum data putat [1]: nec de his extraordinariis mandatis cogitavit. Mandata Principum ad Præfectos Prætorio per Referendarios ſpectabiles ſunt miſſa: Secreta autem per Tribunos ſive Notarios aut Comites [2].

Fuere etiam Mandata Præfectorum Prætorio, & Proconſulum, quæ Rectoribus Provinciarum, aut Civitatibus darent. Paulinus in Vita D. Ambroſii: *Lætabatur Probus Præfectus, quòd verbum ejus in Ambroſio impleretur: dixerat enim proficiſcenti, cùm mandata ab eo darentur, ut mos eſt: Vade, age, non ut Judex, ſed ut Epiſcopus.* Mandata Proconſulum extraordinaria Legatis data ſunt, ut cuſtodiarum cognitionem & præauditas cuſtodias ad ſe remittant [3]. Exſtat & caput Mandatorum, quod Antoninus Pius, cùm Aſiæ præeſſet, ſub Edicto propoſuit: *Vt Irenarchæ, qui ad Provinciarum tutelam creati ſunt* [4], *cùm apprehenderint latrones, interrogent eos, de locis & receptatoribus, & interrogationes litteris incluſas ad cognitionem Magiſtratuum mittant* [5].

Decreta Principum Theophilo ſunt ſententia Principis inter duas partes, de quorum cauſa cognoſcit & judicat, pronunciata [6]: Δέκρετόν ἐστιν ἀπόφασις Βασιλέως μεταξὺ δύο μερῶν παρ' αὐτῶν δικαζομένων ἐκφερομένη. Sed decretum hîc à ſententia ſeparò: hæc enim decreta ſine contentione, vel ad Relationem & Conſultationem conſtituta ſunt. At cùm decretum in cognitione prolatum eſt, Principes dixiſſe, judicaſſe, pronuntiaſſe referuntur. Sed cùm decernere dicuntur, hóc cauſæ cognitionem deſiderare non credo. Hanc meam ſententiam juvat Vlpianus: *Eſt & decretum*, inquit [7], *& conſtitutum ab Imperatore Severo*, &c. Idem ille: *qua ratione à D. Severo decretum & conſtitutum eſt* [8]: IMPP. Arcadius & Honorius: *Proviſa ſanctione decernimus, ut breves, ante indictionis principium ſumma fide ac veritate confecti ad noſtræ Scrinia dirigantur* [9]. Sic quæ bona ex decreto Prætoris poſſidentur, illa ex Edicto poſſideri M. Tullius dixit Orat. *pro Quintio*. Hinc decreta pro Conſtitutionibus & Edictis plerumque accipi perſpicuum eſt. Quare Paulus in libris Decretorum ait, nonnunquam reſcripſiſſe Principem [10], quod non eſt judicare, ſed ad libellum partis reſpondere, ut Calliſtratus lib. ſexto de Cognitionibus dixit Principem ad libellum reſcripſiſſe [11].

Epiſtolas Theophilus definit reſcriptum Principis ad Relationem Magiſtratus, de re quapiam ancipiti emiſſum [12]: Ἐπιστολή ἐστιν ἀντιγραφὴ Βασιλέως πρὸς ἄρχοντος ἀναφορὰν περί τινος ἀμφιβόλου πράγματος γενομένη. Quod non eſt perpetuum: nam reſcripta ſunt reſponſa Principis, ad Relationes Magiſtratuum, aut preces, & deſideria ſupplicantium, libello

1 Ad leg. 2. C. de petitionib. bon. ſubl. 2 L. 1. C. de mandat. Principum. 3 L. ſolent. D. de offic. Proconſul. 4 L. 1. C. de Irenarch. 5 L. Divus Hadrian. §. ſed & caput. D. de cuſtod. & exhib. reor. 6 Inſtit. de jur. nat. gent. & civil. 7 L. eſt decretum. D. de jur. fiſc. 8 L. cùm verò. §. quod igitur. D. de fideicommiſſ. libertatib. 9 L. 23. C. de rogat. milit. annon. 10 L. fin. D. de condit. & demonſtrat. 11. L. fin. D. de offic. Proc. Cæſ. 12 Inſt. de jur. nat. gent. & civil.

libello ab iis dato. At Epiſtolæ propriè ſunt litteræ Principis, quæ illius mentem aperiunt, ſine ſupplici libello, aut relatione. Quod inſcriptio legis Honorii & Theodoſii indicat: *Imperatores Honorius & Theodoſius AA. Conſulibus, Prætoribus, Tribunis Plebis, Senatui S. D*[1]. Sunt & alia exempla ſacrarum litterarum, ut Diocletiani & Maximiani[2], ex quibus conſtat neque ad libellum oblatum, neque ad relationem Judicum, Epiſtolas fuiſſe ſcriptas. Quod ipſæ Epiſtolæ, Conſulibus & Prætoribus emiſſæ, demonſtrant, à quibus nulla relatio, nulla quæſtio. Diximus litteras Principum ad Senatum orationis ſibi nomen vendicare, ſed non ſemper: nam pleræque ſunt familiares & domeſticæ, quæ legem non faciunt, nec jus conſtituunt, Capitolinus in *Albino*. Vt plurimùm tamen Principum Epiſtolas inter leges computamus. Vt illa Severi Imperatoris, & Antonini elegantiſſima, quâ Proconſulum mandata moderantur: *Vetus eſt proverbium*, ajunt, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. *Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus. Nam valde inhumanum eſt à nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia, avariſſimum*[3]. *Et quod mandatis continetur, ne donum vel munus ipſe Proconſul accipiat, ematve quid, niſi victus cotidiani causâ, ad xeniola non pertinet. Sed nec xenia producenda ſunt ad munerum qualitatem.* Hanc Epiſtolam, legem facere nemo negabit, ut & alias ex ſubſcriptione legum Imperialium collectas: nam quidquid in Codice continetur, legem eſſe conſtat, quæ variæ admodum ſunt: in eo tamen Epiſtolæ cum reſcriptis non confunduntur. Nam in Epiſtolarum ſubſcriptione, non data, aut *ſcripta*, ut in reſcriptis, ſed *emiſſa* ſubnotatur. Nec ſubſcriptiones legum temerè effictas quis audeat ſomniare: illas enim maximè ad legum differentiam facere jam jam demonſtrabimus. Emittere Epiſtolam, familiaris eſt Jureconſultis locutio[4]. Cùm igitur in legum inſcriptionibus legitur, *emiſſa*, Epiſtolam eſſe Principis, legum ipſe textus apertè docet. Vt illa Arcadii & Honorii ad Oſium Magiſtrum Officiorum[5], *emiſſa*, prid. Kal. Feb. Conſtantinop. Conſtantini ad Maximum Præfectum Prætorio, *emiſſa*, III. Non. Maii[6]. Sic Calliſtratus lib. I. de Cognitionibus dixit: *Legem cujuſque loci inſpiciendam in immunitatibus, ut colligi poteſt ex litteris D. Pii, quas emiſit ad Proculum Proconſulem Africæ*[7]. Formales Epiſtolæ à Suetonio in *Domitiano* cap. 20. produntur, quas Procuratorum ſuorum nomine Domitianus dictavit, & ſic cœpit homo perditiſſimus, *Dominus & Deus noſter ſic fieri jubet*. Formalis à familiari diſtinguitur, illa enim aliquid ſtatuitur aut jubetur: formales autem dictæ quòd alieno formatæ eſſent ingenio. Non inficior Epiſtolam etiam pro reſcripto accipi: ſed *reſcriptum* illud *Epiſtolare* vocatur[8]. Quid verò à reſcripto Epiſtola differat, non inutile erit explicare.

1 L. fin. C. de his qui accuſat. non poſſunt. 2 L. 42. C. de liberal. cauſ. l. 8. C. de accuſationib. 3 L. ſolent. §. non verò. D. de offic. Proconſul. 4 L. 5. §. Julianus quoque. & l. Titius 24. D. de conſtitut. pecun. 5 L. 9. C. T. de agentib. in reb. 6 L. 3. C. T. de numerar. actuar. 7 L. ſemper. §. legem. D. de jur. immunit. 8 L. I. C. T. ſi cert. pet. de chirograph.

CAP. XXXIV.

De Reſcriptis & Interpretationibus Principum.

Epiſtolæ Reſcripto continentur ut ſpecies ſub genere. Hæ tamen à Magiſtris Epiſtolarum conſcriptæ, Reſcripta à libellorum Magiſtris. Vlpianus cùm Epiſtolam Hadriani Principis citat ad Senium Sabinum[1]. *Verba*, inquit, *Reſcripti ita ſe habent*, id eſt, Epiſtolæ, ut Accurſius vidit: atque ut pars Epiſtolæ[2], pars ſententiæ[3], ſic pars ex Reſcripto Principis legitur[4]: & Hadrianus in ſententiam reſcripſiſſe dicitur à Paulo libro ſingulari de portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur[5].

Reſcripta autem Principum diverſa ſunt: nam alia vim legis obtinent; alia jus non faciunt; alia ſunt perſonalia; alia generalia. Quædam perpetua; quædam ad certum tempus. Ex his omnibus Reſcriptis libri Codicis & Pandectæ noſtri referti ſunt, quæ maximam Romani Juris partem conſtituunt. Quæ legem aut jus faciunt, perennia ſunt, ſi modò tempus, intra quod allegari debent, non ſit comprehenſum[6]. De illis non hoc capite Reſcriptis agemus, quæ in rem judicatam non tranſeunt; ſed quæ fiunt ad libellos partium, aut quæ ad Magiſtratus arbitrium referuntur: nam quæ ad Relationes, Conſultationes, & Suggeſtiones reſcripta data ſunt, hactenus attigimus. Quæ Judicis arbitrio relinquuntur, Calliſtratus nonnulla lib. 4. de Reſcriptionibus colligit[7]: *Imperator Hadrianus*, inquit, *Vivio Varo Legato Provinciæ Ciliciæ reſcripſit: eum qui judicat, magis ſcire poſſe, quanta fides habenda ſit teſtibus; qui & cujus dignitatis, & cujus exiſtimationis ſint; utrùm unum eundemque meditatum ſermonem attulerint.* Ejuſdem Principis exſtat Reſcriptum aliud ad Valerium Verum de excutienda teſtium fide: *Quæ argumenta*, inquit, *ad quem modum probandæ cuique rei ſufficiant, nullo certo modo definiri poteſt. Aliàs numerus teſtium, aliàs dignitas, & auctoritas, aliàs veluti conſentiens fama rei de qua quæritur, confirmat fidem. Hoc ergo ſolùm tibi reſcribere poſſum ſummatim, non utique ad unam probationis ſpeciem, cognitionem ſtatim alligari debere: ſed ex ſententia animi tui, te æſtimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opinaris.* Princeps verò nonnunquam ſecundùm Juriſconſultorum Reſponſa privatorum libellis reſcribebat: ut Alexander Severus Sabinæ, *ſecundùm Reſponſum Domitii Vlpiani, amici mei*, &c.[8]. Quandoque exemplum libelli ad Judicem mittebat, ut ipſe cognoſceret, ſi preces veritate niterentur: ut Hadrianus in hæc verba reſcripſit[9]: *Exemplum libelli dati mihi à Julio Tarentino mitti juſſi, ut ſi tibi probaverit, conſpiratione adverſariorum & teſtibus pecunia corruptis, oppreſſum ſe: rem ſeverè vindica.* Simile eſt & illud Antonini Pii Reſcriptum[10]: *Exemplum libelli dati à Domitio Silvano ſubjici juſſi: motus querelâ ejus, quâ ſignificavit filium ſuum ingenuum, juvenem admodum, raptum atque concluſum, mox verberibus ac tormentis ad ſummum periculum adflictum. Gemine Cariſſime, velim audias eum: & ſi compereris hæc ita admiſſa, rem ſeverè*

1 L. I. D. de quæſtionib. 2 L. pars litterarum. D. de judic. 3 Inſcript. l. 17. C. de iis qui accuſar. non poſſunt. 4 L. 4. C. de quæſtionib. 5 L. cùm ratio. §. ſi plures. D. de port. quæ lib. damnat. 6 L. 2. C. de diverſ. reſcript. 7 L. 3. §. ideoque. cum ſeq. D. de teſtib. 8 L. 4. C. de contrahend. & committ. ſtipul. 9 L. Divus. D. de re judic. 10 L. 6. D. ad leg. Jul. de vi public.

verè exsequaris. Geminum Proconsulem fuisse inscriptio legis innuit, quæ sumta est ex libro 7. Vlpiani de Officio Proconsulis.

Privatis non patebat aditus ad Principem, in offerendis precibus quibuscunque, nisi per libellos. Tituli sunt Codicis: *De precibus Imperatori offerendis. De quibus rebus supplicare liceat. Quando libellus Principi datus, litis contestationem faciat.* Hunc morem offerendorum libellorum à Tiberio cœpisse Tacitus docet. Ille quidem lib. 4. *Annal. Sejanus nimia fortuna vecors, permissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Cæsarem codicillos: moris quippe tum erat, quanquam præsentem, scripto adire. Huic Sejani libello rescripsit Tiberius: Ceteris mortalibus, in eo constare consilia, quid sibi conducere putent: Principum diversam esse sortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda: ideo se non illuc decurrere, quod promtum Rescripta*, &c. Hunc morem ad Augusti tempora Lipsius trahit, quem graviores sermones cum singulis, atque etiam cum Livia, non nisi in scriptis, & è libello habuisse Suetonius in *ejusdem Vita* cap. 84. scribit, qui & hanc causam addidit, ne plus minusve loqueretur ex tempore: hanc sibi legem dixit Augustus, quâ alios nusquam obligavit. De Pallante Claudii Liberto Tacitus refert lib. 13. *Annal. nihil illum unquam domi, nisi nutu, aut manu significasse: vel si plura demonstranda, scripto usum, ne vocem consociaret.* Augusto quidem dati libelli, non illo more, quo Tiberio: nam & promiscuas salutationes admittebat, & omnes alloquebatur tanta comitate, ut quemdam joco corripuerit, quòd illi sic libellum porrigere dubitaret quasi elephanto stipem, Suetonius in *Augusto* cap. 53. Ergo, dicet aliquis, libelli Augusto dati? quod fateor, ut & Julio Cæsari, qui in spectaculis libellis legendis & rescribendis vacabat, Sueton. in *Augusto* c. 45. sed aliud est scripto præsentem adire Principem, ex more nuper introducto; aliud libellum offerre, qui desideria contineret, quæ ad Juris ordinem pertinerent, quod propriè est *libello desiderare*[1].

Rescripta ad libellos certam formam modumque non habent, sed pro rerum varietate varia fuerunt. In Juris quæstionibus secundùm Responsum Jurisconsultorum Imperator rescribebat, ut de Alexandro notabamus: *Papiniano placuit, ex contrario accusante, servos in adulterii*[2] *quæstione contra Dominum interrogari. Quod D. Marcus*, ait, *ac postea Maximus Princeps judicantes secuti sunt.* Maximum Principem Papinianus intelligit Septimium Severum. Decreta autem Rescripta superiorum Principum, à sequentibus alio Rescripto firmari receptum est, aut infirmari. Hadrianus Imperator, si mancipium ea lege venisset ne alterius servitutem pateretur quàm emtoris, ut post mortem ejus, libertate moraretur, constituit, si mancipia manumissa non sint, libera non esse. At M. Antoninus ex lege dicta libertatis in vendendo, sine manumissione libera esse voluit. Sic in arbitrio Principis fuit alterius Rescripta & Constitutiones rejicere, vel servare. Sic Alexander Hadriani Rescriptum observandum rescripsit: ut pueri ad 18. annum alerentur[3]. Sed pleraque Rescripta usu recepta etiam & servata. Vlpianus Nervæ sententiam refert; deinde Rescriptum Hadriani: *Et hoc*, inquit, *jure utimur*[4]. Hinc Antoninum Augustum *rectissimè rescripsisse*, idem Vlpianus tradit[5]. Nec facilè invenies, in Pande-

1 L. cetera. §. hoc Senatusconsulto. D. de leg. 1. 2 L. extrario. D. de quæstionib. 3 L. Mela. D. de aliment. & cib. leg. 4 L. Fulcinius. §. item. D. quib. ex caus. in possess. 5 L. aut damnum. §. fin. D. de poen.

A ctarum libris, Rescripta, quæ magna & prudenti ratione non nitantur: quæ plerumque in Codice ipsi rationi non sunt semper consentanea. Quare non injuriâ statuerat Opilius Macrinus omnia Rescripta veterum Principum tollere, ut jure, non Rescriptis ageretur, Capitolin. in *Opilio Macrino: Nefas enim dicebat leges videri Commodi & Caracalli, & hominum imperitorum voluntates; cùm Trajanus nunquam libellis responderit, ne ad alias causas facta præferrentur, quæ ad gratiam composita viderentur.* Leve mendum in Capitolino; nec enim Commodus aut Caracallus imperiti, nec ulli usquam Principes peritiores & prudentiores Juris- B consultos habuerunt. Quare audacter lego, *hominum impuratorum.* Impuratus enim à Terentio pro valde improbo & flagitioso ponitur, in *Phormione*,

Impuratus, me ille ut etiam irrideat?

In Pandectis Rescripta D. Marci in Semestribus leguntur. Tryphoninus libro secundo disputationum[1], *in Semestribus*, inquit, *relata est Constitutio D. Marci.* Tenuit me Vlpianus libro undecimo ad Edictum[2]: *Est*, inquit, *in Semestribus* C *Viviis Soteri & Victorino Rescriptum*, &c. Vulgati Codices legunt, *in Semestribus Divi Severi.* Emendarunt quidam, *in Semestribus Juris*, contra Florentinorum fidem, & contra rationem. Nam Soter & Victorinus ex Gente Vibia, uterque Vibii nomen habuit: sed Vivii scribuntur in Florentinis, B in V commutato, quod in illis est frequentissimum. Semestria autem libri sunt, qui in sex anni mensibus fiebant: nam in aliis sex bello operam dabant, ut est odoratus Accursius. Et sunt Semestria Acta seu gesta in Consultationibus, quibus proceres adhibebantur, qui sex mensibus in consilio Imperatoris adsidebant, D ut de Augusto scribit Dio, qui sorte Senatores quindecim in consilium vocabat, in sex menses. Semestrium verò Acta nulla in Pandectis memorantur præterquam M. Antonini, quæ Constitutiones illius continebant, & rerum graviorum Rescripta. Sunt enim Rescripta Constitutionum, de quibus Paulus[3]: *Lectum est Domitii Vlpiani Responsum, quo continebatur, Arescusam pertinere ad Rescriptum sacrarum Constitutionum.* Quodnam fuerit illud Rescriptum, non facilè ex responso Vlpiani intelligitur: illud verò fuit Hadriani & Antonini Pii: ii enim prudenter constituerunt, ut *quoties fideicommissaria libertas relinquitur, neque alie-* E *natione, neque usucapione exstingui possit. Cogitur ergo is, ad quem servus pervenerit, fideicommissariam libertatem præstare, si hoc maluit qui rogatus est: quòd si nolit ab emtore manumitti, sed potiùs ab eo qui rogatus est; audiri eum oportere Hadrianus & Pius rescripserunt*[4]. Hoc est, statu liberi electio est, quem Patronum eligat, emtorem an venditorem: ne graviora Patronorum jura experiatur[5]. In hac conditione fuit Arescusa, ad quam Rescriptum sacrarum Constitutionum pertinere respondit Vlpianus: quod Accursius non capit. Sic ex Rescriptis Responsa prudentum: ex illorum F Responsis Rescripta Principum prodierunt, quorum in Pandectis tanta est auctoritas, tantaque elegantia, ut omnem humani ingenii vim superare videantur.

Quòd si quod dubium aut obscurum in Rescriptis aut Constitutionibus occurrebat, meritò illud

Aa Impe-

1 L. pactum. D. de pact. 2 L. 12. D. de acq. hered. 3 L. Titius. 43. D. de actionib. empt. 4 L. generaliter. §. quoties. D. de fideicommiss. libertat. 5 L. non tantùm. §. cui per fideicommissum, D. eod.

Imperatorem vel Judicem ab eo delegatum interpretari oportuit[1]. Cùm enim soli Imperatori leges condere concessum sit, illas ab eo interpretari & legum ænigmata solvere ex Imperii Majestate fuit[2]. Conditor ergo & interpres legum solus Imperator existimari debet. Sic Severus, cùm legibus caveretur ut singuli anni per singulos liberos remitterentur, ad honores id pertinere, non ad rem suam à minoribus recipiendam interpretatus est, & Consulum aut Præsidum decreta contraria, quasi ambitiosa, reprobavit[3].

Cap. XXXV.

De Rescriptorum forma, Inscriptionibus, Subscriptionibus, & Subnotationibus.

Rescripta, quæ sacri affatus ab Imperatore Leone dicuntur, *non alio vultu penitus, aut colore, nisi purpurea tantummodo inscriptione lustrari jussit, scilicet ut cocti muricis & triti conchylii ardore signentur: eaque tantummodo fas sit proferri, vel dici Rescripta in quibuscunque judiciis, quæ in chartis sive membranis, subnotatio Principis subscriptionis impresserit*[4]. Hæc lex est Leonis senioris, qui hanc primus encausti confectionem in Rescriptis excogitavit. De Encaustica Plinius *lib.* 35. *cap.* 11. Ab illa cauteria inter pictorum instrumenta à Martiano numerantur: *Pictoris*, inquit[5], *instrumento legato, ceræ, colores, legato cedunt: item peniculi, cauteria, & conchæ. Cauteriis picturæ inurebantur.*

Alia est lex Leonis[6], quâ Quæstor sacri Palatii & Magistri Scriniorum Rescripta Principum dictant, & in quibus subnotatio Quæstoris vel Magistri requiritur. Cùm Epistolæ, Orationes, Edicta, Constitutiones, Rescripta, aliorum ferè ingenio formabantur: Subscriptio Principis ab Imperii exordio, de more necessaria fuit, in rebus gravioribus: ut si de capite civis ageretur, sententiis ex more Princeps subscriberet. Hinc una illa vox egregia Neronis, initio Principatus, qui cùm admoneretur hoc agere, *Quàm vellem*, inquit, *nescire litteras*, Sueton. in *Nerone* c. 10. Antoninus Caracalla libello cujusdam querentis subscripsit, posse eum uti adversùs sententiam arbitri, doli mali exceptione[7]. Alexander post meridianas horas subscriptioni & lectioni Epistolarum ita semper dedit operam, ut ab Epistolis & à libellis & à memoria semper adsisterent, Lamprid. in *Alexandro*. Non tamen Princeps subscribebat semper, sed aut signabat, aut subnotabat: aliud est enim subscribere, aliud signare, aliud subnotare. Subscribere est proprio chirographo annotare[8]: Signare annulo: Subnotare, brevibus verbis aliquid scribere. Sic subnotare libellos Plinius dixit *lib.* 1. *ep.* 10. quod nobis est, *Respondre des requestes: Sedeo*, inquit, *pro Tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas illiteratissimas literas. Si in testamento testis adhibitus nomen suum non adscripserit, veruntamen signaverit, pro eo est ac si adhibitus non esset. Et si, ut multi faciunt, adscripserit se, non tamen signaverit; adhuc idem dicemus*[9]. Signatas tabulas accipi oportet, etsi linteo,

1 L. 9. D. de legib. 2 L. fin. C. eod. 3 L. 2. & 3. D. de minorib. 4 L. 6. C. de divers. rescript. 5 L. 17. D. de instruct. & instrum. leg. 6 L. fin. C. de divers. rescript. 7 L. non distinguemus. §. cùm quidam. D. de recept. arbitr. 8 L. singular. D. de testament. 9 L. ad testium. §. si quis. D. de testament.

A quo illæ involutæ sunt, signa impressa fuerint: Augustus diplomata, libellos, Epistolas, Sphinge signasse dicitur, mox Alexandri imagine, novissimè sua, Sueton. in *ejus Vita* c. 50. Ceteri Principes subnotabant, id est, verba quædam manu propria subscribebant, quibus Quæstor deinde subscriberet, aut Magister Scrinii pro rerum varietate. Præclarum hujus rei monumentum in veteri lapide exstat Romæ, pag. 607. 1.

VELIVS. FIDIVS. IVBENTIVS. CELSO. COLLEGAE. SVO. SALVTEM. DE.
B SIDERI. FRATER. ARRI. ALFII. ARRIAE. FADILLAE. DOMINI. N. IMP. ANTONINI. AVG. MATRIS. LIBERTI. LIBELLVM. TIBI. MISI. COGNITI. MIHI. EX. LONGO. TEMPORE. PRIMAE. IVVENTVTIS. ETIAM. MIRATVS. CVM. AB. AEDIBVS. ESSEM. QVOT. EO. LO. SE. CONTVLISSET. A. QVO. DIDICI. CAVSAS. REQVITIONIS. SET. ET. RELIGIONIS. MAGNOPE. A. DOMINO. N. IMP. IMPETRASSE. ITA. NE. QVA. MORA. VIDEATVR. EI. PER. NOS. FIERI. LI-
C BELLVM. SVBSCRIPTVM. PER. EVDEM. PVBLICVM. SINE. MORA. MIHI. REMITTAS. OPTO. TE. SALVOM ET. FELICEM. ES

EXEMPLVM. LIBELLI. DATI.

CVM. ANTE. HOS. DIES. CONIVGEM. ET. FILIVM. AMISERIM. ET. PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA. EO-
D RVM. FICTILI. SARCOFAGO. COMMENDAVERIM. DONIQVIES. LOCVS. QVEM. EMERAM. AEDIFICARETVR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II. ET. III. EVNTIBVS. AB. VRBE. PARTE. LAEVA. CVSTODIA. MONVMENTI. FLA. THVMELES. A. MESOLO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE. PERMITTAS. MIHI. IN. EODEM. LOCO. IN. MARMOREO. SARCOFAGO. QVEM. MIHI. MODO. COMPARAVI. EA. CORPORA. COLLIGERE. VT. QVANDONE. EGO. ESSE. DESIER.
E PARITER. CVM. EIS. PONAR

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS. CELSVS. PROMAGISTER. SVBSCRIPSI. III. NON. NOVEMB. ANTIO. POLIONE. ET. OPIMIANO. KOS. ORDINARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS.

Antoninus Imperator in hac Inscriptione est Antoninus Pius, qui Arriam Fadillam matrem habuit.
F Cajus Julius Severus & M. Rufinus Sabinianus Consules sunt ordinarii, à quibus annus denominatur. Antius Polio & Opimianus sunt suffecti Consules, qui in actu erant: Jubentius Celsus filius, ex Capitonis discipulis, quem inter Jurisconsultos Hadrianus cum Salvio Juliano præcipuè habuit. Porrò hæc scriptura, *Feretrum fieri placet*, subnotatio est Antonini Principis, cui Jubentius Celsus Promagister subscripsit, non Quæstor Palatii, quia Antoninus non ut Imperator, sed ut Pontifex Maximus, de jure Manium libellum supplicem subnotavit: nam *ossa vel*

cor-

corpora non licebat Domino loci effodere vel eruere, sine Decreto Pontificum, seu jussu Principis[1].

Libellorum Promagister vix fortè alibi reperitur, qui ita vocatus est, ut Proprætor, Proquæstor, qui Prætoris aut Quæstoris vices agebant. Sic Promagister vice libellorum Magistri functus est, cùm ille abesset à Principis Comitatu. Hic autem Jubentius Celsus vir acerbi fuit ingenii, ut illius responsum indicat, Domitio Labeoni amico suo, cui respondit[2]: *Aut non intelligo quid sit de quo me consulis, aut valde stulta est consultatio tua.* Nimis iracundè id quidem, aut certè nimis familiariter.

In ceteris negotiis, quæ à Principe ut Imperatore tractabantur, oblatæ petitioni Quæstor Palatii responsum dabat, subscribebat, vel subnotabat[3]. In Rescriptis tamen requirebatur subnotatio Principis, quæ in jussionibus non exigitur, sed sufficit subnotatio Quæstoris in hæc verba, QVAESTOR LEGI, ex Novella Constitutione, quâ cavetur ut divinæ jussiones subscriptionem habeant gloriosissimi Quæstoris[4]. Jussus aut jussio est permissus, qui ex mera voluntate proficiscitur. Nec causæ cognitionem desiderat, & facilè per libellum expeditur[5]. Frequentiùs tamen Quæstor sua manu addebat, SVBSCRIPSI[6].

Inscriptiones legum valde ad illarum intelligentiam pertinent, & ad Magistratuum quibus scribantur jurisdictionem: nam cùm Princeps, exempli causâ, ad Præfectum Vrbi, Proconsulem, Præsidem, Præfectum Annonæ, Magistrum Officiorum, Comitem S. L. rescribit; ejus rei cognitio ad eos pertinet, ad quos scribitur. Quod in lectione legum Codicis maximè advertendum est. Singularis est Theodosii inscriptio ad Valentinianum Augusti filium: *Domino Valentiniano inclito, Victori, ac Triumphatori semper Aug. filio: Theodosius PP. perpetuò Aug. pater.* Et in fine Novellæ; *Eas ergo, Domine sacratissime fili, Aug. venerabilis, cunctis ex more facias divulgari*[7]. Hæc quidem bonorum Principum fuit humanitas, quam Magistratus & Populi ubique sunt experti. Iidem Theodosius & Valentinianus cùm Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis & Senatui scriberent, manu sua subnotabant: *Optamus vos felicissimos ac florentissimos nostrique amantissimos benè valere, sanctissimi Ordinis P. C.*[8].

CAP. XXXVI.

De Rescriptorum die & Consule, verbisque in illis usitatis.

IMperialia Rescripta, etiamsi in iis Consules non legantur, in dubium non vocantur[9]. In contractibus dies & Consul apponi debent, alioquin auctoritate carent[10]. Secus in Rescriptis: nam permulta sunt, in quibus Rescriptum in fine, *sine die & Consule.* Sunt & Rescripta, quæ post Consulatum data, ut multa Justiniani post Consulatum Lampadii & Orestis, anno II.[11], quod temporibus Justiniani primùm accidit, ut ex legibus ipsis & Fastis Consularibus probatur, Italia à Gothis occupata. Invenitur in Juliani Antecessoris Epitome

1 L. ossa. D. de religios. 2 L. Domitius. D. de testament. 3 L. 2. C. de petitionib. bon. sublat. & ib. Cujac. 4 Novel. 114. 5 L. 1. D. de his qui not. infam. 6 Novel. Valentinian. de homicid. casu fact. 7 Novel. Theodos. de confirm. leg. Novel. 8 Novel. Theod. & Valentin. de indulgent. reliquor. 9 D Augustin. in collat. 3. diei contra Donatist. 10 L. 4. C. de divers. rescript. 11 L. 7. 8. & c. 9. C. de instit. & substit. l. fin. C. de legat. l. 5. de verbor. sign. l. 7. C. de condit. insert. l. 19. C. ad leg. Falcid.

A Constitutio Impp. Theodosii & Valentin. AA. Antiocho Præfecto Prætorio, & Consuli: in cujus fine scriptum:

PROPOSITA. INDICTIONE. XIIII. PHARMVTHI.
MENSIS. XII. DAT. X. KAL. APRIL. CP. ANTIOCHO
V. C. COS. ET. QVI. FVERIT. NVNTIATVS.
IIII. SI. SERVVS.
V. DENVNTIAMVS.
VI. PRAESENTI.

B Hæc Constitutio est, *de iis qui ad Ecclesias confugiunt*, quæ aliter paulò in Theodosiano Græcè scripta est[1]: Ἀντιόχῳ μεγαλοπρεπεστάτῳ Ἐπάρχῳ καὶ Ὑπάτῳ. Et in fine Latinè scriptum: *Dat. Kal. April. Constantinop. Antiocho V. C. & Basso Coss.* Hæc autem sumta est ex collectione Constitutionum Ecclesiasticarum, ejusque sententiam refert Photius tit. v. cap. 11. *Nomocanonis*, cujus verba inveniuntur in tertia Synodo generali Ephesina, ut Antonius Augustinus in Paratitlis ad hanc Juliani Epitomen annotavit. Pharmuthus C mensis Ægyptiorum est, qui Aprilis Romanis. Ex quo patet Constitutionem fuisse Alexandriæ promulgatam, à Præfecto Augustali, Edicto proposito, ex cujus capitibus solemnia & prima verba sunt, *Si servus. Denuntiamus præsenti.* Quod autem additur in Epitome, *Antiocho Consule, & qui fuerit nuntiatus*; in aliis multis Constitutionibus reperitur: sæpe enim, ut observat idem Ant. Augustinus, ignorabatur Constantinopoli quis Consul Romæ esset: nam tunc alter Consul tantùm Romæ, alter Constantinopoli fiebat propter Imperii consortium. Nunc verba Rescriptorum usitata expendamus.

D Illa sunt, DATA, SCRIPTA, SVBSCRIPTA, EMISSA, PETITA, ACCEPTA, ANTELATA, PROPOSITA, SVPPOSITA, RECITATA, LECTA, REGESTA; & quandoque singulari littera G.

Data & Scripta frequentiùs occurrunt, & datum aut data decisionem generalem, & Jus publicum denotare quidam putant, à quibus non recedo. Quandoque Rescriptum duobus locis datum legitur: ut illud Gratiani ad Tatianum Præfectum Præt. *Dat.* XV. *Kal. Jul. Thessalonicæ* Item rursus: *Constantinopoli.* XIII. *Kal. Januar. Gratiano* V. *& Theodosio AA. COSS.*[2].

E *Scripta* in iis quæ sunt notissimi juris, quæque usitato more legum judicata: nam scripta non sunt opinionis incertæ, sed notissimi juris[3]. *Subscripta*, quæ sunt à Quæstore Palatii, non nudum nominis chirographum habebant, sed qui subscribebat, cui rei subscribebat, annotabat[4]. Nonnunquam in eodem Rescripto notamus, *S. D.* ut scriptum ad primam legis partem referatur, datum ad alteram[5].

Emissa ad Epistolas Principum pertinere, monuimus, quod probamus ex litteris Antonini Pii, quas emisit ad Proconsulem Provinciæ Africæ[6]: F unde emendanda lex C. T. in qua scriptum est, *emensa* ad Magistrum militum & Duces[7]; legendum enim, *emissa.* Quòd si Princeps petitioni alicujus respondeat, quæ in facto consistit; hæ notæ Epistolis addebantur, *PP. emissa*[8]. Si verò

 Epi-

1 L. 5. C. T. de his qui ad Ecclesf. confug. 2 L. 3. C. de litigios. 3 L. 26. & 32. C. de transactionib. 4 Cujac. ad Novel. 126. & l. 14. C. de testament. 5 L. 16. 25. & 26. C. de testament. 6 L. 5. §. legem. D. de jur. immunit. 7 L. 21. C. T. de divers. offic. 8 L. 2. C. de divid. tutel.

Epistola jure publico subnixa sit, tunc data Epistola dicitur[1].

Petita propriè sunt Consultationes privatorum, quibus subnotatur *Petita*[2].

Accepta à Magistratibus Rescripta, locum & diem continebant, quo ad illos hæc pervenissent, ne in mora esse viderentur[3]: *Data* XI. *Kal. Decembr. Licinio* V. *& Crispo COSS. Accept. prid. Id. Mart. Carthagine, Constantino Aug. & Licinio Cæs. COSS.*[4]. Item: *Data* III. *Novembr. Treviris. Accepta* XV. *Kal. Maji Hadrumeti, Volusiano & Anniano COSS.* At privati diem tantùm signabant, quo accepissent, ne quid illis vitio daretur si intra tempora præstituta, Rescripta non allegassent[5].

Quare quo die allegata essent Rescripta, inseri solebat: nam Rescripta intra tempus allegari debuerunt[6]: ut in hoc exemplo: *Allegat.* IIII. *Kal. Maji Flavia Fenestri, in secretario, ipsis AA. COSS.* Hæc lex scripta est ad Consularem Piceni[7]. Vbi Flavia Fenestri, uxor est Fenestri, ut dicitur Livia Augusti: in secretario, id est, in Auditorio: erant enim secretaria Judicum, non Tribunalia, sed Auditoria[8].

Proposita duplicem habent significationem: nam Rescripta, ad ea quæ à privatis proponebantur, his notis insignita sunt, P. P. ut ex verbis legum colligitur: *Imperator Diocletianus Eusebio: Cùm proponas*, &c. in fine Rescripti, *P. P.*[9]. Proposita ergo in facti enarratione versantur, & respondere solent Jureconsulti secundùm ea quæ proponuntur. Aliquando in Rescriptis occurrunt P. D. S. Proposita, data, scripta, cùm jus cum facti quæstione copulatur[10].

At proposita à Magistratibus sunt, quæ illorum jussu promulgata sunt, quæ Romæ ut plurimùm in Foro Trajani. Novella Theodosii[11]. *Dat.* XII. *Kal. Novemb. Romæ, Aetio* III. *& Aurelio Symmacho VV. CC. COSS. PP. in Foro Trajani. Antelata Edicto Albini iterum Præfecti Prætor.* Novella eadem[12]: *Dat.* VII. *Kal. Jun. Romæ PP.* V. *Kal. Jan. in Foro Trajani. Subscripsi.* In hujusmodi novis legibus hortabantur Prætorio Præfecti, quibus mandabantur, ut eas propositis Edictis promulgarent. Unde in Novella Theodosii & Valentiniani: *Dat.* XV. *Kal. Jul. PP. in Foro Trajani sub Edicto Firmini V. I. Præfecti Prætor*[13].

Antelata & Prælata idem valent, quod programmate, aut Edicto proposita[14]. Imperator Arcadius, *proposito programmate in celeberrimis locis volumus anteferri.*

Supposita, ὑποτεθειμένα, subjecta, idem ac proposita, & subdita[15].

Recitata propriè ad litteras Principis, aut novas Constitutiones dicuntur. Vt Theodosii & Arcadii Epistola ad Senatum, *Recitata est in Senatu, per Theodosium Primicerium Notariorum*[16]. Alia Constantini Epistola Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui, *Recitata apud Vestium Rufinum Præfectum Vrbi, in Senatu*[17]. Novæ Constitutiones recitatæ leguntur septies, in novo Consistorio Palatii Justiniani[18]. Aliàs dicuntur recitatæ

1 L. 3. C. de episcop. & cleric. 2 L. 21. C. de rei vendic. 3 L. 2. C. de procuratorib. & l. 16. de donat. ant. nupt. 4 L. 1. C. de his qui parent. occid. 5 L. 1. C. de testament. milit. 6 L. 2. C. de divers. rescript. 7 L. 5. C. T. de pact. & transact. 8 L. 2. C. de proxim. sacror. scrin. 9 L. 16. & 21. C. de pact. l. 5. C. de transact. 10 L. 2. C. ne de stat. defunctor. 11 Novel. de testament. 12 cap. 3. 13 Novel. Theod. & Valent. 8. de 30. annor. præscript. 14 L. 37. C. de de hæretic. 15 L. 5. C. ad S. C. Turpill. 16 L. 14. tit. 1. lib. 6. C. T. 17 L. 1. C. de bon. matern. 18 L. 3. C. de bonis libert.

A septimo[1]. Antonius Contius legendum censet, Septimiliario: *Septimum milliarium*, inquit, *Palatium fuit, in suburbiis Constantinopoli, in quo Constantinus novum Consistorium juri dicundo contraxerat.* Novella Justiniani 118. huic emendationi adstipulatur, *data Septimiliario in novo Palatio Domin. Justiniani PP. Augusti, Imperii ejus anno* XVIII. Veriùs Cujacius, pro *septies*, *Septimo* reponit ex aliis legibus, indubitata ratione[2]. Nec tamen ubi septimum milliarium scriptum est, suo est loco movendum. Nam Septimum simpliciter milliarium includit[3]: & Septimum milliarium plerumque invenitur[4].

B Lecta, quæ à Principe ad Senatum scribebantur, à Braxio Proconsule observamus[5]. Lecta in Senatu[6]: Lecta apud Acta, quæ ad Præfectos Vrbi, aut Episcopos, cùm quid Imperator de rebus Ecclesiæ statueret[7].

Regesta in Actis publicis scripta denotant in lege Arcadii & Honorii ad Rufinum Comitem sacrarum largitionum, in qua, *Regesta* VI. *Id. Febr. Rav.*[8]. In componenda Principum historia Vopiscus in *Probo* dicit, *usum se Regestis Scribarum porticus prophyreticæ.* Non me morantur in Auctore isto Regesta, sed prophyretica porticus. Plures

C quidem fuerunt in Vrbe Roma, quas Philander ad Vitruvium *lib.* 5. *c.* 9. enumerat: *Paulum Æmilium Basilicam magnificam columnis è Phrygibus mirabilem construxisse.* Plinius *lib.* 36. *c.* 13. variat: *quam Lepidus ejus gentilis pecunia propria firmavit, ornavitque, Senatus auctoritate*, Tacit. 3. *Annal.* Hanc Pauli Basilicam Dio *lib.* 49. porticum, στοὰν Παύλου, in medio foro collocatam tradit. Quare porticum prophyreticam Basilicam Pauli, foro proximam, facilè suspicor, in cujus refugiis Scribarum Regesta asservabantur: nam Scribæ sunt Librarii, qui rationes publicas scribunt in tabulis, quorum variæ decuriæ fuerunt, Festus. Ex his

D in Aventino Ædis Minervæ licuit Scribis consistere: nam porticus publicæ plerumque locis publicis & sacris ædibus additæ: ut Basilica Pauli in foro fuit, octava Vrbis regione. Hinc M. Tullius forum & Basilicas conjungit lib. 4. *in Verrem*; & Plautus noster in *Curculione*,

Dictis damnosos maritos sub Basilica quærito.

Hanc porticum prophyreticam, exercitationis & delectationis causâ sic adornavi, non disputationis. Ne Criticorum porticus tumultuetur. Si quis

E eorum aliam invenerit, illum in ea spatiari otiosum, per me licebit.

Unica me torquet litterula G, quæ in quibusdam Rescriptis irrepsisse Librariorum incuriâ primùm videbatur: nam S litteram in formam semicirculi C, fictam à Græcis, notabam, quorum apices quandoque Latini imitantur. Sed cùm adverterem hanc litteram G, in pluribus rescriptis & diversis titulis, singulariter scriptam, nullam Librariorum incuriam putavi. Nam in lege 10. 12. 18. 19. 20. 24. 27. *C. de rei vendic.* quæ sunt Diocletiani, ubique hæc littera G impressa est, ut *in lege* 3. *C. ne filius pro patre. Jure manifesto cautum est.* G. V. *Kal. Maji.* In lege etiam 1. & 4. *C.*

F *de usufruct. & habitatione, PP. G. Id. Mart.* quæ sunt Severi & Alexandri. Ex quibus hanc litteram G, *Gesta* significare existimo. Hanc meam opinionem tuetur, quod ex lege Honorii ad Julianum Pro-

1 L. 30. C. de fideicommiss. 2 Lib. 20. *Observ.* cap. 3. 3 L. 29. C. de jur. delib. 4 L. 22. in fin. C. de sacrosanct. Ecclef. 5 L. 8. & 9. C. T. de Prætorib. & Quæstorib. 6 L. 8. C. T. de metat. & metatorib. 7 L. 2. C. de episcop. & cleric. & l. 4. C. fin. reg. 8 L. 14. C. T. de indulgent. debit.

Proconsulem Africæ[1], *Gesta quæ sunt translata in publica monumenta, perpetuam habere firmitatem.* Gesta ergò quæ in publico lata sunt, faciunt fidem, quia ex his fides constat; ut verbi gratiâ, cùm de rei vendicatione agitur, in qua G scripta est, ad Gesta recurrendum est: *Ut in finalibus quæstionibus vetera monumenta, census auctoritas, ante litem inchoatam ordinati, sequenda est*[2]. Gesta etiam sunt πεπραγμένα, χειροτονηθέντα, ὑπομνήματα, Gloss. vet. Acta Judicum, quæ nobis *procez verbaux*, aut partium instrumenta. Ut in Appellationibus Gesta cum Relatione præstantur[3]. In partium petitionibus aut propositis sunt contractus, aut instrumenta, aut facti species, ex quibus jus certum elicitur. Quare in omnibus his Rescriptis, quibus littera G apponitur, quod statutum est ex veteribus monumentis, Census auctoritate, instrumentis, contractibus, quibus Gestorum fides constare videtur: significatur *PP. G.* Proposita Gesta dicuntur, cùm nulla instrumenta proferuntur, sed nuda Gestorum narratio, quæ apud Judicem probari debet[4].

In una eademque Constitutione nonnunquam tres dies subnotati inveniuntur: ut in Novella II. Theodosii de testamentis: *Data VII. Kal. Jan. Accepta VI. Kal. Junii. PP. V. Kal. Jan.*

CAP. XXXVII.

De Beneficiis Principum.

BEneficium Principis voco liberalitatem, & quidquid jure singulari, contra tenorem rationis, propter aliquam utilitatem vel gratiam introductum est. Hoc ad res, vel personas pertinet, & in triplici differentia, quoad personas constituitur: aut enim est liberalitas gratuita, aut privilegium, aut indulgentia. Liberalitas ex mera Principis voluntate proficiscitur, & propriè Beneficii nomen sibi vendicat. Hujusmodi sunt Provinciarum administrationes, & Magistratus ceteri, vel bona aliqua à Principe in alium collata, quæ beneficia verè appellantur: *Alexander Severus*, Lampridius in *ejusd. Vita*, *dabat hæc in beneficiis quæ famam ejus non læderent. Bona privatorum, sed nunquam cum argento, auro, vel gemmis: nam id omne in Ærarium deponebat. Dabat Præposituras locorum civilium, non militarium. Dabat administrationes quæ ad procurationes pertinebant. Præsides verò, Proconsules & Legatos nunquam fecit ad Beneficium suum, sed ad Judicium vel suum vel Senatus.* Quod Alexander unus observavit: nam ceteri Principes in hac re ita se gesserunt, ut suo beneficio omnia officia, aut pretio, aut gratia, infimis etiam hominibus maximo Reipublicæ detrimento contulerint. Hinc Christus Dominus noster: *Reges Gentium*, ait, *dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, Benefici vocantur*, καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες εὐεργέται καλοῦνται, *Luc.* cap. 22. Εὐεργέτης, benemeritus, beneficus. Κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν, potestatem super ceteros habent, ut D. Matthæus loquitur *cap.* 20.

Bonorum Beneficia hæc sunt, *donare possessiones demto canone: relevare possessiones tributis: transferre possessiones in aliud jus, veluti ex patrimoniali jure in privatum: vel ex una præstatione, in aliam*[5]. In iis sunt agri, si qui dati, assignati, concessi, redditi, commutati beneficio Principis Coloniæ fuerunt, quæ in Libro Beneficiorum adscribuntur, Hyginus *de limit. agror.* in hoc enim Beneficio-

1 L. fin. C. de re judic. l. 55. C. T. de hæretic. 2 L. in finalibus. D. fin. regund. 3 L. 24. C. de appellationib. 4 L. 10. C. de rei vendic. 5 L. 1. C. de collat. dator. & relevat.

A rum Libro omnia concessa vel data à Principe descripta fuerunt. Inscriptio Romæ, pag. 578. 1.

M. VLPIO. AVG. LIB.
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A POTIONE. ITEM. A LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI. PROXIMO. ET
A COMMENT. BENEFICIORVM.

Magistratuum autem, quos Beneficos vocamus, nomina maximè Proconsulum, Legatorum, Præsidum Procuratorum qui Provincias obtinebant, B ad Ærarium & in Commentarium Principis relata sunt[1]: hocque est Commentarium Beneficiorum: quod stante Rep. in usu fuisse M. Tullius docet Orat. *pro Archia*, & *pro Balbo*, qui testatur *Archiam ut civem Romanum in Beneficiis ad Ærarium delatum esse, à L. Lucullo Prætore & Consule. Ut Balbum Præfectum fabrorum à Cæsare in Prætura etiam & Consulatu.*

Modestinus Tribunos militum & Præfectos, & Comites Legatorum, ad Ærarium relatos commemorat[2]: quod & ex M. Tullio discimus. Ille enim ad Rufum Quæstorem suum *lib.* 5. *epist.* 20. C *Quod scribis*, ait, *de Beneficiis: scito à me & Tribunos militares, & Præfectos & contubernales duntaxat meos delatos esse.* Deinde: *Sanè molestè tuli, non illa beneficia, tuæ potiùs ambitioni reservata esse quàm meæ. De Centurionibus autem & Tribunorum militarium contubernalibus res est in integro. Genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat.* Hoc non traxerim ad Beneficiarios milites, qui ita sunt appellati, auctore Festo, qui vacabant muneris Beneficio: ut è contrario Munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus Reip. faciebant. De Tribunis tantùm & Præfectis, & Comitibus Legatorum lex loquitur: non D de militibus, qui vacationem habent munerum graviorum; quales sunt, Mensores, Optiones, valetudinarii, & ceteri qui à Callistrato numerantur[3], qui in eodem obsequio perseverant[4]. Hujus generis etiam sunt, qui aliquid muneris in Officio Præfectorum sunt consecuti, & beneficio Tribunorum promoventur, Veget. *lib.* 2. *cap.* 7. Sic Beneficii sui Centuriones Tiberius habuit, id est, quos suo Beneficio ad eum militiæ gradum promoverat, Sueton. in *Tiberio* cap. 12. Porrò deferri ad Ærarium honoris est: referri in Ærarium ignominiæ: eximere ex Ærario est hac E ignominia aliquem levare, Agellius *lib.* 4. *cap.* 20. Habuerunt verò Proconsules & Legati Beneficiarios suos: C. *Cæsar*, qui Caligula, cùm *legio in Africa tutandis Imperii finibus, sub Augusto Tiberioque Principibus Proconsuli pareret: Cajus ille turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens, ablatam Proconsuli legionem, misso in eam rem Legato tradidit: æquatus inter duos Beneficiorum numerus, & mixtis utriusque mandatis, discordia quæsita*, Tacit. 4. *Histor.* Beneficiorum numerus æquatus, non ad milites, quos Silanus nullos habuit, quique Beneficiarii non erant, sed ad Comites & Adsessores refertur: nam Legato- F rum Comites Beneficiarii abesse Reip. causa intelliguntur[5]. Lipsius aliter æquatum Beneficiorum numerum interpretatur, promotiones scilicet ad altiores ordines, sive gradus: quod Modestini sententiæ repugnat, & ipsis Taciti verbis. Non me latet Proconsules ceterosque majores Magistratus, si legiones illis parerent, aut illis milites

 Prin-

1 L. abesse. D. ex quib. caus. major. 2 D. l. abesse. 3 L. fin. D. de jur. immunit. 4 L. 5. C. T. de cohortalib. primip. 5 L. abesse. D. ex quib. caus. major.

Princeps adſignaſſet, Beneficiarios milites & Officiales habuiſſe, quos tamen ad altiores gradus promoveri fruſtra putaremus. Sic Gabio Baſſo Præfecto oræ Ponticæ Plinius Beneficiarios decem ex cohortibus, quibus præerat, ex mandato Trajani conceſſit, *lib.* 10. *epiſt.* 21. ſed Beneficiarii milites, à Comitibus Magiſtratuum Beneficiariis diverſi ſunt: nam fuerunt urbanis etiam Magiſtratibus Beneficiarii, quamvis militibus non præeſſent. Et Beneficiarius Conſulis in antiquis Inſcriptionibus his litteris denotatur B-F. COS. pag. 90. 10.

C. TAVRICIVS. VERVS
B-F. COS. PRO. SE. ET. SVIS.

Vt Beneficiarius Prætoris & Præfecti Vrbis in iiſdem Inſcriptionibus frequenter, pag. 431. 9.

C. LVCCIVS. MILITAVIT. IN
COHOR. VRB. ADIVT. TRIBVN. ORFIT
SECVTOR. OPTIO. VALETVDI. OPTIO
TRIBVN. QVAESTIONIB. FACTVS. PER
ANNIVM. VERVM. PRAEF. VRBIS.
FISCI. CVRAT. AB. ACT. CORNICVLVS
TRIB. BENEF. VVLTEI
PRAEF. VRB. MISSVS. AB. IMP
HADRIANO. AVG

De Officiis Militaribus & Cohortalinis nos alibi; ad rem noſtram nunc pertinet ſcire, urbanarum Cohortium Officium ad Præfectum Vrbi pertinere, qui debuit diſpoſitos milites Stationarios habere, ad tuendam popularium quietem, & ad referendum ſibi quid ubique agatur [1]. Luccius in Cohortibus urbanis Beneficiarius Tribuni quæſtionibus factus, Beneficiarius Vultei Præfecti Vrbis in Inſcriptione ſuperiori non eſt promotus Beneficio Tribuni, quod in caſtris fieri ſolebat, Veget. d. *lib.* 2. *cap.* 7. ſed per Annium Verum quæſtionibus factis, id eſt, inquiſitione habita, Beneficiarius fuit Vultei Præfecti: nam promotiones Cohortalinorum urbanorum Præfecti Vrbis beneficio fiebant. Et quoniam Inſcriptiones tractamus, unam hîc adfero, in qua Beneficii nomen non vulgarem habet ſignificationem, pag. 687. 5.

D. M
L. HOSTILI. TER
SILVANI
ANN. XXIIII. M. II. D
XV. MATER. FILIO. PIISS
MISERA. ET. IN. LVCTV
AETERNALI. BENEFICIO
NOVERCAE

Putabam aliquando litteram V. in B. commutatam, quod in Florentinis frequentiſſimum eſt, & pro Beneficio legendum *Veneficium*: ſed nullum mendum eſt, & Novercæ beneficium retineo, quod pro malis artibus etiam in Jure noſtro accipitur. Sic Vlpianus [2]: *Quoties communis parietis vitio quid accidit, ſocius ſocio nihil præſtare debet: cùm communis rei vitio contigerit. Quòd ſi quia alter eum preſſerat vel oneraverat, idcirco damnum contigit, conſequens eſt dicere, detrimentum eſt, quod Beneficio ejus contingit, ipſum ſarcire debere.* Hîc beneficium pro vitio ponitur. Idem Vlpianus, *rem abeſſe Beneficio furis* dixit [3], & Conſtantinus Imperator: *Si ſcripti heredes*, inquit, *infamiæ vel turpitudinis, vel levis notæ macula adſperguntur, vel liberti qui perperam, & non benè merentes maximiſque Beneficiis, ſuum Patronum ſunt aſſecuti, inſtituti ſunt: conſanguinei fratres de inofficioſo teſtamento quæſtionem movere poſſunt* [1]. Hîc beneficium pro maligna fraude, malis artibus & delicto ſumitur.

1 L. 1. §. quies. D. de offic. Præfect. Vrb. 2 L. ex damni. §. quoties. D. de damn. infect. 3 L. Intro. D. de furt.

Eſt & alia Inſcriptio, in qua Cœlius Miles cohortis ſecundæ Prætoriæ ſpe Beneficiarius ſcribitur, pag. 393. 5.

C. COELIO. ANICETO. MIL. COH. II.
PR. SING.
TRIBVNI. SPE. BENEFICIAR

Suos heredes vivo patre quodammodo bonorum dominos, κατὰ ἐλπίδα legimus, Spe Beneficiarios, qui hanc ſpem inanem in titulis ponunt: non aliàs agnovimus.

Cap. XXXVIII.

De Beneficiis legis, & Principis indulgentia.

Legum Beneficia verè Principi tribuimus, à quo illa ferè omnia originem trahunt, ut Beneficium Reſcripti [2], Reſtitutionis in integrum, inventarii, repræſentationis, ordinis, ex Epiſtola D. Hadriani inter fidejuſſores, actionis reſciſoriæ, appellationis, orationis, legis Juliæ, ceteraque communia quæ omnibus patent. At quædam ſunt ſpecialia Beneficia, ad poſtulationem Civitatum, vel privatorum, vel corporum. Inter cetera Principis Beneficia quæ certis perſonis dantur, de Repub. vel de ſuo corpore benè meritis, ſunt ſtatuæ & imagines, quæ ſine Imperiali beneficio non ponuntur [3].

Ad poſtulationem privatorum ſunt quædam ſingularia, quæ ad exemplum non trahuntur, quæque propriè ex Principis indulgentia conceduntur; ut *ſi quæ vidua nuptiarum feſtinatione religionem priori viro non præſtiterit, ex jure quidem notiſſimo ſit infamis, niſi Princeps hujuſmodi maculam Imperiali beneficio ei remiſerit* [4]. Sic ſi cui in Provincia ſua Princeps adſidere permiſerit, ſpeciali Beneficio hoc largiri ſolet [5]. Et qui permiſſu Imperatoris ab accuſatione deſtitit, impunitus eſt, & in Turpillianum non cadit [6]. Non ea mihi mens eſt omnia Principum Beneficia & indulgentias uno capite concludere, ſed quædam præcipua, quæ ad Juris civilis cognitionem conducunt, & maximam Principum poteſtatem declarant. Qualia ſunt natalibus reſtituere, jus aureorum annulorum tribuere, liberam teſtamenti factionem dare, iis quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum [7]; hoc ſolius Principis eſt, quod ex D. ſpecialibus titulis intelligi poteſt, qui noſtra interpretatione non indigent.

Indulgentia Principis Senatori permittitur libertinam juſtam uxorem habere [8]. Nuptæ Conſulari viro ſolent à Principe impetrare, quamvis perrarò, ut nuptæ iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in Conſulari maneant dignitate [9]. Quod Antoninus Auguſtus Juliæ Mammeæ conſobrinæ ſuæ

1 L. 27. C. de inoffi. teſtament. 2 L. 2. C. de jur. domin. impetrand. 3 L. 1. C. de ſtatuis & imaginib. 4 L. 4. C. ad S. C. Tertul. 5 L. ſi cui D. ex quib. cauſ. major. 6 L. deſtitiſſe. D. ad Turpillian. 7 L. 3. §. 1. D. de bon. libertor. 8 L. ſi Senatori. D. de rit. nupt. 9 L. nuptæ. D. de Senatorib.

suæ indulsisse traditur. Quin & nuptiæ ex Rescripto Principis quandoque petebantur: ut si mulier, quæ scenicis quidem Ludis antè se immiscuisset, spreta mala conditione, ad meliorem migrasset sententiam, & in inhonestam professionem effugisset, indulgentiâ Principis ad legitimum matrimonium ei venire permittitur [1]. Rescriptorum hujusmodi formulæ sunt apud Cassiodorum *lib. 7. Variar.* 40. & 46.

Quod ad testamenta attinet: si quis mutus esset, impetrabatur à Principe, ut muto puberi substituere liceret: atque ut filio impuberi pater testamentum facere potest, sic muto puberi ex permissu Principis [2]. Item filiofamil. qui testandi facultatem non habet, libera testamenti factio à Principe conceditur, secundùm formam legibus introductam [3]. Quòd si libertino testari à Principe permittitur; lex Papia & Edictum Prætoris de bonis libertorum remittuntur [4]. Sed si libertus jus Aureorum Annulorum consecutus sit à Principe, adversùs hujus tabulas potest venire patronus, ut multis Rescriptis continetur. Planè si natalibus restitutus sit, cessat contra tabulas bonorum possessio, ut si à Principe liberam testamenti factionem impetrasset.

Hæc quidem Principis indulgentia porrecta ad Consules, Proconsules, Præsides, legionum Præfectos, & ad omnes generaliter qui in diversis dignitatibus positi, ab Imperatoris consequuntur manu, vel publicis salariis largitates: nam hi si filiifamil. sint, & sub patris potestate, de peculio castrensi testari possunt. Quod illis privilegii loco concessum est: quodque postea speciali privilegio aliis datum est, ut causarum Patronis, memorialibus agentibus in rebus, ceterisque omnibus qui salaria vel stipendia publica percipiunt [5].

Præterea impuberis arrogatio à Principe impetratur [6]: Adoptio non jure facta ab illo confirmatur [7]. Ex indulgentia Principis Antonini recepta est causa donationis, quam dicimus *Donationem honoris causâ*: ut si uxor viro laticlavii petendi gratiâ donet, vel ut Equestris Ordinis fiat, vel ludorum gratiâ [8]: nam latus clavus, quo quis in amplissimum Ordinem promoveretur, à Principe petebatur, Plin. *lib.* 10. *epist.* 5. ut Equites Romani ab illo eligebantur, Dio *lib.* 59. Ludi autem, de quibus lex loquitur, sunt publici, qui à Magistratibus præstabantur: nec enim de Ludis hoc intelligendum est, qui virtutis causâ permittuntur, quique à Paulo ad quinque genera reducuntur [9].

Lubet, & virtutis causâ, hîc tantisper ludere: & cur non liceat ludere, his qui Equi lignei vocantur, disputationem dirimere, quæ gravis aliquando incidit, apud Imperatorem, atque Equi lignei significationem investigare? Balsamon Constitutionem adfert, quæ perierat, quæque in Justiniani C. virorum doctorum operâ reposita est [10]. Ex Basilic. lib. 60. hi Ludi ξύλινα ἱππικὰ, de quibus quæstio pro Tribunali Principis agitata est, παρὰ τῷ βασιλικῷ βήματι. Quidam, ait Balsamon, lusum illum dicebant, quo pueri extra Circum aurigando, Equorum vice hominibus utuntur. Aliis verò contrà contendentibus ligneum equum, quandam esse fabricam, quæ per ligneos gradus, multa foramina habentes, protendatur in altum: nam qui hoc genere ludebant, quatuor globulos diversorum colorum superinjiciebant ex superiori parte, & qui primus globulorum per foramina ex ultimo foramine egrediebatur, hic victoriam ei dabat, qui projecerat: παίγνιον παρὰ τῦ νόμυ ἀποτρέπεσθαι καὶ κολάζεσθαι, ὡς ἔχον αἰτίαν κότlον· κοττίζω, Aleam ludo, κοττιςής, aleator, veteribus Glossis. Constitutio tandem prohibuit Equi lignei ludum, periculi repetitione proposita in lusores, & publicatione domorum in quibus hujusmodi lusus peracti sunt. Si cui hæc minùs trita displiceant, equitet ille in arundine longa, dum nos ad alia properamus.

Imperator solus potest Commeatum & Remeatum exsuli dare [1]: gratiam jurisjurandi facere, ei qui juraverit [2], minoribus rei suæ administrationem permittere [3]: veniam ætatis dare [4]: jus venundandi prædia minorum tutoribus concedere [5]. Romanam civitatem peregrinæ conditionis hominibus, aut libertinis jus Quiritium dare, Plin. *lib.* 10. *epist.* 6. & 12.

De jure civitatis & Quiritium utile est hîc paucis tractare, quod à paucis intellectum est [6]. Jus Quiritium est jus civile Romanorum, quo Quirites illi utuntur [7], quodque jura privata comprehendit, ut Libertatis, Gentilitatis, Sacrorum, Connubiorum, Legitimi Dominii, Testamentorum, Tutelarum. Jus autem civitatis in Tribu præcipuè & domicilio & honoribus consistit: quibus jus suffragii, dignitatum, patriæ potestatis, Sacerdotiorum, Magistratuum, Imperii continetur: atque ut uno verbo complectar, omnium legum Romanarum beneficio uti, & ad Ærarium inter Beneficiarios deferri. Scio hæc jura ab Antonino Pio primùm immutata [8]; deinde à Justiniano corrupta [9], quæ integra diu permanserunt, ut ex Vlpiano colligitur [10]: *Latini*, inquit, *jus Quiritium consequuntur Beneficio principali, Liberis, Iteratione, Militia, Nave, Ædificio, Pistrino, ex Senatusconsulto, veluti quæ sit ter enixa: & Beneficio Principis civitatem Romanam Latinus accipit, si ab Imperatore jus Quiritium impetravit.*

Falsus est Carolus Sigonius lib. 1. de *antiq. jur. Ital.* cap. 4. qui jus patriæ potestatis ad jus Quiritium retulit, cùm proprium sit civium Romanorum [11], moribus receptum [12], quod apertè Plinius docet, qui cùm Posthumi Marini Medici propinquis civitatem peteret, liberis etiam eorum id concedi ita postulabat, ut essent in patris potestate, utque iis in libertos servaretur jus patronorum. Deinde rogat ut Trajanus jus Quiritium L. Satrio volentibus Patronis indulgeat, Plin. *lib.* 10. *epist.* 12.

Aliam etiam civitatem peregrini ab Imperatore impetrarunt, ut Alexandrinam, Plin. eod. *lib. epist.* 11.

Indulgentia Principis latiùs extenditur: loca enim publica sine hac indulgentia restituere non licebat, Plin. *eod. epist.* 24. 38. & 40. Nec Principum statuas in alium locum transferre, *eod. ep.* 9. Collegia instituere, *eod. ep.* 34. Religiosa templa commutare, *eod. ep.* 50. jus trium liberorum dare, *eod. epist.* 98. Præterea de amplianda, aut minuenda pœna damnatorum post sententiam dictam, nihil sine principali auctoritate statuendum est [13]. Atque in his omnibus si quid difficultatis occurrit, solius Principis est, sua Beneficia interpretari: licèt Beneficium illud, quod ab ejus indulgentia proficiscitur, ple-

1 L. 23. C. de nuptiis. 2 L. ex facto. D. de vulgar. 3 L. 35. C. de inoffic. testament. 4 L. 3. D. de bon. libertor. 5 L. fin. C. de inoffic. testament. 6 L. 2. & 6. C. de adoptionib. 7 L. 18. D. eod. 8 L. nuper. D. de donat. int. vir. & ux. 9 L. 2. D. de aleæ lusu. 10 L. 2. C. de aleatorib.

1 L. 4. in fin. D. de pœn. 2 L. fin. D. ad municipal. 3 L. 3. D. de minorib. 4 L. 1. C. de his qui ven. ætat. 5 L. 2. C. quando decret. opus non est. 6 Vid. infrà cap. 43. 7 Instit. de jur. natur. gent. & civil. 8 L. in orbe. D. de statu homin. 9 Novel. 78. 10 Lib. Reg. tit. 3. 11 Instit. de patr. pot. 12 L. patre furioso. D. de his qui sunt sui vel alien. jur. 13 L. acta. §. 1. D. de re judic.

pleniſſimè interpretari poſſimus, ſi à voluntate Principis non recedatur [1]. Quod prudentiſſimè Juris Auctores obſervarunt. Vt Neratius conſultus, *an quod Beneficium dare ſe quaſi viventi Cæſar reſcripſerat, idem defuncto dediſſe exiſtimaretur: Reſpondit, non videri ſibi Principem, quod ei, quem vivere exiſtimabat, conceſſiſſet, defuncto conceſſiſſe. Quem tamen modum Beneficii ſui eſſe vellet, ipſum exiſtimaturum eſſe* [2]. Nam Beneficium perſonæ datum cum perſona exſtinguitur [3]. Si verò rei conceſſum eſt, ad heredes tranſmittitur. Exemplum hoc ex Vlpiano promtum eſt: *Permittitur*, ait, *aquam ex caſtello, vel ex rivo, vel ex quo alio loco publico ducere, idque à Principe conceditur: alii nulli competit jus aquæ ducendæ. Et datur interdum prædiis, interdum perſonis: quod prædiis, exſtincta perſona non exſtinguitur; quod perſonis, cum perſona amittitur. Ideoque neque ad alium heredem vel qualemcumque ſucceſſorem tranſit* [4] *aquæ beneficium*. Julius Frontinus dicit lib. 1. de *Aquæduct*.

In Principum verò beneficiis tria notanda ſunt: primum, ſacrilegii inſtar eſſe ſuper quibuſdam adminiſtrationibus vel dignitatibus promulgandis, obviare beneficiis [5]: Secundum, ſi quæ beneficia proſonalia ſine die & Conſule fuerint deprehenſa, ut illa auctoritate careant [6]: Tertium, ut beneficia à ſuperioribus conceſſa Principibus ex Tiberii inſtituto, omnes dehinc Cæſares aliter rata non haberent, quàm ſi eadem iiſdem ipſi dediſſent, Sueton. in *Tito* cap. 8. Poſtea tamen uno Edicto ex Titi indulgentia ſunt confirmata.

CAP. XXXIX.

De decretis Principi honoribus à S. P. Q. R.

ROmani Principes omnia, quæ in populari Reipublicæ forma plurimùm valebant, Senatu Populoque volente, ea cum ipſis nominibus in ſe receperunt; excepta Dictatura, Dio *lib.* 53. Ne ex potentia potiùs, quàm ex legibus, illam uſurpaſſe crederentur. Conſules fiunt ſæpenumero, & quoties extra pomœrium ſunt, Proconſules dicuntur: *Ὕπατοί τε γὰρ πλειςάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ Πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται.* Imperatoris autem nomen, loco nominis regii & Dictatoris ſemper gerunt. Ex Cenſoria verò appellatione, in vitam & mores inquirendi, cenſus agendi, in Equeſtrem & Senatorium Ordinem adſcribendi, alioſque removendi, pro ſuo arbitrio licentiam conſequuntur. Quòd autem omnibus ſacerdotiis inaugurantur, ſemperque unus eorum, ſi duo ſint, maximum Pontificatum geſſit, eò fit, ut omnia ſacrificia in ſua habeant poteſtate. Gerere quidem Tribunatum plebis nefas ducunt, cùm utique ipſi ſint Patricii: omnem tamen Tribuniciam poteſtatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt. Et quia quotannis eam cum Tribunis plebis ejus anni renovant, annorum Imperii ipſorum hinc ſumma concipi ſolet. Hæc ex Dione excepimus, qui honorum ordinem non ſervavit, quem ex veteribus Nummis, Lapidibus, & probatis Auctoribus ſequi melius eſt.

Primùm ergo de Imperatoris nomine, deinde de maximo Pontificatu, Tribunicia Poteſtate, Patris Patriæ appellatione agemus. Tum de Conſulatu, Proconſulari Imperio, relationis jure, ceteriſque pro temporum ratione decretis honoribus, quæ neceſſaria videbuntur, breviter exponemus.

Imperatoris nomen perpetuum Principes retinuerunt, quod tamen in quibuſdam Nummis aliquando omiſerunt, in quibus,

CAESAR. COS. AEGYPTO. CAPTA
CAESAR. AVGVSTVS. DIVI. F. PATER. PATRIAE
PONTIFEX. MAXIMVS
CAESAR. D. F. AVG. COS. VIII. PP. IMP. VII.

Inſcriptiones veteres plurimùm ab Imperatoris nomine incipiunt, quæ Pontificatum maximum conjungunt cum Tribunicia poteſtate, pag. 243. 3.

IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT. III.
IMP. IIX. P. P. COS. III. DES

Alia hæc, pag. 243. 6.

IMP. CAESARI. VESPASIANO. AVG
PONT. MAXIM. TRIB. POT. VIII
IMP. XII. COS. VIII.

Item alia, pag. 247. 5.

IMP. CAESARI. DIVI. NERVAE. FILIO
NERVAE. TRAIANO. OPTIMO. AVG.
GERMANICO. DACICO. PONT. MAX.
TRIB. POT. XVIIII. IMP. VII. COS. VII. P. P.

Repetitum plerumque Imperatoris nomen, quòd ipſi Principes, vel eorum Duces, exercitus adverſus hoſtes duxerint; numerumque & vices exercituum bellorumque deſignant, IMP. VII. VIIII. &c. Nomina alia, quæ ſibi adſcribunt, ut Germanici, Dacici, à devictis hoſtibus ſortiti ſunt.

Quod ad Sacerdotia attinet, ferè ſemper in Nummis & Lapidibus Imperator Pontifex maximus legitur. Quandoque Augur, & Quindecimvir, cujus Sacerdotii inſignia in Nummis impreſſa ſunt: quod nos in libris *de veteri jure Pontificio* tractavimus lib. 1. cap. 3. & 15. ubi tria Sacerdotum ampliſſima Collegia fuiſſe monſtramus, Pontificum, Augurum, Quindecimvirûm. Quare cùm Dio *lib.* 53. ſcripſit Principes omnibus Sacerdotiis inauguratos, *ἔκ τε τοῦ ἐν πάσαις ταῖς ἱερωσύναις ἱερῶσθαι*, de tribus iis ampliſſimis Sacerdotiis intelligi debet.

De Auguratu nummus eſt Veſpaſiani:

IMP. CAES. VESP. AVG. P. M.
AVGVR. TRIB. POT.

De Quindecimviratu Inſcriptio eſt, quæ ad Cæſares refertur, pag. 252. 2.

IMP. CAES. TRAIANO. HADRIANO
AVG. P. P. TRIB. POT. XXI. COS. III
IMP. II. L. AELIVS. CAESAR. FIL
TRIB. POT. COS. II. PROCOS.
XV. VIR. SACRIS. FACIVNDIS.

Porrò Pontificis nomen Imperatores Chriſtianos poſt Gratianum etiam retinuiſſe, ex Edicto Valentiniani & Marciani ſcimus, quod in Actione 3. Concilii Chalcedonenſis inſertum eſt, in qua Valentinianus & Marcianus Pontifices incliti nominantur: neuter tamen eorum Pontifex maximus. Conſtantinus Magnus Epiſcopum ſe extraneo-

1 L. beneficium. D. de conſtit. Princip. 2 L. 191. D. de regul. jur. 3 L. 3. & 4. D. de cenſib. 4 L. 1. §. permittitur. D. de aqua cottidian. 5 L. 5. C. de diverſ. reſcript. 6 L. 4. C. eod.

neorum vocabat, quos principali auctoritate ad Christianos ritus compelleret. Digna quidem vox boni Principis ad Episcopos, quos convivio exceperat, Euseb. lib. 4. *de Vita Constantini* cap. 24. Ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς Ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ Θεοῦ καθεσταμένος Ἐπίσκοπος ἂν εἴην, *Vos quidem intra Ecclesiam, ego verò extra, Deo Episcopus constitutus.* Qui locus perperam à quibusdam intellectus, ridiculis illos erroribus irretivit.

Tribunicia Potestas, quam omnes Imperatores habuerunt, effecit ut sacrosancti haberentur, ac si vel minimo sermone ab aliquo læsos se existimarent, indictâ eum causâ, ut qui se piaculo obstrinxisset, necare possent. Hæc vis est ἐξουσίας τῆς δημαρχικῆς, Dio *lib.* 53. L. Valerius & M. Horatius legem tulerunt, quâ sacratam legem in Tribunorum favorem tuerentur, quæ à Junio Bruto primùm lata est, & Junia à Dionysio *lib.* 6. appellatur. Atque ut perpetuò lex maneret immobilis, adacti sunt cives omnes jurare per sacra omnia, utique hac lege in sempiternum usuros se, & posteros: Καὶ ἵνα μὴ εἰς τὸ λοιπὸν τῷ δήμῳ ἐξουσία γένηται καταπαῦσαι τόνδε τὸν νόμον, ἀλλ᾽ εἰς πάντα τὸν χρόνον ἀκίνητος διαμείνῃ, πάντας ἐτάχθη Ῥωμαίους ὀμόσαι καθ᾽ ἱερῶν, ἦ μὴν χρήσεσθαι τῷ νόμῳ καὶ αὐτοὺς καὶ ἐγγόνους τὸν ἀεὶ χρόνον, Dionys. *lib.* 6. Hujus tamen legis memoriam propè abolitam tradit Dio: Jurisque Interpretes negasse quemquam Sacrosanctum esse, sed eum qui Tribunis nocuerit, Sacrum sanciri. Sed Tribunos vetere jurejurando plebis Sacrosanctos esse Livius *lib.* 3. prodit, & Sacrata lex ab eo Consularis vocatur.

Sacrosanctum est quod populus plebsve sanxit. Sanctiones autem sacrandæ sunt aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis, aut pœnæ, cùm caput ejus qui contrà facit, consecratur, Cicero *pro Cornel. Balbo.* Hisque legibus adhibebatur cautio, ne abrogari aut derogari eis unquam posset. Hanc ergo Tribuniciam Potestatem omnes Imperatores receperunt, primusque eorum Augustus perpetuam accepit, in qua semel atque iterum per singula lustra Collegam sibi cooptavit, Suetonius in *Augusto* cap. 27.

Dictaturam, offerente Populo pertinaciter, Augustus constanter repulit, odio nominis, Vellejus Patercul. *lib.* posteriori. Tribuniciam Potestatem accepit post undecimum Consulatum, ut Fasti Consulares testantur, in quibus, anno Vrbis conditæ DCCXXX.

IMP. CAESAR. DIVI. F. C. N. AVGVSTVS. DICT. PERPET. APPELLATVS. EST. ABDIC. TRIB. POT. ACCEPTA.
EX. A. D. V. KAL. IVLI. IMP. CAESAR. DIVI. F. AVG. PONT. TRIB. POT. II. COS. XI. IMP. VIII.

Hanc Potestatem Tribuniciam Augustus per annos XXXVII. integros continuavit. Atque hoc Tribuniciæ Potestatis summi fastigii vocabulum Augustus reperit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret; *hac tamen appellatione aliqua, cetera Imperii præmineret*, ait Tacitus lib. 3. *Annal.* quem Lipsius arguit. Etenim, inquit ille, decretum est Julio Cæsari ut Tribuniciam Potestatem per omnem vitam suam haberet, τὴν δὲ ἐξουσίαν τῶν δημάρχων διὰ βίον, ex Dione *lib.* 42. Malim tamen ego Tacito credere, quàm Dioni. Ille enim Augusti temporibus proximus, ut & ceteri vicini Scriptores hoc non prætermisissent, qui tam exactè honores Julio Cæsari decretos prosecuti sunt. Suetonius cùm perpetuam Dictaturam, continuum Consulatum, Præfecturamque morum, insuper

A & Imperatoris prænomen, Patris Patriæ cognomen accepisse Julium, aliaque permulta recenseat, Tribuniciæ Potestatis non meminit, in *Jul.* cap. 76. Florus inter honores à Senatu Julio Cæsari decretos, post quintum ex Hispania triumphum, hos enumerat epitome 116. ut *Pater Patriæ, Sacrosanctus & Dictator in perpetuum esset.* Sacrosancti nomen Dio fortè ad Tribuniciam Potestatem traxit, quod tamen latiùs patet ex M. Tullio, ut demonstratum est, & ex Livio, qui sacros homines Diis inferis devotos intelligunt: sicque Sacrosanctus Julius sine Tribunatu factus est. Vt olim Decemviri, Ædiles, Judices, quos qui
B violasset, ejus caput Jovi sacrum erat, familiaque ad Ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum ibat, Livius d. *lib.* 3. Sed nos in Taciti verbis immoremur, qui Tribuniciæ Potestatis appellationem ab Augusto excogitatam tradit, ut cetera Imperii præmineret. Non sum audax in correctione Librorum, maximè si MS. Codices desint: sed litterarum mutationem notare cuilibet licet, si lectio inde verior appareat. Ego itaque pro *præmineret*, lego *præmuniret*: hoc enim verbum, *præminet*, vix à probatis Auctoribus receptum, nullaque in Tribunicia Potestate eminentia, sed summa secu-
C ritas & optimum munimentum, quod omnes conjurationum vias firmissimis sacrarum legum præsidiis intercluderet. Sic Tribunicia Potestas pars maxima Regalis Imperii, sed non summa, & per eminentiam, Vopiscus in *Tacito.* Hanc primus Augustus post obitum C. & L. Cæsarum, Tiberio communicavit, ante adoptionem: etenim *Tribuniciæ Potestatis consortionem* illi constituit, ut Paterculus loquitur *lib.* posteriori. Multùm quidem eo, cùm domi, tùm in Senatu recusante, quem tandem adoptavit. Hanc eandem Potestatem Vipsanio Agrippæ in quinquennium concesserat idem Augustus, quam etiam in quinquen-
D nium Tiberio tribuit, ut Fasti Consulares fidem faciunt:

IMP. CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. TRIBVNIC. POTEST. V. VI. COS. XI.

EODEM ANNO.

M. VIPSANIVS. AGRIPPA. TRIBVNICIAM. POTEST. AB. IMP. CAESARE. AVG. IN. QVINQ. ACCEP.

E De Tiberio,

IMP. CAESAR. DIVI. F. PONT. MAX. TRIB. POT. XVII. XVIII. COS.
TIB. CLAVDIVS. TI. F. AP. N. NERO. TRIBVNIC. POT. AB. IMP. CAESARE. AVG. IN. QVINQVENNIVM. ACCEP.

Tiberius deinde ad Imperium evectus, *misit litteras ad Senatum, quibus Potestatem Tribuniciam Druso petebat: qua fœda adulatione impetrata, Ti-*
F *berius decretas ob illam ceremonias temperavit, nominatim arguens insolentiam sententiæ, aureasque litteras contra patrium morem*, Tacitus 3. *Annal.* Occiso Galba cùm vocasset Senatum Prætor urbanus, decreti sunt Othoni Tribunicia Potestas, Augusti nomen, & omnes Principum honores, illeque à Tribunicia Potestate auspicatus est Imperium, Tacitus 1. *Histor.*

Tribuniciam igitur Potestatem receperunt Imperatores spreto Tribuni nomine: nam & Tribuni alii Magistratum gesserunt, atque ita officio suo functi, ut eorum sententia quandoque Imperatorum sententiæ prævaleret, ut de intercessione

Tribuni contra Tiberii & Drusi sententiam refert Dio *lib.* 57. Sed quod mirari liceat, Tribunos plebis in auxilium spretæ Potestatis advocavit aliquando Vitellius, cùm Priscus Helvidius Prætor designatus contra studium ejus censuisset, Tacitus lib. 2. *Histor.* Sic Tribunatum plebis, M. Antonino Imperatore decernente, Severus postea Imperator promeruit, eumque severissimè exsertissiméque egisse narratur, Spartianus in *Severo*.

C A P. XL.

De Patris Patriæ appellatione, Patriciatu, & Præfectura morum.

JUlio Cæsari primo decretum est Patris Patriæ nomen, cùm illam funditus evertisset, Sueton. in *Julio* cap. 70. Et cùm Patria communis sit omnium parens, ipsisque parentibus anteponenda, temporum infelicitate, posteaque fœda adulatione, cùm sui juris esset, contra naturam à filiis arrogata est, & in illorum potestatem recidit: hac tamen appellatione ita usi sunt boni Principes, ut quamvis eis aliquod jus tribueret, quale est parentum erga liberos, tamen non in hunc finem eis ab initio imposita est, sed honoris gratiâ, ut monerentur ipsi cives omnes liberorum habere loco; & hi vicissim Principes suos veluti parentes charos haberent, Dio *lib.* 53. Οὐ μέντοι καὶ ἐπὶ τοῦτο ἀρχὴν ἐγένετο· ἀλλ' ἔς τε τιμὴν καὶ ἐς παραίνεσιν, ἵνα αὐτοί τε τοὺς ἀρχομένους, ὡς καὶ παῖδας ἀγαπῶεν, καὶ ἐκεῖνοι σφᾶς, ὡς καὶ πατέρας αἰδῶνται. Quod verè Augustus unus inter omnes cum pietate coluit; nam cùm serò ei delatum esset hoc Patris Patriæ cognomen, ait Suetonius in *Augusto* cap. 58. „universi illud ei repentino maximoque consensu „detulerunt. Primùm plebs legatione Antium „missa: deinde quia non accipiebat, ineunti Romæ spectacula, frequens & laureata, mox in Curia, Senatus neque decreto, neque acclamatione, „sed per Valerium Messalam, id mandantibus „cunctis. Quod bonum, inquit, faustumque sit „tibi, Cæsar Auguste, domuique tuæ, (sic enim „nos perpetuam felicitatem Reipublicæ, & læta „huic precari existimamus) Senatus te consentiens „cum Populo Romano consalutat Patriæ Patrem. „Cui lachrymans respondit Augustus his verbis, „ut Messala refert: Compos factus sum votorum „meorum, P. C. Quid habeo Deos immortales „precari, quàm ut hunc consensum vestrum ad „ultimum vitæ finem mihi perferre liceat? Nomen Patris Patriæ Tiberius à Populo sæpius ingestum repudiavit: neque in Acta sua jurari, „quamquam censente Senatu, permisit: cuncta „mortalium incerta, quantóque plus adeptus fo„ret, tantò magis se in lubrico dictitans, Tacit. 1. *Annal.* Sed hoc Patris Patriæ nomen, ut Tribuniciam Potestatem, ceteri Imperatores passim usurparunt: quidam cum Imperio, alii ex intervallo. Hadrianus hunc honorem sibi delatum iterum iterumque distulit, hac motus ratione, quòd Patris Patriæ nomen Augustus serò meruisset, Spartianus in *Hadriano*. Pertinax primus omnium ea die, quâ Augustus appellatus est, Patris Patriæ nomen recepit, Imperium Proconsulare, & jus quintæ relationis, Capitolinus in *Pertinace*. Postea Severus Alexander, mortuo Elagabalo, Augustum nomen, & jus Proconsulare, & Tribuniciam Potestatem, etiam jus quintæ relationis, deferente Senatu, uno die assumsit: *Quòd gravitati Senatus*, ait Lampridius in *Alexandro*, *non congruebat, omnia simul deferre, aut bono Principi raptum ire tot simul Dignitates. Sed festinatum est*, inquit, *ut omnia quasi verus Imperator Alexander arriperet, quia milites insueverant sibi Imperatores tumultuario judicio facere.*

De Patriciatu unum, quod meminerim, est in Opilio Macrino exemplum: qui Imperator factus à militibus, orationem misit ad Senatum, atque inter illius capita hoc unum est: „Detulerunt, *in*„*quit*, ad me milites Imperium, cujus ego inte„rim P. C. tutelam accepi: tenebo regimen, si „& vobis placuerit quod militibus placuit. Lectis „in Senatu litteris contra opinionem omnium, & „mortem Antonini Senatus gratanter accepit, & „Opilium Macrinum libertatem publicam curatu„rum sperans, primùm in Patricios allegit, novum „hominem, & qui paulò antè Procurator privatæ „rei fuisset. Eundem cùm Scriba Pontificum es„set, quos hodie Pontifices minores vocant, Pon„tificem maximum appellavit, Pii nomine decre„to: deinde Proconsulare Imperium & Potesta„tem Tribuniciam detulit, Capitolinus in *Opil. Macrino*. Patriciatus magis generis Opilii humilitatem denotavit, quàm honoris amplitudinem; quod in ullo alio Principe factum non legimus.

Præfecturam morum, devicto Pompejo, Senatus Julio Cæsari detulit in quinquennium, quasi Censoris nomine non satis digno. Atque hunc Dictatorem in decennium constituit, Dio *lib.* 43. Τῶν δὲ τρόπων ἐπιστάτην, οὔπω γάρ πως ὠνομάσθη, ὥσπερ οὐκ ἀξίας αὐτοῦ τῆς τοῦ τιμητοῦ προσρήσεως οὔσης, ἐς τρία αὐτὸν ἔτη, καὶ Δικτάτωρα ἐς δέκα ἐφεξῆς εἵλοντο. Tandem ipse sibi perpetuam Dictaturam, Præfecturamque morum, atque ampliora humano fastigio decerni passus est, Suetonius in *Julio* cap. 76. Arguit Dionem Casaubonus, nec putat Cæsarem Censoris nomine abstinuisse, quia minùs honorificum existimaretur. Summa enim, ait, fuit Censoris dignitas, quam non dubitat Plutarchus ἀρχὴν πασῶν ἱερωτάτην appellare, in *Paulo Æmil.* Sed Tacitus Dionem tuetur: nam ante Julium Cæsarem, Cn. Pompejus tertiùm Consul corrigendis moribus delectus, & gravior remediis, quàm delicta erant, suarumque legum auctor idem ac subversor, quæ armis tuebatur, armis amisit, Tacitus 3. *Annal.* Si Pompejus Censoris nomen respuit, & morum Magister sive Præfectus creatus est, quis putet illo devicto, cùm honores ad libidinem Julius Cæsar caperet, Censoris nomen suæ dignitati conveniens æstimasse? Hanc Julii Præfecturam M. Tullius graviorem putabat quàm Censuram: ille enim ad Papirium Pætum *lib.* 9. *ep.* 15. *Sedebamus*, inquit, *in puppi, clavumque tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. Nolim me jocari putes: quandiu hic erit nostris Præfectus moribus, parebo auctoritati tuæ: cùm verò aberit, ad fungos me tuos conferam.*

Augustus antequam Tribuniciam Potestatem adeptus esset, morum legumque regimen recepit sexto Consulatu, ut Fasti Consulares notant, in quibus,

IMP. CAES. DIVI. F. C. N. OCTAVIAN.
MORVM. LEGVMQ. REGIMEN. RECEPIT. QVO. IVRE. SINE. CENSVRAE.
HONORE. CENSVM. POPVLI. ROM.
TER. EGIT. PRIMVMQ. HOC. ANNO.

IMP. CAES. DIVI. F. C. N. M. VIPSANIVS. L. F. OCTAVIANVS. VI.
AGRIPPA II.

EODEM ANNO.

IMP. CAESAR. DIVI. F. C. N. OCTAVIANVS. M. VIPSANIVS L. F. AGRIPPA.
LVSTRVM. FECERVNT. LXII.

Item

Item undecimo Consulatu,

IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. MORVM.LEGVMQ.REGIMEN.ITERVM. IN. QVINQVENNIVM. ACCEPIT.

Consulatu eodem cùm tertium in quinquennium morum regimen accepisset, in decennium postea accepit: *Censum Populi sine Censuræ honore Augustus ter egit, primum & tertium cum Collega, medium solus*, Sueton. in *Augusto* cap. 27. Sed Censores creari desitos longo intervallo ipse creavit, idem in *Augusto* cap. 32. eo modo, ut verisimile est, quo Tribunos plebis: nam ut Tribuniciam Potestatem, spreto Tribuni nomine, sibi vindicavit; sic Censoriam, omisso Censoris. Atque ut hac Censoria appellatione, vel potiùs morum legumque regimine & Præfectura, in vitam & mores inquirendi, Census agendi, in Equestrem ac Senatorium Ordinem adscribendi, aliosque ex iis removendi, pro suo arbitrio licentiam Princeps consecutus est, Dio *lib.* 53.

Domitianus tamen Censoris nomen more antiquitus recepto accepit, quod per totam vitam exercuit, & Patri Patriæ aliquando præposuit. Fasti Consulares,

IMP. CAESAR. DOMITIANVS. AVGVSTVS. P. M. TR. POT. XI. XII. COS. XVI. CENS. P. P. P.

At Dionis temporibus Censoris nomen obolevit *lib.* eod. cùm enim rem ipsam posteriores Principes haberent, neque deligebantur ad Censuram gerendam, neque ejus Magistratus nomen ferebant, præterquam in agendo Censu. Uni verò Domitiano Senatus novum & inexcogitatum honorem obtulit: *Decrevit enim ut quoties gereret Consulatum, Equites Romani, quibus sors obtigisset, trabeati & cum hastis militaribus præcederent inter Lictores Apparitoresque: quod ipse* honorum appetentissimus recusavit*, Suetonius in *Domitiano* cap. 14.

Ante Domitianum gessit Censuram Claudius, intermissam diu, post Paulum Plancumque Censores, sed hanc inæqualiter, varioque & animo & eventu, Sueton. in *Claudio* cap. 16. De Trajano Plinius in *Panegyrico*: *Non Censuram adhuc, non Præfecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potiùs quàm remediis ingenia experiri placuit.* Deinde, *Vita Principis Censura est, eaque perpetua.* Inscriptio elegantissima est, & Censuræ Principum maximè conveniens, pag. 449. 7.

D. D. D. N. N. N. INVICTISSIMI. PRINCIPES. HONORIVS
THEODOSIVS. ET. CONSTANTIVS. CENSORES
REMVNERATORESQVE. VIRTVTVM
PETRONIO. MAXIMO. V. C. PRAEF. VRB. OB
PETITION. SENATVS. AMPLISSIMI. POPVLIQ. ROMANI
STATVAM. MERITORVM. PERENNE. MONVMENTVM
IN. FORO. VLPIO. CONSTITVI. IVSSERVNT.

Posterioribus seculis virtus post Nummos: & tantùm quis habuit in honore, quantùm in Censu. Nec frustra exclamaret Brutus ille, ὦ τλῆμον ἀρετή.

* Ut sensus constet, reponi debet particula *quamquam.*

Cap. XLI.

De Proconsulari Imperio: Jure Relationis: & Senatoria Principum dignitate.

Quoties extra Pomœrium sunt Imperatores, Proconsules illos dictos scribit Dio *lib.* 53. Ἀνθύπατοι ἀεὶ, ὁσάκις ἂν ἔξω τοῦ πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται. An rectè, postea viderimus. Proconsulare Imperium est Provincias cum Imperio obtinere: quale illud fuerit in Principe, non satis huc usque ab eruditissimis viris explicatum. Quod ut intelligatur, advertendum est, Proconsulare Imperium ad rem præcipuè militarem referri: cujus ratione lege Curiata dari solebat, non ordinariis Magistratibus solùm, sed extraordinariis. Camilli est oratio apud Livium *lib.* 5. quâ, *quæ auspicatò aguntur, omnia ferè intra Pomœrium agi dicebat, ut Curiata Comitia, quæ legem militarem continent.* Et M. Tullius, Orat. *in Rullum*, *Consuli*, ait, *si legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Ex quibus locis clarum est, rem militarem nemini attingere licuisse, nisi lege Curiata id ei nominatim datum esset. Quod Nicolaus Grucchius lib. 3. *de Comitiis* cap. 2. fusiùs tractat, & docet ex variis M. Tullii locis, Magistratibus in Provincias profecturis, lege Curiata opus fuisse, sine qua non poterat legitimum esse cujusquam Imperium.

Proconsularis Imperii exemplum, quale postea Imperatoribus decretum est, in Cn. Pompejo videmus: qui lege Gabinia, tributis Comitiis lata, Provinciam obtinuit, & multa illi extra ordinem, invito Senatu, decreta sunt: *Primùm triennium Proconsul creatus: deinde Imperium illi datum adversùs omnes, absque provocatione: postremò tanta amplitudine, ut non modò totius Italiæ Imperium ei cederet, terra marique, sed etiam in omnibus omnium Provinciis ad quinquagesimum usque stadium. Qua ratione omnes ferè Romanæ Provinciæ, simul ejus Imperio, Piratico bello, quoad oram maritimam subjectæ fuerunt*, Plutarch. in *Pompejo.* Addit Dio *lib.* 36. Legatos quindecim Pompejo datos, omnes naves, & pecuniæ quantùm vellet. Hæc lex Piratica dicitur à M. Tullio, quam tulit primùm Clodius Tribunus pleb. *sine qua*, ut ait in Oratione *post redit.* & *egestate & improbitate coactus Piraticam ipse fecisset.* Et cùm postea Clodius adversaretur Pompejo, adversùs eum pro Pompejo Gabinius verè vehementerque pugnavit, Cicero Orat. *in Pisonem.*

Hinc quale fuerit Proconsulare Principum Imperium, facilè intelligi potest, ut illud ad omnes Imperii Provincias extenderetur; nec unâ aut aliâ terminaretur. Hoc quidem Imperium omnibus Imperatoribus delatum Historia Augusta comprobat, in qua tamen nullus Princeps Proconsul appellatur: quod Casaubonus mirari se dicit *ad Capitolin. in Antonino Pio*, cùm uterque titulus & Tribuniciæ Potestatis & Proconsularis Imperii omnibus æquè Imperatoribus competierit, non tamen omnes æquè Proconsulis nomen usurparint: nam Tribuniciæ Potestatis titulum, inquit, nullus Imperatorum prætermisit post Augustum. Proconsulatus verò Imperii & Historici in rebus gestis multorum Imperatorum, qui Augustum secuti sunt, non meminerunt, aut rarissimè: & alia eorumdem Principum monumenta penitus eum titulum silent. Atque in veteribus Inscriptionibus sex tantùm asserit inventos Imperatores, qui Proconsules nominentur. Hos putat Severum, Antoni-

toninum Caracallam, Macrinum, Elagabalum, Alexandrum, & Aurelianum. Veteres tamen Inſcriptiones Proconſulis nomen multis aliis Imperatoribus tribuunt, ut M. Aurelio Antonino, pag. 258. 7.

IMP. CAESAR. M. AVRELIO
ANTONINO. AVG. TRIB. POT. VII.
COS. III. P. P. PROCOS.
FORTISSIMO. PRINCIPI.

At in Faſtis Conſularibus, M. Antoninus Proconſul tantùm inſcribitur, poſtquam illum Antoninus Pius Cæſaris appellatione donavit, & Fauſtinam duxit uxorem, ex qua ſuſcepta filia *Tribunicia Poteſtate donatus eſt, atque Imperio extra Vrbem Proconſulari*, Capitolin. in *M. Antonino:*

IMP. CAESAR. ANTONINVS. AVG.
TRIB. P. XVIII
M. AELIVS. AVRELIVS. AVG. PII. F.
CAESAR. TRIB.
POT. IX. X. COS. PROCOS.

Poſt acceptum Imperium Proconſulis nomen in M. Antonino non legitur in Faſtis, quod tamen aliis Imperatoribus datum, ut Gordiano Imperatori, pag. 272. 4.

IMP. CAES. MARCO. ANTONIO
GORDIANO. AVG. P. P. COS. II.
PROCOS. TRIB. POTEST. V. PONT.
MAXIMO.

In Faſtis Conſularibus,

IMP. CAESAR. M. ANTONIVS. GORDIANVS. P. F. AVG. TRIB. POTESTAT. II. COS. P. P. PROCOS.

In iiſdem Faſtis Philippus Auguſti filius, Proconſulis nomen aſſumſit, ut in veteri lapide Gallienus Proconſul Provinciæ Bæticæ appellatur, pag. 275. 3.

D. N. CORNELIAE. SALONINAE
AVG. CONIVGI. D. N. IMP. CAES
P. LICINII. INVICTI. AVG. TRIB. POT
IIII. COS. III. P. P. PROC
PROVINCIAE. BAETICAE.

Fabrile mendum arguitur ex alia Inſcriptione, iiſdem verbis concepta, eodemque loco poſita, in qua ſcriptum, pag. 275. 4.

IMP. P. P. COS. III. PROCOS
PROVINCIA. BAETICA
DEVOTA. NVMINI. MAIESTATIQ.
EORVM.

Abſurdum enim eſſet, Imperatorem unius Proconſulem Provinciæ ſomniare; quod indefinitè aliis pleriſque Imperatoribus in his Inſcriptionibus attributum: ut M. Aurelio, Claudio, Aurelio, Caro, Carino, Diocletiano, Maximiano, Conſtantino Magno, Juliano.

Nec tamen ex horum Lapidum fide, Proconſules Imperatores dixerim: nam Proconſulare geſſerunt Imperium, nec tamen Proconſulis nomen ſortiti ſunt. Vt nec Tribuni, cùm Tribuniciam Poteſtatem acceperunt. Quare his litteris PROCOS. nihil aliud quàm Proconſulare Imperium denotatur. Quod fortè exteræ Provinciæ minùs norunt, & quid Proconſulare Imperium à Proconſulatu differat, non ſatis intellexerunt. Verus Antoninus adoptatus in Senatu, gratias agens, quòd de ſe ita ſenſiſſet Hadrianus, *factus eſt patri, & in Imperio Proconſulari, & in Tribunicia Poteſtate Collega*, Capitolinus in *Antonino Pio*. Magna eſt apud me veterum Inſcriptionum auctoritas, ſed in iis errores quandoque irrepſerunt, vel fabrorum incuriâ, vel civitatum imperitiâ, nî quis malit quaſdam eſſe ſuppoſitas, ut Janus Gruterus vidit, cui antiquitatis ſtudioſi omnes ut laborioſo vindici tribuunt plurimùm: ego verò in hoc Opere, ſagaci ejus induſtriæ multùm debeo. Suppoſitam autem hanc Inſcriptionem auſim affirmare ſub nomine Septimii Severi, quam dicunt in Villa Tuſculana jacere, pag. 263. 8.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. SEVERO
PIO. PERTINACI. AVG. PONT. MAX.
D. TRIB. POT. III. IMP. VII. COS. II.
P. P. PROCOS. DESIGN
BENA CENSES.

Ridiculum eſt Imperatorem Proconſulem deſignatum dicere: *Defuncto Antonino Pio M. Antoninus in L. Verum omnia contulit, Principatu etiam Imperatoriæ poteſtatis indulto, eumque ſibi conſortem fecit, cùm illi ſoli Senatus detuliſſet Imperium. Dato igitur Imperio & indulta Tribunicia Poteſtate, Proconſulatus etiam honore delato, Lucius Marco vicem reddens ſuſcepit; obſecutus ut Legatus Proconſuli, Præſes Imperatori*, Capitolinus in *L. Vero*. Nec tamen Lucius, aut Proconſul, aut Præſes vocari potuit, ſed, ut rectè intellexit Caſaubonus, L. Verus per initia principatus ſui Proconſulem egit potiùs quàm Principem.

Jus Relationis inter præcipuos Principum honores annumeratur, quod non tàm à Senatu quàm lege Regia Imperatori delatum, ut de Veſpaſiano demonſtravimus, Inſcript. pag. 242.

VTIQVE. EI. SENATVM. HABERE. RELATIONEM. FACERE. REMITTERE. SENATVSCONSVLTA. PER. RELATIONEM. DISCESSIONEMQVE. FACERE. LICEAT.

Senatum habere more Majorum ſolebant Dictator, Conſul, Prætor, Tribunus pleb. Interrex, Præfectus Vrbi; neque alii præter hos jus fuit facere Senatuſconſultum, Agel. *lib.* 14. *cap.* 17. Hoc Principi conceſſum eſt, & præterea ut Relationem faceret, remitteretque Senatum per Relationem, diſceſſionemque. Senatuſconſultum remittere per Relationem, non eſt hîc verbis ſolennibus Senatum dimittere, *Nihil vos moramur, P. C.* Capitolin. in *M. Antonino:* quod etiam Conſuli, præſente Principe & annuente, facere licuit, ut ipſe dimitteret Senatum. Sed remittere per Relationem Senatum, eſt rem in poſterum diem à Principe ſua auctoritate differre, Cicero *lib.* 10. *epiſt.* 12.

Quid verò ſit, per diſceſſionem facere Senatuſconſultum, docet Agellius *lib.* 3. *cap.* 18. cùm univerſi ſcilicet pedibus in alienam ſententiam ibant. Hinc ait in Mimo ſcriptum,

Caput ſine lingua, pedaria ſententia eſt.

Nos dicimus in foro, *Opiner du bonnet.* Sic *in Catonis ſententiam facta diſceſſio* dicitur à M. Tullio *lib.* 12. *ad Attic. ep.* 22. quod in rebus gravioribus fieri non ſolebat. Quare idem Tullius *Philippica* 3. objiciebat Antonio, Senatuſconſultum de ſupplicatione ab eo per diſceſſionem factum, cùm id eſſet antea nunquam. Ceterùm hoc ſpeciale in Principe, quòd Senatuſconſulta, lege Regia, per Re-

Relationem diſceſſionemque ei facere liceret. Quod Magiſtratui aliquando licebat, ut ex alio M. Tullii loco *lib.* 1. *ep.* 2. perſpicuum eſt: *Lupus Tribunus pleb.* ait, *quod ipſe de Pompejo retuliſſet, contendere cœpit ante ſe oportere diſceſſionem facere, quàm Conſules: ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum eſt: erat enim & iniqua & nova.*

Ad Senatum referre dicebantur Conſules, & ii quibus cogere Senatum licebat; cùm rem in Senatu decernendam proponebant. Neque ad Senatum quicquam referre de Rep. licuit, præterquam his Magiſtratibus, quos recenſuimus. A majoribus tamen aliquando conceſſum & Senatori egredi relationem, & de re alia quàm Conſul retuliſſet, ipſum dicere, quodque in commune conduceret, loco ſententiæ ponere, Tacit. 2. *Annal.* hoc ita tamen, ut veniam à Magiſtratu impetraret dicendi quæ vellet. Quare cùm M. Tullius poſt legem Maniliam, Conſules ad Senatum relaturos ſperaret, qui ſi dubitarent aut gravarentur, relaturum ſe profitetur, Orat. *pro leg. Manil.* hoc ex Manilii Tribuni plebis auctoritate, qui illum produceret, facere poterat.

Auguſtus accepta Tribunicia Poteſtate obtinuit, ut ei liceret, de quaqua re vellet, in Senatu relationem facere, etſi Conſul non eſſet, ſed de una re ſolùm, Dio *lib.* 53. χρηματίζειν αὐτῷ περὶ ἑνὸς ὅτε ἂν ἐθελήσῃ, καθ' ἑκάστην βουλὴν ἔδωκε. Vertit Interpres χρηματίζειν *ſancire*, quod propriè eſt *Relationem facere*. Hoc jus Relationis poſtea ampliatum: nam quibuſdam Principibus jus tertiæ Relationis datum eſt, aliis quartæ, aliis quintæ. Cùm Scorpianus de Probo Imperatore retuliſſet, Manlius Statianus, qui primæ ſententiæ tunc erat, *Decerno*, inquit, *P. C. votis omnium concinentibus, nomen Cæſareum, nomen Auguſtum: addo Proconſulare Imperium, Patris Patriæ reverentiam, Pontificatum maximum, jus tertiæ Relationis, Tribuniciam Poteſtatem.* Poſt hæc acclamatum eſt, *Omnes, Omnes*, Vopiſcus in *Probo.* Sic Senatuſconſultum factum eſt per acclamationem, non per diſceſſionem. Quod & fieri ſolebat aliis manum porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, pleriſque verbis, id eſt, acclamatione, conſentientibus, idem in *Aureliano.*

Jus quartæ Relationis Pertinax accepit primus omnium, ea die quâ Auguſtus appellatus eſt, Capitolin. in *Pertinace:* cùm antea M. Antonino adhuc Cæſari jus quintæ Relationis additum eſſet, idem in *M. Antonino.* Quòd verò Torrentius putat *ad Suetonium in Auguſto c.* 58. ſolemnem Conſulum in Relationibus faciendis præfationem hanc eſſe, *Quod bonum fauſtumque ſit*; hæc verborum formula, propriè non ad Relationis præfationem, ſed ad Senatuſconſulti, aut Magiſtratuum renuntiationem pertinet, quæ cum precatione fieri ſolebat. Disertè M. Tullius Orat. *pro Muræna*: *Quæ precatus ſum à Diis Immortalibus, more inſtitutoque Majorum, illo die, quo auſpicatò, Comitiis Centuriatis, L. Murænam Conſulem renuntiavi: ut ea res mihi Magiſtratuique meo, Populo, Plebique Romanæ, feliciter eveniret.* Auctor quidem fuit Caligula, ut in iis renuntiationibus, precationibus, aut Relationibus adjiceretur, *Quod bonum felixque ſit, Cajo Cæſari, ſororibuſque ejus*, Sueton. in *Calig.* cap. 15. Quod in auſpicando maximè uſurpatum præfationis, in Senatuſconſulti renuntiatione, precationis loco: ſic enim perpetuam felicitatem Reip. & læta precari exiſtimabantur.

De Senatoria dignitate, ita Julianus Imperator[1]: *Jus Senatorum, & auctoritatem ejus Ordinis, in quo nos quoque ipſos numeramus, neceſſe eſt ab omni injuria defendere.* Præclarè dixit ille, ſe quoque Senatoribus adnumerari, cùm etiam Con-

1 L. 8. C. de dignitatib.

A ſulatus adminiſtrationem ſuſtineret: Καλῶς δὲ εἶπεν ὁ Βασιλεὺς, συναριθμεῖσθαι τοῖς συγκλητικοῖς, ἐπειδὴ καὶ ὑπατεύειν ἀνέχεται[1]. Sed odioſa hæc dignitas fuit ſuperbis Dominis, qui ſibi videbantur Principes eſſe deſinere, ſi quid facerent tanquam Senatores, Plin. in *Panegyrico.* Senatum ita oderat Nero, ut ei Vatinius maximè gratus eſſet, quòd illi frequenter diceret, *Odi te, Cæſar, quòd Senator es*, Μισῶ σε, Καῖσαρ, συγκλητικὸς εἶ, Xiphilin. in *Nerone.* At Tiberius Senatui majeſtatem priſtinam variis artibus conſervare viſus eſt: nihil enim tam parvum, nec tam magnum publici privatique negotii, de
B quo non ad Patres referretur. Sua Conſulibus, ſua Prætoribus ſpecies, minorum quoque Magiſtratuum exercita poteſtas, Sueton. in *Tiber.* cap. 30. Sed periculoſa hæc ſub Tiberio morientis libertatis imago, cui ſine periculo contradicere in dicenda ſententia nullus audebat, cuique tam projecta fuit Senatus auctoritas, ut homines ad ſervitutem natos exclamaret & irrideret, Tacit. 2. *Annal.* Verè dicebat Philo in *Legat. ad Cajum*: *Imperator pro poteſtate gerit omnia, nemine audente aut volente rationem repetere*: Δίχα τοῦ καὶ ἀνυπεύθυνον ἀρχὴν εἶναι τὸν αὐτοκράτορα, μηδενὸς ἐπὶ τοῖς ὁπωσοῦν πεπραγμένοις λόγον ἀπαιτεῖν τολμῶντος ἢ δυναμένου.
C Vnus fortè Hadrianus Senatoris partes ſuſtinuit, qui Senatui legitimo, cùm in Urbe, vel ad Urbem eſſet, ſemper interfuit, Spartian. in *Hadriano*, & poſt eum M. Antoninus, etiamſi nihil illi eſſet referendum, Capitolin. in M. *Antonino.* Imperator autem Senatum ingreſſus Imperatoriâ ſellâ ſedebat, τὸν βασιλικὸν θρόνον vocat Herodianus *lib.* 3. ut à Senatoribus & Magiſtratibus diſtingueretur.

CAP. XLII.

De Cæſaribus.

D SEnatus aliquando juris ſui fecit, Principes ſibi Populoque & Orbi Romano eligere. Quod everſum ab ipſis Imperatoribus, à militibus poſtea ereptum Senatui, aliquando reſtitutum, varium admodum fuit: *Exſtincto Aureliano, de deligendo Principe exercitus retulit ad Senatum: verùm Senatus hanc eandem electionem in exercitum refudit, quòd ſciret non libenter jam milites accipere Imperatores eos, quos Senatus elegiſſet*, Vopiſc. in *Aureliano. Denique id tertiò factum eſt, ita ut per ſex menſes Imperatorem Romanus Orbis non haberet.*
E *Tandem Tacitus primæ ſententiæ Senator, omnium ſententiâ Imperator appellatus eſt.* Miſſæ deinde ad *Provincias litteræ, in antiquum ſtatum rediiſſe Remp. ac Senatum Principes legere; imò ipſum Senatus Principem, Principem factum.* Sic lego apud Vopiſcum: vulgata lectio habet, *imò ipſum Principem Senatum factum:* cujus error ex unius litteræ mutatione, & verbi unius omiſſione, proceſſit: nam cùm ſcriptum eſſet, *Senatum* pro *Senatus*, verbum, *Principem*, repetitum, ſublatum, tanquam ſuperfluum. Noſtra autem emendatio ratione nititur. Tacitum primæ ſententiæ Senatorem dixit Vopiſcus, & primum omnium ſen-
F tentiam dixiſſe. Certum verò eſt eum, qui primus ſententiam rogaretur, Principem Senatus appellatum, ut ſententia Principis, in qua Senatuſconſultum fiebat, Cicero *de Aruſpic. reſponſis.* Deinde non cohæret, Senatum Principes legere, & ipſum Senatum Principem factum: quòd non Senatus ipſe, ſed Tacitus Princeps creatus ſit à Senatu. Recta ergo lectio, *Tacitum Senatus Principem, Principem factum.*

Ab Auguſto Princeps & ſucceſſor Imperii Ti-

1 Lib. 6. Βασιλικ. tit. 1. cap. 24.

berius quæſitus eſt; à Tiberio Cajus; Claudius à gregario milite Imperator ſalutatus, Neronem adoptavit: alii armis Imperium arripiunt, alii quaſi ſanguinis jure: *Hadrianus Ælium Verum adoptavit, qui primus Cæſaris nomen accepit*, ut Spartianus ſcribit in *Ælio Vero*. Cæſaris nomen datum eſt iis qui deſignati erant ad Imperium, ut Imperatoribus Auguſti. Spartiano contradicit Aurelius Victor in *Trajano: Nam cùm Trajanus*, inquit, *adſciviſſet Hadrianum ad Imperium: abhinc diverſa Cæſarum, atque Auguſti nomina*, inductumque in Remp. *uti duo ſeu plures ſummæ potentiæ, diſſimiles cognomento ac poteſtate diſpari eſſent: quanquam alii Plotinæ Trajani conjugis favore, Hadrianum aſſecutum Imperium putent, quæ viri teſtamento heredem Regni inſtitutum ſimularat.* Atque hoc verius, ut teſtatur Dio in *Hadriano*, qui hanc Hadriani hiſtoriam didiciſſe ſe tradit ab Aproniano patre, qui Ciliciæ præerat, quique res Principis omnes certò cognoverat. Hic enim cùm ſingula Dioni recenſeret, illud primùm monebat, mortem Trajani per aliquot dies in occulto fuiſſe, ut adoptio procederet: idque ex litteris ejus ad Senatum cognitum fuiſſe, quibus non ipſe, ſed Plotina ſubſcripſit: quod in alio factum fuerat nunquam. Quare audacter aſſerit Dio Hadrianum à Trajano adoptatum non fuiſſe, Ἀδριανὸς δὲ ὑπὸ μὲν Τραϊανȣ̃ ȣ̓κ ἐσεποιήθη. Ποίησις, *Adoptio*, quam alii teſtamenti factionem interpretantur, nos cum Interprete *Adoptionem*: quo ſenſu in Baſilicis ἀδελφοποιΐα pro fraternitate per adoptionem accipitur. Nec tamen Spartianum ſequar, apud quem Caſaubonus legit ex M. S. Regio, *Qui primus Cæſaris nomen tantùm accepit*. Primus quidem, inquit ille, quia ante Ælium Verum nemo hoc ſolo Cæſaris nomine inſignitus eſt: *tantùm*, quia hoc ſolum nomen adeptus, non Auguſti, quod poſtea à Cæſaris nomine disjunctum. Huic ſententiæ Dio reluctatur: nam Trajanus adoptatus à Nerva, tunc Cæſar, ac poſtea Imperator factus eſt. Hoc diſertè Dio in *Nerva: Nerva*, inquit, *Capitolium conſcendit, ibique magna voce: Quod felix fauſtumque ſit S. P. Q. R. mihique ipſi Nervam Trajanum adopto*, Τραϊανὸν ποιȣ̃μαι. *Quem poſtea in Senatu Cæſarem deſignavit*, καὶ μετὰ ταῦτα ἐν τῷ συνεδρίῳ Καίσαρά τε ἐπέδειξε. Hinc in Trajani Nummis, NERVA. CAESAR. NERVAE. AVG. F. TRAIANVS. Et in Faſtis Conſularibus:

EX. A. D. XIIII. KAL. OCTOB. IMP.
NERVA. CAESAR. AVG. P. M. TRIB.
POT. II. COS. III. DES. IV. P. P.
EODEM. ANNO. ANTE. DIEM. XIIII.
KAL. OCTOB. M. VLPIVS. M. F.
TRAIANVS. CRINITVS. AB. IMP.
NERVA. CAESARE. AVGVSTO. A-
DOPTATVS. CAESAR. APPELLA-
TVS. EST. ET. TRIBVNICIAM. PO-
TESTATEM. ACCEPIT.

Sed pro Hadriano Faſti Conſulares nos conturbant: nam & in ipſis legimus:

IMP. CAES. NERVA. TRAIANVS. OPT.
AVG. P. M. TRIB. POT. XX. COS.
VI. P. P.
EODEM. ANNO. ANTE. DIEM. V. ID.
AVGVSTI. P. AELIVS. T. F. HA-
DRIANVS. ADOPTATVS. AB. IMP.
CAES. NERVA. TRAIANO. OPTI-
MO. AVGVSTO. CAESAR. APPEL-
LATVS. EST. ET. TRIBVNICIAM.
POTESTATEM. ACCEPIT.

Quod certè in gratiam Hadriani fictum eſt & additum: non ad Hiſtoriæ fidem, ut ex ipſis Faſtis clariſſimum eſt, in quibus Hadrianus adoptatus ſcribitur ante diem v. Id. Auguſti: atque in iiſdem poſtea ſcriptum:

EODEM. ANNO. A. D. III. ID. AVGVSTI
IMP. CAESAR. NERVA. TRAIANVS.
AVGVSTVS.
MORTVVS. EST.

Præpoſtera quidem hæc adoptio, quæ uno fermè die ante obitum Trajani facta fingitur. Hujuſmodi ſunt Nummi ab ipſo Hadriano conficti, in quibus ſcriptum eſt, ADOPTIO.

Adoptionis vel renuntiationis ritus tandem neglectus: nam Cæſares ex mera tantùm Principis voluntate fiebant ſpreto Senatu. Sic Severus filium ſuum majorem Baſſianum Cæſarem appellavit, ut fratrem ſuum Getam abs ſpe Imperii, quam ipſe conceperat, ſubmoveret, Spartianus in *Severo*. Unde in multis Codicis inſcriptionibus legimus Severum & Antoninum Cæſares Auguſtos, nuſquam cum illis Getam. Cæſar quidem dictus Baſſianus, qui Caracalla, devicto Albino, quem Severus antè per litteras Cæſarem fecerat, particeps Imperii factus eſt; cùm Severus Parthici nomen obtinuiſſet, Xiphilin. in *Didio Juliano*: tum enim Baſſianus Auguſtus cum patre à militibus appellatus eſt, qui Getam minorem filium Cæſarem dixerunt. Hic quidem mortuo Severo, Auguſti nomen accepit cum Antonino fratre: nec enim Severus Getam uſquam Auguſtum & conſortem fecit Imperii. Quare cùm Tertullianus, qui ſub Severo vixit, ſcribit cap. 2. in lib. *de Pallio*, *Quantum urbium reddidit præſentis Imperii triplex virtus, Deo tot Auguſtis in unum favente*: de Severo & duobus illius filiis Antonino & Geta locutum illum, vix mihi perſuadere poſſum, cùm Geta vivo Severo Auguſtus nuſquam ſit nuncupatus: & Cæſaris tantùm nomen ſortitus ſit, anno XII. Imperii Severi, ut ex Faſtis Conſularibus liquet. Præterea Nummi veteres nobis adſtipulantur: in iis enim, P. SEPT. GETA. AVG. BRITAN. TRIB. POT. II. Severus Eboraci Britanniæ municipio morbo exſtinctus eſt. Antoninus & Geta ex Faſtis Conſularibus imperarunt menſes x. dies xv. Quare verba Tertulliani de his intelligi non poſſunt: *& triplex Imperii virtus, Deo tot Auguſtis in unum favente*, ad Severum referri debet, qui Albinum, Nigrum, & Julianum ſuperavit: quod verè triplici virtuti Severi tribuitur, qui tres, Imperium ſibi aſſerentes, ſua virtute profligavit. Tot Auguſtis in unum favente Deo, quod eſt, Dei benignitate tot devictis Auguſtis, in unum Severum omni poteſtate Imperii redacta. Nec tamen eorum, qui aliter ſentiunt, ſententiam reprobo; ſed hanc meam, quia fortè mea eſt, iis argumentis tueor, quæ & Herodiani auctoritate ſubnixa eſt: ille enim *lib.* 3. de Severo, ἕνα δὲ ἄνδρα τρεῖς καθελόντα βασιλέας, ἤδη κρατȣ̃ντας.

Jure ſanguinis Principum filii Cæſares facti poſt Ælium Verum, id eſt, Auguſtæ Majeſtatis heredes, Spartianus in *Ælio Vero*: quod Senatui gratum non erat: *Quare Metius Falconius Conſularis, evecto ad Imperium Tacito, illum rogavit petens, obſecrans, ne parvulos ſuos, ſi eum citiùs fata præveniſſent, faceret Romani Imperii heredes. Imitaretur Nervas, Trajanos, Hadrianos. Ingens enim, ut dicebat, eſt gloria morientis Principis, Rempublicam magis amare quàm filios*, Vopiſcus in *Tacito*.

Principis judicio & voluntate Cæſares fine adoptione etiam facti. Sic Severus Albinum per lit-

litteras Cæſarem fecit, quem & Commodus Cæſarem optavit: quod quidem Albinus prudenter recuſavit: *Quærat*, inquit, *Commodus*, *qui cum eo pereat*, *aut quos cum cauſa poſſit occidere*, Capitolinus in *Albino*. Conſtantius Gallum, quem poſtea capite damnavit, Cæſarem creavit, poſteaque fratrem ejus Julianum, Ammian. Marcel. *lib.* 14. & 15. Atque his Cæſaribus decreta Imperatoris inſignia, Tribuniciaque Poteſtas, cum Proconſulari Imperio. De Trajano, qui primus Cæſar renunciatus eſt, Plinius in *Panegyrico*: *Simul filius*, inquit, *ſimul Cæſar*, *mox Imperator & conſors Tribuniciæ Poteſtatis*. Cæſarem deſtinatum in veteri lapide videmus, qui quaſi nondum creatus eſt, ſed ſpe ad Imperium vocatus, pag. 191. 3.

IMP. SEVERVS. AVG. ET
ANTONINVS. CAES. DESTINATVS
RESTITVERVNT.

Sed eodem ſenſu dicitur deſtinatus Cæſar, quo deſtinatus Augur, qui creatus, delectus, & declaratus eſt: ſic *teſtamento tutores deſtinare* dixit Vlpianus, quod eſt dare & deſignare[1].

Nec verò, quamvis magna eſſet Cæſarum poteſtas, par omnino aut æqualis fuit Auguſtæ; ut ex Juliani Cæſaris litteris ad Conſtantium intelligitur. Cùm enim Julianus in Gallia ageret, *Præfectos Prætorio*, ait, *æquitate & meritis notos tua nobis dabit clementia*, *reſiduos ordinarios Judices militiæque moderatores*, *promovendos meo arbitrio concedi eſt conſentaneum*, *itidemque ſtipatores*. Cui Conſtantius per Legatos præcepit, *ut ſe intra Cæſaris poteſtatem contineret*, Ammian. Marcel. *lib.* 20. Hæc enim Cæſarum poteſtas Auguſti arbitrio augebatur vel minuebatur.

CAP. XLIII.

De tribus Imperii Romani Principibus, qui novam adminiſtrationis formam induxerunt: ac primùm de Auguſto Cæſare.

TRes omnino in univerſo Imperio novæ Reipublicæ auctores fuiſſe compertum eſt. Primus Auguſtus, ſecundus Hadrianus, tertius Conſtantinus. Auguſtus nova Officia excogitavit, quò plures adminiſtrandæ Reipublicæ partem caperent, Sueton. in *Auguſto* cap. 37. Ad hunc modum Vrbe urbaniſque rebus adminiſtratis, Italiam duodetriginta Coloniarum numero deductarum, abs ſe frequentavit, operibuſque ac vectigalibus publicis inſtruxit: atque etiam jure ac dignatione, Vrbi quodammodo pro parte aliqua adæquavit, excogitato genere ſuffragiorum, quæ de Magiſtratibus Vrbicis Decuriones Coloniæ in ſua quiſque Colonia ferrent, & ſub diem Comitiorum obſignata Romam mitterent, idem *eod. cap.* 46. Deinde Provincias ordinavit, eaſque diviſit inter ſe & S. P. Q. R. idem *eod. cap.* 47. & qui ſuas Provincias regerent, Legatos appellavit, & Proprætores: nam cùm Prætoris & Conſulis nomina in Rep. floruiſſent, à ſe delectos Proprætores nuncupavit, & reliquos Proconſules. Hæc nomina in Italia Cæſar reſervavit: qui extra Italiam imperarunt, quaſi eorum locum tenentes Rectores appellavit, Dio *lib.* 53. Αὐτὰ μὲν γὰρ τὰ ὀνόματα, τό, τε τȣ͂ ϛρατηγȣ͂ καὶ τὸ τȣ͂ ὑπάτȣ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἐτήρησε, τοὺς δὲ ἔξω πάντας ὡς καὶ ἀντ' ἐκείνων ἄρχοντας προσηγόρευσε.

Miror ego Suetonium & Dionem deſcriptionis

1 L. 3. §. ſi parens. D. de adminiſtr. tut.

A Italiæ ab Auguſto factæ non meminiſſe, quam in
Regiones undecim partitus eſt, ut Plinius demonſtrat *lib.* 3. *cap.* 5. qui tamen decem tantùm Regiones enumerare videtur, & Tranſpadanam Italiam in nova Italia collocare, *lib.* 3. *cap.* 17. In eo Codices quidam Plinii variare videntur, & ex Capitum tranſpoſitione error natus eſt: nam in quibuſdam Tranſpadana Italia nona Regio eſt, in quibuſdam undecima: quam cùm decima Regio Italiæ Adriatico Mari appoſita ſequeretur, pro undecima imperiti Librarii nonam poſuerunt; quòd decimam ſequi viderent, quæ antecedere de-
B buerat. Hunc errorem Plinius ipſe detegit *lib.* 3. *cap.* 5. *Ab altero latere Apennini*, inquit, *ad Padum amnem Italiæ ditiſſimum*, *omnia nobilibus oppidis nitent*, *Libarna*, *Dertona*, *Colonia*, &c. *Hæc Regio*, ait, *ex deſcriptione Auguſti nona eſt*: *patet ora Liguriæ inter amnes Varum & Macram*, CCXI. *M. paſſ. adnectitur ſeptimæ*, *in qua Hetruria eſt*, *ab amne Macra*. Nona ergo regio Ligures complectitur, quos in Coloniarum enumeratione Plinius prætermiſit, quòd Liguriam priùs omnibus ſuis terminis concluſiſſet. Atque ſic Auguſti temporibus omnia Vrbis Romæ inſtituta commutata fuerunt & depravata, tàm in Vrbe quàm in Italia,
C & in Provinciis. De Vrbe & Provinciis nos alio loco commodiùs.

De Italia, quid hæc in Regiones deſcriptio in ea mutaverit, quam non temerè factam putabit quiſquam, non ita perſpicuum eſt. Olim Rubico finis Italiæ fuit, qui Galliæ adjacebat, atque Italiam à Gallia Ciſalpina dirimebat, Cicero *Philipp.* 2. Poſt Auguſtum, qui Ciſalpinam Italiæ adjecit, Italiæ finis Alpes fuere. Primùm quidem Populus Romanus quidquid à Mari Supero intra Rubiconem, ab Infero intra Arnum concluſum eſt, propriè Italiam appellavit. Deinde peculiari jure an-
D guſtiùs Italia accipitur, pro ea tantùm parte, quæ trans Padum eſt, quæque Tranſpadana, cujus caput Mediolanum. Qui primam Italiæ partem incolunt, Itali: reliqui ad Rubiconem Italiæ habitatores, Italici Sigonio dicuntur lib. 1. *de antiq. jur. Ital.* cap. 21. quem non ſequor: nam qui Romæ tutores dabantur, rerum Italicarum adminiſtrationem habuerunt, quæ per utramque Italiam extenduntur[1]. Non negaverim tamen poſt Italiam in Provincias diviſam, eas Italiæ partes, quæ Vicario Italiæ parebant, propriè Italiæ nomen ſibi vendicaſſe; cùm aliæ, quæ Vicario Vrbis ſubjectæ ſunt, urbanæ cenſerentur; atque Italicos contra-
E ctus dictos, qui in Tranſpadana Italia fierent[2]. Sed Sigonius antiquum jus Italiæ tractat, quod cùm ad Auguſti tempora trahi non poſſit, qui Tranſpadanam Italiam adjecit; Ciſalpinos, qui Galliæ Provinciæ partem faciebant, Italicos dicere, dormitantis eſt.

Gallia citerior, quæ Ciſalpina, Togata, Tranſpadana vocatur, Rubicone flumine terminatur. Hanc, cùm Gallias Julius Cæſar elegiſſet, lege Vatinia accepit in quinquennium, Sueton. in *Julio* cap. 22. Cicero *in Vatinium*, quæ Italiæ nomen tunc ſortita eſt, quam & Italicam, & ab Italis dividere nemo cogitavit. Cùm autem Ita-
F liæ citeriorem Galliam adjeciſſet Auguſtus, illam in undecima Regione locavit, & ſui omnino arbitrii fecit, ut reliquam Italiam: nulla tamen in Galliam hanc Senatus Populique Romani poteſtas fuit, quæ jura vetera illibata retinuit.

Quamdiu enim citerior Gallia Conſulibus paruit,

1 L. quærò. D. de ſolutionib. l. ex facto. §. rerum. D. de heredib. inſtit. 2 L. 1. C. de annal. exception.

fuit; Conventus ab iis haberi soliti, & Concilium indictum, quo judicia redderentur, Cæsar Julius transiit in citeriorem Galliam, Conventibusque peractis, Ravennæ substitit, cùm civile bellum meditaretur, Suetonius in *Jul.* cap. 30. Conventus est, cùm judicii causâ Populus congregatur, ad quos agendos in citeriorem Galliam, duobus antea bellis confectis, Cæsar profectus est. De hujusmodi Conventus ordine & modo Livius *lib.* 41. *Prætor Romanus*, ait, *Conventus agit, cùm Imperio evocati conveniunt: excelso in suggestu superba jura reddentem, stipatum lictoribus vident. Virgæ tergo, secures cervicibus imminent: & quotannis alium atque alium Dominum sortiuntur.* Hunc morem tollere in citeriore Gallia, ne tam facilis Cæsari ad Urbem accessus esset, propositum est: quod prudentiores non probarunt, ut ex M. Tullio colligitur: ille enim lib. 5. *ad Attic.* epist. 2. *Erat rumor de Transpadanis, eos jussos* IIII. *viros creare. Quod si ita est, magnos motus timeo. Sed aliquid ex Pompejo sciam.*

Diximus Augustum in Italia Consulum & Prætorum nomen reservasse, ex Dione, quos tamen in his undecim Regionibus plenè occupatos non puto: nam Coloniæ & Municipia Decuriones, Præfecturæ Præfectos suos habuerunt, sine Imperio, quod Augustus aut Præfecto Urbi, aut Senatoribus, aut Prætoribus, cum appellationibus demandavit. Hanc ad rem facit, quòd Dio *lib.* 53. Augustum decem Prætores constituisse scribit, id est, Prætorum auxisse numerum, quibus Italiæ cura, cùm opus esset, committi posset. Sedecim tamen Prætores Augustum creasse Pomponius auctor est[1], qui in civitate jus dicerent. Quare apud Dionem pro στρατηγοὺς δέκα, legendum omnino, δεκαέξ. Cùm antea duodecim tantùm Prætores essent. Quatuor ergo adjecit Augustus, qui postea Provincias sortirentur, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, Narbonensem Galliam: nam tot Prætores fiebant, quot Provinciæ in ditionem venerant.

Multa verò præterea & foris, & in Urbe Augustus innovavit. Auctor enim fuit ut Præfectus Urbi Senatui præesset; ut cura Ærarii à Quæstoribus urbanis ad Prætores Prætoriosve transiret; Centumviralem hastam, quam Quæsturâ functi consueverant cogere, Decemviri cogerent, Suetonius in *Augusto* c. 36. Curam operum publicorum, viarum & aquarum, Alvei Tiberis, frumenti Populo dividendi, Triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoscendi turmas Equitum excogitavit, idem *eod. cap.* 37. Ærarium militare & legem vicesimæ adinvenit. Atque ne quid intactum relinqueret, cùm publicè respondendi jus non à Principe daretur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, Consulentibus responderent: primus Augustus voluit, ut ex auctoritate ejus de jure responderetur, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit[2].

Sic Augustus, dum exsuto Lepido & interfecto Antonio, posito Triumviri nomine, Consulem se tulit, ubi Tribuniciam Potestatem adeptus est, militem donis, Populum annonâ, cunctos otii dulcedine pellexit. Deinde infringere paulatim munia Senatus, Magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante, lege Regia omnem sibi potestatem vendicavit: nudaque Magistratuum vocabula, qui ab hujus nutu penderent, fucata libertatis specie reliquit, Tacitus 1. *Annal.* Quod tamen bono publico introductum quidam crediderunt, suspecto Senatus Populique Imperio, ob certamina potentium, & avaritiam Magistratuum,

1 L. 2. §. capta. D. de orig. jur. 2 D. l. 2. §. primus. D. de orig. jur.

invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecunia turbabantur.

De jure Quiritium nos pauca delibavimus suprà *cap.* 38. quod ab Augusto excogitatum Onuphrius vir acerrimi judicii existimat, lib. *de Imperio*, *de jure Coloniar.* in fin. *Quò antiquos*, inquit, *Cives Romanos & Nobiles, à novis civibus, libertinis & peregrinis discerneret, qui Civitate donati jus quidem Civitatis Romanæ habebant, sed non jus Quiritium, quod erat excellentius: nam post legem Juliam*, ait, *quâ Italiæ omni Civitas data est; his vocibus, Jura Quiritium & Civitas Romana ab aliquo Imperatorum distincta sunt.* Si nos aliquando labimur in rebus obscuris & arduis, venia nobis deneganda non est; quam vicissim viris doctissimis aliquando impartiri debemus: solent enim plerumque illi in varios errores incidere, qui in re abstrusa & minùs trita veniam merentur.

Quirites à Curibus Romanos appellatos nemo nescit, ut Sabinis aliquid daretur: atque inde jus Quiritium Civitate Romana inferius: nam quod in peregrinis jus Civitatis vocatur, in Libertinis jus Quiritium, Alciatus 1. *Parerg.* c. 16. ut Libertini Latini certis rebus privilegia Civium Romanorum Libertorum consequi possunt[1], qui minorem libertatem, non justam ex lege Junia Norbana nanciscebantur: atque jus illud Quiritium Latinis præcipuè dabatur. Quod ex Vlpiano addiscimus[2]. Ille enim: *Cives Romani*, ait, *fiunt, vindicta, Censu, aut testamento. At Latini jus Quiritium consequuntur, beneficiò Principis, Liberis, Iteratione, Militia, Nave, Ædificiò Pistrino.* Quòd si beneficio Principis Latini invito vel ignorante Patrono ad Civitatem Romanam venire festinarent, fiebant quidem vivi Cives Romani, sed moriebantur ut Latini, ex Senatusconsulto Largiano & Edicto Trajani[3].

Plinius Junior, cùm Civitatem Romanam Harpocrati Medico à Trajano peteret, rogat eum, ut det jus Quiritium Libertis Antoninæ Maximillæ, quod petente Patrono petiit, *lib.* 10. *epist.* 6. & 7. Ex quo clarum est Civitatem peregrinis ingenuis, jus Quiritium Libertis tributum. Liberti ergo Civitatem Romanam consequuntur, non jure Romano, sed lege Quiritium. Atque hæc multum faciunt ad interpretationem Pomponii & Vlpiani, quorum mentem assequi huc usque paucis non facile fuit. Ait Vlpianus[4]: „Per specialem in rem „actionem, quæ vendicatio est, liberæ personæ, „quæ sunt juris nostri, non petuntur. Petuntur „autem præjudiciis, aut interdictis, aut cognitio„ne Prætoria: & ita Pomponius scribit: nisi for„tè adjectâ causâ quis vendicet. Si quis ita petit „filium suum vel in potestate, ex jure Romano; „videtur mihi & Pomponius consentire, rectè eum „egisse. Ait enim adjectâ causâ, ex lege Quiri„tium vendicare posse. Hîc jus Romanum opponitur legi Quiritium: nam Romanum jus, quod est proprium Civium Romanorum, inter cetera in patria potestate consistit, quæ jure introducta non est, sed diuturno more. At jus Quiritium jure civili receptum est. Potest ergo pater, qui filium in potestate habet, eum petere præjudiciis, vel actione ad exhibendum, nullâ adjectâ causâ; cùm jure Romano, patria potestate nitatur. Sed si causam adjecerit, ex lege Quiritium vendicare potest; ut putà si filius in aliena potestate sit, fortè servus aut libertinus: tunc enim in libertatem illum vendicare potest, Prætoria cognitione de liberali causa præjudiciali[5]: nam qui servus est, im-

1 Cajus 1. Instit. 2 Vlpian. in Fragment. tit. 1. & 3. 3 §. fin. in tit. de successiori. libert. & l. 1. C. de Latin. libert. tollend. 4 L. 1. §. per hanc. 1. D. de re. vendic. 5 L. 1. D. de liberal. caus.

inter res mancipii computatur: mancipationeque venundatus, quæ certis verbis fiebat, libripende & quinque testibus adhibitis. Atque hæc quidem mancipatio locum habet inter Cives Romanos & Latinos, Coloniarios, Latinosque Junianos, eosque peregrinos quibus commercium datum est [1]. Cùm ergo filius, qui in servitute est, quasi servus est, & jure Quiritium à patre vendicatur, causa adjici debet & probari; natales enim aut honores ad probationem non sufficiunt [2]. Quare cùm filius jure Quiritium per mancipationem in servitute sit, eadem Quiritium lege in libertatem asseritur.

Hæc lucem aliquam afferre possunt M. Tullio, qui jus Quiritium in servis præcipuè aut libertis in usu fuisse ostendit Oratione *pro A. Cæcina*: *Quæro abs te*, inquit, *si Populus jusserit te meum esse, aut item te meum servum esse, id jussum, ratum atque firmum sit: perspicis id nihil esse, ut in ceteris quæ rogarit: quia non quidquid Populus jussit, id ratum est. Deinde: nullam rationem adfert, si libertas adimi nullo modo possit, civitas possit: nam & eodem modo, de utraque re traditum nobis est; & si semel civitas adimi potest, retineri libertas non potest. Qui enim potest jure Quiritium liber is esse, qui in numero Quiritium non est?*

Malè putaremus media capitis diminutione, quâ sola civitas amittitur, libertatem quoque amitti: nam illâ quidem amittimus civitatem, libertatem autem retinemus [3]. Atque hoc nullam dubitationem habet in Cive Romano ingenuo; sed in servo aut libertino, qui jus Quiritium consecutus est, si is quidem civitatem amiserit, perdit & libertatem. Quare cùm M. Tullius de servo ageret, civitate ademta, libertatem illum retinere non posse meritò dixit, quia qui jure Quiritium liber factus est, cùm in Quiritium numero remanere debeat, ut liber sit, à libertate jus illud Quiritium separari non potest.

Hoc quidem jus Quiritium antiquissimum est, nec ab Augusto introductum, ut ex hoc uno M. Tullii loco perspicuum est. Jus autem Quiritium duplex invenio, aliud plenum, nudum aliud, quod Justinianus sustulit [4]. Domini enim servos habuerunt ex jure Quiritium iis modis, qui eo jure introducti sunt, mancipatione, traditione, usucapione, in jure cessione, adjudicatione, lege, quæ ab Vlpiano explicantur [5]. Qui servos habuerunt in bonis, jure Quiritium, illud nudum & inane dicebatur. Nam servi qui erant in bonis, jure Quiritium, manumissi testamento Latini fiebant, non Cives Romani. Quare introducti sunt modi, quibus plenum jus illud Quiritium Latinis competere posset & justa libertas acquiri [6].

CAP. XLIV.

De Hadriano Imperatore.

HAdrianus omnium Nationum & Provinciarum novam quidem divisionem fecit, longè diversa ratione ab ea, quam Augustus constituerat. Primùm enim ab Hadriano Italia in quatuor administrationes divisa est, quibus præerant Consulares quatuor, Spartianus in *Hadriano*. Atque inter hos, unus electus est Antoninus Pius, ad eam partem Italiæ regendam, in qua plurimum possidebat, Capitolinus in *Antonino Pio*. Horum Consularium appellatio, alia est ab ea quæ in divisione Augusti iis remanserat, qui Provincias Populi Rom. administrabant. Illorum enim amplior potestas, paulatim imminuta ab Hadriano, tandem sublata est, Consularium nomine in Italia retento atque coarctato: nam hi Consulares, ut Legati Cæsaris, vel Præsides Italiam rexerunt, non Consulari imperio, sed ut Judices solùm per Italiam constituti. Sola etenim illis judicandi potestas concessa est, nec eos jus gladii ab Hadriano habuisse crediderim, à quo Judices sunt constituti, atque ita quidem ut inter Clarissimos & ordinarios haberentur, & de civilibus tantùm causis cognoscerent. Nam omnia omnino crimina Præfectura Vrbis sibi vendicavit, non tantùm quæ intra Urbem admitterentur, sed quæ extra Urbem intra Italiam, quod centesimo miliario Severi Epistola terminavit [1]. De Præfecti Vrbi potestate nos suo loco, nunc satis sit, Consulares per Italiam Judices agnoscere, quos de capite judicasse sub Hadriano Principe, nullo exemplo probari potest: imò ne quidem de statu personarum illorum cognitio fuit, ut nec Paæsidum olim, qui antiquiorem & parem cum Consularibus potestatem habuerunt [2], quod tamen postea speciali jure illis concessum est. Sed Hadriani principatu, causæ capitis, aut status, apud maximos Judices in Vrbe, aut in Provinciis agitabantur [3]. Maximos Judices intelligo Spectabiles, aut Illustres, quales in Provinciis Proconsules & ceteri qui in numero Spectabilium recensentur; in Vrbe Præfectus Vrbi, aut Consules, aut Prætores, qui in vehementioribus causis suam auctoritatem interponebant [4]. In pecuniariis passim unicuique, si ita maluerit, per Procuratorem respondendi facultas tribuitur, nisi fortè quasdam justiores ob causas, & vehementiores, maximi Judicis vocabit auctoritas. Quod autem maximis Judicibus licuit, ordinariis non licuit: ordinarii enim à jure communi recedere non poterant. At maximi Judices pleraque ex sua auctoritate constituebant: ut in integrum restitutionibus, si quæ illis justa causa esse videretur [5]. Atque hoc præcipuè in vehementioribus causis, hoc est, gravioribus, *ès causes d'importance*, quæ non ex Jure Civili semper, cui ordinarii Judices addicti erant, sed honorario sive Prætorio dijudicabantur. Hoc jus Prætores seu maximi Judices introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris Civilis gratiâ [6]. At ordinarii, ut Consulares, sunt Judices, qui nihil addere aut detrahere Juri Civili possunt, quod quidem postea aliqua ex parte immutatum. Nam ex omnibus causis, de quibus vel Præfectus Vrbi, vel Præfectus Prætorio, itemque Consules & Prætores, ceterique Romæ cognoscunt, Correctorum & Præsidum Provinciarum notio fuit [7]. Correctores à Severo Augusto Præsidibus adæquatos ex Papiniano & Hermogeniano observamus [8], qui nullam Consularium faciunt mentionem, quia M. Antoninus, Consularibus ab Hadriano institutis, Juridicos substituit, fuitque Italia à Juridicis administrata, usque ad tempora Macrini, ut Dionis Fragmenta testantur. Capitolinus disertè in *M. Antonino*: *Datis Juridicis, Italiæ consuluit, ad id exemplum, quo Hadrianus Consulares viros reddere jura præceperat.* Rectè quidem dictum, *reddere jura*: nam Juridici Italiæ vix est ut de crimine unquam cognoverint, & nus-

Cc

1 Vlpian. in Fragm. tit. 19. 2 L. 10. C. de probationib. 3 L. fin. D. de capit. minut. 4 L. unic. C. de nudo jur. Quirit. toll. 5 In Fragm. tit. 19. 6 Idem tit. 3.

1 L. 1. D. de offic. Præfect. Vrb. 2 L. 1. C. de ordin. judicior. 3 L. 1. fin. C. ubi caus. stat. 4 L. in pecuniariis. C. de procuratorib. 5 L. 1. §. fin. D. ex quib. caus. major. 6 L. 7. §. fin. D. de justit. & jur. 7 L. ex omnibus. D. de offic. Præsid. 8 L. legatos. D. eod.

nusquam de capite, ut nec Consulares, nisi postquam à Constantino restituti sunt.

Hoc Edicto M. Antonini confirmatur: nam cùm statuisset Christianos acerrimè persequi, dum alios aliò, tum verò *Perusiam Lucium Consulem cum hoc mandato misit, ut quoscunque intelligerent fidem Christi profiteri, hos cogeret Gentilium Deos colere. Lucius illuc profectus, Cæsaris Edictum cum Carisio, qui erat illius civitatis Præses, statim communicat*, &c. Surius tom. 1. in *Vita Constantii* 29. Januar. Civitatis Præsidem vocat Juridicum, impropriè; nec enim Præses civitatis ullus dicitur, sed Provinciæ. Et Perusia in Etruria septima Italiæ regione est, in qua Juridicus M. Antonini temporibus fuit, & postea Corrector. Ex quo apparet, si de capite in Italia judicandum esset, non Juridicos, Consulares, aut Magistratus municipales, sed Consules, aut Prætores, aut alios à Principe delegatos judicia publica exercuisse. Nos aliquando plura de Consularibus; sufficit nunc illos ab Hadriano institutos scire, & à M. Antonino ad Constantinum usque eos desiisse: nam à M. Antonino ad Constantinum Juridici aut Correctores Italiam administrarunt, Spartianus in *Hadriano*.

Hadrianus ab Epistolis & à libellis primus Equites Romanos habuit, Spartianus *eod.* Officia publica, Palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit, quæ, paucis per Constantinum mutatis, diu perseveravit, Aurelius Victor in *Hadriano.* Omnium etiam Augustorum primus est, quorum Constitutiones in Justiniani Codicem translatæ supersunt. Cujusque Rescripta plurima in Digestorum libris continentur, quæ à Salvio Juliano, qui perpetuum Edictum composuit, Julio Celso, & Neratio Prisco, quos in consilio habuit, in Pandectis præcipua relata sunt. Horum pleraque æquitate nituntur, quam Julianus maximè secutus est: alia etiam pleraque à jure deflectunt; ex quibus pauca hæc affero, quæ & eruditionem habent & æquitatem. Docet enim ille testes à testimoniis differre, cùm se testibus non testimoniis crediturum rescripsit: testimoniis enim apud se locum non esse: *Nam ipsos*, ait, *interrogare soleo*[1]. Hinc constat testimonia esse testium absentium dicta, seu testationes scriptis comprehensas. Idem Imperator in hanc sententiam æquissimè rescripsit[2]: *Favorabilem apud me causam liberorum Albini numerus facit, cùm ampliari Imperium hominum adjectione potiùs, quàm pecuniarum copiâ malim: ideoque illis paterna sua concedi volo.* Non ille ex successione portiones liberis concessit, sed ad universitatem vocavit, remisso juris rigore. Prudens aliud hujus Principis Rescriptum prætérire non possum: cùm in venatione filium suum quidam necavisset, quòd novercam suam adulterabat, in Insulam eum deportavit: *Quia latronis magis, quàm patris jure eum interfecisset:* nam *patria potestas*, ait, *in pietate debet, non in atrocitate consistere*[3]. Aliud etiam Rescriptum adfero in studiosorum gratiam, in quo explicando viri doctissimi desudarunt. Hadrianus Aquilio Braduæ rescripsit[4]: „Panniculariæ causa quemadmodum „intelligi debeat, ex ipso nomine apparet. Non „enim bona damnatorum Pannicularia significari, „quis probè dixerit: nec si zonam circa se habue„rit, protinus aliquis sibi vendicare debebit. Sed „vestem quâ is fuerit indutus, aut nummulos in „ventralem, quos victus sui causâ, in promtu „habuerit, aut leves annulos, id est, quæ rem „non excedunt aureorum quinque. Alioquin si A „quis damnatus digito habuerit aut sardonycha, „aut aliam gemmam magni pretii; vel si quod „chirographum magnæ pecuniæ in sinu habue„rit; nullo jure illud in Pannicularia ratione re„tinebitur. Pannicularia sunt ea quæ in custodiam „receptus secum attulit, spolia quibus indutus „est, cùm quis ad supplicium ducitur, ut ipsa ap„pellatio ostendit. Ita neque Speculatores ultro „sibi vindicent, neque Optiones ea desiderent, „quibus spoliatur, quo momento quis punitus „est. Hanc rationem non compendio suo debent „Præsides vertere: sed nec pati Optiones, sive B „Commentarienses eâ pecuniâ abuti, sed debent „ad ea servari, quæ jure Præsidum solent eroga„ri, ut putà Chartiaticum quibusdam Officialibus, „inde subscribere.

Hæc est Florentinorum lectio, quam in vulgatis depravatam Budæus se emendare non posse fassus est in *Annotat. posteriorib. ad Pandect.* Vulgati enim habent, *nummos inveterales*, quos nemo probavit, & *Carciaticum*, pro quo nihil comminisci potest. Quare meliùs putavit vir doctus mendum notare, quàm ariolando commentitium aliquid sufficere. Sed ex Florentinis error emendari potest: nam quæ sit Pannicularia, satis ab Ha- C driano explicatum. Illa quidem à pannis, qui pro vestibus accipiuntur, ab ipso Terentio in *Eunucho*, qui *pannis & annis obsitum*, pro squallido & viliore veste induto dixit. Sic Nævius Poëta apud Nonium, *Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpura est.* Pannum neutro genere ab illo positum, cùm sit masculini. Hoc Pannicularíæ verbum vix apud Auctorem alium reperies. Qui autem sint nummuli in ventrale, quos victus sui causâ in promtu quis habet, qui malè *inveterales* in vulgatis, in Florentinis *in ventralem*, ex Plinio intelligimus *lib.* 8. *cap.* 48. *Patris mei memoriâ*, inquit, *cœpere amphimala nostra, sicut villosa, at*- D *que etiam ventralia.* Ex quo zonæ, circa ventrem & lumbos, à Veteribus pecuniis refertæ cingebantur, in ventrale positæ dicebantur. Quod & ex oratione C. Gracchi confirmatur, quam ad Populum habuit, cùm ex Sardinia rediisset: *Itaque, Quirites*, ait apud Agell. *lib.* 15. *cap.* 12. *cùm Romam profectus sum, zonas quas plurimas argenti extuli, eas ex Provincia inanes retuli.*

Chartiaticum autem, quod malè in vulgatis *Carciaticum*, pessimè *carceraticum* quidam emendarunt, χαρτιατικὸν vocat Zonaras in *Nicephoro*, quod quasi pro chartis Officialibus datur: ut pulveraticum, quod quasi pro labore & pulvere Agri- E mensoribus, Cujac. 4. *Observat.* cap. 18. Speculatores verò hoc Rescripto, ut Optiones & Commententarienses continentur, quòd Speculatores, seu Spiculatores in capitis Reos lege agebant. Sic in Actis passionis D. Cypriani: *Exsuit se lacernam Birrum, & stans in linea exspectabat Spiculatorem.* Tessellarii & Optiones Spiculatorum plerumque munere fungebantur. Qui carceri præerant Commentarienses carceris rationem conficiebant, Cicero lib. 7. *in Verrem.*

Ceterùm Hadrianus gloriæ cupidissimus libros soluta oratione & versibus scriptos reliquit mul- F tos; qui arte aliqua excellerent, oppressit; multos sustulit, quòd cuperet omnibus antecellere, Xiphilinus in *Hadriano.* Lectæ sunt hujus declamationes dicendi moderatione temperatæ, nec injucundæ, Photius in *Bibliotheca*: Ἀνεγνώσθη Ἀδριανοῦ τοῦ Βασιλέως μελέται διάφοροι εἰς τοῦ λόγου ἀνειμέναι καὶ οὐκ ἀηδεῖς. Homo eruditus, qui & ipsa oratione & carmine scribendo valeret. Quòd Principi indecorum non fuit.

1 L. 1. §. idem Divus. D. de testib. 2 L. 1. §. si plures. D. de portionib. quæ liber. damnat. 3 L. Divus. D. ad leg. Pompejam de parricid. 4 L. 6. D. de bon. damnator.

CAP.

CAP. XLV.

De Constantino Imperatore.

VEreor ne in varias quorundam reprehensiones incurram, qui læsæ pietatis eos omnes arguunt, si quid liberiùs & ad historiæ fidem pro veritate protulerint. Sed contra hujusmodi hominum ingenia, contraque vanas illorum insidias, facilè ipsam se veritas defendet. Constantini Magni pietatem ut maximè laudo, sic illius in Republica administrationem minùs probare possum; quòd Imperii Romani magnitudinem mutationibus variis ac prodigentia perturbarit. Hic enim primus omnium fauces familiarium aperuit, quos medullis Provinciarum Constantius filius postea saginavit, Ammianus Marcellinus *lib.* 16. Scripsit Aurelius Victor in *Constantino*, publica Officia Palatina & militaria Hadrianum primum ad eam formam revocasse, quam paucis Constantinus immutavit. Novam tamen hic Imperii faciem constituit, & Magistratuum præcipuè Officia, jam olim constituta, variè confudit: nam cùm duo essent Præfecti Prætorio, qui aliquando in rerum perturbatione tres fuerunt, qui omnes hoc Officium communiter gerebant: Constantinus hunc Magistratum, qui secundus post Imperatorem existimabatur, in quatuor Imperia discerpsit. Et cùm illorum potestatem minuere tentasset, multùm illam ampliavit, cùm verè illis partes Imperii tribuerit, quorum conatibus nec Magistri militum, quos ille instituit, obstare potuerunt. Hæc latiùs exsequitur Zosimus, quem immeritò multi Scriptores exagitant, quòd illum hæc odio Religionis confinxisse produnt, cùm tamen verissima videantur: hanc enim Constantini Reip. veteris perturbationem Eusebius ipse, dum Principem laudare conatur, clarè demonstrat lib. 4. *de Vita Constantini* cap. 1. *Constantinus*, ait, *familiares suos*, τῶν αὐτῷ γνωριζομένων, (quos *proximos* A. Marcellinus vocat) *variis honoribus decoravit, quos ille alto & excelso animo in omnes conferebat. Neque sanè cuiquam ab Imperatore quid postulanti denegatum est, nec cujusquam spes, aliquod ab eo beneficium exspectantis, frustrata est. Nam alios pecuniis, alios possessionibus locupletavit. Multos præterea auctoritate, multos Senatoriis Officiis, multos etiam Consulari dignitate ornavit. Duces plures ab eo constituti sunt. Jam Comitum alios in primo ordine collocavit, alios in secundo, alios item in tertio: atque hac ipsa ratione alii propè infiniti*, μυρίοι ἄλλοι, *clarissimos honores adepti sunt: nam ut plurimos honoribus afficeret, diversos dignitatum gradus excogitavit.*

Hoc quidem Medicorum imperitorum more, qui benè valentes novis & multiplicibus remediis enecant. Sic enim Principes rerum ignari, legum multitudine & Officiorum, benè constitutam Remp. opprimunt, atque in varias partes secant. Hoc egit quidem Constantinus, cùm novas Dioecesium & Provinciarum distinctiones fecit: novam urbem Constantinopolim Romæ æmulam condidit, quæ Orientis Imperii caput esset, Romano veteri occidente, cui Occidentis Imperii nomen, fato quodam malè volente indidit: uni enim corpori duo capita effinxit, duosque Imperatores procuravit, quorum alter in Oriente, alter in Occidente rerum potiretur. Senatum & ipse divisit, & Consules unum Romæ, alterum Constantinopoli voluit designari; eamque viam omnino secutus est, quæ ad evertendum Imperium proclivior patere videretur.

Omnia tamen à Constantino rectè atque ordine A facta, plerique omnes contendunt, qui Zosimum insectantur, illiusque pietatem obtendunt, quam à civili administratione secernere debemus. In refellendis eorum rationibus non immorabor, cùm res ipsa per se loquatur satis. Ex iis tamen Franciscum Balduinum ex recentioribus unum non prætereo, qui de Constantini legibus libros perpruditè conscripsit; atque ita in Constantini acta jurasse videtur, ut omnia probet quæ à paucis probari possint. Divisionem enim Imperii ita vir ille non indiligens excusare nititur: *Imperii*, inquit lib. 2. *de legib. Constantini*, *sui sedem, relictâ Româ, Byzantium transtulit. Multæ graves* B *hujus commigrationis causæ commemorari possunt. Roma*, ait, *quæ trecentis jam annis Christianorum sanguine madens Ecclesiam pessundederat, indignâ erat, quæ hunc pietatis assertorem & Ecclesiæ defensorem atque Patronum teneret.* Hanc ego rationem nequeo mirari satis: etenim nonne Constantinus à S. Silvestro Pontifice Maximo, Romæ ad fidem conversus est, atque animæ & corporis morbis divino baptismate sanatus? Meliùs hæc accidisse divinâ providentiâ cum B. Eucherio dixerim, cujus Epistolam *de Contemtu Mundi* Gallicus Interpres amicus meus J. Canayius, Societatis C Jesu Presbyter, ita feliciter & eleganter transtulit, ut Opus illud exiguum Orientali Imperio anteponam. Rectè Sanctus ille vir: Hoc factum divino nutu est, ut Roma, quæ Orbis caput erat, Ecclesiæ tandem caput esset, & à Christi Vicario regeretur: *Vt faciliùs tanquam medicamentum per corpus unum, ita per unam gentem fides infusa penetraret.*

Non sequor Zosimum in iis quæ ad religionem pertinent, cujus non ignarus tantùm, sed & hostis infestus & imbellis fuit: sed quæ de civili administratione & Magistratuum mutatione queritur, non rejicio; cùm multorum Auctorum consensu D comprobentur. Quod ad Constantini leges attinet, eas Balduinus ita collegit & interpretatus est, ut in iis operam ponere non sit necesse. Vnum autem illud advertendum moneo: Constantini non esse omnia, quæ in Notitia Imperii continentur: multa enim ab illo ad Theodosium Juniorem sunt ab aliis Imperatoribus adjecta, quæ tamen facilè dignosci non possint, quòd illorum ætas luce Scriptorum careat. Sed inter præcipuas Constantini mutationes aut adinventiones, tres Comitum ordines pono, qua ratione infinitos propè honore afficeret: hac enim causa diversos dignitatum hos gradus excogitavit, εἰς γὰρ τὸ πλείονας τιμᾷν, διαφόρους ἐπινόει Βασιλεὺς ἀξίας, E Eusebius lib. 4. *de Vita Constantini* cap. 1.

Et quoniam Comites Consistoriani frequenter occurrunt inter Domus Augustæ Officia, de illorum gradibus breviter pauca hæc præmittenda duxi: ut qui primi ordinis Comites dicuntur, alii sint intra Palatium & Consistorium, alii in Palatio & Consistorio, qui Consiliis Principis adsidebant, quibusque hæc beneficia tributa sunt, ut interesse possint Imperatoris epulis, illius purpuram adorare: quod pro summo beneficio habebatur.

F Ordinis secundi Comites his privilegiis fruuntur, ut illis remissa sit Senatoria collatio, & nulla municipali, nulla Curialium conventione vexentur, sintque ab omni functione, omnibusque muneribus publicis immunes: nam nec eorum domus ubicunque positæ, militem seu Judicem suscipiunt hospitio. Quæ omnia conjugibus eorum & filiis servantur; habentque illa cum primi ordinis Comitibus communia[1]. Sed his pro de-

1 L. 11. C. de Professorib. & Medic.

delata secundi ordinis Comitiva vestem præbebat, in posterum Comes sacrarum dispositionum[1]. Hi quidem Comites minores appellantur, quales fuerunt Rectores urbium, ut ex Prudentio Viro Consulari, in Præfatione libri Καθημερινῶν, Vir clarissimus Bignonius noster, in Senatu Parisiensi fisci Patronus, aliquando monebat: sic enim Prudentius:

Bis legum moderamine
Frænos nobilium reximus urbium,
Jus civile bonis reddidimus, terruimus Reos.
Tandem militiæ gradu
Assumtum propius stare jubens ordine proximo.

Provinciarum Rectores inter secundi ordinis Comites habebantur, & ad primi ordinis Comitivam vocabantur, qui ordo proximus dicitur, si rectè Provinciam administrassent. Quod ex Cassiodoro

1 L. 18. C. T. de proxim. Comit. dispositio.

A colligitur in formula Comitiva primi ordinis lib. 6. *Variar.* cap. 12. *Hic enim honor*, ait, *nimiùm laborantibus, antiqua noscitur provisione collatus: ut Rectores Provinciarum anni actione laudatos, vix ad tale culmen adducerent.*

Tertii ordinis Comites minimos & infimos dicere possumus, qui à corporali Magistratuum injuria vindicabantur[1]. Nec illi codicillis, sed ex Principum instituto Comitivam adipiscebantur[2]. Ex his quicunque decursis perfunctus Officiis,
B primum in sua curia obtinuit, ceteris sequentibus locum, Comitivæ tertii ordinis habuit dignitatem, quæ omnibus eum injuriis concessa defenderet: ita tamen ut hoc honore donatus à nexu propriæ originis non recederet[3]. Atque hæc de trium ordinum Comitivis attigisse sit satis. Nos diversorum Comitum munera suo quæque loco latiùs persequemur.

1 L. 17. C. T. de proximis Comitib. dispositio.
2 L. 9. & 107. C. T. de suar. pecuar. & susceptorib.
3 L. 127. C. T. de Decurionib.

JACOBI GUTHERII,
IN SENATU PARIS. ADVOCATI, CIVIS ET PATRICII ROMANI,
DE
OFFICIIS DOMUS AUGUSTAE PUBLICAE ET PRIVATAE,
LIBER SECUNDUS.
AD AMPLISSIMUM VIRUM
NICOLAUM BELLEURAEUM,
Senatus Parisiensis Præsidem.

CAP. I.

De Officio Præfecti Prætorio, ac primùm de illius Origine & Dignitate: an potestatem habuerit in Urbe.

NOn is sum ego, Præses Amplissime, qui singulis libris Præfationem adhibeam, quæ nihil ad rem pertinet. Pergo quantùm possum, & ea brevitate, ut ne quidem prolusio levis, sed ne ullum etiam verbum ultrò redundet. Auspicor ergo librum hunc ab ipso Præfecto Prætorio, ut expendam quodnam fuerit illius Officium: ac primùm quæram de illius Origine & Dignitate.

De Origine nemo est qui nesciat, Præfectum Prætorio ab Augusto institutum ex Mæcenatis consilio, illumque ex Equestri Ordine, qui Cohortibus Prætoriis imperaret, τῆς περί σε φρουρᾶς ἄρχειν, ait Dio *lib.* 52. De illius Officio Aurelius Arcadius Jureconsultus libellorum Magister, qui vixit Alexandri Severi temporibus, librum singu-
C larem conscripsit[1], in quo dum quærit unde Præfectorum origo manaverit, illos *ad vicem Magistri Equitum creatos* tradit, *data illis pleniore licentia, ad disciplinæ publicæ emendationem: atque his cunabulis Præfectorum auctoritatem initiatam.* De quo alii probatæ fidei Scriptores non conveniunt. Nam *Præfecturam Prætorii unam & modicam antea, primus Sejanus intendit*, Tacitus 4. *Annal.* „Etenim cùm Augustus nunquam plures quàm „tres Cohortes in Urbe esse passus esset, easdem„que sine castris; reliquas in hyberna & æstiva „circa finitima oppida dimittebat. Sed Tiberius
D „Sejani artibus, dispersas Cohortes per Urbem, „unà conducendo, ut simul Imperia acciperent, „numeroque & robore & visu inter se, fiducia „ipsis, in ceteris metus crederetur. Prætendebat „Sejanus lascivire militem diductum: si quid subitum ingrueret, majore auxilio pariter subve„niri, & severiùs acturos, si vallum statuatur „procul Urbis illecebris. Ut perfecta sunt castra, „irrepere paulatim militares animos, facili Tibe„rio atque ita promto, ut socium laborum non „mo-

1 L. unic. D. de offic.

„ modò in ſermonibus, ſed apud Patres & Popu-
„ lum Sejanum celebraret; colique per Theatra
„ & fora, interque principia legionum ſineret.

Si hujus poteſtatis immodicæ cunabula ad Sejanum referamus, ingens honor Præfecti Prætorio non ab Auguſti Imperio cœpit, ſed tandem eò crevit, ut *dum honorum honeſtas exſpectatur*, ut Aurelius Victor dicebat in *Veſpaſiano*, *miſtique bonis indocti ac prudentibus inertes ſunt: fecere nomen plerique poteſtate vacuum inſolens, ac per injurias ſubjectum peſſimo cuique & annonæ ſpecie rapax.*

Dicti ſunt Præfecti Prætorio, quòd Veteres omnem Magiſtratum, qui præerat exercitui, Prætorem appellarunt. Vnde Prætorium eſt Ducis exercitus tabernaculum, & in caſtris, porta Prætoria quæ præcipua, Aſconius 3. *in Verrem.* Hinc Præfectus Prætorio, Præfectus Prætorum vocatur, qui Græcis ἔπαρχος τῆς Αὐλῆς, καὶ τῶν δορυφόρων, καὶ τῶν στρατοπέδων. Quare non facilè credo Pomponio Læto lib. *de Magiſtratib. Rom.* cap. 8. dum ſcribit, *labante Imperio Præfecti Prætorio nomen mutatum, & Præfectum Stabuli dictum*, cùm temporum hiſtoria hanc ſententiam reſpuat. Tantùm autem lapſu temporis, Præfecti Prætorio aucta eſt poteſtas; ut cùm primùm quidem Prætorii, hoc eſt, Palatii, Cæſarianorum & Prætorianorum, ſive Palatinarum Cohortium, aliorumque per Italiam militum curam gereret; poſtremò totiùs exercitus, vel potiùs omnium exercituum ſive caſtrorum regimen ſibi vindicarit.

Legimus in Martyrologio 5. Septemb. Præfectum Aulæ Trajani, quòd Chriſtianus eſſet, capite damnatum. An ille fuerit ἔπαρχος Αὐλῆς, non facilè crediderim, cùm eum Trajani Præpoſitum Metaphraſtes vocet apud Surium tom. 5. ead. die, & Menologium Præfectum domus, quem Præpoſitum vel Primicerium ſacri cubiculi dicimus [1].

Ad Præfecti Præt. dignitatem tranſeo, quæ tanta fuit, ut ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὸ σκῆπτρα haberetur, Zoſimus *lib.* 2. quamque Eunapius βασίλειαν ἀπόρφυρον dixit, lib. *de Vita Philoſophorum.* Præfectorum enim omnium à Principe prima poteſtas, Aurel. Vict. in *Veſpaſiano*, quæ non multùm abfuit à Principatu, ſi quidem fidei ſe Præfectorum Prætor. credit: οὐ πολύ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς ἀποδέουσης, ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ Βασιλεὺς τοῖς ἐπάρχουσι τῶν στρατοπέδων πεπίστευται, Herodian. *lib.* 5. Hinc in Imperatorum legibus, & Conſtitutionibus, Præfecti Prætorio excellens auctoritas [2], excelſa ſedes [3], ſublimis magnitudo [4], illuſtris præſtantia, miranda ſublimitas, illuſtris magnificentia [5], Celſitudo [6], excellens eminentia [7], ſpes magnificentiæ Principalis [8], in ſumma adminiſtratione poſita poteſtas [9], magnifica ſedes [10], forum magnitudinis [11], ſedes culminis [12], apex ſublimis Præfecturæ [13], faſtigium ſummum [14]: quòd rerum illi ſumma commiſſa eſſet [15], & ſummam Judiciorum teneret [16].

Præfecto Præt. Imperatoris pugio ut inſigne maximæ poteſtatis tradebatur: hocque vox Trajani teſtatur, cùm Suram Licinium ad hanc dignitatem promoveret, Plinius in *Panegyrico.* Quare rectè Socrates lib. 2. *Hiſtor.* cap. 12. ſcripſit, Præfectum Prætor. majorem præ ceteris Provinciarum Rectoribus poteſtatem habere; ſecundus namque ab Imperatoribus nuncupatur, δεύτεροι δὲ μετὰ Βασιλέα χρηματίζονται. Horum auctoritas ex eo maximè colligitur, quòd jubebant quandoque Imperatores apparari ſibi Tribunal cum Prætorio Præfectis, Surius tom. 4. in *Vita D. Laurentii*, quos parentes chariſſimos & amantiſſimos ſalutare conſueverunt [1]. Quin & Præfecti Prætor. parentes Principum & totius Orbis dicti ſunt. Inſcriptio vetus pag. 439. 4.

MISITHEO
EMINENTI. VIRO. PARENTI. PRINCIPVM. PRAEF. PRAETORIO. ET.
TOTIVS. VRBIS. TVTORI. REIP.
S. P. Q. R.
VICEM. REDDIDIT.

Quam Inſcriptionem Capitolinus iiſdem verbis retulit in *Vita Gordiani tertii*, à quo Miſitheus ſocer Præfectus factus eſt. Caſaubonus ſuſpicatur in Inſcriptione leve mendum, & pro, *totius Vrbis*, ſcribendum, *totius Orbis.* Cujus conjectura certiſſima eſt: nam Præfectus Prætorio totius Vrbis nuſquam dictus aut fictus, ut nec Præfectus Prætor. Urbis: etenim Roma nullum alium habuit quàm Præfectum Urbi. Licèt Propræfectos Prætor. ipſa habuerit, ut alia Inſcriptio nos docet, pag. 370. 3.

L. AVREL. AVIANO. SYMMACHO. V. C. PRAEFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRAEFECTIS. PRAETORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE. PROVINCIIS.

Propræfectis Prætorio in Urbe Roma ex hac Inſcriptione agnoſco, ſed Præfectum Prætor. Urbis Romæ non recipio. Quis ergo iſte eſt, qui Propræfectis Prætor. in Urbe Roma? non alius quàm qui vicem Præfecti Prætor. ex delegatione ſuſtinebat; qui Præfectorum Prætorio vices agebat. Sæpe quidem uni Præfecto duæ Præfecturæ commiſſæ ſunt, ut Italiæ & Illyrici: & cùm his duabus Præfectus unus ſufficere vix poſſet, datus eſt Propræfectus; qui mandata proficiſcenti magiſtratui daret; Rectores Provinciarum confirmaret; Judices delinquentes removeret; Evectiones concederet; & quæ celeritatem deſiderant expediret. Qui aliter Propræfecti munus expedierit, rem mihi pergratam faciet. Præfectus Prætor. ubique locorum, atque etiam Romæ, cauſas ad ſe ſpectantes judicabat: ut in eos, qui ſuæ juriſdictioni ſubjecti erant, etiam in Urbe Roma capitalem ſententiam ferebat, Martyrolog. 2. Martii, ceteraque Præfecturæ munera liberè exſequebatur. In Vrbe Roma igitur, locum ſignificat, non Præfecti Prætor. ſedem, aut in ea poteſtatem, quam pleniſſimam habuit Præfectus Vrbi, qui indiſcretam cum Præfecto Prætor. gerebat dignitatem. Nec credendum eſt, Symmachum, cùm Præfectus Vrbi eſſet, Propræfectis Prætorio egiſſe: nec enim mandatam ab eo dignitatem in pari dignitate poſitus ſuſcepiſſet: ſed cùm privatus eſſet, Propræfectis Prætorio in Vrbe Roma honore functus eſt: quod ex ipſa Inſcriptione liquet, in qua omnes honores Symmacho delati enuntiantur, quos tamen diverſis temporibus geſſerit: nam in ea dicitur Præfectus Vrbi, Conſul, Propræfectis Prætor. Præfectus annonæ Vrbis Romæ, &c.

Sed ut ad Præfecti Prætor. dignitatem redeamus, ea etiam in hoc enituit, quòd illi à Princi-

Cc 3 pe

1 L. 1. C. T. qui à præbition. Tiron. 2 L. 1. C. T. de paſcuis. 3 L. 17. C. T. de numerar. & actuar. 4 L. 52. C. T. de curſu public. & l. 9. C. eod. 5 L. 10. C. T. de diverſis offic. 6 L. 15. C. T. de accuſationib. 7 L. 9. C. T. de indulgent. crimin. 8 L. 15. C. T. de potionib. ultr. dat. 9 L. 1. C. T. ne ſine juſſu princip. 10 L. 8. C. de defenſorib. civit. 11 L. 8. C. de poſtuland. 12 L. 10. C. de advocat. diverſor. judic. 13 L. 7. C. T. de honorar. Præfectur. 14 L. 8. C. eod. 15 L. 1. C. de offic. Vicar. 16 L. 1. C. T. de Epiſcop. judic.

1 Novel. 6. & 7. Theodoſ. & Valent.

pe assurgeretur, Cassiodorus 1. *Variar.* 20. Enimverò cùm ingressus esset Palatium Principis, frequenter adorabatur consuetudine principali, seu Principum more, idem 6. *Var.* 3. solusque vice Sacra judicare propriè dicebatur [1]. Atque eò progressus, ut negligentia & adulatione Principum Principes fecerit, atque ita militares animos devinxerit, ut sibi assereret Imperium: nam Præfectos Prætorio omnes suspiciebant, cùm castrensem omnem & civilem potestatem exercerent. Quare cuncti priscæ reverentiæ more, honorum omnium apicem, summo honoris fastigio cumulare non repugnabant.

CAP. II.

An Præfectus Prætorio fuerit ab initio Magistratus legitimus, & de illius potestate.

MAgistratus definitionem suprà attulimus, quæ Præfecto Prætorio Augusti temporibus convenire nullo modo potest, ut ille inter legitimos & civiles haberetur. Pomponius cùm Præfecti Prætor. potestatem parem cum Dictatoris & Tribuni Celerum potestate facit, Celerum Tribuni Officium ferè tale fuisse tradit, quale hodie Præfecti Prætorio [2]: *Magistratus tamen*, inquit ille, *legitimi habebantur.* Existimavi semper apud Pomponium negationem deesse, & legendum, *Magistratus tamen legitimi non habebantur.* Quod ex verbis Pomponii rectè intellectis facilè probatur: nam Tribuni Celerum & Dictatoris Officium ferè tale fuisse asserit, quale hodie Præfecti Prætorio. Hæc dictio, *ferè*, addit aliquid Præfecto Prætor. quod Tribuno & Dictatori abfuisse videtur: subjungit enim, *quale hodie*; quod ad præsens tempus, non ad præteritum refertur. Sententiam tueor ex alia dictione, *tamen*, quæ plerumque restrictiva est, & interpretativa, ut demonstret, Tribunos & Dictatores ferè parem habuisse potestatem cum Præfecto Prætorio, eo excepto quòd Magistratus legitimi non haberentur, ut Prætorio Præfectus. Quod apertè Dionysius docet *lib.* 10. qui Dictatoribus opponit τὰς νομίμους ἀρχάς. Dictatorem Magistratum fuisse non inficior, sed non legitimum: legitimi enim Comitiis creabantur, & in Campo; at extraordinarii Magistratus, extra Campum, ut plurimùm, ut Dictator, Tribunus Celerum, aut Magister Equitum: nam Dictator publicæ utilitatis causâ à Consule aut Interrege prodebatur, Tribunus Celerum à Rege; Magister Equitum à Dictatore dicebatur.

In trepidis rebus ultimum fuit consilium Dictatorem dicere, Livius *lib.* 4. aliquando clavi figendi causâ, & fixo clavo statim se Magistratu ille abdicabat, idem *lib.* 7. & 8. Nonnunquam Comitiorum habendorum causâ, si Consules abessent, idem *lib.* 8. Iisdem Consulibus absentibus, Dictator creatus, feriarum constituendarum causâ, idem *lib.* 7. Atque in his momentaneum fuit illius Imperium. Extraordinarii ergo Magistratus sunt, qui extra ordinem fiebant, ut quæque negotia occurrebant; atque plerique hi non Centuriatis Comitiis, sed Tributis, prout temporum necessitas requirebat. Non me movet, quòd lege lata de Dictatore creando, Dictator diceretur, ut illum legitimum credam: nam legitimos Populi Romani Magistratus tantùm agnosco statutos & ordinarios: qui si majores essent, Comitiis Centuriatis in Campo, stato die creabantur, ut minores Comitiis Curiatis. Atque hi Magistratus ordinarii & legitimi, non pro necessitate aut propter subitos Reipublicæ casus creabantur. Quoties igitur ab illa ordinaria Magistratuum creatione discedebatur, extra ordinem id fieri dictum est. Quare optimè Onuphrius in *Civitat. Rom.* Dictatorem & Magistrum Equitum, cujus Pomponius non meminit, non inter legitimos, sed inter majores extra ordinem Magistratus ponit. Minùs rectè fortè inter minores Magistratus ordinarios Præfectum Prætorio annumerat: cùm in Civitate Romana stante Repub. nullus Prætor. Præfectus legatur, qui ab Augusto, cùm rerum potiretur, primùm institutus est, nec inter Magistratus legitimos vel minores computatus.

Sed Pomponii temporibus amplissimam potestatem nactus est Præfectus Prætor. & Magistratuum Magistratus dici potuit, cùm Judiciorum & rerum civilium & militarium cura illi præcipua mandata sit. Scribit Aurelius Arcadius [1], *ad similitudinem Magistri Equitum Præfectos Prætorio à Principibus electos, curæ militiæ gratiâ: sed datam Præfectis pleniorem licentiam, ad disciplinæ publicæ emendationem.* Sic itaque Præfectorum auctoritas crevit, ut inter majores Magistratus legitimos haberentur, omnesque potestate antecederent. Potestate, dico, non dignitate; inferior enim illa dignitas fuit Consulari, & Patriciatus honore, Sidonius *lib.* 1. *epist.* 13. Quare in variis legum titulis Præfectus Prætor. & Patricius nominatur [2]: ut Præfectus Prætor. & Consul designatus [3].

Nos verò ad Præfecti Prætor. potestatem veniamus: quæ tanta fuit, ut verè Principis vices agere diceretur: nam Præfectus Prætorio, quod proprium Principis, mandata Provinciarum Rectoribus dabat, ut de Probo monuimus, *lib.* 1. *cap.* 33. Ea præterea fuit Præfecti Prætor. potestas, ut Rectores Provinciarum confirmare posset [4], atque iis, qui vice alterius, Provinciæ administrationem obtinebant, administrationis Codicillos dare, ut defuncto fortè Rectore Provinciæ, illius vice Provinciam regerent [5], usque dum alteri mandata esset à Principe. Præfectus etiam Prætor. Judices instituere, removere, &, qui eorum vice fungerentur, dare solebat: si quod Judices vel propter adversam & longinquam corporis valetudinem, vel propter negligentiam, vel furtum, vel simile aliquod vitium, inutiles esse reperiret [6].

Delicta Provincialium Judicum puniebat; verbo sententiam dicebat; negotia sine appellatione finiebat; vice Sacra ubique judicabat; Curiales verberabat; evectiones simili potestate largiebatur; vacantia bona præscribebat; fiscum pro sua deliberatione distribuebat, Cassiodorus 6. *Variar.* 3.

Apud Præfectum Prætorio Acta insinuantur, & delegationes quæ manant à Principe, ac deinde ab eo mittuntur in singulas Provincias [7]. Fuit Præfectorum Prætorio tributa exigere, τοὺς ἁπανταχοῦ φόρους διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς εἰσπράττειν, Zosimus *lib.* 4. Nam Julio vel Augusto mense, apud Acta Præfecti Prætor. cujusque Diœcesis, insinuata descriptio tributorum sequentis anni, vel indictionis, quâ declaratur quantum quamque Provinciam inferre oporteret, Jugerum vel Centuriarum nomine, secundùm morem regionis, in auro, argento, speciebus, vel annonis [8].

Ap-

1 L. 16. C. T. de appellationib. 2 L. 2. §. populo. D. de origin. jur.

1 D. l. unic. D. de offic. Præfect. Prær. 2 L. 1. C. T. de bon. cleric. 3 L. 7. C. de legib. 4 L. 1. C. ut omn. judic. tam civil. 5 L. 2. C. de offic. ejus qui vic. alter. 6 L. 3. C. de offic. Præfect. Prær. orient. 7 L. 4. C. de Canon. largitional. titul. 8 Novel. 128. & ib. Cujac.

Appellari à Præfecto Prætorio non poteſt, & cùm antè quæſitum fuiſſet, an ab eo liceret appellare, & an jure liceret, exſtarentque exempla eorum, qui provocaverant; poſtea publicè ſententia principali lecta appellandi licentia interdicta eſt. Credidit enim Princeps eos qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & gravitate, ad hujus Officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe, pro ſapientia, & luce dignitatis ſuæ, quàm ipſe foret judicaturus[1]. Sed valde falſus eſt Princeps ille, quiſquis fuerit: nam Elagabalus Prætorii Præfecturam detulit Eutychiano ſaltatori, qui Hiſtrioniam Romæ fecerat, Lampridius in *Elagabalo*: ut Scenicos artifices alios ad maximas Imperii dignitates promovebat, Herodianus *lib.* 5. *Ὡς πάντα τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς, καὶ τῶν δημοσίων θεάτρων μεταγαγεῖν ἐπὶ τὰς μεγίστας τῶν βασιλικῶν πράξεων, καὶ τοῖς στρατοπέδοις ἔπαρχον ἐπιστῆσαι ὀρχηστήν τινα γεγονότα.* Præfectum Nero fecerat Tigellinum illius corruptorem & proditorem & ad omne facinus paratiſſimum, Tacitus 1. *Annal.* Cleandrum Phrygium Commodus, ex ea nota hominum, qui publicè per præconem veneunt, Herodianus *lib.* 1. ad cujus nutum etiam Libertini in Senatum atque in Patricios lecti ſunt, Lampridius in *Commodo*.

Quis autem Princeps ille fuerit, qui à Præfecto Prætor. provocandi facultatem abſtulit, non ſatis compertum. Scio tamen hoc ante Alexandri Severi tempora conſtitutum, ſub quo vixit Arcadius, qui principalis ſententiæ meminit, ſine ulla nominis adjectione. Ulpianus à Principe fas non eſſe appellari docuit, nec à Senatu ad Principem, ex oratione Imperatoris Hadriani, vel à Judice à Principe dato, nulla Præfecti Prætorio facta mentione[2]. Hinc fortè idem Ulpianus aſſerit, Proconſulem majus imperium in ſua Provincia habere poſt Principem[3]: unde, quantùm ſuſpicari licet, judicia & appellationes Commodus in Perennem Prætor. Præfectum tranſtulit, cùm metu conſcientiæ facilè in publicum non procederet; neque quidquam ſibi nuntiari pateretur, niſi quod Perennis antè tractaſſet. Perennis autem Commodi animum perſciens, invenit quemadmodum ipſe potens eſſet: nam perſuaſit Commodo, ut deliciis ipſe vacaret, idem verò Perennis curis incumberet: quod Commodus lætanter accepit, Lampridius in *Commodo*. Quare ſub Commodo Præfectos Prætor. ſuam in rebus civilibus poteſtatem ampliaſſe, & poſteriorum Principum negligentiâ Provinciales omnes Magiſtratus ſibi ſubjeciſſe, facilè mihi perſuadeo; niſi quis conjecturam meam in re obſcura, certiore ratione elucidarit. Nulla enim hac de re lex alia in Pandectarum libris invenitur, quàm Arcadii: & in Cod. notatur lex Diocletiani, qui litigantibus in ampliſſimo Præfecturæ judicio, ſi contra jus ſe læſos affirmarent, non provocandi, ſed ſupplicandi licentiam miniſtrat[4]. Atque poſt illum Conſtantinus à Præfectis Prætor. qui ſoli vice ſacra cognoſcere dicendi ſunt, provocari vetat, ne Principis contingi veneratio videretur[5]. Penè etiam potuit, ait Caſſiodorus lib. 6. *Var.* 3. Præfectus Prætor. leges condere; quando ejus reverentia poteſt negotia ſine appellatione finire: nam Edicta promulgabat, ſeu *ἐπαρχικὰ*, ſive libros, generales formas continentes, quæ legis obtinerent auctoritatem[6]: dummodo receptis legibus non derogarent. Formæ autem ſunt Epiſtolæ, quibus aliquid à Principe vel à Præfecto Prætor. conſtituitur. Formam à Prætor. Præfecto datam vocat Severus Alexander[1].

1 L. unic. D. de offic. Præfect. Præt. 2 L. 1. D. à quib. appellar. non licet. 3 L. 8. D. de offic. Proconſul. 4 L. unic. C. de ſentent. Præfect. Prætor. 5 L. à Proconſulibus. C. T. de appellationib. 6 L. apertiſſimi. C. de judiciis. Cujac. lib. 6. *Obſervat.* cap. 10.

CAP. III.

De Cognitione Præfecti Prætorio: & de Retractatione.

PRæfectus Prætor. in Comitatu Principis ſacris Judiciis præſidebat, & de appellationibus cognoſcebat. Sed hoc ex Conſtitutione Theodoſii & Valentinani introductum eſt[2], qui Quæſtorem Palatii Præfecto Prætor. in cognoſcendo Collegam addiderunt. Exin Arcadius & Honorius ad ampliſſimas haſce poteſtates referendum ſanxerunt[3], ſi Præfectus Auguſtalis, vel Comes Orientis, vel Vicarii aliquem ſupplicio addixiſſent. Nam ſi provocaſſet, Præfecti Prætorio & Quæſtoris Palatii plenum fuit judicium, ſi ita res & crimen exegerit, ut poſſint rectiùs punire damnatos. Nec ſolùm datus eſt Præfecto Prætor. Collega, in Principis Comitatu, ſed in Provinciis. Sic *Salluſtio Præfecto Prætorio ſummam quæſtionum agitandarum commiſit Imperator Julianus, Mamertino, & Agilone & Nevita atque Jovino Magiſtro Equitum adjunctis per Illyricum. Qui omnes tranſgreſſi Chalcedonas, præſentibus Jovinianorum principiis & Tribunis, cauſas vehementiùs æquo bonoque ſpectaverunt, præter paucas, in quibus veritas Reos nocentiſſimos offerebat, & Palladium primum Exmagiſtro Officiorum, in Britannos exterminarunt, ſuſpicione tenus inſimulatum, quædam in Gallum compoſuiſſe apud Conſtantium. Dein Taurum Expræfecto Prætorio, in exſilium egere, cujus factum apud Judices juſtorum injuſtorumque diſtinctione videri potuit veniæ plenum*, Ammianus Marcellinus *lib.* 22. Sic ferè ſolent delegati Judices ad Principis libitum innocentes damnare. Quandoque idem Imperator Præfecto Prætor. ad audiendi ſocietatem largitionum Comitem adhibuit, cùm de criminis diſquiſitione ageretur, idem *lib.* 16.

Sed de Ordinario Judice, ſemper fuit Illuſtris cognitio Præfecturæ[4]. Cognoſcebat enim Præfectus, ſi à Præſide, vel à quolibet ordinario Judice eſſet provocatum[5]. Ad hunc plerumque Proconſules, ut alii Judices, cauſas capitis remittebant, in iis criminibus, quibus nulla animadverſio à lege conſtituta erat, ut in Chriſtianorum cauſis. Nam Proconſul Chriſtianos ad Præfectum duci juſſit, qui eos in ſuo carcere recepit & damnavit, Surius tom. 5. 14. Octob.

Vir magnus ſcripſit Præfectos Prætorio pleniſſimum in Senatores imperium habuiſſe ante Alexandri tempora. Sciunt omnes Alexandrum Prætor. Præfectos Senatoria dignitate decoraſſe, ne quis non Senator, de Romano Senatore judicaret, Lampridius in *Alexandro*. Hanc in Senatores Præfecti poteſtatem, à Commodo manaſſe arbitror, cùm ante Hadriani principatum Equites de Senatore judicarent: ille enim Equites Romanos, nec ſine ſe de Senatoribus, nec ſecum judicare permiſit, Spartianus in *Hadriano*. M. Antoninus Commodi pater hoc quoque Senatoribus detulit, ut quoties de eorum capite eſſet judicandum, ſecretò pertractaret, atque ita in publicum prodiret; nec pateretur Equites Romanos talibus cauſis intereſſe, Capitolinus in *M. Antonino*.

Ex

1 L. 2. C. de offic. Præfect. Præt. Illyric. 2 L. 32. C. de appellationib. 3 L. 29. C. eod. 4 L. 4. C. de offic. Præfect. Præt. Orient. 6 L. 1. C. T. de offic. Præfect. Præt.

Ex Constitutione Valentis & Gratiani[1], *Provincialis Judex; vel intra Italiam, cùm in ejus disceptationem criminalis causæ dictio adversùs Senatorem inciderit, intendendi quidem examinis & cognoscendi causas habuit potestatem: verùm nihil de administratione decernens, integro non causæ, sed capitis statu ad scientiam Principis vel inclitas potestates referebat.* Præsides igitur & Correctores, item Consulares, Vicarii quoque & Proconsules, negotii examine habito de capite Senatoris referebant. De Suburbanis Provinciis Judices referebant ad Præfecturam sedis urbanæ; de ceteris ad Præfectum Prætorio. Apud Præfectos Prætorio reus factus Septimius Severus, audiendus datus est; quòd in Sicilia quasi de Imperio Chaldæos consuluisset: sed Commodo jam in odium veniente, absolutus est, Spartianus in *Severo.*

In ipsa urbe Regia, id est, Constantinopoli, Præfectus Prætor. in Senatores jurisdictionem exercuit ex Constantini lege[2]. Atque Senatores quidem in illa commorantes, si veniam ætatis impetrassent apud Præfecti Prætorio sublimitatem, de suis moribus & honestate perdocere debebant: ut in Provinciis alii apud earum Rectores.

Sed & apud Præfectum Prætorio de injuriis agi poterat[3], qui præterea habuit coercitionem in curiosos, si inhonestè in Officio versati essent[4]. Curiosus est speculator, qui crimina Magistratibus deferebat, & qui cursus publici curam gerebat[5], qui à Tertulliano πολυπράγμων, lib. *de Fuga.* Curiosi mittebantur ex Schola Agentium in rebus, ut inspicerent evectiones, sive συνθήματα cursus publici, de quibus nos alio loco; & quæ hìc attigimus faciunt ad Præfecti Prætor. potestatem, qui evectionis copiam faciebat: quod aliis Judicibus non licebat, præter quàm Magistro Officiorum[6]. Evectiones sunt diplomata, sive codicilli, quibus cursu publico utendi facultas datur, quæ & combinæ & tractoriæ dicuntur: nam tractoriæ sunt diplomata, quæ dantur missis vel evocatis à Principe cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis, id est, diversoriis & mansionibus, quibus alantur sumtu publico[7]. Tractoriæ formulam habemus apud Marculphum Monachum *lib.* 1. *cap.* 11. quam ita vir clarissimus Bignonius, in Senatu Paris. fisci Patronus, perdoctis Commentariis illustravit, ut nihil iis addi possit. Præfectus Prætorio de annonis & tributis cognoscebat[8]: ut de navicularriis rationibus, seu transvectionibus: nam Rescripta de omnibus iis mitti solebant ad sedem illius sublimitatis, cujus & de indulgentia debitorum cognitio fuit[9]. Mirari tamen quis possit, quòd Præfectus, qui vitæ necisque potestatem habuit, usque ad quinquaginta librarum auri tantùm, cùm peccatum gravissimum esset, multæ dicendæ habuit[10]. Nullum etiam in militares viros illi concessum est Imperium, post Magistri militum institutionem[11], quo cum indiscretam habuit dignitatem: ut nec in officia Palatinorum[12].

Subnixi sunt alio privilegio Præfecti Prætor. ut ex sua sententia majores in integrum possint restituere, quamvis ab iis appellari non possit[13].

Ceterùm contra Præfecti Prætorio sententiam intra biennium retractatio postulabatur, libello supplici Principi porrecto, postquam Præfectus Magistratu abiisset. Atque adversùs Præfecti Præt. sententiam semel supplicari poterat, & semel ex Rescripto Principis iterari & retractari judicium[1]. Sed quomodo apud Præfecti successorem retractatio peti potuit? etenim Pius Antoninus eundem Præfectum per annos viginti retinuit Ganium Maximum, Capitolinus in *Antonino Pio.* Sed Antonini Pii temporibus, nondum sine provocatione Præfecti judicabant, qui ex Commodi socordia hoc sibi vendicarunt: à quo, ut ab illius successoribus, Præfecti Prætor. in dies mutati, qui vix biennium compleverunt. Quòd si diutiùs Magistratum gererent, ex Justiniani Constitutione, Præfectus Prætor. qui sententiam dixerat, idem de retractatione cognoscebat, adhibito sacri Palatii Quæstore, Cujac. lib. 12. *Observat.* cap. 6. Imperator idem intra dies decem latæ sententiæ, permisit libellum offerri, qui didascalicus appellabatur, ipsi Præfecto, vel illius Adsessoribus, sublata ad Principem supplicatione, *Novel.* 119.

1 L. 13. C. T. de accusationib. 2 L. 2. §. fin. C. de iis qui ven. ætat. 3 L. Lucius. D. de his qui not. infam. 4 L. 3. C. de curios. 5 L. 13. C. de curs. public. 6 L. 9. C. de curs. public. 7 Cujac. ad leg. 1. C. de tractoriis. 8 L. 7. C. T. de divers. rescript. 9 L. 5. C. de offic. Præfect. Præt. Orient. & l. 5. C. T. de indulgent. debitor. 10 L. 4. C. de mod. mult. dicend. 11 L. 1. C. de offic. Magistr. militum. 12 L. 6. C. T. de offic. Palatin. sacr. larg. 13 L. 1. in fin. D. de offic. Præfect. Præt.

CAP. IV.

De Adsessoribus Præfecti Prætorio. De numero Præfectorum.

ADsessores Præfecti Præt. συμπόνους vocat Justinianus[2], Modestinus συγκαθέδρους[3], Herodianus συνέδρους καὶ συμβούλους, *lib.* 3. Consiliarios, Participes, Comites Magistratuum. Quorum ea fuit prærogativa ut Vicariæ dignitatis privilegio gauderent[4]. Hos Cujacius dictos putat Præfectianos[5]: cui; ut in plerisque omnibus, assentiri soleo; sic ab eo hac in re omnino dissentio. Etenim Præfectiani sunt Præfecturæ officiales, sive Ministri, inter quos Adsessores nusquam numerantur: hi enim Jureconsulti percelebres fuerunt, qui suo consilio Præfectos juvarent[6]. Præfectiani autem Magistratui præstò sunt[7], imò & ipsis Adsessoribus, ut mandata eorum exsequantur, ideoque amplissimæ sedis Officium vocantur, & sacris mandatis obsequuntur[8]. Officium enim pro Ministris & Apparitoribus accipitur[9]: atque inter Apparitores Præfectiani locantur[10], & qui annonariæ functionis exsecutioni operam dabant. Hac ratione Ministri Præfecti Urbis Urbaniciani appellati sunt[11].

Sed longè alia est ratio Adsessorum, *quos Præfectus Prætor.* ut Sidonius loquitur *lib.* 5. *epist.* 10. *Consiliis suis tribunalibusque sociabat*, quique frequenter ex Adsessoribus ad Prætor. Præfecturam vocabantur. Sic Cornelius Laco, ex Adsessore Præfectus Prætor. factus est, Sueton. in *Galba* cap. 14. Sic Paulus & Vlpianus, cùm antea Adsessores fuissent Papiniani, Præfecti Prætor. ipsam Præfecturam obtinuerunt, Spartianus in *Pescennino Nigro*, quam antea Papinianus[12], qui & Adsessoris officio functus est[13].

Adsessorum autem ea dignitas fuit, ut Principes ipsi Magistratibus adsidere soliti sint. Sic Tiberius Magistratibus pro Tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat Consiliarium, adsidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori, Sue-

1 L. 1. C. de sentent. Præfect. Præt. 2 Novel. 119. 3 L. ὁ μόνος. D. de excusationib. 4 L. 1. C. T. de Comitib. qui illustrib. 5 ad Novel. 119. 6 L. 1. D. de offic. Adsessor. 7 L. 1. §. missus. D. ut in possess. leg. 8 L. 1. C. de collation. donat. 9 L. 1. C. de bon. vac. 10 L. 2. C. de apparitorib. Præfect. Præt. 11 L. 1. C. T. de condit. in public. hor. 12 L. lecta. D. de reb. cred. 13 L. 3. §. cùm Pollidius. D. de usur.

Suetonius in *Tiber.* cap. 33. Claudius Imperator Cognitionibus Magiſtratuum, ut unus ex Conſiliariis, id eſt, Adſeſſoribus, frequenter interfuit, idem in *Claudio* cap. 12. Ecquis hos omnes inter Præfectianos aut Magiſtratuum Officia collocaret?

Eminentiſſima Præfectura centum quinquaginta Advocatos in Conſilium aſſumebat, qui cohortali vitæ & fortunæ non ſubjacerent [1]. A quorum numero tranſeo ad Præfectorum numerum, quos ab Auguſto duos inſtitutos quidam tradunt.

Scio hoc Mæcenatis conſilium Auguſto datum, ut duos præſtantiſſimos Præfectos Prætoriis Cohortibus inſtitueret: quod uni committere periculoſum eſſet. Duo igitur ut eſſent ſuadebat, ut ſi alter inſidias parare conaretur, haberet tamen adhuc alterum, qui illum tueretur, Dio *lib.* 52. Τῶν δὲ δὴ ἱππέων δύο τοὺς κρείττους περὶ σὲ φρουρᾶς ἄρχειν· τό, τε γὰρ ἑνὶ ἀνδρὶ αὐτὴν ἐπιτρέπεσθαι, σφαλερὸν, καὶ τὸ πλείοσι, ταραχῶδές ἐστι. Δύο τε οὖν ἔστωσαν οἱ ἔπαρχοι οὗτοι, ἵνα εἰ καὶ ὁ ἕτερος αὐτῶν ἐπαίσθηταί τι τῷ σώματι, μή τοίγε καὶ οὐδενὸς τοῦ φυλάξοντός σε εἴης.

Hoc conſilium Auguſtus ſecutus non eſt: nam unum Prætor. Præfectum creavit primùm; deinde duos, ut ex eodem Dione conſtat: etenim cùm Tiberius Rhodum ſeceſſiſſet, tum primùm Auguſtus duos Præfectos Prætorianorum ordinavit, τότε δὲ πρῶτον καὶ ἐπάρχους τῶν δορυφόρων δύο ἀπέδειξεν, Dio *lib.* 55. Hoc quidem ex voluntate Principum pendebat, qui duos interdum, unum aliquando, quandoque tres Præfectos ſibi ſelegerunt. Tiberius duos habuit, uſquedum poteſtas in Sejanum recidit. Duos habuit Caligula, Suetonius in *Calig.* c. 56. Duo etiam Claudii temporibus fuerunt, L. Geta, & L. Criſpinus, qui artibus Agrippinæ avocati. Illa enim diſtrahi cohortes ambitu duorum, & ſi ab uno regerentur, intentiorem fore diſciplinam aſſeverante, tranſtulit Claudius regimen cohortium ad Burrhum Afranium egregiæ militaris famæ, gnarus tamen cujus ſponte præficeretur, Tacitus lib. 12. *Annal.*

Quis non rideat Scriptorem Græculum, qui ſub Neronis Imperio Senecam Præfectum Prætorio nuncupat, & Burrhum Juventæ Imperatoriæ Rectorem? ὁ Σενέκας, ait Zonaras in *Nerone*, ἔπαρχος ὢν τῶν δορυφόρων, καὶ ὁ Βοῦῤῥος διδάσκαλος τοῦ Νέρωνος. Hic Burrhus Præfectus Imperium ad Neronem morte Claudii detulit, ut ſcribit Joſephus lib. 20. *Antiquit.* cap. 5. Τά τε περὶ τὸν θάνατον τοῦ Κλαυδίου διεπράξατο, καὶ παραχρῆμα πέμψας τόν τε τῶν στρατευμάτων ἔπαρχον Βοῦῤῥον, καὶ σὺν αὐτῷ τοὺς χιλιάρχους, τῶν τε ἀπελευθέρων τοὺς πλεῖστα δυναμένους, ἀπάξοντας εἰς τὴν παρεμβολὴν τὸν Νέρωνα, καὶ προσαγορεύσοντας αὐτὸν αὐτοκράτορα. Burrho in Præfectura, quam ſolus geſſerat, duo ſucceſſere, Fenius Rufus, & Sophonius Tigellinus, Tacitus 14. *Annal.*

Vnum Galba Præfectum habuit Cornelium Laconem, cujus poteſtatem maximè minuit. Regebatur enim bonus Imperator, trium arbitrio, quos unà & intra Palatium habitantes, neque unquam non adhærentes, pædagogos vulgus vocabat. Hi erant *T. Vinius Legatus in Hiſpania, cupiditatis immenſæ: Cornelius Laco, ex Adſeſſore Præfectus Prætorio arrogantiâ ſocordiâque intolerabilis: Libertus Icellus paulò antè annulis aureis ornatus, ac jam ſummi Equeſtris gradus candidatus*, Suetonius in *Galba* cap. 14. Quod an rectè interpretati ſint viri perdocti de Præfectura Prætorii, qui

A ſummus fuit Equeſtris Ordinis gradus, poſtea viderimus. Hac de re Tacitus paulò aliter lib. 15. *Hiſtor. Potentia Principatus*, ait, *diviſa inter Titum Vinium Conſulem, & Cornelium Laconem Prætorii Præfectum. Nec minor gratia Icello Galbæ Liberto.* Hinc conſtat Galbæ unum Præfectum Prætorio fuiſſe, cui quaſi Collegam adjecit Conſulem: quod nuſquam antea, nec deinceps factum.

Sub Veſpaſiano Titus Prætorii Præfecturam ſuſcepit, nunquam ad id tempus niſi ab Equite Romano adminiſtratam, ſi Suetonio credimus in *Tito* cap. 6. cui contradicere Tacitus videtur
B lib. 4. *Hiſtor.* nam Aretinum Clementem Domini Veſpaſiani per affinitatem innexum & gratiſſimum Domitiano, Prætorianis Mucianum præpoſuiſſe tradit, qui patrem ejus ſub C. Cæſare egregiè functum eâ curâ dictitabat: *Lætum*, inquit, *militibus idem nomen, atque ipſum quanquam Senatorii Ordinis, ad utraque munia ſufficere.* Ergo ante Titum Præfecturam Prætorii à Senatore adminiſtratam, contra Suetonii ſententiam, Tacitus refert.

Sed facilis eſt præſtantiſſimorum Auctorum, qui eodem tempore ſub eodem Principe floruerunt, conciliatio, ſi temporis hiſtoriam diligen-
C tiùs perſcrutemur. Mucianus ex Præſidibus Provinciarum depoſita ſimultate, quam in id tempus ex æmulatione non obſcurè gerebat, Veſpaſiani partes ſecutus eſt, Suetonius in *Veſpaſiano* cap. 6. Ille cùm non leges, non Principes in civitate eſſent, Vrbem ingreſſus, cuncta ſimul in ſe traxit. Atque ille unus ambiri & coli: nec deerat ipſe ſtipatus armis, apparatu, inceſſu, excubiis vim Principis complecti, nomen remittere, Tacitus lib. 4. *Hiſtor.* Cæſar Domitianus Præturam cepit: ejus nomen Edictis, Epiſtoliſque proponebatur: vis penes Mucianum erat, qui
D Aretinum Clementem Prætorianis præfecerat. Quod ita accipiendum eſt, ut Mucianus, ne ſine Præfecto Prætoriani vagarentur, Aretinum Clementem vice Præfecti ſubrogavit, qui illius perſonam ſuſtineret, cùm tamen Præfectus non eſſet, & inter Præfectos non haberetur [1]. Nec negaverim Muciani arrogantiam, qui Principem agebat, eò proceſſiſſe, ut Præfectum Prætor. elegerit. Quod cùm factum eſſet contra leges & mores, in Præfectorum ordine Aretinus Clemens computatus non eſt, ſed à Veſpaſiano & Senatu rejectus. Nam ſi Mucianus, cùm ad Senatum miſiſſet Epiſtolas, materiem ſermonibus
E præbuit, *ſi privatus eſſet cur publicè loqueretur?* Tacitus 4. *Hiſtor.* multò magis in Magiſtratibus creandis repreſſa eſt illius audacia, quam Veſpaſianus ipſe factus Imperator ægrè tolerabat. Illum enim meritorum fiduciâ, minùs ſui reverentem ſuſtinuit quidem, quem Principem agere non permiſit, Suetonius in *Veſpaſiano* cap. 13. Quare Aretinum Clementem Propræfectum dixerim, non Præfectum, vel certè Præfectorum albo expungendum; ſicque nihil à Suetonio Tacitum diſcrepare puto.

Quod verò de Tito dictum eſt, quem extra
F Equitum numerum Suetonius ponit in Præfecturæ adminiſtratione, mihi aliter Plinius ſuadet, in *Præfatione Hiſtoriæ* ad Titum ipſum: *Triumphalis*, inquit, *& Cenſorius tu, ſextúmque Conſul, ac Tribuniciæ Poteſtatis particeps, & quod his majus feciſti, dum illud patri pariter & Equeſtri Ordini præſtas, Præfectus Prætorio ejus.* Innuit apertè Plinius Titum, ut Præfecturâ fungeretur, ad Equeſtrem Ordinem tranſiiſſe.

1 L. 11. §. fin. C. de advocat. diverſ. judic.

1 L. 1. §. hi quibus. D. de legat. 3.

Imperatores ceteri pro arbitrio unum solum, vel duos, tresve Præfectos habuerunt. Vnum Præfectum Antoninus Pius per viginti annos habuit, cui Tatius Maximus successit, atque in hujus demortui locum duos substituit, Capitolinus in *Antonino Pio.* Tres Præfectos Commodus fecit, qui primùm uno contentus Perennio, illo occiso duos constituit, postea tres, tutius ratus totam illam potestatem non uni duntaxat credere, sed dissectam in partes imbecilliorem reddere contra Principem: Herodianus *lib.* 1. Ὁ δὲ Κόμμοδος δύο τοὺς ἐπάρχους καταστήσας, ἀσφαλέστερον ᾠήθη, μὴ ἑνὶ πιστεύειν τοσαύτην ἐξουσίαν· μερισθεῖσαν δὲ αὐτὴν ἀσθενεστέραν ἔσεσθαι ἤλπισε πρὸς τὴν βασίλειον ἐπιθυμίαν.

Ceteros Principes prætereo, ut ad Constantinum veniam, qui Præfectorum Prætor. Officia conturbavit, jam olim instituta. Nam cùm duo essent ut plurimùm Præfecti Prætor. qui hoc officium in Comitatu Principis communiter gerebant: Constantinus unum hunc Magistratum in quatuor imperia discerpsit, atque ille unum Orientis, alterum Illyrici, tertium Italiæ, quartum Galliarum instituit, Zosimus *lib.* 2. Quintum addidit Justinianus, Prætorii Africæ Præfectum: de quibus nos sigillatim.

CAP. V.

De Præfectis Prætorio in Comitatu: & quomodo ii Magistratu abirent.

PEtrus Faber, in omni reconditarum litterarum officina affabrè perpolitus, multa de Præfectis Prætorio Scriptis suis mandavit. Putat ille sub posterioribus Imperatoribus, non modò in Comitatu Principis, sed etiam per Orientem, & per Occidentem, in Africa, in Illyrico, Italia, & Galliis singulos Præfectos fuisse, qui Dioeceses sui quisque tractus regerent, lib. 1. *Semestr.* cap. 1. in fine. Sic Præfectos sex constituit, ultra eos, quos in Comitatu Principis ponit. Sed pace tanti viri dixerim, nullus alius Præfectus Occidentis fuit quàm Italiæ & Galliarum: nulli post Constantini mutationem in Comitatu Principis fuerunt, quàm ex eorum numero, qui tractus eos quinque administrarent.

Comitatus Principis est Aula Principis aut Cæsaris [1]: qui tamen absolutè ad Principem refertur, non ad Cæsarem, non ad majores Judices, vel ipsos Prætorio Præfectos. Hinc Comitatus sacer vocatur, in quo miles, qui ignominiæ causâ missus est, agere non potest [2]. Contrà verò filiusfamil. Equestri militia exornatus, & in Comitatu Principis retentus, cingi confestim jussus, testamentum de castrensi peculio facere potest [3]. Comitatus autem est ubi Princeps est, & qui illius obsequio in Comitatu deputati sunt, præsentes, præsentales, in præsenti esse dicuntur [4]. Præsentales enim sunt, qui Principem præsentem comitantur [5]. Sic Magistratus in præsenti dicuntur esse, qui aliquo in loco præsentes sunt, ut, si res exigat, testimonium dicant [6].

In Notitia Magistros militum & Equitum præsentales agnoscimus; nos diceremus, *sont en quartier :* Præfectos Prætorio præsentales non legimus. Sed Notitia ad Constantini tempora referri debet, quibus Præfecti Prætorio in suis tractibus degebant, nec ad Comitatum Principis, nisi ab eo essent evocati, venire consueverant. Prioribus quidem temporibus Præfecti, qui duo, vel tres perpetuò Principem comitabantur, unáque jus reddebant, ut ex Papiniani libro vicesimo Quæstionum probatur, qui Præfectis Prætorio, quibus adsidebat, suasisse se dicit, *heredem fructus præteritos puellæ cuidam restituere debere, quòd lubrico tutelæ, fideicommissi remedium mater prætulerat* [1].

Præsentem tamen Præfectum Prætorio narrat Ammianus Marcel. *Thalassius ea tempestate Præfectus Prætorio præsens, non maturitate*, inquit *lib.* 14. *vel consiliis mitigabat iras Principum.* Præsentem Thalassium fateor, non præsentalem, qui ad Comitatum evocatus præsens esse & dici potuit. Sic Sallustius Præfectus Præt. præsens dicitur dum in Comitatu Principis esset, cùm tamen, ut idem Ammianus testatur *lib.* 23. Galliarum Præfectus esset: nam præsentales, qui à latere Principis non discedebant, Duces erant armati, quales sunt militum Magistri. Theophylactus Simocat. *lib.* 1. Τὴν τῦ πρεσεντίου τὴν παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένην ἔνοπλον ἡγεμονίαν τιμήν.

Præfectis Præt. Principes, prout illis videbatur, successores dabant: qui alios honoribus ornatos dimittebant, alios non sine ignominia exauctorabant. Fuit aliquando tempus, quo Princeps Præfectum non submoveret, nisi ipse Magistratu se abdicaret. Quare cùm Hadrianus Tatiano Præfecto Præt. successorem dare non posset, quia non petebat, id egit, ut peteret, Spartianus in *Hadriano.* Commodus Tarruntenum Paternum Præfectum Præt. qui de re militari libros conscripsit perelegantes [2], cum laticlavii honore, hoc est, Senatoria dignitate, à Præfectura removit, Lamprid. in *Commodo* : nam ante Alexandri Constitutionem Præfectus Prætorio Senator esse non poterat. Quare anteriores Principes, si successorem Præfecto dare vellent, laticlavium eidem per libertum submittebant, ut in multorum Principum vita Marius Maximus annotavit, Lampridius in *Alexandro.*

Fuere tamen quidam Præfecti Prætorio, qui latum clavum perpetuò gestarent, nec tamen Senatores essent: ut Plautianus sub Severo, illo perpetuo usus est, & in secundis Consularibus numerabatur: Herodianus *lib.* 3. Σχῆμά τε ᾧ προήει ἠμφίεστο γὰρ τήν τε πλατύσημον ἐσθῆτα, ἔν τε τοῖς δευτέροις ὑπατεύσασιν ἐτέτακτο. Sed laticlavii perpetuò gestandi auctoritas inter priores dignitates atque inter ornamenta habebatur; nec tamen Senatorem faciebat: nam & Senatorum filiis latum clavum induere permisit Augustus, cùm tamen Senatores non essent, Suetonius in *Augusto* cap. 38. Sic non ita pridem in Senatu Parisiensi, nobiliores & emeriti Patroni, togam purpuream ut Senatores gestabant, qui tamen non erant Senatores.

Differt enim honor laticlavii ab illius ornamento. Antoninus Pius Præfectos suos locupletavit, & ornamentis Consularibus donavit, Capitolinus in *Antonino Pio.* Hæc quidem ornamenta fuere trabea, stola Consulum, latis clavis distincta, scipio, calcei aureati, Sella Curulis, à Principe data aut permissa [3]. Trabeam, tunicam palmatam à latitudine clavorum dictam Festus docet: qui trabeam Consularem palmatam vocat, in verbo *Picta.* Atque hæc ornamenta Consularia etiam insignia dicuntur, quæ Nero Asconio Labeoni, quo tutore usus erat, petivit à Senatu, Tacitus lib. 13. *Annal.* quæque eadem postea Senatus de-

1 L. 6. C. T. de malefic. & mathematic. 2 L. militis. §. missionem. D. de re militar. 3 L. filiusfamil. D. de militar. testam. 4 L. 13. C. de re militar. 5 Novel. 22. in fin. 6 L. ob carmen. §. 1. D. de testib.

1 L. 3. §. cùm Pollidius. D. de usur. 2 L. officium. § patronus. D. de re milit. 3 L. 2. C. de consulib. & non sparg.

A decrevit Primo Antonio, qui Vespasiani partes secutus erat; ut Cornelio Fusco, & Arrio Varro Prætoria, Tacitus 4. *Histor.* Inscriptio vetus Romæ, pag. 375. 1.

BASSAEO. M. F. RVFO. PR. PR
IMP. AVRELI. ANTONINI. L. AVREL.
VERI. ET. AVREL. COMMODI. AVGG.
CONSVLARIBVS. ORNAMENTIS. HONORATO.

B Singulares litteræ PR. PR. Præfectum Prætorio designant; cui hæc collata sunt ornamenta, quæ M. Tullius dignitatis vocat pro *Marc. Marcel.* Dio *lib.* 36. τιμὰς ὑπατευτικάς. Et ne quid omittamus, quod ad istos honores pertinet, perquirendum est, quid sit in secundis Consularibus numerari. Consulares primi aut secundi, ni mea me conjectura fallit, sunt primæ in Senatu aut secundæ sententiæ. Hoc ut ita credam, Trebellii Pollionis auctoritas facit in *Pisone Tyranno*, qui Aurelium Fuscum primæ sententiæ Consularem prodit. Huic adstipulari videtur Spartianus in *Hadriano*, cùm Hadrianum Serviano sororis viro
C tertium Consulatum concessisse dicit, ne esset secundæ sententiæ. Putat Casaubonus primæ aut secundæ sententiæ dictos Senatores propriè, qui primi sententiam rogarentur; primasque sententias rogari Consules designatos, aut si hi nulli essent, Princeps Senatus: nam primæ sententiæ Senator & Princeps Senatus illi tantumdem valent. Quod si ita est, qui fuerint primæ sententiæ Consulares, qui Consules designati dici non possunt, nullo modo intelligi potest. Multa congerit Casaubonus, ex quibus nihil omnino ad primæ vel secundæ sententiæ Consulares. Nos ut il-
D lud intelligamus, observandum esse duco, sententiarum rogandarum ordinem in Senatu, ante Hadriani tempora, quem Agellius amplè descripsit. Nam *aliàs*, ait ille *lib.* 4. *cap.* 10. *Princeps Senatus primus rogabatur sententiam: aliàs qui designati Consules erant: quidam ex Consulibus studio aut necessitudine aliquà adducti, quem iis visum erat extra ordinem, sententiam primùm rogabant. Observatum tamen est, cùm extra ordinem fieret, ne quis quemquam ex alio quàm ex Consulari loco, sententiam primum rogaret.* Ante M. Fabium Ambustum Princeps Senatus non invenitur. Vna in Fabiorum familia tres continuò Principes Senatus fue-
E runt, M. ille Fabius Ambustus, Fabius Rullianus filius, & Q. Fabius Gurges, Plinius lib. 7. *Histor.* cap. 41. Fabius Ambustus ex Fastis Consularibus lustro XXV. hoc est, anno ab V. C. CDXXXV. vixit. Sed post Vespasianum nulli Censores lecti, nullum lustrum conditum, nullus in posterum Princeps Senatus: sed Consulares, qui plures Consulatus gesserunt, primæ sententiæ fuerunt; qui pauciores, secundæ. Quod si fortè post Vespasianum Princeps Senatus quibusdam in Auctoribus legitur; impropriè accipiendum est, pro viro in Senatu maximæ auctoritatis & dignitatis; nam & Princeps dicebatur auctor sententiæ,
F quem Senatus sequebatur. M. Tullius pro *Cornel. Balbo*, *Harum ego sententiarum Princeps & auctor fui.* Ille idem *lib.* 15. *epist.* 15. *Ejus consilii Princeps videor.* Advertendum est tamen primam sententiam aliam aliquando habere significationem, ut ex eodem Tullio discimus: *Cùm*, inquit *lib.* 1. *epist.* 2. *sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut tres Legati Regem reducerent; secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres; tertia Volcatii, ut Pompejus reduceret: postulatum est ut Bibuli sententia divideretur.* Hic Julii Cæsaris Collega in Consulatu fuit. En prima, secunda, & tertia sententia, quæ nihil facit ad primæ vel secundæ sententiæ Consularem. Nec omittendum quod viri eruditi hac in re notarunt, Consulem, qui rogaret sententias, suam primùm aperire solitum. Clarè idem Tullius de Caleno *Philippica* 10. *Quæ est ista tua ratio, Calene? quæ mens? qui nunquam post Kal. Januar. idem senseris quod is, qui te sententiam primùm rogat?*

Venio ad Præfectos ignominiâ missos, aut sine causa destitutos. Quod à Commodo inventum est, qui primus tres Prætorii Præfectos introduxit, quos per horas & dies mutavit: fuit enim sub illo Martius Quartus Præfectus Præt. diebus quinque: cujus successores ad arbitrium Cleandri aut retenti sunt, aut occisi, Lamprid. in *Commodo.* Deinde Cleander Phryx cùm sub Præcone vænisset, & servitio in domum Imperatoris traditus esset, cumque Commodo ipso accrevisset, corporis custodiam, cubiculi curam & Præfecturam solus obtinuit, Herodianus *lib.* 1. Τήν τε τοῦ σώματος φρουρὰν, καὶ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν, τήν τε τῶν στρατῶν ἀρχὴν ἐγχειρισθῆναι. Hunc Commodus capite truncari jussit, & caput ejus amputatum contoque præfixum circumferri, voluptuosum atque optatum Populo spectaculum præbiturus, καὶ τὴν κεφαλὴν ἀποτεμὼν, δόρατί τε ἐπιμήκει ἐγκαταπήξας ἐκπέμπει, τερπνὸν καὶ ποθεινὸν τῷ δήμῳ θέαμα. In Cleandri locum Julianus & Regillus subrogati sunt, quos & ipsos postea Commodus pœnis affecit.

CAP. VI.

De Tractibus Præfectorum Præt. post divisionem Constantini.

ATque hæc nobis observata sunt de Præfectis Præt. in genere. Nunc singulorum Officia persequamur, secundùm divisionem à Constantino factam. Hic duos Præfectos Præt. in Oriente constituit; unum Orientis, alterum Illyrici. Duos in Occidente; Præfectum Prætorio Italiæ, Præfectum Galliarum, quibus suos tractus assignavit. Tractus Glossis veteribus κλίμα. Clima autem propriè est in cælo plaga seu regio duobus interjecta parallelis, à verbo κλίνω, hoc est, *inclino*, quòd certo spatio inclinetur ad polum, sive declinet ab æquatore. Tractum interpretatur Servius 2. *Georgic.* regionem aut plagam. Plaga autem, ait Nonius Marcellus ex Varrone, est cæli vel terræ immensum spatium, quod quidem suo ambitu Diœceses, aut regiones varias complectitur. Regiones non eo sensu dicimus, quo Auctores limitum, qui eas intra fines singularum coloniarum aut municipiorum includunt, in quibus Magistratibus jus dicendi coercendique est libera potestas, & propriè dicuntur Territorium, Siculus Flaccus *de conditionibus agror.* sed Regio latiùs pro Provincia, & aliquando pro Diœcesi sumitur, ut notat Bertherius lib. 1. *Pithan.* cap. 2.

Diœcesis multarum Provinciarum numero constat; Tractus, multarum Diœcesium. Tractus propriè à Præfectis Præt. Diœceses à Spectabilibus, Provinciæ à Clarissimis regebantur. Tractus ergo Diœceses omnes & Provincias, quæ sub Præfecti Præt. dispositione, comprehendebat.

Ex Constantini divisione Imperii Romani, Tractus quatuor constituti sunt, qui Præt. Præfectis assignati, Orientis scilicet, Illyrici, Italiæ & Galliarum.

Præfectus Præt. Orientis, numero Provinciarum, & auctoritate, primus appellatur, cujus quinque erant Diœceses, Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia, quas Diœceses ita Zosimus explicat *lib.* 2. Ægyptum cum Libyæ Pentapoli, & Orientem ad Mesopotamiam usque: Cilices præterea, Cappadoces, Armenios, oramque maritimam totam à Pamphylia Trapezuntem usque, & usque ad castella propter Phasidem sita, tradidit Constantinus. Eidem etiam Præfecto Thracia commissa & Mysia, Hæmi, ac Rhodopes, ac Doberi. Præterea Cyprum adjecit & Cycladas Insulas; Lemno & Imbro & Samothracia acceptis. Titulus est C. de Officio Præfecti Prætoriorum Orientis & Illyrici, qui legibus quinque compositus, quarum duæ priores sunt Alexandri Severi, quæ his duobus Præfectis convenire non possunt, cùm nondum instituti essent: sed Tribonianus eas leges ad Præfectos omnes retulit, quòd ab omnibus servari deberent.

Alter fuit Præfectus Prætorio in Oriente, qui Præfectus Illyrici nuncupatur: cui omnes Provinciæ Illyrici, quæ Macedoniâ & Daciâ continentur, subjectæ. Huic, ait Zosimus, Constantinus attribuit Macedones, Thessalos, & Cretenses, & Græciam, & circumjacentes Insulas, Epirum utramque & Illyrios, & Dacos, Tribalos, Pannonios ad Valeriam usque & Mysiam superiorem. Quod ex Notitia Imperii clariùs intelligitur. Nam Zosimus Diœceses à Provinciis non distinxit, ut in Notitia separantur, quæ sub Præfecto Orientis, cui Diœceses quinque paruerunt: quindecim Provincias enumerat in Oriente. Hæ sunt, Palæstina, Phœnice, Syria, Cilicia, Cyprus, Arabia, Isauria, Palæstina salutaris, Palæstina secunda, Phœnice, Libani, Euphratensis, Syria salutaris, Osdroëna, Mesopotamia, Cilicia secunda.

Ægypti, quæ Præfecto Orientis parebat, sex sunt Provinciæ, Libya superior, Libya inferior, Thebaïs, Ægyptus, Arcadia, Augustanica.

Asianæ Diœceseos sunt decem Provinciæ, Pamphylia, Hellespontus, Lydia, Pisidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Phrygia salutaris, Lycia, Caria Insulæ.

Pontica decem habet Provincias: quæ sunt, Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Pontus Polemiacus *, Helenopontus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutaris.

Thracia sex Provinciis componitur: hæ sunt, Europa, Thracia, Hæmimontus, Rhodope, Mœsia secunda, Scythia. Sicque Præfectus Præt. Orientis quadraginta septem Provincias administravit, ut non immeritò Oriens secundus orbis aliquando dictus sit.

Præfectus Prætorio per Illyricum, cujus sunt Diœceses duæ, sex rexit Provincias in Macedonia, quæ prima est Diœcesis; Achaiam, Macedoniam, Cretam, Thessaliam, Epirum veterem, Epirum novam, & partem Macedoniæ salutaris. Altera Diœcesis Dacia quinque habuit Provincias: illæ sunt, Dacia Mediterranea, Dacia Ripensis, Mœsia prima, Dardania Prævalitana, & pars Macedoniæ salutaris. Quæ sunt undecim Provinciæ: ideoque pauciores, quòd Illyricum duplex fuit, Orientale scilicet & Occidentale. Atque hoc Præfecto Præt. Italiæ attributum, cui præterea tota Italia & Sicilia, & circumjacentes Insulæ, Sardinia, Corsica, & Africa à Syrtibus Cyrenem usque, ex Zosimo.

At ex Notitia Imperii tres Præfectus Præt. Italiæ Diœceses habuit, Italiam, Illyricum & Africam.

* Vid. leg. *Polemoniacus*.

Provinciæ Italiæ decem & septem fuerunt: Venetiæ, Æmyliæ, Liguriæ, Flaminiæ, & Piceni annonarii, Tusciæ, & Vmbriæ, Piceni suburbicarii, Campaniæ, Siciliæ, Apuliæ, & Calabriæ, Lucaniæ, & Brutiorum, Alpium Cotticarum, Rhetiæ primæ, Rhetiæ secundæ, Samnii, Valeriæ, Sardiniæ, & Corsicæ.

Illyrici Occidentalis sex item Provinciæ: Panoniæ secundæ, Samiæ, Dalmatiarum, Pannoniæ primæ, Norici Mediterranei, Norici Ripensis.

Africæ septem Provinciæ fuerunt: ipsa Africa, Byzacium, Numidia, Mauritania Sitifensis, Mauritania Cæsariensis, Tripolis. Irrepsit inter Provincias Africæ in Notitia Præfectus annonæ Africæ, & Præfectus fundorum patrimonialium, qui malè inter Provincias collocantur: nam sex tantùm sunt Provinciæ, quas ex Inscriptione veteri vendico, pag. 361. 1.

L. ARADIO. VAL. PROCVLO. V. C
PROCONSVLI. PROVINCIAE. AFRICAE. VICE. SACRA. IVDICANTI. EIDEMQVE. IVDICIO. SACRO. PER. PROVINCIAM. PROCONSVLAREM. ET. NVMIDIAM. BYZACIVM. AC. TRIPOLIM.
ITEMQVE. MAVRETANIAM. SITIFENSEM. ET. CAESARIENSEM.

Proconsularis Africa à Proconsule; ceteræ Provinciæ à Consularibus, aut Præsidibus regebantur: sicque, si Notitiæ credimus, Præfecto Præt. Italiæ novem & viginti Provinciæ annumerantur.

Præfecto Præt. Galliarum adscribit Zosimus, Transalpinos, Celtas, & Hispanos, cum Insula Britannica. Notitia Imperii duas illi tantùm Diœceses tribuit, Hispaniam & Britannicam, omissâ Gallia; quod errori Librarii imputandum est: nam sub Galliarum Diœcesi decem & septem Provincias postea Notitia constituit, quæ sunt Lugdunensis prima, Germania prima, Germania secunda, Belgica prima, Belgica secunda, Alpes maritimæ, Alpes Penninæ & Graiæ, Maxima Sequanorum, Aquitania prima, Aquitania secunda, Novempopuli, Narbonensis prima, Narbonensis secunda, Lugdunensis secunda, Lugdunensis tertia, Lugdunensis Senonia, quæ in indice Dignitatum, in partibus Occidentis dicitur Lugdunensis Honorica.

Hispaniæ sunt Provinciæ septem, Bætica, Lusitania, Gallecia, Tarraconensis, Carthaginiensis, Tingitana, Baleares Insulæ.

Britanniarum Provinciæ quinque, Maxima Cæsariensis, Valentia, Britannia prima, Britannia secunda, Flavia Cæsariensis. Igitur Præfecto Italiæ quatuor & viginti Provinciæ datæ: Præfecto Galliarum novem & viginti. De Provinciis nos tomo 3. hujus Operis. Præfectorum munus in suo quoque tractu expendamus.

CAP. VII.

De Præfecto Præt. Galliarum.

Gallia florentissimum totius Orbis Imperium, patria charissima, cui æmula nuper Hispania semper paruit, hoc à me expetit, ut primùm ab illius Præfecto incipiam. Hic Zosimo τῆς αὐλῆς ἐν τοῖς ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔθνεσιν ὕπαρχος. Huic labante Imperio, ex Constitutione Imperatoris Honorii & Theodosii ad Agricolam, de agendo singulis annis Arelate conventu, septem Provinciarum potestas

ſtas data eſt. Imperatorum Conſtitutionem nobis Jacobus Sirmondus emendatiorem dedit *ad Sidonii epithalam. Polemii*: quam fruſtra vir magnus Conſtantino Tyranno tribuit, cujus deſidia in illa Conſtitutione notatur.

Arelas, poſtquam Conſtantinus quidam tyrannidem occupavit, facta eſt ab eo Galliæ Metropolis ac ſedes Præfecti Prætorio Galliarum. Nihil Conſtantino devicto mutavit Honorius, qui non potuit Galliarum Prætorium Treveris, quibus ademtum erat, reſtituere, cùm profligato Conſtantino illas tantùm Provincias receperit, quæ in Tyranni poteſtate remanſerant, Sozomenus *lib.* 9. *cap.* 15.

Septem autem Provinciæ dictæ ſunt, ut ſentit Bertherius lib. 1. *Pith.* cap. 5. non numero, ſed ex Tyranni deſignatione: ex qua factum eſt, ut quod remanſerat in Imperio, hoc nomine poſtea à reliquis Provinciis ſecerneretur. Ille tamen ſeptem Provinciarum nomina refert, Germaniam, Belgicam, Lugdunenſem, Aquitaniam, Narbonenſem, Viennenſem, Alpes. Sed Hincmarus *epiſt.*6. *cap.* 17. aliter ſeptem has Provincias numerat, Viennenſem, Lugdunenſem, Narbonenſem primam, Narbonenſem ſecundam, & Alpinam, & Novam Populanam, & ſecundam Aquitaniam. Quare ſeptem Provincias à numero denominatas arbitror, & Hincmaro aſſentior, ea maximè ratione motus, quæ ex hujus ævi Scriptoribus certò colligi poteſt: nam Conſtantio à Britannis rerum ſumma tradita eſt Honorio VII. & Theodoſio Coſſ. ut obſervat Zoſimus *lib.* 6. Ille Conſtantem filium in Hiſpaniam miſit, qui Apollinarem Præfectum Præt. ducem habuit. Barbari interea incolas Inſulæ Britanniæ, & quaſdam Celticas nationes redegerunt, ut ab Imperio Romano deficerent, & arbitratu ſuo viverent. Itaque Britanni ſumtis armis, & pro ſalute ſua periclitati, civitates ſuas à Barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totus ille tractus Armoricus, ceteræque Gallorum Provinciæ, Britannos imitatæ, conſimili modo ſe liberarunt, ejectis Romanis Præſidibus, propria quadam Republica arbitratu ſuo conſtituta. Hæc Britanniæ Gallicarumque gentium Defectio accidit quo tempore Conſtantinus tyrannidem uſurpabat: Οἵ τε οὖν ἐκ τῆς Βρεταννίας ὅπλα ἐνδύντες, καὶ σφῶν αὐτῶν προκινδυνεύσαντες, ἐλευθέρωσαν τῶν ἐπικειμένων Βαρβάρων τὰς πόλεις, καὶ ὁ Ἀρμορικὸς ἅπας, καὶ ἕτεραι Γαλατῶν ἐπαρχίαι Βρετάννους μιμησάμεναι, κατὰ τὸν ἴσον σφᾶς ἐλευθέρωσαν τρόπον, ἐκβάλλουσαι μὲν τοὺς Ῥωμαίους ἄρχοντας, οἰκεῖον δὲ καὶ ἐξουσίαν πολίτευμα καθιστᾶσαι· καὶ ἡ μὲν Βρεταννίας καὶ τῶν ἐν Κελτοῖς ἐθνῶν ἀπόστασις, καθ' ὃν ἐτυράννει χρόνον Κωνσταντῖνος, ἐγένετο.

Ex ſeptemdecim igitur Galliarum Provinciis, decem cum Britannis defecerunt: ſeptem aliæ, quæ non deſciverunt, ab Hincmaro deſignantur: qui rectè Conſtitutionem de agendo ſingulis annis Arelate conventu, Honorio & Theodoſio tribuit: falluntur enim qui Conſtantinum Tyrannum hujus Conſtitutionis auctorem putant, urbemque Arelatem Conſtantinam ab eo vocatam: nam Conſtantinus Magnus urbi Arelatenſium primus Conſtantiæ nomen impoſuit: & Conſtitutio data eſt Honorio XII. & Theodoſio VIII. COSS. poſt annum decimum devicti Conſtantini Tyranni.

Joſephus Scaliger lib. 2. *Auſonian. Lection.* cap. 24. ab his ſeptem Galliarum Provinciis Imperium illud Septimaniam vocatum putat: in quo valdè hallucinatus eſt: nam Septimanorum gens Narbonenſi Provincia concluditur: *In mediterraneo*, ait Plinius *lib.* 3. *cap.* 4. *Arelate Sextanorum*, *Biliteræ Septumanorum.* Bætiræ Ptolomæo Narbonenſis civitas Galliæ, vulgò *Beſiers*, Septimania vocatur, quòd Septimani legionis ſeptimæ milites pſeudo-Comitatenſes ibi morarentur. Straboni *lib.* 4. Biltera urbs benè munita, Narbonæ proxima. Unde Narbonenſis Provincia in Martyrum hiſtoriis Septimania vocatur, ut ipſe fatetur Scaliger: qui Septimania ſex Provincias includere, & ex ſeptem Provinciis unam facere fruſtra contendit.

De Conſtantini rebellione Sidonius *lib.* 5. *ep.* 9. *In Conſtantino inconſtantiam, in Jovino facilitatem, in Geroncio perfidiam, ſingula in ſingulis, omnia in Dardano crimina ſimul avi noſtri exſecrabantur.* Hi omnes Conſtantini ſceleris conſcii, tyrannidi favebant. De Apollinari Præfecto Præt. tacet Sidonius, quòd à Conſtantino illo Præfecturâ ſpoliatus ſit, Zoſimus *lib.* 6.

Veterem Inſcriptionem Scaliger protulit lib. 5. *de Emendat. tempor.* & quærit, quis ille ſit Conſtantinus, qui Honorii Collega fuit in VIII. Conſulatu; quod ignorare ſe non diffitetur. Credit vir omni litterarum genere præſtantiſſimus, hunc Conſtantinum Tyrannum fuiſſe, qui ſe cum Honorio Conſulem adſcripſit. Et verè ſuppoſita eſt illa Inſcriptio à Conſtantino ipſo vel quovis alio; cui Faſti Conſulares repugnant, quorum fides à nullo Auctore in dubium revocatur: nam Theodoſius Junior Collega fuit Honorii in VIII. Conſulatu, quo Conſtantini conjuratio deleta eſt.

Sed mirari ego ſatis non poſſum eorum imperitiam, qui Præfectum Præt. Hiſpaniarum ſomniant. In Martyrologio in perſecutione Diocletiani, Præfecto Hiſpaniarum Daciano, Leocadiam Virginem dirâ carceris cuſtodiâ maceratam legimus 9. Decemb. Sed Præfectum Dacianum non dicit. Prætorii & Præfecti nomen ſimpliciter prolatum, pro quovis Rectore Provinciæ accipitur, ut in eodem Martyrologio ſequenti die Dacianus Præſes dicitur. Nec me movet inſcriptio legis C. Theod. & Juſtin. quæ eſt Imperatoris Arcadii & Honorii ad Macrobium PP. Hiſpaniarum [1]. Hæc enim litterarum PP. geminatio ſine interpunctione Præſidem aut potiùs Proprætorem denotat. Et fallitur Lazius lib. 2. *Commentarior.* cap. 2. qui Præfectum Præt. his ſingularibus litteris ſignificari auguratur, ex Inſcriptione veteri apud Tarraconem, quæ una eſt ex ſeptem Provinciis Hiſpaniarum, quæque Præſidem ſeu Proprætorem ſortita eſt. Inſcriptionis verba ſunt, pag. 277. 7.

FORTISSIMO. ET. CLEMENTISSIMO
IMP. CAES. M. AVR. CARO
AVG. P. M. TR. P. COS. II
M. AVRELIVS. VALENTINIANVS
V. C. P. P. HISP. CIT. LEG. AVG. PR
PR. D. N. M. EIVS.

Interpretatur Lazius has litteras PR. PR. Præfectum Prætorio Hiſpaniæ, qui ſeipſum coarguit ex alia Inſcriptione, pag. 278. 1. quam eadem pagina ſubjicit:

FORTISSIMO. ATQVE. CLEMENTISS
IMP. CAES. M. AVRELIO. CARO
INVICTO. AVG.
M. AVRELIVS. VALENTINIANVS. V.
C. LEG. AVGG
PRO. PR. PROVINCIAE. HISPANIAE
CITERIORIS

 Hæ

1 L. 3. C. de proxim. ſacror. ſcrin. & l. 15. C. T. eod.

Hæ ergo litteræ Proprætorem apertè significant, & ineptum esset Præfectum Præt. Provinciæ uni affingere. Ego quidem ut mihi ignosci cupio, quantum in me est, aliorum errores tego, aut ita detego, ut illis injurius non sim. Quare lubens Lazii in Romana historia lapsum silentio præterirem, ni tantus esset, ubi de Præfecti Prætorio loquitur, ut dissimulari nullo modo possit. Hos à Regibus institutos scribit, *quo tempore*, inquit lib. 2. *Commentar.* cap. 2. *Judicio & militibus præfuerunt.* Quis hoc non rideat? nam Præfectum Prætorio ab Augusto creatum, tonsoribus notum. Sed ecquis ferat hominis insomnia, cùm ait *lib.* 2. *cap.* 1. *Prætor Comitatus Augustalis, qui & Palatinus dicebatur, & Præfectus Prætorii in Aula jus dicebat. Ab eo*, inquit, *Prætoriani milites sive Cohortes Prætorianæ nominatæ sunt, quibus Imperatoris Prætorium inclinante Imperio sepiebatur. Ipsa verò castra Prætoria ab uno quopiam regebantur, qui Præfectus Prætorianorum vocabatur, magno apud Romanos loco, Magistratus alius omnino à Præfecto Prætorio.* Hæc quidem non Reipublicæ Romanæ Commentaria, sed ægri hominis commenta dixerim. Numisma est pulcherrimum Galbæ Imperatoris, in quo Gallia & Hispania dextras jungunt; sed Gallia loco honoratiore depicta, illique Hispania inferior [1]. Et Gallia Præfectum Præt. habuit, nusquam Hispania. Tiberianus vir disertus, sub Constantino, fuit Præfectus Præt. Galliarum, Hieronymus *in Eusebii Chronic.* Trajanus vir elegans sub Constantio, Constante, & Constantino. Honoratus sub iisdem Imperatoribus Expræfecto Prætorio Galliarum, primus Constantinopoleos urbis Præfectus factus est. Florentius sub Juliano, cui Parisiis agenti salubre consilium dedit, ut Gallorum animos à defectione revocaret, Ammianus Marcellinus *lib.* 17. Tandem omnia in Galliis conturbata: nam Aëtio Imp. cæso *Pæonius quidam obscuris parentibus in municipio natus, unus inventus est qui vacante Aula, turbata Rep. ad Gallias administrandas fascibus priùs quàm codicillis ausus accingi, mensibus multis, tribunal Illustrium potestatum, Spectabilis Præfectus adscenderit*, Sidonius *lib.* 7. *epist.* 12. Ante Pæonium Ferreolus, qui postea Arelatensis Episcopus factus est, Galliarum Præfecturam gesserat, cùm maximè incolumes essent. Triplices Præfecturas tribuit Sidonius Syagrio, cujus Ferreolus ex filia nepos erat. Triplices has Præfecturas à Sidonio dictas credit vir doctissimus, quia tribus annis Galliarum Præfecturam Syagrius continuasset. Sed huic sententiæ Sidonius ipse reclamat. Hic enim ubi de Arvando Præfecto Præt. Galliarum majestatis damnato loquitur: *Præfecturam primam*, inquit *lib.* 1. *epist.* 7. *gubernavit cum magna popularitate. Deinde confestim privilegiis geminæ Præfecturæ, quam per quinquennium repetitis fascibus rexerat, exauguratus publico carceri adjudicatus est.* Si Præfecturæ annorum numero computarentur, Arvandus Præfecturas quinque gessisset, qui geminas tantùm gessit repetitis fascibus, atque iterum Præfectus Præt. factus. Tres ergo Præfecturas Syagrii non ad triennii administrationem refero, sed ad varias Præfecturas aut repetitas, quæ diversis temporibus illi commissæ sunt: ut tituli legum testantur, in quibus scriptum est, *Ad Syagrium P R. P.* id est, Præfectum Prætorio [2], sine adjectione Galliarum aut alterius tractus: quî fit, ut illum Præfectum Prætorio Italiæ conjiciam. Prima Præfectura Italiæ Syagrii fuit sub Imperatoribus Valente, Gratiano & Valentiniano, Valente VI. & Valentiniano II. COSS.

1 Figura nummi Anton. Augustin. lib. 3. *Numismat.* fol. 87. 2 L. 4. C. T. de desertorib. & occultatorib. & 4. l. 38. C. T. de appellationib.

Secunda illius, ejusdem Italiæ Præfectura fuit sub Gratiano, Valentiniano, & Theodosio, longo postea intervallo, Ausonio & Olybrio COSS. Sic duæ Præfecturæ Syagrii in Italia, & una Galliarum. Quibus perfunctus, ex Fastis Consularibus, duos Consulatus gessit, unum cum Eucherio, alterum cum Autonio. Hanc nostram de triplici Præfectura Syagrii sententiam firmat vetus Inscriptio Romæ, pag. 450. 3.

SEXTO. PETRONIO. PROBO
PRAEFECTO. PRAETORIO. QVATER
ITALIAE. ILLYRICI. AFRICAE
GALLIARVM

Non prætermittendum est, unum & eundem aliquando duas simul Præfecturas Præt. administrasse, ut Valeriani Imperatoris Epistola ad Ragonium Clarum Præfectum Præt. Illyrici & Galliarum declarat: & alia Inscriptio Romæ, pag. 1102. 2.

VETTIO. AGORIO. PRAETEXTATO
PRAEF. PRAETOR. II
ITALIAE. ET. ILLYRICI

Inscriptiones legum C. T. plurimæ ad Præfectum Illyrici & Italiæ [1], ut Justiniani temporibus Joannes Præfectus fuit Prætoriorum per Orientem, quod est Orientis & Illyrici. Hinc ad eum missa sunt responsa non tantùm ad Orientalem, sed etiam ad Illyricianam advocationem, ut Cujacius annotavit *ad inscription. Novell.* 27. & 28.

CAP. VIII.

De Præfecto Prætorio Africæ, & de omni ejusdem Diœceseos statu.

AFrica, quæ per annos nonaginta à Vandalis oppressa, tandem à Justiniano Imperatore restituta est, Præfecturam propriam habuit, sicut Oriens & Illyricum [2]. Atque huic dignitati Archelaum primum Justinianus præfecit. Hic vir fuit ex gente patricia, & Prætorii Præfecturâ antea decoratus: tunc verò in exercitu Quæstor, id est, sumtuum dispensator: Procopius lib. 1. *de Bello Vandalico*: Ἐστέλλετο δὲ καὶ Ἀρχέλαος ἀνὴρ ἐς Πατρικίους τελῶν, ἤδη μὲν τῆς Αὐλῆς ὕπαρχος, ἔν τε Βυζαντίῳ καὶ Ἰλλυρικῷ γεγονὼς, τότε δὲ τοῦ στρατοπέδου καταστὰς ὕπαρχος, οὕτω γὰρ ὁ τῆς δαπάνης χορηγὸς ὀνομάζεται.

Africa autem in septem Provincias divisa est, quarum Tingi, quæ Proconsularis antea vocabatur, Carthago, Byzacium ac Tripolis, Rectores habuere Consulares: reliquæ verò, id est, Numidia, & Mauritania, & Sardinia, à Præsidibus gubernatæ. Sic status Africæ per Justinianum immutatus, quæ antea Proconsularis Provincia per excellentiam dicebatur, sola in partibus Occidentis.

Ex Notitia Imperii, duos Consulares habebat Africa, Byzacii & Numidiæ: Præsides duos, Mauritaniæ Sitifensis & Tripolitanæ. Sed Justinianus sex Provincias in septem partitus est. Nam Carthaginensis vel Zeuzitana, quæ Proconsuli parebat, ut Byzacium & Tripolim, Consulares fecit: Numidiam, Mauritaniam, & Sardiniam Præsidales. Nec dubium Tingitanam, quæ vigente Occidentis Imperio Hispaniis attributa erat, Afri-

1 L. 2. de constitut. Principum. l. 13. de pœn. C. T. l. 6. de contrah. empt. l. 51. de appellationib. eod. 2 L. 1. C. de offic. Præfect. Præt. Afric.

fricanæ Præfecturæ restitutam, ut Bertherius scribit lib. 1. *Pith.* cap. 5.

Notitia Præfecti Prætorio Africæ, cùm ad Præfectos Prætorii ceteros porrigi possit, à nobis tractanda est: cujus quidem difficilis prima fronte interpretatio. Quare integra hîc subjicienda est, & ex ipso Justiniani C. repræsentanda, & magno labore elucidanda. Notitiam hîc voco brevem, seu libellum, in quo descriptio Officialium, administrationis cujusque & annonæ seu emolumenta continentur. Notitiæ species variæ fuerunt, quæ cum Imperii Notitia nihil habent commune: hæc enim est publica Magistratuum & Officiorum Imperii nomenclatura. Sed fuit præterea Notitia scriniorum. Notitia quantum quisque Magistratus per Codicillos solvere debeat. Notitia eorum quæ decreta sunt ab Imperatore Tribunis militum. Notitia Ducum & Limitaneorum, Consuetudinum, Scholarium, Artificum: de quibus nos aliquando. Venio ad Notitiam Præfecti Præt. Africæ, quæ à Justiniano ita concepta est:

In Officio, inquit[1], *tuæ magnitudinis, nec non pro tempore Præfecti Præt. Africæ, trecentos sexaginta sex viros per diversa Scrinia & Officia militare decernimus. In Officiis verò Consularium aut Præsidum quinquaginta homines per singula Officia. Quæ verò emolumenta sint Præfecti Africæ, & quæ Consulares & Præsides, & quod unusquisque, ex Officio eorum de publico consequi debeat, Notitia sic declarat.*

Pro Annonis & capitu pró tempore PP. per totam Africam, auri libras centum. Pro annonis Consularium auri libras XX. *Pro annonis Cancellariorum auri libras* VII. *Item Officiis ejus ita. In Scrinio primo hominibus decem, pro annonis* XVIII. *pro capit. solid.* XII. *fiunt solid.* CXLVIII. *Item numerario pro annonis sol.* V. *& pro cap. sol.* IIII. *fiunt sol.* XLVI. *Secundo pro ann.* III. *annuos sol.* V. *& pro cap. sol.* II. *can. sol.* V. *& pro cap. sol.* IIII. *fiunt sol.* XVI. *Tertio verò & quarto ad annon.* L. *ann. solid.* V. *& ad cap.* L. *can. sol.* IIII. *fiunt* XXIIII. *Reliquis tribus ad ann.* L. *ann. sol.* V. *& ad cap.* L. *can. sol.* IIII. *fiunt sol.* XXVIIII. *In Scrinio secundo ut suprà scriptum est. In Scrinio tertio ut suprà scriptum est. In Scrinio quarto ut suprà scriptum est.*

In Scrinio primi Scrinii, quod est Subadjuvæ, hominibus X. *ann.* XIIII. *cap.* XII. *fiunt sol.* CXVI. *S. Ita primi Scrinio pro ann.* III. *ann. solid.* V. *& pro capitu* II. *capitu sol.* IIII. *fiunt sol.* XXIII. *Secundo pro ann.* II. *ann. solidi, ut suprà scriptum est, & pro cap. capit. solid. ut suprà scriptum est, & fiunt solidi* XVI. *Tertio & quarto pro ann.* I. *annona solidorum, ut scriptum est, & pro cap.* I. *cap. solidorum, ut suprà scriptum est, fiunt solidi* XXIII. *Reliquis hominibus* VI. *ad annon.* I. *annona solidi* V. *& pro capitu capit. solidi* IIII. *fiunt solidi* LVIII.

In Scrinio Commentariensis hominibus XII. *ann.* XVII. *capitu* IIII. *fiunt solidi* CLIII. *Primo Commentariensi ann.* III. *solid.* V. *pro cap.* II. *capitu sol.* IIII. *fiunt solidi* XXIII. *Sequentes homines* III. *ad ann.* II. *sol.* V. *pro capitu* II. *capit. sol.* IIII. *fiunt solidi* XLVIII. *Reliqui omnes* VIII. *ad ann.* I. *ann. sol.* V. *& capit.* I. *capit. sol.* IIII. *fiunt solidi* XXVII.

In Scrinio ab actis hominibus X. *ann.* XIIII. *cap.* XII. *solid.* CXVIII. *Ita primo ann.* III. *pro ann.* I. *solid.* VI. *cap.* II. *cap. sol.* IIII. *fiunt sol.* XXXII. *Reliquis* XVII. *ad ann.* I. *sol* V. *ad cap.* I. *cap. sol.* VIII. *fiunt solid.* LXIIII.

In Scrinio libellorum hominibus VII. *ann.* VI. *cap.* VI. *fiunt solidi* V. *pro cap.* II. *cap. solid.* IIII.

[1] L. 1. C. de offic. Præfect. Præt. Afric.

A *fiunt solidi* XVI. *Secundo* II. *pro ann. solid.* X. *pro capitu* I. *sol.* IIII. *fiunt solid.* XII. *Reliquis hominibus* IIII. *ad ann.* I. *sol.* V. *ad capitu* I. *sol.* IIII. *fiunt solid.* XXXVI.

In Schola exceptorum hominibus; in Schola singularium; in Schola mittendariorum; in Schola Cursorum; in Schola Nomenculatorum; in Schola Stratorum; in Schola Prætorianorum; in Schola Draconariorum; in Scrinio operum hominibus; in Scrinio arcæ; in Schola Chartulariorum. Statuta eadem stipendia in Notitia expressa sunt.

Grammaticis hominibus II. *ad ann.* X. *& ad capit.* II. *ad solidos* LXX. *sortitas. Oratoribus hominibus* II. *ad ann.* X. *cap.* V. *ad sol.* LXX.

B Hæc pro dispendiis civilibus Judicibus Africæ, eorumque Officiis, id est, tam Scriniariis amplissimæ Præfecturæ, quàm Cohortalibus, Edictis publicis innotescere jubet Justinianus.

CAP. IX.

Notitiæ Præfecti Prætorio Africæ interpretatio. Et primùm de annonis & capitu.

C NOtitiam paulò ampliorem subjecimus, quoniam nullum in ea verbum est, quod interpretationem non desideret. Primum Notitiæ caput est de Annonis & Capitu, de quibus titulus est singularis in Justiniani *C. de Annonis & Capitu administrantium vel Adsessorum, aliorumve publicas solicitudines gerentium, vel eorum qui aliquam consecuti sunt dignitatem.*

Annonarum institutionem antiquissimam ex M. Tullio discimus, qui annonas Prætoris Siciliæ, *frumentum in cellam* vocat: quòd in certo frumenti D numero præberentur, Asconius *in Divinat.* Has annonas, sive frumentum quod Magistratibus præbebatur, in suos usus licebat æstimare, & pretium pro frumento accipere. Quod ipse Tullius clarè lib. 3. *in Verrem*: „Ab Aratore, *inquit*, „hoc profectum est primùm, ut ab ea civitate, „cui imperabatur, cùm aut frumentum vendidis„set, aut servare vellet, aut in eum locum quò „imperabatur, portare nollet: petivit in beneficii „loco & gratiæ, ut sibi pro frumento, quantum „frumentum esset, dare liceret. Ex hujusmodi „principio atque ex liberalitate atque accommo„datione, Magistratuum Consuetudo æstimatio-E „nis introducta est. Secuti sunt avariores Magistra„tus, instituerunt semper ad ultima & difficilli„ma loca apportandum frumentum imperare, ut „vecturæ difficultate, ad quam vellent æstima„tionem, pervenirent. Concessum est enim Ma„gistratibus, ut iis quo loco velint accipere fru„mentum liceat. *Deinde*, totus hic quæstus æsti„mationis, ex annonæ natus est varietate. Hoc „enim Magistratus in Provincia assequi potest, „ibi accipere, ubi carissimum est. Deinde semel „ab annonæ ratione, ab aratorum voluntate, res „ad libidinem Prætoris translata est: non est jam F „in lege atque in officio, sed in voluntate hominum „atque audacia positus modus æstimandi.

Quod cellæ nomine frumentum imperare, vel in cellam dicitur, est etiam pecuniam cellæ nomine cogere. Hinc & à cella Cellarienses species dictæ, quæ & à Cellariis dividerentur, Lamprid. in *Elagabalo*. Cella, Cellarium quod est ταμεῖον, à reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur, Donat. *ad Terentium in Adelph.*

Annonæ ergo in speciebus, vel in æstimatione præstabantur. Quæ in speciebus consistunt, in frumento, vino, oleo, pane, carne, sale præbentur.

bentur. At in Africa in larido, ungulis, orisque summitatibus, ne porcina integra separetur [1]. Annonæ verò æstimatio recentioribus Imperatoribus adæratio dicta est; & adærare est ære seu pecunia æstimare, quod in annonis inferebatur: quæ adæratio Græcis ἀπαργυρισμός. Adæratione autem semel pro annonis constituta, non jam annonæ ipsæ, sed pretia duntaxat præstari debent [2], atque hæ annonæ ærariæ dictæ. Capitum autem est jumentorum, ut annona hominum [3]. Est enim capitum alimentum, quod pecoribus subministratur [4].

Annonæ civilis erogatio penes Præfectum Præt. fuit, τῶν σιτήσεων ἐποιεῖτο ἐπιδόσεις, Zosimus *lib.* 2. Hinc audax & insolens illa vox Domitii Præfecti Præt. ad Gallum Cæsarem: *Proficiscere*, inquit, *ut præceptum est, Cæsar, sciens quòd si cessaveris, & tuas, & Palatii tui propediem cessare jubeo annonas*, Ammianus Marcel. *lib.* 14. Capita autem sunt fœnum & paleæ, quæ in ipsis speciebus inferri debebant [5]: sed hoc à Justiniano aliisque Principibus correctum, qui annonas & capita pecuniâ æstimarunt, ut ex hac Præfecti Africæ Notitia comprobatur, cui pro annonis & capitu auri libras centum constituit.

Libra auri ex Budæo non minùs centum aureis solatis æstimari potest, lib. 5. *de Asse*: sicque Præfecti Prætorio Africæ emolumenta, decem aureorum millia valent. Pro capitu autem scriptum est, non pro capito, V. pro O more Veterum commutato, qui hoc genus nominum aliter scribebant, aliter enuntiabant: nam cùm per O scriberent, per V tamen pronunciabant, Velius Longus *de Orthograph.*

Sequitur in Notitia, *pro annonis Consularium auri libras* XX. Quidam Codices legunt, *pro annonis Consiliariorum centum viginti, auri libras* XX. Centum quinquaginta Adsessores Præfectum Præt. habuisse, suprà notabamus [6]. Centum & viginti Præfectum Præt. Africæ in consilium assumsisse probabile est, & mendosam Codicis vulgatam lectionem, in qua *Consulares* pro *Consiliariis* irrepserunt: nec enim Consularium mentio fieret in Notitia, omissis Præsidibus: nec rectè inter eos continerentur, qui in consilio Præfecti adsidere debent. Quod ex titulo C. Justiniani clarum est, *de annonis & capitu administrantium vel Adsessorum, id est, Consiliariorum.* Quibus singulis auri libræ XX. pro annonis & capitu constitutæ sunt, quæ aureorum duo millia faciunt: magna enim Adsessorum Præfecti Præt. dignitas fuit, qui & ipsi ad Præfecturam plerumque vocabantur. Atque hîc iterum advertendum est, Consiliarios seu Adsessores, Judices civiles in fine Notitæ appellari, nec inter Officia computari, quos ideo Præfectianos dici meritò denegamus: nam ut Notitia annonas illorum constituit separatim, addit deinde: *Item Officiis ejus ita sunt, quæ illa Officia tàm Scriniariorum quàm Scholarium.*

Pro annonis Cancellariorum auri libras VII. Hi sunt propriè quales à secretis Principum Tribuni & Notarii: qui à secretis Præfecti Præt. & Judicum Cancellarii dicuntur, qui quidem nec inter Officia, id est, inter Præfectianos numerantur, sed inter eos qui publicam sollicitudinem gerunt, & in dignitate sunt constituti. Sic vocati quòd intra cancellos scribendis & expediendis Epistolis, jussionibus, Edictis, relationibus, responsis, sententiis Judicum operam darent.

1 L. 2. C. T. de erogat. militar. annon. 2 L. 13. & 15. C. eod. 3 L. 17. C. T. eod. 4 L. 3. C. T. de curs. public. 5 Novel. 128. 6 Ex l. 11. C. de advocat. divers. judicior.

A

CAP. X.

De Annonis & Capitu Officiorum Præfecti Prætorio per Africam, & de Scriniis.

NOtitia sic concepta est: *Item Officium ejus ita. In Scrinio primo hominibus decem pro annonis* XVIII. *pro capit. sol.* XII. *fiunt sol.* CXLVIII.

Officia Præfecti Præt. per Italiam in Notitia B Imperii hæc sunt: Princeps, Cornicularius, Adjutor, Commentariensis, Ab Actis, Numerarii, Subadjuvæ, Cura Epistolarum, Regendarius, Exceptores, Adjutores, Singularii. Quæ eadem Galliarum Præfecto tribuuntur, ut Orientis & Illyrici, quibus Numerarii quatuor, atque in iis, unus auri, unus operæ vel Operarius & Subadjuva. Sunt & alia Officia, quæ in Notitiis non habentur, ut Cornicularius qui egreditur, Cornicularius qui accedit: Primiscrinius qui egreditur, Primiscrinius qui accedit: Scriniarius Actorum, Scriniarius Curæ militaris: Primicerius Exceptorum: Sextus Scholarium: Prærogativarius: C Primicerius Deputatorum: Primicerius Augustalium: Primicerius Singulariorum qui egreditur, & qui accedit, Cassiodorus 11. *Variar.* 18. & 19.

Inter Præfecti Prætorio Officia sunt etiam Domesticus Protector, Agens in rebus, Palatinus utriusque Officii, Comes Illustrium. Qui omnes verè Præfectiani & Officiales. Sunt præterea Lampadarii & Præcones [1], qui inter Apparitores numerantur [2]. Officium pro apparitione plurimùm ponitur, & Apparitores propriè Officiales [3]. Vnde in nostra Gallia plerisque in locis, Apparitores vulgus vocat *Officiers.*

D Inter hos nonnulli sunt, qui ceteros antecedunt, variisque privilegiis gaudent: quales sunt Cornicularii, Primiscrinii, Numerarii, qui post missionem adorant purpuram Principis, & immunitatem consequuntur, tàm civilium quàm militarium indictionum [4]. Apud Ammianum Marcellinum *lib.* 16. offendo Præfectum Apparitionis Præfecturæ Prætorianæ. Præfectus ille est, qui aliis præest, quem Primicerium rectè dixerim, πρῶτον τῆς τάξεως. Apparitor τάξις, Apparitores ταξεῶται [5].

Lapsum Budæum Cujacius notat lib. 6. *Observat.* cap. 6. qui τάξιν ἱππάρχων vertit *Apparitorem* E *Præsidum*: ἵππαρχοι enim Præsides non sunt: nec ἵππαρχος in Pandectis legitur: quod quidem verum est; nam Magister militum, qui à Constantino institutus est, in Pandectis non invenitur; sed passim in Codice, in quo titulus est de Apparitoribus Magistrorum militum: & Numerarios apparitionis Magistri Equitum apud Ammianum Marcellinum legimus *lib.* 19.

Quadringentos habuit Apparitores seu Officia Proconsul [6], Comes Orientis sexcentos. At Præfecto Præt. pauciora in hac Notitia Officia numerantur, inter quæ nullus Princeps, nullus Cornicularius, Cura Epistolarum, Regendarius, Ad- F jutor; qui aliis Præfectis Prætorio apparebant. Ait enim hæc nostra Notitia: *In Scrinio primo hominibus decem pro annonis*, &c. Primicerium decem usque numero subsequuntur [7], qui Δεκάπρωτοι *Decemprimi* stipendio ceteris præstant [8]. Sunt Decem-

1 Julian. Antecess. Novel. 88. 2 Novel. 41. 3 L. 1. C. de filiis Official. 4 L. fin. C. de Apparitorib. Præfect. Præt. 5 Lib. 7. Βασιλικ. tit 17. 6 L. 2. C. de Apparitorib. Proconsul. 7 L. 10. C. de domestic. & protectorib. 8 L. 1. C. T. de præpositis laborum.

cemprimi Domesticorum, Decemprimi Scholarum[1]. Horum periculo distributiones & exactiones censuum fiunt[2], & fiscalia detrimenta resarciunt[3]. Hi pro annonis & capitu solidos CXLVIII. capiunt. Solidus aureum nummum significat, qui tamen ex Scrinio non pendebatur: nam Scrinium primum, secundum, tertium, & quartum aliam habet significationem.

In Notitia dignitatum, tàm Orientis quàm Occidentis, quatuor Scrinia referuntur; Memoriæ, Epistolarum, Libellorum, & Dispositionum. Quæ Scrinia sacra vocantur, ex quibus annotationes, Pragmaticæ sanctiones, Rescripta Principis, Cognitiones & preces eduntur, reponuntur, & servantur. Quæ Scrinia Principis perennitatis, Augusta Symmachus vocat *lib.* 10. *ep.* 37. 46. & 83. *Causas publicas à Scriniorum Principibus Jurisque peritis Alexander tractari ordinavit, quorum primus Vlpianus fuit, qui & Magister Scrinii, atque ita ad se referri præcepit*, Lampridius in *Alexandro*.

Principis nomen usurpatur in multis Officiis, ut Principalis, qui idem est, Cujac. 15. *Observat.* cap. 3. Sunt Principes Agentium in rebus: est Princeps Officii, qui primum significat, ut in Actis Martyrii D. Cypriani: *Ad eum venerunt Principes duo, quorum unus stator Officii & alius equi strator Proconsulis, à custodia ejusdem Officii.* Princeps & Primicerius, & Primiscrinius omnibus imperat, & quid agendum sit ubique disponit, ab eoque omnium dispositionum forma procedit.

Scrinia autem varia sunt: nam est publicum Præfecti Præt. Scrinium, quæ mensa Præfecti dicitur. Sunt & alia Scrinia largitionum rerum privatarum, à quibus Scriniarii dicti, qui in illis militant, seu ministrant. Cujusmodi sunt Scriniarii sedis excelsæ, id est, Præfecti Præt. cujus Scrinia apparitionis amplissimæ Præfecturæ dicuntur. Sed antequam varia hæc Scrinia explicemus, aliquid præmittendum est de annonarum varietate, tam civilium quàm militarium, quæ ad hujus Notitiæ, atque eorum quæ postea tractaturi sumus, cognitionem pertinent, ut plenè annona expedita, nihil de illa repetere cogamur.

CAP. XI.

De Annonarum varietate & differentia.

ANnonæ juxta Dignitatum modum definitæ sunt, per singula Officia Scriniorum. Brevem habemus quo continetur, quas dignitates per singula Scrinia Officiorum sacrarum largitionum habere statutum est. *Scrinium exceptoris perf. ord.* P. N. I. *ducenarii.* N. II. *Scrin. tabulariorum perf. ord.* III. *Centenarii.* N. II. *perf. ord.* III. N. I. *perfectiss. cùm Consulares* N. II. *Epistularii.* N. II. *Ducenarius* N. I. *Centenarii* N. II. *form. prim.* N. III. *Centenarius* N. I. *Centenarii* N. II. *form. sec.* N. II. *Epistulares* N. II. *Epistularii* N. III. *for.* III. N. II. *forma* I. N. III. *forma prim.* N. VI. *Scrinia can. for. sec.* N. III. *Mittendarii for. sec.* N. V. *perfectiss. san.* N. *Ducenarii* N. II. *formæ tertiæ* N. III. *Centenarii* N. II. *Centenarii* N. VI. *Scriniarii numer. Epistulares* N. III. *Epistular.* N. XI. *perfect. ord. sec.* N. I. *formam prim.* N. IIII. *for. prim.* N. XI. *for. sec.* N. IIII. *for. sec.* N. XIII.[4]

1 L. 10. C. T. de Domestic. 2 L. 1. & 3. D. de munerib. & honorib. 3 L. 8. C. de munerib. patrimonior. 4 L. 7. C. T. de Palatin. sacrar. largit.

Hæc Notitia, quæ est Scriniorum largitionum Comitatensium, & Scrinia & annonas enumerat, quæ Scriniorum Præfecti Præt. interpretationem juvant. Singulares in ea litteræ intelligi possunt ex eadem Constitutione, quam Tribonianus in Justiniani Codicem sic transtulit[1].

„Scrinii Exceptorum perfectissimus ordinis secundi, numero unus, id est, Primicerius Exceptorum unus. Ducenarii duo, id est, Tertiocerius & Quartocerius. Centenarius unus, id est, Primicerius instrumentorum. Epistolares numero duo: formæ primæ, numero triginta sex: formæ secundæ, numero quatuor: formæ tertiæ, numero tres, &c. Sic Tribonianus veterem Constitutionem immutavit, diversaque Scrinia miscuit, quæ postea scrutabimur: nam primùm necesse est, quæ annonas spectant ordine persequi, & formis istis inhærere.

Augustus quidquid ubique militum esset, ad certam stipendiorum præmiorumque formulam adstrinxit: definitis pro gradu cujusque & temporalibus militiæ, & commodis missionum, Suetonius in *Augusto* cap. 49. Formulam vocat Suetonius, quæ in iis Constitutionibus forma dicitur, & quæ prima, secunda, & tertia frequenter occurrit. Formæ dictæ prout disponebantur à Principe, & ab eodem Codicillis impetrabantur.

Decreverunt Honorius & Theodosius Impp. „Ut qui prima vel secunda forma divino beneficio „supernumerarii reperiuntur: statuti quin etiam „secundæ, vel tertiæ formæ, alternis vicibus, „hoc est, per vicissitudines promoveantur. Et si „quis primæ, secundæ vel tertiæ formæ specialiter inter statutos gradum valuerit impetrare, supernumerarius ultimus formæ tertiæ in matriculis habeatur[2]. Forma prima pinguior, forma tertia plenum Principis beneficium non continebat. Formæ igitur sunt Breves, seu statuta Principis vel etiam Epistolæ, quibus aliquid ab eo constituebatur. Hinc dicti Breves & formatæ Pontificum Epistolæ, de quibus Sirmondus noster amplè tractavit *ad lib.* 6. *Sidon. epist.* 8.

His Principum formis seu Brevibus annonarum modus constitutus est: nec tamen satis perspicuum, quis ille præfinitus sit modus, quod ex Polybio colligimus, cùm de annonis militaribus scribit, quæ civiles nostras illustrant.

Stipendii nomine, ait Polybius *lib.* 6. *pedites in diem accipiunt binos obolos: Ordinum ductores duplum: Equites drachmam. Admetiuntur verò Peditibus quidem tritici partes circiter duas medimni Attici: Equitibus verò hordei in mensem septenos medimnos, tritici verò binos. Sociorum peditibus par mensura datur ac Romanis. Equitibus tritici medimnus unus semis, hordei mensuræ ejusmodi quinæ. Atque hoc Sociis quidem gratis donatur: Romanis sive frumentum sive vestis tribuatur, vel etiam si quibus armis opus habuerint, horum omnium certa pretia Quæstor de stipendio deducit*: Ὀψώνιον δ' οἱ μὲν πεζοὶ λαμβάνουσι τῆς ἡμέρας, δύο ὀβολοὺς, οἱ δὲ ταξίαρχοι διπλοῦν, οἱ δὲ ἱππεῖς δραχμήν· σιτομετροῦνται δ' οἱ μὲν πεζοὶ πυρῶν Ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη μάλιστά πως· οἱ δ' ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο· τῶν δὲ συμμάχων οἱ μὲν πεζοὶ τὸ ἴσον, οἱ δὲ ἱππεῖς πυρῶν μὲν μέδιμνον ἕνα, καὶ τρίτον μέρος, κριθῶν δὲ πέντε· δίδοται δὲ τοῖς μὲν συμμάχοις τοῦτ' ἐν δωρεᾷ, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις, τοῦ τε σίτου καὶ ἐσθῆτος, κἄν τινος ὅπλου προσδεηθῶσι, πάντων τούτων ὁ Ταμίας τὴν τεταγμένην τιμὴν ἐκ τῶν ὀψωνίων ὑπολογίζεται.

1 L. 7. C. eod. 2 L. 2. C. T. de Castrensi an.

Polybius vocat ὀψώνιον annonam militum: obsonia enim ad victum parantur; & qui in privata domo comparandis obsoniis præerat, obsonator dicebatur [1]: *Cubicularios*, inquit Martianus, *vel obsonatores, vel eos qui piscationibus præpositi sunt, non videri negotiationis appellatione contineri.* ὄψα & ὄψον simpliciter piscis intelligitur, sed cum adjectione est quidquid ad panem adhibetur, & quod igne paratur ad vescendum: ὀψώνιον στρατιωτικὸν, μισθὸς στρατιωτικὸς, σιτηρέσιον, Gloss. vet. frumentum, quod miles singulis mensibus accipit ad victum.

Aucta deinde militum stipendia: nam sub Augusto aureus Romanus menstruum militis stipendium unum fuit. At Caligula commoda emeritæ militiæ ad sexcentorum millium summam redegit, Suetonius in *Caligula* cap. 44. Sestertiis centenis aureus æstimatur: sexaginta aurei faciunt summam sexcentorum millium. Commoda autem & stipendia, quæ emeritis dantur, præmium & emeritum dicuntur [2].

Ad annonas regredior, quas civiles, militares, expeditionales, civicas, populares invenio. Civiles civilibus Magistratibus eorumque Officiis dantur. Palatinus Palatinam, miles militarem, civis & Populus civicam & popularem annonam exposcebat [3].

Annonæ populares in pane gradili consistunt. Popularibus enim non erat aliunde solatium [4]. Et panis gradilis ab eo dicitur, quòd illum Populus de gradibus adipisceretur [5]. Atque hæc annona popularis dabatur mendicis invalidis [6].

Ædes sequebantur annonæ civicæ seu urbicæ, quas cives Romani in viginti panibus sordidis consequebantur. In civicis annonis nullus Officialis jus habuit, nullus servus, nemo qui ædificiorum panem percipiebat [7]: atque hæc annona Frumentatio vocabatur, Suetonius in *Augusto* cap. 42.

Aurelianus Imper. scribit ad Flavium annonæ Præfectum, additamento unciæ, omne annonarum urbicarum genus se juvisse, Vopiscus in *Aureliano*. Hæc annona civica cum civili non est confundenda: civilis enim Scholis vel Scholaribus destinata est [8], & Tesseræ nomine datur: quæ etiam civica appellatur, non tàm titulis dignitatum, quàm singulorum meritis attributa. Hujus emolumenta in heredes proprios jure sanguinis transferre licet, vel vendere in extraneos. Sic Paulus Jureconsultus dixit: *Titia Sejo tesseram frumentariam comparari voluit*, id est, annonam civilem [9]. De popularibus annonis Inscriptio vetus, pag. 386. 4.

L. CASURIO. L. F. SPECULATORI
AED. IIII. VIR. I. D. Q. ARC. PVBL
ET PECUNIAE. ALIMENTAR
DEFENSORI. R. P. CVR. ANN
POPVLO. PRAEBITAE

Alia hæc de annona civili, quæ & civica, pag. 271. 1.

IMP. CAES. D. SEPTIMII. SEVERI
ANTONINO. AVG. TRIB. POT. &c.
DEDICANTE M. MANNIO CORNELIANO. CVRATORE. ANNONAE. CIVILIS
DIVI. ANTONINI

1 L. legatis servis. D. de leg. 3. 2 L. 3. §. qui militiæ. & l. [illegible] §. qui ab hostibus. D. de re militar. 3 L. 7. C. T. de annon. civic. 4 L. 5. C. T. eod. 5 L. 3. C. T. de frumento urb. Constantinop. 6 L. unic. C. de mendicantib. valid. 7 L. 5. C. T. de annon. civic. 8 L. 1. C. de annon. civilib. 9 L. Titia Sejo. D. de leg. 2.

A Annonæ expeditionales sunt quæ expeditionis tempore à militibus biduò percipiuntur. Quæ in pane buccellato, vino atque aceto, sed & larido, & carne vervecina præstabantur. In duobus diebus buccellatum, in tertio die panem: uno die vinum, altero acetum: uno die lardum, altero carnem vervecinam. Ad vicesimum lapidem milites capitum petebant [1]. Hoc annonarum genus ab Hesychio σιτηρέσιον appellatur, quod ipse interpretatur ἐφόδιον, quod ad iter conficiendum miles accipit. Vulgatiùs commeatus & viaticum dicitur [2].

B Annonæ militares, στρατευτικαὶ σιτήσεις, neque transfundi, neque vendi possunt, neque per sacras formas, neque per jussionem Magistratuum, licèt ad pias domos: quia militum personis inhærent [3].

Palatinæ Annonæ sunt, quæ universis Officiis, atque sacri Palatii ministris & sacris scriniis, ceterisque cunctarum adminiculis dignitatum delegantur [4].

CAP. XII.

C *De duplicibus & amplioribus militum annonis seu stipendiis. Notitia eorum, quæ viris fortibus decreta sunt.*

DUplicarios milites vocat Varro lib. 4. *de Ling. Lat.* quibus ob virtutem duplicia cibaria dabantur. Hi sunt Græcis διμοιρῖται, Gloss. vet. Hesychio διμοιρίται, quibus duplex annona. Hos antiquissimos esse Livius probat *lib.* 2. Nam Appii Clodii Consulatu, *cùm milites odio Ducis vinci voluerunt, animadvertit Appius in exercitum: & Centuriones duplicariosque, qui reliquerant ordines,*
D *virgis cæsos securi percussit.* At milites, qui in præsidio fuerant post castra Samnitium direpta, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bobus privisque tunicis à Decio Consule donati sunt, idem *lib.* 7. Hinc duplares milites, qui duplas consequebantur annonas; simplares, qui simplas, Vegetius *lib.* 2. *cap.* 7. Inscriptio vetus, pag. 357. 1.

C. ANTONIO. C. F. FLAVINO
VI. VIRO. IUN. HAST. LEG. II
AVG. TORQ. AUR. ET. AN. DVPL
E OB. VIRTUTEM. DONATO

Annonas binas accipiunt, qui circitoria militant dignitate [5]. Circitores, ἐφοδεύοντες Hesychio, id est, vigiliarum recognitores. Fortè ἐποπτεύοντες, *inspectores*: nihil muto. Hi etiam eidem Hesychio sunt ἔφοροι, qui Gloss. vet. περίπολοι, quos idoneos & probatissimos eligunt Tribuni, qui vigilias circumeant. Circuitores appellat Vegetius *lib.* 3. *cap.* 8. apud quem malim legere *Circitores*. Circitare enim est κυκλεύειν, nobis *faire la ronde*.

De duplariis militibus seu duplicariis Inscriptio-
F nes variæ. Unica est de Quartanis, quâ Domitiani sententia continetur, digna certè quæ hîc apponatur, quòd sit egregium antiquitatis monumentum, pag. 1081. 2.

IMP.

1 L. 4. 5. 6. 7. C. T. de erogat. militar. annon. 2 L. 2. C. T. de domestic. & protectorib. l. 3. C. T. ne collat. postul. 3 Constit. Græc. C. Justinian. l. 20. de sacrosanct. Eccles. 4 L. 35. C. T. de erogat. milit. annon. 5 L. 2. C. T. de filiis milit. apparit.

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIANVS. AVGVSTVS. PONTIFEX. MAX. TRIB. POTEST. IMP. II. COS. VIII. DESIGNAT. VIIII. PP. SALVTEM. DICIT.

IIII. VIRIS. ET. DECVRIONIBVS. FALERIENSIVM. EX. PICENO. QVID. CONSTITVERIM. DE. SVBSICIVIS. COGNITA. CAVSA. INTER. VOS. ET. FIRMANOS. VT. NOTVM. HABERETIS. HVIC. EPISTVLAE. SVBIICI. IVSSI.

P. VALERIO. PATRVINO::::::::::::::
COS. XIIII. KAL. AVGVSTAS.

IMP. CAESAR. DIVI. VESPASIANI. F. DOMITIANVS. AVGVSTVS. ADHIBITIS. VTRIVSQVE. ORDINIS. SPLENDIDIS. VIRIS. COGNITA. CAVSA. INTER. FALERIENSES. ET. FIRMANOS. PRONVNTIAVI. QVOD. SVBSCRIPTVM. EST.

ET. VETVSTAS. LITIS. QVAE. POST. TOT. ANNOS. RETRACTATVR. A. FIRMANIS. ADVERSVS. FALERIENSES. VEHEMENTER. ME. MOVET. CVM. POSSESSORVM. SECVRITATI. VEL. MINVS. MVLTI. ANNI. SVFFICERE. POSSINT. ET. DIVI. AVGVSTI. DILIGENTISSIMI. ET. INDVLGENTISSIMI. ERGA. QVARTANOS. SVOS. PRINCIPIS. EPISTVLA. QVA. ADMONVIT. EOS. VT. OMNIA. SVBSICIVA. SVA. COLLIGERENT. ET. VENDERENT. QVOS. TAM. SALVBRI. ADMONITIONI. PARVISSE. NON. DVBITO. PROPTER. QVAE. POSSESSORVM. IVS. CONFIRMO. VALETE. D. XI. K. AVG. IN. ALBANO.

AGENTE. CVRAM LEGATIS	T. BOVIO. VERO P. BOVIO. SABINO P. PETRONIO. ACHILLE. D.D. P

Subsiciva, quæ Auctoribus limitum subcesiva, in agrorum divisione, non efficiunt centuriam; sive quæ in extremis adsignatorum, finium centuriam explere non possunt, Frontinus *de Limitib. agror.* Divisi & adsignati sunt agri, qui veteranis militibus, aliisque personis, per centurias, certo modo adscripti, aut dati sunt, Hyginus *de Limitib.* Possessiones ex præcepto principali veteranis in præmia adsignatas dicit Paulus[1].

Quartani dicuntur, ut Primani, in legionibus primæ aut quartæ, quibus subsiciva, id est, præmia adsignata sunt, quæ emerita stipendia ab omnibus oneribus libera sunt. Atque hæc quidem præmia, quæ sunt commoda missionum, annonas duplas & quadruplas adæquare potuerunt. Trebellius Pollio in *Claudio* refert, quæ ab Imperatore Valeriano, Claudio quintæ legionis Tribuno, qui postea evectus est ad Imperium, decreta sunt: *Huic salarium de privato Principis ærario, à Procuratore Syriæ ex Imperatori epistola, annui frumenti modios tria millia decrevit: hordei sex millia, laridi libras duo millia, vini veteris sex-*

1 L. Lucius. D. de evictionib.

A *tarios tria millia quingentos, olei boni sextarios centum quinquaginta*, &c. Idem Valerianus Epistola sua ad Præfectum Vrbi, Aureliano quamdiu Romæ essent, jussit dari *panes militares sedecim, panes militares castrenses quadraginta, porcellum dividuum*, &c. Vopiscus in *Aureliano.* Frivola hæc cum Vopisco dico, quæ fortasse multis nimis levia videbuntur, sed ad rei annonariæ cognitionem commoda & prævia, pro gradu cujusque multùm proficiunt. Quare Notitiam Probi, qui postea potitus est Imperio, ex ejusdem Valeriani Epistola ad Præfectum Præt. non prætermitto, cùm Tribunatum in Probum imberbem contulisset: *Huic dari*, inquit, *jubebis*, B *quoniam mediocris fortunæ est, ut ejus dignitas incrementis juvetur, tunicas rufulas duas, pallia Gallica duo fibulata, interulas paragaudas duas. Item in salario diurno, bubulæ pondo, porcinæ pondo sex*, &c. Vopiscus in *Probo.* Altera est Epistola Valeriani, quà *vestes triplices* dari jubet *& salarium duplex.*

Incrementum, αὔξησις, augmentum, nutrimentum Servio *ad Eclog.* 4. additamentum Vopisco; liberalitatis adjectio Spartiano in *Hadriano*; quod hîc militare præmium dixerim. Quadruplares annonas, seu stipendia, ex M. Antonini Epistola C ad Præfectos noscimus: hic enim Clodio Albino *salarium duplex decrevit, vestem militarem simplicem, sed loci sui stipendium quadruplum*, Capitolinus in *Clod. Albino.* Hîc stipendium à salario separatur, quæ sæpe confunduntur. Salarium tamen in speciebus accipitur, & à sale deductum. Plinius clarè *lib.* 31. *cap.* 7. *Sal honoribus etiam, militiæque interponitur: salariis inde dictis; magna apud Antiquos auctoritate: laborumque requies non alio magis vocabulo constat.* At stipendium in pecunia numerata præstatur. Quod de publico decretum est, sub Tribunis militum Consulari poD testate. Et quia nondum argentum signatum erat, æs grave plaustris quidam ad ærarium convehentes, speciosam collationem faciebant, Livius *lib.* 4. Stipendium ergo appellatum æs, quod militi semestre aut annuum datur: *Dictum à stipe*, ait Vlpianus[1], *quod per stipes modica æra colligantur.* Ideo hoc tributum appellari Pomponius ait. Et sanè appellatur à contributione tributum; vel eo quòd militibus tribuatur. *Neque*, inquit Tacitus lib. 10. *Annal. quis gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis.* Ab eo pecunia militibus assignata, adtributum dicitur, quod est æs militare: & milites ærarii, E ab ære, Varro lib. 4. *de Ling. Lat.* Jocus facetus Plauti, cùm militem leno mina circumduxisset, in *Pœn.* Act. 5. Sc. 5.

Sic derisorem (ait miles) *ære militari tetigero Lenunculum.*

Æs militare pro gladio usurpatum, in quo militum liberalitas maximè consistit. Atque hæc de annonis plus satis, quæ tamen ex iis, quæ sequuntur, inutilia non erunt.

F

Cap. XIII.

De variis Scriniorum Officiis.

PRimum, secundum, tertium, & quartum scrinium in Notitia Præfecti Præt. Africæ numeratur, unde colligitur quatuor illius scrinia fuisse.

1 L. 27. D. de verb. sign.

ſe. Eſt autem ſcrinium κιβώτιον, Scriniarius Χαρτουλάριος. Auctor *Etymologici*: Σκρινιάριος τῆς δουκικῆς ὑπάρχων τάξεως, Λατίνων φωνῇ, ὅ ἐστι Νοτάριος Ἑλληνικῶς ἢ Χαρτοφύλαξ. Σκρίνιον γὰρ τὴν δρυφακτικὴν λάρνακα οἱ Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Arculam tabulis compactam, in qua Scriniarii militabant, qui memoriæ, libellis, & Epiſtolis vacabant. Nos ſcrinium primum aperuimus: inter illius homines decem, Numerarius occurrit, qui pro annonis ſol. v. & pro capit. ſolid. IIII. &c.

Titulus eſt C. Juſtiniani *de Numerariis*, *Actuariis*, *Chartulariis*, *& Adjutoribus*, *Scriniariis*, *& Exceptoribus ſedis excelſæ*. Sunt etiam alii Numerarii in ſcrinio, ſecundo, tertio & quarto. Sed primi, annonæ & capitum ſunt ampliora, quem lex Numerarium primum & Magiſtrum hujus officii nuncupat[1]. Numerariorum munus dignitas non eſt, ſed officium dignitatis. Hi à numerando denominati ſunt, qui Prætorianæ ſedis rationes tractabant, & penes eos rationum publicarum notitia conſiſtebat[2]. Atque hi etiam Auctoritates, Commonitoria, Præceptiones, Evectiones conficiebant, adhibita Adjutorum & Chartulariorum, aliorumque quorundam inſpectione & ſubſcriptione[3]. Hos ubique Imperatores inſectantur, propter vorax & fraudulentum eorum propoſitum[4], & propter faſtus & rapaces quæſtus[5]. Inter alios, Julianus eos maximo odio habuit, ſanxitque primos etiam & Magiſtros Officii Sedis ampliſſimæ, & Judicum ceterorum, ſolutis militaribus ſacramentis, conditionales fieri[6]. Conditionales ſunt, ne quid leviter tranſeamus, qui Curiæ redduntur, & ad eam revocantur, Curialiumque conditionem ſequuntur[7]: hoc eſt, Curiæ muneribus obligantur, & manent emeritis ſtipendiis in ſua conditione. Vnde curialis conditio, & curialis conditionis quæſtio[8]. Certis tamen modis Conſtitutione Juſtiniani Numerarii à fortuna curiali liberantur[9]: ut Valentinianus & Valens ſuper Numerariis Officii Præfecti Præt. aliter ſanxerunt, quàm Jovinianus Imp. duxerat ſanciendum. Hic enim lege propoſita Numerarios omiſſo cingulo conditionis conſcios viliores, neceſſitati publicæ obſecundare præceperat: at illi Principes Numerarios cingulum, & militiæ ordinem tenere juſſerunt: ita tamen ut ſi in aliquo ſcelere eſſent deprehenſi, à corporali injuria nullo modo poſſent liberari[10].

Reliqui homines ſunt, ii qui ſub Principibus in ſcriniis militabant, ſine dignitate, qui & Scriniarii: nam in ſcriniis ſtatutus erat numerus; ut in ſcrinio memoriæ eſſent ſexaginta duo; Epiſtolarum, triginta quatuor; Libellorum, triginta quatuor. Atque inter hos Antiquarii in ſcrinio memoriæ, quatuor, qui ſunt Librarii ſeu librorum ſcriptores[11]. Alexander, ait Lampridius in *ejus Vita*, *lectioni Epiſtolarum poſt meridianas horas operam dabat*, *relegentibus cuncta Librariis*, *& iis qui Scrinium gerebant*. Vnde conjicio reliquos tres in Notitia noſtra de Antiquariis intelligi, qui in primo ſcrinio operam dabant.

Sequitur in Notitia: *In ſcrinio Primiſcrinii*, *quod eſt Subadjuvæ hominibus* x.

In Notitia Imperii, inter Officia Præfecti Præt. per Italiam, Subadjuvæ & Adjutores numerantur. Subadjuva eſt Adjutoris Vicarius, ut Adjutor Magiſtri Scriniorum ſorte vicaria eligitur, Caſſiodorus 6. *Variar.* 7. Vtrique levandi laboris gratiâ dabantur, qui vel valetudine impeditis, vel multitudine negotiorum obrutis opem ferrent[1]. Adjutores matriculas tractant[2], & Apparitores in Provincias mittunt, habentque in primo Scrinio, ſcrinium: *Admodum iniquum*, ait Julianus Imp.[3], *pro alienis fraudibus Adjutores compelli*, *ratiocinia præſtare*, *atque his imminere periculum*. Putat Pancirollus, Adjutores & Subadjuvas Primiſcrinios vocari: cùm tamen Primiſcrinius ab Adjutore & Subadjuva ſeparetur[4]. Subadjuva in primo quidem ſcrinio habet ſcrinium.

In ſcrinio Commentarienſis hominibus XII. *ann.* XVII. Commentarienſis numeratur inter Apparitores, à Commentariis ſeu libellis ſic dictus. Sunt autem Commentarii ὑπομνημονεύματα. Et Commentarius Principis libellus eſt, in quo Princeps nomina eorum omnium præſcribebat, quibus aliqua Reip. adminiſtratio tradita. Vnde Commentarienſes Scribæ fuerunt, qui Commentarium Principis conficiebant. De Commentarienſi Auctor *Etymologici*: Κομμενταρήσιοι τοὺς ἐπὶ τῶν ὑπομνηματογράφων πράττοντας ὁ νόμος καλεῖ καὶ ὑπηρετοῦντας ταῖς ἐγκληματικαῖς δίκαις, ὑπασπιζόντων αὐτῶν ἀπληκτεείων καὶ Κουβικουλαρείων, μετὰ πλήθους ῥαβδούχων σιδηρέων δεσμῶν ποιναίων ὀργάνων σαλευόντων τῷ φόβῳ τὸ δικαστήριον. Εἰσὶ δὲ καὶ οἱ νῦν λεγόμενοι Χαρτουλάριοι.

Duo ſunt genera Commentarienſium: unum, cui cuſtodia & exhibitio reorum mandata eſt, qui carceri præpoſitus dicitur[5]. Hic Judici pro Tribunali ſedenti ſiſtebat reos, ut habetur in Martyrio SS. Claudii & Aſterii, Surius tom. 4. 23. Auguſti: *Commentarienſis dixit: Quemadmodum præcepit Poteſtas tua*; *Domine Præſes*, *Aſterius adeſt*. Deinde: *ſicut juſſit Claritas tua*, *adeſt Donuina*. At Commentarienſis in Officio Præfecti Præt. manu annotat exempla quæ poſtulantur[6].

In ſcrinio ab Actis hominibus x. *ann.* XIIII. *cap.* XII. Ab Actis Actuarios Raguellus ὑπομνηματοφύλακας vocat, curamque eorum eſſe, ut Actis præſint, quæ coram Magiſtratu fiunt, arbitratur[7]. Sed Actuarii alii ſunt ab Actis hominibus: illi enim rationes tractabant, & Pittacia authentica Palatinorum, & numerorum Comitatenſium[8]. Ab Actis verò ſunt Scribæ ſedentarii, qui Judicis ſententias in Judicio notis excipiebant[9]. Inſignis eſt locus Philonis Judæi in Flaccum, ubi de Lampone ab Actis Præſidis conqueritur: *Lampones*, inquit, *Scribæ ſedentarii*, *inventores curioſi rerum malarum*, *civitatis perturbatores*, γραμματοκύφωνες, φιλοπράγμονες, κακῶν εὑρεταὶ, ταραξιπόλιδες. Et paulò pòſt, Lamponem eundem inſequitur, quodque fuerit Officium hominum ab Actis, clarè demonſtrat: „Ab Actis, *ait*, erat apud Præſides cauſas promovere ex ordine: in harum „Commentariis quædam delebat, quædam prætermittebat datâ operâ: nonnunquam inſerebat, „quæ in Judicio dicta non erant. Rurſus alia mutabat, transferebatque pro libito, è ſingulis ſyllabis, atque etiam apicibus quæſtum faciens Scriba ſedentarius, qui ſæpe conclamante Populo „Calamoſphactes appellatus eſt, quòd ſcribendo „jugularet multos. *Addit deinde*: Non erat poſſibile Provinciæ ampliſſimæ Præſides meminiſſe „negotiorum omnium, affluentibus aliis ſuper alias cau-

1 L. 8. C. T. de Numer. Actuar. & Scrin. 2 Novel. Theodoſ. & Valent. 49. 3 L. 6. C. de exſecutorib. & exactorib. 4 L. 4. C. T. de Numerar. 5 L. 3. C. de privileg. eor. qui in ſacro Palat. 6 L. 8. C. T. de Numerar. 7 L. 17. & 26. C. de diverſ. offic. 8 L. 54. C. de decurionib. & fil. eor. 9 L. 66. C. eod. 10 L. 11. C. T. de Numerar. & l. 3. C. eod. 11 L. 2. C. T. de ſtud. liber. Vrb. Rom.

1 L. 3. C. de diverſ. offic. 2 L. 16. C. de Palatin. ſacrar. larg. 3 L. 8. C. T. de Numerar. Actuar. Scrin. 4 L. 3. C. de diverſ. offic. 5 L. carceri. D. de cuſtod. & exhibit. reor. 6 L. in fraudem. §. quoties. D. de jur. fiſc. 7 Ad hanc l. 1. C. de offic. Præfect. Afric. 8 L. 5. C. de erogat. milit. annon. 9 L. inter eos. §. 1. D. ex quib. cauſ. major.

„ caufis privatis atque publicis: præfertim cùm „ non Judiciis tantùm præeffent, fed etiam ratio„ nibus tributorum & vectigalium, quibus major „ anni pars impendebatur. At ifte cùm ex officio „ fufcepiffet neceffariam juris cuftodiam, & de„ cretorum ejus fanctiffimorum, venalem habe„ bat oblivionem Judicum, parti, quæ viciffe de„ buerat, adfcribens litem perditam, accepta lar„ gitione magis quàm mercede, & fuperiores fa„ ciebat qui jure fuccubuerant. Προεστὼς γὰρ τοῖς ἡγεμόσιν, ὁπότε δικάζοιντο, ὑπεμνηματίζετο τὰς δίκας εἰσάγων ὡς ἔχων τάξιν. Εἶτα τὰ μὲν ἀπήλειφεν ἢ παρῄει ἑκὼν, τὰ δ' οὐ λεχθέντα προσενέτατεν· ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐπηλλάττετο μεταποιῶν καὶ μετατιθεὶς, καὶ στρέφων ἄνω κάτω τὰ πράγματα, κατὰ συλλαβὴν, μᾶλλον δὲ καὶ κεραίαν ἑκάστην, ἀργυρολογῶν ὁ γραμματοκύφων, ὃν πολλάμος ὁ δῆμος ἅπας ὁμοθυμαδὸν εὐθυβόλως καὶ εὐσκόπως καλαμοσφάκτην ἐκήρυξεν, οἷς ἔγραφε μυρίους καὶ ἀνελόντα καὶ ζῶντας ἀθλιωτέρους καὶ ἀποθανόντων ἀπεργασάμενον. Deinde: Ἀμήχανον μὲν γὰρ ἦν τοὺς ἡγεμόνας τοσαύτης χώρας ἐπιτροπεύοντας, διὰ καινοτέρων ἐπεισρεόντων ἰδιωτικῶν τε καὶ δημοσίων πραγμάτων ἁπάντων, καὶ ταῦτα οὐ δικάζοντας μόνον, ἀλλὰ καὶ λογισμοὺς τῶν προσόδων καὶ δασμῶν λαμβάνοντας, ὧν ἡ ἐξέτασις τὸ πλείονα τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνου ἀνήλισκεν. Καὶ τὰς αὐτοῖς ὁσιωτάτας γνώμας ἐνεπορεύετο, τὴν λήθην τῶν δικαστῶν, τοὺς μὲν νικᾶν ὀφείλοντας γράφων ἐν ἡττημένοις, τοὺς δὲ ἡττᾶσθαι, μετὰ τὸν ἐπάρατον μισθὸν, ἢ κυριώτερον εἰπεῖν, τὸ μίσθωμα ἐνενικηκόσιν. Hæc fuit audacia & poteftas hominum ab Actis, quos in Notitia fequuntur libellorum homines feptem, qui in libellorum fcrinio militabant. Nos ordinem Notitiæ non fequemur, ut quæ ad fcrinia pertinent uno contextu expendamus: *Nam in fcrinio operum homines viginti, in fcrinio arcæ homines totidem.*

Scrinium operum intelligo publicorum, quæ in Provinciis fiebant, fumtu publico, quibus Curator, & difpenfator præficiebatur. De Operibus ita Juftinianus[1]: *Exactores tributorum nullam communionem in civilibus pecuniis, quæ ad opera, retinere aliquid debeat.* Curatorem autem operum publicorum ab Augufto inftitutum Suetonius docet in *Augufto* cap. 37. atque hoc munere functum Vitellium antequam Imperium adminiftraffet, Suetonius in *Vitell.* Vetus Infcriptio Romæ de hoc Curatore, pag. 93. 1.

NIMPHIS. LIMPHISQ. AVG
DVLCISSIMIS
OB. REDITVM. AQVARVM
PLACIDE. PROSILIENTIVM
AB. POP. ROM. DIV. DESIDERAT....
M. SVLPICIVS. LEPIDVS
CN. OCTAVIVS. CELSVS
CVRAT. OP. PVB
D. S. I. P. C.

Quod eft, *de fua impenfa ponendum curaverunt.* Alia item Romæ, pag. 128. 2.

EX. AVCTORITATE. IMP. CAESARIS
TITI. VESPASIANI. AVG. IN. LOCO
QVI. DESIGNATVS. ERAT. PER
FLAVIUM. SABINVM. OPERVM
PVBLICORVM. CVRATOREM
TEMPLVM. EXTRVXERVNT
NEGOTIATORES. FRVMENTARI

1 Novel. 128.

A Infcribi nomen operi publico, alterius quàm Principis, aut ejus cujus pecuniâ id opus factum effet, non licebat[1]. Inter opera verò publica præcipua funt ædes facræ, templa, aquæductus, Prætoria, portus, thermæ, muri & portæ civitatum, quæque utilitati publicæ neceffaria funt.

Arcæ homines qui fint, qui & Arcarii, tituli utriufque C. indicant, qui *de Sufceptoribus, Præpofitis & Arcariis.* Arca Præfecturæ fuit, ex qua emolumenta folemnia & penfiones præftantur[2]. Arcarii autem funt, qui publicos titulos fuper annonis & aliis rebus adminiftrant[3], quique his, B quæ in arcam Præfecti Præt. inferuntur, fufcipiendis præpofiti funt[4]. Sub Arcariorum difpofitione funt Sufceptores[5], qui Pittacium authenticum fufcipiunt[5] ab Arcariis, hoc eft, annonarias rationes. Atque hi annonis & tributis utriufque ærarii præpofiti funt[6]. Πιττάκιον, Brevis, Gloffæ veter. Lampridius in *Alexandro*, *Milites fuos* Alexander *fic ubique fcivit, ut in cubiculo haberet* BREVES *& numerum & tempora militantium.* Deinde: *De promovendis etiam fibi annotabat; & perlegebat cuncta Pittacia.* Sufceptores, Præpofiti, Arcarii, Exactores, Tabularii, officia funt rationum[7], inter quos & difpenfator nume-C ratur, qui & Arcarius fervus eft, etiam vel privatorum vel civitatum, illeque rationes Dominorum tractabat[8]. Poterant tamen liberi homines Arcæ civitatis præeffe, quales funt ii qui vocantur *Receveurs de ville*, qui propriè, οἰκονόμοι τῆς πόλεως. Vt fuit Eraftus, quem D. Paulus Arcarium civitatis appellat, Epift. *ad Romanos* cap. 16. Nuperus Interpres οἰκονόμον vertit *Quæftorem*, impropriè. Atque hæc de Scriniis. Sed ne quis me

D *—— Crifpini fcrinia Lupi*
Compilaffe putet,

non diffiteor multa me à Jacobo Cujacio, Antonio Auguftino, Jacobo Sirmondo didiciffe, fumfiffe, profeciffe: nam abfque illis effet, vix hanc Notitiam difficillimam, ut alia, quæ in his Officiis occurrunt plurima, extricare aut explicare poffem. Quare fi quæ gratia labori meo debetur, illam his viris litterarum Principibus perpetuam rependo. Antequam verò claudam fcrinium, hanc ex Sirmondi fcrinio Infcriptionem profero, *ad* E *Sidon. lib.* 1. *epift.* 9.

F. CELERINVS. V. D
SCRINIARIVS. INL. PATRICIAE. SEDIS

Singulares litteræ *virum devotum* denotant: nam Scriniarii paffim in C. devoti vocantur. De hoc nos plura, cùm de fede Patricia loquemur.

CAP. XIV.

De Scholis & de Scholaribus, qui in Præfecti Præt. Officio fuerunt.

F *IN Schola exceptorum hominibus* LX. *ann.* LXXIIII. *cap.* LXII. *aliis hominibus* VI. *ad ann.* II. *Reliquis hominibus* X. *ad ann.* I. *Reliquis hominibus* XLIIII. *ad ann.* I. *fol.* V.

Schola collegium quoddam eft militum, vel mini-

1 L. opus. D. de operib. public. 2 L. 9. C. T. de indulgent. debit. 3 Caffiodor. 1. *Variar.* 26. 4 L. 3. C. de canon. facr. larg. 5 L. 11. C. T. de erogat. milit. annon. 6 L. cùm poffeffor. in fin. D. de cenfib. 7 L. 1. C. T. de his qui cum difpenfator. 8 L. Thais, §. fin. D. de fideicommiffar. libertatib.

ministrorum, & qui illi adscripti erant Scholares dicti, eorumque Præpositi capita Scholarum, Ammianus Marcellinus *lib.* 25. aut Scholæ Primicerii[1]. Schola autem erat vel militiæ castrensis, vel Palatinæ. Et Palatina varia fuit, ut ex hac Notitia constat. Scholares à Scholasticis differunt, ut ex Constantini lege notamus[2]: *Scholastici*, ait, *ultra modum acceptis honorariis in defensione causarum omnium, & annonas & sumtus accipere consueverunt.* Lex scripta ad Vicarium Africæ. Scholastici ergo sunt Advocati, quo nomine nuncupantur etiam Rhetores, & fictarum litium declamatores, qui deinde ad tractandas in foro causas veras transeunt, Plin. lib. 4. *Epist.* Hodie scholasticè dicere, idem est quod rem per controversiam disputare: unde & Theologi Scholastici dicuntur, qui res divinas variis argumentis disputando perquirunt. Sic M. Tullius Scholas pro controversiis usurpavit 2. *Tusculan.* *Dierum*, inquit, *quinque Scholas in totidem libros contuli.* Sed Scholæ, de quibus agimus, sunt cujusque ordinis classes, quarum prima, quæ Præfecto Præt. Africæ serviebat, Exceptorum est.

Exceptores ab excipiendis tributis dicti, ταχυγράφοι, ὀξυγράφοι[3]. Vnusquisque Judex duos Exceptores habuit, & duos Exactores, qui periculo Officialium, vel Scholarum, vel Scriniorum eligebantur, ut si quid peccassent, illi detrimenta læsis hominibus resarcirent[4]. Exceptores pro loco, atque ordine suo, ad Commentarios accedebant[5]. Ex his, qui ordinariis Judicibus obsequebantur, nec omnino militiam sustinebant, nec à fisco ullas consequebantur annonas[6]: licèt ii tractarent pecunias civiles & annonis civilibus deputatas, vel operibus publicis. Sed Exceptores sedis Prætoriæ LX. numero in dignitate constitutos fuisse, & annonas iis debitas, hæc Notitia testatur.

In Schola Singularium hominibus L. *ann.* III. *cap.* I. &c. Sigla vel Singla, quasi singula observat Cujacius lib. 12. *Observat.* cap. 40. quæ multùm distant à Notis. Notæ enim sunt litteræ coarctatæ, singla vel singula sunt litteræ singulariæ sine coagmentis syllabarum. Singlæ tamen litteræ non erant, sed litterarum vicem obtinebant. Erat enim aliud scribendi genus, cùm singulæ litteræ verba significabant, quæ in Inscriptionibus frequentiores, in quibus S C. Senatusconsultum, P. R. Populum Romanum significabant. Cui scripturæ singularum nomen convenit, ex Antonii Augustini sententia, in *paratitl. Græc. Constitution.* Atque litteræ hujusmodi, vulgares erant Notæ, paucis ignotæ: quod de siglis dici non potest, quæ una Nota, sine forma litterarum, verbum integrum significant, ut ex siglis Tyronis & Senecæ videre est, quæ Gruterus in calce *Inscriptionum* veterum adjecit.

Hanc scribendi rationem per sigla Justinianus improbat[7], qui pœnam falsi constituit adversùs eos, qui in posterum leges suas, per singlorum obscuritates, ausi fuerint conscribere. Hæc Constitutio data est Justiniano III. COS. eo tempore quo Africam recuperavit. Quartùm Consul Præfectum Præt. Africæ creavit, cui ex Singularium Schola homines quinquaginta adscripsit. Hi quidem singlorum artifices dici non possunt, quos Imperator antea damnasset, quorumque nulla Schola fuit, quæ inter Cohortalinos numeraretur. Magnam nobis hac in re obscura lucem Inscriptiones veteres afferunt, pag. 431. 9.

1 L. 33. C. de Decurionib. 2 L. 2. C. T. de concussionib. advocat. 2 Cujac. ad leg. 12. C. de proxim. scrin. 4 Novel. Julian. 82. cap. 8. 5 L. 2. C. de Numer. Actuar. &c. 6 L. 17. C. T. de divers. offic. 7 Constit. de veteri jur. enucle.

A

C. LVCCIVS. STEL. SABINVS
MILITAVIT. IN. COHOR. VRB.
ADIVT. TRIBVN. OPTIO
SINGVLARIS. BENEFIC. TRIB

Alia hæc,

M. AVRELIO. EX. SINGVLARIB
IMP. LEG. I. ADIVT. LEG. II.

B Singularium nomen nonnulli derivant à singillione Dalmatarum veste, de qua Trebellius Pollio in *Claudio*: *Misit*, ait, *vestes diversas, singilliones Dalmatenses decem.* Corrigit vulgatam Casaubonus, pro qua *Cingiliones* substituit, qui sunt illi parva cingula, quibus Equites Dalmatæ utuntur. Commentitium *Cingilionis* verbum non recipio. Aliorùm interpretatio verior est qui Singelliones vestes simplices putant, ἁπλοΐδες ex Gregorii Naz. testamento, qui hac voce utitur, σιγγελλίονα ἕνα. Vt vestes ex Ecclesiæ ritibus Dalmaticæ dictæ sunt, quibus Episcopi nostri & Diaconi utuntur. Dalmaticæ usum à B. Silvestro Pont. Max. institutum prodit Alcuinus, lib. *de divin. offic.* sed C legimus D. Cyprianum Dalmaticâ se spoliasse, Pontius Diaconus in *Vita D. Cypriani*; quod usum Dalmaticarum ante Silvestrum detegit, qui decrevit solùm ut Diaconi his tegerentur. A Dalmatis Dalmaticam nuncupatam scribit Isidorus, *lib.* 19. *cap.* 12. Sed ex sigillione seu Dalmatica singularem militem nominare, qui siglis scribat, hoc verò, pace virorum doctorum dixerim, est maximè à vero aberrare. Glossæ veteres hoc verbum difficile clarè expediunt, quibus Singulator ἱππαστὴς κέλης, Equitator, qui equis desultoriis utitur, ad differentiam quadrigariorum. Qui meliorem interpretationem invenerit, illum vel de Schola audire non recusabo.

D *In Schola Mittendariorum hominibus* L. *ann.* III. *S.* &c. Mittendarii soli usu exigente mittebantur in Provincias, jussu Prætorio Præfecti, pro publica aliqua utilitate, vel opportunitate[1]. Posterioris ætatis missi Dominici functi videntur eodem munere. Hi enim per Provincias mittebantur, ut si quid negligentiùs Magistratus egissent, ipsi corrigerent. De his passim in Caroli Magni *Capitulis* lib. 2. §. 24. 25. 26. Sed Mittendarii Præfectorum non corrigebant ea quæ corrigenda essent; sed inquirebant diligenter, quid per Pro- E vincias ageretur, quidque emendatione dignum: quod ad Præfectum Præt. referebant, qui sua auctoritate publicis necessitatibus consuleret. Alii sunt Missi Principis, qui ad statum Provinciæ componendum aliquando deputabantur. Inscriptio vetus, pag. 360. 3.

P. AQVIVS. SCAEVAE. ET. FLAVIAE
FILIVS
COS. ITERVM. EXTRA. SORTEM
AVCTORITATE. C. CAESAR. ET. S. C
F MISSVS. AD. COMPONENDVM. STATVM. IN. RELIQVVM. PROVINCIAE.
CYPRI

In Schola Cursorum hominibus XXX. *annonas* XXXII. *S. cap.* XXX. &c. Cursores seu veredarii à Præfecto Præt. huc atque illuc cursu publico mittebantur, quòd cursitantibus equis aut veredis seu rhedis uterentur. Nec tantùm equis aut rhedis usi sunt, sed navigiis & dromonibus per flumina, lacus, sinus,

1 L. 3. C. de Palatin. sacr. larg. & l. 7. 8. & 23. C. T. eod.

ſinus, ut res ferebat, quod Sirmondus noſter annotavit *ad Sidon. lib.* 1. *epiſt.* 5. Hi habuerunt Præpoſitum, de quo Inſcriptio Romæ, pag. 600. 15.

SEP. AVG. LIB. ZIBI
PRAEPO. CVRSORVM

In Schola Nomenculatorum hominibus XXII. *ann. ſol.* V. *capit.* XII. &c. Nomenculator vulgò ὀνομακολόγος, qui nomina prætereuntium ſalutantium & obviorum Domino ſuggerebat. Hujus origo antiquiſſima eſt, ut ex M. Tullio diſcimus. Ille lib. 4. *ad Attic.* epiſt. 1. *Ad Urbem ita veni, ut nemo illius ordinis, Nomenculatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit.* Seneca *epiſt.* 27. *Nemo vetulus Nomenclator, qui nomina non reddit, ſed imponit.* Ab ſcientia Nomenclatores & monitores Varro vocatos tradit lib. 4. *de Ling. Lat.* Hinc nomenclatio M. Tullio *de petit. Conſulat. Ea*, inquit, *nomenclationem & blanditiam deſiderat.* Quod tamen idem Tullius competitori in Conſulatu Lucii Murænæ exprobrabat, *pro Muræna: Quid? quòd habes Nomenclatorem? ſi nomine appellari cives tuos honeſtum eſt, turpe eſt notiores eſſe ſervo tuo quàm tibi. Sin etiam noris, tamen per monitorem appellandi ſunt.*

De Nomenclatoribus hujuſmodi hæc Notitia non loquitur: erat enim Schola Nomenculatorum, quæ nulla vulgarium uſquam fuit. Quare hanc legem noſtram interpretor ex duabus Inſcriptionibus, quarum una eſt Romæ, pag. 599. 4.

DIIS. MANIBVS
TI. CLAVDI. AVG. LIB
NOMENCLATORI
A. CENSIBVS

Altera Tibure, pag. 599. 5.

AVRELIAE. PRIMITIVAE
CONIVGI. KARISSIMAE
ZOSIMIANVS. AVG. LIB
NOMENCLATOR. A. CENSIBVS

Hi Nomenclatores nomina eorum, qui terras in Provinciis cenſibus obligatas, ordine ex Actis præteritis ſcripto, coram Magiſtro cenſus, poſſeſſores nominatim vocabant, dum cenſuales profeſſiones exciperentur. Vt ſi prædia veteres dominos mutaſſent, in eorum locum novi profiterentur, & in Actis inſcriberentur. Juvat hanc meam interpretationem, quòd cenſus inter rei annonariæ emolumenta computantur[1], & cenſus annonarii dicuntur[2]. Nomenculator etiam in miniſterio privatorum fuit, ut Pomponius notat[3]: *Dabitur*, inquit, *& in impuberem operarum actio, cùm adoleverit: nam hujus quoque eſt miniſterium, ſi fortè vel Librarius, vel Nomenculator, vel Calculator ſit.* En Nomenculatorem medium inter Librarium & Calculatorem: nam Veteres in Librorum appellationibus dignoſcendis, Nomenclatorum miniſterio utebantur, ut ex Seneca colligimus. Ille enim lib. 6. *de Benefic.* cap. 33. *Quid? iſtos tu Libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum exiſtimas eſſe?* Nomenclatores etiam Calculatoribus addit: nam hi dum calculos ponunt, Nomenculator legit & monet.

In Schola Stratorum hominibus VI. *ann.* VII. *cap.* VIII. &c. Titulus eſt in utroque C. *de Stratoribus*, qui unica lege concluditur. Strator ἀναβολεὺς, homo cujus miniſterio equum conſcendimus. Euſtathius *in Homer. Odyſſ.* Ἀναβολεὺς ȣ̓ μόνον τὸ σιδήριον ᾧ τοὺς πόδας ἐπιθέντες ἔφιπποι γίγνονταί τινες, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος, ὃς εἰς τοιȣ͂τον καθυπȣργεῖ. Stratores in Præfecti Prætorio Officio fuerunt, at nemo Proconſulum, aut Præſidum Stratores ſuos habere poteſt; ſed vice eorum milites, miniſterio in Provinciis funguntur[1]: quod & vetus Inſcriptio probat, pag. 389. 2.

T. CL. CANDIDO
SILIVS. HOSPES. HASTATVS. LEG. X
GEMINAE. STRATOR. EIVS
OPTIMO. PRAESIDI

Triplex autem fuit Stratorum miniſterium. Nam Stratores non ſolùm equorum fræna tenuerunt, & conſcendenti Magiſtratui opem tulerunt; ſed Stratores etiam dicebantur, qui caſtra præibant, ut loca accommodatiora ad exercitum traducendum facerent. Atque hi diverſi ſunt à Stratoribus officii, qui ad Magiſtratus apparitionem referuntur: quorum etiam fuit delinquentes, qui militari cuſtodiæ tradebantur, diligenter ſervare[2]. Hinc Imperatoris Conſtantini lege cavetur, *ut neque his qui Stratorum funguntur officio, neque Miniſtris eorum, liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes intra carcerum ſepta letho dare, aut ſubtractos audientiæ longa tabe conſumere*[3]. Sic ſuſceptus eſt Martyr Cyprianus cuſtodiendus à Stratore Officii, Pont. Diac. in *Vita Cypriani.* Horum munus antiquiſſimum eſt, ex M. Tullio. Ille enim ad Cœlium Quæſtorem ſuum *lib.* 2. *epiſt.* 19. *Exiſtimavi*, ait, *eſſe faciendum, ut ad te Stratores meos & lictores cum litteris mitterem.* De Stratoribus Principum Inſcriptio vetus, pag. 600. 9.

M. ANTONIVS. HEVTVCAS
ANTONIO. FORTVNATO
STRATORI. †AVGVSTORVM

Caracallam, cùm in equum eum Strator ejus levaret, pugione latus ejus confodit, Spartianus in *Caracal.* A Strato equorum, Stratores dicti: *Stultus eſt*, ait Seneca, *qui equum emturus, non ipſum, ſed ſtratum inſpicit.* Horum etiam munus fuit equos probare, & pretio comparare: *Conſtantinus Strator, paucos militares equos auſus, ex his mutare, ad quos probandos miſſus erat in Sardiniam jubente Imp. Valente, lapidum ictibus crebris oppetiit*, Ammianus Marcellinus *lib.* 29. A probandis equis Stratores à Provincialibus, probæ nomine unum ſolidum poſcebant[4].

Scripſit Alciatus[5], Stratores pro Tabellariis accipi ex Cicerone: *Vt intelligamus*, inquit, *hos Principem varia neceſſitate mittere ad Provincias, ut nuntient aliquid, quibus tenentur Provinciales ſubinde mutare equos, quo celeriùs eant.* Sed nihil tale M. Tullius excogitavit quod Alciatus comminiſcitur. Nec de mutatione equorum quidquam ullis legibus ſancitum eſt. Annonæ militaris indicia Stratoribus offerebant, ut ipſe nominant, proba, & nihil ampliùs, Ammianus Marcellinus *lib.* 21. *

In Schola Prætorianorum hominibus decem ann. XII. &c. Prætorianus ϛρατηγικὸς Cohortis Prætoriæ miles, quæ ita dicta eſt, quòd à Prætore non diſcedebat. Atque hæc Cohors Prætoria equites & pedites habuit, Suetonius in *Calig.* cap. 45. Inſcriptio Romæ, pag. 562. 2.

1 L. 2. C. ſine cenſ. & reliq. 2 L. 15. C. T. de metall. & metallar. 3 L. 7. §. dabitur. D. de oper. libert.

1 L. 4. §. 1. D. de offic. Proconſul. 2 L. 1. D. de cuſtod. reor. 3 L. 1. C. T. eod. 3 L. unic C. T. de Stratorib. 5 Ad leg. unic. C. eod.

† Apud Gruterum loco cit. legitur, STATORI.
* Cap. ult. ubi videſis Notas.

A. SOLO. ZOSIMIANO
EQVIT. ROM. PRAET
COHORT

In Schola Draconariorum hominibus X. *ann.* XI. &c. In singulis cohortibus Draconis signum fuit, Veget. *lib.* 2. *cap.* 13. & qui signiferi portabant illud, Draconarii nominati. Dracones singuli à Draconariis per singulas cohortes, id est, decem in unaquaque legione, ad prælium efferebantur. Constantius Imperator post Magnentii exitium, Romam gestiebat visere: *Cùmque Urbi propinquaret, insidebat aureo carpento solus, fulgenti claritudine lapidum variorum. Quo micante lux quædam misceri videbatur, alternumque potestatis gradus multiplices: alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vario perflatiles, & ideo veluti irâ perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum*, Ammianus Marcellinus *lib.* 16. Julianus cùm à militibus Augustus appellatus est, *Maurus quidam nomine, abstractum sibi torquem, quo ut Draconarius utebatur, capiti Juliani confidenter imposuit*, idem *lib.* 20. Pro Draconario Socrates lib. 3. *Eccles. Hist.* cap. 1. δορυφόρον scripsit, unum ex Prætorianis militibus: Ὡς σέφανος βασιλικὸς ἐ παρῆν, εἷς τῶν δορυφόρων ὃν εἶχε περιτραχήλιον ἑαυτȣ̃ ςρεπὶὸν λαϐὼν περιτέθηκε: *Corona Imperatoris cùm tum non suppeteret, unus ex Prætorianis militibus torquem, quem circa collum gestabat, coronæ loco capiti imposuit.*

In Schola Chartulariorum hom. L. *ann.* LVIII. &c. Chartularii Numerariis, Actuariis, Adjutoribus, Scriniariis & Exceptoribus sedis excelsæ conjunguntur[1]: qui omnes rationes publicas tractabant. Chartularios fuisse fortè Numerariorum Adjutores scribit Cujacius, qui & Commentarienses ab Auctore *Etymologici* nuncupantur, Κομμενταρήσιοι· εἰσὶ δὲ καὶ οἱ νῦν λεγόμενοι Χαρτȣλάριοι. Charta vel chartula pro instrumento vel scriptura accipitur[2], à qua Chartularii dicti, qui variis in rebus & scriniis curam agebant[3]. Hi tractant chartas & tabulas fiscalium debitorum: atque fortè iidem Tractatores, ut quibusdam placet, appellantur; quod postea videbimus. Chartularios tamen Numerariorum Adjutores non dixerim, sed illis operam suam præbebant, & cum iisdem instrumentis publicis subscribebant, quæ à scriniis emittebantur[4]. Chartularii ergo, qui & Chartarii, Ennodius *lib.* 6. *epist.* 1. chartis & rationibus publicis erant obnoxii, & eorum Officium in observatione rationum[5]. Hos Tractatores qui putant, hac fortè legis auctoritate nituntur, quâ *ex judicio Præfecti Præt. sive studio Numerariorum aut Tractatorum, vel ipsorum jussu, qui pro tempore amplissimæ sedis administrationem suscipiunt, exactio publicarum pecuniarum injungebatur*[6]. Sed Τρακτευτὴς à Chartulario in eo differt, quòd is sub Præfecto Præt. delegationes conficeret, intra præfinitum tempus destinatas[7].

Delegationes tributorum per singulos annos mense Julio & Augusto, apud Præfectum Præt. uniuscujusque Diœceseos, atque apud Acta manifestari oportebat[8]. Hinc Actuarii & Chartularii conjunguntur. Tales autem delegationes dirigebantur Judicibus singularum Provinciarum initio cujusque indictionis. Judices verò Provinciæ eas proponere debebant in civitatibus, intra mensem Septembrem. Quòd si intra præfinitum tempus non sint delegationes destinatæ, Tracteotæ Provinciæ viginti librarum dispendio multantur[1].

Tracteotæ ergo ministerium in hujusmodi delegationibus versabatur. Sunt autem delegationes, descriptiones, quibus exigendorum tributorum & annonarum modus continetur. Hæ manant à Principe, insinuantur apud Acta Præfecti Præt. ac mittuntur in singulas Provincias: & qui mittebantur Delegatores à Delegationis munere vocabantur, illique descriptionum hujusmodi copiam Provincialibus dabant[2].

Chartularii nullum in his delegationibus officium lego, quod Tractatorum & Delegatorum proprium fuit. Quare Chartularios propriè χαρτοφύλακας non dixerim, sed χαρτογράφους: nam Scriniarii verè χαρτοφύλακές, & χαρτοφυλάκιον scrinium, Gloss. vet. Non prætermittam varios fuisse Chartularios: sunt enim divinarum domorum, sacri cubiculi, defensorum civitatum, largitionum Titulorum fabricensium; sunt etiam Ecclesiæ. Atque de his omnibus Constitutio Græca Justiniani ab Antonio Contio refertur[3], quæ numerum Chartulariorum continet, in Scrinio Orientis, qui pro ratione consuetudinum accipiebant pro emphyteuticis quidem instrumentis, quinquagesimas, pro conditionalibus verò, & ceteris contractibus, centesimam: Καὶ λαμϐάνȣσι λόγῳ συνηθειῶν, ἐπὶ μὲν τοῖς ἐμφυτευτικοῖς συμϐολαίοις πεντηκοςὰς, ἐπὶ δὲ τοῖς μισθωτικοῖς καὶ λοιποῖς συναλλάγμασιν ἑκαςὴν.

Grammaticis hominibus II. *ad ann.* X. *& ad cap.* II. *ad solidos* LXX. *sortitas.* Grammatici & Rhetores præceptores sunt studiorum liberalium, quæ ἐλεύθερα μαθήματα[4]. Hi non continentur Officio Præfecti Præt. sed quia de illorum honorariis aut annonis cognitio est Præsidum; annonæ illis præfinitæ sunt, quarum commoda à Populo præstantur[5], & in Notitia Africæ comprehenduntur: quòd annonarum ratio penes Præfectum Præt. tota resideat.

Quid verò hæc verba sibi velint, *annonas ad solidos* LXX. *sortitas*, non facilè intellectu est: Constantis & Constantii Constitutio ad Probum Præfectum Præt. hoc quodammodo aperit: *Unusquisque*, ajunt[6], *annonarias species, pro modo capitationis & sortium præbiturus, tribus vicibus summam conlationis implebit.* Annonæ sortitæ, in singulos taxatæ sunt, & sorte Provincialibus delegatæ. Ni quis malit in re minùs perspecta, sortiri annonas, eo sensu accipere, quo sortiri creditores[7]. Sed magis placet sortem pro taxatione accipere.

Oratoribus hominibus II. *ad ann.* X. *cap.* V. Constitutio Impp. Valentis, Gratiani, & Valentiniani scripta est ad Antonium Præfectum Præt. Galliarum[8], ut *per omnem Diœcesim illi commissam, frequentissimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine præceptorum, optimi quique erudiendæ præsideant juventuti.* Rhetores intelligunt & Grammaticos, Atticæ, Romanæque doctrinæ: quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum è fisco emolumenta donentur; Grammaticis Latino vel Græco duodecim annonarum deductior paulò numerus ex more præstetur, ut singulis urbibus, quæ metropoleis nuncupantur, nobilium Professorum electio celebretur. Nec verò liberum sit cuique civitati suos Doctores & Magistros pla-

1 Tit. C. de Numerar. Actuar. Chartul. 2 Novel. 48. Julian. Antecess. 3 Novel. 55. 4 L. 10. C. de Numerar. Actuar. 5 L. 11. C. T. de divers. offic. 6 Cujac. ad l. 10. C. de Numerar. & l. 6. C. de exactorib. & exsecutorib. 7 Novel. 128. Julian. 8 Novel. Jul. 130.

1 L. 4. C. de Canon. larg. tit. 2 Cujac. ad l. 4. C. de annon. & tribut. 3 L. 25. C. de sacrosanct. Eccles. 4 L. 1. D. de var. & extraord. cog. 5 L. 9. C. de Professorib. & Medic. 6 L. 15. C. T. de annon. &. trib. 7 L. 10. §. 1. D. quæ in fraud. credit. 8 L. 15. C. de Medic. & Professorib.

placito sibi juvare compendio: Triverorum vel clarissimæ civitati uberius aliquid deferatur: Rhetori, ut triginta: item viginti, Grammatico Latino: Græco, etiamsi qui dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ.

In hac præterea Notitia: *In Schola Singulariorum hominibus, præter annonas & capitum ad can. sol.* IIII. *In Scrinio operum cap.* II. *pro-ca. sol.* VIII. Pro-ca, interpretor pro canone: nam Imperatores annonam & vestem aliquibus è Scriniis & Scholis assignabant, ut militibus solebant. Sic Vegetius *lib.* 2. *cap.* 19. *Incongruum est*, ait, *militem, qui veste & annona pascitur, utilitatibus vacare privatis. Hæ vestes militares canonicæ dictæ sunt, & inde canon vestium* [1].

Hæc pro dispendiis civilibus, Judicibus Africæ eorumque Officiis, id est, tàm Scriniariis amplissimæ ejus Præfecturæ, quàm Cohortalibus per Justinianum Imp. constituta sunt.

CAP. XV.

De aliis Præfectorum Præt. Officiis, quæ in Africæ Notitia prætermissa sunt.

Cohortalium officia qui ex Scholis prodeunt, non satis sunt in Notitia explicata: horum militia Cohortalis dicitur [2], quæ ab Armata separatur. Armata enim seu militaris sub Magistro militum castra sequebatur; Cohortalis diversis Judicibus & potestatibus apparebat; quales sunt milites Præfecti Præt. Proconsulis, & aliorum Judicum. Cohortales, qui & Cohortalini dicti [3], armatam militiam accipere vetantur [4]: ii tamen causidicinam in foro amplissimæ Præfecturæ Orientis, atque Illyrici, vel urbano profitebantur judicio [5]. Magnus illorum numerus fuit, atque hinc Cohortalinorum grex [6], ex quo plerumque assumuntur, qui tabulas vel chartas fiscalium debitorum tractant, & Chartularii dicuntur. Cohortales autem ex variis Scholis prodibant, maximè verò ex Schola Agentium in rebus [7]: ex qua Principes sunt constituti Officiorum Præfecti Præt. qui ad illa Officia gubernanda diriguntur [8]. Hi quidem in Notitia non Principes, sed primi dicuntur: uterque πρωτοστάτης Gloss. vet. & principale Officium Cujacius interpretatur, Principis Agentium in rebus, lib. 15. *Observ.* cap. 3. Sed Principis nomen in multis usurpatur Officiis, nec solis Agentibus in rebus convenit. Tituli sunt in utroque C. *de Cohortalibus, Principibus, Cornicularius*, &c. Sunt etiam peculiares, ab his separati, *de Principibus Agentium in rebus.* Nam ut est Princeps Agentium; sic etiam est Princeps Cohortalis Officii [9]. In Officio unus tantùm Princeps; primores seu primates plures. Hi quidem Officiorum capita, quòd per omnia Scrinia & Scholas sint in capite constituti [10]: at Principes, Cornicularii, & Primates, semper distinguuntur, & diversa munera exsequuntur [11]: nam Officiorum capita, ut primates, & cetera, Principi Officii subjiciuntur, quo inconsulto qui ex eadem Schola, ad obsequia Præfecturæ Prætorianæ, post infinita discrimina & consumta ætatis parte meliore pervenit, Primores designati Officii nihil usurpant. Neque Præfectianus aliquis suæ præ-

1 L. 1. C. T. de distrah. pign. 2 L. 1. C. T. de cohortalib. princip. cornicul. 3 L. 14. C. T. de privileg. eor. qui in sacro Palat. 4 L. 3. C. qui militar. non poss. 5 L. 30. C. T. de cohortalib. 6 L. 26. C. T. eod. 7 L. 7. C. de principib. Agent. in reb. 8 L. 6. C. T. eod. 9 L. 31. C. T. de cohortalib. princip. 10 L. 11. C. de proxim. sacr. scrin. 11 L. fin. C. de offic. diversor. judic.

A sumit militiæ Sacramenta, neque matriculis eximitur, præter ejus conscientiam & consensum: ita ut eadem matricula Officii Prætoriani, in Principis potestate consistat, & annonis atque emolumentis [1]. Principis Officii auctoritatem possumus colligere ex legibus C. quæ sub titulis supradictis continentur.

Nemo Officialium in munus aliquod mittebatur, nisi Princeps ordinasset [2]. Nulla exsecutio sine adnotatione Principis usurpatione Officii concedebatur: nullam causarum Patroni ignorante Principe postulationem introducebant [3]. Sed hoc

B speciale Principibus Agentium in rebus fuit, ut iis Domesticos in suis actibus habere liceret, quorum fidem industriamque probatam sibi æstimarent, ex Constitutione Arcadii & Honorii, quæ scripta est ad Magistrum Officiorum [4]. Cujus exempla missa sunt ad Præfectum Præt. Italiæ, Præfectum Præt. Illyrici, Præfectum Vrbi, Comitem Ægypti, Comitem Orientis, Præfectum Augustalem, Proconsulem Achajæ, Vicarium Asiæ, Vicarium Ponticæ, qui omnes, ut lex ipsa indicat, Principem officii habuerunt, qui officia dirigeret.

Diversi autem Principes diversorum ordinum

C fuerunt in militia, ut Princeps castrorum, Princeps legionis, Princeps peregrinorum, à quibus Principis nomen ad Palatinam militiam transmissum est.

Hinc etiam in utraque militia Armata & Palatina sunt Cornicularii, quorum denominatio varia est. Nam Cornicularii armatæ dicti à corniculo, quod est ornamentum militare, illudque inter dona militaria numeratur. Livius *lib.* 10. *Omnes ob insignem in multis locis navatam operam Papirius corniculis armillisque donavit.* At Cornicularii Præfecti Præt. ut aliorum Magistratuum, sunt Officiales qui adsunt cornibus Secretarii Græcis ὑπασπισαί [5].

D Cornicularіis, ex Cassiodoro, perfunctis Officio septingenti solidi solvebantur: *Præfuerunt enim*, ait, *curribus Secretarii Prætoriani*, lib. 11. *Variar.* 36. Hæc lectio planè corrupta est: quam quidam immutant, & pro *curribus* legunt *juribus Secretarii.* Sed verba Cassiodori hanc emendationem non ferunt, qui à curribus Secretarii nomen Corniculario derivatum tradit, quod nullo jure à juribus trahi potest. Quare pro *curribus* lego *cornibus Secretarii.*

Cornicularii autem Præfecti erant exsequendis sententiis damnatorum, Maternus *lib.* 2. & qui

E Præfectiani singulis annis ex numero deputatorum exibant, transactis corniculis, Principis purpuram adorabant [6]. Quod facit ad Cassiodori mentem, dum loquitur de Corniculario qui egreditur, & Corniculario qui accedit, lib. 11. *Variar.* 19. & 20.

De duobus deputatorum ordinibus, quorum alii saucios milites curabant, alii arma fabricabant, alio loco scribemus, ne à Cornicularіis aberremus, de quibus elegans Inscriptio hæc est, pag. 350. 1.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. V.
CORNICVLARIO. PR. PR
F DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO. ET. AB
IMP. CAESARE. TRAIAN
HADRIANO. AVG. HASTA. PVRA
ET. CORONA. AVREA

1 Novel. Theod. de princip. Agent. in reb. 37. 2 L. 11. C. T. de princip. Agent. in reb. 3 L. 4. C. T. eod. 4 L. 8. C. T. eod. 5 Cujac. ad l. 2. C. de proxim. sacr. scrin. 6 L. 8. C. T. de diversf. offic.

Notæ litterarum PR. PR. Cornicularium Præfecti Præt. demonstrant, multis honoribus decoratum. Quare meritò Cornicularii inter primates Officii collocantur, illorumque munus honor vocatur [1].

Cura Epistolarum inter Officia Præfecti Præt. recensetur. A Cassiodoro *Epistolarum Canonicarum cura* dicitur lib. 11. *Variar.* 23. atque etiam inter Officia Præfecti Vrbi numeratur. Lex est Theodosii [2] ad ipsum Vrbi Præfectum: *Primicerius Adjutor tuæ sedis Officii, per biennium, quod in eodem gradu & consuetudine ordinationis meruit, curam insuper personarum, usurpatione omni & ambitione cessante suscipiat.* Legit Contius ex V. C. *Primicerius Adjutorum*, & rectè. Curam personarum, nullo sensu dictam censet Cujacius lib. 13. *Observat.* cap. 1. mavultque legi *curam Epistolarum*. Subtilis quidem conjectura illa est, nec improbanda. Sed à vulgata lectione recedere non soleo, si sola conjectura mutetur, cùm defendi possit. Verba ipsa legis maximè me movent, *curam insuper personarum, omni ambitione cessante suscipiat.* Quid enim Primicerius Adjutorum Vrbanæ Præfecturæ, ambitione cessante, curam Epistolarum susciperet? Cessantem ambitionem interpretor, quòd ad inferiorem gradum Primicerius transire videretur, cùm personarum cura illi commissa est, quæ Optionum & Valetudinariorum propria erat. Vt Inscriptio Luccii superiùs allata ostendit, qui, pag. 431. 9.

MILITAVIT. IN. COHOR
VRB. ADIVTOR. TRIBVN
SECVTOR. OPTIO. VALETVDIN.

Optionis & Valetudinarii gradus inferior fuit, ut ipse Cujacius annotavit lib. 6. *Observat.* cap. 33. quem ambire Primicerius non optavit, sed cessante ambitione, invitus suscepit.

Curam Epistolarum, Epistolarem dictum Pancirollus asserit, cui non credo: nam cura illa ex Cassiodoro Epistolarum canonicarum fuit: & canones inferuntur aut ærario, aut arcæ sive mensæ Præfectoriæ, ex qua emolumenta solennia & pensiones præbentur. Satis curarum hic habuit, cui proprium nomen inditum est ab iis curis, & quem Epistolarem nullo alio Auctore agnoscere debeo: nec enim nomina his Officiis temerè imposita sunt, nec temerè commiscenda.

Regendarius cursum publicum regebat. Glossæ Basilicæ, Ῥεγενδάριοι οἱ τὸν δημόσιον δρόμον ἰθύνοντες. De quibus Cassiodorus lib. 11. *Variar.* 9. *Habet*, inquit, *suam gloriam, qui pensatis excubiis, ad militarem noscitur pervenire fortunam. Hinc est quòd Regendarii locum feliciter obtinere censemus, ut spe futuri provectus, avidiùs Prætorianis possit inhærere laboribus.* Puto ego Regendarios dictos à regerendo, unde Regesta denominantur. Frustra Regendarium à Theodosio Libellensem vocatum Pancirollus tradit [3], & ab aliis à libellis. Nam Theodosius cùm de Epistolaribus & Libellensibus loquitur, nihil usquam de Præfecti Præt. Officiis cogitavit [4], qui in Scrinio libellorum septem homines habuit [5]: & absurdum esset Regendarium in cursu publico occupatum ad libellos excipiendos remittere. Ille enim Evectiones regerebat, id est, in librum seu regestum referebat. Evectionum autem faciendarum Imperatori aut Præt. Præfecto reservatur potestas [6]. De Evectionibus & Tractoriis tractabimus alibi.

Atque hæc de Officiis, quæ in Notitiæ Præfecti Africæ & Imperii continentur. Sed pleraque alia ex probatis Auctoribus & Impp. Constitutionibus occurrunt. Cassiodorus cùm de promotionibus Officii Prætoriani loquitur, addit Primiscrinium qui egreditur, & Primiscrinium qui accedit, Scriniarium Actorum, Scriniarium curæ militaris, Prærogativarium, Primicerium deputatorum: quorum omnium Officia explicat lib. 11. *Variar.* 19. 20. cum seq.

Sunt præterea in Imperatorum legibus hæc Præfecti Præt. Officia: Domesticus, Protector, Agens in rebus, Palatinus utriusque Officii, & Comes Illustrium [1]: *Qui probibentur ad illam Provinciam, ex qua oriundi sunt, vel in qua larem collocarunt, obtentu publicæ necessitatis dirigi, ut ipse qui se mitti voluerit, matriculis exemtus, auri libram unam fisco inferre cogatur.*

Titulus est in utroque C. *de Domesticis & Protectoribus.* Protectores & Domestici sunt; nec tamen omnes Domestici, Protectores dicuntur, sed à Protectoribus distinguuntur:, licèt ea quæ concessa sunt Domesticis, ad Protectores trahantur [2]. Alii autem sunt Domestici & Protectores Principis, alii Judicum, quorum nomen commune est, cùm eandem militiam sustineant, sed munera diversa.

Domestici Judicum privatis illorum negotiis vacabant, & à publicis actibus arcentur. Nam *si necessitatibus publicis convicti sint se immiscuisse, ad potestatis majoris examen deducuntur, ut competens in eos vindicta promatur* [3]. Hi etiam post finitam Magistratuum administrationem, dies quinquaginta in Provinciis residere debuerunt, ut si quid peccassent, pro modo delicti plecterentur [4].

At Principis, & Præfecti Præt. Domestici publicis illorum usibus deserviunt, & in exsecutione tributorum Comitibus obsequebantur, Cassiodorus lib. 9. *Variar.* 13. quod Domesticis Judicum vetitum fuit, qui nec Scholam, nec Comitem habuerunt [5]. De Comite Domesticorum nos suo loco: ad Protectores venio qui à Domesticis separantur. De Protectoribus hæc Cedrenus in *Histor. compend.* in *Gordianis*: *Junior Gordianus*, ait, *post Pupienum Imperator creatus mensibus tribus Principatum tenuit. Is primus instituit Candidatos & Protectores, & ordinem Scholarium, quem à se Juniorum appellavit*: Ὃς πρῶτος ἐποίησε Κανδιδάτον καὶ Προτίκτορας, καὶ τὸ τάγμα τῶν Σχολαρίων συστησάμενος ἐκάλεσεν αὐτὸ Ἰουνιώρων, ὡς τὸ ἴδιον ὄνομα. Inde Candidati duplares, Candidati simplares, qui duplas vel simplas consequebantur annonas, Veget. *lib.* 2. *cap.* 7. Protectores Glossis veteribus προασπισαὶ, quasi clypeo objecto propugnatores: Domestici, οἰκειακοί. Herodiano optimo Scriptori *lib.* 4. σωματοφύλακες, *corporis servatores*, qui cum corpore custodibus non confunduntur, quos paulò post vocat φρουροὺς τοῦ σώματος, qui erant Equites Germani. Atque hi dignitate Protectoribus impares, inter Domesticos non comprehenduntur. Robora Germanorum custodes Tiberio aderant, unde Inscriptio vetus Romæ, pag. 600. 12.

BASSVS. NERONIS. CAESARIS
CORPORE. CVSTOS
NATIONE. FRISIVS.

Item alia Interamnæ, pag. ead. 13.

HILARIVS
NERONIS. CAESARIS
CORPORE. CVSTOS
NATIONE FRISAEO

1 L. 9. C. T. de divers. offic. 2 L. fin. C. de offic. Præfect. Vrb. 3 Cap. 18. ad Notitiam. 4 L. 32. C. de appellationib. 5 L. 1. C. de offic. Præfect. Præt. Afric. 6 L. 40. C. de curs. public.

1 L. 4. C. T. de exactorib. & exsecutorib. 2 L. 6. & 9. C. T. de Domestic. & Protectorib. 3 L. 4. C. de adsessorib. 4 L. 3. C. eod. 5 L. 4. C. T. de exsecutorib. & exactorib.

φρουροὶ, corpore custodes, sunt milites præsidiarii, vigiles, excubitores, ut plurimùm peregrini & Germani. Hanc Germanorum cohortem à Cæsaribus olim institutam, multisque experimentis fidelissimam dissolvit Galba, ac sine ullo commodo remisit in patriam, Suetonius in *Galba* cap. 12. & in *Caligula* cap. 58.

At Protectores nobiliores σωματοφύλακες, non custodes solùm corpore, sed corporis Principis custodes, quos nos diceremus, *Les Gardes du Corps*, armatam militiam subeunt, & protegendi lateris Principis sollicitudinem patiuntur[1]: nec in foribus Palatii excubias agere solebant, nisi grande aliquod periculum immineret.

Veteranis plurimùm honor Protectorum defertur, aut Domesticorum[2]. Hinc Constantinus veteranos vocat *protectoria dignitate cumulatos*[3]. Illi quandoque ad inquisitionem vagorum per Provincias dirigebantur[4]. Quandoque mittebantur ad juvandas in Provinciis necessitates publicas: ut à Constantio decem Protectores in Galliam ad hanc rem missi sunt, Ammianus Marcellinus *lib.* 15. His etiam nobilium rerum custodia mandata est, idem *lib.* 19.

Veterani, qui honoris Protectorum candidati, à Cassiodoro *Prærogativarii* dicuntur lib. 11. *Variar.* 27. ab eo quòd *Veteranis*, ait Symmachus *lib.* 3. *epist.* 67. *prærogativa debetur, ut illis Protectorum dignitas tanquam pretium longi laboris accedat.* De Protectoribus variæ sunt Inscriptiones, inter quas Protector & Notarius invenitur pag. 626. 8.

L. VITALIS. V. C. PROTECTOR
ET. NOTARIVS

Protector & Scriba Librarius, pag. 626. 7.

P. ANNIO. PROTECTO. SCRIB
LIBR

Sunt & Protectores Ducenarii, pag. 531. 2.

ET. MEMORIAE. ATTINIAE
AVRELIVS. ROMANVS
PROTECTOR. DVCENARIVS

Ducenarii & Centenarii sunt ex Schola Agentium in rebus, sed hîc Ducenarius armatæ militiæ nomen est, & pro eo accipitur, qui duas centurias, seu ducenos milites ducebat in acie, Veget. *lib.* 2. *cap.* 8. Hinc Protectores Ducenarii, qui ceteros & ipsos Protectores Prætorianos regebant: quique apud Præfectum Præt. Comitis Protectorum, qui Comes Illustrium, vices gerebant, & omnibus Protectoribus imperabant.

Habuit ergo Præfectus Præt. Protectores, seu corporis custodes: habuit Agentes in rebus, de quibus nos posthac ampliùs: habuit Palatinos utriusque officii[5], hoc est, tàm equites quàm pedites, ex quorum officio etiam Mittendarii fuerunt[6].

Sunt præterea in Officio Præfecti Præt. Lampadarii, de quibus Novella est unica Imp. Valentiniani. Hi à lampade ferenda dicti inter Apparitores Præfecti Præt. numerantur Novella Juliani Antecessoris[7], cùm de annonis Quæstoris loquitur, qui exercitui præerat: *Huic*, ait, *Princeps apparitionem dedit, ad imitationem quandam Præfecti Præt. id est, Scriniarium & Præcones, & Lampadarios, & omnem deinceps ordinem.* De Scriniario & Præconibus nota sunt quæ hîc adferre possem. Sed sunt præterea Mensores, de quibus Novella est Theodosii & Valentis[1], quâ Officio Prætoriano Mensores pro mansionum suarum quiete concedunt.

Mensores seu Metatores ex Ministerianis Principi hospitia parabant[2]. Hi deputatas singulis quibusque domos enotabant, & hospitaturi nomen postibus adscribebant: nobis sunt *des Fourriers.* Lampridius Alexandri Imperatoris virtutem extollit, in eo quòd itinerum suorum dies publicè proponebatur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum erat: *Illa die, illa hora, ab Vrbe sum exiturus, & si Dii voluerint, in prima mansione mansurus*, &c. in *Alexandro*.

Mansiones pro unius diei itinere accipiuntur. Cassianus *Collation.* 24. cap. 4. *Septem siquidem mansionibus vastissimæ solitudinis deserta penetramus.* Idem de Paulo Abbate lib. 10. *Instit.* cap. 24. *Ab oppidis & habitabili terra, septem mansionibus, vel eò ampliùs, deserti illius separata habitatio.* Sic etiam apud Plinium *lib.* 12. *cap.* 14. mansio pro unius diei itinere usurpatur: *Mansionibus octo*, ait, *stat regio thurifera à monte excelso, vel pro stationibus militum, vel iter agentium.*

CAP. XVI.

De Sedibus Præfectorum Prætorio. De vicem Præfectorum gerentibus. De honoraria Præfectura, & Præfecturæ insignibus.

PHilippus Bertherius in Senatu Tolosano Præses, Imperii Romani Notitiam suis scriptis maximè illustravit. Ille quidem ex Novella Justiniani CXXVIII. in quavis Orbis Romani Diœcesi Præfecti Præt. tribunal agnoscit, nec proprias illius fuisse sedes inficiatur, lib. 1. *Pithan.* cap. 8. Sedem vir eruditus à tribunali distinxit, illamque pro Metropoli, in qua Præfectus morari solebat, accipere videtur: hac ratione motus, quòd Justinianus Præfecti Præt. Africæ sedem jussit esse Carthaginem[3]. Sic fuit Præfecti Præt. Orientis sedes Antiochia, in qua, ut prodit Strabo *lib.* 16. regiam habebant, qui regioni præerant, βασίλειον ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας. Thessalonica Illyrici caput, sedes fuit Præfecti Illyrici: Præfecti Italiæ, Mediolanum: Præfecti Galliarum, Treveris. Sedes tamen pro foro & pro Tribunali Præfecti Præt. frequentiùs accipitur; quæ sedes amplissima, excelsa, sublimissima dicitur: & verè est Præfecti tribunal: nam Sedere propriè dicitur, cùm pro Tribunali jus reddit[4]. Hinc sessionum dies, quibus pro Tribunali expediuntur ea quæ causæ cognitionem desiderant[5]. Dies Sessionum ἀγοραῖοι. In *Actis Apostolorum* cap. 19. vertit Interpres *Conventus forenses.* Cùm orta esset Ephesi seditio in Paulum, *Scriba sedavit turbas, & dixit: Conventus forenses aguntur, & Proconsules adsunt, accusent invicem:* Ἀγοραῖοι ἄγονται, καὶ Ἀνθύπατοί εἰσιν, ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις. Hos Conventuum seu Sessionum dies ipse Paulus 1. *Corinth.* cap. 4. vocat ἀνθρωπίνην ἡμέραν, *humanum diem.*

1 L. 9. C. T. de Domestic. & Protectorib. 2 L. 2. C. de Veteran. 3 L. 5. C. T. eod. 4 L. 10. C. de desertorib. 5 L. 4. C. de exsecutorib. & exactorib. 6 L. 8. C. de Palatin. sacr. larg. 7 Novel. 41. Julian. Antecess.

1 De Offic. & Numerar. Præfect. 2 L. 1. C. de metatis. 3 L. 1. C. de offic. Præfect. Præt. Afric. 4 L. Divus. D. de in integr. restitut. 5 L. 2. §. dies, D. quis ord. in bonor. possess.

Sic ergo Præfecti Præt. ſedes, tribunal & forum in quavis Orbis Romani Diœceſi & Provincia fuit, ſummumque in omnes ſui tractus locos imperium exercuit. Ex Martyrologio potiſſimùm liquet Præfectos Præt. variis cruciatibus Chriſtianos addixiſſe, ſententiâ ab eis pro Tribunali ſedentibus in Martyres prolatâ. Romæ ſub Alexandro Imp. & Vlpiano Præfecto, plurimi Martyres, diu cruciati, ad extremum capitali ſententia damnati ſunt, Martyrolog. 2. Martii. Crudeliſſimus in Chriſtianos fuit Vlpianus Lactantii teſtimonio[1]: *Quin etiam*, ait, *ſceleratiſſimi homicidæ contra pios impia jura condiderunt. Nam & conſtitutiones ſacrilegæ, & Juriſperitorum diſputationes leguntur injuſtæ. Domitius* (qui Vlpianus eſt) *de Officio Proconſulis lib. 7. Reſcripta Principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui ſe cultores Dei confitentur*. Nec exciderunt leges illæ lib. VII. ut quidam putant: harum enim fragmenta in Pandectarum libris reſtant plurima[2]: ex quibus expunxit Tribonianus, quæ in Chriſtianos ſcripta erant. Præfectorum autem ampliſſima Judicia ſententiæ ampliſſimæ ſedis dictæ ſunt[3], ut tribunal ampliſſimæ Præfecturæ, forum appellatum[4].

Eandem planè poteſtatem, eundemque honorem adepti ſunt, qui vices Præfecti Præt. egerunt: neque enim hi pro Vicariis Præfectorum intelligendi ſunt. Etenim *qui vice Præfecti cognoſcit, id habet ex mandato Principis: & ab eo deportati, ſtatim amittunt civitatem*[5]. Jus autem deportandi datum eſt Præfecto Præt. atque ei qui vicem ejus ſuſtinet: quod Præfecto Vrbi nec Vicariis Præfectorum conceſſum eſt. Quare rectè Accurſius hæc verba legis, *qui vice Præfecti cognoſcit*, de eo interpretatur, qui in locum Præfecti defuncti ſubrogatur. Inſcriptio legis eſt ad Dracilianum Agentem vices Præfecti Præt.[6]; hic Propræfectus etiam dictus eſt, ex inſcriptione quam ſuprà attulimus. *Propræfecto Aſiam regere*, dixit Ammianus Marcellinus *lib.* 29. Aurelius Victor in *Conſtantino*, *Propræfecto regere*.

Præfectoria verò dignitas dicitur, non ſolùm Præfectorum Præt. ſed etiam Præfecti Vrbis, & Magiſtrorum militum[7]. Ea verò duplex fuit, quæ aut in ipſo geſtu præfulget, & quæ honoraria eſt. Honorariam dicimus cùm Codicillos aliquis accipit ab Imperatore, quibus dignitas ei præſtabatur, quaſi & is Præfectus fuiſſet, ſive Magiſter militum. In ipſo autem geſtu, ſive actu poſitus eſt, qui reverà, vel Præfectus, vel Magiſter militum factus eſt. Itaque *ſi Curialis homo*, ut ſuprà notamus, *Præfectoria dignitate potitus fuerit, ſiquidem honoraria, manet in eadem conditione conſtitutus. Sin autem reverà Præfecturam nactus eſt, vel Magiſterium militum, tunc curiæ nexibus liberatur.* Honorarius ergo eſt qui non geſſit Magiſtratum, ſed cui Magiſtratus honores donantur codicillis ab Imperatore impetratis. Atque hi codicillares honores dicti, Lampridius in *Alexandro*. Codicillorum formulam Caſſiodorus refert, lib. 6. *Variar.* 10. Hi honores ab Imperatoribus adumbrati vocantur[8]. Honorarii tituli dignitatum, nullo laborioſo adminiſtrationis actu acquiſiti[9]: honores emendicati[10]. Hic autem ordo in hujuſmodi honoribus ſervatur, *ne ſingulorum*

1 Lib. 5. Inſtit. cap. 11. 2 L. 7. D. de accuſationib. l. 1. D. ad leg. Jul. majeſt. l. 6. D. ad leg. Jul. de vi public. l. 4. ad leg. Corn. de ſicar. l. 8. D. ad leg. Corn. de falſ. l. 6. D. ad leg. Jul. peculat. l. 5. D. de pœnis. 3 L. 32. §. executorib. C. de Epiſcop. & Cleric. 4 L. 30. C. T. de cohortalib. 5 L. 1. §. à Præfecto. D. de leg. 3. 6 L. 1. C. T. de uſuris. 7 Novel. Julian. 70. 8 L. 6. C. T. de honor. codicil. 9 L. 187. C. T. de Decurionib. 10 L. 5. C. T. de honor. codicil.

A *quorumcunque codicillares dignitates, his qui inſignia adminiſtrationis geſſerint, præferantur*[1]. Singulorum dignitates nuncupantur, quæ privilegio nituntur, & jure ſingulari tributæ ſunt: quas aliqui abſque adminiſtratione imaginarias meruerunt. Sed qui eas adepti ſunt, nullâ temporis prærogativâ utuntur, ſed poſtponuntur iis qui in eodem loco poſiti eam poteſtatem geſſiſſent.

Præterea nullum honorarii cingulum geſtant, cùm nullo antegeſtæ adminiſtrationis merito honorem conſecuti ſunt, ſed ſolo Codicillorum Principis beneficio ornantur[2].

B Huic capiti pro corollario adjicio inſignia Præfecti Præt. ut in Notitia Imperii depicta ſunt. Primùm vultus Principis auratæ pilæ & erectæ præfixos habuerunt, & menſam tapeto ornatam, in qua candelabra quatuor hinc inde diſpoſita, luminibus ardentibus apta: atque in medio eorum Codex ſive mandatorum liber, duabus fibulis occluſus, in cujus integumenti umbilico imago item Principis impreſſa eſt. Carpentum quoque quadrijugum. In inſignibus Præfecti Præt. Italiæ ſunt tres muliebri ſpecie ſtatuæ, cum Diœceſium inſcriptione, Italia, Illyricum, Africa. Harum unaquæque diſcum ambabus manibus portat, pecuniâ C ſignatâ refertum.

Scripſit Petrus Faber lib. 1. *Semeſtr.* cap. 3. Carpentum Præfecto Præt. ſoli tributum, atque Vopiſcum in *Aureliano* arguit, qui Præfecto Vrbis illud conceſſum tradit: *Homo Syracuſanus*, inquit, *Carpentum pro ſella Curuli nominavit.* Sed eadem prorſus inſignia Præfectus Vrbi habuit, quæ Præfectus Prætorio, & carpentum omnino ſimile, demtis Diœceſibus muliebri effigie depictis. Nec moveor quòd Senatus Meſſalinæ Claudii conceſſit, ut carpento uteretur, Dio *lib.* 58. Καὶ τῇ Μεσσαλίνῃ τῷ καρπέντῳ χρῆσθαι ἔδοσαν. Quæ triumphantem Claudium eodem carpento ſecuta eſt, D Suetonius in *Claudio* cap. 17. Quod Præfectorum Præt. auget dignitatem, quam Caſaubonus *ad d. cap.* 17. non advertit, qui carpentum nihil aliud eſſe quàm vehiculum ex Vopiſco credit: Judiceſque honoratiores, ex Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptoribus, vehiculis uſos fruſtra colligit. Vehicula enim ſunt carrucæ, quibus non ſolùm Magiſtratus, ſed etiam privati uſi ſunt, illiſque argentatis, cùm antea auratæ fuiſſent, & eboratæ, idque ex indulgentia Principis Aureliani, Vopiſcus in *Aure-* E *liano.* Sed Præfectorum carpentum pompaticum fuit, ut Iſidorus loquitur *lib.* 20. *cap.* 12. Ceterorum Magiſtratuum, qui majores erant, inſignia alia fuerunt, ut Vlpianus docet[3]: *In Edicto de poſtulando*, ait, *Prætor excepit ſexum & caſum. Sexum, dum fœminas prohibet poſtulare: caſum, dum cæcum utriſque luminibus orbatum repellit. Videlicet quod inſignia Magiſtratus videre & revereri non poſſit.* Quæ ſint illa inſignia poſtea ſic explicat: *Refert etiam Labeo Publilium cæcum, Aſprenatis Noni patrem, averſa ſella à Bruto deſtitutum cùm vellet poſtulare.*

Curulis ergo ſella, in qua Magiſtratus jus dicebant, illius inſigne fuit: quæ inter honores ſummos computata eſt. *Honores*, ait Tacitus lib. 11. F *Annal. ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut ſedes Curules Sacerdotum Auguſtalium locis, ſuperque eas coronæ querceæ ſtatuerentur.*

Inter Præfecti Præt. inſignia & honores non comprehendo ea, quæ illi extra ordinem decreta ſunt, jure quodam ſingulari. Vt cùm Claudius Imperator Rubrio Pollioni imaginem & ſedem in Senatu, quoties ſe comitaretur in curiam, conceſſit,

1 L. 7. & 8. C. T. eod. 2 L. 1. C. T. qui à præbit. Tiron. 3 L. 1. §. caſum. D. de poſtuland.

sit, Dio *lib.* 58. Εἰκόνα καὶ ἕδραν ἐν τῷ βυλευτικῷ. De imagine & sede, quam Curulem intellexit Dio, silet Suetonius, qui Claudium, ut sibi in curiam Præfectum Præt. Tribunosque militum secum inducere liceret, precariò exegisse tradit in *Claudio* cap. 12. Et rectè, precariò, cùm Præfectus tum ex Equestri Ordine sumeretur. Postea enim Præfecti Præt. ab Alexandro Senatores facti, jus sedendi in Senatu, cum suis Vicariis habuerunt [1].

CAP. XVII.

De Notitia Consuetudinum Præfectorum Præt. & de Sportulis Officiorum.

NOtitia *Consuetudinum*, ait Imperator [2], *quas in sacro laterculo, & in Prætorio amplissimæ Præfecturæ per Africam, pro tempore Dux præbere debet, uniusque limitis sic. In sacro laterculo solidos sex. In Officio Magisteriæ militum potestatis, pro insinuandis administrationis suæ divinis nostræ serenitatis adfatibus, solidos* XII. *In Officio amplissimæ Præfecturæ per Africam, pro insinuandis ejusdem Chartis, solidos* XII. *Hæc consuetudo non solùm ad Duces limitum, sed & ad Judices civiles porrigitur: qui ne multa dispendia pro completione chartarum, vel codicillorum, vel in sacro laterculo, vel in Scrinio Præfecti Præt. per Africam sustinerent: in laterculo pro codicillorum atque chartularum promotionis suæ consuetudinibus, nihil ultra sex solidos præbere tenentur. In Scrinio verò Præfectorum non ultra duodecim solidos coguntur inferre* [3]. Codicilli nobis sunt *Provisions:* Completio chartarum, *Controlles & Enregistremens.*

Consuetudines hîc non pro jure moribus constituto, quod legis habet vigorem, accipiendæ sunt; sed pro iis, quæ sunt moris, & quæ non juris, *Les menus droits*, quæ etiam in bonæ fidei Judiciis venire solent [4]. Propriè tamen consuetudo pro debita impensa & solita intelligitur. Unde telonia & tributa plerumque consuetudines appellantur, Cassiodorus 1. *Variar.* 10. Hoc sensu consuetudines in Caroli Magni *Capitulis* lib. 4. art. 47. usurpantur, ubi consuetudines sunt tributa, quæ Franciscus Pithœus popularis meus interpretatur, ἅπερ ἡ συνήθεια δίδοσθαι γινώσκει. Titulus est in libris Basilicῶn *de consuetudinibus, quæ à Provincialibus dantur, perferentibus & insinuantibus missas à Principe sacras sive Judiciales litteras*, lib. 57. Περὶ συνηθειῶν τῶν διδομένων παρὰ τῶν ἐπαρχιωτῶν τοῖς διακομίζουσι καὶ ἐμφαίνουσι τὰς ἐκ βασιλέως ἀπεσαλμένας σάκρας, ἤτοι ἐπαναγνωστικά. Donum ergo ordinarium sive salarium consuetudo dicitur, ὀψώνιον, συνήθεια, stipendia solita. Quæ consuetudines ad Ecclesiasticum etiam ordinem transierunt. Etenim pro consuetudine ab Episcopis consecratis præstabantur Patriarchis auri libræ viginti, vel ea tantùm, quæ vult consuetudo [5]. Metropolitanus autem, qui à Concilio suo, vel Beatissimis Patriarchis creatur, & omnes alii Episcopi, qui vel à Patriarchis, vel à Metropolitanis consecrantur, siquidem non minùs triginta auri libris habeat Ecclesia consecrati, dabit pro Cathedratico solidos centum. Notariis autem consecrantis, & aliis qui ex consuetudine capiunt, solidos trecentos. Deinde eadem Novella sancitum est [6]: Ut nullus Clericus cujuscunque gradus præstet aliquid ei à quo consecratur, vel alii cuique personæ. Solas autem consuetudines consecratori, & Ministris ejus, ex more capientibus, unius anni diaria non excedentes pecunias præstet. Hinc Gregorius Papa ad Stephanum Castrium, prohibet Episcopos novas consuetudines imponere [1]. Cathedra Hesychio, καθέδρα θυσία, in qua sacra fiunt: Cathedraticum jus exedræ sive sedis: diaria sunt annales reditus.

Sed ut ad Prætorio Præfecti consuetudines redeamus, observandum est, illas non tantùm in chartarum insinuatione, & promotione Judicum consistere, sed & in aliis juribus, quæ more persolvi consueverunt: quale est ex Constitutione Anastasii Imp. introductum apud Antonium Augustinum [2], quod προαπεσαλμένον seu ἀπεσαλμένον [3], hoc est, antemissum, quod juxta consuetudinem inferebatur initio singularum indictionum.

Nonnunquam Sportulæ pro consuetudinibus usurpantur, ut ex Juliani Antecessoris Novella colligitur [4]: *Liceat*, inquit, *Illustribus viris Patriciatus codicillos accipere, quamvis neque Consulares, neque Præfectorii facti sint. Illud autem certum est, quòd tertiam partem Sportularum in ingressu dignitatis dare compelluntur: omnibus aliis ex consuetudine Sportulis dandis, in quavis promotione sua firmitate durantibus.*

Propriè tamen ex lege Justiniani [5], Sportulæ ab Officio, tàm viri magnifici Præfecti Præt. quàm reliquorum Judicum exiguntur, nullusque audet quocumque modo earum excedere quantitatem.

Consuetudines Judicum, vel Ducum, ad certam summam Justinianus se redegisse ait, *quia si ipsi Judices dispendiis læsi non fuerint, nullam habebunt necessitatem tributarios prægravandi; sicque nullas Judices impensas perferunt, quin ab aliis jure vel injuria exigant.*

Judices militares, qui his consuetudinibus obligantur, sunt Duces utriusque limitis, qui duplex consuetudinum onus sustinent [6]. Nam *in Officio Magisteriæ militum potestatis, pro insinuandis administrationis suæ Principis adfatibus, solvunt solidos* XII. *totidemque in Officio amplissimæ Præfecturæ, pro insinuandis eorundem chartis.* Affatus divinos vocat Imperator Rescripta sua [7].

Maximè verò Principes laborarunt in constituendo Sportularum modo, quæ à Judicibus vel eorumOfficiis percipiuntur. Exstat Zenonis Constitutio [8], quâ de Sportulis ita cavetur: „Ipsis quoque Sportulis, & fideijussionibus modum constituimus observandum, ut conventi non alium fidejussorem, nisi Actuarium, vel unum ex Primatibus suæ Scholæ, exsecutoribus pro responsione suæ personæ, sine scripto præstent, sive in causis civilibus appetantur, sive in criminalibus accusentur. Nec ultrà conventionis nomine Sportularum, quàm unum aureum exsecutoribus usque ad finem litis præstent, quemcunque contigerit conveniri. Inducendorum sanè nomine & cognitionum exercendarum, standæque personæ gratiâ, ex simplici postulatione, contra eos habita, sive ex appellatione subsecuta, vel alio quolibet modo, in Judicio deponatur. Tribus solidis tantummodo usque ad terminum negotii, eos qui accepturi sunt, percipiuntur esse contenti. In cognitionalibus verò gestis edendis, duo tantummodo solidi præstantur.

Hinc pœna constituta est à Justiniano [9], *Si quis ma-*

1 L. 17. C. T. de legat. 2 L. 2. §. notitia. C. de offic. Præfect. Præt. Afric. 3 L. 1. §. hoc etiam. C. eod. 4 L. quòd si nolet, §. quia assidua. D. de Ædilit. edict. 5 Novel. Julian. 123. cap. 5. 6 Cap. 23.

1 Cap. 3. extr. de censib. 2 De annon. & tribut. 3 L. 13. C. de annon. & tribut. 4 Novel. 62. 5 L. 1. §. speculas. C. de offic. Præfect. Præt. Afric. 6 L. 2. §. notitia. C. eod. 7 L. 3. C. T. de stud. lib. Urb. Rom. 8 L. 4. C. de Castrensian. 9 §. tripli, Instit. de actionib.

majorem veræ æſtimationis quantitatem in libello conventionis inſeruit, & ex hac cauſa viatores, id eſt, exſecutores litium, ampliorem ſummam Sportularum nomine exigant. Quod Theophilus explicat, ex quo diſcimus Sportulas pro ſummæ, quæ petebatur, ratione exigi ſolere. Ille enim: Cùm centum, inquit, aureos quis debet, nec ampliùs, libellum ei mille aureorum quis miſerit: hoc facto neceſſe ei fuit, majores dare Sportulas. Et quoniam ſex aureos plus dedit, quàm ex vero dare debebat, naſcitur adversùs Actorem conditio ex lege. Quod à Juſtiniano conſtitutum tradit, διάταξίς ἐστὶ τοῦ ἡμετέρου Βασιλέως. Quæ Conſtitutio diu ignorata, viris magnis occaſionem dedit ex Theophilo de Sportulis argumenta texere, inter quos Antonius Contius[1], & Antonius Auguſtinus[2].

Græcas Conſtitutiones ex Baſilicis Cujacius edidit lib. 12. *Obſervat.* cap. 17. ex quibus & Novellis[3], Sportularum modum definitum tradit, pro modo petitæ quantitatis, id eſt, in centenos aureos dimidiatum: & conſequenter in ducentos, aureum unum; in millenos, ſex. Sed qui Principis edicta in Provinciam perferunt, XV. aureos à Provincialibus accipere poſſunt: Nuntiatores ſacrarum litterarum aureos ſex: ut Nuntiatores generalium formarum Præfecti Præt. aut ſtatuarum ponendarum Principi in aliqua civitate. Atque hic eſt Sportularum modus quæ Officiis debentur.

Nec verò Sportulæ variis Officiis & Exſecutoribus litium ſeu Viatoribus tantùm conceſſæ ſunt: ſed & pedaneis Judicibus & militaribus, aliiſque permultis, ut ſigillatim expendemus. Titulus eſt C. Juſtin. *De Sportulis & ſumtibus in diverſis Judiciis faciendis, & de exſecutoribus litium.*

De pedaneorum Judicum Sportulis, ita Harmenopulus[4]: *Jubemus pedaneos Judices, qui* θεματικοὶ κριταὶ, *ex unaquaque auri libra, non ultra tres aureos accipere, ab iis ſcilicet qui locupletiores ſunt. Neve Sportularum exactio excedat aureos centum,* μὴ ὑπερβαινέτω δ᾽ ἡ ἀπαίτησις τῶν ἐκταγιστικῶν τὰ ρ΄. *quantacunque ſit pecuniæ ſumma.* Hæ Sportulæ quæ pedaneis Judicibus dantur, τὰ δικαστικὰ dicuntur[5].

De Sportulis militarium Judicum ſecundùm Juliani Imp. ſtatuta, Sportula Duci, in quinquaginta libras argenti, non ab uno Primipilari, ſed ab univerſis pariter inferri debuit, nihilque ampliùs Duces Sportulæ ſolennis prætextu exſculpere poſſunt[6]. Pro ſingulis tamen libris argenti, quas Primipilares viris ſpectabilibus præſtant, quatuor ſolidi præbentur, ſi non ipſi argentum offerre ſua ſponte maluerint.

Sportulæ etiam Comitibus Stabuli tribuebantur, pro equis canonicis militaribus, Diœceſeos Africanæ: quod ſecundùm Notitiam ſingularum Provinciarum, locorumque conſuetudinem ſervari præcipitur[7]. Octoni & deni ſolidi pro ſingulis equis perſolvebantur, & duo ſolidi detrahebantur pro equis Curatoriciis. Byzaceni & Tripolitani quinos denos pro ſingulis equis præſtant, & Sportularum nomine Comiti ſtabuli nihil præſtant[8]. Equis Curatoriciis, Hermogenianis, Canonicis, Palmatis, Hiſpani ſanguinis, qui in C. Theodoſiano divagantur, nos aliquando calcar addemus. Sportularum modum perſequemur, quibus obnoxii fuerunt Protectores, Domeſtici, qui inter quinos & denos ſolidos Sportularum nomine Primatibus diſtribuere præcipiuntur. Ii autem qui

1 Poſt l. 1. C. de Sportul. 2 Lib. 1. Conſt. Juſtin. tit. 2. 3 Novel. 82. & 123. 4 Lib. 1. tit. 4. §. 53. 54. 55. 5 Novel. 82. 6 L. 9. & l. 27. C. T. de cohortalib. princip. &c. 7 L. 3. C. T. de collat. equor. 8 L. 29. C. T. de annon. & trib.

vel ſuffragio, vel potentia, vel gratia, ſacram purpuram adorare pervenerint, quinquagenos ſolidos inferebant[1].

Sanxit autem Juſtinianus, *ut nemo civilium Judicum ulla ex cauſa quidquam acciperet*[2]: *alioqui lege Julia repetundarum teneretur*[3].

Et quoniam frequens eſt in Pandectarum libris Sportularum mentio; utile eſt leges quaſdam interpretari, & de varia Sportularum ſignificatione breviter aliquid attingere. Hoc enim in opere id egi potiſſimùm, ut ſi qui obſcuriores Pandectarum loci occurrerent, in iis elucidandis maximè ſtudium meum ponerem.

Marcellus libro ſeptimo Digeſtorum quærit[4]; *Si mulier acceptam à marito pecuniam in Sportulas pro cognato ſuo, ordini erogaverit, an donatio valeat? Et ait valere, neque videri locupletiorem mulierem factam, quamvis mutuam pecuniam eſſet acceptura, & pro cognato erogatura.* Erogabantur Sportulæ ordini à novo Decurione: & minores quinque viginti annis Decuriones facti Sportulas accipiunt: ſed interim ſuffragium inter ceteros ferre non poſſunt[5].

Sportulæ etiam pro introitu militiæ præſtabantur[6], ut pro introitu Sacerdotii: haſque immodicas fuiſſe Suetonius teſtatur in *Claudio* cap. 9. Nam *ſeſtertiùm octogies*, inquit, *pro introitu novi Sacerdotii Claudius impendere coactus, ad eas rei familiaris anguſtias decidit, ut cùm obligatam ærario fidem liberare non poſſet, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit, ſub Edicto Præfectorum.* Iſtam Sportulam, imò dotem Apulejus vocat lib. 7. *Metamorphoſ.*

Non immorabor in indaganda Sportularum origine, quæ pro cœna recta primùm conſtitutæ ſunt: ut nec in varia illius ſignificatione vagabor. Hoc unum ex Plinio ſufficiet monuiſſe lib. 10. *Epiſt. Sportulas ab his erogatas, qui togam ſumerent, nuptias facerent, inirent Magiſtratum, vel opus publicum dedicarent, vel ex mera donatoris liberalitate.* De toga pura M. Tullius lib. 9. *Epiſt. ad Attic.* epiſt. 22. *Ego*, inquit, *quoniam Româ caremus, togam puram meo Ciceroni dedi, idque municipibus noſtris fuit gratum.* De nuptialibus Sportulis Apulejus *Apolog.* 2. *Quippe*, ait, *ita placuerat, in ſuburbana villa potiùs conjungeremur, ne cives denuo ad Sportulas convolarent.* Symmachus *lib.* 4. *epiſt.* 55. *Non eadem facilitate purgabis, quòd filii noſtri Minervii nuptias aliorum potiùs relatu, quàm tuis litteris comperi. An veritus es, ne à te numiſma auro cuſum deſiderarem? potuit jacturam Sportulæ tacere verecundia mea.* Idem Symmachus de Sportula Conſulari *lib.* 9. *epiſt.* 124. *Sportulam Conſulatus mei, & amicitiæ noſtræ & honori tuo debeo. Hanc in ſolido uno ad te miſi, orans ut benigno animo ſolemnia officii mei libamenta ſuſcipias.*

Ex Imperatorum Conſtitutionibus cùm publica hæc Officia celebrarentur, Sportularum nummus argenteus fuit. Sed Conſulibus ordinariis auream Sportulam dandi facultas fuit[7], quod poſtea correctum[8]. Nam aurum Conſuli ſpargere non licet, argentum licet: ſolique Principi aurum erogare ſervatum eſt.

Sportularum verò diviſio ex Novella Juliani Anteceſſoris[9], non ob Conſulatus honorem ſolùm, ſed in ipſorum Conſulum proceſſionibus fiebat. Proceſſio eſt progreſſio in publicum, & procedere propriè dicitur, qui pompa quapiam in publicum

1 L. 3. C. T. de Domeſtic. & Protectorib. 2 Novel. 8. 3 L. 1. C. ad leg. Jul. repet. 4 L. 5. §. Marcellus. D. de donat. int. vir. & ux. 5 L. 6. §. 1. D. de Decurionib. 6 L. 102. §. alumno. D. de leg. 3. 7 L. 1. C. de expenſ. Lud. 8 Novel. 105. Julian. 9 D. Novel. 105.

cum incedit. M. Tullius lib. 1. *de Divinat.* *In sella aurea sedit, & cum purpurea veste processit.* Hoc enim sensu verbum *processit* accipiendum est: quod & illam pompam progredientis Imperatoris in publicum demonstrat. *Cùm salutatus esset à Daciano & Aventino & Opilio Macrino Præfectis Præt. Clarissimis viris, item amicis & principalibus Officiorum, & utriusque ordinis viris, & processisset*[1] *Antonius Augustus*, oblatus est Julianus, &c.

Septem verò fuere processiones Consulares, in quibus Sportularum distributio consumebatur. Hæ in Circo, & in Arena, & in Theatro. Prima quidem Processio Kalendis Januarii fuit, quibus Consules Magistratum inire solebant. Secunda ea quæ mappa dicitur, quæ ad Circenses Ludos refertur, quos mappæ appellatio designat. Mappa enim Ludorum committendorum signum fuit. Cassiodorus lib. 3. *Variar.* 51. *Mappa, quæ signum dare videtur Circensibus, tali casu fluxit in morem.* Et cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem, ut assolet, avidus spectandi Populus flagitaret: ille mappam, quâ tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulandi. Hinc tractum est ut ostensâ mappâ certa videatur promissio Circensium futurorum. Sic Juvenalis *satyr.* 12. *Megalesiacæ spectacula mappæ* pro ipsis Megalensibus Ludis usurpavit. Et Tertullianus *de Spectacul.* cap. 16. *Dehinc ad signum anxii pendent: unius dementiæ una vox est: misit, dicunt, & nuntiant, quod simul ab omnibus visum est: nec vident missum quid sit. Mappam putant, sed est Diaboli ab alto præcipitati figura.* Tertia Processio est quæ θεάτρου κυνήγιον, *Theatrica venatio*, quæ distinguitur à venatione ferarum, de qua titulus est in utroque C. Illa enim in amphitheatro fiebat, hæc in theatro: illa ferarum, hæc cicurum fuit, ut Antonius Augustinus observavit. Quarta Processio Consularis μονημέριον dicitur, quòd unico die finiretur, atque in hac edebatur πάγκαρπον, ex vulgata Novellæ lectione, quam Cujacius tuetur: loci tamen ab eo laudati mihi ita non satisfaciunt, ut suspicari non liceat pro πάγκαρπον legendum παγκράτιον, quod Athleticum certamen est, de quo Ulpianus[3]: *Si quis in colluctatione, vel pancratio, vel pugiles dum inter se exercent, alius alium occiderit, siquidem in publico certamine, cessat legis Aquiliæ actio.* Pancratiastæ omni ope, pedibus, manibus connixi certabant. Hermolaus Barbarus *ad Plin. lib.* 34. *cap.* 8. Pancratiastem dici putat, qui quinque certandi generibus, disci jactu, cursu, saltu, pugilatu, luctatione omnes vicit. Huic sententiæ repugnat Agellius *lib.* 3. *cap.* 15. qui Diagoram Rhodium tres filios adolescentes habuisse refert, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem, quos omnes vidit vincere & coronari eodem Olympiæ die. *Lacedæmonii*, ait Seneca lib. 5. *de Benefic.* cap. 3. *vetant suos pancratio aut cæstu decernere.* Sed quia fortè pancratiastæ victores variis floribus coronabantur, à quorum contextu pancarpiæ coronæ dictæ, Festus in verb. *Pancarpiæ*, nec vulgatam lectionem rejicio, nec meam conjecturam retracto. Quinta Processio in theatro Πορναῖς dicebatur, in qua prostibula publicæ libidinis in scena proferebantur. Sed Novellæ textus hæc ad ridicula rejicit, & ad hippomachiam equorum certantium spectaculum. Sexta iterum Ludis Circensibus in Circo mappâ facta. Septima fuit spectaculum in Arena, atque in ea Consul, cùm honorem suum deponeret, solennem editionem agebat. Solennem editionem interpretor, Gladiatorum munus, cujus exhibitio

1 L. 1. C. de sentent. pass. 3 L. 7. §. si quis, D. ad leg. Aquil.

A propriè & simpliciter Editio dicta est. Juvant interpretationem meam verba Constitutionis, quæ in Arena & Circo jussit processiones fieri, & in hac septima processione spectaculum dari. Spectaculum propriè appellatum, gladiatorium munus significat, ut Lipsius annotavit lib. 1. *Saturnal.* cap. 7. & M. Tullius Gladiatores pro spectaculo & munere ipso usurpavit *Philipp.* 1. & 9. Lapis Neapoli, pag. 404. 2.

L. EGNATIO. INVENTO
EQVO. P. AB. IMPERATORIB
ANTONINO. ET. VERO. AVG
B HIC. OBLITERATO. MVNERIS. SPECTACVLO. IMPETRATA. EDITIONE.
AB. INDVLGENT. MAX. PRINCIPIB. *
DIEM. GLADIATORVM. ET. OMNEM.
APPARATVM. PECVNIA. SVA. EDIDIT

De gladiatorio spectaculo Lapis alius Romæ, pag. 352. 1.

T. ANCHARIO. T. F. PAL. PRISCO
AED. QVAEST. OB. EXIMIAS. LIBERALITATES. ET. ABVNDANTISSIMAS. SINE. EXEMPLO. LARGITIONES. ET. QVOD. EX. INDVLGENTIA. AVG. OCTIES. SPECTACVLVM.
C GLADIATORVM. EDIDERIT. AMPLIVS. LVDOS. FLORALES. OB. HAEC.
MERITA. PLEBS. VRBANA......
T. ANCHARIVS. PRISC. FIL. AEDILIS.
QVAESTOR. ADSEDENTE. PATRE.
GLADIATORVM. PARIA. TRIGINTA.
ADIECTA. VENATIONE.........
LEGITIMA. DEDIT †

D De Sportulis, quæ pro publicorum operum dedicatione spargebantur, unam Inscriptionem ex multis affero, pag. 330. 2.

L. ACILIO. L. F. POM
ADLECTI. SCAENICOR. AERE. COLLATO. OB. MVNERA. ET. LIBERALITATEM. IPSIVS. ERGA. SE. HANC.
....
CVIVS. OB. DEDICAT. SPORTVLAS.
DEDIT. ADLECTIS. SING. -X- XXV.
DECVR. BOVILL. XV. -X- V. AVGVST.

E Quæ interpunctæ sunt litteræ, ut opinor, sic expleri possunt, HANC. STATVAM. POSVERVNT.

Ex mera liberalitate Sportulas datas vel assignatas eædem Inscriptiones docent. Romæ, pag. 391. 1.

TI. CLAVDIO. PATRONO
CORPORIS. PISCATORVM
OB. MERITA. EIVS
‡ QVI. HIC. PRIMVS. STATVAS. DVAS
VNAM. ANTONINI. DOMINI. N. ALIAM. IVL
F AVGVSTAE. DOMINAE. NOSTR. S. P. P
ET. HOC. AMPLIVS. EIDEM. CORPORI
DONAVERIT. H-S. X. MILLIA. N
VT. EX. VSVRIS. QVODANNIS
NATALI. SVO. XVII. KAL. FEBR
SPORTVLAE. VIRITIM. DIVIDANTVR

Unde

* Apud Grut. PRINCIPIS legitur.
† Ibid. EDIDIT. ‡ Ibid. QVOD.

Vnde reſpondebat Vlpianus[1], *Nihil proponi cur prohibeatur heres ædificia diſtrahere, quorum reditus, Sportulæ ſunt relictæ: ſalva tamen cauſa legati.* Hæc quidem legata Civitatibus aut Corporibus fieri ſolebant. „Civitatibus enim, *ait Paulus*[2], „legari poteſt etiam quod ad honorem ornatumque illius pertinet. Ad ornatum puta, quod ad „inſtruendum forum, Theatrum, ſtadium, legatum fuerit. Ad honorem puta, quod ad munus „edendum, venationemve, ludos ſcenicos, ludos „circenſes fuerit relictum. Aut quod ad diviſionem ſingulorum civium. Quæ diviſio ad Sportulas, mulſum, cruſtulum, oleum trahi poteſt, ut paſſim in Inſcriptionibus notatur.

CAP. XVIII.

De Quæſtore Palatii.

EX Conſtitutione Theodoſii & Valentin. Impp. „Si à Proconſulibus vel Auguſtali, vel Comi„te Orientis vel Vicariis fuerit appellatum: vir „Illuſtris Præfectus Præt. qui eſt in Principis co„mitatu, & Quæſtor Palatii, ſacris Judiciis præ„ſidentes, diſceptationem jubentur arripere eo or„dine, ea obſervatione, iiſdem temporibus, qui„bus ceteræ quoque lites, fatali die, poſt appel„lationem in ſacris auditoriis terminantur[3].

Servatum ordinem intelligo ex Juliano[4], qui ſervatur præſente Principe, & audiente, & excipiente acta, eodemque ſermone & eodem habitu, quo exciperetur Principe præſidente. Vtanturque Illuſtres Judices iiſdem verbis in pronunciando, quibus ipſe Princeps, ſi præſideret, uteretur. Addunt deinde Imperatores: *Quòd ſi privato non Illuſtri uni pluribuſve, ut aſſolet, aditus Princeps delegaverit cauſam, & ejus eorumve definitio fuerit appellatione ſuſpenſa; vir quidem magnificus Præfectus Præt. qui in comitatu eſt, cum viro Illuſtri Quæſtore, temporali, id eſt, fatali judicet die.*

Hoc jus à Juſtiniano poſtea correctum, in Ducum appellationibus[5]. Nam *ſi ab illis appelletur, ſive Illuſtres ſint, ſive Spectabiles, ad Virum ſublimiſſimum Magiſtrum Officiorum, nec non virum excellentiſſimum Palatii Quæſtorem, communi audientia propoſita, in ſacro auditorio, more conſultationum ventiletur.* Quod eſt, ut Magiſter Officiorum & Quæſtor cognoſcant de appellatione, non jure ordinario, id eſt, ſuo jure, pro ſua juriſdictione, ut ſolent Magiſtratus; ſed more Conſultationis, id eſt, more regio & obſervatione regia.

Hoc etiam poſtea ab eodem Juſtiniano immutatum. Nam Spectabilium Ducum appellationes, vult ad Præfecturam, cujuſcumque fuerint quantitatis, dirigi, ut una cum viro excelſo pro tempore Quæſtore Palatii eæ dirimantur[6]. Theodoſii autem & Valent. Conſtitutio abrogata eſt, à Juſtiniano non omnino, ſed pro Quæſtore Palatii & Præfecto Orientalium Prætoriorum, qui pro tempore thronum regebat, debet intelligi[7]. Hi enim cùm eoſdem ritus adhiberent, ac ſi Princeps adeſſet, & habitu auguſtiore, quaſi præſente Principe, litigatores, Advocati & Apparitores, iiſdemque Præfectus & Quæſtor interlocutionibus uterentur, quaſi Princeps ipſe pronuntiaret: dicebant enim, *Noſtra pietas, noſtra ſerenitas, noſtra manſuetudo.* Illicita hæc verba dicit Imperator, ut veſtitum ipſum: quem nulli concedit vendicare, & Majeſtatis crimine temeratores obnoxios facit. Hæc præmittenda duxi, ut Quæſtorem Palatii Præfecti Præt. Collegam illi adjungerem, ut poteſtate & dignitate in judicando non imparem.

1 L. 120. D. de leg. 1. 2 L. 122. D. eod. 3 L. 32. C. de appellat. 4 Novel. 20. 5 L. 38. C. de appellat. 6 Novel. 23. 7 Novel. 126.

More antiquo duplex fuit Quæſtorum Magiſtratus: unus quidem, circa latus Principis, Officio fungebatur: alter verò Quæſtor exercitui præerat, ſub quo erant quinque Provinciæ[1], Scythia, Myſia, Caria, Cyprus & Cyclades Inſulæ, quarum caput eſt Rhodus. Ab harum Præſidibus Provinciarum, non appellabatur Præfectus Præt. ſed hic Quæſtor exercitus. Ex ceteris autem Provinciis, appellationes in Vrbem inducuntur, apud Præfectum Præt. ſi fortè in Vrbe fuerit, vel apud Vicarium ejus, adhibito Quæſtore Palatii.

Habuit Quæſtor exercitus & juriſdictionem & auditorium, & apparitionem inſtar Præfecti Præt. & Vicarium in Vrbe: habuit Scriniarium, & Ab actis, & Præcones, & Commentarienſes, & Lampadarios, & omnem deinceps Præfecturæ ordinem.

Quæſtor verò Palatii is eſt, quem nos hodie Cancellarium appellamus, de cujus Officio ſcripſit Vlpianus librum ſingularem, ex quo fragmentum hoc Tribonianus reliquit: *Vt Palatii Quæſtores, Provincias nullas ſortirentur, qui ſolis libris principalibus in Senatu legendi vacabant: quique Epiſtolas ejus in Senatu legebant*[2]. Nihil breviùs dici potuit à Triboniano Juſtiniani Quæſtore, de quo Procopius lib. 1. *de Bello Perſico*: Τριβουνιανὸς δὲ Παμφιλος γένος, Βασιλεῖ πάρεδρος, Κοιαίστωρα τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι: *Tribonianus genere Pamphilus, Imperatoris paredrus, quem Magiſtratum Romani Quæſtorem vocant.* Addidit Interpres de ſuo, *Latini Juriſconſultum*: & πάρεδρον *adjeſſorem* facit, minùs rectè. Differt enim omnino Quæſtor ab Adſeſſore, & πάρεδρος Conſiliarius dici poteſt.

Quæſtoris originem antiquiſſimam agnoſcit Vlpianus, qui primùm ſolis libris principalibus vacabat, & Epiſtolas in Senatu legebat. Scribit Zoſimus *lib.* 5. à Conſtantini temporibus Quæſtorem appellatum, cujus erat Officium dictare quæ Principi viderentur. In quo falſus eſt optimus Scriptor. Nam Quæſtor fuit, & Vlpiani temporibus, ut ex ſuperioribus liquet, & ab Auguſto huic legendi Officium incubuit. *Convocato Senatu*, ait Dio *lib.* 54. de Auguſto, *ipſe gravedine laborans, nihil locutus, Quæſtori libellum recitandum dedit. Eo recenſebantur res ab ipſo geſtæ*, &c. Συναγαγὼν δὲ ἐκ τούτου τὸ βουλευτήριον, αὐτὸς οὐδὲν εἶπεν ὑπὸ βράγχου, τὸ δὲ δὴ βιβλίον τῷ Ταμείᾳ ἀναγνῶναι δοὺς, τάτε πεπραγμένα οἱ κατηριθμήσατο. Scio Ταμείαν pro Quæſtore qui ærario præeſt, frequentiùs accipi: ſed latiùs patet Græci hujus nominis ſignificatio; nam Ταμίας Heſychio, non ſolùm νομοφύλαξ χρημάτων, ſed etiam διοικητὴς, προστάτης, δεσπότης, & negotiis Principis Præfectus.

Idem Auguſtus, de filia, abſens ac libello per Quæſtorem recitato, notum Senatui fecit, abſtinuitque congreſſu hominum diu, præ pudore, Suetonius in *Auguſto* cap. 65. *Cùm Thraſeam opprimere Nero cogitaret, Prætoriæ cohortes templum genitricis Veneris inſedere: aditum Senatus globus togatorum obſederat, non occultis gladiis: diſperſique per fora & Baſilicas cunei militares; inter quorum adſpectus & minas, ingreſſi curiam Senatores: & oratio Principis per Quæſtorem ejus audita eſt*, Tacitus lib. 16. *Annal.* Non per Quæſtorem urbanum, ſive ærarii, ſed per Quæſtorem ejus. Imperatores enim proprios Quæſtores habuerunt, licèt

1 Novel. 41. & ib. Cujac. 2 L. unic. D. de offic. Quæſtor.

cèt aliquando in orationibus recitandis aliorum ministerio uterentur. De Tito narrat Suetonius, illum patris nomine & Epistolas dictasse, & edicta conscripsisse, orationesque etiam in Senatu recitasse Quæstoris vice, Suetonius in *Tito* cap. 6. Nero ipse de quibusdam rebus orationes ad Senatum missas, præterito Quæstoris officio, per Consules plerumque recitabat, idem in *Nerone* cap. 15. In antiquis Inscriptionibus legitur passim Quæstor Augusti. Romæ, pag. 393. 6.

P COELIO. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES
TRAIANO. HADRIANO. QVAEST. AVG

Alia est Sagunti, pag. 348. 9.

PAVLLO. AEMILIO. XV. VIR
SACRIS. FACIEND. PRAEFECTO. VRB
IVRIDICVNDO. QVAESTORI
TI. CAESARIS. AVG

C. Plinius inter dignitates, quæ plurimæ illi delatæ sunt, Quæstor Imperatoris scribitur, pag. 1028. 5.

C. PLINIVS. L. F. OVF. CAECILIVS
AVGVR. LEGAT. PROC. PR. PROVINCIAE. PONT. CONSVLARI. POTESTAT. IN. EAM. PROVINCIAM.
IMP. CAES. NERVA. TRAIANO. AVG.
CVRATOR. ALVEI. TIBERIS. ET.
RIPARVM. ET. PRAEF. AERARI.
SATVRNI. PRAEF. AERARI. MIL.
QVAESTOR. IMP

Hi Quæstores propriè Candidati Principis dicti, quòd Quæstura ingressus esset, & quasi primordium gerendorum honorum, & sententiæ in Senatu dicendæ [1]. Atque hi in antiquis Inscriptionibus ita vocantur. Romæ, pag. 352. 5. & 450. 2.

ANICIAE. FALTONIAE. PROBAE
CONSVLIS. VXORI. CONSVLIS.
FILIAE. CONSVLVM. MATRI
ANICIVS. PROBINVS. CONSVL
ORDINARIVS. ET. ANICIVS. PROBVS. V. C. QVAESTOR. CANDIDATVS

Item Romæ, pag. 421. 3.

IVLIO. AGRIO. V. C. NOBILITATE
IVSTITIA. CLEMENTIA. CONSPICVO. ET. A. PRIMO. AETATIS. FLORE. PROBATO. QVAEST. CANDIDATO.

Candidatus Cæsaris sine Quæstoris adjectione plerumque dictus. Paterculus *lib.* posterior. *Quo tempore*, inquit, *mihi fratrique meo Candidatis Cæsaris, proximè à nobilissimis ac Sacerdotibus viris, destinari Prætoribus contigit.*

Quæstoris igitur Cæsaris, sive Palatii proprium munus fuit, in Senatu orationes Principis recitare, & Epistolas ejus legere. Addit Notitia Imperii leges dictare, & preces. Aucta verò Quæstoris Palatii dignitas, à Constantino ceterisque post eum Principibus. Nam Quæstura dignitas & gloria litterarum vocata est, Cassiodorus 1. *Variar.* 12. & Pontificium litterati honoris: quòd litteratis Jurisque peritis tantùm daretur, Symmachus *lib.* 3. *epist.* 17. Quare idem Symmachus ad Ausonium *lib.* 1. *ep.* 17. *Quæstor es, memini: concilii Regalis particeps, scio: precum arbiter, legum conditor, recognosco: adde huc alia mille rerum.* Sed & ab Imperatoribus Quæstor Justitiæ custos [2],

1 L. unic. D. de offic. Quæstor. 2 Novel. Valentin. de homicid. casu fact.

A armarium legum, Cassiodorus 6. *Var.* 5. vox legum, idem 8. *Var.* 13. appellatur.

Quæstor etiam petitionibus subscribebat, vel illis responsum reddebat; leges dictabat; precesque & responsa subnotabat [1]. Statuit Justinianus, *ut divinæ jussiones subscriptionem haberent gloriosissimi Quæstoris: nec emissæ aliter à Judicibus reciperentur, quàm si subnotatæ fuerint à Quæstore Palatii.* In qua subnotatione & Judex & litigatores, & is cui jussio perferenda est, nominatim exprimi debent. Quod à Zenone antea fuerat constitutum [2]. Quæstor ergo subnotabat hac verborum formula,
B *Quæstor legi*, vel *Quæstor subscripsi*: quod in Theodosii & Valentin. Novella servatum est [3], in qua post diem & Consulem additur, *Subscripsi.* Similiter in Novella de testamentis eorumdem Principum, postquam in foro Trajani proposita fuit, legitur hæc subnotatio Quæstoris, *Subscripsi.*

Quæstor verò quasi qui gesserit Præfecturam, honoris æqualitate lætatur [4], & nobilior Magistro Officiorum ab Impp. Honorio & Theodosio agnoscitur, in quorum rescripto Eustathius vir Illustris Quæstor, Helioni Illustri Magistro Officiorum ordine præfertur [5]. Hoc autem speciale habuit Quæstor Palatii, ut appellationes à Consulari, vel Prætore Siciliæ, ad eum referrentur, quæ olim
C ad Præfectum Prætorio. Novella Justiniani integrior à Juliano recensetur [6]: „Appellationes, *inquit*, quæ in Sicilia porriguntur, adversùs sententias Prætoris, vel Ducis, vel cujusvis alterius „Judicis in ea constituti, apud Quæstorem in regia urbe præcipit Imperator exerceri: ut ipse „discutiat, causas & sententiam dicat, & nostro „Imperatori referat, & nostra auctoritate sententiæ „ejus roborentur. Sed & si aliud civile emergat, „veluti defensoris confirmatio, vel decretum civitatis Siciliæ; similiter ad Quæstorem referatur, „& calculo ipsius confirmetur, nostra scilicet au-
D „ctoritate suggerente, Quæstoris sequenda. Hæc verba, *Nostro Imperatori referat*, mihi suspecta sunt, sed nihil habeo hic quod de nomine Imperatoris referam; divinent alii.

Quæstori verò sacri Palatii adjungebantur duo magnifici viri, vel Patricii, vel Consulares, vel Præfectorii, si qua suggestio vel majoris, vel minoris Judicis ad Principem referretur, de negotio, quod ei judicandum Princeps tradidisset: ut unà cum Quæstore in scriptis relationem decernerent, & illorum dispositio omnimodo rata sit, nulli danda licentia, contra provocationem eorum proferre sententiam, vel aliam quamcunque dubitationem
E introducere [7]. Relationes intellige Judicum, qui vel ex ordine cognoscunt, vel ex delegatione, quibus Quæstor responderet, ut ab ejus responso non liceret appellare ad Principem.

Præterea si litis æstimatio non excederet xx. librarum auri quantitatem, duobus traditur Judicibus disceptatio, viris scilicet Epistolaribus cognitionalia certamina excipientibus: ita tamen ut si dissentiant, virum Illustrem pro tempore Quæstorem adhiberent, ut eo dubietatem dirimente negotium finiretur.

Et quoniam adversùs sententiam Præfectorum
F Præt. appellatio non est, sed retractatio, si alius quidem sit Præfectus, credibile est, quia rescindet quæ sunt ab alio judicata. Si verò idem ipse sit Præfectus iterum, qui jam sententiam tulit, & contra ejus calculum supplicationes oblatæ sint, præsumitur pro vetere sua sententia dicturus. Quare voluit Justinianus, ut Quæstor Palatii unà

1 Novel. 53. & 114. 1 L. fin. C. de divers. rescript. 3 De homicid. casu fact. 4 L. 2. C. T. de Quæstorib. Mag. Offic. 5 L. 17. C. T. de proxim. Comit. disposit. 6 Novel. 75. 7 L. 34. C. de appellationib.

audiat cum ipso iterum aut tertiò Præfecto Præt. nec ulla ampliùs sit retractatio. Hæc Justiniani Constitutio à Cujacio lib. 12. *Observat.* cap. 3. ex libris Basilicωn feliciter restituta est, quæ in vulgatis codicibus desideratur.

Ad Quæstoris etiam sollicitudinem pertinet minoris laterculi cura, ita ut illius arbitratu ex Scrinio memoriæ totius Laterculi minoris dignitates, hoc est, Præfecturæ omnes, Tribunatus, & Præpositurae castrorum, juxta consuetudinem priscam, ex Principis auctoritate mitterentur [1]. Atque hoc ex Constitutione Theodosii, cùm antea ad Magistrorum militum potestatem dispositionemque minoris Laterculi cura transiisset [2].

Hinc ad Quæstorem pertinebant Memoriales: eorum enim obsequio res Quæstoria agi dicebatur. Etenim Quæstor Officium non habet, sed Adjutores qui ex sacris Scriniis assumebantur, & quos ipse vellet. Duodecim Notarios habebat, de Scrinio memoriæ: septem de Scrinio Epistolarum: totidem de Scrinio libellorum: qui omnes numero erant XXVI. quorum operâ ad rescribenda rescripta, leges & acta utebatur [3].

Nec tamen Quæstorem Magistrum memoriæ dixerim, ut vir doctissimus *ad Symmachum lib.* 1. *epist.* 17. annotavit. Nam cùm de Quæstore loquitur: *Ille est*, inquit, *qui etiam alio titulo dicebatur præsidere Scriniis memoriæ, & esse Magister memoriæ.* Hæc tamen illius opinio à quibusdam Ecclesiasticis Scriptoribus confirmari videtur, qui veritati officere non possunt. Nam Magister memoriæ omnimodo à Quæstore Palatii distinguitur. Ille enim annotationes quidem dictabat & emittebat, atque precibus respondebat, ut postea demonstramus: sed ut diversa fuerunt Principis Rescripta, alia Quæstori Palatii, alia memoriæ Magistro mandata sunt. Et vir magnificus Quæstor & viri spectabiles Magistri Scriniorum divina responsa diverso modo dictabant [4]: nam non solùm memoriæ Magistri, sed & Epistolarum & Libellorum in peragendis signandisque responsis Principis Quæstori obsequium præstabant [5].

Ceterùm singulare jus hoc Quæstoris fuit, quod aliæ Dignitates, Adsessorum solatia quærunt; Quæstor unus Principi consilia subministrat, Cassiodorus lib. 6. *Var.* 5. Quod verò dixit Vlpianus, Quæsturam primordium gerendorum honorum fuisse, sententiæque in Senatu dicendæ; hoc idem M. Tullius Quæsturam primum gradum honoris fuisse scripsit, *Act.* 1. *in Verrem.* Sed ea tandem dignitas fuit Senatorum, ut ex Symmacho probamus *lib.* 5. *epist.* 62. *Quæstores*, inquit, *ordinis nostri nunquam ferarum portorium contulerunt. Grave enim majoribus visum est, ut tolerantibus onera Senatoriæ dignitatis, sumtus immodicus adderetur.* Sic Quæstorum ubique crevit auctoritas: inter quos honorarios etiam numeramus [6], qui ex Quæstore honore viguerunt, quique acclamatione solita excipi debuerunt, nec sicut incogniti præteriri [7].

CAP. XIX.

De Officio Patriciorum.

JVbet Justinianus Imperator, ut *si quæ Suggestio majoris vel minoris Judicis ad illius clementiam referatur, non priùs causam decerni, quàm per sacram pragmaticam jussionem, duo magnifici viri vel Patricii vel Consulares, quos pro tempore elegerit, adjungantur Illustri pro tempore Quæstori Palatii, atque ab eorum sententia non liceat provocare* [1].

Varios Patriciorum ordines post Constantini tempora comperio: Primum eorum, qui à majorum vel minorum gentium Patriciis originem ducunt: Secundum eorum, qui generali nomine à Constantino Patres appellati sunt: Tertium, qui Patriciorum nomine rem bellicam administrarunt.

Primi Patricii vel origine, vel in vetustiorum numerum lege Cassia aut Senia sublecti sunt, vel à primis Imperatoribus adsciti. Legis Seniæ meminit Tacitus lib. 11. *Annal.* cujus nulla vestigia in illius temporis Auctoribus apparent: ex hac lege Augustum Principem Patricios creasse tradit. Malim cum Antonio Augustino pro lege *Senia* apud Tacitum, *Sentiæ* nomen reponere, cùm Sentius Augusti Collega fuerit in Consulatu, Dio *lib.* 54. & Patercul. *lib.* posteriori.

Patricii autem veteres jus gentilitatis retinuerunt, cui nihil Constantinus Imp. derogavit. Quare cùm scribit Zosimus *lib.* 2. Patricii honoris titulum, primum Constantinum excogitasse, legeque sanxisse, ut qui eum consecuti fuissent, supra ipsos Præfectos Præt. sessitarent, non ad antiquos illos Patricios referendum est: Ὃς παρὰ Κωνσαντῖνον τῆς ἀξίας τετύχηκε τῦ Πατρικίυ πρώτυ ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τὺς ταύτην ἀξιωμένυς τῆς αὐλῆς ὑπέρχων νομοθετήσαντος. Quod ita intelligendum est, ut novos Patricios novis honoribus Constantinum cumulasse advertamus, ab illis vetustioribus distinctos. Patricii enim Constantini, generali nomine Patres ipsius Imperatoris vocati sunt, qui in consistorio consiliis secretioribus Principis interessent. Nec tamen omnes: etenim ex his qui lateri Principis adhærebant, præsentales Patricii dicti, Cassiodorus 8. *Variar.* 10. atque in actu positi [2]. Ad sublimem hunc honorem, qui ceteris omnibus anteponitur, nemini adscendere licebat, ex Zenonis Constitutione [3], nisi priùs aut Consulatus honore potiretur, aut Præfecturæ Præt. vel Illyrici: vel Vrbis administrationem, aut Magistri militum, aut Magistri Officiorum in actu positus gessisse nosceretur.

Huic tamen Constitutioni Justinianus derogavit: nam ex illius Novella [4], licuit Illustribus viris Patriciatus codicillos accipere, quamvis neque Consulares essent, neque Præfectorii.

Non immoror in enarrandis Patriciorum honoribus, eorumque privilegiis, nec in veteribus iis qui transierunt à causis agendis ad Jus civile [5]: satis nunc est, summam illorum dignitatem agnoscere, & post Constantinum Patriciatus apicem, medium inter Consulatum & Prætorii Præfecturam honorem intelligere. Quod ex oratione Chrysostomi Sirmondus notavit *ad Sidonium lib.* 5. *epist.* 16. ἡ τῶν ὑπάτων ἀρχὴ καθάπερ κορυφὴ καὶ κεφαλὴ πάσαις ἐπίκειται.

Si verò Patriciatus dignitas adderetur Consulatui, Consulares omnes præcedebat: atque hoc unum Patricii habuerunt præcipuum, ut illorum dignitas morte tantùm solveretur, Cassiodorus 6. *Variar.* 2.

Legimus tamen in Zenonis Constitutione *Patricios* viros, & *Expatricios*: unde tertium Patriciorum ordinem constituo, quem huc usque neminem advertisse video. Quare si in re admodum obscura nos aliquando cæcutimus, ignoscent ii, qui in

1 L. 1. C. de offic. Quæstor. 2 L. 2. C. eod. 3 L. 13. C. de proxim. sacr. scrin. & ib. Cujac. 4 L. fin. C. de divers. rescript. 5 L. 14. C. T. de extraord. munerib. 6 L. 2. C. ut dignit. ordo serv. 7 L. 1. C. de Quæstorib. Magistr. Offic.

1 L. jubemus. C. de appellationib. 2 L. 64. C. de Decurionib. 3 L. 3. C. de consulib. & non sparg. 4 62. apud Julian. 5 L. 2. §. 24. D. de orig jur.

in Veterum lectione versati, in hujusmodi difficultates plurimas incidunt, veniamque mutuam à peritioribus expostulant. Torsit me Inscriptio vetus, quæ à Sirmondo refertur *ad Sidonium lib. 1. epist. 9.*

FL. CELERINVS. V. D. SCRINIARIVS. INL. PATRICIAE. SEDIS. DEP. ID. NOVEMB. D. N. FL. VALENTINIANO. AVG. VII. ET. AVIENO. V. C. COSS

Quænam esset illa sedes Patricia, quæ virum devotum Scriniarium haberet, dum anxius perquirerem, in novas difficultates impegi. Offendo enim Patricios Italiæ, Patricios Occidentis, Provinciæ, Romanorum: armatos Patricios qui hostes Imperii in prælio devicerunt. Hæc cùm dubius revolverem, inter arma quietam sedem & optatam nactus sum, ex illa Inscriptione Patriciæ sedis: quam ita interpretor, ut sedes illa pro statione militum usurpetur, quibus Patricius imperabat. Sedes enim pro statione militum usurpantur à Vegetio[1]. Ille quidem: „Qui in sedibus „otiosè delicatéque vixerunt, armorum exercitia „declinant. *Et pauló póst*: Ita exercitati & erudi„ti in Sedibus milites, sive illi Legionarii, sive „Auxiliares, sive Equites fuerint, ad expeditio„nem ex diversis conveniunt locis, æmulatione „virtutis prælium magis habent optare, quàm „otium. In Sedibus ergo, & in expeditione, opponuntur. Sedes nos diceremus, *Garnisons*, quæ citra expeditionum necessitatem & periculum. In hac significatione Sedes dicta est à Justiniano[2], quam nos suo loco reponimus, unde dejecta est. Sanxit Imperator, *his solis, qui in expeditionibus occupati sunt, tempora ad in integrum restitutionem opitulari. Sed illis temporibus privilegio non juvari, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis vel in suis sedibus degunt.* Sic enim legendum est; malè in vulgatis *in suis ædibus*[3]. Sedes enim Ducum militarium recensentur ab ipso Justiniano: *Dux*, inquit, *militum Tripolitanæ Provinciæ in Leptimagnensi civitate sedes interim habeat; Dux verò Byzacenæ in Capsa & altera Lepte civitatibus interim sedeat*[4].

Rectè ergo meam hanc sententiam tuetur Illustris sedis Scriniarius: nam ut Scriniarios habuerunt Magistri militum & limitum Duces[5]; sic & Patricii qui militibus imperarunt, & Scriniarios suos ex hac veteri inscriptione, ut Cancellarios habuerunt qui illis apparerent, Agathias *lib.* 1. Cassiodorus *divin. Instit.* cap. 17.

Marcellinus Comes Justiniani adhuc Patricii fertur egisse cancellos. Narsetis etiam fuisse perhibetur Agathias. Atque hi Cancellarii Patriciorum judicandi potestatem probant: Cancellarii enim milites sunt ad secreta Judicum electi[6].

Patricium autem Occidentis Marcellinum narrat Marcellinus Comes sub Anthemio, qui dum Romanis contra Wandalos apud Carthaginem pugnantibus opem auxiliumque ferret, ab iisdem dolo confossus est, pro quibus venerat pugnaturus. Hunc Patricium militibus præfuisse, qui in Sedibus agerent, & ex diversis locis milites suos coegisse certum est: nec enim aliter potuisset opem auxiliumque ferre Romanis.

Justiniani Epistolam vulgavit Cujacius lib. 10. *Observat.* cap. 12. quam ille scripsit Narseti Patricio in Italia, dum Gotthi & Wandali illam everterent. In hac Epistola scribit Imperator, *Au-*

1 Lib. 3. c. 4. 2 L. fin. C. de restitut. milit. & l. fin. C. quib. non objicitur long. temp. præscript. 3 L. fin. C. de restit. milit. 4 L. 2. C. de offic Præfect. Præt. Afric. 5 L. 8. C. de Numerar. Actuar. 6 L. 8. C. de offic. adsessor.

A
lum Anduatium & C. Tuberonem sub Narsetis Ducatu in Italia pro se ac Romano Imperio honestis stipendiis summa fide militasse. Scribit etiam se *Belisarium Patricium contra Gotthos in Italiam expedivisse, ut per eum à tanta servitute, captivitate & strage ipsam Italiam liberaret.* Ex his clarum est, qui sint Patricii in Italia. De hac Patriciorum origine hæc ex Constantini Imperatoris Porphyrogeniti lib. *de administrando Imperio* cap. 27. excerpsimus: „Postquam, *inquit*, Constantinopolim „translata est Imperii sedes, omnia hæc in duos „Principatus divisa sunt, εἰς ἀρχὰς δύο διεμερίσθη„σαν. Ex eo tempore missi sunt ab Imperatore
B
„Constantinop. Patricii duo, quorum unus Sici„liæ, Calabriæ, Neapoli, & Amalphæ præerat; „alter verò Benevento, Capuæ, Papiæ, cum „reliquis & tributa quotannis fisco Imperatoris „pendebant. Patricii enim & arma & ærarium tractabant: & ex ipso Constantino, qui hanc lepidam historiam narrat: „Temporibus, *inquit*, „Imperatricis Irenes, missus Patricius Narses te„nebat Beneventum & Papiam, Romam autem „Papa Zacharias. Accidit ut bella gererentur in „partibus Papiæ, & Narses Patricius pecunias fi„sco ex pacto solvendas in milites erogaret. Ire„ne accensa irâ fusum illi & colum misit, cum
C
„litteris quibus scribebat: Accipe hæc quæ tibi „conveniant: nere enim te æquius judicavimus, „quàm armis tanquam virum uti, ac pro Roma„nis pugnare. Quibus intellectis Narses Patricius „rescripsit: Postquam nere me rectiùs & filum „torquere videtur tibi, veluti fœminam telam me „ordiri nosse scias, quam nunquam Romani de„texant: Ἡ Βασίλισσα ὀργισθεῖσα, ἀπέστειλεν αὐτῷ ἄτρακτον, καὶ ἠλακάτην, γράψασα πρὸς αὐτόν· Ὅτι λάβε ταῦτα, ἃ καὶ ἁρμόζοι σοι· νήθειν σε γὰρ μᾶλλον ἐκρίναμεν δίκαιον, ἢ μετὰ ὅπλων
D
ὡς ἄνδρα διεκδικεῖν καὶ διευθύνειν, καὶ ὑπερπολεμεῖν Ῥωμαίων. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Πατρίκιος Ναρσῆς, ἀντέγραψε πρὸς τὴν βασιλίδα· Ὅτι ἐπεὶ οὕτω παρ' ὑμῖν ἐνομίσθη νήθειν καὶ κλώθειν καθάπερ γυνὴ, κλῶσαι ἔχω νήματα, μετὰ τοῦ ἀτράκτου καὶ ἠλακάτης, ἵνα μέχρις ἂν ζῶσιν οἱ Ῥωμαῖοι μὴ δυνηθῶσιν ἐξυφᾶναι ταῦτα. Idem Constantinus: „Neapolis antiquum Prætorium erat Patriciorum „qui mittebantur, & illam qui tenebat, idem in „potestate Siciliam quoque habebat: cúmque Pa„tricius Neapolim appelleret, Dux Neapoleos in „Siciliam abibat: Ἡ δὲ Νεάπολις ἦν ἀρχαῖον
E
Πραιτώριον τῶν κατερχομένων Πατρικίων· καὶ ὁ κρατῶν τὴν Νεάπολιν κατεῖχε καὶ τὴν Σικελίαν.

Patriciorum ergo ea fuit potestas in militum Sedibus, quæ Magistrorum militum in expeditione. Vtramque tamen dignitatem uni aliquando fuisse collatam reperio in antiquis Inscriptionibus, quarum una est Treveris, pag. 1051. 8.

HIC. IACET. ELIVS. CONSTANTIVS VIR. CONSVLARIS. COMES. ET. MAGISTER. VTRIVSQ. MILITIAE. ATQ. PATRICIVS

F
Altera Romæ, pag. 1079. 14.

FL. RICIMER. V. I. MAGISTER. VTRIVSQ. MILITIAE. PATRICIVS

Sed plerumque ex Magistris militum Patricii facti sunt, & ex Præfectis Magistri militum. Sic Felix Patricius est ordinatus ex Magistro militum, sub Theodosio & Valentiniano, qui Ravennæ tumultu militari occidit, Idatii *Chronic.* Item Aëtius, qui Dux utriusque militiæ fuerat, Patricius postea factus in Occidente, ut ex Marcellino Comite observamus: *Aëtius*, inquit, *Pa-*

 tri-

tricius magna Occidentalis Reip. salus, & Regis Attilæ terror, cum Boëtio amico à Valentiniano in Palatio trucidatur, atque cum ipso Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari. Aspar sub Leone Augusto primus Patriciorum appellatur[1], *qui antea Magister militiæ. Sed cùm Leo Anthenium Patriciam Romam misisset, Imperatoremque constituisset, Rechimerus,* (qui fortè est Ricimer, in Inscriptione superiùs allata) *gener Anthenii Imperatoris, Patricius factus, Asparem degradatum ad privatam vitam redegit, filio ejus occiso, adversùs Imperium Romanum sicut detecti sunt Wandalis consulentes,* Idatii *Chronicon.*

Pro *degradatum* in Idatii *Chronico*, lego *regradatum.* Regradare militare verbum est, quo de gradu superiore ad inferiorem milites rejiciuntur. *Finge*, inquit Hieronymus *advers. Joan. Hierosolymit. aliquem Tribuniciæ potestatis suo vitio regradatum.* Quod verbum ad Ecclesiasticam disciplinam translatum est, ut Cujacius notat *ad Novellam* 42. cui titulum facit *de Episcopis regradatis.* Regradatio est καθαίρεσις sive ordine motio, vel eorum, qui in aliqua dignitate constituti sunt, reprobatio & condemnatio.

Patricii ergo hujus generis, magna præditi potestate, non perpetui, sed ad nutum Principis, ut cetera Officia, destituti sunt, & Expatricii dicti finita administratione[2].

Anastasius Bibliothecarius refert in *Hadriano* I. Hadrianum Pontificem Max. cùm à Longobardis premeretur, missos suos ad Carolum Magnum à Deo protectum Regem Francorum, & Patricium Romanorum direxisse. Deprecans ejus excellentiam, ut sicut suus pater, sanctæ memoriæ Pipinus, ipse succurreret, atque sanctæ Dei Ecclesiæ subveniret. Valthramus Episcopus Nambulgensis scribit lib. *de investitura Episcopor.* Carolum Magnum diviso Imperio primùm Romanis imperasse, & à Græcis in Francorum Reges Imperialem dignitatem fuisse translatam, atque Carolo ejusque successoribus Hadrianum Patriciatum concessisse Romanum. Idem etiam Valthramus in *Apolog. Henrici* IV. *Legitur*, inquit, *Stephanum Papam venisse ad Regem Pipinum, & patrocinium contra Longobardorum Regem postulasse, ipsiusque patrocinii gratia decrevisse, quemlibet Regem Francorum Patricium Romanorum esse.* Carolus Magnus ergo Patricius Romanus non vocatur, sed Patricius Romanorum: quod nomen est summæ dignitatis & potestatis, Carolo datum, quia Romanis omnibus imperaret, exercitum duceret, & verè Imperatoris majestate præfulgeret: sicque Patricius Romanorum dictus est, ut pater & protector Romani totius Imperii: longéque Patricios in Italia, aut in Occidente antecelleret, qui ab Imperatorum arbitrio pendebant.

De Patricio Provinciæ Warnefridus lib. 3. *de gestis Longobardor.* cap. 3. *Amalus*, inquit, *Patricius Provinciæ, quæ Guntranno Francorum Regi parebat.* Atque hi Patricii, ut perspicuum est, alii omnino erant ab iis qui Patres Imperatoris vocabantur: de quibus hoc unum adjicio, quod præterire non debeo, ex Vlpiani libro 2. de Censibus: *Senatores*, ait[3], *accipiendum est eos, qui à Patriciis & Consulibus* (rectè Budæus *Consularibus*) *usque ad omnes Illustres viros descendunt: quia & hi soli in Senatu sententiam dicere possunt.* Sed hoc nusquam Vlpianus scripsit, sed Tribonianus, qui prudentum responsa sæpe immutavit, & Juri quod introduxerat, aptavit, ut quæ de Senatoribus Vlpiano tribuit, ex *Novella* Justiniani 62. desumsit, quæ convenit illi ævo, non Vlpiani.

1 Idem Marcellin. Comes. 2 L. 3. C. ubi Senat. vel clariss. 3 L. fin. D. de Senatorib.

CAP. XX.

De Magistro Officiorum.

Magistrum Officiorum cum Quæstore Palatii, Duciani Judicii appellationes, communi audientia proposita in sacro Auditorio, more consultationum judicasse suprà demonstramus[1]. Quare sociæ istæ dignitates eodem titulo in C. Th. continentur, qui *de Quæstoribus & Magistris Officiorum.* Hic etiam quasi gesserit Præfecturam, honoris æqualitate lætatur[2], & Proconsularibus præfertur[3]. Magister Palatinus à Sidonio vocatur, quem Græci, ut Sirmondus notat *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 3. ἡγέμενον τῶν βασιλείων dixerunt, & ἡγεμόνα τῶν ἐν αὐλῇ τάξεων Zosimus *lib.* 2. Tota enim Palatii disciplina, quoad mores, ad illum pertinebat, omnesque Scholarum ordines & Officia regebat. Glossæ Basilicæ: Μάγιστρος ὀφφικίων, ὄνομα οὐδὲν ἧττον τοῦ ἡγεμόνος τῶν αὐλικῶν, καταλόγων διασημαίνει. Et Magisteria potestas propriè de Magistro Officiorum intelligitur, Cassiodorus lib. 6. *Variar.* 6. qui etiam Magister simpliciter vocatur, in Græca Justiniani Constitutione[4], quâ sanxit ne quis multam lege constitutam effugeret, liceretque legis violatores ad piissimum Principem deferre, vel ad gloriosissimum Magistrum, sine damno, ut hac recognita Princeps Magistro multæ exactionem committat: Ἔξεστι καὶ αὐτοῖς τοῖς ἠδικημένοις καταμηνύειν τὸν παραβάντα τὸν νόμον, καὶ προσαγγέλλειν τῷ εὐσεβεστάτῳ Βασιλεῖ, ἢ τῷ ἐνδοξοτάτῳ Μαγίστρῳ, ἀζημίως, ἵνα ταῦτα δι' αὐτοῦ μαθάνων ὁ Βασιλεὺς αὐτῷ τῷ Μαγίστρῳ τὴν τῶν προστίμων εἴσπραξιν ἐπιτρέψῃ.

Magister Officiorum & ex delegatione Principis & jure Magistratus varia judicia exercebat: nam in Magistri Officiorum judicio, quoties jussio Principis emanarit, in pecuniariis causis, sive Romæ sive in suburbanis degerent, respondere debuerunt[5]. Præterea Magistrum Officiorum Judicem sortiuntur Cubicularii Augusti & Augustæ[6]. Ille etiam Judex est Silentiariorum, & Memorialium omnium[7], ut Scholarium[8], & Decurionum, & eorum, qui in sacris Scriniis militant[9], & Agentium in rebus, post Ducenæ vel Centenæ gradum, qui apud illum respondere tenentur[10], tàm in civilibus quàm in criminalibus causis. Denique totius Palatii cura ad Magistrum Officiorum pertinet, cui etiam fabricarum & limitum cognitio mandata est: est enim Judex Fabricensium & Ducum limitaneorum, eorumque qui castris præpositi sunt[11].

Magistri Officiorum dignitas Jurisconsulto aut Philosopho deferebatur: nam & Quæstori aderat, & disciplina morum ad eum in Palatio pertinebat. Quare tanto in honore fuit, ut ab Augustis frater vocaretur[12], atque inter Illustres haberetur[13]. Ille quidem Imperatoris consiliorum est particeps, & sub ejus cura sunt Tabellarii, Interpretes & milites, qui custodiæ Palatii deputantur: ut Priscus Rhetor scriptum reliquit lib. *de Legationib.* Τῶν Βασιλέως βουλῶν Μάγιστρος κοινωνὸς, διὰ δὲ τῆς

1 Ex l. 38. C. de appellationib. 2 L. 2. C. T. de Quæstorib. & Mag. Offic. 3 L. 1. C. eod. 4 L. fin. C. de delatorib. 5 L. 2. C. ubi Senator. vel clarissim. 6 L. 3. C. de Præposit. sacr. cubic. 7 L. 3. C. de Castrensian. 8 L. fin. C. de priv. & leg. Scholar. 9 L. 9. & 11. C. de proxim. sacr. scrin. 10 L. 4. C. de Agentib. in reb. 11 L. 8. C. de diverf. offic. 12 Novel. Theodos. de Agentib. in reb. 13 L. 23. C. T. de Agentib. in reb.

τῶν ἀγγελιαφόρων, καὶ ἑρμηνέων, καὶ στρατιωτικῶν ἀμφὶ τὴν βασιλείαν φυλακὴν, ὑπ' αὐτὸν ταττομένων. Idem ille Legatus Euphemium induxit: „Is Magistri Officiorum dignitatem adeptus, prudentiâ & eloquentiâ clarus, sub Martiano Imperatore, in Reip. administratione floruit, multosque præclaros viros Imperatori consiliis adhibuit, & Priscum historiæ scriptorem in partem curarum: Εὔφημος ἐσηγήσατο τὴν τῶν Μαγίστρων διέπων ἀρχὴν, ὃς ἐπὶ συνετότητι καὶ λόγων ἀρετῇ δόξαν ἔχων, Μαρκιανοῦ τοῦ Βασιλέως τῶν πραγμάτων ἔλαχεν ἐπιτροπὴν, καὶ πλείστων τῶν βουλευθέντων ἐκείνῳ καθηγητὴς ἐγένετο· ὃς καὶ Πρίσκον συγγραφέα τῶν τῆς ἀρχῆς φροντίδων ἐδέξατο κοινωνόν.

Licinius cùm à Constantino premeretur, Martinianum Cæsarem creat, qui Magister Officiorum erat, ut Zosimus refert *lib.* 2. Μαρτινιανὸν ἡγεμόνα τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ὄντα, Καίσαρα καθίστησι· Ῥωμαῖοι Μάγιστρον τῶν ὀφφικίων καλοῦσι.

Aurelius Victor hunc Martinianum etiam Officiorum Magistrum & Cæsarem agnoscit, quem Constantinus jugulari jussit. Non capio mentem Andreæ Schotti perdocti viri, qui in calce libri, post Scholia in Epitomen Aurelii Victoris, hæc verba, *Officiorum Magister*, inter nova reponit, in calce Operis, post indicem: nam & Spartianus hoc verbo usus est in *Pescennio Nigro*, & hoc Officium ad Severum Principem trahit. Cujus Magistratus antiquiorem originem postea discutiemus. Scribit Lampridius Alexandrum injuriam nulli amicorum Comitumve fecisse, nec Magistris quidem aut Principibus Officiorum, in *Alexandro.* Hinc Casaubonus parum aut nihil discriminis inter Magistros aut Principes Officiorum notat. Imò scribit ad Capitolinum in *M. Antonino.* ubi de Principibus Officiorum fit mentio, Principes Officiorum sive Principales, itemque Magistros Officiorum dictos, qui inter sui ordinis homines principem locum tenent, quos posterior ætas Primicerios quasi προγεγραμμένους τῶν ἄλλων nuncupavit. Sed adverto ego sub Magistri Officiorum dispositione fuisse Principes Officiorum, ex Schola Agentium in rebus, ex Castrensianis & Ministerianis[1], qui in Palatio militantes varii fuerunt. Quare cùm M. Antoninus L. Vero proficiscenti ad bellum Parthicum, omnium Officiorum Principes addidit; non de Magistris Officiorum, sed de Principibus Scholarum, & Agentium in rebus, ceterisque Palatinis hoc accipiendum est: qui à Primiceriis diversi. Nam quælibet Corpora, Scholæ, Collegia suum Primicerium habuerunt, quem nos vocamus, *Le Doyen*, qui post depositam publicam numerorum sollicitudinem, Magistri Officiorum infulas sortiebatur, hoc est, honorariam Magisterii dignitatem[2].

At Princeps Officii erat primus inter Officiales, qui omnibus illis imperabat, & quid agendum esset, ubique disponebat. Atque inter ipsos Principes aliqua ipsa fuit differentia. Nam fuit primus Princeps legionis, fuit secundus, fuit Princeps cohortis, Vegetius *lib.* 2. *cap.* 8. quos Officii Principes nullus dixerit: etenim Princeps Officii est, in quo totius Scholæ & Magistri Officiorum severitas constituta est: *qui idoneus probitate morum ac bonis artibus præditus, per Magistrum Imperatori offerri debuit*[3]. Atque hic fortè est qui à Cassiodoro *Princeps Cardinalis* vocatur, lib. 7. *Variar.* 31.

1 L. 3. & 4. C. de Castrensian. l. 1. 2. & 3. C. T. de Princip. Agent. in reb. 2 L. 2. C. de Primicer. 3 L. 1. C. de offic. Magistr. Offic.

Quomodo ergo Magister Officiorum Princeps Officii aut Primicerius dici potuit? Quin & Principes multorum sunt Officiorum, & Primicerii: at duos tantùm Officiorum Magistros invenimus, unum in Oriente, in Occidente alterum, Notitia Imper.

Non me fugit, Cæsares Magistrum Officiorum habuisse, ut Quæstorem, Ammianus Marcellinus *lib.* 20. sed Officia Imperatorum confundenda non sunt cum Officiis Cæsarum, ut ex iis numerus augeatur. Nos verò Magistri Officiorum originem perquiramus. Illum sub Neronis Imperio viguisse, ex antiquis Scriptorum monumentis quidam putant. In Actis Martyrii Processi & Martiniani, Surius tom. 4. 2. Jul. Nero, ut ferunt, tradidit Apostolos Petrum & Paulum Paullino Viro Clarissimo Magisteriæ potestatis. Hos ille custodiæ Mamertini mancipavit, adhibitâ militum custodiâ. Inter hos Processus & Martinianus Christiani facti. Cùm id Paullino nuntiatum Magistro Officii, eos jussit in equuleo suspendi & nervis attrahi, atque fustibus cædi. Jussit deinde Paullinus suspensos scorpionibus castigari, adhibita voce Præconis, *Præcepta Principis nolite contemnere.* Post triduum Paullinus à dæmone arreptus subitò exspiravit. Cæsarius Vrbis Præfectus Neroni rem gestam indicat: deinde Præfectus tulit in eos sententiam: & ducti extra muros Vrbis Romæ Via Aurelia capite cæsi sunt. Paullinus tamen ille militum Præfectus dicitur in *Breviario Rom.*

Sed ante Neronis tempora Principem Officii in antiquis Inscriptionibus invenimus. Romæ, pag. 599. 6.

NERITO. DIVI. CLAVDII
PRINCIPIS. OFFICI

Legendum *Principi*: nam fabrili mendo litteram S adjectam satis clarum est. Magistrum Officiorum sub Imperio M. Antonini fuisse, Acta S. Abercii Episcopi Hierapolitani comprobant, in quibus litteræ Imperatoris referuntur, quas ad Euxenianum scripsit. Atque ex illis partem apponere sufficiet: *Valerium & Bassianum Magisterianos nostrorum Officiorum misimus, ut Abercium cum omni honore & reverentia ad nos adducant.*

Si ergo illis temporibus fuit Princeps Officii, nihil obstat, cur & Magister Officiorum, sub cujus dispositione erant Princeps & Magisteriani Officii, in Palatinos milites, quales fuere Processus & Martinianus, omnem habuerit potestatem, ut in illos quoque graviori supplicio animadvertere posset, si res ita postularet. Quod Principi Officii non licuit. Nam licèt irreverens miles non tantùm à Tribuno vel Centurione, sed etiam à Principe coërceri possit[1]; hoc de leviore castigatione intelligendum est, non de supplicio graviore, ut capitis pœna. Vite enim verberare militem potuit Centurio aut Princeps, quæ fuit illorum insigne ad plectendos milites, si quid in ordine deliquissent. Cassiodorus in formula Principis lib. 7. *Variar.* 24. *Tu Vitem teres improbis minantem:* sic enim legendum est, non, ut in vulgatis codicibus, *Vitam*, pro qua alii malè substituunt, *Vicem.* Inde Ennodii jocus de Principe Præfecti Præt. ebrioso, *epigramm.* 137.

Verus honor vitem tribuit, sed munera vitis
Jejuno non dant vina Ministerio.

Si quid verò gravius statuendum esset in eos, qui in Palatio militabant, hoc ad Magistrum Officio-

1 L. milites 5. irreverens. D. de re militar.

rum pertinebat: *Nec viris Spectabilibus, Comitibus Scholarum, verberandi regradandive Senatores licentia data est: sed quæ tali commotione digna sunt, ad Magistri Officiorum notitiam referuntur* [1]. Qui sint Senatores in ordine militari, alio loco aperiemus.

Metum Officiorum Magister habuit imperium, hoc est, gladii potestatem, ut ex duabus Justiniani Constitutionibus in raptores virginum probatur, quæ utraque scripta est ad Hermogenem Officiorum [2] Magistrum. Et quoniam in Aula Imperatoris diversa erant Officia, ille Magister Officiorum omnium etiam dicebatur. Inscriptio Romæ, pag. 406. 1.

F. EVGENIO. V. C. EX. PRAEFECTO. PRAETORIO
CONSVLI. ORDINARIO. DESIGNATO
MAGISTRO. OFFICIORVM. OMNIVM
COMITI.DOMESTICO.ORDINIS.PRIMI
OMNIBVSQ. PALATINIS. DIGNITATIBVS. FVNCTO

Comes etiam dicebatur & Magister Officii [3], qui nonnunquam ex Consule ordinario Magisteriam nactus est potestatem [4]. Comes Officiorum pro Magistro in inscriptione legum etiam invenitur [5]: qui idem aliquando & Quæstoris & Magistri Officiorum munere fungebatur. Novella Juliani Antecessoris [6]: *Imp. Justinianus Aug. Tribuniano Illustri Magistro Officiorum & Quæstori sacri Palatii.* Et licèt ab Officiorum Magistro Palatini omnes non regerentur, nam eorum plurimi erant sub dispositione Magistrorum equitum & peditum præsentalium, Comitis sacrarum largitionum, Comitis Domesticorum, & Castrensis [7]: horum tamen omnium mores Magisterianæ potestati, dum in Palatio versarentur, subjecti fuere.

Præterea sub Magistro Officiorum erant agri limitanei, ut ex duabus Magistri Officiorum sententiis, quæ in Novellis Constantini Porphyrogenetæ Constitutionibus leguntur, quæ Constitutiones libris Βασιλικῶν adjectæ sunt. Inscriptio primæ: *Cosmæ Magistri Officiorum sententia prima*, τοῦ Μαγίστρου Κοσμᾶ ψῆφος Α. Quæ de jure Emphyteuticario, vel prædio juxta legitimam Juris formam ab Episcopatu tradito, lata est. Hanc quia prolixior est, hîc prætereo. Altera est brevior, quæ ita concepta: „Si unus idemque loci census „& eadem pensitatio sit, partibus inter consortes „tributis, nec adhuc anni xxx. præterierint, ex „quo divisio facta fuit; rursum totus census ef„fici communis poterit, & confundi limites, & „in singulos partitio fieri; sortibus æqualiter du„ctis, ipsoque fundi solo, non tantùm juxta quan„titatem diviso, verùm etiam ex quantitatis com„paratione distributo: Εἴπερ ἐστὶ τοῦ τόπου μία ὑποταγὴ καὶ εἷς τελεσμὸς, καὶ αἱ μερίδες ἀνακεκοίνωνται, οὔπω δὲ διῆλθε τριάκοντα ἔτη ἀφ' οὗπερ γέγονε μερισμός· ἵνα καὶ πάλιν κοινοῦται πᾶσα ἡ ὑποταγὴ, καὶ συγχέωνται τὰ ὅσια, καὶ γένηται μερισμὸς πρὸς ἕκαστον αὐτῶν, κατὰ κλήρων ἰσότητα· τῆς γῆς τοῦ ἀγροῦ, οὐ μόνον κατὰ ποιότητα μεριζομένης, ἀλλὰ καὶ κατὰ σύγκρισιν ποιότητος διανεμομένης.

Officium Magistri Officiorum de Schola Agentium in rebus est ita [8]: Adjutor Subadjuvæ. Fabricarum tres. Barbaricorum tres. Orientis unus.

1 L. 3. C. de offic. Magistr. Offic. 2 L. raptores. C. de Episcop. & cleric. l. unic. C. de raptorib. virgin. 3 L. 4. C. de statu. & imaginib. l. 3. & 4. C. de Castrensian. 4 L. 16. C. T. de metatis. 5 L. 2. C. de metal. & metallar. 6 Nov. 23. 7 L. 38. C. T. de Decurionib. 8 Notitia Imper.

A Asianæ unus. Ponticæ unus. Thraciarum & Illyrici unus. Curiosus cursus publici. Præsentalis unus. Curiosi per omnes Provincias. Interpretes diversarum gentium. Magister Officiorum ipse emittit. Hinc Præfectus Præt. & Magister Officiorum soli evectionis copiam faciebant: quod cæteris Magistratibus denegatum est [1]. Magister verò Officiorum Illustris ordine, loco, & numero Agentium in rebus statuebat, & qui illius vices gerebat, Agens pro Magistro Officiorum dicebatur, Ammianus Marcellinus *lib.* 15.

De illo, & ejus Officiis, sequenti libro, in quo
B de Magistratibus Palatinis tractamus, nos cetera commodiùs persequemur.

CAP. XXI.

De aliis sacrarum cognitionum Judicibus.

IN omnibus Judiciis, quæ Princeps consultationum introduxit loco, „ea quæ geruntur, exci„pere, scribere, litigatoribus edere, ejusdem „Principis Epistolares præcipiuntur: Officiis eo„rum cum quibus vir Illustris Quæstor judicat,
C „exsequentibus judicata. Quòd si privato, non Il„lustri, uni pluribusve, ut assolet, Imperator dele„gaverit causam, & ejus eorumve definitio fuerit „appellatione suspensa: vir quidem Magnificus „Præfectus Præt. qui in Comitatu est, cum viro „Illustri Quæstore, temporali die, judicant: Li„bellenses verò Principis, quæ apud Arbitros „gesta sunt, suscipiunt, cognitiones inducunt, & „ea quæ geruntur excipiunt, scribunt: qui etiam „apud Arbitros, licèt Illustres sint, ex delega„tione Principis cognoscentes excipiunt, si in il„lius Comitatu causæ dicantur [2].

Libellenses in iis Judiciis Præfecti Præt. &
D Quæstoris Adjutores fuerunt, non Officiales: excipiebant enim cognitionalia certamina, quæ ab Officiis horum Judicum exsecutioni mandabantur. Diversa ergo fuerunt Epistolarium & Libellensium Officia: nam Epistolares in Judiciis, quæ consultationum more fiebant, Præfecto Præt. & Quæstori opem ferebant. Consultationum more sacra hæc Judicia fiebant, in appellationibus quæ ab ipso Principe, per Consultationem disceptari solebant, adhibitis Proceribus Palatii & Senatoribus [3]. Hæc quidem Præfecto Præt. & Quæstori Palatii mandata sunt, quæ omnia sic peragebant,
E ac si Princeps & Proceres Palatii præsentes essent.

At Libellenses munere suo fungebantur in causis, si privato, non Illustri, uni pluribusve essent delegatæ, earumque definitio fuisset appellatione suspensa. Tum quidem Libellenses excipiebant apud Arbitros, id est, delegatos illos Judices, quæ gesta essent, si in Comitatu causæ dicerentur. Sed si à Judicibus delegatis appellatum esset, apud Præfectum Præt. & Quæstorem Epistolares excipiebant.

Arbitri dicuntur qui totius rei habent arbitrium
F & facultatem, eorumque Judicium definitio appellatur, Festus in verbo *Arbitr.* Delegavit Gloss. veter. est ἀφώρισεν, & delegare, ἀφορίζειν, terminare, finire; à quo ἀφορισμός, definitio.

Sed Novella 25. Justiniani derogat huic Constitutioni Theodosii: illa enim indistinctè, ab iis, quos Princeps delegavit, si fuerit appellatum, non semper ad Præfectum Præt. & Quæstorem appellationem transmittit: nam „si quando ex Æ„gyptiaco tractu, vel adjuncta ei utraque Libya „pro-

1 L. 9. C. de cursu public. 2 L. 32. §. huic saluberrimæ. C. de appellationib. 3 Novel 20. &. l. 2. C. de legib.

„provocatio est, usque ad decem librarum auri „quantitatem, ad Præfectum Augustalem appel- „latio devolvitur, qui audiat & causam dirimat, „vice Sacri Cognitoris, nulla ei penitus post de- „finitivam sententiam appellatione porrigenda.

In Diœcesi Orientis, ex causis quantitatis ejusdem, appellatur à Clarissimis ad Viros Spectabiles Comites Orientis. In Pontica & Asiana Diœcesi, si tale quid emerserit, usque ad prædictam quantitatem decem auri librarum, appellationes ad Viros Spectabiles, Comites fortè, vel Proconsules, vel Prætores, vel Moderatores, quibus lites eædem peragendæ deputantur, remitti debent: qui vice Sacri Cognitoris intercedant, & causas sine spe quidem appellationis perferant decidendas.

Notat Cujacius[1], à Consulari Armeniæ quartæ, appellari ad Comitem Armeniæ tertiæ; à Correctore secundæ, ad Proconsulem primæ. Sed à Spectabilibus ad Præfectum Præt. Orientis appellatur, qui vice sacra cognoscit, adhibito Quæstore sacri Palatii. Si verò lis memoratam excedens quantitatem, viginti libris auri terminetur, duobus traditur disceptatio Magnificis Judicibus, viris scilicet devotis Epistolaribus, cognitionalia Judicia percipientibus: ita tamen ut si dissentirent, Magnifici duo Judices Virum Illustrem pro tempore Quæstorem adhiberent[2].

Epistolares Principis sunt, qui à nobis vocantur *Secretaires & Greffiers du Conseil*, qui non ex Scrinio Epistolarum, cui Magister Epistolarum præerat, eligebantur, sed ex sacrato Notariorum Collegio: illique Notariorum Officio fungebantur; inter secreta Consistorii veneranda[3]. Atque hi quidem alii sunt à Notariis qui ad secreta Imperialia pertinere dicuntur[4], ἐν τῷ τάγματι τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων ἀναφερόμενοι, ut Zosimus loquitur *lib.* 5. nam magna horum Notariorum potestas fuit.

Mnestheus, quem pro Notario secretorum Aurelianus Imperator habuerat, suis insidiis Principem perdidit, Vopiscus in *Aureliano*: Casaubonus ad Vopiscum, illum secretorum Notarium interpretatur Epistolarem, à quo omnino differt: nam Notarius secretorum nobis *Secretaire d'Estat*: cujus aliud Officium fuit, quàm Epistolarium. Notarius secretorum etiam dicebatur Notarius Principis, ut Theodorus, qui Imperium affectare ausus est, ut Zosimus tradit *lib.* 4. Hi secretorum Notarii ad omnes tandem Illustres dignitates evecti sunt, quibus summa rerum à Principibus credita est.

Constantius Notarium Paulum misit ad Orientem potestate delata, ut instar Ducis experientiâ clari, ad arbitrium suum audiri efficeret causas, & crudelia à multis supplicia sumsit, Ammianus Marcellinus *lib.* 19. Idem ille Princeps Notarium Philagrium Orientis Comitem fecit. At Valentinianus Vulterium Notarium Consulem creavit, quem antea ad tuendam Africam disposuerat. Ille etiam Sophronium Notarium Præfectum urbis Constantinop. constituit, Ammianus Marcellinus *lib.* 26.

Epistolares his Secretariis multò inferiores, qui vicem egerunt eorum, qui Augustorum liberti antea Epistolis & Libellis vacabant. Inscriptio vetus, pag. 586. 5.

FLAVIVS. AVG. L. PROTOGENES
AB. EPISTVLIS

Item alia Romæ, pag. 586. 6.

1 Novel. 23. 2 L. in offerendis. C. de appellationib. 3 L. 7. C. T. de privileg. eor. qui in sacro palat. 4 L. 12. C. de excusationib. muner.

SECVRITATI. COGNATIONIS. SVAE
FORTVNATVS. AVG. LIB. VERNA
PATERNVS. AB. EPISTVLIS

Epistolares & Libellenses, Adjutores habuerunt & Proximos. De Adjutoribus Inscriptio Romæ, pag. 587. 7.

M. AVRELIO. AVG. LIB
A. LIBELLIS. ADIVTORI

De Proximis alia item Inscriptio Romæ, pag. 586. 9.

BASSO. AVG. LIB. PROX
AB. EPISTVL. GRAECIS
TRACTVS. CARTHAGINIENSIS

De Proximis memoriæ, Epistolarum, & Libellorum, multa in legibus Imperatorum leguntur[1]: & sunt tituli in utroque C. *De Proximis Scriniorum.* Quî fit ut Epistolares & Libellenses Principis, Scriniarios habuisse credam, ut in Scriniis asservarentur Libelli & Epistolæ, quæ ad Principis statum & res privatas pertinerent. Scriniarius à Libellis invenitur, pag. 587. 10.

QVADRATO. SCRINIARIO
A. LIBELLIS

Ab Epistolis, pag. 1111. 10.

TI. CLAVDIVS. DIVI. L. ERASTVS
SCRINIARIVS. AB. EPISTVLIS

Quod ex Dionis auctoritate confirmo: *Incendium*, inquit, *temporibus Commodi excitatum Palatium conscendit, ubi adeò exusta sunt multa, ut Libelli, qui ad Principatum pertinebant, omnes ferè interierint.* Καὶ τὰ γράμματα τὰ τῇ ἀρχῇ προσήκοντα, ὀλίγου δεῖν πάντα φθαρῆναι, Xiphilinus in *Commodo.* Libellos dixit Interpres, quæ γράμματα. Sed latior est Græci nominis significatio, quæ ad Imperii Codices omnes extenditur.

Habuerunt præterea Principes alios Epistolares, & Libellenses, vel potiùs Scribas, qui Epistolaribus & Libellensibus inservirent: quod vix aliunde probari potest quàm ex ipsis Inscriptionibus, quæ verè Scrinia sunt doctrinæ secretioris. Vna est Romæ, pag. 577. 8.

TI. CLAVDIVS. ALCIBIADES
MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS
ITEM. SCRIBA. AB. EPISTVLIS. LAT

Alia item Romæ, pag. 582. 1.

TI. CLAVDIO. TI. AVG. LIB. ARRIO
CLAVDIANO. SCRIB. LIBEL

Sed & ipsi Principes Scribas suos habuerunt cubicularios, quos vocamus *Secretaires de la Chambre.* Inscript. pag. 575. 7.

IANVARIVS. DOMITIANI. CAESARIS. L
SCRIB. CVB

Epistolares tandem non ex libertis, sed ex ingenuis Principes sibi elegerunt. Et Hadrianus, ut Spartianus in *ejusd. Vita*, primus ab Epistolis & à Libellis

1 L. 4. C. T. de proxim. comitib. disposit.

bellis Equites Romanos habuit; qui variis Officiorum muneribus postea sunt decorati. Inscriptio pag. 482. 5.

T. VARIO. CLEMENTI
AB.EPISTVLIS. AVGVSTOR
PROC. PROVINCIAR. BELGICAE
ET. VTRIVSQ. GERM. RAETIAE
MAVRET. CAESARIENS. &c.

Fuerunt alii, qui præter hos, quos annumeravimus, vice sacra cognoscere dicuntur, de quibus nos hactenus *lib.* 1. *cap.* 25. & 26. Hoc tantùm addo, ex veteribus Inscriptionibus, ad quas recurrendum nobis est, quia multùm faciunt ad interpretationem Novellæ Justiniani[1], quam suprà attulimus. In his Præfectus Vrbi ad cognoscendas vice sacra Cæsaris cognitiones celebratur, pag. 381. 3.

L. CAESONIVS. C. FIL. QVIRINA. LVCILLVS. MACER. RVFINIANVS. COS.
FRATER. ARVALIS. PRAEF. VRBI.
ELECTVS. AD. COGNOSCENDAS.
VICE. CAESARIS. COGNITIONES

Sacras cognitiones aliquando potentiorum artibus elusas queritur Symmachus *lib.* 2. *epist.* 30. ut cùm „Martianus dudum Protector, bona quædam tanquam vacantia postulasset, ut si ea hereditas scriptum successorem non haberet, in jus fisci tanquam Domino nuda concederet: & tunc insinuato per Rationalem patrimonii modo operiretur petitor: apud Rationalem acta causa est contra scriptos heredes, qui de bonis vacantibus cognoscebat, *lib.* 10. *ep.* 55. Ab hoc orta provocatio est. Quæ ubi Auditorium Sacrum decreto etiam legis Principis intravit; rursus eludendi judicii causâ, propositum est inane commentum, ut ab Illustri Viro privatæ rei Comite, diceretur Rationalis examinis cognitio delegata: atque ideò rursus ad ejusdem Judicium debere transferri: cùm omnis quæstio sacro potiùs Auditorio ex provocatione competeret. Accedente etiam proxima sanctione, quæ indiscretas hujusmodi appellationes, Sedi, quæ vicem Principis tuetur, prisco jure commisit, Symmachus eod. Et cùm Symmachus Vrbis Præfectus vice sacra judicans pro heredibus pronuntiasset, Rationalis sententiam illius inusitata provocatione suspendit.

1 Novel. 23.

Hæc Relatione summatim complexus est, & gestorum documenta Symmachus subtexuit ad Imperatorem, qui de hac controversia vel potiùs Rationalis audacia judicaret. Indiscretæ appellationes à Symmacho dicuntur, quæ apud alium atque alium Judicem tractari possunt: ut appellationes à Rationali vel ad Comitem rerum privatarum, vel ad Præfectum Vrbi devolvebantur. Nec poterat Rationalis, à quo provocatum erat, sententiam Præfecti Vrbis inusitata provocatione suspendere, cùm Præfectus vice Principis judicasset. Singulare quidem hoc exemplum, & Rationalis audaciæ, & Præfecti Vrbis temperantiæ, qui secundùm leges pro fama temporum judicasse se profitetur. Quod alio loco dixit, ***Summo omnes studio eniti debere, ut famam seculi, suggestionum veritate tueantur.***

JACOBI

JACOBI GUTHERII,
IN SENATU PARIS. ADVOCATI, CIVIS ET PATRICII ROMANI,
DE
OFFICIIS DOMUS AUGUSTAE PUBLICAE ET PRIVATAE,
LIBER TERTIUS.
AD AMPLISSIMUM VIRUM
NICOLAUM BELLEVRAEUM,
Senatus Parisiensis Præsidem.

Cap. I.
De Officio Advocati fisci.

A Cum tempus sit, Præses amplissime, de illa me perpetua etiam nunc, non de hac exigua vita cogitare; omissis forensium rerum angustiis, ad sanctiores disciplinas, & mansuetiores Musas confugisse maximè lætor. Ætas mea quidem postulat solitudinem & recessum, quibus plurimùm oblectatur, quòd ex animo suo, ut Fabius loquitur *lib.* 1. *cap.* 12. & contemplatione & scientia uberiores studiorum fructus colligat. Etenim ab omnibus curis liber, Deum Opt. Max. precatus, primùm ut mihi ad finem usque vitæ quietam & intelligentem mentem largiatur; peractis pietatis Officiis, in foro umbratili veteris prudentiæ, bonarum litterarum causam ago, ad eaque studia me refero, quæ aliquid utilitatis discendi cupidis, & nostro Ordini, laudis etiam aliquid afferant.

B Quid in hac solitudine profecerim, testatur hic tertius liber, quem auspicor ab Advocato fisci, à quo Viri magni majorum honorum auspicia cepisse narrantur. Hos inter Papinianum nostrum conspicio, qui Imperatori Severo, cui affinitate & studiorum cognatione junctus erat, cùm Severus adhuc privatus esset, in fisci Advocatione successit, Spartianus in *Caracal.* Uterque Scævolam Præceptorem habuerunt. Severum M. Antoninus ad fisci patronatum delegit, ex formulâ forensi, ut Spartianus scribit in *Getâ*, apud quem alii, *ex formulario*, legunt: quam lectionem non rejicio, cùm idem significet. Sed mihi formula forensis magis placet, ut error tollatur eorum, qui formularium, forensem legulejum interpretantur.

C Formularii dicti sunt Advocati, quòd formulas actionum componere solerent, ut de Aulo Cæsellio Valerius Maximus tradit *lib.* 6. *cap.* 2. qui Juris civilis scientiâ clarus, periculosè contumax fuit: nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant, formulam componeret. Erant quidem formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis in genere actionis erraret, Cicero *pro Roscio Comœdo.* Atque illæ expressæ erant, ex uniuscujusque damno, dolore, incommodo, calamitate, injuria; publicæ quidem à Prætore, ad quas privata lis accommodaretur.

D Quare Casaubonum non sequor, cùm putat formularium forensem Severum vocatum, quòd illi causas agenti parùm commodaverit forum, ut ex Aurelio Victore colligit, in *Severo*; cùm idem Victor scribat Severum Philosophiæ, & declamandi, cunctis postremò liberalium artium studiis deditum, abs se texta ornatu & fide paribus composuisse. Idem Aurelius in *Epitome* Severum Latinis litteris sufficienter instructum testatur, Græcis sermonibus eruditum, & Punica eloquentia promtiorem. Addit quidem Aurelius, *primò litteris, deinde imbutum foro: quo parùm commodante, uti rebus arctis solet, varia melioraque tentasse & exquisivisse.* Quod nihil officit Severi eloquentiæ, si res ejus arctæ, tenues & impeditæ, fori laboribus sublevatæ non sunt, & cùm parva illi emolumenta forum præstaret, aliud vitæ genus elegerit.

Non advertit fortè Victor Aurelius, Africanus Scriptor, Patronos fisci biennio solùm hoc Officio fungi solitos; quo expleto Comitiva Consistoriana vel aliis honoribus ornatos ad Officium advocationis raro revertisse. Sed & honestiores Patronos, in causis agendis non modò pactione, dono, munere, verùm etiam xeniis, ut plurimùm abstinuisse, ut Plinius de seipso scripsit, lib. 5. *epist. ad Rufum.* Nec tamen propter rei familiaris angustias Severum, fisci Patronum, forum reliquisse crediderim: sed aliud vitæ genus amplexum, quod multo labore quæsitam Comitivæ dignitatem decoraret. Quòd si causarum Patronos ex quæstuum magnitudine & sordidis ministeriis metimur, plures Rabulas ditiores offendemus, quàm eos qui in Jure versati, tenuiori fortuna gloriantur.

Advocationem ergo fisci adeptus est Severus ex formula forensi, hoc est, ex formula Juris præscripta; quæ ex Advocatorum Corpore, secundùm eum ordinem, quo in eorum numerum recepti sunt, fisci Patronum præstabat. Nam si fisci Patronus vitâ decederet, qui gradu eum sequebatur, in ejus locum subrogabatur [1].

Fisci Patronum Hadrianus primus instituit, Spartianus in *ejus Vita*, quem in Principis Consistorio causas egisse suprà *lib.* 1. *cap.* 20. demonstramus, cùm de fisci Commodis ageretur.

Hh Unde

[1] L. 13. C. de Advocat. diverſ. judic.

Vnde Patronus fiscalium commodorum à Constantino Imp. nuncupatur[1]. Nec verò in Aula solùm interveniebat fisci Patronus, sed & apud Præfectum Præt. Præfectum Vrbi, Magistrum Officiorum, & Comitem Thesaurorum seu sacrarum largitionum, apud Præfectum Ærarii in Vrbe: in Provinciis apud Procuratorem Cæsaris, Proconsulem, Præsidem.

In Præfectura Præt. Patroni fisci die festivitatis Kal. Jan. ipsius anni, per quem tale peragunt Officium, inter Spectabiles sacri Consistorii Comites Imperatoris manu puncti solatia consequuntur[2].

Kalendæ Januariæ largitionum dies erant, Nicephorus *lib.* 10. *cap.* 23. quibus solatia tribuebantur, hoc est, liberalitatem Princeps effundebat. Observat Cujacius variam legis lectionem, & Codices nonnullos *puncta solatia* habere; diuque se quæsivisse quid esset *puncti solatium*, quod nec adhuc se invenisse fatetur, lib. 13. *Observat.* cap. 2. Nec sanè usquam hoc genus loquendi inveniri potest, atque aliter lectio legis intelligenda est. Etenim puncti Imperatoris manu, fisci Patroni dicuntur solatia consequi: non puncti, aut puncta solatia. Manu pungere est manu notare, notis signare, quæ cuique Princeps solatia constituat. Punctum pro suffragio & favore accipitur. Et Veteres punctis suffragia notare solebant; & Expuncti dicebantur favore privati vel repulsi. Nec admitto aliorum conjecturam, qui *pacta solatia* reponunt: nam solatia illa, Kal. Jan. fisci Patronis data, ex mera Principis liberalitate proficiscuntur. At solatia fisci Patronis, seu honoraria, communi consensu deputata, ut lex loquitur[3], Kal. Octobris ex arce Præt. Præfecti per annos singulos solvebantur[4].

Duos autem Præfectus Præt. fisci Patronos habuit, qui paribus dignitatis & privilegiorum insignibus utebantur[5]. Hi etiam Præfecto Vrbi, ut ceteris urbanis Magistratibus aderant, & Consulibus. Nam si quis mancipia sua libertate donare vellet, fisci Patronus ad easdem libertates peragendas, propriam Advocationis vocem accommodabat[6].

Apud Magistrum Officiorum Patronus fisci Spectabilis, suo Officio fungebatur[7], ut apud Comitem largitionum, apud Præfectum ærarii in Vrbe: unde Patronus ærarii vocatur[8]. In Provinciis Advocato fisci præsente debent Rationales privatæ rei, causis præsidentes vel ærariis, examen suscipere[9]: ut præsente Patrono fisci, Proconsul diligenter inquirere debet, cujus vacans caducumque fuerit patrimonium, & quale videatur[10]. Munus enim Patroni fisci præcipuum, in iis bonis quæ fisco commissa essent, versabatur, vel exhibito delatore[11], adeò ut delatoris quodammodo Patronus esset[12]. Præses quoque Provinciæ sine fisci Patrono non rectè bona vacantia perquirebat[13].

Est Rescriptum Principis Hadriani ad Flavium Proculum: ut *si ad libertatem proclamet, is qui ex bonis ad fiscum pertinentibus esse dicitur; Judicium dari præsentibus & agentibus etiam iis, qui negotiis fisci solent intervenire. Et hujusmodi liberales causæ, si non interveniente fisci Advocato decisæ sint,*

1 L. 3. C. T. de jur. fisc. 2 L. 4. C. de Advocat. diversf. judic. 3 L. 3. & 5. C. de Advocat. diversf. judic. 4 L. 7. §. sexcenti, C. eod. 5 L. 10. & 15. C. de Advocat. diversf. judicior. 6 L. 4. §. his insuper, C. de Advocat. diversf. judic. 7 L. 12. C. de proxim. sacr. scrin. 8 L. 8. C. de Advocat. diversf. judic. 9 L. 4. C. de Advocat. fisc. 10 L. 5. C. T. de bon. vac. 11 L. 5. C. de delatorib. 12 L. 5. §. Advocatum. D. de his quib. ut indign. 13 L. 10. C. de bon. vacantib.

A *in integrum restituuntur*[1]. Est etiam aliud Rescriptum M. Antonini, ut *si fiscus alicui status controversiam faciat, fisci Advocatus adsit. Quare si sine fisci Advocato pronuntiatum sit, nihil actum est, & ideo ex integro cognosci oportet*[2]. Sine fisci Advocato delatores, qui bona vacantia, caduca, ereptitia, commissa, tacita fideicommissa, vaga mancipia, Thesauri inventionem nuntiant, pœnis afficiuntur[3]. Patrono autem fisci non licet dicere, ad se perlatum quendam, bona fiscalia detinere: atque non apparente accusatore alios insidiis appetere: sed delator ab eo debet exhiberi. Quod si delatoris intentionem exsequitur, in omnibus

B Officii necessitas eum satis excusat[4]. Sed ut fisci Advocati multos pro fisci ipsius commodis labores sustinent, ita magna sunt eorum solatia, magna privilegia. Nam præter ea quæ ex mera Principis liberalitate Kalend. Januar. consequuntur, & sexcentos aureos, qui Kalend. Octob. solvebantur; singulis annis, sexaginta auri libræ præterea numerabantur, ab amplissima sede Præt. Præfecti in utrumque dividendæ[5].

Iis verò tanta sunt privilegia irrogata, ut deposito Officio, si filios ingenuos haberent, ii in Clarissimorum Notariorum consortio inscriberentur,

C Tribunorum sacras solitas epistolas sine quadam suffragii solutione percepturi[6]: id est, ut nihil impendant pro introitu.

Præterea qui ad fisci patronatum pervenerunt, binos homines per singulos dies offerendi habuerunt facultatem, qui Principis purpuram adorarent, & statutis præsentibus domesticis inferrentur. Statutos nos dicimus ordinarios, quibus supernumerarii opponuntur. Offerunt ergo fisci Advocati statutos duos Principi, unum Equitum, alterum Scholæ Peditum, in vacantem eorum locum, qui diem functi essent[7]. Aliis quoque privilegiis potiuntur; quæ diversis temporibus con-

D cessa sunt ab Imperatoribus, sive per dispositiones & sententias Præt. Præfecturæ: ut scilicet unà cùm liberis jam natis, & postea procreandis, ab omni cohortalis seu cujuslibet deterioris conditionis vinculo immunes ac liberi, cum patrimonio suo conserventur[8].

Possunt etiam fisci Patroni, deposito Officio annoque completo, quod ad biennium tractum est, Advocatorum consortio abscedere, cum Comitiva Consistoriana[9]. Non prohibentur tamen singuli tàm pro se, quàm pro uxore sua, & So-

E cero & Socru, nec non Genero & Nuru, liberisque propriis, colonis & servis ad se pertinentibus, Advocationis Officio fungi[10]. Concessum etiam iis est, ne ædiculæ eorum, metatorum onere molestentur[11]. Metata sunt hospitia, quæ supervenientibus militibus Provinciales præbent. Plura de Officio Advocati fisci Cassiodorus lib. 1. *Variar.* 22. ad quem Lectorem remitto.

F 1 L. 3. §. divus. D. de jur. fisc. 2 L. 7. D. eod. 3 L. 5. & 7. C. de delatorib. 4 L. 5. §. Advocatum. D. de his quib. ut indign. 5 L. 6. C. de Advocat. diversf. judic. 6 L. 4. C. eod. 7 L. 6. §. licentiam. C. eod. 8 L. 2. C. eod. 9 L. 8. C. de Advocat. diversf. judicior. 10 L. 3. §. ad hæc. C. de Advocat. diversf. judic. 11 D. l. 3. §. ædiculæ.

CAP. II.

De Advocatis.

ADvocationis Officium, vitæ hominum necessarium, ut Imp. Anastasius dicebat[1], Principum præmiis dignissimum est. Hoc & alii Principes maximè commendarunt, atque inter eos Leo & Anthemius summis laudibus Advocatos extulerunt: „Advocati, *inquiunt*[2], qui dirimunt ambigua „fata causarum, suæque defensionis viribus, in „rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, „fatigata reparant: non minùs provident humano „generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam „parentesque salvarent. Nec enim solos nostro „Imperio militare credimus eos, qui gladiis, cly„peis, & thoracibus nituntur; sed etiam Advoca„tos: militant enim causarum Patroni, qui glorio„sæ vocis confisi munimine, laborantium spem, „vitam, & posteros defendunt.

Hinc Advocatorum Corpus seminarium est dignitatum, qui idcirco digni universis honoribus habentur, quòd Advocati esse meruerint[3]. Theodoricus Rex cùm Eugenium Magistri Officiorum dignitate ornaret, honesti laboris præmium dignitate litterarum commendavit: Cassiodorus 1. *Var.* 12. *Quid enim*, inquit, *Advocationis Officio ornatius? quod peregrinum negotium ad suas molestias trahit, ut laboribus subveniat alienis.* Athalaricus Rex Aratorem in Advocationis campo exercitatum Comitiva Domesticorum decoravit, idem 8. *Variar.* 12.

Nec minùs apud Romanos florente Republicà Advocati honoribus affecti sunt. Rutilii & Galbæ, & Scauri vita, moribus, frugalitate spectati, per varias ævi sequentis ætates, Censorii & Consulares, & triumphales fuere. Crassi & Antonii aliique innumeri post exercitus prosperrimè ductos, post victorias & trophæa civilibus stipendiorum Officiis floruerunt, laureasque fori speciosis certaminibus occupantes, summis gloriæ honoribus fruebantur, Ammianus Marcellinus *lib.* 30. Quid M. Tullius? qui seipsum immensæ gloriæ patronum habet, tot monumentis honorum eloquentiæ probitatis relictis, cui uni Roma debet, quòd Roma esset, impiissima conjuratione deleta?

Omitto ceteros, & ad nostra ipsa tempora recurro. Nonne Christophorus Thuanus, Seguerii, Brissonius, Magister, ex Advocatorum numero ad summum honoris fastigium adscenderunt? Quantos alios præstantes viros nostra ætas tulit? Portæum, Canajum, Versorium, Mangotios, Montholonios, Choartios, Choppinum, Buissonium, Dulacium, Antonium Oisellum, Hotomannum, F. Chauvelinum, Buthilerium, Robertum, Arnaldum? Dicerem Dolæum amicum meum, nisi de eo magis dolendum esset quàm loquendum. Mornacium, qui mihi charissimus fuit, non prætereo: qui præclaris suis Operibus, sibi perpetuò superstes vivet, & eruditæ posteritati. Quàm vellem Deus Immortalis fecisset, ut Petrum Mauguinium coætaneum meum mihique amicissimum in horum numero ponere non cogerer? Hunc fato functum, cùm hæc recenserem, nuntiatum est: quod magnum dolorem, vel potiùs mœrorem attulit: cùm eodem penè tempore Carolum Loysæum vixisse audierim, qui præclaris laboribus Jus nostrum Gallicum illustravit. Sed hunc mœrorem optimorum virorum probitas & prudentia minuit, cùm lætos illos ex his

A tenebris in cælum, quò tendimus, evolasse, facilè credam. Collegas meos observantissimos veneror, qui priorum vestigiis insistentes, & eorum virtutes æmulati, summa dicendi laude, parique prudentia, non dispares gloriæ gradus conscendunt, sola temporum ratione præpediti. Atque de his loquor tantùm, qui honestatem & fori decus conservarunt. Nec eos moror qui vix ad ipsum forum introducti perturbatione ordinis, præposteroque ordine constituto, ridiculè peccant. Hi enim nec ætati majorum, vel illorum auctoritati cedunt: qui sibi statim sapere videntur; verentur

B neminem, neminem imitantur, sibique ipsi exemplo sunt: & cùm pessimè dicunt, tùm maximè laudantur. Hoc Majores nostri questi sunt, hoc posteri querentur, refractis pudoris ac reverentiæ claustris omnia omnibus patere. Quare non verebor cum Plinio lib. 2. *Epist.* dicere, me in hac indignitate potiùs forum reliquisse, quàm laborem cum coætaneis meis charissimis refugisse. Sed desino jam, redeoque ad ea, quæ hoc capite tractanda suscepi: ac primùm video Advocatos, Patronos causarum, Oratores, à Jurisperitis & Jureconsultis distinguendos.

Advocatos, ut Ulpianus noster tradidit, acci-

C pere debemus omnes omnino qui causis agendis quoquo studio operantur[1]. Non tamen qui pro tractatu, non adfuturi causis, accipere quid solent, Advocatorum numero erunt. Tractatus sunt quæstionum disputationes diffusiores: licèt tractatus & quæstiones pro eodem aliquando accipiantur[2], cùm tamen quæstio de jure simplex sit, tractatus multa complectatur. Qui ergo pro tractatu quid accipit, id est, qui Jurisconsultus, ex Ulpiano, Advocatus non est: quia consilium solùm præbet petenti, nec illius causam agit, vel dum hæc agitur, illi præstò non est.

Advocati autem dicebantur, & qui testes ali-

D qua in re adhibiti, si Plauto credimus in *Pœnulo* Act. 3. Sc. 1. ỳ. 27.

Vos Advocatos dixi & testes ducere.

Cui Advocati respondent, ibid. Act. 3. Sc. 2. ỳ. 18.

Ergo nos inspicere oportet istuc aurum,
Ut sciamus quid dicamus mox pro testimonio.

Propriè tamen Advocati sunt, qui in Jure apud eum, qui Jurisdictioni præest, aliorum desideria exponunt, vel alterius desiderio contradicunt[3];

E licèt aliquando Jurisconsulti pro Advocatis accipiantur, ut apud Terentium, cujus jocum seriis inserere non injucundum erit, in *Phormione* Act. 2. Sc. 4. ỳ. 6.

D. *Videtis quo in loco res hæc siet.*
Quid ago? Dic, Cratine. CRAT. *Mene vis?*
D. *Te.* CRAT. *Ego, quæ in rem tuam sint, ea velim facias: mihi*
Sic videtur: quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum æquum est & bonum.
Et id impetrabis: dixi. DE. *Dic nunc, Hegio.*
HEG. *Ego sedulò hunc dixisse credo: verùm ita est,*

F *Quot homines, tot sententiæ: suus cuique mos.*
Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, & turpe inceptu est. D. *Dic, Crito.*
CRIT. *Ego ampliùs deliberandum censeo,*
Res magna est. D. *Fecistis probè,*
Incertior multò sum quàm dudum.

1 L. 4. C. de Advocat. divers. judic. 2 L. 14. C. eod. 3 Novel. Theod. & Valent. 34.

1 L. 1. §. Advocatos. D. de extraord. cognit. 2 L. qui quadringenta. D. ad leg. falcid. 3 L. 1. §. postulare. D. de postuland.

Tres erant Advocati: unus respondet; alter contradicit; tertius neutrum sequitur. Si quem hactenus offenderim non volens, hîc rideat licet, & eorum imprudentiam conspiciat, quos imitari facilè potest.

Advocati, qui quoquo studio in causis operabantur, Patroni litium dicti, causas agebant[1]. Hi plerumque cùm parva nescirent, magna profitebantur: aut ea, quæ maxima essent in Jure civili, tractare auderent in causis, cùm ea nescirent, nunquamque didicissent[2]. At Oratoris, qui Patronus causarum, quique alius est à Patrono litium, scientia omnis in dicendi peritia erat: qui si uteretur Juris subsidio, in causis nobilioribus, Juris ille scientia tanquam ancillula, aut pedissequa, utebatur[3]: maximè in publicis Judiciis, quibus præcipuam operam navabat. Quod & ipse noster Vlpianus docet: *Prævaricator*, inquit, *propriè dicitur, qui publico Judicio accusaverit. Ceterùm Advocatus prævaricator non propriè dicitur*[4]. Licuit igitur Oratori Jus civile, in quo eum versari oportebat, ignorare, ut de Servio Sulpicio refert Pomponius[5], qui in causis agendis principem locum, aut certè post M. Tullium, obtinebat. Hic cùm Q. Mutium consuleret, eumque sibi de Jure respondentem parùm intelligeret, objurgatus est à Q. Mutio; quasi turpe esset viro nobili & patricio, & causas oranti, Juris civilis peritiam non habere.

Oratorum tandem, Patronorum & Advocatorum nomen confusum est, qui & Scholastici dicti sunt. Scholasticus ex foro est Zonaræ ex Sardicensi Concilio[6], ὁ περὶ λόγους σχολάζων. Dicuntur etiam Advocati, togati, togatorum corpus, ut togati Præfecturæ[7], & Causidici causas in foro agentes, ut Cajus loquitur[8], quos Causidicinam in foro gerere dicit Imperator[9].

At Jurisperiti propriè sunt qui jura in Scholis interpretantur[10], qui legum Doctores, etiam cum Jurisconsultis confunduntur. *Alii*, inquit Tullius[11], *de Jure respondent, docent alii, & eodem tempore & discentibus satisfaciunt, & consulentibus.* Sed si quæratur quisnam Jureconsultus verè nominetur, eum definit, qui legum & consuetudinis ejus, quâ privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritus est. Hanc Juris civilis scientiam maximi Viri & maximæ dignitatis professi sunt. Vnde quidam à causis agendis, ut Tubero Patricius, ad Jus civile transierunt[12], quorum antiquitus tanta fuit auctoritas, ut si jus respondendi à Cæsare iis datum esset qui Jurisconsulti appellabantur, eorum sententiæ & opiniones eam auctoritatem tenuerunt, ne Judici recedere à responso eorum liceret[13]. Vnde & Juris conditores nuncupantur[14].

In unoquoque foro certus erat Advocatorum numerus certa matricula[15]. Prætoriana Advocatio centum quinquaginta numero Togatorum concluditur[16], qui statuti dicebantur, ad supernumerariorum differentiam, quibus licuit apud virum Spectabilem Proconsulem, vel Præfectum Augustalem, vel Comitem Orientis, apud viros etiam Spectabiles Vicarios, & apud Rectores Provinciarum negotia perorare[17]. Cùm tamen horum Judicum statutus etiam sit Advocatorum numerus. Etenim in Alexandrino foro quinquaginta erant Advocati statuti[1]. Proconsul & Comes rerum privatarum eundem Advocatorum numerum habuerunt[2]: in foro Præsidali Syriæ triginta, in foro Comitis Orientis quadraginta[3]: in foro Præfecti Vrbis octoginta fuerunt[4], ex lege Justiniani, quæ scripta est ad Theodorum Præfectum Vrbi, ut ex Basilicis & libris veteribus Cujacius emendavit lib. 13. *Observ.* cap. 1.

Ex hoc Advocatorum numero, non omnes iisdem privilegiis usi sunt. Nam in foro Præfecti Prætorio, ex centum & quinquaginta, quatuor solùm & sexaginta Togati, à primo usque ad sexagesimum quartum, Imperialibus beneficiis perfruuntur, quibus fisci Patroni liberique eorum honorati sunt[5]. Ad similitudinem horum sexaginta quatuor, quindecim apud Præfectum Vrbi, qui primos gradus obtinent, iisdem privilegiis potiuntur[6].

Nec tamen Advocati perpetui fuerunt, sed temporarii, ut Novella Theodosii & Valentin. comprobat, quæ est de perpetuanda Advocatione[7], quam alia Valentin. & Martiani abrogavit, quæ Jus vetus restituit, ut scilicet veteres Advocati cederent novis, nec essent perpetui. Hanc Novellam Cujacius vulgavit lib. 16. *Observ.* cap. 22. ubi plura de Advocatis, illorumque privilegiis observavit. Invenio Advocationem Afris concessam, apud omnes Judices, præter Prætorianam sedem, forumque urbanum[8]. Atque hi etiam Advocati erant temporarii, ut ex Theodosii & Valentin. Novella constat[9], quâ *Advocatis intra Africam manentibus non imputantur ad annorum numerum, tempora incursibus barbaricis interrupta: quæ tamen cùm expleverint, Clarissimatus honore potiuntur.* Vetus est Inscriptio Romæ de Advocato Africæ, pag. 28. 2.

DIIS. MAGNIS
SEXTILIVS. AGESILAVS. V. C
CAVSARVM. NON. IGNOBILIS. PATRONVS *
AFRICANI .TRIBVNALIS. ORATOR
ET. IN. CONSISTORIO. PRINCIPVM
ITEM. MAGISTER. LIBELLORVM. ET
COGNITION. SACRARVM. MAGISTER.
EPISTVLAR. MAGISTER. MEMORIAE
VICARIVS. PRAEFECTOR. PER. AFRICAM †
PER. HISPANIAS. VICE. S. I. C
VALENTE. V. ET. VALENTINIANO
IVN. AVGG. CONSS

Ex hac Inscriptione Advocatorum Africæ honorata admodum conditio est, cùm illi & in Consistorio Principis causas agere, & omnibus dignitatibus fungi possent.

Non absimilis est alia Inscriptio in Insula Tiberina de Advocato sedis urbanæ, quæ tritum illud dictum Apollinaris Sidonii *lib.* 1. *epist.* 11. illis temporibus verum testatur, ut cùm Advocatorum finirent actiones, inciperent dignitates, pag. 462. 1.

RAGONIO. VINCENTIO. CELSO. V. C
A. PRIMO. AETATIS. INTROITV. IN.
ACTV. PVBLICO. FIDELI. EXERCITA.

1 L. 7. §. hoc etiam. 2 Cicero 1. *de Orator.* 3 Idem eod. 4 L. 1. D. de prævaricatorib. 5 L. 2. §. Servius. D. de orig. jur. 6 Cap. 10. 7 L. 3. & 5. C. de Advocat. diversor. judicior. 8 L. 1. D. de orig. jur. 9 L. 188. C. T. de Decurionib. 10 L. 11. C. de Advoc. diverf. judicior. 11 Lib. 1. *de Orator.* 12 L. 2. §. post hos. D. de orig. jur. 13 L. 1. C. de veter. jur. enucle. & l. fin. C. de legib. 14 L. 23. C. de Procuratorib. 15 L. fin. §. fin. C. de Adsessorib. 16 L. 8. C. de Advocat. diverf. judicior. 17 L. 11. C. eod.

1 L. 5. C. de Advocat. diverf. judicior. 2 L. 1. C. eod. 3 L. 3. C. eod. 4 L. 7. C. eod. 5 L. 15. C. de Advoc. diverf. judicior. 6 L. 16. C. eod. 7 Novel. 16. & l. 8. C. eod. 8 Novel. 50. Theodos. & Valent. 9 Novel. 25.

* Hæc vox apud Gruterum non habetur.
† Duæ istæ etiam, PER. AFRICAM,

TATIONE. VERSATO. CVIVS. PRIMAEVITAS. OFFICIO. SEDIS. VRBANAE. ADVOCATIONIS. EXERCITO. FIDEM. IVNXIT. INGENIO. PRVDENTIAE. MISCVIT. LIBERTATEM. ITA. VT. NEMO. DE. EIVS. INDVSTRIA. NISI. ILLE. CONTRA. QVEM. SVSCEPERAT. FORMIDARET. CVIVS. ACCESSVS. AETATIS. AMPLISSIMI. HONORIS. ET. QVI. SOLET. SENIORIB. PROVENIRE. ORNAMENTA. PROMERVIT. NAM. REXIT. ANNONARIAM. POTESTATEM. VRBIS. AETERNAE. EA. AEQVITATE. VT. INTER. OMNES. QVI. AD. EVM. ANIMO. LITIGANTIS. INTRASSENT. PARENTEM. SE. PLERVMQVE. MAGIS. HIS. QVAM. IVDICEM. PRAEBVISSET. HINC. ETIAM. FACTVM. EST. VT. MENSORES. NOS. PORTVENSES. QVIBVS. VETVS. FVIT. CVM. CAVDICARIIS. DIVTVRNVMQ. LVCTAMEN. VOTI. COMPOTES. ABIREMVS. VT. VTRVMQ. CORPVS. ET. BENEFICIO. SE. ET. VICTORIA. GRATVLETVR. ADFECTVM. NAM. VT. HOC. ESSET. INDICIO. IAM. POSITO. MAGISTRATV. STATVAM. PATRONO. PRAESTANTISSIMO. TESTIMONIVM. GRATVLATIONIS. EXSOLVIMVS. CVM. RES. NON. ADVLATIONE. PRIVATO. SET. IVDICIO. POSITO. IN. OCIO. ET. QVIETE. REDDATVR.

Temporariæ Advocationis tempus Vicennium fuit[1]: iisdem enim Advocati & milites, pro tempore militiæ, legibus obligantur, iisdemque privilegiis fruuntur. „Expleto igitur Vicennio, vel „si maturiùs, quinto decimo Advocationis anno, „ad alium vitæ cursum transierint; Prætorianæ „seu urbicariæ Præfecturæ Causidici; Vicariæ dignitatis jus potestatemque obtinent, & in salutationibus Principis, & in conventibus publicis, „omnibus qui post se Vicariæ potestatem adepti „sunt, meritò præponuntur[2]. Quod non gratiæ singulorum, sed ipsi Ordini indultum est. Quamvis tam magno, tam necessario, & tam sancto Officio, si servetur reverentia litterarum, pervium esse videatur. Sanxerunt præterea boni Principes Theodosius & Valentin. „Vt nullus civi„lium Officiorum oneribus, aut exactionibus, aut „operibus publicis ad suggestiones numeratorum, „vel præceptum sacræ jussionis, meritum hujus„modi hominum, quod supra memoratos annos, „in quolibet Prætoriano, sive urbano foro, stu„dium probatæ defensionis impendit, post diutur„num laborem quies sollicitetur[3]. In hac lege pro suggestione *numeratorum*, lego *Numerariorum*. Numerarii enim in officio amplissimæ sedis Prætorianæ, publicum munus Ærariis inferebant, Isidorus *lib.* 8. *cap.* 4. & penes eos publicarum rationum Notitia consistebat[4]. Quamvis vulgata lectio defendi possit: nam apud quosdam Auctores Numeratores pro Numerariis leguntur, D. Augustinus lib. 2. *de liber. Arbitr.* Sed in Imperatorum codicibus Numerarios tantùm lego, nusquam Numeratores.

Alia quoque privilegia Advocatis fori Provincialis data sunt, completa militia: nam præter ea quæ jam adepti erant, nec frumenti aut olei curam, vel inspectionem operum, vel ratiocinium, vel defensionem civitatis, vel patris civitatis munus, vel curationem Annonæ exercebant. Nec ad Curias aut Collegia vocabantur inviti, aut nominabantur. Nec descriptiones præbebant, Consuetudinum vel spectaculorum nomine[1]. Pro patre civitatis, in Græco textu Basilicῶn legitur, πατερίᾳ. Patres civitatum sunt qui summam pecuniæ publicæ procurationem gerunt[2]. Impp. Diocletianus & Maximianus: *Qui conditioni non obnoxius curiali, quemlibet honorem, vel munus voluntate propria in quacunque gesserit civitate, is pro sua liberalitate Pater civitatis, in qua voluntarius municeps apparebit, si hoc ei libuerit constituetur*[3]. Pater civitatis est ex Cujacii observatione, ὁ πατὴρ τῆς πόλεως ἀναγκάζει τοὺς δεσπότας τῶν καταπεσόντων οἴκων ἀνανεοῦν αὐτούς.

Ex octoginta verò Advocatis, qui in foro Præfecti Vrbis postulant, cùm quindecim tantùm Patroni fisci privilegio gaudeant: eorum numerum à Justiniano adauctum reperio, qui viginti primates ejusdem ordinis inducit[4]. Atque ex Advocatorum ordine sumebantur, & Patroni fisci, & Senatores, & Magistri Scriniorum, atque etiam Officiorum Magistri, & Quæstores sacri Palatii, & omnes omnino dignitates, quas illi virtute animi, anteactæ vitæ integritate, morum honestate, assiduisque fori laboribus sibi paraverunt, & Principum liberalitate ac beneficio meruerunt.

CAP. III.

De Magistris Scriniorum. Ac primùm de Magistro memoriæ.

MAgistri sacrorum Scriniorum Officium Advocatis mandari solebat, ut Inscriptio Agesilai superiori capiti inserta fidem facit. Papinianus sub Severo libellos egisse dicitur[5]: qui postea Præfectus Prætorio. Ille quidem & Vlpianus, qui primùm Papiniano in consilio fuit, statim Præfecti Prætorio facti sunt, cùm unus antea ad memoriam, alter ad libellos paruisset, Spartianus in *Pescenn. Nigro.*

Quatuor autem fuerunt sacra Scrinia, quæ Principis, quæque Scrinia Palatii, & Scrinia sacri laterculi dicuntur[6]: memoriæ scilicet, Epistolarum, libellorum, dispositionum, quorum Præfectos Græci τέσσαρας Μαγίστρους vocant, Codinus *de Origin. Constantinop.* Tria tamen frequentiùs sacra Scrinia recensentur, omisso Scrinio dispositionum.

In Notitia Imperii, Magister memoriæ annotationes omnes dictat, & emittit: & precibus respondet. Magister Epistolarum legationes civitatum, consultationes & preces tractat: Magister libellorum cognitiones & preces. Fuit etiam Magister Epistolarum Græcarum, de quo in Imperatorum legibus nulla est mentio: qui eas Epistolas, quæ Græcè solent emitti, aut ipse dictabat, aut dictatas transferebat in Græcum.

Notandum est autem Scrinia esse loculos seu latercula, in quibus acta Principum, quæ ad Jus pertinent, asservabantur. Hac de causa totum Jus in Scriniis Principum constitutum dicitur[7]. Scrinia quidem à secernendo dicta, in quibus pretio-

1 L. 3. C. de iis qui non implet. stipend. 2 Novel. Theod. & Val. 34. 3 L. 1. C. quib. munerib. excus. 4 Novel. Theod. & Val. 49.

1 L. 1. C. quib. munerib. excus. 2 Tit. l. 1. C. de ration. oper. public. 3 L. 3. C. de his qui spont. muner. & ib. Cujac. 4 L. 7. §. quorum. C. de Advocat. divers. judic. 5 L. rescriptum. D. de distract. pign. 6 L. 12. C. T. de proxim. Comitib. disposit. & l. 3. C. de offic. Quæstor. 7 L. 19. C. de testament.

sa & secreta reconduntur: Annotationes, Pragmaticæ Sanctiones, Rescripta Principis, Cognitiones & Preces in iis reponuntur, servantur, & eduntur[1].

Inter quatuor Scriniorum Magistros, qui ἀντιγραφεῖς, Dictatores & Rescriptores, vocantur Gloss. vet. primus Magister memoriæ recensetur. Junius Calphurnius, qui hoc Officio functus est, ad memoriam dictasse narratur, Vopiscus in *Caro*: τῆς βασιλείας μνήμης προεστὼς Herodiano *lib.* 4. Laterculum minus ille tractabat, cujus cura ad Quæstorem Palatii pertinebat, & cujus arbitratu, ex Scrinio memoriæ dignitates, hoc est, Præfecturæ, omnes Tribunatus, & Præposituræ castrorum mittebantur, quæ quondam ad Magistrorum militum potestatem transierant[2].

Adnotationes etiam Magister memoriæ dictat & emittit: & precibus respondet, ex Notitia Imperii. Adnotatio est Principis rescriptum, sua manu subnotatum, quod Magister memoriæ dictabat. Hoc propriè indulgentiam admissi criminis continebat: nobis, *Lettres de graces ou remission*[3]. Adnotare tamen Rectores Provinciæ dicebantur, cùm Reum aliquem ad Principem remitterent, vel ad majorem alium Judicem, de cujus pœna statueret. Quod ex Plinio notamus lib. 10. *Ep. Fuerunt*, inquit, *similis amentiæ, quos quia cives Romani erant, adnotavi in Vrbem remittendos*. Adnotatio etiam est inter Reos relatio. Vnde adnotare est absentem Reum requirere: nos dicimus, *Adjourner à trois briefs jours*, & adnotata bona ob Reorum contumaciam, *Biens saisis & annotez*[4].

Preces privatorum præterea Magister memoriæ tractabat, exceptoribusque dictabat responsa, quæ Princeps libellis supplicibus dabat: quæ tamen Principis manu subscripta non erant, ut adnotationes: sed ab ipso Magistro memoriæ, qui precibus subscribebat, ut ex Inscriptione ad exemplum libelli dati manifestum est, quam nos suprà subjecimus *lib* 1. *cap.* 35.

Est Notitia Scrinii memoriæ quæ sic habet[5]: „Scrinii memoriæ probatoriæ Agentium in rebus, „Palatinorum, largitionum Palatinorum, rerum „privatarum partis Augustæ. Probatoriæ litteræ „sunt diplomata, quibus quis, cùm ad aliquod Of„ficium adsciscitur, idoneus & probatus renuntia„tur. Absque his probatoriis, memoriales & Agen„tes in rebus ceterique Apparitores Prætorianæ „per Orientem Præfecturæ non recipiuntur. Ne„que hi etiam qui diversorum Judicum Officiis „numerantur, solito more militiæ sacramenta sor„tiri possunt. Atque hæ probatoriæ Imperatoris manu subscriptæ, quæ illius arbitrio præstantur[6]. Excipiuntur quidam, qui sola auctoritate, veteri consuetudine apparitioni aggregantur. Hinc Cujacius differentiam ponit inter auctoritatem & sacras litteras, seu probatorias, qualem putat inter Senatusconsultum & auctoritatem Senatus.

Cujacii auctoritatem & amplitudinem ubique veneror, cui plurimùm hoc in Opere debeo: probare tamen non possum ejus interpretationem, nec Apparitorum auctoritates cum Senatus auctoritate comparare. Et quoniam quæ sit auctoritas præscripta Senatus, non satis hucusque explicatum, abs re nostra non longè digrediar, si quæ aliquando observavi, paucis referam.

Marcum Tullium auctorem sequar, qui unus

1 L. fin. C. de aquæductib. 2 L. 1. & 2. C. de offic. Quæstor. 3 L. 5. C. ad leg. Cornel. de sicar. & l. fin. C. de diverf. rescript. 4 L. 1. 2. & 4. D. de requirend. reis. 5 L. 10. C. de diverf. offic. 6 L. 9. C. eod.

A hoc auctoritatis præscriptæ exemplum prodidit *lib.* 8. *ep.* 7. „Senatusconsultum, *inquit*, quod tibi „misi, factum est, auctoritatesque præscriptæ. „Senatusconsulti auctoritas. Pridie Calendas Octo„bris in Æde Apollinis. Scribendo affuerunt, L. „Domitius Cne. filius Ahenobarbus, Q. Cæci„lius, Q. filius Metellus, *&c.* Quod M. Marcel„lus Consul V. F. id est, verba fecit, de Pro„vinciis Consularibus, D. E. R. I. C. uti L. „Paullus, C. Marcellus COSS. cùm Magistra„tum iniissent, ad Calendas Martias, quæ in suo „Magistratu futuræ essent, de Consularibus Pro„vinciis ad Senatum referrent. Neve quid priùs B „ex Calendis Mart. neve quid conjunctim de ea „re referretur à Consulibus: utique ejus rei causâ „per dies comitiales Senatum haberent, S. C. „facerent: & cùm de ea re ad Senatum referre„tur à COSS. eorum qui in ccc. Judicibus essent, „sex abducere liceret. Si quid de ea re ad popu„lum, plebemve lato opus esset: ut Servius Sul„pitius, M. Marcellus COSS. Prætores Tribu„nique plebis, quibus eorum videretur, ad po„pulum plebemve ferrent. Quòd si non tulissent: „uti quicunque deinceps essent, ferrent S. C. A. „(id est, Senatusconsulti auctoritati) Prid. Kal. O„ C ctobr. in æde Apollinis, scribendo adfuerunt L. „Domitius, &c. Addit deinde Tullius: „Quod „M. Marcellus COS. S. V. F. de Provinciis, D. „E. R. I. C. Senatum existimare, neminem eo„rum qui potestatem habent, intercedendi, im„pediendi moram afferre oportere, quominus de „Rep. quamprimum ad Senatum referri, Sena„tusque consultum fieri possit. Qui impedierit, „eum Senatum existimare contra Remp. fecisse: „si quis huic S. C. intercesserit, Senatui placere, „auctoritatem perscribi, & de ea re ad Senatum, „Populumque referri. Huic S. C. intercessit C. „Cœlius, L. Vicinius, *&c.* Itemque Senatui pla„ D cere de militibus qui in exercitu C. Cæsaris sunt: „qui eorum stipendia emerita, causas, quibus de „causis missi fieri debeant, habeant ad hunc Ordi„nem referri, ut eorum ratio habeatur, causæque „cognoscantur. Si quis huic S. C. intercesserit, „Senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea „re ad Senatum Populumque referri. Idem Tullius: „Quod in auctoritatibus perscriptis exstat, „scribendo affuisse, lib. 3. *de Oratore*.

Hanc Senatusconsulti auctoritatem sic intelligit Dio *lib.* 55. *Si quo casu*, inquit, *fieret, ut non quot opus erat Senatores convenirent: consilium ii quidem capiebant, & quod statuissent, id perscribe-* E *batur: non tamen vim Senatusconsulti obtinebat, sed auctoritas Senatus dicebatur, quæ videlicet ostenderet quæ fuissent sententiæ eorum Senatorum qui Consilio interfuissent*: Οὐ μέντοι καὶ τέλος τι ὡς κεκυρωμένη ἐλάμβανεν, ἀλλὰ Αὐκτώριτας ἐγίγνετο, ὅπως φανερὸν τὸ βούλημα αὐτῶν ᾖ· τοιοῦτον γάρ τι ἡ δύναμις τοῦ ὀνόματος τούτου δηλοῖ. Hoc etiam observatum est, cùm aut loco, aut tempore alieno, aut nullo legitimo edicto vocati, festinatò coiissent, aut Tribuni Pleb. intercessissent. Tunc enim cùm Senatusconsultum fieri nequiret, sententiam tamen suam Senatus nolebat esse occultam, F quæ deinde more Romano rata foret, ac nomen Senatusconsulti acciperet. Idque ab antiquis multo tempore studiosissimè retentum, nostro tempore penè exolevit. Hæc Dio. Sed auctoritas illa ex M. Tullio est Senatusconsulti auctoritas, quæ & Senatusconsultum dicitur, quæque perscribebatur, si quis huic Senatusconsulto intercessisset. Verùm auctoritas Senatus nihil definiebat, sed decernebat tantùm de qua re Relationem à Consulibus fieri oporteret.

Sub Imperatoribus, cùm vel frequens Senatus esset,

esset, omniaque timidè agerentur, ad Principis nutum res arduæ rejiciebantur, quæ in deliberationem cadebant. Vt cùm actum est in Senatu de fraudibus libertorum, efflagitatumque ut adversùs malè meritos, revocandæ libertatis jus Patronis daretur; nec deerant qui censerent: id est, cùm is Senatorum numerus esset, qui Senatûsconsultum facere possent, Consules relationem incipere non ausi ignaro Principe, perscripsere tamen consensum Senatus, Tacitus 13. *Annal.* Sed hæc perscripta auctoritas ab antiquo more multùm discrepat.

Aliud auctoritatis perscriptæ exemplum adfert Tacitus lib. 14. *Annal.* „Cùm Antistius Prætor „probrosa adversùs Neronem carmina factitasset, „à Cossutiano Capitone, Tigellini genero, Maje„statis delatus. Censuit Junius Marcellus Consul „designatus, adimendam Reo Præturam, necan„dumque more Majorum. Ceteris inde assentien„tibus, Pætus Thrasea, multo cum honore Cæ„saris, & acerrimè increpito Antistio; Non quid„quid nocens Reus pati mereretur, id egregio „sub Principe, & nulla necessitate obstricto Se„natû, statuendum disseruit. Carnificem & la„queum pridem abolita: & esse pœnas legibus „constitutas, quibus sine Judicum sævitia, & „temporum infamia, supplicia decernuntur. Quin „insula publicatis bonis, quo longiùs sontem vi„tam traxisset, eò privatim miserior, & publicæ „clementiæ maximum exemplum futurum. Liber„tas Thraseæ silentium aliorum rupit, & post„quam discessionem Consul permiserat, pedibus „in sententiam iêre paucis exemtis. At Consules „perficere Senatus decretum non ausi, de consen„su scripsere Cæsari.

Ecquid hujusmodi perscriptæ auctoritati simile habet auctoritas illa, quâ quis apparitioni ex vetusta consuetudine aggregatur? Auctoritas illa, de qua lex loquitur, ad amplissimam Præt. Præfecturam referenda est; nam auctoritates Magistratuum, pro litteris & Edictis accipiuntur, quæ publicis locis proponuntur, aliquid jubentes vetantesve[1]. Sic Præfecti Præt. commonitoria edicta, auctoritates dicuntur. Hinc auctoritas, quâ quis apparitioni aggregatur, accipienda est pro litteris, quibus apparitio alicui in Officio suo à Præfecto Præt. mandabatur. Auctoritas, *αὐθεντία*, *ἀξιοπιστία*; *βεβαίωσις*; *πρόσαγμα*, Gloss. Vet. Et *αὐθέντης* Dominus; qui pro arbitrio & potestate sua quidvis agendi potestatem habet; Budæo. Sic M. Tullius lib. 9. *ad Attic.* ep. 17. *atque eum loqui quidam αὐθεντικῶς narrant*, id est, cùm auctoritate. Vnde Novellæ Justiniani Constitutiones Authenticæ dictæ! atque hoc sensu rei judicatæ auctoritas dicitur[2]: ut auctoritas Præsidis[3]: auctoritas Rescripti Principis[4].

In Notitia Scrinii memoriæ continentur probatoriæ rerum privatarum partis Augustæ: nam Augusta res suas privatas habuit, quæ à Comite rei dominicæ sive privatæ regebantur[5].

Magna verò fuit Magistri memoriæ dignitas, magna auctoritas: nam ille Spectabilis & Comes ordinis primi, Vicariæ potestati præfertur[6], ad Illustres dignitates plerumque provectus. Inscriptio Romæ, pag. 465. 8.

1 L. fin. C. de fabricensib. 2 L. 2. C. de sentent. & interlocut. judic. 3 L. 1. C. quando decreto opus non est. 4 L. 2. C. de appellationib. 5 L. 3. C. ubi Senator. vel Clariss. 6 L. 1. C. T. de Magistr. scrinior.

SATVRNINO. SECVNDO. V. C. PRAESIDI. PROVINCIAE. AQVITANICAE. MAGISTRO. MEMORIAE. COMITI. ORDINIS. PRIMI. INTRA. CONSISTORIVM. ET. QVAESTORI. PRAEF. PRAETORIO. ITERVM. OB. EGREGIA. EIVS. IN. REMPVBLICAM. MERITA. DD. NN. VALENTINIANVS. ET. VALENS. VICTORES. AC. TRIVMFATORES. SEMPER. AVGVSTI. STATVAM. SVB. AVRO. CONSTITVI. LOCARIQVE. IVSSERVNT

Tanta præterea Magistri memoriæ potestas, ut ipso Valentiniano morbo confecto, cùm Valens Constantinopolim moraretur; Rusticus Julianus tunc Magister memoriæ, factione Gallorum militum ad Imperium posceretur, Ammianus Marcellinus *lib.* 27. Sed cùm Imperator remediis recreatus, mortis periculo liberatus esset, Gratianum filium Cæsarem renuntiavit: tum Eupraxius Cæsariensis Maurus, Magister ea tempestate memoriæ, primus omnium exclamavit, *Familia Gratiani hoc meretur.*

Narrat de Julio Cæsare Suetonius in *ejus Vita* cap. 56. illius Epistolas ad Senatum exstare, *quas primus videtur ad paginas & formam memorialis libelli convertisse: cùm antea Consules transversâ chartâ scriptas mitterent.* Transversa charta est adversa, pars altera paginæ, quæ suam quæque obtinet regionem, Festus in verbo *Pagina.* Alio tamen sensu M. Tullius lib. 5. *ad Attic.* epist. 1. *transversum extremæ paginæ* * *versiculum* dixit, qui in chartæ margine scriptus erat. Forma autem memorialis libelli hæc fuit, ut extentâ chartâ pars prior paginæ ad extremam transcurreret, nullo modo complicata. Quod in supplicibus libellis etiamnum hodie servatur.

CAP. IV.

De Magistro Epistolarum.

QVodcunque Imperator per Epistolam & subscriptionem statuit, lex est[1]: atque jus nostrum per Epistolas Principum plerumque introducitur, ut ex multis Pandectarum locis palam est. Quæ crimina extra Vrbem intra Italiam admittuntur, illa Præfectus Vrbi sibi vendicat, ut Epistola Severi Imp. ad Fabium Cilonem declaratur[2]. Vt à minoribus ad majores honores perveniatur, Epistola Antonini Pii exprimitur[3]. Inter fidejussores ipso jure obligatio dividitur ex Epistola Hadriani[4]: & Notarii nostri, si duo debitores in solidum quid promittant, usu recepto, solent in contractibus hæc verba apponere, *Renonçant à l'Epistre de Dive Hadrien.* Epistolæ hujusmodi, quæ passim in libris nostris occurrunt, Constitutiones etiam sacræ vocantur[5], & Epistolare Rescriptum[6]. Multæ quidem Epistolæ ad Senatum, ad Magistratus, ad Ordines civitatum, motu Principis, sine interpellatione aut relatione: frequentiores tamen ad Relationem Magistratuum; ut ex Trajani Epistolis ad Plinium colligere est.

Quis verò Magistros Epistolarum & Scriniorum quatuor instituerit, meritò viri docti dubitarunt.

1 L. 1. D. de Constit. Princip. 2 L. 1. D. de offic. Præfect. Præt. 3 L. ut gradatim. D. de munerib. & honorib. 4 L. inter. D. de fidejussorib. 5 L. 4. & 5. D. de fidejussorib. 6 L. unic. C. T. si cert. pet. de chirograph.

* In libris editis legitur, *epistolæ.*

runt. Ante Hadriani tempora Epistolarum Magistri nomen non invenitur, nec legitur. Suetonium Magistrum Epistolarum Hadriani fuisse tradunt, Spartianus in *Hadriano*, qui primus Principum ab Epistolis & à libellis Equites Romanos habuit. Nos de Suetonio postea viderimus: priores quidem Imperatores Libertorum operâ utebantur. Vetus lapis pag. 586. 5.

FLAVIVS. AVG. L. PROTOGENES
AB. EPISTVLIS

Item alius pag. ead. 7.

LIBANO. CAESARIS. VERN
AB. EPISTVLIS

Thallo à manu, quod est ab Epistolis, cùm pro Epistola prodita denarios quingentos accepisset, crura Augustus effregit. Crurifragium olim servorum supplicium. Ab Epistolis Claudius Narcissum habuit, & Pallantem à Rationibus, Libertos ejus, quos decreto Senatus, non præmiis modò ingentibus, sed & Quæstoriis Prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est, Suetonius in *Nerone* cap. 28. Epistolas patris Vespasiani Titus dictabat, idem in *Tito* cap. 6. Sed mos tandem invaluit, ut à Magistris Scriniorum ferè semper Orationes & Epistolæ Principum componerentur.

De Ælio Vero Spartianus in *ejus Vita*: *Cùm de Provincia*, inquit, *rediisset*, *Orationem pulcherrimam*, *quæ hodie legitur*, *sive per se*, *sive per Scriniorum aut dicendi Magistros paravit*, *quâ Hadriano patri gratias ageret*. Erant autem Epistolarum Magistri duorum generum: unus enim Epistolarum Latinarum fuit, alter Græcarum in partibus Orientis, qui Epistolas, quæ Græcè solent emitti, aut ipse dictabat, aut Latinè dictatas in Græcum transferebat. Lapis Romæ, pag. 586. 8.

AVRELIVS. ALEXANDER
AVG. LIB. AB. EPISTVLIS
GRAECIS

Alius pag. 587. 3.

IVLIVS	C. IVLIVS
DIVI. AVG. L	STYRAX
DIONYSIVS	AB. EPIST. LAT

De Berilo, qui pædagogus Neronis fuit, scribit Josephus lib. 2. *Antiq.* cap. 7. illum Græcis Epistolis scribendis præfuisse, atque pecuniâ corruptum, ab Imperatore litteras impetrasse, quibus abrogaretur Judæis civitatis jus, hactenus commune ex æquo cum Syris cohabitatoribus: Βήριλον, παιδαγωγὸς δὲ οὗτος ἦν τοῦ Νέρωνος, τάξιν τὴν ἐπὶ τῶν Ἑλληνικῶν ἐπιστολῶν πεπιστευμένος, πείθουσιν πολλοῖς χρήμασιν αἰτήσασθαι παρὰ τοῦ Νέρωνος, αὐτοῖς ἐπιστολὴν ἀκυροῦσαν τὴν Ἰουδαίων πρὸς αὐτοὺς ἰσοπολιτείαν. Ex hoc loco qui colligunt Epistolarum Magistrum à Nerone institutum, falluntur, & fallunt. Etenim Scriniorum Magistri ante Hadrianum nulli fuerunt, nec Epistolarum, imò post Hadrianum dignitas illa Magisterii nomine ornata est. Nec moror quòd Spartianus Suetonium Hadriani Epistolarum Magistrum scripserit, qui ex usu sui seculi locutus est. Quod ut credam, moveor Scriptorum Græcorum auctoritate, qui dignitatum nomina Latino idiomate solent enuntiare, nec facilè immutare, suisque verbis exprimere. Apud eos Μάγιστρος frequenter legitur: Μάγιστρος ὀφφικίων, apud Zosimum *lib.* 2. πασῶν τῶν Βασιλέως βουλῶν ὁ Μάγιστρος κοινωνὸς, & Priscum in *Histor. Gottor.* & passim apud alios, Suidam, Hesychium, Auctorem *Etymologici*, Μαγιστερία ἀρχή. At verò qui Hadriani Epistolas curabat, τὰς ἐπιστολὰς αὐτῶν διαγαγὼν, à Dione in *Hadriano* dicitur. Qualis Heliodorus, cui cùm Dionysius Milesius objiceret, Cæsarem tribuere honores posse, Oratorem verò facere non posse: ὅτι Καῖσαρ, inquit, χρήματα μέν σοι καὶ τιμὴν δοῦναι δύναται, ῥήτορα δέ σε ποιῆσαι οὐ δύναται: hoc dicto vix capitis periculum effugit.

Nos verò Magistri Epistolarum Officium expendamus, qui ex Notitia Imperii Legationes civitatum, Consultationes & Preces tractabat. Legatio est munus civile, quod imponitur iis qui ad Principem cum mandatis à Municipibus, Civitatibus, Provinciis, aut aliquo Corpore publicè mittuntur. Hinc Legati municipiorum [1], Provinciales [2], Reipub. [3], alicujus Corporis [4], qui in legationibus publicis versantur, quique desideria & preces ex decreto cujusque Ordinis vel Corporis Principi exponunt & expostulant. Nam decreta legationum fiunt publico Concilio; quæ nec Provinciarum Præsidibus insinuanda sunt, sed Præfecto Præt. ut is desideriis Provincialium satisfaciat, vel ad Principem legationis causam probet [5]: aut Principem consuleret, cum litteris, quas Legatorum unus adnecteret [6]. Insinuatur tamen legatio ab Alexandrina civitate, Præfecto Augustali [7]: quod & ex Philone notamus. Ille enim *in Flaccum*: *Decretum obtulimus Præfecto Augustali*, *orantes*, *ut quoniam non fuit permissum legationem mittere*, *ipse id per suos nuntios transmitteret*: Ἀνέδομεν τὸ ψήφισμα αὐτῷ, δεηθέντες, ἐπειδὴ πρεσβείαν αἰτησαμένοις οὐκ ἂν ἐπέτρεψεν, ἵνα διαπέμψηται δι' αὐτοῦ.

Idem ille *de Legation. ad Cajum*: *Petimus & oramus supplices*, *ut nobis liceret Legatos ad Dominum mittere*, *legationem mittere non est concessum*: Ἀλλ' ἀναχώρησιν αἰτούμεθα προσικετεύοντες, ἵνα πρεσβείαν ἑλόμενοι, πέμψωμεν τὴν ἐντευξομένην τῷ Δεσπότῃ, τάχα που πρεσβευσάμενοι πείσομεν· ἣν δ' ᾐτήσαντο πρεσβείαν, οὐκ ἐπιτρέπειν. Josephus verò Procuratori Cæsaris, qui vice Præsidis fungebatur, idem hoc jus tribuit, quod Ægypti Præfecto: *Fadum*, inquit lib. 20. *Antiq.* cap. 1. *Cæsaris Procuratorem rogarunt Judæi*, *ut Legatos sibi ad Cæsarem mittere liceret*. *Responsum est*, *permissurum ut Legati mitterentur*, *si priùs darentur obsides*. *Datis obsidibus Legati profecti sunt*: Πρῶτον μὲν αὐτοῖς πρέσβεις ἐπιτρέψαι εἰς Καίσαρα πέμψαι· οἱ δὲ ἐπιτρέψειν αὐτοῖς ἔφασαν ἀποστεῖλαι τοὺς πρέσβεις, εἰ λάβοιεν τοὺς παῖδας ὁμηρεύσοντας· ὑπακουσάντων δὲ ἑτοίμως ἐκείνων, καὶ δόντων ἐξεπέμφθησαν οἱ πρέσβεις.

Civitatum postulata, decreta urbium, desideria populorum, vocat Imperator [8], quæ consultationis nomine continentur [9]. Populorum desideria seu decreta sunt, sive integra Diœcesis in commune consuluerit, sive singulæ inter se Provinciæ, Ne plus autem quàm ternos Legatos mitterent, edicto præcepit Vespasianus [10]: ut faciliùs res expedirentur, & sumtibus Respublica levaretur. Nam *Legati*, *qui ad sacrarium Principis mittuntur*, *interdum*, ait Vlpianus, *viaticum*, *quod le-* ga-

1 L. 8. D. ex quib. caus. major. 2 L. tutor. §. fin. D. de jurejur. 3 L. 2. D. de legationib. 4 L. 11. C. T. de leg. & decret. leg. 5 L. 5. C. de legationib. 6 L. 3. C. T. de leg. & decret. 7 L. fin. C. de legationib. 8 L. fin. C. T. de legat. & decret. 9 L. 9. C. T. eod. 10 L. 4. §. fin. D. de legationib.

gativum dicitur, *ſolent accipere*[1]. Viaticum eſt viæ & itineris diſpendium, ἐφόδιον. Et rectè Vlpianus *interdum* dixit, quia plerumque legationem publicam ſuſcipiebant, ſuis ſumtibus, qui mittebantur. Qui verò decretum civitatis Imperatori offerebat, vel apud Principem poſtulabat, is legationis Princeps erat, Tacitus 1. *Annal.* quem Dio *lib.* 39. τὸν τῆς πρεσβείας αὐτοκράτορα vocat.

De Viatico Modeſtinus reſpondit ad hanc facti ſpeciem: „Titio, *inquit*[2], cùm eſſet Romæ, E„piſtola miſſa eſt à Magiſtratibus patriæ ſuæ, ut „porrigeret Imperatori decretum ejuſdem civitatis, „quod erat cum ipſa Epiſtola miſſum. Is autem „qui ſuſcepiſſet litteras, colluſione facta dedit Lu„cio, qui & ipſe Romæ morabatur, ſuæ rei gra„tiâ. Sublato Titii nomine, cui erat decretum „miſſum, uti per ipſum daretur, ſuum nomen „ſcripſit: & ſic Imperatori decretum ſecundùm „mandata Reipublicæ dedit. Quæro quî viaticum „ab ea petere potuiſſet, & quid commiſiſſe vide„tur is, qui non reſtituit litteras ei, cui reſtitue„re mandatum ſuſceperat: & is qui ſublato alieno „nomine, inſcriptoque ſuo, quaſi ipſe juſſus à „patria, decretum Imperatori porrexit. Heren„nius Modeſtinus reſpondit, Titium quidem via„ticum petere non poſſe, ſed eum qui nomen in„cidiſſet. Legem integram propono, in qua negationem deeſſe puto, legendumque, *ſed nec eum*, qui nomen incidiſſet. Multi enim ſunt loci in Pandectis, in quibus aut additur negatio, vel aufertur, qui ab Antonio Auguſtino referuntur lib. 1. *Emendat.* cap. 17. Ablatam hoc loco negationem facile eſt videre. Qua enim ratione viaticum daretur ei, qui alterius nomen incidit, & ſcripſit ſuum, quique Romæ morabatur ſuæ rei gratiâ? Qui ſumtus itineris illi præſtaretur? Qui in rationibus, tabulis, litteris publicis quid celaverit, ſubripuerit, ſubjecerit, reſignarit, falſi pœnâ adfici debet. Qui hanc pœnam meruit, abſurdum eſſet illi viaticum dare[3].

Prætereo Nationum Legatos, de quibus Auctores varii ſatis multa, ſed diſſidentia loquuntur, Varro lib. 4. *de Ling. Lat.* Suetonius in *Auguſto*, cap. 44. Tacitus *Annal.* lib. 13. Hoc unum dico, hujuſmodi legationes à memoriæ magis quàm ab Epiſtolarum Magiſtris tractari. Nam Magiſter memoriæ reſponſa dictabat, quæ Princeps hiſce Nationum legationibus dabat.

Quid ſit autem legationes tractare, puto ego eſſe à Legatis cauſam legationis inquirere & ſcrutari. Tractare enim eſt ἐξετάζεσθαι, ψηλαφᾶν, Gloſſ. vet. & τρακτεύειν οἱ Λατῖνοι, τὸν σκόπον, τὸ βούλευμα, τὸ ἐξέτασμα λέγουσι. Scopus eſt finis intentionis cujuſque, in qua inveſtiganda Epiſtolarum Magiſter laborabat antequam Legati ad Principem admitterentur: nam & fuere qui legationibus admittendis præeſſent, quique legationis cauſas expenderent; quod ex Philone videmus: ille enim *de Legatione ad Cajum*: *Miſſo ad nos Homilo, qui legationibus admittendis præerat, pollicitus eſt, ſe cogniturum noſtram cauſam per otium*: Καὶ τὸν ἐπὶ πρεσβειῶν Ὅμιλον ὄνομα προσπέμψας, αὐτὸς ἔφη, τῆς ἡμετέρας ὑποθέσεως ἀκούσομαι προσευκαιρήσας. His ita tranſactis in Conſiſtorio Principis ſecundùm conſuetudinem, ex decretis, petitiones Legatorum de Scriniis Epiſtolarum recitabantur, & precibus civitatum per Epiſtolam reſpondebatur.

Scrinii ſacrarum Epiſtolarum Notitia hæc eſt[4]: *In Officiis virorum Illuſtrium Præfectorum Præt. Orientis Illyrici, & Vrbi: Officii Proconſulis Aſiæ & Africæ: Officii Comitis Orientis: Officii Præfecti Auguſtalis: Officii Comitis divinarum domorum: Officii Vicariorum Thraciæ, Ponti, & Aſiæ, & Macedoniæ, & Theſaurenſium claſſis.* Hæc omnia Officia probatoria non indigent, cùm per Epiſtolam deferrentur. Sacris Epiſtolis approbantur viri Clariſſimi, Tribuni Prætoriani & Notarii[1]: *Tribunus*, inquit Vegetius *lib.* 2. *cap.* 7. *per Epiſtolam ſacram Imperatoris judicio deſtinatur: minor Tribunus pervenit ex labore.* Alii Officiales ex diverſis Reſcriptis Exprotectoribus Epiſtolas meruerunt[2]: elicitæ tamen Epiſtolæ adimuntur veteranis, qui Curiæ redduntur, cui obnoxios eos eſſe claruerit[3]. Theſaurenſes ſunt Officiales Comitis Theſaurorum[4].

Ante hanc Notitiam, ex Conſtitutione Theodoſii & Valentin. Comites Theſaurorum, provectiones, ut ipſi Theſaurenſes militiam, ex ſacris Scriniis probatoria adipiſcebantur, non ex Epiſtolis. Sed ex hac Notitia, per Epiſtolas hæc Officia conferebantur. Sic & per Epiſtolam honores Magiſtratibus adimebantur. Has Epiſtolas vocat Zoſimus *lib.* 2. γράμματα τῆς ἀρχῆς παραλύοντα[5].

Breviter, quidquid per Epiſtolam expediebatur, ad Epiſtolarum Magiſtri Officium pertinebat. Vnde arbitror Symmachum ſcripſiſſe *lib.* 7. *epiſt.* 60. *An ego adverſus Judicium publicum provocem ſcriptis, Regiarum Epiſtolarum Magiſtrum?* quaſi intra tempora non appellaſſet, & poſt legitimi temporis lapſum reparationem peteret, quæ jus peragendæ appellationis daret: nam reparatio eſt inſtauratio ſive redintegratio temporis lapſi, quæ à Magiſtro Epiſtolarum petebatur: ut geſta in Judicio, contra quod provocatum eſt, Scrinio ſacrarum Epiſtolarum tradebantur[5].

De Legatis & legationibus nihil repeto: ſed hîc cogor, ut nihil prætercam quod ad Magiſtrum Epiſtolarum pertinet, ab Accurſio diſcedere, qui Legatos vocat eos[6], quos Princeps evocavit, quaſi legationis causâ accerſitos: motus, ut veriſimile eſt, quòd de his quos Princeps evocavit, & de Legatis ſtatim lex loquitur. Sed multùm differunt evocati à Principe, à Legatis Civitatum: nam evocatio plerumque honoraria fuit, ut ex Caſſiodoro diſcimus lib. 3. *Variar.* 22. & lib. 5. 28. *qui evocatoriæ formam præſcripſit* lib. 7. *Var.* 34. Hanc *evocationem honorabilem* vocat Symmachus *lib.* 4. *ep.* 5. *& evocationis honorificentiam, lib.* 9. *ep.* 44. Evocatoriæ per Epiſtolam fiebant ab Epiſtolarum Magiſtro, qui etiam Epiſtolis generalibus operam dabat, quæ Præſidibus, Magiſtratibus ceteris, aliiſque mittebantur, ut alicui rei conſulerent, quæ publicam utilitatem ſpectabat[7].

Morantur me aliquantiſper Inſcriptiones antiquæ, in quibus Scribæ ab Epiſtolis Latinis, ab Epiſtolis Græcis, ab Epiſtolis Auguſtorum, atque etiam Procuratores ab Epiſtolis leguntur. Romæ, pag. 577. 8.

TI. CLAVDIVS. ALCIBIADES
MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS
ITEM. SCRIBA. AB. EPISTVLIS. LAT.

Item alia, pag. 482. 3.

TI. VARIO. CLEMENTI. AB. EPISTVLIS
AVGVSTOR. PROC. PROVINCIAR.
BELGICAE. ET. VTRIVSQ. GERM.
RAETIAE. MAVRET. CAESARIENS.
LVSITANIAE. &c.

Ii Eſt

1 L. numerum. §. legati. D. de munerib. & honorib. 2 L. Titio. D. ad municipal. 3 L. inſtrumentorum. §. Paulus. D. ad leg. Cornel. de falſ. 4 L. fin. §. fin. C. de diverſ. offic.

1 L. 6. §. 1. C. de Advocat. diverſ. judic. 2 L. 2. C. T. de diverſ. offic. 3 L. 45. C. T. de decurionib. 4 L. 2. C. de Palatin. ſacr. larg. 5 L. nemo. C. de tempor. & reparat. 6 L. non alias. D. de judiciis. 7 L. 1. §. ſed in eum. D. de fugitivis.

Est & illa Romæ, pag. 61. 4.

CN. OCTAVIVS. TITINIVS. CAPITO. PRAEF. COHORTIS. TRIB. MILIT. DONAT. HASTA. PVRA. CORONA. VALLARI. PROC. AB. EPISTVLIS. ET. A. PATRIMONIO. ITERVM. AB. EPISTVLIS. NERVAE. EODEM. AVCTORE. EX. S. C. PRAETORIIS. ORNAMENTIS. AB. EPISTVLIS. TERTIO. IMP. NERVAE. CAES. TRAIANI. AVG. PRAEFECTVS. VIGILVM

Scribas illos ab Epiſtolis, ſub diſpoſitione Magiſtri Epiſtolarum fuiſſe, ut ab Epiſtolis Scriniarios, dubitari non poteſt. De Procuratoribus locus eſt Spartiani in *Commodo*, qui Paternum Epiſtolas Imperatorias curaſſe ſcribit. Curam Epiſtolarum Canonicarum Caſſiodorus lib. 11. *Variar.* 23. Præfecto Præt. tribuit. Canones autem penſitantur ex delegatione Principis, vel Epiſtolis quæ canonicariæ dictæ[1]: ſed & Præfectus Vrbi habuit Procuratorem canonum ab Epiſtolis: nam fuit canon ſacratiſſimæ Urbis[2], qui canon urbicarius[3]. Canon autem propriè eſt penſio, quæ ex Emphyteuticariis prædiis redigitur: ut & obligatio & indictio pro Canonicis & ordinariis habentur[4]: nam penſitationis onera ſunt canon, oblatio, indictio[5]. Hæc verò Epiſtolarum cura, ſeu procuratio, multas Provincias complectebatur: ut Inſcriptio T. Varii probat. Ab hac Epiſtolarum Cura Epiſtularii dicti Canonum exactores, de quibus Salvianus lib. 5. *de Gubern. Dei*: *Veniunt*, ait, *plerumque novi nuntii, novi Epiſtularii à ſummis ſublimitatibus miſſi, qui commendantur illuſtribus paucis ad exitia plurimorum.* Rectè dixit *à ſublimitatibus miſſos*: nam & à Præfectis Præt. mittebantur & à Comite privatarum, qui Canonicarios dirigebant. De Curatore à patrimonio aliiſque qui Principis negotia adminiſtrabant, nos aliàs: ſatis ſit nunc obſervaſſe Curatores, ſeu Procuratores ab Epiſtolis, differre ab Epiſtolarum Magiſtris.

CAP. V.

De Magiſtro Libellorum.

Libellorum ſignificatio latiſſima eſt: his enim non modò preces & deſideria Principi vel Magiſtratibus oblata, ſed denuntiationes, inſcriptiones, rerum familiarium vel aliarum deſcriptiones, multaque alia continentur; in quibus non immoror, ſed in iis ſolùm quæ ad Magiſtrum libellorum pertinent, qui Cognitiones & Preces tractabat. Libelli, de quibus loquimur, preces & deſideria ſupplicantium vocantur, quæ Principi offerri ſolent. Reſponſa Principis ad preces, ſunt Reſcripta, quibus maxima pars Conſtitutionum Imperialium conſtat; & Jus Civile conſtituunt, vel interpretantur. Ad has preces ſeu libellos Magiſter libellorum reſpondebat: nam ut libellos agere, ſic libellis reſpondere dicebatur: *Magiſtrum Officiorum*, ait Ammianus Marcel. *lib.* 20. *Anatolium ordinavit, libellis antea reſpondentem.*

Mæcianus preces vocat deprecationes, qui libelli ſupplicis hoc profert exemplum[6]; Ἀξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντονῖνον Βασιλέα. Κύριε Βασιλεῦ Ἀντονῖνε, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διηπάργημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Ἀντονῖνος εἶπεν Εὐδαί-

1 L. 8. C. de excuſationib. muner. 2 L. 35. C. T. de canone frumentar. 3 L. 3. C. T. eod. 4 L. 5. C. de annon. & tribut. 5 Aſcon. 4. *in Verrem.* 6 L. 9. D. de lege Rhodia.

A μονι· Ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης· τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. *Deprecatio Eudæmonis Nicomedienſis ad Antoninum Imperatorem: Domine Imperator Antonine, naufragium in Italia facientes, direpti ſumus à publicanis, Cyclades inſulas habitantibus. Reſpondit Antoninus Eudæmoni: Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris. Lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis præſcripta eſt, judicetur, quatenus nulla ei noſtrarum legum adverſatur.* Ἀξίωσις eſt poſtulatio, quæ apud maxima auctoritate præditos fieri ſolet: unde

B οἱ ὑπ' ἀξιώσεως Primates vel Magiſtratus dicuntur, & decreta ſeu reſcripta ἀξιώματα, pronuntiata, κυρίαι δόξαι, Imperiales ſententiæ, de quibus dubitare nemo debet. Libellus in veteribus Gloſſis Juris, ἔκδοσις, & libelli ἄγραφαι κατηγορίαι. Mendoſa utraque lectio, legendumque ἔνδοσις; inclinatio, ſupplicatio: unde ἐνδιδόναι flecti ad preces; & ἔγγραφαι κατηγορίαι; quæ ſunt libelli inſcriptionum, quibus quis accuſatur, quique apud acta fieri debuerunt, ut lege Julia publicorum Judiciorum cavetur[1].

Libellis autem, ſi quæſtio facti eſſet, ita reſcribebat Imperator, ut illos remitteret vel ad Judi-

C ces, quorum de illa re cognitio eſſet; vel ad delegatos, qui rei veritate perſpecta judicarent. Sic Hadrianus Princeps aditus per libellum à Julio Tarentino, ut in integrum cauſa reſtitueretur, quòd falſis teſtimoniis religio Judicis circumventa eſſet, ad Judicem remiſit, apud quem factum probaretur[2]. Inſcriptio legis, quæ Calliſtrati, eſt ex lib. 3. *Cognitionum*, unde colligimus omnia Principum Reſcripta ex concilii Procerum ſententia expedita fuiſſe, & cognitiones illas Magiſtrum libellorum tractaſſe. Quod clariùs ex Vlpiani libro undecimo ad legem Juliam & Papiam demonſtratur,

D in quo Divorum Fratrum Reſcriptum ſic refert[3]: „Comperimus à peritioribus dubitatum aliquando, an nepos contra tabulas Aviti Liberti bonorum poſſeſſionem petere poſſit: ſi eum Libertum pater, cùm annorum viginti quinque eſſet, capitis accuſaſſet: & Proculum ſanè non levem Juris Auctorem in hac opinione fuiſſe, ut nepoti in hujuſmodi cauſa non putaret dandam bonorum poſſeſſionem: cujus ſententiam nos quoque ſecuti ſumus, cùm reſcriberemus ad libellum Cæſidiæ Longinæ. Sed & Voluſius Mæcia-

E nus amicus noſter, Juris Civilis præter veterem & benè fundatam peritiam anxiè diligens, religione Reſcripti noſtri ductus, ſicut coram nobis affirmavit, non arbitratum ſe aliter reſpondere debere. Sed cùm & ipſo Mæciano & aliis amicis noſtris Juriſperitis adhibitis pleniùs tractaremus, magis viſum eſt nepotem, neque verbis, neque ſententia legis, aut Edicti Prætoris, ex perſona vel nota patris ſui excludi à bonis Aviti Liberti. Plurium etiam Juris Auctorum, ſed & Salvii Juliani, amici noſtri, Clariſſimi viri, hanc ſententiam fuiſſe. Hanc Juliani ſententiam repetit Vlpianus[4], non repetito Juliani no-

F mine: *Si Patroni filius ſit*, inquit, *vel exheredatus, vel ſi in ſervitutem Libertum paternum petiit, vel capitis accuſaverit: non nocet liberis ejus, qui in poteſtate non ſunt. Et hoc Divi fratres Quintiliis reſcripſerunt.*

Obſervat Cujacius lib. 4. *Obſervat.* cap. 13. Ulpianum in lege *Divi*, idem omnino, quaſi nullum de ea re exſtaret Reſcriptum, ex ſe quærere, & in Juliani ſententiam ire, quæ etiam Reſcripto probatur. Quod mihi nullo modo pro-

1 L. 3. D. de accuſationib. 2 L. Divus, D. de re judicat. 3 L. Divi. D. de jur. patronat. 4 L. in ſervitutem. §. ſi patroni. D. de bon. libert.

probari poteſt: nam mera reſcripti verba ab Vlpiano referuntur, qui Principes reſpondentes introducit, quorum reſcripto aſſentitur. Nec video quid à ſeipſo quæſiiſſet Vlpianus; vel quid de reſcripto tacuiſſet, vel quid reſpondiſſet ille de bonis Aviti Liberti, ad quæ totum illud reſcriptum porrigitur.

Libellis Princeps non ſemper reſpondebat, ſed illos quandoque ſine reſcripto, vel ſubſcriptione rejiciebat, ſi inciviles eſſent; vel reſcripto damnabat. Hujuſmodi eſt illud Diocletiani & Maximiani ad Catonem: „Sanum mente, licèt ægrum „corpore, rectè tranſigere manifeſtum eſt: nec „poſtulare debueras improbo deſiderio, placita „reſcindi, valetudinis corporis adverſæ velamento[1]. Iidem Impp. ad Clarianum[2]: „Incivile eſt „quod poſtulas, ut unus ex Chirographariis creditoribus debitoris bona ſuſcipere compellatur, „ſatis ceteris ejus creditoribus facturus.

Nobile autem Conſtantini Magni factum perpetuò celebrandum eſt: cùm enim ex omnibus penè locis ad Nicænum Concilium Epiſcopi conveniſſent; &, ut fieri ſolet, diverſis ex cauſis inter ſe quædam jurgia detuliſſent; interpellabatur Princeps à ſingulis: offerebantur libelli, culpæ proferebantur. Diem ſtatuit Conſtantinus, quo unuſquiſque Epiſcoporum, ſi quid querelæ haberet, proponeret; & cùm reſediſſet, accepit à ſingulis libellos, quos ſimul omnes in ſinu ſuo continens, nec quid in eis contineretur adſpiciens, dixit ad Epiſcopos. Deus vos conſtituit Sacerdotes; & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; & ideo nos à vobis rectè judicamur. Vos autem non poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium, ut & veſtra jurgia; quæcunque ſunt, ad illud divinum reſerventur examen. Vos etenim nobis à Deo dati eſtis Dii: conveniens non eſt ut homo Deos dijudicet, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in congregatione Deorum; in medio autem Deos dijudicat. Et ideo his omiſſis illa, quæ ad fidem Dei pertinent, abſque ulla animorum contentione diſcutite. Hæc cùm dixiſſet, omnes querulos libellos ſimul juſſit exuri[3]: Καὶ γὰρ ἐπισυναχθέντων τῶν Ἐπισκόπων πάντων, καί, καθὼς ἔθος ἐστί, γενομένων ζητήσεών τε καὶ συγκρίσεων παρά τινων τῶν Ἐπισκόπων, ἐρεσχελιῶν ἕνεκα; ἄλλου πρὸς ἄλλον ἔχοντος, λίβελλόν τε ἀποδιδομένων ὑπ᾽ αὐτῶν ἐγκλημάτων συγκροτουμένων παρὰ τῷ εὐσεβεῖ Βασιλεῖ· δεξάμενος τοὺς λιβέλλους, σφραγίσας τε τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ; ἐκέλευσεν φυλάττεσθαι· ἐνορῶν τε τῶν τοιούτων Ἐπισκόπων τὴν πρὸς ἀλλήλους ζυγομαχίαν, εἶπεν, ὅτι χρὴ πάντας ὁμοῦ ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ συνελθόντας, περὶ τούτων διαλαβεῖν, καὶ ἐνστάσης τῆς προθεσμίας εἰς μέσον καθίσας ὁ Βασιλεύς, καὶ ἡσυχίας γενομένης τῷ καιρῷ πρεπούσης, πάντων τοὺς λιβέλλους προσέταξεν ἐνεχθῆναι· καὶ δὴ δεξάμενος καὶ ἐν τῷ κόλπῳ θέμενος; μήτ᾽ ἐγκύψαι τοῖς φερομένοις ἐθελήσας, λέγει· τοῦ Θεοῦ ὑμᾶς προχειρισαμένου ἱερεῖς καὶ ἄρχοντας κρίνειν τε καὶ διακρίνειν τὰ πλήθη, καὶ Θεοὺς εἶναι; ἅτε δὴ ἀνθρώπων ὑπερέχοντας ὁρισαμένου, κατὰ τὸ εἰρημένον, ἐγὼ εἶπα, Θεοί ἐστε, καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες· καὶ τὸ ὁ Θεὸς ἔστω ἐν συναγωγῇ Θεῶν· χρὴ δὲ τῶν μὲν κοινῶν ὀλιγωρεῖν πραγμάτων, πᾶσαν δὲ τὴν σπουδὴν περὶ τὰ θεῖα ποιεῖσθαι· καὶ κελεύσας ἐνεχθῆναι πῦρ; ἐμπρησθῆναι τοὺς λιβέλλους προσέταξεν.

1 L. 27. C. de tranſact. 2 L. 4. C. de bon. auth. judic. poſſid. 3 Capit. 8. Nicæni Concil. & Sozomen. lib. 1. *Eccleſ. Hiſtor.* cap. 16.

A De cognitionibus, quas Magiſter libellorum tractabat, nonnihil ſuprà attigimus, & quare ſacrarum cognitionum Magiſter dicebatur. Juſtinianus in Conſtitutione de confirmatione Digeſtorum poſt Tribonianum hominat Conſtantinum Virum Illuſtrem Comitem ſacrarum largitionum; & Magiſtrum Scrinii libellorum, ſacrarumque cognitionum: unum enim fuit Scrinium libellorum & cognitionum. Quare in Inſcriptione Ageſilai, ſuprà cap. 2. quæ ſic concepta eſt,

MAGISTER. LIBELLORVM
B ET. COGNITIONVM. SACRARVM

verbum Scrinii, quod in illa prætermiſſum eſt; ex vulgari uſu loquendi, facilè ſubintelligi poteſt: nec enim aliàs cognitionum ſacrarum Magiſter rectè diceretur, qui nullus eſt, ſed Magiſter Scrinii cognitionum.

Hactenus quid cognitiones & decreta differant explicavimus: hîc addendum eſt, quod prætermitti non debet: Δέκρετον, ψήφισμα, ἀπόφασις βασιλική, cognitio, diſceptatio, judicium, Gloſſ. Juris, ἀπόφασις, ψῆφος δικαστική. *Quæcunque Imperator*, ait Vlpianus[1]; *vel cognoſcens decrevit*; C *vel de plano interlocutus eſt, legem eſſe conſtat.* Decernere, ut Accurſius interpretatur, eſt ſententia definire, quæ de plano interlocutioni opponitur, quâ negotii Judicium præparatur. Sed generalius eſt decreti nomen, quod & ſententias in cognitionibus prolatas, & cognitiones, & interlocutiones, & placita Principis complectitur.

Sententiæ non dantur, niſi utriſque partibus cominus conſtitutis, & lite conteſtata: vel in contumaces tribus Edictis evocatos[2]. At decretum plerumque ſine conteſtatione & ſine actore vel reo interponitur: quale eſt illud Theodoſii & Valentin.[3] „Nemo de iis qui virorum Spectabi- D „lium Ducum Officiis militaverit, Scholæ Agen„tium in rebus, poſt completam militiam ſocie„tur. Si quis adversùs hæc perennitatis decreta „venire conetur, militia ſpoliatus, præſcriptionis „pœnâ pro parte bonorum tertia conſtringatur. Decretum hujuſmodi nullus ſententiam in cognitionibus prolatam dixerit. Cognitio eſt διάγνωσις, quæ ad res in Concilio agitatas refertur: & à ſententia differt, cùm ſit plerumque ſine conteſtatione partium: nam ex ea ſtatuta generalia oriuntur, ut ex libris ipſis Cognitionum colligitur: Paulus libro ſingulari de Cogitionibus: *Vrbici*, E inquit[4]; *piſtores à Collegarum quoque filiorum tutelis excuſantur. Sed & hoc genus excuſationis eſt, ſi quis ſe dicit ibi domicilium non habere, ubi ad tutelam datus eſt: idque Imper. Antoninus cum Divo patre ſignificavit:* id eſt, notum fieri curavit, & denuntiari. Sic Edicto ſignificari idem Paulus dixit[5].

Alterum adfero exemplum ex eodem libro ſingulari de Cognitionibus[6]: *Si peregrè agant, qui tutores vel curatores dati ſunt, ut intra trigeſimum, notum his, à Magiſtratibus fiat; Divus Marcus reſcripſit.* Reſcripta & ſignificationes ad libellos & F cognitiones referri poſſunt, non ad ſententias in cognitionibus prolatas, quæ proferri, recitari & pronuntiari dicuntur. Vnum ergo & idem fuit Scrinium libellorum & cognitionum, cui libellorum Magiſter præfuit.

Diximus primos Imperatores Libertos à libellis habuiſſe, quorum nutu res ferè omnes Principis agebantur. Quodnam illorum fuerit Officium colligimus ex Dione *lib.* 60. qui Narciſſum

 Clau-

1 L. 1. D. de conſtitut. princip. 2 L. de unoquoque. & l. contumacia. §. 1. D. de re judic. 3 L. 3. C. de offic. militar. judic. 4 L. fin. §. 1. & 2. D. de excuſationib. 5 L. edicto. D. de jur. fiſc. 6 L. fin. D. de tutorib. & curat. dat.

Claudii Imp. Libertum, ea tempeſtate potentiſſimum, quem urbes Regeſque colebant, Agrippinæ fraude interemtum narrat: illumque inſtante percuſſore, egregium factum edidiſſe, crematis omnibus Claudii litteris, quibus ſecreta contra Agrippinam ac nonnullos alios continebantur: quas in ſua poteſtate, Principi à libellis quòd eſſet, habebat. Ita vertit Dionis Interpres: Τὰ τȣ̃ Κλαυδίȣ γράμματα ὅσα ἀπόῤῥητα κατά τε τῆς Ἀγριππίνης καὶ καὶ ἄλλων τινῶν (οἷα τὰς ἐπιςολὰς αὐτȣ̃ διοικῶν) εἶχε, πάντα προκατέκαυσε. Non ille fuit à libellis, ſed ab Epiſtolis, Suetonius in *Claudio* cap. 28. nam ſub Claudio tres ejus Liberti ita poteſtatem inter ſe partiti ſunt, ut Calliſtus libellorum, Narciſſus Epiſtolarum, Pallas rationum curam ageret: Zonaras in *Claud.* Τρεῖς ἐξελεύθεροι μάλιςα τὸ κράτος διειληφότες, ὅ, τε Κάλλιςος ὃς τῶν ἐπὶ τοῖς βίβλοις τῶν ἀξιώσεων ἐτέτακτο, καὶ ὁ Νάρκισσος ὃς τῶν ἐπιςολῶν ἐπεςάτει, διὸ καὶ ἐγχειρίδιον παρεζώννυτο, καὶ ὁ Πάλλας ᾧ ἡ τῶν χρημάτων διοίκησις ἐμπεπίςευτο. A libellis & ab Epiſtolis ſoli Principes Libertos habuerunt. Quare *Silanum Nero increpuit, tanquam diſponeret jam Imperii curas, præficeretque rationibus & libellis & Epiſtolis Libertos*, Tacitus lib. 16. *Annal.*

At Torquatus, Silani patruus, morti addictus eſt ab ipſo Nerone: *Cui objecerant accuſatores, eum nobiles habere, quos ab Epiſtolis & libellis & rationibus appellaret. Nomina*, ait Tacitus lib. 15. *Annal. ſummæ curæ & meditamenti. Nobiles* à Taciti lectione Lipſius rejicit, & mavult legere *nonnullos*: probabiliùs legi poſſet, *homines*. Ego verò à vulgata non recedo, & nobiles ingenuos, & genere claros, quorum res arctiores erant, huic miniſterio operam dediſſe interpretor: quod in crimen Torquato verſum eſt, cùm Principes ipſi Libertis ſolùm uterentur.

Narrat Dio in *Caracal.* Antoninum Caracallam, cui à Conſiliis fuit, matri juſta & utilia monenti minimè obtemperaſſe, licèt ei curam libellorum atque Epiſtolarum utriuſque generis, præter admodum neceſſarias, commiſiſſet: ejuſque nomen pariter cum ſuo & exercitus nomine poneret, cum maximis laudibus, in Epiſtolis, quas mittebat ad Senatum: Οὐδὲ ἐπείθετο τῇ μητρὶ πολλὰ καὶ χρηςὰ παραινȣ́σῃ· καίτοι καὶ τὴν τῶν βιβλίων τῶν τε ἐπιςολῶν ἑκατέρων, πλὴν τῶν πανυαναγκαίων διοίκησιν αὐτῇ ἐπιτρέψας. Quod ita intelligendum eſt, ut Caracallæ mater Epiſtolarum & libellorum lectioni operam daret, cùm à Scriniariis legerentur: atque hac in re vices filii Principis ageret, non tamen Magiſtrorum Officio fungeretur.

Notitia Scrinii ſactorum libellorum ſic eſt[1]: „Officii Virorum Magiſtrorum militum utriuſque, „Præfecti Orientis & Illyrici, Invitatorum, Admiſſionalium, Memorialium, omniumque Pædagogorum, Cellariorum, Menſorum, Lampadariorum, eorum qui in ſacris Scriniis deputati ſunt, Decanorum partis Auguſtæ, & Curſorum partis Auguſtæ. Officii Virorum Ducum „Spectabilium Palæſtinæ & Meſopotamiæ, Nobilis Comitis Phœniceſeos, Corſenæ, Syriæ, & „Auguſtæ Euphratenſis, Arabiæ, & Thebaïdis, „Libyæ, Pentapoleos, utriuſque Armeniæ, utriuſque Ponti, Scythiæ, Myſiæ primæ & ſecundæ, „Daciæ, Pannoniæ. Officii Virorum Spectabilium „Comitis Ægypti, Pamphyliæ, Iſauriæ, Lycaoniæ, & Piſidiæ.

In hac Scrinii libellorum Notitia Cujacius hæc emendanda maximè putat: ut pro, *Officii Virorum Magiſtri militum utriuſque Præfecturæ Orientis & Illyrici*, reponendum ſit, *Officii Virorum Illuſtrium Magiſtrorum militum utriuſque militiæ in præſenti Orientis & Illyrici.* Et putat *Thraciarum* ſubdi debuiſſe. Tum inferiùs, *Nobilis Comitis Phœnices*, ineptè ſcriptum, pro *novi limitis Phœnices.* Optarem tantum virum nos prioris ſuæ emendationis rationem docuiſſe; nec aliàs illi aſſentiri poſſum: nam *duo Magiſtri militum in præſenti* Palatinis & Comitatenſibus legionibus imperabant, quæ Principis latus tuebantur. Omnes autem qui in ſacro Palatio militabant, per ſacram probatoriam admittebantur: quæ ex Scrinio memoriæ, non libellorum. Quare à vulgata non recedo: ſed additionem recipio *Thraciarum*, cùm tres hi ſint Magiſtri militum extra Comitatum. Altera emendatio verior eſt; & abſurdam veterem lectionem agnoſco: nec enim Comes Nobilis Phœnices uſquam legitur; nec fuit aut ullus alius Comes, cui Nobilis nomen illo ævo conveniret, quod propriè Cæſarum fuit.

Dux autem *novi limitis Phœnices* mihi ſuſpectus eſt: nam Leonis & Zenonis Principatu, quorum hæc eſt Magiſtri libellorum Notitia, Phœnices novum limitem non recipio. Phœnicen à Syria ſejunxit Hadrianus, à quo, ut Tyrus eſſet metropolis, Paulus Tyrius Sophiſta impetravit; & Phœnice Provincia Conſularis facta eſt. Ipſa deinde à Theodoſio & Valentiniano diviſa in duas Provincias, atque ſecundæ Metropolis & caput Berytus fuit[1]. Cùm ergo duplex fuerit Phœnice, malim ego pro *novi limitis*, legere *utriuſque limitis*, ut poſtea in hac Notitia Duces utriuſque Armeniæ & utriuſque Ponti numerantur. Liberum ſit unicuique de hac lectionis varietate judicium.

De Invitatoribus locum notandum monet Cujacius, qui ſimilem ſe neſcire fatetur. Eſt tamen vetus hæc Inſcriptio Romæ, pag. 598. 6.

AGATHOPVS. AVGG. LIB.
INVITATOR.

Invitare apertam habet ſignificationem, quam Nonius Marcellus, in verb. *Invitare*, multis auctoritatibus explicat: nec advertit quòd invitare etiam vocare deſignat: *Coſconio mortuo*, ait M. Tullius lib. 2. *ad Attic.* epiſt. 9: *ſum in ejus locum invitatus: id erat vocari in locum mortui.* Invitator eſt, qui & Præco, qui invitat & vocat, cuique proximus eſt Admiſſionalis, de quibus nos aliquando plura. Ceterùm cùm varia Officia à Magiſtris memoriæ, Epiſtolarum, & libellorum tractarentur, nullus illorum Officium habuit, ſed Adjutores de Scriniis electos.

CAP. VI.

De Magiſtro Scrinii Diſpoſitionum.

QUatuor ſacra Scrinia fuiſſe nullus ignorat: ſed à multis dubitatum eſt, an quatuor Magiſtri fuerint, & an Comiti diſpoſitionum Magiſtri nomen tribui poſſit. Quod negat Cujacius[2], hac motus ratione, quòd nullus ſit in Scrinio diſpoſitionum proximus, quia nec Magiſter: hæc enim, ait, ſunt συναίροντα, proximus & Magiſter. Quare Comites diſpoſitionum proximos fuiſſe putat, queis in diſpoſitionibus Principis, nomen hoc inditum eſt. Sed huic opinioni lex ipſa apertè refragatur[3], quæ Clariſſimos viros proximos Scriniorum, & Magiſtros diſpoſitionum Vicariorum ordini copulat. Fruſtra ergo Magiſtri nomen diſpo-

1 L. fin. §. fin. C. de diverſ. offic.

1 L. 1. C. de metropol. Beryt. 2 Ad tit. l. 1. C. de proxim. ſacror. ſcrin. 3 L. 1. C. T. de proxim. Comitib. diſpoſit.

poſitionum Comiti denegatur: ut fruſtra proximum Scriniorum mutato nomine fuiſſe Scriniorum Principem aſſeritur: cùm ubique Scriniorum proximi à Comitibus vel Magiſtris diſpoſitionum diſtinguantur.

Quin lex alia proximos in quatuor Scriniis conſtituit: *Proximos*, ait, *memoriæ, Epiſtolarum ac libellorum atque diſpoſitionum, honore Vicariorum cumulamus*[1]. Quod ita intelligendum certat Cujacius, ut diſpoſitionum proximi non propriè dicantur, ſed Comites. Movit Cujacium quòd in C. T. non addatur, *atque diſpoſitionum*: ſed in eodem C. Proximi Scriniorum à Magiſtris diſpoſitionum ſeparantur[2].

Proximi Scriniorum ſunt qui ſecundum à Magiſtris locum ac dignitatem in Scriniis obtinent, & qui dum Magiſtrorum vices agerent, Promagiſtri vocabantur. Nullum fuiſſe Proximum in Scrinio diſpoſitionum ſcio: fuiſſe tamen Magiſtrum, qui Proximo non indigeret, etiam ſcio, ut ſequenti capite demonſtrabo. Satis ſit nunc ex ipſa lege, Magiſtros diſpoſitionum aſſeruiſſe, qui ut plurimùm Comites diſpoſitionum vocantur; quod nihil rei officit veritati: nam ſæpe & Magiſter militiæ, Comes militiæ dicitur, ut probant Inſcriptiones legum, in quibus Stilico & ceteri Magiſtri militiæ, Comites utriuſque militiæ leguntur[3]. Pergo ad Magiſtri diſpoſitionum officium.

Diſpoſitiones Principum voco διατάγματα, διατάξεις, Conſtitutiones, Sanctiones Pragmaticas, Edicta, Promotiones ad honores, Mandata, Conſuetudines, & quidquid Princeps, nullo Juris ordini adſtrictus, conſtituebat. Quod variis argumentis confirmatur & demonſtratur. Primùm quidem ex duabus Juſtiniani legibus, quas ſcripſit ad Quæſtorem ſacri Palatii: *Comperimus*, inquit[4], *divinitus pridem fuiſſe diſpoſitum, Viros devotos Adjutores tuæ magnitudinis, certo eſſe numero*, &c. Deinde, *qui præter prædictam diſpoſitionem in præſenti exuberant.* Idem Imperator de eadem re[5]: „Certæ quidem diſpoſitiones ſunt noſtri „numinis, quas ſuper Adjutoribus viri Illuſtris „pro tempore Quæſtoris ſacri Palatii, dedimus, „quarum prima quidem ad ſupplicationem eorundem Adjutorum emiſſa eſt; altera verò per ſacram Pragmaticam Sanctionem facta eſt.

Diſpoſitiones ſunt perennes Sanctiones[6] ſeu generales, qualis eſt illa Sanctio quæ ſuper uſurarum quantitate à Juſtiniano facta eſt[7]. Ut & illa de mulieribus Scenicis, quæ ſpreta mala conditione, ad meliorem & honeſtiorem vitam tranſeunt, quæque illas ad legitimum matrimonium venire permittit[8]. Sic diſpoſitionem cunctis celebriter profuturam certatim omnium prævenire devotio debet, ait Theodoſius[9], qui Edicta diſpoſitiones appellat[10].

Dicuntur etiam diſpoſitiones liberalitates Principis. Imperator Anaſtaſius: *Divinam*, ait[11], *diſpoſitionem à Theodoſio Principe ſuper his, qui aquam ſibi de publicis aquæductibus ſeu fontibus præberi deſiderant, hac etiam lege ſua firmitate durare ſancimus.* Ipſe verò Theodoſius[12]: *Si quis per divinam liberalitatem meruit jus aquæ.*

Item privilegia, quæ ex Principis liberalitate pendent, diſpoſitionibus illorum irrogantur: *Hæc quidem forma*, inquit Anaſtaſius[13], *obſervatur, ſuper privilegiis per liberalitates certis perſonis præſtitis, ſive hoc ipſum expreſſim principalibus diſpoſitionibus vel affatibus inſertum, ſive prætermiſſum ſit.* Diſpoſitiones etiam ſunt Promotiones ad honores ex mera Principis liberalitate. Lampridius hoc docet in *Alexandro*, qui Alexandrum Imp. dicere ſolitum ſcribit, *nolle ab Aulicis ſuas vendi diſpoſitiones.* Quid verò per diſpoſitiones intelligat, paulò pòſt aperit: „Et quia, *inquit*, de publicandis diſpoſitionibus mentio contigit; ubi aliquos voluiſſet vel Rectores Provinciis dare, vel „Præpoſitos facere, vel Procuratores, id eſt, „Rationales ordinare, nomina eorum proponebat.

De Aulicorum fumo his in diſpoſitionibus, lex eſt Valentis & Valentin.[1] „Omnium rerum ac „perſonarum, qui privatam degunt vitam, æqua „debet eſſe inſpectio. Hoc ideo quia nonnulli elicitas ſuffragio proferunt Sanctiones, id eſt, diſpoſitiones. Suffragia dicuntur interceſſiones eorum, qui apud Principem aliquid poſſunt, ut honos, dignitas, vel quid aliud ab eo impetretur.

Dicuntur & privatorum diſpoſitiones, ut teſtamenta quæ vim legis obtinent: diſponat teſtator, & erit lex. Sed alia ſignificatione, privatorum vel etiam Magiſtratuum diſpoſitio accipitur. Magiſtratuum quidem diſpoſitio pro Edictis ſumitur, quæ τῶν ἀρχόντων διαγράμματα. Sed diſpoſitio frequenter, eſt prudens & provida rerum adminiſtrandarum ſolertia. De Miſitheo Capitolinus in *Gordiano*: „Cujus viri, *ait*, tanta in „Republ. diſpoſitio fuit, ut nulla eſſet unquam „civitas limitanea, quæ non poſſet exercitum „Populi Romani ac Principem ferre: quæ totius „anni in aceto, frumento & larido atque hordeo „& paleis condita non haberet. Quod Caſaubonus rectè de annonaria proviſione interpretatur. Diſpoſitio tamen ultra rem annonariam quandoque eſt, ut illa Baliſtæ, qui ne Provinciales gravaret, illic equos contineri jubebat, ubi eſſent pabula; illic annonas militum, ubi erant frumenta, Trebellius Pollio in *Baliſta Tyran.*

Hoc eodem ſenſu diſpoſitio à Sidonio accipitur: hic *lib. 7. epiſt.* 12. de Ferreolo Præfecto Præt. Galliarum, *Prætermiſit*, inquit, *ſtylus noſter, Gallias tibi adminiſtratas tunc cùm maximè incolumes erant. Prætermiſit Attilam Rheni hoſtem, Thoriſmodum Rhodani hoſpitem, Aëtium Ligeris liberatorem, ſola te diſpoſitionum ſalubritate toleraſſe.* Idem ille *lib.* 5. *ep.* 7. *Hi ſunt qui invident Tunicatis otia, ſtipendia Paludatis, diſpoſitiones Numerariis.* Numerarii in Officio Præfecti Præt. Chartas publicas adminiſtrabant, id eſt, diſpoſitiones tractabant. Hinc in Notitia Imperii quatuor in Præfectura Præt. Illyrici numerantur: Numerarius nempe Scrinii Macedoniæ, Scrinii Daciæ, Scrinii Operum, & Scrinii Auri; quorum idem munus fuit.

At Magiſtro diſpoſitionum in Palatio Principis, librorum Imperii, & earundem diſpoſitionum cura commiſſa eſt, cùm hæc in Palatio aſſervarentur. Libros Imperii Neronis Prætorianus miles adminiſtrabat, Xiphilinus in *Nerone*, δορυφόρος τὰ τῆς ἀρχῆς βιβλία διέπων. Et cùm Principatu Commodi, Palatium conflagraſſet, adeò exuſta ſunt multa, ut libri, qui ad Principatum pertinebant, omnes ferè interierint, idem in *Commodo.* Ex his arbitror ego Magiſtrum ſeu Comitem diſpoſitionum, nullam aliam curam habuiſſe, quàm ut diſpoſitiones & libros Imperii aſſervaret, & Scrinii, in quo recondita erant, curam gereret. Quare proximum ille non habuit, quia Princeps illius arte in his diſpoſitionibus & libellis non indigebat, ſed ſolam cuſtodiam exigebat.

1 L. 1. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 2 L. 4. C. T. 3 L. 18. C. T. de erogat. milit. annon. 4 L. 13. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 5 L. 15. C. eod. 6 L. 3. C. T. eod. 7 L. 26. §. 1. C. de uſur. 8 L. 23. §. 1. C. de nuptiis. 9 Novel. de tironib. 44. cap. 2. 10 Novel. de Pentapol. 43. 11 L. fin. C. de aquæductu. 12 L. 5. C. eod. 13 L. fin. C. de fructib. & lit. expenſ.

1 L. 6. C. de vectigalib. & commiſſ.

CAP. VII.

De Proximis sacrorum Scriniorum, & ceteris qui in sacris Scriniis militant.

PRoximi sacrorum Scriniorum eam cum Magistris similitudinem habent & affinitatem, ut penè sint Scriniorum Magistri. Hos rectè Promagistros dixerim, cùm Magistrorum, si abessent, aut valetudine impediti suo Officio fungi non possent, horum illi vices agerent, proximéque accederent. Quo sensu, *Proximos Diis Principes Augustissimos*, dixit Arnobius Orator *Disputat.* lib. 4. Et Seneca, cùm in sapientem non cadere injuriam libro singulari disputet, *Sapiens*, inquit cap. 8. *vicinus proximusque Diis consistit, excepta mortalitate, similis Deo.* Hinc proximatus splendor[1], honor[2]: & Proximi ut Magistri ipsi Spectabiles vocantur, quibus eadem immunitas servatur ac Magistris ipsis.

Num verò unumquodque Scrinium Proximum suum habuerit, aliqua quidem dubitatio est: etenim illud lex Gratiani innuere videtur, quæ Proximos memoriæ, Epistolarum, libellorum atque dispositionum complectitur[3]. Et ex Justiniani Constitutione viri Spectabiles Proximi sacri Scrinii memoriæ, & sacrarum Epistolarum, nec non sacri Scrinii libellorum, sacrarumque cognitionum & dispositionum, Curiæ libertatem ex antiquis legibus consecuti sunt[4]. Quæ cum Honorii & Theodosii lege pugnare videntur: hæc enim Proximos tribus tantùm Scriniis tribuit, nulla Scrinii dispositionum facta mentione[5]. Quare negat Cujacius dispositionum Magistrum, vel, ut mavult, Comitem, Proximum habuisse. Juvat hanc Cujacii opinionem, quòd ad similitudinem Proximorum, qui in sacris Scriniis militantes, Comitum dignitatibus ornantur, hi quoque qui priores in Scrinio dispositionum fuerint, & Comitis acceperint dignitatem, ex eo die quo promoti fuerint, in Scriniis, Vicariis adæquantur[6]. Deinde ex Constitutione Honorii & Theodosii à præbitione Tironum excusantur Proximi Scriniorum. Atque post eos, Comites dispositionum, Decuriones, & Magister Admissionum enumerantur, quasi sint Proximis ipsis inferiores[7]. Unde Cujacius colligit in Scrinio dispositionum, pro Proximis, Comites fuisse appellatos. Præterea tàm Proximo Scriniorum, quàm Comiti dispositionum, Comitivæ secundi ordinis dignitas defertur[8]: & Proximi Scriniorum fide ac diuturnæ observationis industria commendantur, ut Comites dispositionum probitate & strenuitate: qui utrique peracta dignitate abeunt cum cingulo Comitum Consistorianorum, suntque vacantes, non honorarii.

Hæ quidem leges, quæ sibi adversari videntur, facilè conciliari possunt: nihil enim ex iis aliud colligi potest, quàm Proximos Scriniorum memoriæ, Epistolarum, ac libellorum, priores esse dignitate Comitibus dispositionum: illi enim, ut diximus, Promagistri fuerunt, quorum maxima cura, Scrinii dispositionum custodiam antecellit, quæ Magistro vel Comiti dispositionum credita est. Quare in titulo C. T. conjunctionem, *Et*, omissam dico, & ita inscribendum, *De Proximis & Comitibus Dispositionum*; non, ut vulgò, *De Proximis, Comitibus*: quod lex se-

1 L. 1. C. de proxim. sacr. scrin. 2 L. 4. C. T. eod. 3 L. 1. C. eod. 4 L. 66. C. de decurionib. 5 L. 6. C. de proxim. sacr. scrin. 6 L. 10. C. T. eod. 7 L. 1. C. T. qui à præbit. tiron. 8 L. 8. & l. fin. C. de proxim. sacr. scrin.

A cunda ejusdem tituli clarè demonstrat; in qua Clarissimi viri Proximi Scriniorum, & Magistri dispositionum separantur. Et lege 12. ejusdem tituli, Proximi Scriniorum dicuntur, memoriæ, Epistolarum vel libellorum, quibus adduntur dispositionum Comites; qui parem cùm Proximis dignitatem adepti videntur: cùm, ut probavimus, Magistri appellentur. Nec tamen Proximum habuerunt, ut alii Scriniorum Magistri: Cùm illi dispositionum Comites, Scriniorum Proximis adæquati sint, sibique ipsis Proximi essent, Proximos eos aliquando vocatos invenimus; B ut ab Imp. Justiniano, qui Magistris, seu Comitibus dispositionum, paria privilegia indulget ac Proximis Scriniorum[1].

De Scriniorum proximis unam Inscriptionem notavi, quæ est Romæ, pag. 586. 9.

BASSO. AVG. LIB. PROX
AB. EPISTVL. GRAECIS
PROC. TRACTVS. CARTHAGINIENSIS

Hìc quidem & Proximus ab Epistolis, & Procurator etiam ab iisdem Epistolis tractus Carthaginiensis.

C Proximos alios quàm in tribus Scriniis non video in Imperatorum Constitutionibus. Sed apud Ammianum Marcellinum Proximum Admissionum offendo, qui Consuli obsequeretur: „Allapso, „*inquit lib.* 22. Calendarum Januariarum die, cùm „Mamertini & Nevitæ nomina suscepissent paginæ Consulares, Mamertino deinde Ludos edente „Circenses, manumittendis ex more inductis per „Admissionum Proximum, ipse lege agi dixerat, „ut solebat: statimque admonitus Jurisdictionem „eo die ad alterum pertinere, ut errato obnoxium, „Decembris auroram & ipse mutavit.

D Insignis locus & notatione dignus, ex quo Proximum Admissionum in Officio Consulis fuisse addiscimus: atque ipsum Consulem, ex more Ludis Circensibus, manumittendos admisisse. Et quoniam hunc morem manumittendi Circensibus Ludis in libris nostris non advertimus, operam non luserim si de hoc more obiter pauca dixero.

Officium Consulis est, ex Ulpiano[2], *Consilium præbere manumittere volentibus.* Consules & seorsum singuli manumittunt, ut Proconsules statim quàm urbem egressi fuerunt: atque apud eos manumitti possunt, tàm liberi, quàm servi, & adoptiones fieri. Apud legatum verò Proconsulis nemo E manumittere potest, nec adoptare[3]: omnino enim non est apud eum legis actio[4]. Quare rectè Paulus[5]: Apud Magistratus municipales, si habeant legis actionem, emancipari & manumitti potest. Quod est, si speciali lege, vel Senatusconsulto, vel Constitutione Principis, id illis concessum sit, quod jure Magistratus non competit. Consul ergo, cùm manumittendi per Proximum inducerentur; id est, cùm ii qui emancipari, adoptari, vel manumitti solenni ritu adessent; ipse lege agi dicebat: quia legis ei actio esset: & lege agere, est peragere jure & ordine, quæ hac de re constituta sunt. Aliud autem est consilium F præbere manumittere volentibus. Nam si minor servum suum vellet manumittere, manumissionis causam præbere debebat, apud Concilium, ex lege Ælia Sentia. Consul autem Concilium præbebat, hoc est, consessum certorum virorum, qui statis anni diebus convenirent: Συνέδριον ἐπὶ φανερῶν ἀνδρῶν κατὰ ῥητὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ χρόνον συνιστάμενον[6].

Hæc

1 L. 66. C. de decurionib. 2 L. 1. D. de offic. Consul. 3 L. 2. D. de offic. Proconsul. 4 L. 3. D. eod. 5 Lib. 2. Sentent. tit. 25. 6 Theophil. instit. quib. ex caus. major.

Hæc fortè remotiora ſunt : ſed ad ea me Proximus Admiſſionum pertraxit, quæ illi proxima ſunt, licèt aliquo intervallo.

Proximos ſequuntur Mellòproximi V. C. qui ſequenti anno futuri ſunt Proximi. Proximatus enim dignitas annua eſt, ex lege Honorii & Theodoſii[1], cùm antea Proximi per biennium in Scriniis agerent.

Magiſtri autem Scriniorum Officium non habent, ut monuimus, ſed Adjutores Electos de Scriniis, qui Obſecundatores ſacrorum Scriniorum, quique generali nomine Memoriales appellantur[2]. De Adjutoribus lapis vetus, pag. 587. 7.

M. AVRELIO. AVG
LIB. A. LIBELLIS
ADIVTORI

Horum certus & definitus numerus fuit : nam ſtatuti memoriales, in Scrinio memoriæ, ſexaginta duo fuerunt: Epiſtolarum triginta quatuor: libellorum triginta quatuor.

Antiquarii in Scrinio memoriæ ; nunquam minùs quàm quatuor[3]. Hi tamen ad Bibliothecæ Codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos ; ſunt quatuor Græci, & tres Latini ſcribendi periti[4]. Memoriales etiam Epiſtolarum, libellorum, & ſacrarum Conſtitutionum referuntur, qui omnes in ſacris Scriniis militare dicuntur[5]. De Antiquariis D. Hieronymus epiſt. 6. *ad Florentium: Quæſo ut eos libros, quos me non habere brevis ſubditus edocebit, Librarii manu in charta ſcribi jubeas.* Deinde: *Et quoniam multis ſacræ Bibliothecæ Codicibus abundamus, impera viciſſim, quodcunque vis mittam. Nec putes mihi grave eſſe ſi jubeas: habeo Alumnos, qui antiquariæ rei ſerviunt.* De iiſdem D. Auguſtinus Serm. 44. *de Verbis Domini: Qui videt litteras in codice optimè ſcripto, & non novit legere, laudat quidem Antiquarii manum, admiratur apicum pulchritudinem.* Sed Antiquarii alio ſenſu apud Auctores primæ notæ accipiuntur ; ut ſint ii verborum obſoletorum aucupes, illorum fœtoribus odioſi, Suetonius in *Auguſto* cap. 86.

Militant præterea in ſacris Scriniis Laterculenſes, Primates, Exceptores, Librarii, Pragmaticarii, Scriniarii, à Secretis. Laterculenſes ad Magiſtrum memoriæ pertinent, qui minori laterculo præfuit. Hi quidem ad Laterculenſis gradum in Scrinio memoriæ producti ſunt, ex Adjutoribus, & in utroque laterculo militabant[6], quorum cuſtodia illis mandata erat. Novella Juſtiniani de Prætore Lycaoniæ[7], eum præbere adſtringit *Primario Clariſſimorum Tribunorum & Laterculenſibus, ſolidos* XXIIII. Atque hi Laterculenſes binas militias ſimul compoſitas & ſociali nexas conſortio conſequi poterant, ut & Pragmaticarii & à Secretis, quos memorialium cingulum ornabat[8].

Primates in Scriniis, Priores, Proceres & Primores dicuntur, in capite conſtituti. Hi quindecim in Scriniis militarunt[9]. Exceptores Cujacio ſunt ταχυγράφοι, ὀξυγράφοι, qui pro loco & ordine ſuo ad Commentarios accedebant[10]. Lapis vetus pag. 372. 4.

L. AVRELIO. MARCIANO. AVG. LIB
EXCEPTORI

1 L. 17. C. T. de proxim. Comitib. 2 L. 3. C. T. eod. 3 L. 10. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 4 L. 2. C. T. de ſtudiis liberalib. Vrb. Rom. 5 L. 2. C. de privileg. eor. qui in ſacr. Palat. 6 L. 13. §. 1. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 7 Novel. 25. 8 L. 5. in fin. C. qui militar. poſſ. 9 L. 7. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 10 L. 2. C. T. de numerar. actuar.

Hi quidem alii erant à Librariis, qui excepta in mundum redigebant, & transſcribebant, ideoque καλλιγράφοι dicti[1]. *Si quis Librarius in transſcribendo erraverit*, ait Scævola, *nihil nocet*[2].

Alexander Imperator poſt meridianas horas ſubſcriptioni & Epiſtolarum lectioni ſemper dedit operam : relegentibus cuncta Librariis, & iis qui Scrinium gerebant. Librarius Gloſſ. vet. γραφεύς. Hinc Librarius Scriba, in Inſcriptione Salerni, pag. 94. 11.

T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS
SCRIBA. LIBRAR.

Et Librarius ad manum, in alia Inſcriptione legitur Romæ, pag. 584. 11.

IVCVNDVS. DOMITIAE
BIBVLI. LIBRARIVS
AD. MANVM

Ad manum Amanuenſis eſt, qui etiam προχειροφόρος, ſed frequentiùs pro eo eſt, cujus opera & manu in ſcribendo utebantur : is eſt à manu dictus. Julius Cæſar Philemonem à manu ſervum, qui necem ſuam per venenum inimicis promiſerat, ſimplici morte punivit, Suetonius in *Julio* cap. 74. A manu autem & ad manum idem ſignificat. Lapis Romæ, pag. 584. 8.

QVARTIONIS. DECVMI. AVG. LIB
A. MANV. FIDELIS. CONLIBERTVS

Pragmaticarii à Pragmaticis valde differunt : hi enim apud Græcos infimi homines mercedulâ adducti Miniſtros ſe præbebant Oratoribus, iique apud illos Πραγματικοὶ vocantur, Cicero 1. *de Orator.* homines quidem multo rerum uſu periti, ſolertes & vafri, qui ab Advocatis diſtinguuntur[3]. Pragmatici in foro hodie Juriſperitis omnibus præſtant. At Pragmaticarii in ſacris Principis Scriniis verſantur[4]. Πραγματεία Heſychio, σύγγραμμα βίβλων, *librorum conſcriptio.* Budæo πραγματεία *opus* eſt, quod commentatione animi componitur. Ab eo Pragmaticarii, quorum ingeniis Pragmaticæ annotationes[5], ſanctiones, acta cognitionum, arcana committuntur[6].

Scriniarii propriè ſunt qui Scrinium gerebant. Scriniarius ab Epiſtolis in Inſcriptionibus antiquis memoratur, pag. 1111. 10.

TI. CLAVDIVS. DIVI. L. ERASTVS
SCRINIARIVS. AB. EPISTVLIS

Item Scriniarius à Libellis. Romæ, pag. 587. 10.

QVADRATO. SCRINIARIO
A. LIBELLIS

Scriniarius χαρτοφύλαξ Auctori *Etymologici* : & Chartophylacem in iiſdem Inſcriptionibus invenio, pag. 587. 11.

M. AVRELIO. M. F. ROM.
VETVRIO. AVG. N. CHARTOPHILA

A Secretis inter memoriales numerantur[7], quos in Officio Magiſtratuum Cornicularios nuncupatos credo : nam Cornicularii ſunt Officiales, qui ad-

1 Novel. 42. 2 L. 92. D. de reg. jur. 3 L. moris. §. nonnunquam. D. de pœn. 4 L. 7. C. de diverſ. reſcript. 5 L. 12. C. de vectigalib. & commiſſ. 6 L. 8. C. de proxim. ſacr. ſcrin. 7 L. 5. in fin. C. qui militar. poſſ.

adsunt cornibus Secretarii, illique in Consistorio à secretis vocantur. Fuit enim in Consistorio Secretarium, qui locus est, in quo Judices conveniebant & considebant[1]. Hinc in causis Illustrium Reorum statuit Imperator, ut illi sederent in aliqua Secretarii parte[2].

De Privilegiis eorum qui in sacro Palatio militant, titulus est in utroque C. Memorialium Privilegia multis aliis legibus continentur. Atque inter ea hoc unum est, ut illis & consessus pateat in Secretaria ordinariorum Judicum. His etiam datur jus considendi cum Spectabilibus, ab Exceptoribus ad Melloproximos, & eos quibus Clarissimatus dignitas collata est: multaque alia habent, quæ in Constitutione Theodosii exprimuntur[3]. Memoriales verò cujuslibet Scrinii scripta exsequebantur[4], & memoriales vocantur quasi scriptores[5]: sic enim memoriæ nomen pro scripturis usurpat Tertullianus lib. *advers. Judæos*, cap. 1. *Secundùm memorias*, inquit, *populus Judæorum relicto Deo Idolis servivit*. Vnde & D. Augustinus lib. *de cognitione Dei* cap. 1. subsidium memoriæ scripturam dicit: quo sensu *firmare annalium memoria*, Tacitus etiam dixit lib. 4. *Annal.* cap. 8.

CAP. VIII.

De Referendariis & ad Responsum.

Referendarii eam habent cum Magistris Scriniorum vicinitatem & dignitatem conjunctam, ut eodem ferè munere fungi videri possint: nam & ii sunt Spectabiles, & preces tractant, sacras formas, jussiones, dispositiones conficiunt, & jus relationis ad Principem habuerunt. Ex quo illos parùm differre à Magistris Scriniorum clarum est, quorum indiscretas dignitates fuisse suspicari possumus. Sed Referendarii propriè sunt qui desideria & preces supplicantium Principi referunt & exponunt, quique jussiones Principis Judicibus insinuant[6]. Ῥεφερενδάριος ὁ τὰ ῥηθέντα ἀναφέρων ἀπό τινος, Gloss. Basilic. Hujusmodi relationis exemplum adfert Procopius lib. 2. *de bello Persico: Theodorus*, inquit, *cùm lues magna Constantinopoli pervagaretur & Curatorum penuriâ multi magis quàm morbo perirent; huic curæ à Justiniano delegatur. Is enim Responsionibus Imperatoris præerat, continuò ei preces supplicantium nuntians. Referendarium Latini hoc munus appellant.*

Sed quoniam Referendarii sibi multò plus tribuebant quàm deberent; illorum potestatem Justinianus coarctavit[7], sanxitque, „Vt cùm lis examinaretur coram Judice, sive in pecuniariis „causis, sive in criminalibus, neque Pragmaticum typum, quem Julianus Antecessor vocat „Pragmaticam Sanctionem, neque sacram quamlibet, sive ex scripto aut non scripto, jussionem: „Dispositionem Spectabilium Referendariorum „insinuare judicantibus, aut insinuatam valere: „sed secundùm leges causas examinari & decidi. Deinde adjicit Justinianus, „sive per formas, sive „per Dispositiones nostrorum Referendariorum „judicantibus insinuetur. Et paulò pòst: „Si verò Pragmatica forma aut Dispositio Spectabilium „Referendariorum judicantibus insinuetur: Jubemus Judicem non respicere, sub pœna decem librarum auri, eidem pœnæ subjecto & eo, qui

1 L. 7. & 16. C. T. de proxim. comitib. & l. 2. C. de offic. rector. provinc. 2 L. 3. C. ubi Senat. vel clariss. 3 L. 2. & 5. C. de prox. sacr. scrin. 4 L. 4. C. eod. 5 Novel. Theod. & Valent. de homicid. casu. facto. & l. 2. C. de petitionib. bonor. subl. 6 Novel. 10. 7 Novel. 113.

A „talem aliquam formam dictaverit, & ministrantibus ei & talem aliquam Dispositionem facientibus Spectabilibus nostris Referendariis. Loquitur autem Imp. de Rescriptis, quibus rei judicandæ forma præscribitur. Idem ille[1]: „Spectabiles, „*inquit*, Referendarios in causis, quas docent aut „referunt ad Principem, nullam habere licentiam „eos aut Adjutores eorum, vel per se, vel per „aliam personam, tenere aliquem, aut sub fidejussoribus facere, aut aliquid exigere, aut coge„re, transactiones aut pacta quædam cum suis „adversariis exponere, aut quolibet modo in qua„cunque causa se permiscere. B Nihil enim aliud „facere eos concedimus, nisi solas nostras jussio„nes in quocunque negotio, aut ex scripto, aut „non scripto, prolatas competentibus, aut deputatis insinuare Judicibus.

Hæc Justiniani verba sic interpretatur Julianus, ut nullus Referendariorum possit tenere aliquem, vel fidejussores desiderare, vel aliquid exigere, vel compellere: quod transactionem aliquam cum adversario suo faciat. Tenere est obligare[2]. Novella autem Justiniani ad omnes Judices pertinet, quæ vult litigantes in ipso disceptationis exordio sacramentum præbere, nihil penitus Judicibus aut C Patrocinii causâ ipsis, vel alii cuique personæ, quolibet modo dedisse. Formula Referendariorum est apud Cassiodorum lib. 6. *Variar.* 17. qui docet eos causam ordine Principi exposuisse, interpellantium vota cognovisse, atque iis responsa reddidisse.

Sunt etiam inter Officia Ecclesiastica Referendarii: licet enim Episcopis, & per Referendarios magnæ Ecclesiæ, & per Apocrisiarios Patriarcharum referre Imperatori, & sic Responsum impetrare[3]. Docet Cujacius[4], Apocrisiarios, ad Responsum dictos, eosque in Officio Magistrorum militum præsentalium fuisse, qui vice eorum D responsa dabant. Vnde à plerisque Ἀποκρισιάριοι Responsales vocantur. Et quidem Apocrisiarius propriè à Responsis dici potest, qui veluti internuntius[5], Procurator, & negotiorum gestor: nonnunquam verò Orator vel Legatus absentis Episcopi vel Patriarchæ: Ἄγγελος ὁ σημαίνων. ὁ Ἀποκρισιάριος, ἢ ὁ τὰς ἀγγελίας, ἤγουν τὰς ἀκοὰς καὶ φήμας διαγγέλλων, Gloss. Basilic. Græci ergo ad Responsum interpretantur Ἀποκρισιάριον. Glossæ Basilicæ, Ἀδρισπόνσον, εἰς ἀπόκρισιν.

Differt tamen Adresponsum ab Apocrisiario: fuit enim ille sub moderatore Helenoponti, & mili- E tum controversias sedabat, militesque redigebat in ordinem, & super eos potestatem habebat, nemine excepto[6]. Sunt & Referendi à Referendariis omnino distincti: illi etenim erant qui à Principe extra ordinem referebantur in album Curiæ, & Senatorum numero adscribebantur, Cassiodorus lib. 1. *Variar.* 41. & lib. 4. 25.

Ad Referendarios me refero, qui sub Justiniano XIIII. ad octonarium numerum redacti sunt, vetitumque novos suffici, donec ad octavum usque demortui essent. Hic idem Referendariorum F numerus à Carolo octavo, Rege Christianiss. in Cancellaria Franciæ primùm constitutus est, qui Juris peritiam assecuti, desideria supplicum Requestarum Magistris, quos vocamus, referant, examinent, & si quid difficultatis sit, dilucidè enarrent: nec litteras, quæ dicuntur Justitiæ, secretorum Notarii subsignare debent, nisi in postrema earum parte Referendarius subscripserit.

Sed

1 Novel. 124. cap. 4. 2 L. 3. C. de transactionib. & l. si is qui. D. de excusationib. 3 Novel. 6. cap. 3. 4 Ad leg. fin. C. de re militar. 5 L. 29. C. de Episcop. & Cleric. 6 Novel. 28. cap. 3.

Sed quid sint sacræ formæ, aut sacræ jussiones, aut dispositiones Referendariorum, necesse est examinare: nam Justinianus[1] sacras has jussiones & dispositiones illis tribuere videtur, tamquam disponant, quemadmodum oporteat negotium examinari & judicari: quod tamen ad solam dispositionem Referendariorum postea refert, quasi illi jussiones Pragmaticas, mandata & cetera hujusmodi disponerent, & suo quidque ordine describerent & formarent: est enim disponere διατυποῦν, unde Pragmaticum typum Justinianus dixit[2]. Quod dispositionis verbum virum eruditum fefellit, qui putat Referendarios Scrinium dispositionum tractasse, illosque sub Magistro, vel Comite dispositionum fuisse. Quod est viros Spectabiles Clarissimo subjicere, & dignitatum ordinem perturbare. Jussiones Principum disponebant, id est, efformabant, Referendarii, quæ ex mera Principis voluntate pendebant. Exempli gratiâ; fœmina nullum adoptare filium sine jussu Principis potest[3]: ut nec reliquiarum mortui translatio fieri potest sine eodem Principis jussu[4]. Naturalibus liberis in paterna sacra susceptis, jussiones divinæ suffragari dicuntur[5]. Has jussiones Referendarius expediebat, ut omnes eas, quæ ex mero consensu Principis & auctoritate proficiscuntur: qualis etiam ea quæ super ingenuis concubinis, uxoribus ducendis impetratur[6]. Atque hæ jussiones, sive jussa, annotationes dicuntur, quando propria Principis manu subscriptæ erant, & contra juris formam aliquid indulgebat[7]. Vt mulier Jure civili, quæ filios suos non habebat in potestate, arrogare non potest; ex indulgentia & annotatione Principis potest[8]. Pragmatica autem jussio dicitur Judicum electorum delegatio[9].

De mandatis inscriptio legis secundæ C. de Officio ejus, qui vicem alicujus Judicis obtinuerit, sic concepta est, *Mandata Impp. Theodos. & Valentin. missa Antiocho ceterisque Præfectis Præt. per Referendarium.* Missa, id est, insinuata: insinuare enim est publicare, notum facere, denuntiare: & qui jussiones Magistratibus perferebat, Insinuator sacrarum litterarum dicebatur[10].

Sacræ formæ etiam ad Referendarium pertinent[11], de quibus inscriptio Novellæ CLXII. sic concipitur: *Sacra forma transmissa Dominico gloriosissimo Præfecto, de diversis capitulis.* Alia est inscriptio Novellæ CLVI. *Ne sacræ formæ, quæ de causis procedunt publicis, aliter robur accipiant, quàm si gloriosiss. Prætoriorum Præfectis insinuatæ sint.* Quidam Codices habent, *sacræ formæ*, seu jussiones, quas Princeps Referendariorum ingenio formabat. Sed ne quid per fraudem Referendarii fingerent, & ambitiosis Rescriptionibus Judicibus imponerent; constituit Justinianus, ut divinæ quas vocat jussiones, subscriptionem Quæstoris haberent[12], nec illæ emissæ in litibus aliter à Judicibus reciperentur.

1 D. Novel. 113. 2 Ead. Novel. 3 L. si suspecta. §. quoniam. D. de inoffic. testament. 4 L. ossa. D. de religios. 5 L. 7. C. de naturalib. liber. 6 L. 5. C. eod. 7 Novel. Majorian. de homicid. casu facto. 8 L. 5. C. de adoptionib. 9 L. 34. C. de appellationib. 10 L. 2. C. publicæ lætitiæ, &c. 11 D. Novel. 113. 12 Novel. 114.

CAP. IX.

De Primicerio Notariorum; Vtroque Laterculo; Tribunis & Notariis Principis.

SUb dispositione viri Spectabilis Primicerii Notariorum, omnis dignitatum & administrationum Notitia est, tàm militarium quàm civilium. Hic Scholas & numeros tractabat[1]: & in Schola Notariorum, quæ præclarum Collegium & sacratum vocatur[2], Primicerius, qui Πρωτονοτάριος Godino, primum & principem locum obtinet. Hic Dominus ex Primiceriis vocari videtur ab Impp. Honorio & Arcadio, qui Dominum ex Primiceriis sacrarum largitionum speciali beneficio, Exvicariis ad similitudinem proximorum sacrorum Scriniorum esse præcipiunt[3]: ceteros Primicerios Scriniorum, & qui post illum Primicerii totius erant officii Palatinii, Exconsularibus inter Adlectos esse decernunt. Domini vox mihi primùm suspecta fuit, cùm id nomen Imperatores soli vendicare sibi solerent, quodque priores Principes ut maledictum & opprobrium exhorruerunt, Suetonius in *Augusto* cap. 53. & in *Tiberio* cap. 27. Acerbè increpuit Tiberius eos qui divinas occupationes & Dominum dixerunt, Tacitus 2. *Annal.* Hæc tamen Domini appellatio sine invidia ad alios translata videtur, & in factionibus Agitatorum recepta, ut vetus Inscriptio probat, pag. 338. 2.

M. AVRELIO. LIBERO. PATRI
MAGISTRO. ET. SOCIO. DOMINO
ET. AGITATORI. FACTIONIS
PRASINAE

Vt Dominus & Domina, vocabula erant, quibus vir & uxor, testandi conjugii causâ, sese invicem appellabant: *Uxori*, ait Scævola[4], *vir fideicommisit in hæc verba: Peto à te, Domina uxor.* Idem ille[5]: *Domina sanctissima, scio te de amicis meis curaturam.* Sic Virgilius lib. 4. *Æneid.*

——— ——— ——— connubia nostra
Reppulit, ac Dominum Æneam in regna recepit.

Ad quem Servius notat esse de jure, quasi per coemtionem, ut Dominus maritus, uxor Domina vocetur. Quare Dominus ex Primiceriis, est Primicerius totius officii, id est, primus inter ceteros Primicerios, ut infrà cap. 24. demonstramus.

Primicerius Notarius Principis dicitur, & honore inter honorarios primus. Κηρὸς ceram significat & tabulam ceratam, in qua Antiqui scribebant. Ab his tabulis dictus est Primicerius, Alciatus *ad titul. de Primicer.* qui sub postremis Imperatoribus μέγας κήριος vocatus est, teste Gregora lib. 7. ἀντὶ μεγάλε Πριμικηρίε, μέγαν κύριον ὀνομάζουσι νῦν. Quæ lectio recta est: nam cùm Bœotiæ Thebarumque Princeps hereditariam hanc dignitatem à Constantino Magno accepisset, successu temporis illum non μέγαν κήριον, sed μέγαν κύριον vocaverunt, *magnum dominum.* Qui pro κυρίῳ emendant κήριον, veram lectionem immutant, & Auctoris sensum perturbant: nam verborum contrarietatem tollunt, quæ ex hac dictione ἀντὶ sequitur: κύριος enim opponitur κηρίῳ.

1 Notitia Imper. 2 L. 15. tit. 1. lib. 6. C. T. 3 L. 19. C. T. de Palatin. sacrar. larg. 4 L. 41. D. de leg. 3. 5 L. Titia. §. quum Marco. D. de annuis leg.

Primicerius Notariorum Spectabilis est [1], & in numero Proconsulum habetur: cui tanquam Comiti semper fasces cum Curialibus dantur [2]: sub eo erat laterculum majus, ut minus sub Quæstore Palatii. Atque ille aliquando Quæstoris munere functus est: etenim Primicerium Notariorum orationes Principis in Senatu recitasse videmus, quod proprium erat Quæstoris Palatii. Impp. Theodosius & Arcadius ad Senatum Vrbis Romæ Orationem miserunt, in cujus fine scriptum est: *Recitata in Senatu per Theodosium Primicerium Notariorum* [3].

Primicerius numeros tractabat: matriculam Scholarum interpretatur Julianus [4]. Per illum Princeps largiebatur honores, ut per Comitem largitionum, pecunias, Cujacius *in Paratitl. C. de Offic. Quæstor.* Comitivæ quidem largitionum adjuncta est Primiceriatus dignitas, ut per eum honores darentur, per quem pecuniæ largitas à Principe conferebatur, Cassiodorus lib. 6. *Variar.* 7. Sed fuit Primicerius largitionum: fuerunt & Primicerii Scriniorum, qui à Primicerio Notariorum diversi sunt [5]: hi enim Exvicariis & Consularibus inter allectos habentur; at Primicerii Notariorum Officio functi, Senatoria & Magistri Officiorum dignitate honorabantur, [6] atque etiam ad Illustrem Magistri à vigiliis atque laboribus promovebantur summitatem, & primum militiæ nobilis locum assequuntur [7]: nec in ordinem ceterorum rediguntur, qui honorarios codicillos meruerunt. Quòd si Primicerii Notariorum de Consistorio Principis sine administratione discesserint, non solùm Vicariis anteponuntur, sed etiam Proconsulibus æquantur [8].

Sunt Primicerii multorum Officiorum, qui primum locum tenent: est enim Primicerius Cubiculariorum, Mensorum, Lampadariorum, Decanorum, Fabricensium, Scriniorum utriusque ærarii, Palatinorum, Advocatorum, Domesticorum, Protectorum, Privatarum Receptoriarum, Deputatorum, Augustalium, Singulariorum. Est & in antiquis Inscriptionibus Primicerius Cenariorum & Primicerius Monetariorum: Romæ, pag. 1054. 8.

HIC. IACET. NOMINE. MATRONA.
C. F. IN. PACE. VXOR. CORNELI. PRI-
MICERI. CENARIORVM. FILIA. POR-
PHORI. PRIMICERI. MONETARIO-
RVM.

Vix est ut Cenariorum Primicerium interpretari possim, quem tamen inter Monetarios recensendum Inscriptio monet. Κήνεον Hesychio est καθαρὸν, *purum*; & aurum aut argentum purum dicitur, quod expurgatum & excoctum est. Vnde Cenarios arbitror esse auri & argenti expurgatores, καθαρίζοντας, quos nos dicimus *Affineurs*. Hæc mea conjectura est, quam Eruditorum judicio submitto. Generaliter quælibet corpora Scholæ Collegia suum Primicerium habuerunt.

Majoris autem laterculi, cujus Primicerius Notariorum curam habuit, quatuor Scrinia fuere. Notitia consuetudinum, Τῷ Πριμικηρίῳ τῶν λαμπροτάτων Τριβούνων Νοταρίων μετὰ τῶν τεσσάρων σκρινίων λατερκούλου νομίσματα ν'. Laterculum ex Græcis Scriptoribus, πλινθὶς sive πλινθίον, quadrata figura. Ex majore emittebantur Illustres & Spectabiles; ut ex minori Clarissimi. Erant verò Latercula Codices in Scrinio memoriæ positi [9], qui di-

1 L. 1. C. T. qui à præbit. Tiron. 2 L. 3. C. T. de Primicer. Notar. 3 L. 14. tit. 1. C. T. lib. 6. 4 Novel. 85. 5 L. 19. C. T. de Primicer. sacr. larg. 6 L. 2. C. de Primicer. 7 L. 4. C. T. eod. 8 L. 2. C. T. eod. 9 L. 3. C. de Agentib. in reb.

A gnitatum & administrationum tam civilium quàm militarium & mandatorum Principis, & promotionum & consuetudinum notitiam continebant. Vnde conjicio quatuor majoris laterculi Scrinia ita divisa esse, ut primum dignitates civiles; secundum militares; tertium mandata & promotiones; quartum consuetudines complecteretur. Lapsus est Pamelius ad Tertullianum *adversùs Valentinian.* cap. 29. qui suspicatur, majus laterculum civiles dignitates, minus verò militares continuisse. Sed quotus quisque est, qui in re tam obscura sæpiùs non labatur?

B Laterculo etiam includitur Commentarium Principis, in quo Magistratuum nomina relata & ad ærarium delata [1]. Quod ad Proconsules legatosque eorum & ad eos qui Provinciis præsunt, Procuratoresve Principum qui in Provinciis tenentur, & ad Tribunos militum, & Præfectos & Comites legatorum pertinet: Modestinus de Illustribus nihil loquitur, quia Illustres sua Scrinia suosque Primicerios habuerunt: hinc tres Primicerii Tribuni Prætoriani numerantur [2].

Decem tamen in sacris Scriniis, post Primicerium fuere Tribuni [3], qui sunt *Notarii militantes inter primos*, ut ab Ammiano Marcel. vocantur C *lib.* 29. Ex Tribunis illis fuerunt Secundocerii, & Tertiocerii. Secundocerius secundum inter Notarios gradum adeptus, ut idem Marcellinus testatur *lib.* eod. & qui sequens Primicerium, Tribunus & Notarius Proconsulibus æquatur: alii verò Tribuni & Notarii, Vicariis [4].

Præpositi Notariis Principis Tribuni vocantur, Zosimus *lib.* 5. Συνέζησε τούτῳ καὶ Ἰωάννης τῶν ὑπογραφέων, οὓς Τριβούνους καλοῦσιν, ἄρχων γεγενημένος. Tribunos dictos, qui ceteris in re aliqua vel in aliquo ordine præessent, nemo nescit. Hi nomen sortiti sunt à tribubus, non, ut Isidorus *lib.* 8. *cap.* D 4. putat, à tribuendo: nam cùm Romulus Populum in tres partes divisisset, Tribunos appellavit eos qui tribubus singulis præfuissent; à quibus deinde qui aliis Præpositi sunt, hoc fuerunt nomine insigniti, Dionysius *lib.* 2. Et scribit Varro Tribunos militum appellatos, quòd terni tribus tribubus ad exercitum mitterentur, lib. 4. *de Ling. Lat.*

Tribuni & Notarii ad Secreta Imperialia pertinent, quos à Secretis Principum dictos credit Cujacius, eo modo ut qui à secretis Judicum sunt E Cancellarii [5]. Tribuni autem Notarii variis Officiis fuerunt occupati, atque ut ex Notitia, Primicerium Notariorum scholas & numeros tractasse diximus; rectè colligimus Numerariorum Tribunos fuisse. Quod auctoritate Sidonii comprobo: *Ætate media*, inquit *lib.* 5. *epist.* 6. *Patres nostri sub uno contubernio, vixdum à pueritia in totam adolescentiam evecti, Principi Honorio Tribuni Notariique militavere.* Vbi Sirmondus noster ex Cassiodoro notat, Tribunatum, aditum honorum nobili adolescentiæ fuisse. Quod de Tribunatu numerorum intelligendum credo. Quæ dignitas im- F puberi deferebatur, Cujacius lib. 17. *Observat.* cap. 36. Faciliùs quidem Tribunatus Numeri dabatur impuberi, ex illustri familia profectò, cùm posset majores natu Vicarios, Adjutores, Consiliarios habere. Hoc munus quidem militiæ fuit, quod hîc accipio pro civili: Numerarii enim Scriniorum fuerunt, qui Chartas & Rationes tractabant.

Ma-

1 L. abesse. D. ex quib. caus. major. 2 L. 13. C. de Palatin. sacr. largit. 3 L. 11. C. de metat. 4 L. 2. C. T. de Primicer. & Notar. 5 In Paratitl. C. de Adsessorib.

Magna verò Tribunorum Notariorum dignitas fuit, quæ ex eo dignoſcitur, quòd Tribunum Notariorum Romam miſit Honorius Imp. ut præſente eo quæ ipſe ſtatueret celeriùs implerentur, Symmachus *lib.* 10. *epiſt.* 4. & 31. Idem Honorius Tribunum & Notarium in Africam Judicem miſit, qui de Donatiſtarum hæreſi cognoſceret, Poſſidonius in *Vita D. Auguſtini.* Porrò iidem Comites & Tribuni Notariorum dicuntur[1]: & paſſim Notarii & Tribuni conjunguntur in ſacris memoriæ Scriniis, qui ceteris Notariis præeſſent, Zoſimus *lib.* 5. ἐν τῷ τάγματι τῶν βασιλικῶν ὑπογραφέων ἀναφερόμενοι. Hi ſuo Officio fungebantur intra Conſiſtorii ſecreta veneranda[2], quos Vopiſcus *Secretorum Imperatoris Notarios* vocat in *Aureliano, quibus Officium ſecretorum creditur*, idem *ibidem.* Notarii Principis intra ſecreta Conſiſtorii morantur: atqui à Secretis extra ſecretum illud fuerunt, & ad fores ſtabant. Quare à Cujacio, qui Notarios & Tribunos ad ſecreta à Secretis vocat, quem omnes Eruditi ſecuti ſunt, unus ego diſſentio. Vt enim ab Epiſtolis non ſunt Magiſtri Epiſtolarum, ſic à Secretis non ſunt Secretarii Principum.

Ceterùm qui Notariorum funguntur Officio intra Conſiſtorium Principis, cùm *à Palatinis mittuntur obſequiis, à primis quibuſque gradibus uſque ad Perfectiſſimatus ordinem, tametſi Proſecutoriarum adjumenta non habeant, prærogativâ conceſſi honoris utuntur*[3]. Ea etiam Notariis Principis fuit honoris prærogativa, ut ad Illuſtres quandoque dignitates promoverentur. Sic Syagrius Notarius, Præfectus & Conſul factus eſt, Ammianus Marcellinus *lib.* 28. & Felix Notarius, Officiorum Magiſter, idem *lib.* 20.

Notarium Paulum Imperator miſit ad Orientem, poteſtate delata ut inſtar Ducis experientia clari ad arbitrium ſuum audiri efficeret cauſas, idem *lib.* 19. Eò tandem crevit Notariorum auctoritas, ut Theodorus Principis Notariis adſcriptus, auſus ſit affectare Imperium, Zoſimus *lib.* 4. & Procopius Notarius miſſus ad Perſarum Regem ab Imp. Juliano, cùm Lucilliano Comite, nodo quodam violentæ neceſſitatis adſtrictus ad res novas conſurrexerit, Ammianus Marcellinus *lib.* 17.

Sunt & Notarii inferiores, in quos aliquando graviter animadverſum: etenim Notarium, qui falſum cauſæ Brevem in Conſilio Imperatoris retulerat, inciſis digitorum nervis, ut nunquam poſſet ſcribere, Alexander deportavit, Lampridius in *ejus Vita.* Breves breviter prætereo; ſunt enim Libelli ſive Catalogi, qui ex Scrinio Principis manabant[4]; vel qui ad Principem deferebantur: ut Breves Cenſuum ex priſca inſtitutione, Symmachus *lib.* 1. *ep.* 60. quæ nomina & debita fiſci debitorum continebant[5]. De his leges duas *C. T. de indulgentia debitorum* ſubjicio[6], quæ interpretationem deſiderant. Prima eſt ad Andromachum Præfectum Vrbi, quâ jubet Imperator *omnium reliquorum exactionem ſuſpendi, donec admoniti ordinarii Judices nominatorios Breves abſque ulla fraude conſcriptos tranſmittant, quibus apertè liqueat, quæ penes Minuſcularios, quæ penes Curiales debita habeantur.* Pro *Nominatorios Breves*, emendant viri docti *Notarios*: quorum emendationem probo. Lex altera ſcripta eſt ad Venantium Comitem rerum privatarum: *Breves, quos Spectabiles viri ac Palatinorum ſacrarum ad Principem vel ad Prætoriana Scrinia detulerunt, & profeſſionis modum eum qui Brevibus ſedet ſcribi vult Imperator.*

1 L. 7. C. de privileg. eor. qui in ſacr. Palat. 2 L. 7. C. eod. 3 L. 7. C. T. de privileg. eor. qui in ſacr. Palat. 4 L. 24. C. T. de erog. milit. annon. 5 L. 3. C. T. de indulgent. debitor. 6 L. 3. & l. 13.

Ex his legibus leve mendum apud Lampridium corrigendum eſt, & pro Notario, qui falſum cauſæ Brevem in concilio Imperatoris retulerat, legendum eſt *detulerat.* Nec enim Notarius inferior, de quo Lampridius loquitur, jus relationis in Conſiſtorio Principis habuit. Nec Notarii iſti ſunt Principis, qui Breves debitorum in Provinciis ſcribebant, quibus liqueret, quæ penes Minuſcularios debita haberentur. Minuſculum ἔλαττον, à quo Minuſcularii dicuntur tenuioris fortunæ homines, quorum paupertas quinquaginta ſolidorum ſumma æſtimatur[1].

Breves Cenſuum à Notario conficiebantur, & profeſſionis modum, is qui ſederat, ſcribere debuit. Profiteri eſt Cenſum edere[2], cujus forma ab Vlpiano exprimitur[3]. Sed quid ſibi velint hæc verba, *ut is qui ſedet, ſcribat*, breviter ab Optato Milevitano intelligimus lib. 1. *De Schiſmate Donatiſtar. Brevis*, inquit, *auri & argenti ſedenti Cæciliano traditur, adhibitis teſtibus.* Sedebat Magiſter Cenſus in Urbe; in Provinciis, qui illius vices ſupplebant; ut Moderatores earum, vel Defenſores civitatum[4]. Vt & Cenſitores, qui Cenſum agebant, & Legati ad Cenſus accipiendos. Hac de re Sidonius *lib.* 8. *epiſt* 6. „Audivi adoleſcens atque adhuc nuper ex puero, cùm pater „meus Præfectus Prætor. Galliarum Tribunalibus „præſideret, ſub cujus Magiſtratu Conſul Aſterius. Adhærebam ſellæ Curuli, etſi non latens „per ordinem, certè non ſedens per ætatem: „mixtuſque turmæ Cenſualium penulatorum, „proximè Conſuli proximus eram. Cenſuales ſtabant; ſedebat ſolus qui Cenſum ageret. Vetus lapis eſt de Legato ad Cenſus accipiendos, pag. 427. 12.

CAIO.LAELIO.LEGATO.IMP.NERVAE
TRAIANI.CAESARIS.AVG.AD.CENSVS. ACCIPIENDOS

Notarii, qui huic rei operam dabant, inter Cenſuales habebantur. Quod de Notariis Principis intelligi non poteſt, quibus etiam depoſito Officio, Cenſus peræquationes, diſcuſſiones non injunguntur[5].

Erant & Notarii Apparitorum, de quibus lex eſt Arcadii & Honorii ad Theodorum Præfectum Præt.[6] „Si quis in Eccleſias irruens, Sacerdotibus „& Miniſtris aliquid importet injuriæ: quod geritur litteris ordinum, Magiſtratuum, & Curatorum, & Notariis Apparitorum, quos Stationarios appellant, deferatur in Notitiam poteſtatum. Symmachus *lib.* 10. *epiſt.* 4. „Impatienter „fero Apparitorum Notariis Senatui nuntiari, „quòd Romani Populi Magiſtratus abeſſe patiaris. Stationarii Apparitores erant, certis locis diſpoſiti, qui exorientes tumultus ac rixas componerent, quidque ubique ageretur Præfectis denuntiarent[7]. Quod ex D. Auguſtino intelligi poteſt: *Non accuſantibus nobis*, inquit *epiſt.* 159. *ſed illorum Notariis, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertinebat, præſentati*, &c. Vulgati codices habent, *Notoriis*; emendatiores, *Notariis.* Hæc Auguſtini Epiſtola ſcripta eſt ad Marcellinum Tribunum, & Notarium, qui ab Honorio Imp. miſſus in Africam, ut Donatiſtas ad fidem Catholicam reduceret, & ad publicam collationem cogeret, Poſſidonius in *Vita D. Auguſtini.* Ad hunc etiam ſcripta lex eſt Ho-

1 L. 1. C. de defenſorib. civit. 2 Vlpian. in Fragment. 3 L. forma. D. de Cenſib. 4 L. 31. C. de Epiſcop. & Cleric. 5 L. 1. & 2. C. de Primicer. 6 L. 31. C. T. de Epiſcop. & Cleric. 7 L. 1. §. quies. D. de offic. Præfect. Vrb.

Honorii & Theodosii his verbis[1]: „Ea quæ ad „Catholicam fidem pertinent, vel olim ordinavit „Antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas „religiosa constituit, novella superstitione summota, integra & inviolata custodire præcipimus. Quare D. Augustinus eadem *Epistola*: „Scio quidem, *inquit*, Ecclesiasticas causas Excellentiæ „tuæ potissimùm injunctas: sed credo istam curam ad virum Clarissimum & Spectabilem Proconsulem pertinere; ad quem quoque litteras „dedit. Credo ita D. Augustinum scripsisse, quòd Donatistas multorum criminum reos sciret, quorum animadversio ad Proconsulis dignitatem pertinebat, non ad Tribunum, qui missus non erat cum jure gladii. De Marcellino Tribuno & Carthaginensi collatione amplissimè Cardinalis Baronius scripsit Tom. 5. *Annal.* ad Annum Christ. 410. 11. & 12.

De Tribuno & Notario Principis lapis vetus, qui de Claudiano Poëta, pag. 391. 5.

CL. CLAVDIANO. V. C. TRI
BVNO.ET.NOTARIO.INTER.CETERAS
VIGENTES. ARTES. PRAEGLO-
RIOSISSIMO
POETARVM. LICET. AD. MEMO-
RIAM. SEM
PITERNAM. CARMINA. AB. EODEM
SCRIPTA. SVFFICIANT. ADTAMEN
TESTIMONII. GRATIA. OB. IVDICII. SVI
FIDEM. DD. NN. ARCADIVS. ET
HONORIVS
FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI
IMPERATORES. SENATV. PETENTE
STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI
ERIGI. COLLOCARIQ. IVSSERVNT

Alius est Petronii Maximi Tribuni & Notarii Romæ, qui etiam hîc apponi meretur, pag. 449. 7.

D. D. D. N. N. N. INVICTISSIMI
PRINCIPES. HONORIVS. THEODO-
SIVS.ET.CONSTANTIVS.CENSORES
REMVNERATORESQVE. VIRTV-
TVM
PETRONIO. MAXIMO. V.C. PRAEF.
VRB. OB. PETITION
SENATVS.AMPLISSIMI.POPVLIQVE.
ROMANI. STATVAM
MERITORVM. PERENNE. MONV-
MENTVM. IN. FORO
VLPIO. CONSTITVI. IVSSERVNT.
CVM. A. PROAVIS
ATAVISQ. NOBILITAS. PARIBVS. TI-
TVLORVM. INSIGNIBVS
ORNATVR. QVI. PRIMAEVVS. IN.
CONSISTORIO
SACRO. TRIBVNVS. ET. NOTARIVS.
MERVIT. NONO. DECIM
AETATIS. ANNO. SACRARVM. RE-
MVNERATIONVM
PER. TRIENNIVM. COMES. POST.
PRAEF. VRBIS. AET. SEX
MENSIBVS. HASQVE. OMNES. DIGNI-
TATES. INTRA. VICE
SIMVM. QVINTVM. ADSECVTVS
AETATIS. ANNVM
PVBLICVM. IN. SE. TESTIMONIVM.
ET. AETERNORVM
PRINCIPVM. IVDICIVM. PROVOCAVIT.

Elegans & alius est de Tribuno & Notario Prætoriano, Romæ, pag. 464. 8.

1 L. 3. C. T. de Religione.

A POSTVMIANVS. C. V. FILIVS
MAGNIFICI. VIRI. MAXIMIANI
PRAEFECTI. PRAETORIO
ET. CONSVLIS. ORDINARII
QVAESTOR. CANDIDATVS
PRAETOR. VRBANVS. TRIBVNVS
ET. NOTARIVS. PRAETORIANVS
PRAEFECTVS. VRBI. SECVNDO
CONSVL. ORDINARIVS. QVOS
TANTOS. ET. TALES. HONORES
PRIMO. AETATIS. SVAE. FLORE
B PROMOVERIT *

Fuerunt etiam aliorum Officiorum Tribuni, ut Primicerii: nam sunt Tribuni militares, Tribuni Fabricarum, Armaturarum, Stabuli, Tribuni Voluptatum, quorum formulam promit Cassiodorus lib. 6. *Variar.* 10. Sunt & Tribuni Comici ex joco Plauti in *Persa* Act. 1. Sc. 1. ℣. 21.

——— *plusculum annum*
Fui Præferratus apud molas Tribunus vapularis.

Notarii vulgares seu inferiores sunt ταχυγράφοι, C Tribuni Notarii ὑπογραφεῖς, Magistri Scriniorum ἀντιγραφεῖς, qui Notariorum Principis contrascriptores fortè dici possent. Sic tamen sunt appellati à rescriptis, quæ ipsi componebant & efformabant: nam ἀντιγραφὴ βασιλικὴ est rescriptum Imperatoris.

Cap. X.

De Palatinis Magistratibus: ac primùm de Magistro Officiorum.

D EXplicata sunt huc usque quæ ad Consistorium Principis pertinent, quæque in illo Officia operam præstarunt: qui Illustres adsederunt, & præbuerunt consilium, quique illorum civilia præcipuè negotia vel cum jure gladii tractarunt, *lib.* 2. *cap.* 19. Inter eos Magistrum Officiorum locavimus, qui cum Quæstore ut plurimùm ex delegatione Principis causas judicaret. Hîc verò, cùm Palatinus sit Magistratus, ea tantùm persequemur, quæ quidem illi jure Magistratus competunt, quæque in hunc locum rejecimus. Proximè de Tribunis Notariorum locuti sumus, & de notatione nominis Tribuni: nomen istud Tribuni E Magistro Officiorum convenire nullo modo potest: sed Constantini lex urget me, qui Proculianum Tribunum & Magistrum Officiorum vocare videtur[1]. Sed Constantini lex attentiùs prospecta duas dignitates complectitur; Tribuni scilicet, quam Proculianus gessit, & Magistri Officiorum, quem non nominat; nusquam enim legitur Tribunus & Magister Officiorum: & dictio, *&*, in lege posita, disjunctiva est, non copulativa.

Erant sub Magistro Officiorum, in Scriniis militantes, quos generali nomine Memoriales vocatos diximus. Erant etiam Magisteriani, & Ministeriani, & sub illius dispositione Scrinia F quatuor, Memoriæ, Epistolarum, Libellorum, & Dispositionum: Admissionales, & Cancellarii[2]. Erant Scholæ & Fabricæ, de quibus nos postea. Hinc Jurisdictio Magistri Officiorum latissima est: non solùm enim de appellationibus Ducianorum Judicum, sed & Duces ipsi & eorum Apparitores & limitanei & castrorum Præpositi, nulli alii Judici

1 L. 1. C. T. de distract. pign. 2 Notitia Imper.

* Rep. PROMERVIT, prout exstat apud Gruterum.

dici ſubjacebant: exceptis qui in limitibus Orientis, Thraciarum & Illyrici militant, qui Juriſdictioni Magiſtri militum per Orientem ſubjecti ſunt [1].

Hujus etiam Juriſdictioni ſubjiciuntur Miniſteriani ſacræ veſtis, ceterique hujus nominis, & Caſtrenſiani, exceptis criminalibus & tributariis cauſis [2]. Apud eundem, vel arbitrum ab eo delegatum, Centenarii & Ducenarii in Vrbe reſpondent, non apud Præfectum Urbi [3]. De hoſpitii jure, & qui ab eo immunes eſſent, ipſe cognoſcit [4]: & de Statuis collocandis [5], atque de curſu publico [6]. Præterea Officiorum Magiſtri eos, qui res fiſci vel publicas tractaſſent, ad reddendum rationem & reliqua ſolvenda compellebant, Symmachus *lib.* 10. *epiſt.* 47.

Scholæ autem ſex fuerunt ſub Magiſtri Officiorum Illuſtris in Occidente diſpoſitione: Scrinia quatuor: Fabricæ novemdecim: atque in illius Officio de Schola Agentium in rebus, Adjutor, Subadjuvæ Adjutoris, Subadjuva Fabricarum diverſarum, Curioſus Curſus publici in præſenti, Curioſi omnium Provinciarum, Interpretes omnium gentium [7]. At ſub Magiſtro Officiorum in Oriente, Scholæ octo, Scrinia quatuor, Menſores & Lampadarii, Officium Admiſſionum, Fabricæ Orientis quinque, Ponticæ tres, Aſianæ una, Thraciarum duæ, Illyrici quatuor. In Officio autem de Schola Agentium in rebus fuit illi Adjutor, Subadjuvæ: Adjutores duo, Fabricarum tres, Barbariorum tres, (ita ſcriptum in Notitia pro *Barbaricariorum*) Orientis unus, Aſianæ unus, Ponticæ unus, Thraciarum & Illyrici unus. Curioſus curſus publici præſentalis unus: Interpretes diverſarum gentium: Magiſter Officiorum ipſe emittit.

Hæc omnia dilucidam interpretationem deſiderant. Illa quidem ſuo quoque ordine exponemus: ſed in iis ſolùm immorabimur, quæ in Notitia Imperii enarrantur: cetera leviter præterimus, quæ ex legibus, à quibus hauſta ſunt, ſatis intelligi poſſunt. A Scholis incipiendum eſt, inter quas eſt Schola Scutariorum ſecunda prima, Schola Scutariorum, Schola armaturarum ſeniorum, Schola Gentilium ſeniorum, Schola Scutariorum tertia, Schola Agentium in rebus, & Deputati ejuſdem Scholæ.

Scholas undecim Juſtinianus enumerat [8], cùm tamen in utriuſque Imperii Notitia decem tantùm enuntientur. Vndecimam Scholam Fabricenſium adjicit Cujacius [9]: ſed Fabricenſes à Scholis in Notitia ſeparantur, & Fabricenſium fuit certum Corpus, non Schola. Quare ſi Schola undecima quærenda eſt, puto eam fuiſſe Protectorum, ex Ammiano Marcell. qui ſcribit *lib.* 14. *Conſtantium Principem ad Gallum Cæſarem ſcripſiſſe, ut ſolis eſſet contentus Scholis Palatinis & Protectorum cum Scutariis & Gentilibus.*

Scholæ ſunt Collegia quædam militum, vel Miniſtrorum Principis, tàm armatæ militiæ quàm Togatæ, quarum plurimæ Magiſtri Officiorum Juriſdictioni ſubjectæ ſunt [10]. Hoc Scholæ verbum quidam introducere conati ſunt in lege VII. C. de Aquæductu: cujus vulgata lectio ſic habet: *Ad reparationem aquæductuum hujus almæ Vrbis, omnia vectigalia quæ colligi poſſunt, ex univerſis calculis hujus inclytæ Vrbis, ad refectionem aquæductus procedant.* Pro, *univerſis calculis*, emendat Barnabas Briſſonius, *univerſis Scholis:* ſed malè Scholas vectigales facit. Legit Cujacius, *univerſis ſcalis*, pro, *calculis*, quæ lectio Vitruvii auctoritate poſſet confirmari: hic enim ubi de Hydraulicis machinis tractat: *Supra baſim*, inquit *lib.* 10. *cap.* 13. *eriguntur regulæ, dextra ac ſiniſtra ſcalari forma compactæ*, &c. Vnde Scalæ aquæductibus aptæ, quæ his machinis inſervirent, & privatis uſibus pro fiſtulis uſurpantur, quibus aquæ per domos aut fundos privatorum funduntur, & ſaliunt [1]. Vectigal autem pendebatur, ſive annua penſitatio pro aquæductu, intra domum Romæ conſtitutam [2].

Liceat nobis interdum σχολάζειν in iſtis Scholis, & ad ea digredi, quæ negotium faceſſere multis poſſunt, quæque in Græculorum Scholis nuſquam agitantur. Vulgatam C. lectionem rectam puto. Optimè enim dicitur vectigalia colligere ex univerſis calculis: ut ſubducta ſcilicet ratione, quod quiſque debeat, computetur. Hinc calculi fiſcalis ſatisfactionem dixit Imperator [3], & communi calculo ſubjici Papinianus [4].

Nos verò Scholas Magiſtri Officiorum explicemus, ſub cujus diſpoſitione fuit Scutariorum Schola in Occidente prima, ſecunda, & tertia. Scutarii milites à ſcutis denominati. Clypeis antè Romani uſi ſunt: deinde poſtquam ſtipendiarii facti, ſcuta pro clypeis fecere, ait Livius *lib.* 8. qui de ordine militari & Scutatorum turba multa profert. Juſta arma ſunt ſcuta, & ſimul cum ſcuto gladius, ex Polybio *lib.* 6. ἔϛι δὲ Ῥωμαϊκὴ πανοπλία, πρῶτον μὲν θυρεὸς, ἅμα δὲ τῷ θυρεῷ μάχαιρα. Qui formam ſcuti graphicè depingit. Gravis armatura plumbatas quinas, poſitas in ſcutis, primo impetu jacit, Vegetius *lib.* 2. *cap.* 15. & 23. Scutariorum rector ab Ammiano Marcel. Tribunus Scutariorum vocatur *lib.* 14. Plumbatæ poſitæ in ſcutis inter miſſilia numerantur. *Ex alto*, inquit Vegetius *lib.* 4. *cap.* 29. *miſſilia ſive Plumbatæ vehementiùs cadunt.* Plumbatæ ſunt jacula, quæ à Plumbatis, quibus rei vel Martyres cædebantur, omnino differunt. Et lapſus eſt Adrianus Turnebus lib. 24. *Adverſ.* cap. 12. qui Plumbatas eaſdem putat: nam Plumbatæ, quibus Martyres cæſi, vel perſonæ viliores, ſunt flagella facta ex funiculis, in quorum extremitatibus glandulæ plumbeæ erant impactæ. Quæ Plumbatarum verbera, ab inſolentia Judicum reperta ſupplicia, Conſtantinus Imp. improbat [5].

Schola Armaturarum Seniorum Magiſtro Officiorum ſubjecta eſt. Armatura genus eſt exercitii, quo à Campiductoribus Tirones imbuuntur: quòd in omnibus præliis armaturis meliùs pugnaretur, & armaturis utcunque eruditi reliquos bellandi arte præcederent, Vegetius *lib.* 1. *cap.* 13. Schola Armaturarum Juniorum, quæ ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum Orientis erat. Juniores & novi milites, manè & poſt meridiem, ad omne genus exercebantur armorum; veteres & eruditi ſemel in die, idem *lib.* 2. *cap.* 23. Tribuni Armaturarum meminit Ammianus Marcel. *lib.* 14. & 15. apud quem eſt & agens vicem armaturarum rectoris, *lib.* 15.

Scholas Gentilium interpretor ἐθνικῶν ſeu Nationum: qualis fuit *Schola Gallica Palatii* Symmacho *lib.* 9. *epiſt.* 52. Gentiles autem à Scutariis diſtinguuntur, qui in ordine Palatinorum militum præcipui fuerunt. Julianus Imp. cùm apud Senonas oppidum tunc opportunum abſceſſiſſet, curabat ut milites, qui à ſolitis deſciverant præſidiis, reducerentur: ut conſpiratas Gentes in no-

1 L. 8. C. de diverſ. Offic. 2 L. 4. C. de Caſtrenſian. & Miniſterian. 3 L. 4. C. de Agentib. in reb. 4 L. 1. 2. & 3. C. de metatis. 5 C. de ſtatuis & imaginib. 6 L. 9. C. T. de Curſ. publico. 7 Notitia Imper. 8 L. fin. C. de locato. 9 Ad tit. C. de privileg. Scholar. 10 L. 2. C. eod.

1 L. fiſtulam. D. ſi ſervit. vendic. 2 L. in conditione. D. de actionib. empt. 3 L. 19. C. T. quand. appellation. non recip. 4 L. in ratione. §. quæſitum. D. ad leg. Falcid. 5 L. 2. C. de exactionib. Tributor.

xam Romani nominis disjiceret. Hæc sollicitè cogitantem, cum hostis aggreditur, oppidi capiendi spe in majus accensa, quòd nec Scutarios adesse prodentibus profugis didicerant, nec Gentiles per municipia distributos, Ammianus Marcellinus *lib.* 16. Ex quo videre est, robur præcipuum in Scutariis & Gentilibus positum esse. Novella est Theodosii[1] de Scholaribus Comitibus & de Domesticis eorum ad Florentium Magistrum Officiorum, quâ Comitibus Scholarum verberandi regradandive Senatores ac Ducenarios, licentiam denegat.

Schola Agentium in rebus & deputati ejusdem Scholæ, ad Magistri Officiorum dispositionem pertinent. Separantur Scholares, veluti Agentes in rebus, à Palatinis: hinc duo diversi tituli in C. Justiniani de privilegiis eorum qui in sacro Palatio militant, & de privilegiis Scholarum.

Agentes in rebus non in litterarum præsidiis militant, nec eorum litterata militia dicitur: sed militant in rebus & in actu, & à Græcis dicuntur Magisteriani. Μαγιστεριανὸς Glos. vel Agens in rebus: horum varii gradus fuere. Alii enim, ut notat Cujacius[2], Tribuni sunt Scholarum, alii Primicerii, alii Senatores, Ducenarii, Centenarii, Biarchi, Circitores, Equites, Tirones: queis addo Deputatos, Curiosos, seu Curagendarios.

Matricula Agentium in rebus à Magistro Officiorum confecta sic est[3]: *Ducenarii quadraginta octo in cingulis habentur: numerus Centenariorum ducenti viri: Biarchi ducenti quinquaginta viri duntaxat: præterea Circitores trecenti: Equites quadringenti quinquaginta.* Hi quidem, quorum numerus est definitus, ad mille ducentos octo & quadraginta viros redacti sunt.

Senatores in Scholis sunt ut Decuriones in municipiis, *quos verberare, vel regradare Scholarum Comiti non licet*[4]*: sed ea quæ tali commotione digna sunt, ad Magistri Officiorum Notitiam referuntur.* Pro *commotione* in lege Theodosii[5], lego *commonitione.* Est enim commonitio, animadversio, castigatio. Plautus noster in *Sticho* Act. 1. Sc. 2. ℣. 6.

> *Jam quidem in suo quidque loco nisi erit mibi situm suppellectilis,*
> *Cùm ego revortar, vos monumentis commonefaciam bubulis.*

Agentes in rebus ad Ducenariam & Centenariam & Biarchiam labore unusquisque perveniebat, non suffragio: Principatum verò adipiscuntur, matricula decurrente[6]. Et expletis stipendiis, ad Ducenæ Principatum perveniunt[7]. Ducena & Centena dignitates sunt, de quibus nos alio loco; cùm Ducenarii & Centenarii in Officio sacrarum largitionum fuerint, non sub dispositione Magistri Officiorum, cui ceteri Agentes in rebus & Deputati ejusdem Scholæ obsequuntur.

Deputati, λειτουργοὶ, ἀφωρισμένοι, ministri separati & seorsum habiti. Dicitur etiam deputatus, καταταχθεὶς, vincens celeritate, ἀπομενηθεὶς, adsignatus, delegatus. Deputatos servos fuisse publicos lex testatur[8], quamvis deputati etiam Privatorum servi dicantur, qui alicui loco sunt assignati, quales in villis deputatos servos Q. Mutius definiebat[9]. Sed deputati Scholæ Agentium in rebus, milites sunt ex illorum Schola selecti, qui labore atque ordine ad cursum regendum, & curas agendas, Judicio Scholæ & ordinis merito diriguntur: ita ut illorum Principes Notitiæ nihil subtrahant, ex iis quæ geri in Rep. viderint[1]. Alii fuerunt Deputati, qui vulneratos in bello reficerent, quos, ut opinor, Valetudinarios Tarruntenus Paternus vocat lib. 1. *Militarium*[2]: hi nihil ad Scholam Agentium.

Difficile est, qualia fuerint Agentium in rebus munera, certò definire: hoc verò certum est, quòd eorum in rebus labores & vigiliæ tantæ fuerunt, ut soli efficere viderentur, quicquid publici oneris esset[3]. Quare plenum vigiliarum munus exercere dicuntur[4]. In illorum Schola nemo facilè sub annotatione quoque speciali Principis prorumpebat, nisi sub majore parte Scholæ, quisque advenisset, probatus esset, qualis sit moribus, unde domo, quam Officiorum originem ac sortem fateretur[5]. Hinc fortè Agentium in rebus Schola, *bonorum virorum Collegium* dicitur[6]. In eorum numero crescunt Comites secundi ordinis, Cubicularii Principis primi duntaxat loci, quos Tribunorum Urbicianorum petitio fecerit militare[7].

Agentium in rebus Schola Vicariam dignitatem adepta est[8], quos militiæ finis ad Principatus honorem adduxit. Illorum quosdam inferioris militiæ milites vocat Imperator, ut Palatinos, quibus ad Urbem accedere non licet, exceptis iis, quibus negotium aliquod aut munus fuerit injunctum[9].

Inferioris militiæ milites sunt Tirones, quorum inferior militia est inter Agentes in rebus. Sic infantes vel pueri, qui militare cœperunt, inter ultimos sterni jubentur[10]. Porrò Agentes in rebus quadam solemnitate solebant induci in Consistorium, ut aurum acciperent; inter alios *quidam ex illorum consortio, non ut moris est expansa chlamyde, sed utraque manu cavata suscepit. Tum Julianus Imp. Rapere, inquit, non accipere sciunt Agentes in rebus*, Ammianus Marcellinus *lib.* 16. Noverat Imperator cautus illorum rapacitatem & audaciam. Nam *pestilens genus frumentariorum remotum est*, ait Aurelius Victor in *Diocletiano*, „quorum Agentes in rebus simillimi sunt, qui cùm „ad explorandum & nuntiandum si fortè in Pro„vinciis motus exsisterent, instituti viderentur, „compositis nefariè criminationibus, injecto pas„sim metu, præcipuè remotissimo cuique, cun„cta fœdè diripiebant. Singulare illorum audaciæ exemplum Ammianus Marcel. refert *lib.* 16. *Agens in rebus*, ait, *in Hispania ad cœnam itidem invitatus, cùm inferentes vespertina lumina pueros exclamasse audisset ex usu, Vincamus......... solemne interpretatus*, (Lacunam sic expleo, ut pravè reponam) *delevit nobilem domum.*

CAP. XI.

De Principibus Agentium in rebus, Barbaricariis, Admissionalibus, & Cancellariis.

PRincipes, qui primi & præcipui Scholarum ad gubernanda Officia directi, varii fuerunt, de quibus nos suprà *lib.* 2. *cap.* 10. qui Principales Officiorum vocantur[11]. Hi etiam in Schola Agentium in rebus distincti. Quare utriusque C. tituli non de Principe, sed de Principibus Agentium in rebus concepti sunt. Fuit enim Principatus Ducenæ,

1 Novel. 29. 2 Ad tit. C. de Agentib. in reb. 3 L. 3. C. eod. 4 L. 3. C. de Offic. Magistr. Offic. 5 Novel. 29. 6 L. 1. C. de Offic. Mag. Offic. 7 L. 15. tit. 1. C. T. lib. 6. 8 L. fin. C. de servis fugit. 9 L. 3. 5. sed quod. D. de penu legat.

1 L. 4. C. T. de Curiosis. 2 L. fin. D. de jur. immunit. 3 Novel. Theod. 37. 4 L. 7. C. T. de privileg. eor. qui in sacr. Palat. 5 L. 4. C. T. de Agent. in reb. 6 L. 18. C. T. eod. 7 D. l. 18. 8 L. 22. C. eod. 9 L. 1. C. T. quib. militantib. ad Urb. 10 L. 14. C. T. de re militar. 11 L. 2. C. de sent. passis.

næ, fuit Centenæ & Biarchiæ[1]. Principes autem Agentium in rebus, ex eorum numero fuerunt, qui per annum integrum quaterni per ordinem Subadjuvarum sollicitudinem in unoquoque Scrinio Fabricarum & Barbaricariorum susceperunt[2]. Perperam in C. Justiniani scriptum, *Barbariorum*, censet Brissonius, quod postea expendemus.

In Notitia Imperii, sub dispositione Magistri Officiorum Orientis, & inter illius Officia sunt Subadjuvæ, Adjutores duo, Fabricarum tres, Barbaricariorum tres, ubi etiam scriptum, Barbariorum. Sunt Barbarii, vel Barbaricarii Phrygiones, quorum artis est, ex auro & coloratis filis, hominum formas & animalium in vestibus exprimere. Virgilius lib. 11. *Æneid.*

Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Hinc Barbarii & Barbaricarii vel Barbarici, unde & βαρβαρικὸν est armamentarium, in quo spolia & donaria belli pacisque à Barbaris accepta reponuntur.

Simocatta *Histor. Mauric.* lib. 5. cap 13. Ἐπιστολὴν δὲ Ἑλληνικοῖς γράμμασιν ἅμα τῷ κειμηλίῳ εἰς τὸ λεγόμενον βαρβαρικὸν παρεπέμπετο.

In Fabricis barbarica arma parabantur, quæ Julius Pollux *lib.* 9. *cap.* 7. περὶ τῶν βαρβαρικῶν ὅπλων, enumerat. Scuta & vestes nobiliorum militum, auro argentoque decorata à Barbaricis tegebantur. Hinc Virgilius lib. 9. *Æneid.*

Pictus acu chlamydem.

Et lib. 7.

——— *picti scuta Labici.*

Ad quem Servius: *Apud Veteres*, inquit, *picta erant scuta virorum fortium, Inertium contrà & Tyronum, pura.* Idem Poëta 9. *Æneid.*

——— ——— *parmaque inglorius alba.*

Qui Barbarorum exuvias in armamentario diligenter servatas docet 2. *Æneid.*

Barbarico postes auro spoliisque superbi
Procubuere.

Ab eo Barbaricum pro terra extranea accipitur. Decios Impp. utrosque in Barbarico interfectos narrat Eutropius *lib.* 9. cui adstipulatur Aurelius Victor in *Decio*: *Nam Decius pater in Barbarico, inter confusas turbas, gurgite paludis submersus est; filius verò bello exstinctus.*

Ex Subadjuvarum in Fabricis numero facti sunt Principes Agentium in rebus, quorum ea dignitas & auctoritas fuit, ut Principes Magisterianorum dicerentur; nam & Agentes in rebus, ex interpretatione Juliani, Magisteriani vocabantur[3]. Nullus verò Officialium in munus aliquod nisi Principe illo ordinante mittebatur[4]: cui licuit habere in Officio suo domesticos, sicut Præsidibus, Ducibus & Comitibus[5]. Completo ille tempore militiæ, Comitivæ primi ordinis cingulo in diem vitæ potiebatur[6], Proconsulibus æquatus, & in amplissimo ordine inter Consulares allectos habebatur[7]. Quòd *si Principatus sorte deposita*, (sic lego in C. T. non *fortè*) *forsitan Provinciæ gubernacula huic Principi Agentium non evenerint*,

1 L. 15. C. T. lib. 6. tit. 1. 2 L. 5. C. de Agentib. in reb. 3 Novel. 124. 4 L. 5. C. T. de Agentib. in reb. 5 L. 5. c. 6. de Adsessorib. 6 L. 6. C. de Agent. in reb. 7 L. 13. C. T. lib. 6. tit. 1.

par erit salutationis loco, his quidem qui Præsidatum gesserint, cedere; sed eos qui Rationales fuerint, prævenire[1].

Honorarii Principatus Officium impetrarunt hi, qui viginti quinque annorum militiam compleverunt[2]: si fortè ob adversam valetudinem militiæ finem exspectare non possint. Hoc tempus ad vicennium Honorius & Theodosius redegerunt, ex Scholæ adtestatione[3].

Sub dispositione Magistri Officiorum in Occidente sunt Admissionales, & Cancellarii. Admissionales in sacro Palatio militant.[4] Extra rationem Scriniorum alii sunt Admissionum Magistri, alii Admissionum Proximi, alii Admissionales. Horum munus erat, volentes adire Principem intromittere: quorum primus Magister dicebatur, qui honoratiores ad Principem introducebat. „Cùm „Silvanus ex Magisterio peditum, sollicitato ex„ercitu, ad Augustum culmen evectus esset, hac „mole inopini casus Constantius ictus. Primates „concilio, secunda vigilia, convocato propera„runt in regiam. Cúmque nulli ad eligendum „quid agi deberet mens suppetere posset, aut lin„gua: submissis verbis perstringebatur Vrsicini „mentio, qui paulò antè læsæ majestatis accusatus „& damnatus, & cujus sententia dilata. Per Ad„missionum Magistrum, qui mos est honoratior, „accito eo ingressoque Consistorium, offertur „purpura, &c. Ammianus Marcellinus *lib.* 15. De hoc Admissionum Magistro lex est Arcadii & Honorii[5]: *Vt nulla penitus functione vel glebatione Senatoria tum primùm ob dignitatem Vicariam fatigetur, sitque immunis à septem quoque solidorum præstatione, quæ tenuissimos Senatores solet obligare.*

Admissionis Officium à Claudii & Neronis temporibus institutum, Seneca docet lib. 6. *Benefic.* cap. 33. *Non sunt*, inquit, *isti amici, qui in primas & secundas Admissiones digeruntur.* Plinius de Claudii Libertis *lib.* 33. *cap.* 3. *Fuit & alia Claudii Principatu differentia in solis his, quibus admissionem ejus Liberti dedissent imaginem Principis in annulo ex auro gerendi, magna criminum occasione.* Corrigit Lipsius *ad Tacitum lib.* 6. *Annal. quibus Admissionum Liberti jus dedissent.* Judicet Lector: nec enim Admissionum Liberti hoc jus imaginum dare poterant: sed hi ad Principem accedentes, scrutabantur, & crimini dabant, si quem Principis imaginem in annulo gerentem offendissent.

Admissionum Proximum Ammianus Marcel. *lib.* 22. inducit: eratque is, ut Admissionales, Magistri Admissionum minister, qui vocabat & admittebat ad Principem venientes. Rectè Seneca lib. 1. *de Clementia* cap. 10. *Cohortem interioris admissionis* dixit: nam Admissionales alii intra Principis cubiculum, alii ad fores. De Alexandro Severo Lampridius in *Alexandro*, *Salutabatur quasi unus de Senatoribus, patente velo Admissionalibus remotis, aut solis iis Ministri ad fores fuerunt.*

Patens istud velum nos ad Cancellarios adducit. Principes enim in aditu primo vela, deinde cancellos habebant, qui vela servarent. De Theodorico Gotthorum Rege Sidonius *lib.* 1. *epistol.* 2. *Reliquum mane regni administrandi cura sibi deputat: circumsistit sellam Comes armiger, Pellitorum turba satellitum, ne absit, admittitur; ne obstrepet, eliminatur: sicque pro foribus immurmurat exclusa velis, inclusa cancellis.* Consistorii regii fores, ut ex Corippo Sirmondus notat, velis prætendebantur: proxi-

1 L. 2. C. T. lib. 9. tit. 1. de Princip. Agent. in reb. 2 L. 4. C. eod. 3 L. 19. C. T. de Agentib. in reb. 4 L. 3. & 7. C. T. de Privileg. eor. qui in sacr. Palat. 5 L. 12. C. T. lib. 2. tit. 1.

Proxima huic statio cancellis septa & clausa. Intra velum, hoc est, Consistorium ipsum, admissi Comites & participes consilii: Satellites inter cancellos & vela substitere. Vt igitur vela servabant Velarii, ita cancellos Cancellarii. De Velariis lapis Romæ, pag. 599. 7.

TI. CL. THALLVS
PRAEPOSITVS. VELARIORVM
DOMVS. AVGVSTANAE

Et lapis alius Neapoli, pag. ead. 8.

D. M.
L. FLAVI. AVG
LIB. PRIMIGENI
SVPRA. VELARIOS
DE. DOMV. AVG

Primigenium hîc pro Primicerio accipio.

CAP. XII.

De Fabricis & Fabricensibus.

FAbricenses, qui in Justiniani Novella Fabricensii dicuntur[1], sunt qui arma fabricant in publicis Officinis[2], φαυρικήσιοι. Cedreno οἱ τῶν ὅπλων δημιουργοί. Isidoro *lib.* 1. *cap.* 13. τεχνῖται τῶν ὅπλων. De his scripta Novella est ad Basilidem, Sacrorum Officiorum Magistrum[3], quæ varia armorum genera continet: Arcus, sagittas, spathas, enses, quæ vocare consueverunt Semispathia, & quæ vocantur Zabæ sive loricæ, contos, lanceas, & quæ apud Isauros nominantur monocopia, & appellatos Sitinnos, seu missilia, aspides, scuta, galeas seu cassides. Gladios Julianus vocat παραμήρια, & pro monocopiis scribit μονοκόντια, pro Sitinnis Zibynnos. Παραμήρια sunt arma femoralia & gladioli in femore penduli; Isidorus *lib.* 2. *cap.* 57. Paullus in *Historia Miscella* vertit παραμήριον pugionem, μονοκόντια: & Zibynni sunt Isaurica arma, lanceæ & missilia. Inter arma numerat Vlpianus frameas, id est, romphæas[4]: & Gloss. vet. framea est ῥομφαῖα. „Germani rari gladiis aut „majoribus lanceis utuntur: hastas vel ipsorum „vocabulo frameas gerunt, angusto & brevi ferro, „sed acri & ad usum habili. Eques quidem scuto „frameaque contentus est, ait Tacitus lib. *de morib. Germanor.* De aliis armorum generibus, ex Veterum Libris, tractat Agellius *lib.* 10. *cap.* 25. ad quem Lectorem remitto.

Inter Fabricenses Tarruntenus Paternus lib. 1. militarium[5], comprehendit Balistarios: Florentini Pandectæ legunt *Valistarios*, in quibus V. pro B. & è contrà, B. pro V. frequenter inveniuntur: Specularios fabros, sagittarios, Ærarios, bucularum structores, gladiatores, & Optionem fabricæ, quibus vacationem aliquam tribuit munerum graviorum conditio. Balistariorum ordo per diversas constitutus civitates, sola publica arma, in armamentis publicis cujusque civitatis recondita corrigit, & renovat. Specularios interpretor ex Novella 13. Theodosii & Valent. quâ Fabricenses constricti, nominationibus suis, sociorum actibus quandam speculam gerebant, quia unius damnum ad omnium transibat dispendium. Ærarii Budæo sunt χαλκεῖς excusores, buccularum structores; Turnebo lib. 9. *Adversar.* cap. 16. qui galeas faciunt, ex ea galearum parte, quæ buccula dicitur, imposito nomine à bucca; quòd ea pars galeæ circa os ad respirationem. Buccula, παραγναθὶς, buccæ γνάθοι: bucculæ à Barbaricariis auro & argento tegebantur[1].

Gladiatores non μονομάχοι, sed μαχαιροποιοί. Optio fabricæ, fabricis legionum, Scutariis & Loricariis custos præest, ut Turnebo videtur lib. 2. *Adversar.* cap. 13. Sed Paternus custodem armorum ab Optione separat, quem malo annonæ fabricensis erogatorem dicere. Optio enim annonam dividebat, ὃς ἐπεμέλειτο τὸ τῆς περὶ τὴν οἰκίαν δαπάνης, Ὀπτίωνα τοῦτον καλοῦσι, ait Procopius lib. 3. *de Bello Vandal.* Fabricenses enim annonam à fisco accipiebant[2].

Habuerunt Fabricenses Deputatos, Chartularios, Protectores, Tribunos. Deputati à Juliano statuti numerorum dicuntur, qui numeri cujusque militum arma procurabant; nec operabantur in fabricis, sed solam diligentiam habebant armorum militum in numero constitutorum periculo quinque inter eos Primatum. Hi alii sunt à servis, qui fabricis sunt deputati[3]. Chartularii Scrinii fabricæ ab eodem Juliano vocantur Scriniarii, qui ad Inquisitionem privatorum, qui arma faciunt, depositiones à Magistratibus, & Defensoribus, & Patribus civitatum accipiebant; quòd nemini privato concederent arma facere. Atque hos armorum custodes intelligo, quòd hujusmodi armorum custodiæ præessent[4].

Primicerium Fabricenses habuerunt; ut omnia Corpora, & Protectores fabricæ: & Primicerius post biennium inter Protectores fabricæ jus habet adorandi purpuram[5]. Quodnam fuerit munus hujus Protectoris non ita clarum est: nam Protectores varii fuerunt: Alii Principis, de quibus nos suprà: Alii in acie, qui πριμοσκουτάριοι, ὑπερασπισταὶ, οἱ νῦν λεγόμενοι Προτίκτορες, Gloss. Basilicæ. Hac Veterani Protectorum dignitate cumulati sunt[6]. Fuerunt etiam Protectores fori venalium[7]: Protectores & Comitenses, & Ripenses[8], Protectores & Notarii in veteri lapide, pag. 626. 8.

BRVTIAE. AVRELIANAE. CN. FILIAE
NEPTI. GALLICANI. CONS. ORDINARI. OB. MERITA. HONESTATIS. ET.
CONCORDIAE. CONIVGALIS. L. VITALIS. V. C. PROTECTOR. ET. NOTARIVS. VXORI

In alio lapide legitur Protector Ducenarius, pag. 531. 2.

D. M.
ET. MEMORIAE. ATTINIAE
TIBERIAE. AVRELIVS. ROMANVS
PROTECTOR. DVCENARIVS
CONIVGI. INCOMPARABILI

Protectores autem fabricæ eos puto, quibus fabricæ initio commissa est[9], qui Tribunatus dignitatem assequebantur[10]. Post dignitatem Protectoris atque Tribuni, Gratianus Comes præfuit rei Castrensi per Africam, Ammianus Marcellinus *lib.* 30. & Quæstor Galli Cæsaris Tribunos fabricarum insimulavit, promittentes armorum, si novæ res agitari cœpissent, idem *lib.* 14. Hi Tribuni præpositi fabricæ, quorum unum Valentinianus oblato thorace polito fabrerrimè, præmiumque ideo exspectantem, ea re præcepit occidi, quòd pondus paulò minus habuit species ærea*, quàm ille formaverat, idem *lib.* 29. Fabri-

1 Novel. 85. 2 D. l. 32. C. de Decurionib. & fil. cor. 3 Novel. 85. 4 L. 3. §. arma. D. de vi & vi armat. 5 L. fin. D. de jur. immunit.

1 L. 1. C. de Fabricensib. 2 Novel. 85. 3 L. fin. C. de serv. fugitiv. 4 L. 3. C. de Fabricensib. 5 L. 2. C. eod. 6 L. 2. de Veteran. 7 L. 10. C. T. de erogat. milit. annon. 8 L. 4. C. de Veteran. 9 L. 27. C. T. de erog. milit. annon. 10 L. 1. C. de Domestic. & Protectorib.

* In Edit. legitur *ferrea*.

Fabricensium Collegio nullus cooptatur, qui Curiali conditione liber non sit; id est, docuerit se non avo, non patre Curiali genitum, nihil se ordini civitatis debere, nullique se civico muneri obnoxium[1]. Quòd si quis Fabricensis originem Curialem & propriæ civitatis munera declinarit, suo ordini restituitur[2]. Fabricensium verò stigmata, hoc est, nota publica, brachiis infligebantur, ad imitationem Tironum[3]. *Tirones puncturis in cute punctis, milites scribebantur, & matriculis inserebantur*, Vegetius *lib.* 2. *cap.* 5. Puncturas punctas apud Vegetium non rejicio; alii emendant, *victuris puncturis*, quod non improbo.

Inter cetera Fabricensium privilegia hoc unum fuit; *Ut si quis eorum sine liberis, vel legitimo herede intestatus decessisset, bona ejus iis deferrentur, qui velut creatores attinentur*, (ita legit Contius, & in vulgatis malè scriptum, *creditores*) *ut Fabricenses Collegarum suorum solatiis perfruantur*[4]. Contio assentitur Cujacius: nam nominare idem est ac creare. Hinc in Pandectis Florentinis: „Si co „tempore, quo quis nominatus est idoneus, po„stea lapsus facultatibus, damnum debitis Reipu„blicæ dederit: quia fortuitos casus nullum hu„manum consilium providere potest, Creator hoc „nomine nihil præstare debet[5]. Perperam in vulgatis, *Procuratores*. Creatores ergo sunt Nominatores, ὃς ἂν χειροτονῆται, in Basilicis. Nollem tamen cum Cujacio *creaturæ* verbum reponere in lege 1. C. quemadmodum civilia munera indicuntur. „Cùm „te, *ait Imperator*, Curatorem, ad cogendas an„garias creatum, appellationem interposueris: „Præses Provinciæ, si alterius curiæ te esse ani„madverterit, ad alieni Corporis munera vocari non „sinet. Aperta lectio, & pro *curiæ* supponi *creaturæ* nullo modo placet. Hoc autem privilegium concessum est, quòd Fabricenses suis creationibus, seu nominationibus, constricti sunt, & qui inter eos suscipitur, totius Corporis nominatione suscipitur. Quare quod ab uno delinquitur, totum Corpus Fabricensium resarcire compellitur[6].

Fabricæ in Illyrico sunt quinque, sub dispositione Magistri Officiorum: Sirmiensis, Scutorum, Balistarum, & Armorum: Acincensis, Scutaria: Cornutensis, Scutaria: Lauriacensis, Scutaria: Salonitana, Armorum[7]: Illyricum duplex fuit, unum in Oriente, alterum in Occidente. Quæ sub Præfecti Præt. Italiæ potestate Diœceses Illyrici fuerunt, in illis Fabricæ sub dispositione Magistri Officiorum Occidentis fuerunt. Prima Fabrica Sirmiensis: Sirmii frequens mentio in utroque Cod. quæ fuit Illyrici metropolis, ubi Palatium & Curia Principum. Herodianus de Maximino *lib.* 7. Ἐπανῆλθεν εἰς Παίονας, ἔν τε τῇ Σιρμίῳ διατρίβων, τῇ μεγίστῃ ἐκεῖ πόλει δοκούσῃ, καὶ πρὸς τὴν εἴσοδον εἰς τὸ ἔαρ παρεσκευάζετο: *In Pannoniam reversus est, intraque urbem Sirmium, quæ maxima omnium ejus regionis habetur, in hibernis agens ad vernam sese expeditionem comparabat.* De Sirmii Palatio & Curia Ammianus Marcel. *lib.* 30. *Apud Sirmium*, inquit, *repentino fragore nubium, fulmen excussum Palatii & Curiæ partem incendit & fori.* Secunda Fabrica est Acincensis: Acincum urbs Illyrici. Tertia Cornutensis in Notitia, lego, *Carnutensis*. Carnutum enim est Illyricorum oppidum, Ammianus Marcellinus *eod. lib.* & apud Carnutum agens Imperator per continuos tres menses æstivos arma parabat. Cornutos & Braccatos milites usu præliorum diuturno firmatos invenio: sed non Illyricos, idem *lib.* 16. Erant enim bracchæ, vel braccæ, tegmen Gallorum. Lauriacensis à Lauriaco, de quo Ammianus Marcel. *lib.* 31. Salonitana Fabrica, ab urbe Saloniana, quæ civitas est mediterranea Illyridis Liburniæ, Ptolom. tab. 5. *Europ.*

Fabricæ ceteræ in Italia hæ sunt: Concordiensis, Sagittaria: Veronensis, Scutorum & Armorum: Mantuana, Loricaria: Cremonensis, Scutaria: Ticinensis, Arcuaria: Lucensis, Spatharia. In Galliis Argentoratensis, Armorum omnium: Matisconensis, Sagittaria: Augustodunensis, Loricaria: Suessionensis, Scutaria, Balistaria, & Clibanaria: Remensis, Spatharia: Triberorum, Scutaria: Triberorum, Balistaria: Ambianensis, Spatharia & Scutaria. Harum Fabricarum ut urbium nomina nota sunt. Inter eas Suessionensis, Scutaria, Balistaria, & Clibanaria: Κλιβανάριοι ὁλοσίδηροι. Κλίβανα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσι, ἀντὶ τοῦ καλαμῆνα, Gloss. Basilic. Clibanarios optimè describit Ammianus Marcel. *lib.* 16. *Sparsi*, inquit, *Cataphracti Equites, quos Clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus, & limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulachra, non viros: quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus ambiebant, per omnia membra diducti.* Nazarius, in *Panegyrico Constantini*, de iisdem Clibanariis: *Quæ enim*, inquit, *illa fuisse dicitur species, quàm atrox visu, quàm formidolosa? operimento ferrei equi atque homines pariter obsepti. Clibanariis in exercitu nomen est. Supernè omnibus tectis equorum pectoribus, demissa lorica, & crurum tenus pendens, sine impedimento, gressus à noxa vulneris vendicabat.*

Cataphractos tamen Equites à Clibanariis differre aliquantulùm ex Livio conjicio. Ille enim *lib.* 35. & 37. *Loricatos*, ait, *quos Cataphractos vocant, ipsi quidem sunt ferro muniti, & equos similiter munitos habent.* De his Sallustius: *Equis paria operimenta erant, quæ linteo ferreis laminis in modum plumæ adnexuerant.* Quem locum citat Servius *ad* 11. *Æneid.* cui pluma est in armatura, ubi lorica in laminam se indit. Pro linteo pellem Virgilius posuit, & pro laminis æreis, æneas squammas, *eod. lib.* 11.

Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis
In plumam squammis auro conserta tegebat.

Sed Clibanarii Cataphractorum nomen sibi vendicarunt, quamvis Cataphractos Equos ab insidentibus Clibanariis Vegetius separare videatur, *Bini*, inquit *lib.* 3. *cap.* 24. *Cataphracti Equi jungebantur ad currum, quibus insidentes Clibanarii, sarissas, hoc est, longissimos contos, in Elephantos dirigebant: demissa lorica & crurum tenus pendens. Equi tegebantur.*

Fabrica loricaria fuit Augustodunensis. Loricæ tantùm pectora tegebant: nam tergo nullus erat metus. Clibanarii toto corpore ferreo thorace contecti, tergo ut pectore armati pugnabant. Sub Magistro Officiorum in Oriente fuit Schola Scutariorum Clibanariorum: fuere Mensores & Lampadarii: Fabricæ in Oriente & ceteris Provinciis quindecim, quæ tres Clibanarias habuerunt, nullam loricariam. Signorum fabricam in antiquis lapidibus lego, pag. 624. 5:

VIRIAE. ACTAE. AMPLIATVS
QVI. FABRICAE. SIGNORVM
PRAEFVIT

Quî fit ut fabricam signorum militarium, ut Aquilæ, Labari, Draconis & similium, sub dispositione Ducis exercitus fuisse putem, & in ipsis castris has fabricas constructas.

Mensores sub Magistro Officiorum Orientis fuerunt. Hi sunt ex Ministerianis, qui Principi hospi-

1 L. 4. C. de Fabricensib. &. l. 32. C. de Decurionib. & fil. eor. 2 L. 8. C. T. de Decurionib. 3 L. 3. C. de Fabricensib. 4 L. 5. C. de hereditat. Decurion. 5 L. 2. §. si eo. D. de administr. re ad Civit. pertinent. 6 D. l. 5. 7 Notit. Imper.

hospitia parant & militi[1]. Deputatas singulis quibusque domus enotabant, & postibus hospitaturi nomen adscribebant[2]. Habuerunt illi suum Primicerium, qui adinstar Scriniorum, biennio expleto, Agentis in rebus ultimi militiam sortiebatur[3].

Lampadarii quoque qui inter Apparitores numerantur, & in Notitia Scrinii libellorum continentur[4], Primicerium suum habuerunt[5]. Faces Imperatori præferebant corollis auratis geminis præcinctas, αἱ λαμπάδες μὲν τῶν Βασιλέων διττοῖς περιχρύσοις περιζώννυντο στεφανώμασι, Balsamon *de privileg. Patriarch.*

CAP. XIII.

De Officiis seu Officialibus Magistri Officiorum.

OFficium Illustris viri Magistri Officiorum est de Schola Agentium in rebus. Officium est λειτουργία, τάξις, ministerium publicum, comitatus & multitudo hominum, qui apparent, dantque operam Magistratui: τάξις est apparitio. Officiales igitur, qui Officii causâ Magistratui præstò sunt, Apparitores dicuntur, & Officium pro Apparitione plurimùm ponitur. Sic *Officiales Dominis Patronis & Præsidibus adhærentes* dixit Tertullianus lib. *de Idololatr.* cap. 17. & *Christum præfecisse Paracletum, quem emisit, cum Officio & comitatu Angelorum.* Vbi B. Rhenanus: Officium cœtus est eorum qui Magistratui inserviunt.

De Adjutore, Subadjuvis, & Fabricis nihil iterandum. De Curiosis & cursu publico sine incuria quærendum est. Curiosi, qui & Curagendarii, sunt qui labore atque ordine ad cursum regendum, & curas agendas judicio Scholæ, & ordinis merito diriguntur[6]. Hi cursus publici Præpositi dicuntur[7]: quorum præcipuum munus in curis agendis, & evectionibus publici cursus inspiciendis occupatur. Vnde curarum jus atque arbitrium, Curiosi Officium vocatur[8]. Curam agere, est cum animi quadam sollicitudine providere, & pervigilem diligentiam adhibere. Sic *Prætor curam agere* dicitur *reprimendæ improbitatis*[9]: & Curiosi crimina Judicibus denuntiabant, qui Speculatores à Suetonio dicuntur in *Augusto* cap. 27. πολυπράγμονες. Plautus noster in *Sticho* Act. 1. Sc. 3. ℣. 44.

Sed Curiosi sunt hîc complures mali,
Alienas res qui curant studio maximo.

Tertullianus in *Apologetico* cap. 5. *Hadrianum Principem curiositatum omnium exploratorem, Christianis infestum non fuisse prodit.* Quod frustra è Paulo Diacono Pamelius interpretatur, ex litterarum & artium varietate, quâ Princeps ille ornatus & peritus fuit. Hadrianus enim, teste Spartiano in *ejus Vita*, erat curiosus non solùm domus suæ, sed etiam amicorum: ita ut per Frumentarios omnia exploraret. Idem Tertullianus lib. *de fuga in persecutione* cap. 13. „Nescio dolendum, an „erubescendum sit, cùm in Matricibus beneficio„rum & Curiosorum, inter tabernarios & lanios, „& fures balnearum, & aleones, & lenones, „Christiani quoque Vectigales continentur. Pro *beneficiorum*, lego *Beneficiariorum.* Nam Beneficiarii in cursus exhibitione navabant operam, & exploratores erant. Alio sensu in Gloss. Basilic. Βενεφικιάλιοι οἱ ἐπὶ θεραπείᾳ βετεράνων τεταγμένοι. Vbi malè scriptum μετεράνων.

1 L. 1. C. T. de metatis. 2 L. 4. C. T. eod. 3 L. 1. C. T. de mensorib. 4 L. fin. C. de divers. Offic. 5 Novel. Theodos. 36. 6 L. 4. C. T. de Curiosis. 7 L. 9. C. T. eod. 8 L. 1. C. T. ne Præfectian. exactorve Curios. 9 L. 3. §. ex hoc. D. Naut. Caup. Stabul.

A Illi matriculas, quas matrices vocat Tertullianus, tractabant eorum, quos Vectigales tradit. Et fortè Curiosi nomen, pro Magisteriano usurpavit: nam ex Magisterianis sive Agentibus in rebus erant Curiosi & Magisteriani in vectigalium solutione occupati. Textus Βασιλικῶν *lib.* 7. *tit.* 4. *cap.* 6. Ἵνα μηδὲ τοῖς Μαγιστριανοῖς, μηδὲ τοῖς ἐπαρχικοῖς, μηδὲ ἄλλῳ οἱῳδήποτε ἐκβιβαστῇ συγχωρῶσι, πλέον τι παρ' οἱουδήποτε προσώπου συνηθειῶν ὀνόματι λαμβάνειν, τῶν τοῖς ἡμετέροις διηγορευμένων νόμοις. *Vt neque Magisterianis, neque Præfectianis, nec alii cuiquam exsecutori permittant, ampliùs aliquid*
B *à quacunque persona nomine consuetudinum, legibus nostris sancitarum, accipere.* De Frumentariis nos hactenus, de quibus D. Cyprianus *epistol.* 83. *Cùm ad nos perlatum esset*, inquit, *Frumentarios esse missos, qui me Vticam perducerent*, &c. Et Dionysius Episcopus, Epistola ad Germanum: *Cùm Sabinus id temporis ad me perquirendum Frumentarium misisset*, Σαβῖνος αὐτῆς ὥρας Φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου, Eusebius *Hist. Eccles.* lib. 6. cap. 33. Frumentarii fuerunt iidem & Commentarienses ex veteri lapide Lugduni, pag. 33. 7.

C DEO. INVICTO. AVR. SECVNDINVS
DONATVS. FRVMENTAR. ET
COMMENT.

De his plura Baronius Cardinalis ad Ann. Christi 261. num. 17. Alii fuerunt Frumentarii, quos Tacitus *Frumentatores* vocat lib. 4. *Histor.* qui frumentum advehebant ad exercitum, & quorum fuit frumentum exportare: ut Tribuni, frumentum probare & mensuræ fraudem coërcere[1]. Quod munus ad priores Frumentarios, qui & Commentarienses, & exploratores, trahendum non est,
D quibus remotis Agentes in rebus simillimos facit Aurelius Victor in *Diocletiano*, id est, Curiosos, qui sunt ex Schola Agentium in rebus.

CAP. XIV.

De Cursu publico, Angariis & Parangariis.

CUrsus publici sollicitudinem sustinent Curiosi. Cursus autem ab Imp. Trajano institutus est, ut ocyùs nosceretur, quæ ubique è Republica
E gerebantur. *Quod quidem munus*, ait Aurelius Victor in *Trajano*, *in pestem Orbis Romani vertit posteriorum avaritia, insolentiaque.* Augustum tamen cursus publici auctorem facit Suetonius in *Augusto* cap. 49. qui, ut celeriùs ac sub manum annuntiari cognoscique posset, quid in Provincia quaque gereretur, juvenes primò modicis intervallis, per militares vias, dehinc vehicula disposuit. Hinc vehicularis cursus, qui vehiculo primùm conficiebatur. Vehicularium cursum summâ diligentiâ Antoninus Pius sublevasse dicitur, Capitolinus in *ejus Vita*: & Severus cùm se vellet commendare hominibus, vehicularium munus à privatis ad fi-
F scum traduxit, Spartianus in *Severo.* Quod est, fisci pecuniâ equis dispositis & vehiculis, accitos ad se, aut in Provincias missos sumtuum molestiâ levavit. Sicque publicâ pecuniâ vehiculis & equis dispositis, iter ad Principem parabatur, nec tamen Provincialibus ullo modo consultum: nam res vehicularis patrimonii munus fuit[2]: & Provinciales vehicula præstare coacti, & agminales equos, Angarias & veredos[3]. Quæ munera publicæ utilitatis gra-

1 L. officium. §. fin. D. de re milit. 2 L. 1. D. de muncrib. & honorib. 3 L. fin. §. patrimoniorum, D. eod.

gratiâ indici dicuntur[1], ut intributiones quæ in possessionibus fiunt[2]. Intributiones tamen agris vel ædificiis eorumque possessoribus indicuntur; munera verò quæ Patrimoniorum habentur, non aliis quàm municipibus vel incolis. Sed vehiculorum præstationes licèt Patrimonii munus sint, ut agminales equi, mulæ, angariæ, veredi, & hujusmodi obsequia; hi qui neque municipes, neque incolæ sunt, ea agnoscere coguntur[3]. Quin Operarum & Artificum, Paraveredorum & Parangariorum præbitioni sunt eodem jure obstricti.

Agminales equos Budæus intelligit ταγματικοὺς, qui agmen exercitus sequuntur, ad convehenda impedimenta; nobis *Chevaux de charge & de bagage.* Paraveredos Cujacius putat equos majores, quos posterior ætas parafredos. At angariæ sunt jumentorum & plaustrorum Præbitiones, vel equi celeres, seu cursuales. Gloss. vet. Veredi, πῶλοι, pulli equini vel asinini, à quibus & parangariis nullus excusatur[4].

Alia autem est angariarum significatio: nam est & angaria transitus per viam publicam, quæ & cursum habet; parangaria transitus per viam transversam: Καὶ ἔστιν ἀγγαρεία μὲν ἡ πάροδος ἡ διὰ τῆς δημοσίας ὁδοῦ, τῆς καὶ δρόμον ἐχούσης· παραγγαρεία δὲ, ἡ διὰ τῆς πλαγίας ὁδοῦ, *Basilic.* lib. 56. tit. 18. cap. 11. Quas hujusmodi vias, quæ itinerum translationes dicuntur[5], prædiorum possessores tenentur omnes Provinciales præstare, cùm ad expeditionem Imperator per loca, quà iter arripit, proficiscitur[6]. Vt in translatione armorum, angariæ necessariæ sunt, quæ etiam Provinciales debent[7]. Debent præterea solita ministeria exhibere, id est, equos, mulas, boves, asinos, operas, artifices, rotas, paraveredos: etenim ad cursum publicum bobus & mulis & asinis utebantur[8]. Hinc proficiscente Vicario, triginta asini, veredi decem tantummodo movebantur.

Notat Cujacius[9] ex Eginharto, Carolum Magnum iter fecisse carpento, junctis bobus, & bubulco rustico more agente.

Operæ & artifices angariarum appellatione continentur, & inter extraordinaria munera numerantur[10], ut paraveredi & parangariæ[11]. Et rectè veredariæ functionis necessitas vocatur[12]: sunt enim præstationes, à quibus nullus excusatur; quas ideo *inexcusabilia onera* Vlpianus nominat[13].

Hæc inter onera naves etiam comprehenduntur, quas angariari posse rescriptum est[14]. Sidonius Apollinaris: *Cursus publicus*, inquit *lib.* 1. *epistol.* 5. *egresso mihi, usui fuit, utpotè sacris apicibus accito.* Deinde adjicit, *Ticini cursoriam adscendi.* Cursus enim publicus, ut observat Sirmondus, non equis tantùm vehiculisque stetit, sed navigiis & dromonibus, per flumina, lacus, sinus, ut res tulit, distributis. Dromonarii remiges erant cursoriarum navium, quæ δρόμωνες, expediti cursus navigia, huic rei destinata. Ideo Curiosi ad littora portusque transmittebantur, commonitoriis competentibus atque mandatis instructi[15].

Angariæ porrò neque Græcum neque Latinum verbum est, quod à Persis originem traxit, apud quos publici nuntii & cursores Angari appellantur.

1 L. 2. C. de munerib. Patrimon. 2 L. rescripto. §. fin. D. de munerib. & honorib. 3 L. fin. §. patrimon. D. eod. 4 L. 64. C. T. de Curs. publico. & l. 11. C. de sacrosanct. Eccles. 5 L. 10. C. T. de extraord. munerib. 6 D. l. 11. C. de sacrosanct. Eccles. 7 L. 7. C. de Fabricensib. 8 L. 1. & 8. C. de Curs. publico. 9 Ad tit. de Curs. publico. 10 L. 4. C. T. de extraord. munerib. 11 L. 15. C. T. eod. 12 L. 8. C. de Cohortalib. Princip. & Cornicul. 13 L. fideicommissum. §. tractus. D. de judiciis. 14 L. viæ. D. de Veteranis. 15 L. 10. C. T. de Curiosis.

A tur. Ἄγγαρες σημαίνει καὶ τοὺς ἐκ διαδοχῆς βασιλικοὺς γραμματοφόρους, Hesychius. Diximus angarias Patrimonii munus esse, in quo Auctores Juris à se dissentire videntur: qui equorum productionem, & si qua alia animalia necessariò producenda sunt, vel res pervehendas, imò & angariarum præbitionem inter personalia munera recensent[1]. Unde angariarum præstationem militi & liberalium artium Professoribus inter cetera remissam produnt[2]. Quin & Clerici, ex Principum Rescripto, ad parangariam præstationem non vocantur, ut nec eorum facultates atque substantiæ[3]: cùm Pontifex ab angariis non excusetur[4].

B Rursum ex nova Frederici Constitutione, angarias & parangarias nulla Communitas, vel persona publica, Ecclesiasticis personis imponere potest[5]. Pugnantia hæc quæ videntur, facilè conciliari possunt, si ad primam angariarum significationem revertamur, quam ex Basilicis depromsimus: nam illa quidem angaria Patrimonii munus est, à qua nec domus ipsa regia tempore expeditionis excusationem habet[6]. At Cursus vehicularis, & angariarum, quæ ad illum pertinent, præstatio, ceterorumque sollicitudo personale munus est, à quo Clerici multique alii vacationem
C habent: ut Cubicularii, Silentiarii, & Decuriones eorum, ceterique hujus conditionis, ne extraordinariis & sordidis muneribus adstricti, decus ministerii amittant[7]. Quod est, ne in hac functione occupati, quæsitæ dignitati officiant. Quare rectè Arcadius rem vehicularem, quæ Patrimonii munus est, ab hac cursus vehicularis sollicitudine separavit[8].

Etenim sollicitudo Cursus publici, seu exhibitio, secundùm locorum consuetudinem, Curialibus vel Cohortalibus commmittitur, vel aliis ex electione Præfecti Præt. sub idoneis fidejussoribus[9]: *Ex antiqua consuetudine exhibitio illa inducta*
D (lego, *indicta*) *Curialibus viritim per Curias, debet pensata locorum, hominum, facultatum qualitate, distribui*[10]. Hinc Stabularii cursus procuratio[11], Mancipes cursus publici[12], Mancipatus functio, cura, munus, Mancipum Officia, Mancipes mutationum, qui curam habent mansionum, equorum & locorum, qui & Præpositi vocantur, & publico cursui nomine aliquo præsunt[13].

Mancipes non publicani aut conductores hîc intelligendi sunt, cùm *Manceps dictus sit quòd manu capiatur* Festo Pompejo. Quod parùm advertens Scaliger, rectam lectionem corrupit, dum
E legit, *quòd manu capiat*, & ita reponendum censet. Nam & Mancipes dicti, ut in cursu publico, qui manu capiuntur, coguntur, & alicui Officio sunt mancipati. Mancipum verò non ab ordine, nec à Magistratibus accipienda videntur obsequia, sed ab Officio Proconsulari, qui missione donatur, vel ex aliis Officiis, quos idoneos atque emeritos esse constiterit. *Non enim*, ajunt Imperatores, *improbabilis hæc dispositio est, cùm & in Cubiculariis regionibus hæc consuetudo servetur*[14]. In hisce Cubiculariis regionibus cuilibet, ut mihi, errare facile est,

——— ——— namque avia cursu
F *Dum sequor, & nota excedo regione viarum,*
Mens confusa mihi est[15].

1 L. fin. D. de munerib. & honorib. 2 L. ab his. D. de vacat. muner. 3 L. 2. §. ad parangariam. C. de Episcop. & Cleric. 4 D. l. fin. D. de munerib. & honorib. 5 Constit. Frederic. C. de Episcop. & Cleric. 6 L. 21. C. de Curs. publico. 7 L. 2. C. de Præposit. sacr. Cubicul. & l. 3. C. de Silentiar. & Decurionib. &c. 8 L. fin. D. de munerib. & honorib. 9 L. 14. C. de Curs. publico. 10 L. 51. C. T. eod. 11 L. 23. C. T. eod. 12 L. 36. eod. 13 L. 35. C. T. eod. 14 L. 34. C. T. eod. 15 Virgil. 2. Æneid.

Angusta enim & lubrica via, per Cubicularias regiones, à qua ita deflecto, ut legam per *Suburbicarias regiones*: nulla enim usquam fuit Cubicularia regio, & Cubicularii à paraveredorum & angariarum præstatione immunes sunt[1]: nec illis paraveredorum aut parangariarum exsecutio mandatur[2]. At Suburbicariæ regiones, seu partes quæ dicuntur, equorum exactioni subjectæ sunt.

Mancipes autem per stationes singulas collocabantur[3], habueruntque Apparitores seu Stationarios[4], per lustrale tempus: nam quinquennii tempus implere cogebantur[5], iique Mancipes locorum dicti sunt[6]. Cum iis Procuratores Clabularii per singulas mansiones locabantur[7], quos custodes publici cursus non malè dixerimus[8], vel Curatores ad cogendas angarias[9]. Ab hac cura Clerici liberi, qui non accipiunt mancipatum[10].

Sunt alia Cursus publici onera, quæ Provinciales sustinebant: fuerunt enim Cursus publici Protectores, fuerunt Munifices, inter eos, qui cursui publico præsunt, & Veredarii fuerunt vehiculorum Præfecti, Tabularii à Commentariis vehiculorum. Munifex ex Charisio est tanquam opifex & artifex, qui munere fungitur. Vnde fortè munifica prædia[11] huic oneri obnoxia. Veredarii sunt, qui Principis litteras celeri cursu perferebant. Ennodius *lib. 7. epist. 28. quantùm in festinatione Veredarii potui scripsi.*

Protectores qui videbant, si quid ultra mensuram Redæ, Angariæ, aut Veredo imponeretur[12]. Reda mille pondo subvectabat, Angariæ mille quingenta, Veredi triginta, Carrus sexcenta[13]. Ex quo notamus Angariarum nomine & viam, & equos, & vehicula significari. De Præfecto Inscriptiones antiquæ, pag. 454. 3.

Q. PLOTIO. MAXIMO. PROC. AVG
PROMAGISTRO. HEREDITATIVM
PRAEF. VEHICVLORVM. QQ

Singulares litteræ, QQ, *quingennalem* denotant. Alia est Inscriptio Messanæ in Sicilia, pag. 373. 4.

L. BAEBIVS. L. F. PRAEF. FABR
PRAEF. COHOR. IIII. RAETORVM
PRAEF. VEHICVLORVM

Hunc quidem Præfectum non ad vehicula cursus publici, sed ad vehicula Castrorum retrahendum puto. Fuit & Tabularius à vehiculis ex veteri lapide Romæ, pag. 592. 3.

T. FLAVIO. AVG. LIB
SATVRNINO. TABVLARIO
A. VEHICVLIS

Fuit & à Commentariis vehiculorum. Lapis alius, pag. 592. 4.

M. VLPIVS. AVG. LIB. CRESCENS
AB. VEHICVLIS. ET. M. VLPIVS
AVG. LIB. SATVRNINVS. FILIVS
A. COMMENTARIIS. VEHICVLORVM

Titulus Βασιλικῶν *lib. 58. tit. 17.* sic conceptus est: Περὶ τοῦ δημοσίου δρόμου καὶ τῶν τοῖς Κοντούροις χρωμένων: *De cursu publico, & iis qui Conturis utuntur.* Κόντουρος de equis usurpatur, cujus compositum est, ἱπποκόντουρος, Veredarius equus, qui Suidæ βερίδος ἱπποκόντουρος.

Provinciales præterea aliis sumtibus vexati sunt: nam & eorum impensis stabula parabantur[1], & ab his singulos solidos, per singulas Redas, quas quadrigas vel flagella appellant, percipiebant Agentes in rebus, id est, Curiosi qui cursum publicum regebant[2]. Flagellum pro Reda, alibi me legere non memini.

CAP. XV.

De Cursu Clabulari, Evectionibus, Tractoriis, Stativis, & Canalibus publicis.

CLabularis cursus dictus à Clabula vehiculi genere, ὀξύμωρος, celer & velox cursus, cujus potestatem nemo habuit, excepto Præfecto Prætorio[3]. De Tauro Præfecto Præt. cùm adventum Juliani Imp. fugeret, narrat Ammianus Marcellinus *lib. 21.* illum *maturè discessisse, vectumque mutatione celeri cursus publici*: quod interpretor, Clabulari cursu. Ob tres tamen causas Clabularis cursus permissus est: si transirent milites, si legati, si arma transferrentur[4]. Quibus ex causis soli Præfecti Præt. evectiones faciunt, & ex arca eorum sumitur, quod animalium locatoribus pro mercede dari solet. Quare cùm Petulantes numeri, in Gallia, motus adversùs Julianum Principem excitarent, eos ad Orientem proficisci cum familia præcepit, Clabularis cursus facultate permissa, Ammianus Marcellinus *lib. 20.* Hoc Clabulari cursu, aut vehiculari, aliove, nullus uti poterat sine evectione.

Sunt Evectiones, ut jam attigimus, diplomata seu codicilli, quibus facultas utendi cursu publico conceditur, quæ & Synthemata, Tractoriæ, Evocatoriæ, & Combinæ dicuntur. Faciundæ evectionis copia Principi & Præfecti Præt. reservata est, ex Gratiani & Valentin. Constitutione[5]. Quod tamen Magistro Officiorum ab iisdem Principibus permissum est[6]. Præfecto etiam Urbis evectionis arbitrium tributum est, sed in publicis tantùm causis[7]. Vnde cùm missum esset à Mediolano ad Præfectum Vrbi, ut illi civitati Magister Rhetoricæ provideretur: impetrata evectione publica, D. Augustinus se ad Imperatorem profectum testatur, lib. 5. *Confession.* cap. 13. At cùm Florentinus Præfectus Vrbi propria relatione, duorum Veredorum evectiones signasset, facti veniam indulserunt Imperatores; sed nihil tale posthac nec usurpari voluerunt, nec licere[8].

Evectionum faciendarum licentia omnibus aliis denegata, & Magistris militum[9], & Duci Armeniæ[10], & Vicariis, & Comitibus Ægyptiaci limitis, & omnibus omnino aliis Judicibus, sive civilibus, sive militaribus[11], nisi ad suggestionem Comitis atque eorum qui largitionibus præsunt, inferendæ sint species largitionalium. Tunc enim Rectores Provinciarum, si Vicarius abesset, competentes evectiones facere debent[12]. Consules etiam aliquando evectiones dederunt, ex Principis auctoritate, non sua. Exemplum hujusmodi evectionis

1 L. 2. C. de Præposit. sacr. Cubic. 2 L. 15. C. T. de contra ordin. munerib. 3 L. 65. C. T. de Curs. publico. 4 L. 18. C. eod. 5 L. 36. C. T. eod. 6 L. 24. C. T. eod. 7 L. 23. C. T. eod. 8 L. 2. C. eod. 9 L. 1. C. quemad. Civil. muner. 10 L. 46. C. T. eod. 11 L. 31. C. T. de Annon. & Trib. 12 L. 30. C. T. de Curs. pub. 13 L. 28. & 41. C. T. eod.

1 L. 7. C. de Curs. publico. 2 L. 5. C. T. de Curiosis. 3 L. 62. C. T. de Curs. publico. 4 L. 22. C. eod. &. ib. Cujac. 5 L. 40. C. T. de Curs. publico. 6 L. 9. C. eod. 7 L. 19. C. T. eod. 8 L. 55. C. T. eod. 9 L. 56. C. T. eod. 10 L. 57. & l. 61. eod. 11 L. 12. eod. 12 L. 13. C. T. eod.

nis Illustriss. Card. Baronius hoc retulit tom. 3. *ad Annum Christi* 314. num. 70.

Petronius Annianus & Julianus Domitio Celso, Vicario Africæ.

„Quoniam Lucianum Capitonem, Fidentium & „Nasutium Episcopos, & Mammarium Presby„terum, qui secundùm cæleste præceptum Do„mini Constantini Maximi, Invicti, semper Au„gusti, ad Gallias cum aliis ejus legis hominibus „venerant: Dignitas ejus ad lares proprios venire „præcepit. Angarialem his cum annonaria compe„tentia, usque ad Arelatensem portum secundùm „imperatum æternitatis ejusdem Clementissimi „Principis, dedimus, frater, quâ inde Africam „navigent. Quod solertiam tuam litteris nostris sci„re conveniat. Optamus te, frater, felicissimum „benè valere. Hilarius Princeps obtulit IIII. Kal. „Majas. Treveris. Error manifestus in hominum inscriptione sic corrigendus est, *Petronius Probianus & Anicius Julianus*, qui sub Constantino Maximo Consulatum gesserunt, Anno Christi CCCXXII. quorum Consulatus notatur in lege secunda *C. T. de alimentis quæ inopes parentes*. Dat. prid. Non. Jul. Romæ, Probiano & Juliano COSS. Et in Fastis Consularibus,

FL. PETRONIVS. PROBIANVS. ANICIVS. IVLIANVS. IMP. CAES. C. AVREL. VAL. CONSTANTINVS. P. F. PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII.

Scio Anicium Julianum Præfectum Vrbi ex inscriptione legis XVIII. *C. T. de Appellationibus*, sub Constantio Imp. Sed hic, si Præfectus Vrbi, evectionem non dedit, cùm Collegam non haberet cui postponeretur. Vnde certò constat Probianum & Julianum Consules fuisse.

Qui autem in illorum litteris Episcopi & ejus legis homines vocantur, erant Donatistarum Principes, qui Constantinum interpellabant adversùs Cæcilianum Episcopum Carthaginiensem: & cùm in Concilio Romano damnati essent Donatistæ, ut pertinax est omnium hæreticorum superbia, apud Arelatum eadem causa examinata est, D. Augustinus *epist.* 162. Hinc in evectione Consulum Arelatensis portus mentio fit.

Evectione nullus privatus utitur, tametsi eam impetraverit[1]. Soli enim Agentes in rebus, Senatores, Præsides, Rationales, Magistratus, legati Episcopi evocati à Principe, evectione utuntur. Privatis tamen, quos sublimitas administrationis illustravit, evectionum facultas concessa est, ut Exmagistris equitum & peditum, qui in actu positi fuerunt, non honorariis[2]. Etenim nonnisi benè merentibus evectiones dantur, & in publicis tantùm necessitatibus: & qui semel evectione usi fuerint, eâ ampliùs uti non possunt inconsulto Principe[3].

Magistratibus datæ evectiones, cùm ad aliam transire voluerint civitatem, non plus quàm unam angariam & duos paraveredos continent, nec iis licet plus postulare[4]: & qui plures quàm Principis manu adnotatæ sunt evectiones usurparet, capitale illi est[5]. Qua de causa evectio numerum veredorum continet, pro quibus singulis singulas evectiones datas, ex Symmacho licet colligere. *Accepi*, inquit *lib.* 1. *epist.* 16. *evectiones quatuor, immane quantum commodas in excursus & recursus meorum.* Hæc Epistola scripta est ad Ausonium tunc Prætorii Præfectum. Idem ille *lib.* 7. *epist.* 106. *Cùm filii mei Prætoris instet editio, quam vir Illustris Comes, omni genere virtutum sublimissimus, suis evectionibus juvare dignatus est, coëmtioni Equorum Curulium celeritas admovenda.*

Comes ille non alius fuit, quàm Magister Officiorum, qui passim Comes & Magister in Imperatorum Constitutionibus: cuique, ut diximus, evocationum licentia data est, ubi publica utilitas postularet, Cassiodorus lib. 5. *Variar.* 5. Equi Curules qui Circenses[1], Festo quadrigales solemnes, quos ad solemne certamen Magistratus amplissimi ordinis ministrabant, ut Consules vel Prætores[2]. Non licebat igitur cursu publico uti sine evectione. Ideoque à currentibus tàm Judices quàm Curiosi illam sibi exhiberi postulabant[3]. Textus Βασιλικῶν *lib.* 58. *tit.* 7. *cap.* 3. Πᾶς ὁδεύων ἀπαιτείσθω συνθήματα, κατὰ τῶν παρεστηκότων τοῦ δημοσίου δρόμου, εἰ καὶ μεγίστῳ περιβέβληται ἀξιώματι· εἰ δὲ ἀντιστῇ, ἀναφερέσθω περὶ αὐτοῦ τῇ ὑπαρχότητι, καὶ τῷ Μαγίστρῳ· οἱ δὲ λοιποὶ παραχρῆμα τιμωρείσθωσαν: *A quovis cursu publico utente, licèt maximæ vir sit dignitatis, evectiones exigunt. Quòd si resistat, ad Præfecturam Prætorii, aut Magistrum* (Officiorum scilicet) *referatur: ceteri verò protinus puniantur.* Tractoriæ, vel, ut alii volunt, Tracturiæ, sunt evectionum species, quæ dantur missis vel evocatis à Principe cursu publico utentibus, adscriptis etiam stativis, id est, diversoriis & mansionibus, quibus aluntur sumtu publico[4]. Cujacius integram Tractoriæ formam ex Marculfo proponit, quam puriorem V. C. Bignonius, in Senatu Paris. fisci Patronus, ita edidit, Marculphus lib. 1. *Formular.* cap. 11. „Ille Rex omnibus Agentibus. „Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum „illum, partibus illis, legationis causâ direxeri„mus: ideo jubemus, ut locis convenientibus, „eisdem à vobis evectio simul & humanitas mini„stretur, hoc est, veredos & paraveredos tantos. „Panis nitidi modios tantos. Vini modios tantos. „Servis mod. tant. Lardi libras tantas. Carnis li„bras tantas. Porcos tantos. Porcellos tantos. Ver„veces tantos. Agnellos tantos. Aucas tant. Pha„sianos tant. Pullos tantos. Ova tant. Olei libras „tantas. Gari libras tantas. Mellis tant. Aceti tant. „Cumini lib. tant. Piperis tant. Costi tant. Gariofli „tant. Spici tant. Cinnamomi tant. Grani, masti„ce tant. Dactylas tant. Amandolas tant. Cereorum „lib. tant. Salis tant. Olerum leguminum cara tan„ta. Faculas tantas. Item victum ad caballos eo„rum, fœni cara tant. Suffusi modios tant. Hæc „omnia diebus tàm ad ambulandum, quàm ad „nos in Dei nomine revertendum locis consuetu„dinariis, eisdem ministrare procuretis, qualiter „nec moram habeant, nec injuriam perferant, si „gratiam nostram optatis habere.

Hæc omnia interpretatus perdoctè idem Bignonius, & dignitatis amplitudine, & litterarum merito, & virtutum splendore bonis & Eruditis omnibus notus: mihi verò, quæ illius est humanitas, amicitiæ vinculo ita adstrictus, ut tot tantasque perspectas mihi illas virtutes colere & venerari, maximo honori sit, & erit semper.

Tractorias animalium soli Præfecto Præt. facere licebat[5]: quæ cùm stativis bidui tantummodo tempus accipiebant[6], nullos tamen evectioni dies addendos eidem Præfecto rescriptum est: *Nec passim Redarum tractorias vel evectiones Birotum facere*[7]. Lego, *evectiones Birotarum.* Birota

1 L. 11. C. de Curs. publico. 2 L. 45. C. T. eod. 3 L. 4. & 44. & 56. C. T. eod. 4 Novel. Majorian. 2. 5 L. 14. C. T. de Curs. publico.

1 L. 1. D. de munerib. & honorib. 2 L. 6. C. T. de Scenic. 3 L. 2. C. de Curios. 4 L. 1. C. de tractor. & stativ. & ib. Cujac. 5 L. 22. C. de Curs. publico. 6 L. 2. C. T. de tractor. & stativ. 7 L. 9. C. T. de Curs. publico.

enim vehiculi genus est, à duabus rotis denominata. Redæ mille pondo, Birotæ ducenta superponuntur, veredo triginta; octo mulæ junguntur ad Redam, Birotis trinæ [1]. Atque ut vehiculorum, sunt etiam Tractoriæ equorum. Symmachus Vincentio *lib.* 9. *epist.* 23. *Oro*, inquit, *ut equorum Tractoriis, quas vir Illustris Theodorus emisit, confirmationem per Epistolam præstes, ne mutato Judice, beneficii tentescat auctoritas.* Theodorus Præfectus Præt. sub Honorio & Arcadio fuit Olibrio & Probiano COSS. [2] cui evectionum facultas competebat. Vincentium autem Comitem largitionum colligimus ex Rescripto eorundem Imperatorum, dato iisdem COSS. Quod ita inscriptum est: *Have Vincenti K. N.* [3] *Singuli ordines civitatum, ad reparationem mœnium publicorum, nihil sibi amplius præsumant, præter tertiam partem canonis, qui locis fundisque Reipublicæ quotannis inferri solet.* Hic verò Comes Illustris in singulis Provinciis diffusa habuit Officia; quæ curarent sacris largitionibus, sive ærario sacro, canones perferri, collationesque solemnes. Ab eo confirmationem per Epistolam Symmachus postulavit; nos diceremus, *Lettres d'attache.*

Evocatoriæ Epistolæ meminit Sidonius *lib.* 8. *ep.* 12. ad quem Sirmondus noster; Evocatoriæ sunt Principum Epistolæ, quibus aut absentes ad Comitatum evocabant, aut Principis ambientibus adspectum, veniendi fiduciam dabant: nam sine evocatoria, exceptis his quibus ex privilegio permissum est, ut Illustribus in actu positis, Decurionibus Palatii, & Silentiariis, ad Comitatum venire non licebat [4]. Evocatoriæ formulæ, quam Princeps petenti concedebat, exemplum est apud Cassiodorum, qui & evocationes honorarias refert, quibus viri virtute præstantes à Principibus cohonestabantur, lib. 7. *Variar.* 34. & 35.

Combinæ sunt mandata nomine animalium cursui publico destinatorum: Ἐλέγοντο κελεύσεις αἱ παρὰ τῶν ἐπάρχων περιφράσει ζώων δρομικῶν γενόμεναι, ἃς καὶ κομβίνας ἡ αὐτὴ γλῶσσα καλεῖ Ῥωμαίων, τοῦτ' ἔστι συνθήματα, Eustathius *de temp. interval.* Atque hæc omnia uno verbo diplomata dicuntur, quæ *Litteræ patentes* Budæo [5]. Pertinax cùm Præfectus cohortis sine diplomatibus cursum usurpasset, à Præside Syriæ, pedibus ab Antiochia ad legationem suam, iter facere coactus est, Capitolinus in *Pertinace.* Qui autem falso diplomate vias commeavit, pro admissi qualitate gravissimè puniendus est [6]. Nec debuit quisquam diplomate diebus ac noctibus continuare iter, omni tempestate contemta [7].

Tractoriæ autem ut evocationes cum stativis solebant dari ad bidui tempus. Stativæ sunt mansiones seu diversoria: stationes sunt mutationes, ἀλλαγαὶ καὶ ἀμοιβοὶ, in quibus sumtu publico missi à Principe alebantur. Mutationes verò à mansionibus distinguuntur; brevius iter est mutationum, sive stationum, quæ nobis, *Le lieu de chacune poste*, ubi mutantur equi. Mansionum verò sive stativarum unius diei iter est. Stationes angariæ in vulgatis Vegetii Codicibus pessimè locantur, cùm de Tironibus loquitur *lib.* 1. *cap.* 3. *Si longior expeditio emergit*, inquit, *in angariis plurimùm detinendi sunt, proculque habendi à civitatis illecebris.* Sed optimi Codices habent, *in agrariis.* Sic Ammianus Marcellinus *lib.* 25. *Saturninus prætenturas stationesque disponebat agrarias.* Et *lib.* 31. *cautè castra metat: prætenturæ stationesque agrariæ, totis rationibus ordinariæ.* Prætenturæ militare verbum est, & sunt tentoria militum: hinc Virgilius lib. 2. *Æneid.*

——— *huc sævus tendebat Achilles.*

Id est, tentoria seu prætenturas habebat.

Canalia publica Scriptoribus minùs trita sunt. Canales in Imperatorum legibus dicuntur, & ad cursum publicum pertinent. Constantius Imp. de Curiosis: „Nec verò, *ait* [1], multos esse per singu„las Provincias jussimus, quippe sufficit duos tan„tummodo curas gerere, & cursum publicum gu„bernare, ut licet in Canalibus publicis hæc ne„cessitas explicetur, numerus tamen amplior esse „non debeat. Sanxit Julianus [2]; *ne sit cujusquam tam insignis audacia, qui Parangarias aut Paraveredos in civitatibus ad Canalem audeat commovere, quominus marmora privatorum, vehiculis Provincialium transferantur.* Canalis, τοποθεσία, ἔξοδος, δημόσιος ἀγωγὸς, ὀχετός. M. Tullius Attico *lib.* 10. *epist.* 10. τοποθεσίαν, *quam postulas Miseni & Puteolorum, includam orationi meæ:* τοποθεσία, loci descriptio, seu locus in quo quis accumbit: ἔξοδος via quæ aliunde extenditur, transitus, egressio: δημόσιος ἀγωγὸς, dux viæ publicus: ὄχος, currus, seu vehiculum, unde ὀχετός.

Canale propriè, sive Canalium, locus est, per quem cursus publicus dirigitur. In Concilio Sardicensi Gaudentius Episcopus dixit: „Unusquis„que nostrûm, qui in Canali constitutus est, cùm „progredientem Episcopum viderit, inquirat trans„itum ejus; causas videat: quò tendat, agno„scat: & si quidem eum invenerit ire ad Comi„tatum, requirat & illud quod superiùs compre„hensum est: nisi fortè invitatus ei facultas eun„di permittatur. Si verò propter desideria & am„bitiones ad Comitatum pergat, neque in litteris „ejus subscribatur, neque in communionem reci„piatur [3]: ἐὰν ἕκαστος ἡμῶν τῶν ἐν ταῖς παρόδοις ἤτοι καναλίῳ Ἐπισκόπων καθεστώτων. Πάροδος, transitus qui prætereundo fit, seu locus qui juxta viam situs est. Episcopi ergo in Canalio constituti sunt, qui sedes habent in cursu publico, via scilicet qua Equi publici dispositi sunt per stationes singulas ad iter agendum.

Hæc quidem de Officiis Magistri Officiorum, eorumque * muneribus, qui præterea ex Schola Agentium in rebus Interpretes diversarum gentium ipse emittebat. Curabat etiam ut super omni limite, sub illius Jurisdictione constituto, quomodo se numerus militum haberet; Castrorum ac clausularum cura illi fuit, & quotannis Imperatori significabat [4]. Sub illius dispositione erant Castrensiani & Ministeriani [5]. Apud Suidam Μαγιστεριανὸς ὁ καστρένσιος, lego Μινιστεριανός. Hic etiam Judex est Cubiculariorum Augusti & Augustæ [6]. Idem de Commeatu cognoscebat [7]. Commeatus est abeundi licentia data militibus ad tempus, ἐξουσία, παράστασις, Gloss. vet. Commeare, inquit Donatus, est abesse inde, ubi te esse oporteat: & Commeatus illi ex aliqua commoratione temporalis abscessus, *ad Hecyr. Terent.* act. 1. scen. 2. Scribit Paternus [8], *debere eum qui se meminerit armato præesse, parcissimè Commeatum dare.* Sed jam tempus est à Magistro Officiorum liberum impetrare Commeatum, & aliò progredi.

CAP.

* Vid. leg. *ejusque.*

1 L. 8. C. T. eod. 2 L. 139. & 140. & 158. C. T. de Decurionib. 3 L. 33. C. de operib. public. 4 L. 3. C. T. de Decurionib. & Silentiar. 5 Ad leg. eos, D. ad leg. Corn. de fals. 6 D. l. eos. 7 L. continuus. §. cùm ita. D. de verb. oblig.

1 L. 2. C. T. de Curiosis. 2 L. 15. eod. 3 Concil. Sardin. can. 11. 4 L. 4. C. de offic. Magistr. 5 L. 3. & 4. C. de Castrensian. & Minister. 6 L. 3. C. de Præposit. sacr. cubic. 7 L. 2. C. de commeatu. 8 L. officium. §. paternus. D. de re militar.

CAP. XVI.

De Officio Comitis ſacrarum Largitionum.

COmes Largitionum is eſt, cui Theſaurorum Imperatoris adminiſtratio commiſſa eſt, quique curam gerit publicæ pecuniæ in varios uſus erogandæ. Hic & Comes Remunerationum dicitur & munerationum, cujus dignitatem munerariam Caſſiodorus vocat lib. 6. *Variar.* 7. Munera vocabant Imperatores ſtipendia, quæ barbararum gentium Ducibus perſolvebant, & ab iis pacem redimebant. *Inſuper*, ait Salvianus lib. 6. *de Providentia, ridiculos nos facimus. Aurum quod pendimus, munera vocamus: dicimus donum eſſe, quod pretium, & quidem conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ.* De Remunerationum Comite Inſcriptio antiqua Romæ, pag. 449. 7.

PETRONI. MAXIMI
QVI. MERVIT. NONO. DECIM. AETATIS
ANNO. SACRARVM. REMVNERATIONVM
PER. TRIENNIVM. COMES

Atque ita Comes Remunerationum in Imperatorum Reſcriptis legitur [1].

Meminit Ammianus Marcel. Comitis ſolemniorum, *lib.* 15. quem ſuſpicor Comitem fuiſſe Largitionum, qui ſolemni Calendarum Januariarum die dona Principis largiebatur, Caſſiodorus lib. 6. *Var.* 7.

Scribit Cujacius [a] rerum privatarum Comitem, ſacri ærarii etiam dictum: atque alium Comitem ſacri ærarii fuiſſe, ſive ſacrarum largitionum, ſive theſaurorum, qui & ταμίας, & Præpoſitus regalium theſaurorum ab aliis Auctoribus dicitur. De Ærario nos poſtea. Ταμίας verbum eſt generale, quod ad omnes, qui pecunias publicas tractant, porrigitur. Ταμίας, φύλαξ χρημάτων, προςάτης. Ταμίαι, οἱ τῶν δημοσίων χρημάτων καὶ πάντων τῶν κοινῶν προςάται καὶ φύλακες, Heſychius. Sic dictus παρὰ τὸ τέμνειν αὐτὸν καὶ ἀπομερίζειν τοῖς ἄλλοις, Auct. *Etymologici.* Hinc Comitis Largitionum nomen ad multos pertinet, quibus omnibus ſacrarum Largitionum Illuſtris præerat. Nam ſub illius diſpoſitione erant Comes Largitionum per Illyricum, Comes Largitionum Italicianarum, Comites Largitionum per omnes Diœceſes, qui & Comites theſaurorum ex Reſcripto Theodoſii & Valentiniani [3].

Hi ſacrarum Largitionum Comites ſimul & Primicerii Notariorum facti, ut Princeps per eoſdem & pecunias ſuas & honores largiretur, Caſſiodorus 6. *Var.* 7. Ceteri omnes Primicerii Scriniorum ſub Comite Largitionum fuerunt [4]. Quod de Scriniis Largitionalibus accipiendum eſt, quæ quidem varia ſunt, Exceptorum ſcilicet, Canonum, Tabulariorum, Munerorum ſive Munerariorum, Mittendariorum, Aureæ maſſæ, Auri ad Reſponſum, à Milliarenſibus Veſtiarii ſacri, ab Argento, à Pecunia. Quæ omnia ſuo loco referamus.

Hujus verò Comitis Juriſdictio latiſſima eſt. Etenim de omnibus cognoſcebat, quæ ad fiſcum ex publicis debitoribus pertinebant [5]: & ſub illo

1 L. 2. C. T. de commeatu. 2 Ad leg. 9. C. de jur. fiſc. & in Paratitl. C. de advocat. fiſc. 3 L. 13. & 23. C. T. de diverſ. offic. 4 L. 3. C. T. de Palatin. ſacr. larg. & l. 4. C. eod. 5 L. 1. C. T. de his qui ad Eccleſ. confugiunt.

A bona debitorum Fiſcalium diſtrahebantur [1]. De ædificiis publicis decernebat, ne ſplendidæ urbes vel oppida vetuſtate laberentur [2]. De theſauris inventis Comes Largitionum judicabat, ſi in loco Fiſcali, ſive publico, vel ad ſepulcrum aut monumentum ſeparato, reperti fuiſſent; tum enim media pars ad Fiſcum pertinebat [3]. Ille etiam de Proſcriptorum bonis Fiſco quæſitis cognitionem ſuſcipiebat [4]: exactioni munerum extraordinariorum imminebat [5]. Vice ſacra judicabat [6]. De Vectigalibus, Commerciis, & Mercatoribus, de paſcuis animalium cognoſcebat [7].

B Præterea ad Comitem S. L. provocatio devolvitur, cùm ſuper Fiſcali debito illa emerſerit, & quoties ſuper Fiſcalibus cauſis controverſiæ alicujus dubitatione pendentibus, ſummam ſententiæ Comes ærarii impoſuiſſe detegitur, proprium ſuper eo Comes S. L. præſtat examen [8]. Ex Novella Theodoſii & Valent. [9] Comites Illuſtres utriuſque ærarii, id eſt, ſacri & privati, à condemnationibus Judicum & Curialium abſtinebant. Quod cùm ex ſuggeſtione Præfecti Præt. indecorum illis eſſe videretur, jus omne, quod longo jam tempore tenebant, illibatum remanſit.

Comes Largitionum habuit jus gladii in eos, qui bona Proſcriptorum occultaſſent: qui ſi locupletes eſſent, proſcriptione puniebantur; ſi per egeſtaC tem abjecti, in fæcem vilitatemque plebejam damnatione capitali debita luebant detrimenta [10]. Comites autem Largitionum viri magnifici extra ordinem negotia definiebant, legitimo & uſitato legis ordine non ſervato: quòd tota res ex Comitis Largitionum cognitione pendebat, & illius Officio committebatur; cùm omnia, de quibus judicabat, ad publicam utilitatem ſpectarent [11].

Sub diſpoſitione Comitis S. L. ex Notitia Imperii Comes Largitionum per Illyricum. Comes Veſtiarii. Comes auri. Comes Largitionum Italicianarum. Comes titulorum Largitionalium per Africam. Comitem Largitionum per Illyricum Dioclem ob levia delicta flammis exuſtum tradit Ammianus Marcel. *lib.* 27.

Comes Veſtiarii in Notitia, non idem eſt ac Comes ſacræ veſtis [12]. De ſacra veſte Caſſiodorus conſulendus lib. 1. *Variar.* 2. qui ſacræ veſtis Comitem facit ipſum Comitem Largitionum, cui veſtis ſacra commiſſa eſt, & quidquid ad ſplendorem regium pertinet. At veſtiarii Comes cuſtos eſt veſtium & ornamentorum Principis: & Veſtiarium locus eſt, in quo veſtes illæ ſervantur; E quod quandoque pro veſtibus ipſis accipitur, quæ ſervis vel libertis legari ſolebant [13]. Hîc verò veſtiarium pro armario ſumitur, in quo veſtes Principis reconduntur, ἐξ ὃ καὶ βεςιάριον κυρίως, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα φυλάσσονται, Moſchopulus. Quo in numero erant veſtes delicatæ, linteamen, amictorium [14].

In auctione rerum Commodi à Pertinace facta numeratur, *Veſtis ſubtegmine ſerico, aureis filis inſignior, per tunicas, penulaſque, & lacernas, & chirodotas Dalmatarum, & cirratas militares, purpureaſque chlamydes Græcanicas, atque caſtrenſes, & cuculli Bardaici*, Capitolin. in *Pertinace.* Oc-

F cur-

1 L. 2. C. T. de fid. & jur. haſt. fiſc. 2 L. 11. C. de operib. public. 3 L. 3. §. ſi in locis. D. de jur. fiſc. 4 L. 5. C. T. de bon. Proſcript. 5 L. 7. C. T. de extraord. munerib. 6 L. 1. C. T. de his qui per met. judic. 7 L. 6. 8. 9. & 12. C. de vectigalib. l. 2. & 6. C. de commerc. & mercatorib. l. 1. C. T. de paſcuis. 8 L. 39. & 46. C. T. de appellationib. 9 Novel. 45. de Palatin. cap. 1. & 2. 10 L. 5. C. T. de bonis Proſcriptor. 11 L. 13. C. T. de jur. fiſc. 12 L. 1. C. qui à præbit. tiron. 13 L. 4. D. de aliment. & cibar. leg. 14 L. 48. C. T. de curſ. publico.

currunt in antiquis Inscriptionibus liberti à veste Imperatoris privata, quibus præfuit Comes vestiarii, pag. 577. 9.

M. VLPIVS. AVG. LIB. A. VESTE. IMP.
PRIVATA

Sunt & à veste Regia, cujus cura ad Comitem Largitionum pertinet, fol. eod. 6.

TI. CLAVDIO. AVG. LIB
A. VESTE. REGIA

Invenio etiam Vestiarium tenuiarium, pag. 1111. 7.

L. AGRIO. VESTIARIO
TENVIARIO. IMP. CAES.
ANTONINI. PII

Tænias Verrius sic interpretatur, Festus in verb. *Tænia*, ut dicat *ornamentum esse laneum capitis honorati.* Hìc verò Tæniæ sunt fasciæ Imperatoriæ crurales, pedulesque, & impilia, quæ vestis loco sunt, quia partem corporis vestiunt[1]. Impilia pedum sunt tegumenta è lana coacta. Ἐμπίλια, Hesychio, οἱ περὶ τοῖς ποσὶ πῖλοι, ποδεῖα. Vestiarius ergo differt ab his qui sunt à veste.

Et quoniam canon vestium ex Kal. Septemb. ad Kal. Aprileis Largitionibus tradebatur[2], & Comes Largitionum vestem Comitibus Consistorianis præstabat[3]. Huic vestium præstationi Comitem vestiarii operam contulisse, conjicere possumus.

Comes Auri quis fuerit admodum incertum est, in rebus tot tenebris involutis suspicari licet auri Comitem eum fuisse, qui auri argentique usibus Principis parati curam gerebat. Quod munus ad vestiarii Comitem propè accedit. Vestis enim plerumque cum auro conjungitur[4]. Aurum autem escarium & potorium non solùm intelligendum est, sed & aurum quodlibet & argentum factum, ut vascula, Tabulæ, Trullæ, Pelves, Scutellæ, Promulsidaria, Repositoria, Cacabi, Aquiminaria, vasa cetera ad coquendum, Paropsides, & iis similia, quæ ab Vlpiano enumerantur[5], & à Cujacio explicantur lib. 10. *Observ.* cap. 17.

Addit Pomponius[6], ut Florentini Pandectæ legunt, *Columniyarium & urceolos, quæ ad præparationem bibendi præparata sunt:* vulgati Codices habent *Colum nivarium*, quod Alciatus interpretatur lib. 8. *Parerg.* cap. 1. ex Veterum more, qui solebant cribella argentea habere foraminulenta, unde nivem colare possent, quam æstatis tempore diligenter servatam, refrigerandis vinis, cùm potaturi erant, immitterent; quod ex Plinio comprobat. Sed alius est locus Plinii *lib.* 31. *cap.* 3. qui testatur Neronis Principis inventum esse, decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. Idem Plinius cùm de ventris prodigiis: *Hi nives*, inquit *lib.* 19. *cap.* 4. *illi glaciem potant, pœnasque montium vertunt in voluptatem gulæ.* Alciato suffragatur Baïfius lib. *de Vascul.* iisdemque, quibus ille, auctoritatibus nititur. Sed magis placet colum vinarium; quod Jurèconsulti nostri inter vasa ab iis enumerata, communia tantùm recenseant, quibus non comprehendunt ea; quæ rarò gulæ intemperantiæ serviunt.

Colum ex Polluce vas est coquinarium, secundùm Euripidem in *Eurysthene* dicentem: aut cyathum, aut æneum colum exhibens. In foro au-

1 L. argumento. §. tapeta. D. de aur. & arg. leg. 2 L. 2. C. T. de militar. vest. 3 L. fin. C. T. de proxim. Comit. dispos. 4 L. ita legatum. D. de aur. & arg. leg. 5 L. cùm aurum. D. eod. 6 L. in argento. D. eod.

A tem publico colum quoddam pro cratere venditum est, quasi ad vinum magis referatur: Σκεῦος δὲ μαγειρικὸν ἠθμὸς, Εὐριπίδου ἐν Εὐρυσθεῖ σατυρικῷ εἰπόντος, ἢ κύαθον, ἢ χαλκήλατον ἠθμόν· ἐν μέν τοι τοῖς δημοσιωτάτοις καὶ ἠθμός τις ἐπὶ κρατῆρος πέπραται, ὃς ἴσως περὶ τὸν οἶνον μᾶλλον προσήκει. Colum, per quod liquor dimanat & percolatur, ἠθμὸς τρύγοιπος, Hesychiò ὑλιστήρ, per quod vinum fæculentum transfunditur, & fæcibus expurgatur. Virgilius 2. *Georgic.*

—— —— tu spisso vimine qualos
B *Colaque prælorum fumosis deripe tectis.*

Quali, inquit Servius, *per quos vinum diffluit:* de colo nihil notat, quod fumosis tectis adhibitum docet Poëta, & ad genera conditurarum, quibus vinum confirmatur, referri debet. Clarè Columella lib. 12. *de Re rustic.* cap. 19. „Vvas „quàm maturiùs legemus, quibus proculcatis, „mustum quod defluit, antequam prælo pes exi- „matur, satis de lacu in vasa defrutoria deferemus, „levique primùm igne & tenuibus admodum li- „gnis fornacem incendemus, ut ex commodo mu- C „stum ferveat. Isque, qui præerit huic decoquen- „do, sola juncea, vel spartea ex crudo præparata „habeat. En colum, en fumosa tecta nivibus minùs apta. Columellæ lucem adfert M. Tullius in *Bruto: Sic ego*, inquit, *istis censuerim, & novam istam quasi de musto ac lacu, fervidam orationem fugiendam.*

Quidquid in Auctorum Juris libris est, auro illud est mihi carius; tot enim leges, tot thesauri reconditi, qui longo tempore quasi sub terra positi, cùm non exstet memoria, ut Paulus loquitur[1], vix jam dominum habeant.

Redeo ad Comitem auri, cui gemmæ, lapilli, D annuli, margaritæ, uniones, & alia hujusmodi credita sunt, quæ auri appellatione continentur, si auro inclusa sint[2]. Hæc quidem Officia Comitis vestiarii, & Comitis auri; inter privata Domus Augustæ repono; qui præfuerunt Libertis aut aliis, qui vestium & aureæ atque argenteæ supellectilis curam habuerunt. Quales sunt Præpositi auri escarii, de quibus lapis vetus, pag. 582. 9.

M. VLPIO. ERIDANO. AVG. L
AB. AVRO. ESCARIO. PRAEPOSITO

Item alius, fol. eod. 5.

E PHILETAERO. AVG. LIB
AB. AVRO. GEMMATO

Ab Argento potorio, eod. 7.

GEMELLO. AVG. LIB. PRAEPOSITO
ARGENTI. POTORI

Ab Argento vasculario, pag. 643. 3.

L. IVL. A. POCVLENTO. ARGENT
VASCVLARIO

F Hanc meam de auri Comite opinionem juvat ipsa Notitia, quæ in Oriente nullum vestiarii, nullum auri Comitem ponit, sub Comitis S. L. dispositione, sed Præpositos seu Præfectos thesaurorum, qui pecunias tractabant. Auro autem pecunia signata non continetur[3].

Comes Largitionum Italicianarum præerat Largi-

1 L. nunquam. D. de acquir. rer. domin. 2 L. pediculis. D. de aur. & argent. leg. 3 L. cùm aurum. D. eod.

gitionibus in Italia. Huic Comiti Alipius Romæ adsidebat[1]: quî fit ut dubitem an idem ille sit, qui Romæ Largitionum Præpositus vocatur[2].

Comes Titulorum Largitionalium per Africam quibusdam Scriptoribus is est, qui dona & salaria in Africa facienda tractabat. Sed hoc ad Largitionales titulos referri non potest: nam tituli sunt jura Principis, & illationes illi debitæ, quæ aut arcæ Præfecti Præt. aut utriusque Comitis Largitionum Scriniis, variis ex causis inferebantur. Qui his Largitionum titulis per Africam præerat, Comes titulorum dicebatur, ad quem scilicet tituli transferebantur. Hinc cautum est ut canon Largitionalium titulorum, qui infertur thesauris, ex more, ne sit diu penes Susceptores; & inferatur sub obsignatione tabulariorum, obsignatusque tradatur Præposito thesaurorum. Qui ergo in Provinciis fuerunt Præpositi thesaurorum, is per Africam fuit Comes Largitionalium titulorum. Tituli propriè significant causam debiti & rationem præstationis: Glossæ Basilic. τίτλος κεφάλαιον, αἰτία.

Tituli autem sunt in duplici differentia. Aut enim ad Illustres viros Præfectos Præt. aut ad Largitiones Principis pertinent, qui perpetuò separantur[3]. Varii autem sunt Lagitionum tituli & titulorum canones[4], veluti vestium, tributorum, annonarum, vectigalium, binorum & ternorum, superindicti, aliorumque jurium, quæ sibi Princeps vendicabat. Quos omnes suo quoque ordine, prout res tulerit, persequamur.

Canon vestium, tributum vestium dicitur, quod ut auri argentique debitum, annua exactione solvitur[5]: fuitque propriè canon militarium vestium, à quo canonicæ vestes[6]. Hæ aut in speciebus, aut in pecunia inferuntur: nam plerumque militaris vestis adæratio fiebat, & à Collatoribus exigebatur, sacratissimis Largitionibus inferenda[7].

CAP. XVII.

De Annonis, Tributis & Vectigalibus.

ANnonæ in speciebus consistunt, veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, sale. Tributa in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, vestibus, quæ & intributiones & contributiones dicuntur; suntque duplicia tributa, soli & capitis, ut Cujacius annotavit[8]. Capitis sunt, quæ stipendia vocant & capitationes; soli, solaria. Quamvis solarium, tributum, vectigal, cloacarium diversa sint: quæ sæpe confunduntur[9]. Vlpiano, *stipendium dictum est à stipe, quod per stipes, id est, modica æra colligitur. Ideoque hoc etiam tributum appellatum Pomponius ait, & sanè à contributione tributum*: vel eò quòd militibus tribuatur[10], quamvis tributum pro vectigali Papinianus usurpet[11], ut ipse Vlpianus: *In causa tributorum*, inquit[12], *in quibus esse Reip. nervos nemini dubium est, periculi quoque ratio, quod servo fraudis conscio capitalem pœnam denuntiat, ejusdem professionem instruat.* Tributum hîc pro vectigali accipi clarum est, cùm nervus illud Reipublicæ dicatur. *Nero*, ait Tacitus lib. 13. *Annal. cuncta vectigalia an omitti juberet, dubitavit; idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: sed impetum ejus multùm priùs laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, dissolutionem Imperii docendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, deminuerentur. Quippe sublatis portoriis (quæ sunt vectigalia) sequens ut tributo-*

1 D. Augustin. 6. *Confession.* c. 10. 2 L. 10. C. T. de veteran. 3 L. 3. C. T. de indulgent. debit. 4 L. 16. C. T. de bonis proscriptor. 5 L. 2. C. T. de distrahend. pign. 6 L. 1. C. de militar. veste. 7 L. 4. C. eod. 8 Ad tit. C. de annon. & trib. 9 L. cùm servus. §. heres. D. de leg. 10 L. 27. D. de verb. sign. 11 L. Imperatores. D. de publican. 12 L. 1. §. in causa. D. de Quæstionib.

A *rum abolitio expostuletur.* Et quod Vlpianus de professione loquitur, certum est quòd professio de censu & vectigali intelligitur: tributa enim non profitemur, sed solvimus.

Professio apud Publicanum fit, ut vectigal solvatur: veluti mancipiorum, quæ quis vel usus sui causâ duxerit, aut servorum quos emerit[1]. Quod si servus in professione fraudis conscius sit, non in commissum cadit, ut alii improfessi; sed capite ob fraudem punitur, & professionem instruit: quidquid in tormentis confessus sit, si torqueatur, Dominum gravat.

Professio tamen & agrorum est, quæ ad juge-
B rum numerum refertur, ex quibus tributum penditur, Cicero lib. 3. *in Verrem.* Constitutum est Neronis temporibus, ne censibus negotiatorum naves adscriberentur, tributumque pro illis penderent, Tacitus 13. *Annal.* Nec tamen à tributis immunes fuerunt Navicularii, quorum prædia navarchicas pensiones præstabant, & canonem navicularium agnoscebant, seu Navarchicum. Quod onus fundo cohærebat, & possessorem ita sequebatur, ut illa prædia naviculariæ functioni obnoxia, etiamsi ad Principem pervenissent, onere non solverentur[2].

Data tamen aliquando tributorum immunitas
C Naviculariis, *qui aliis suæ conditionis, plus nimiò occupatis, vicariam operam præstabant. Solatia enim pro mercedula præstita, ex tributariæ pensitationis immunitate, & eo quod vocatur filicum*[3]. Solatia sunt salaria constituta, quæ & ἐνδοματικὰ[4], φιλικὸν quod amicè datur, nos dicimus, *Amiable composition*, ut τὰ φιλικὰ dicuntur, quæ officii causâ fiunt.

Omnis verò pecunia, quæ à Provincialibus exigebatur, aut tributi nomine, aut vectigalis pendebatur. Tributum dictum à tribubus, quòd ea primùm pecunia, quæ Populo imperata erat, tributim à singulis pro portione census exigebatur, Varro lib. 4. *de Ling. Latin.* Ab eo quoque, quibus attribu-
D ta erat pecunia, ut militi reddat, Tribuni ærarii. Tributum autem aliud fuit in capite, aliud ex censu, aliud temerarium, quod extra ordinem imperatum est, & post Vrbem à Gallis captam collatum, Festus in verb. *Tributum.* Sed cùm ærarium Populi Rom. ex Provinciarum spoliis auctum esset, finis tributorum Civibus Romanis factus est, illaque in Provinciales rejecta. Atque ita acerba fuerunt tributa, ut illa & Magistratuum superbia, Provincias ad rebellionem sæpe excitarint. „Frisii, „Transrhenanus populus, pacem exsuere, *ait Tacitus* 3. & 4. *Annal.* nostra magis avaritia, quàm
E „obsequii impatientes. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum: ut in usus „militares coria boum penderent: non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ mensura. „Donec Olennius è Primipilaribus regendis Frisiis „impositus, terga virorum delegit; quorum ad „formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus „arduum, apud Germanos difficiliùs tolerabatur, „queis ingentium belluarum feraces saltus, modica „domi armenta sunt. Ac primò boves ipsos, mox ægros, postremò corpora conjugum aut liberorum „servitio tradebant. Hinc iræ & questus; & postquam non subveniebat remedium ex bello; rapti
F „qui tributo aderant milites, & patibulo affixi.

Insolentia exactorum eò creverat, ut tributorum debitores, qui in mora essent, & carceribus manciparentur, & plumbatarum pondera & verbera, aliaque à Judicibus reperta supplicia perferrent. Quare ne Provinciæ oneribus turbarentur, utque vetera sine avaritia, aut crudelitate Magistratuum tolerarent, prudenter Tiberius pro-

1 L. fin. D. de publican. 2 L. 1. & 2. C. de præd. & omnib. reb. navicul. 3 L. 32. C. T. de Navicular. 4 Constit. Anastasii de exact. tribut.

viderat: tunc corporum verbera, ademtiones bonorum aberant, Tacitus 4. *Annal.* Sed posteriorum Principum avaritia, quam in Magistratus suos rejecerunt, pro tributis crudelia supplicia sumebat. Narrat Palladius in *Vitis Patrum* cap. 63. mulieris cujusdam maritum, tempore biennii ob debitum publicum trecentorum aureorum, sæpe flagellatum, & in carcere inclusum, tresque ejus filios abreptos; uxorem fugitivam, quæ sæpe inventa, & assiduè flagellata, in solitudine jejuna deerrabat. Atque hoc Palladii temporibus, qui vixit sub Valentiniano & Theodosio. Quare vana fuit lex Constantini, quâ constituit ut nemo in exactione tributorum, carcerem plumbatarumque verbera, & pondera, à Judicibus iratis reperta supplicia, expavesceret. *Carcer*, inquit[1], *hominum noxiorum est*, & *Officialium*, & *cum denotatione eorum Judicum*, *quorum de Officio certiores esse debebunt*, *quid contra legem admiserint*. Plumbatarum verbera explicat Cujacius, cui locus depravatus videretur, ubi de carcere, sæpiusque fatetur se illum restituere conatum, frustra tentasse.

Sed eadem lex in C. T. ita scripta est[2]: *Carcer pœnalium hominum noxiorum est*, *Officialium*, & *cum denotatione eorum Judicum*, *quorum de Officio coherciti*, *citatiores esse debebunt*. Quod ita interpretor, ut carceri potiùs tradi debeant Officiales, id est, tributorum exactores noxii, quàm debitores fisci, in quos sæviunt. Denotatio Judicum, est existimationis nota & macula Judicum, de quorum Officio refrænati exactores citatiores esse debuerunt, hoc est, velociùs ad tribunal citari, ut meritas luerent pœnas. Rei enim voce Præconis ad tribunal Judicis vocabantur: unde citatus reus Papiniano[3]. Sic Tiberius cùm Tribunitiam exerceret potestatem, vivente adhuc Augusto, *Citatum pro Tribunali voce Præconis*, *convitiatorem rapi jussit in carcerem*, Suetonius in *Tiber.* cap. 11.

Non mei est instituti de omnibus tributorum generibus tractare, sed ea tantùm de illis attingere, quæ Juri Civili aliquam lucem adferre possint, quæque ad Comitem Largitionum titulorum per Africam pertinent.

Tributa dicuntur intributiones, quæ Jure Civili delegantur, quæque in agris fiunt, vel ædificiis[4]. Quare Civili Jure, pactum inter debitorem & creditorem, ut creditor onus tributi fundi pignorati non agnosceret, sed ejus solvendi necessitas debitorem spectaret, quantùm ad fisci rationem, non servandum Papinianus respondit[5]: pactis enim privatorum, jus fisci convelli non placuit: & tributum onus est possessoris cujusque, non domini, nisi possideat. Rectè Papinianus tributum onus possessionis dixit: nam onerum nomine tributa ut plurimùm designantur. Onera glevalia, aurum glevale, glevales functiones, quæ & gleba dicitur, & descriptio, collatio, præstatio, munus, canon, pensio, jugatio, gleba Senatoria, & follium præbitio idem ferè denotant[6]. Follis tamen à Senatoribus solvebatur, quibus nulla erat possessio.

Follis, aureus est nummus, de quo Suidas, ὀβολοί εἰσιν, ὡς καλοῦσι φόλλεις. Quod tributum Constantinus, cùm descripta virorum Clarissimorum patrimonia haberet, illis imposuit, Zosimus *lib.* 2. Follis, antiquum verbum, pro sacculo sumitur, quo sensu Callistratus[7]: *Servus liber esse jussus*, *si rationes reddiderit*; *non utique si in folle reliqua obtulerit*, *liber erit*. Πήρα mantica, follis. Inde jocus Plauti in *Epidico*, Act. 3. Sc. 2. ℣. 13.

1 L. 2. C. de exactionib. tribut. 2 L. 3. C. T. de exactionib. 3 L. 10. D. de public. judic. 4 L. rescripto. §. fin. de munerib. & honorib. 5 L. inter debitorem. D. de pact. 6 L. 4. C. T. lib. 6. tit. 1. & l. 11. & l. 15. eod. 7 L. cùm servus. D. de conditionib. & demonstrat.

EP. *Ego tuum patrem faciam peranticidam.*
ST. *Quid istuc verbi est?* EP. *Nihil moror vetera & vulgata verba,*
Peratum ductitare; at ego follutum ductitabo.

Alludit servus ad supplicium parricidarum, qui insuti sacco aut culeo in profundum mergebantur. Vercor ne onerosus sim, si ulteriùs onera hæc persequar: non omitto tamen onera ad tributa & vectigalia referri, licèt multa sint onera, quæ neque tributi, neque vectigalis nomen sibi vendicant. Onera enim ad omnes sordidas præstationes & extraordinarias etiam trahuntur: cujusmodi sunt onus conficiendi pollinis, panis excoctio, obsequium pistrini, ligni, tabulationis, carbonis, & cetera, quæ ut extraordinaria numerantur, ut onus peregrinationis[1]; deportorium, διάπυλον, quod porta effertur[2], viarum & pontium sollicitudo, capituli atque temonis necessitas[3].

Trajicio in Africam, cujus devotio ita Principibus probata est, ut usque in initium fusionis quintæ, universa reliqua, quæ tàm ad Arcam sublimium potestatum, quàm ad largitiones pertinent, relaxata sint[4]. Fusio pro functione & illatione publica intelligitur: hinc *fisco fusiones præstare* dixit Ulpianus[5]; & fusio quinta, est quinta indictio.

De tributis fiscalibus, queis Africa obnoxia fuit, Novella est Theodosii & Valentin. his verbis edita[6]: „Numidarum & Maurorum Sitifensium nu„per acta legatio, hoc præceptum de nostra pe„rennitate constituit, &c. In ea hæc de tributi „modo: ut retractis septem partibus, octavam „tàm privatæ quàm Emphyteuticæ glebæ posses„sor agnoscat. Pro qua octava, omnibus titulis „ad unum redactis, quos possessor vel civis (*lege* „quivis) quolibet nomine præstare consueverant, „quatuor millia ducentos tantùm solidos, & mille „ducentas militares annonas, & ducentum capi„tum Numida Provincialis exsolvat. Hæc intellectu facilia. Quæ sequuntur, omnino depravata sunt, sic enim leguntur: *De Colone verò statuimus*, *ut quinque centesimis due rusi canienses & colvane civitatibus*, *tres sacris Largitionalibus inferantur*, *de salinis*, *alumine*, *charactere*, *herba rubea*, *lini maceratura*, & *clavi vitrei tantùm tituli à sacris Largitionalibus*, *pro numero hominum & possibilitate poscantur*.

Locum corruptissimum sic restituimus: *De Coloniis verò statuimus*, *ut quinque centesimis*, *duas Ruscadenses*, & *Culluanæ civitates tres*, *sacris Largitionalibus inferant*.

De Provinciis Numidiæ & Mauritaniæ Sitifensis cùm Imperatores in universum statuissent, tributa trium civitatum ordinarunt: quarum prima est Rusicada, aliæ sunt Colluanæ. Numidiæ oppida Plinio *lib.* 5. *cap.* 3. sunt Cullu & Rusicade, quæ Ptolomæo est Cullovia, & Cullu municipium in Antonini *Itinerario* vocatur. Cullu autem duplex est eidem Ptolomæo, cui Collops & Cullu idem sunt. Collops magnus regia civitas, & Collops parvus. Cullu à Rusicada distat, ex Itinerario, L. M. P.

In Numidia urbes sunt quàm plurimæ nobilesque, atque inter eas Cullu purpurario fuco Tyriis velleribus comparatur, Solinus *cap.* 19. Hinc tributum imperatum de salinis, alumine, & ceteris, quæ in Novella declarantur. Alumen gignitur in Africa: candidum in inficiendis claro colore lanis utilissimum est, contráque fuscis aut obscuris nigrum, Plinius *lib.* 35. *cap.* 15.

Cha-

1 L. 15. & 16. C. T. de extraord. munerib. 2 L. 89. C. T. de Decurionib. 3 L. 1. C. de veteran. 4 L. 6. C. T. de indulgent. debit. 5 L. si pendentes. §. si quid cloacarii, D. de usufruct. 6 Novel. 23.

Character ſignum eſt, quod in Gallia plumbeum pannis laneis vel ſericis imponitur, cujus præſtatio dicitur, *Droict de ſeau*. Signum annulo impreſſum Vlpianus vocat, χαρακτῆρα[1]. Herbam rubeam tincturis aptam Plinius tradit, cui veſtes herbis inficiuntur: *Vt ſileamus*, inquit *lib.* 22. *cap.* 2. *Africæ, Luſitaniæ, Galatiæ granis coccum Imperatoriis dicatum Paludamentis, Tranſalpina Gallia herbis Tyrium atque Conchylium tingit, omneſque alios colores.* Coccus etiam herba eſt, quæ Rubea in Novella nominatur. De Lini maceratione Plinius conſulendus, *lib.* 19. *cap.* 1.

In clavis vitreis diu mentem fixi, ne fallaces quidem & fucoſas merces, chartis & linteis & vitro delatas, ut ait Tullius Cicero *Orat. pro Rabirio*, referri videat. Incidit tandem in mentem, clavos non ſolùm ornamenta eſſe veſtium, ſed & ædium, atque inter muliebrem ſupellectilem inveniri. Narrat Philander *ad lib.* 7. *Vitruvii cap.* 3. cùm Romæ ageret, arcam marmoream repertam, quæ Mariæ Honorii Auguſti credita eſt fuiſſe ſepulchrum. Ibi præter auratam veſtem, palliumque & oſſa, multa in capſula muliebris mundi inventa ſupellex. In iis vaſcula, annuli, monilia, bulla diſcriminalis, acus & clavi, quibus pro umbella erat expreſſa & exſtans muſca. Vnde Vitruvio *muſcarii clavi*, rotundo capite inſignes, expanſo in orbem cacumine: umbellæ etiam in clavorum formam effictæ, quibus Solem à vultu mulieres arcent.

Clavi etiam ædium ſunt, quæ bullæ dicuntur, ob rotunditatem, & vitrei fuerunt. De his Plautus in *Aſinaria* Act. 2. Sc. 4. ℣. 20.

Juſſin', in ſplendorem dari bullas has foribus noſtris?

Bullæ pro capite clavorum, qui in valvis magnarum ædium figebantur. Quod ex M. Tullio notamus. Ille de Verre lib. 4. *in Verrem*: *Bullas omnes aureas ex his valvis, quæ erant multæ & graves, non dubitavit auferre.* Aureæ quidem illæ in templorum valvis, in ædium, vitreæ. Quod ex Plinio diſcimus: *In genere vitri*, ait *lib.* 36. *cap.* 6. *Obſidiana numerantur, ad ſimilitudinem lapidis, quem Obſidius in Æthiopia invenit.* Deinde: *Fit & in tincturæ genere Obſidianum, ad eſcaria vaſa, totum rubens vitrum, atque non tranſlucens: Hæmatinon appellatur. Fit & album & murrhinum, aut hyacinthos ſapphiroſque imitatum, & omnibus aliis coloribus. Neque eſt alia ſequacior, aut etiam picturæ accommodatior.* Legendum fortè *tincturæ*, cùm ſuprà vitrum iſtud ad tincturæ genus retulerit: quæ lectio aptior eſt cullis, qui fucis celebres ſunt: ſed nihil muto.

Veſtium ornamenta ſunt clavi, & quidem vitrei, ut clavi caligarii à caligis militaribus quibus ſuffigebantur, Plinius *lib.* 9. *cap.* 18. Clavis etiam ſive bullis exornata fuerunt cingula militum. Virgilius 12. *Æneid.*

Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis.

Clavi bullæ dicti, quòd ſint ſimiles rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.

Clavi aurei & purpuræ, Juris Auctoribus pars veſtimentorum ſunt; etſi non ſunt clavi veſtimentis conſuti[2]. Quod de lato vel anguſto clavo ſcriptum non nego: ſed nihil impedit quin tenuiores vitreis clavis uterentur, ad veſtium ornamentum, qui lapillorum formam imitarentur. Sic acceſſionis vice cedunt inſitæ picturæ, clavique qui veſtibus inſuuntur[3]. Hinc clavata veſtimenta, clavis intertexta, & calciamenta clavis confixa, Feſtus in verb. *Clavata*. Clavi nobis ſunt retinacula, quæ vulgò dicuntur *Boutons*. Si quis aliter ſentiat, clavi vitrei fragmenta glutinare non magnopere curabo.

1 L. ad teſtium. §. ſignum. D. de teſtament. 2 L. cùm aurum. §. 1. D. de aur. & arg. leg. 3 L. veſtis. §. 1. D. eod.

A Notandum verò in hac Novella eſt, quòd tributa hæc ſacris Largitionalibus inferuntur, id eſt, ad Comitem titulorum Largitionalium per Africam: nam & in Novella titulorum fit mentio.

Africa ſola Proconſularis in Occidente, quæ κατ' ἐξοχὴν Proconſularis Provincia dicitur: illiuſque Epiſcopi Proconſulares in Concilio Carthaginienſi vocati. Multis aliis honorum titulis inſignita illa, atque hoc uno, quòd ſola Comitem Largitionalium titulorum nacta eſt, cùm aliæ omnes Provinciæ Præpoſitum habeant. Atque hæc de tributis: quorum maxima pars ad vectigalia referri poteſt. Tributa tamen, ut diximus, ſunt ſoli vel capitis, certa & definita pro modo jugerum vel capitum, quæ ſingulo quoque anno, & per illius circulum tripartita ſatisfactione ſolvuntur[1].

At Vectigalia propriè ſunt portoria, & ea omnia quæ pro ſubvectione in itinere præſtari ſolent, vel in littoreis locis, navibus, aut cùm per diverſa vehiculis merces deportantur[2]: vel clariùs ex Vlpiano[3], *Vectigalia publica intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit. Quale eſt vectigal portus vel venalium rerum, item ſalinarum, metallorum, & piſcariarum.* Vectigal tamen ſtante Republica, aut ex portu, aut ex decumis, aut ex ſcriptura. A portu portorium dictum, quod pro vehiculo redemtores exigebant[4]. Decumæ ſolvebantur ab iis qui in Italia, aut in Provinciis publicum agrum arabant. Scriptura verò vectigal erat quod pendebatur ab iis, qui ſylvis & paſcuis publicis fruebantur, ut in Italia ſylva Scantia, & ſalictis ad Minturnas. M. Tullius *pro Flacco*: „Mirandum „eſt, *ait*, homines eos, quibus odio ſunt noſtræ „ſecures, nomen acerbitati, ſcriptura, decumæ, „portorium, morti, libenter arripere facultatem „lædendi. Idem ille *pro leg. Manil.* „In vectigali„bus non ſolùm adventus mali, ſed etiam metus „ipſe adfert calamitatem: nam cùm hoſtium co„piæ non longè abſunt, etiamſi irruptio facta „nulla ſit: tamen pecora relinquuntur, agricultu„ra deſeritur; mercatorum navigatio conquieſcit. „Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque „ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt. A decumanis, decumani ſunt Principes, & quaſi Senatores publicanorum, idem lib. 2. *in Verrem.*

„In agrorum autem vectigalium rationibus; „hoc intereſt inter Siciliam, ceteraſque Provin„cias; quòd ceteris impoſitum vectigal eſt cer„tum, quod ſtipendiarium dicitur, ut Hiſpanis „& pleriſque Pœnorum, quaſi victoriæ præ„mium, ac pœna belli. Aut cenſoria locatio con„ſtituta eſt, ut Aſiæ lege Sempronia. Siciliæ ci„vitates ſic in amicitiam fidemque receptæ ſunt, „ut eodem jure eſſent, quo fuiſſent: eadem con„ditione Populo Romano, quâ ſuis antè paruiſ„ſent. Perpaucæ civitates ſunt bello à noſtris ma„joribus ſubactæ; quarum ager cùm eſſet publi„cus Populi Romani factus, tamen illis eſt reddi„tus: is ager à Cenſoribus locari ſolet: fœderatæ „civitates duæ ſunt, quarum decumæ vænire non „ſoleant; Mamertina & Tauromitana. Quinque „præterea ſine fœdere immunes civitates ac libe„ræ, Centumrupina, Haleſina, Segeſtana, Ali„cienſis, Panormitanæ: præter eas omnis ager Si„ciliæ

1 L. 17. C. T. de annon. & Tribut. 2 Interpres. ad l. 1. C. T. de vectigalib. 3 L. 17. D. de verb. ſign. 4 L. cùm in plures. §. vehiculum. D. locat.

„ciliæ civitatum decumanus eſt, Cicero lib. 3. *in Verrem.*

Fuerunt non ſolùm tritici decumæ, ſed & vini, & olei, & frugum minutarum. *Vinarii tituli debita flagitare* dixit Symmachus *lib. 7. epiſt. 95. & reliqua arcæ vinariæ, lib. 9. epiſt.* 121. Ex M. Tullii verbis clarum eſt, vectigal, quod certum impoſitum eſt, ſtipendiarium vocari. Illud quidem propriè eſt tributum, quod qui pendebant, ſtipendiarii aut tributarii dicebantur. Hac de re amplè Carolus Sigonius lib. 1. *de jur. Provinciar.* cap. 1. ad quem Lectorem remitto.

Hoc unum ex Juſtiniani Conſtitutione moneo: Vocari ſtipendiaria & tributaria prædia, quæ in Provinciis ſunt; inter quæ & Italica prædia, nulla eſt differentia[1].

Ex his facile eſt intelligere, quid ſibi velit Strabo *lib.* 4. cùm ſcribit de Britannis: „Vectigalia „illos tolerare jam non difficilia, è rebus quæ à „Gallis & Britannis ultrò citróque vehuntur. „Sunt autem eburnea fræna, & torques, & ele„ctrina atque vitrea vaſa, aliæque id genus viles „ac promiſcuæ merces. Itaque nullo ad eam In„ſulam opus eſt præſidio: requireretur enim ad „minimum una legio, & aliquid equitatus, ſi tri„buta eſſent inde auferenda. Atqui tributum æqua„rent ſumtus in præſidium faciendi: neceſſariò „enim vectigalia, impoſito tributo, minuerentur. Τέλη τε οὕτως ὑπομένουσι βαρέα, τῶν τε εἰσαγομένων εἰς τὴν Κελτικὴν ἐκεῖθεν, καὶ τῶν εἰσαγομένων ἐνθένδε. Ταῦτα δ' ἐστὶν ἐλεφάντινα ψαλία, καὶ περιαυχένια, καὶ λυγκούεια καὶ ὑαλὰ σκεύη, καὶ ἄλλος ῥῶπος τοιοῦτος· ὥστε μηδὲν δεῖν φρουρᾶς τῆς νήσου· τοὐλάχιστον μὲν γὰρ ἑνὸς τάγματος χρῄζοι ἄν, καὶ ἱππικοῦ τινὸς, ὥστε καὶ φόρους ἀπάγεσθαι παρ' αὐτῶν· εἰς ἴσον δὴ καθίσταιτο ἂν τὸ ἀνάλωμα τῇ στρατιᾷ τοῖς προσφερομένοις χρήμασιν· ἀνάγκη γὰρ μειοῦσθαι τὰ τέλη φόρων ἐπιβαλλομένων. Vnde liquet tributarias civitates à vectigalium præſtatione immunes eſſe. Quare cùm Publicani vectigalium conductores Aſiam acerbiſſimè haberent, Julius Cæſar eam liberavit, vectigaliaque in tributi formam redegit, ἐς φόρου συντέλειαν τὸ συμβαῖνον ἐκ τῶν τελῶν κατεστήσατο, Dio *lib.* 42.

Vectigalia pleraque & Principi & civitatibus; tributa ſoli Principi præſtantur. Vnde D. Paulus *ad Roman.* cap. 13. cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, τῷ τὸν φόρον, τὸν φόρον· τῷ τὸ τέλος, τὸ τέλος. De vectigali Saborenſi civitati conceſſo, vetus hoc decretum eſt Imp. Veſpaſiani, pag. 164. 1.

IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG. PONT MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. XX. COS IX. S. D. IIII. VIRIS. ET. DECVRIONIBVS. SABOREN

CVM. MVLTIS. DIFFICVLTATIBVS CIVITATEM. VESTRAM. IAM. PREMI INDICETIS. PERMITTO. VOBIS. OPPIDVM. SVB. NOMINE. MEO. VT. VOLTIS. IN. PLANICIEM. EXSTRVERE VECTIGALIA. QVAE. AB. DIVO. AVGVSTO. ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO. SI. QVA. NOVA. ADIICERE VOLTIS. DE. HIS. PROCOS. PROVINCIAE. ADIRE. DEBETIS. EGO. ENIM RESPONSO. PRIVS. AB. EO. NON ACCEPTO. CONSTITVERE. NIHIL POSSVM. DECRETVM. VIII. KAL. AVG LEGATOS. DIMISI. IIII. KAL. EASDEM

VALETE

C. CORN. SEVERVS. M. SEPTIMIVS COELIVS. II. VIRI. P. P. F. C.

1 §. vocantur. Inſtit. de rer. diviſion.

A

Vectigal ergo propriè eſt, quod fiſco vel Reipublicæ præſtatur pro mercibus, quæ exportantur & importantur: quod ἐξαγώγιον vocat Juſtinianus in Edicto de Alexandrinis. Vectigalia autem civitatum certis finibus conſcripta, vetus alia hæc Inſcriptio docet, pag. 199. 6.

B

IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS AVG. GERMANIC. SARMATIC. ET IMP. CAES. L. AVRELIVS. COMMODVS AVG. HOS. LIMITES. CONSTITVI. IVSSERVNT. PROPTER. CONTROVERSIAS. QVAE. INTER. MERCATORES ET. MANCIPES. ORTAE. ERANT VTI. FINEM. DEMONSTRARENT VECTIGALI. FORICVLIARI. ET. ANSARII. PROMERCALIVM. SECVNDVM VETEREM. LEGEM. SEMEL. DVNTAXAT. EXIGVNT

Quid ſit vectigal foriculiarii, diu hæſitavi: ſed promercale foriculiarii & anſarii dubitationis anſam ſuſtulit. Promercale enim eſt, quod paterfamilias venale habet, extra ea quæ uſui ſuo ſervat. Quare Maſſurius Sabinus libro Juris Civilis ſecundo, ex his quæ promercalia & uſuaria in locis iiſdem eſſent, ea ſola eſſe penoris putat, quæ ſint uſui annuo, Agel. *lib.* 4. *cap.* 1. Et Paulus libro quarto ad Sabinum: *Si quis,* inquit[1], *fructus ſuos ſolitus ſit vendere, non omnia, quæ promercii causâ habuit, legaſſe videtur, penu legata; ſed ea ſola quæ in penum ſibi ſeparabat.*

C

Promercales res ſunt venales, quæ promercii causâ haberi dicuntur[2]. Sic in Florentinis *arma promercii causâ* excipiuntur[3]: malè in vulgatis *commercii.* Promercales igitur res ex quibus ſolvitur vectigal, Foriculiarii & Anſarii, ita interpretor, ut eas maximè ad triticum, & vinum, & oleum, frugeſque minutas & alias hujuſmodi ſpecies referam. Quod ex hac voce *foriculiarium* colligo: ſed lego *foricularium,* ut intelligam forum, in quo res, quæ pondere, numero & menſura conſtant, venales exponuntur. Forum locus eſt negotiationis quò venalia feruntur, Feſtus in verb. *Forum.* Sic Varroni forum vinarium, lib. 1. *de Re ruſtic.* cap. 54. quod idem puto ac foricularium. Culei enim tam vini, quàm tritici & olei dicuntur[4], ex quibus vectigal octavarium dictum, quòd ex eorum venditione octavum pretii debeaetur[5].

D

Anſarium vectigal ab anſa dictum: anſa enim eſt vas, aut quidvis aliud, quod manu teneri ſolet, & quo metimur quæ pondere, numero, & menſura conſtant. Hinc qui tributa vel vectigalia exigebant, juſtis ponderibus & menſuris uti debuerunt: & ſpecierum quidem menſuras à Præfecto Præt. accipere; auri autem aut argenti, aut metallorum, à Comite ſacrarum Largitionum[6].

E

Poteſt etiam vectigal anſarium ad arma promercalia trahi, quæ quis promercii causâ habuerit: nam anſata, jaculamenta cum anſis dixit Ennius libro tertio apud Nonium,

F

Anſatis concurrunt undique telis.

Anſatum telum eſt Turnebo lib. 18. *Adverſar.* cap. 3. quod anſam habet, id eſt, amentum. Hic locus anſam variam reprehenſionis & fortè ſeveriorem habebit, ut & plures alias anſas hoc in Opere

1 L. nam. quod. §. ſi cui. D. de penu leg. 2 L. quòd ſi. D. de impenſis in reb. dot. fact. 3 L. 2. D. ad leg. Jul. de vi public. 4 L. fin. §. fin. D. de pignorat. act. 5 L. 7. C. de locat. & conduct. & l. 8. C. de vectigalib. 6 Novel. 128. cap. 15.

A re ad reprehendendum me dediſſe certus ſum Græculis pluribus, qui nihil rectum putant, niſi illud ipſi commenti ſint. Ego verò ut omnes qui aliquid in ſtudiis, vel minimum faciunt, venerari mirarique ſoleo, ſic in rebus iſtis arduis, difficilibus, faſtidioſis, omnes eos, à quibus contemnor, invicem contemno & rideo. Nos alio loco de Publicanis & vectigalibus fuſiùs: hîc ſolùm attigimus ea quæ ad Largitionales titulos pertinent, quæque Comiti Largitionalium titulorum per Africam commiſſa ſunt. Quale fuit Octavarii vectigal promercalium, ut legum tituli indicant[1].

CAP. XVIII.

De Rationalibus & Præpoſitis Theſaurorum.

SUb diſpoſitione Comitis ſacrarum Largitionum ſunt Rationales[2]. Rationalis ſummarum Pannoniæ ſecundæ, Dalmatiæ, & Saviæ: Rationalis ſummarum Pannoniæ primæ, Valeriæ, Norici mediterranei & Ripenſis: Rationalis ſummarum Italiæ: Rationalis ſummarum Vrbis Romæ: Rationalis ſummarum trium Provinciarum, id eſt, Siciliæ, Sardiniæ, & Corſicæ: Rationalis ſummarum Africæ: Rationalis ſummarum Numidiæ: Rationalis ſummarum Hiſpaniæ: Rationalis ſumm. quinque Provinciarum: Rat. ſumm. Galliarum: Rat. ſumm. Britanniarum.

Rationales ſummarum ſunt ii, quibus cura tractandæ pecuniæ Principis mandata eſt, qui & Procuratores à Rationibus dici poſſunt. Capitolinus *Procuratorem fiſci*, alium à Rationali facit: *Erat*, inquit in *Maximin. duobus*, *fiſci Procurator in Libya, qui omnes Maximini ſtudio ſpoliaverat. Hic per ruſticanam plebem & quoſdam milites interemtus, per eos qui Rationalem in honorem Maximini defendebant.* Caſaubonus legit, *inter eos*, non, *per eos*, à quo diſſentio inf. cap. 33. Hujus rei hiſtoria ſic ab Herodiano narratur *lib.* 7. qui eum Procuratorem, τῆς Λιβύας ἐπίτροπον, & τοῦ ταμείου προεστῶτα vocat; occiſum eum, exſertantibus gladios illius militibus, atque ire ultum volentibus: repentè ruſtici fuſtibus ac ſecuribus occurrerunt, & in fugam verterunt. Τῶν δὲ περὶ αὐτὸν στρατιωτῶν γυμνωσάντων τὰ ξίφη, τῷ τε φόνῳ ἐπεξελθεῖν θελόντων, οἱ ἐκ τῶν ἀγρῶν κατεληλυθότες περιβαλλόμενοι, τά τε ξύλα, καὶ τοὺς πελέκεις ὑπερμαχόμενοι τῶν δεσποτῶν τοὺς ἀντιστῶντας ῥᾳδίως ἐτρέψαντο. Hic etiam Curator & Logotheta nominatur. Titulus eſt Βασίλικ.[3] περὶ τοῦ Κουράτωρος τοῦ Βασιλέως, νῦν δὲ Λογοθέτου, *De Curatore Principis, qui nunc Logotheta*, quique idem Rationes conficit, vel accipit; quique idem diſcuſſor dicitur. Λογοθέτης propriè eſt Curator Reipublicæ[4], qui & Ratiocinator dicitur[5]. Λογοθέτην ſcribit Antonius Auguſtinus in interpretatione verborum Juliani, Λογογράφον dictum, qui Rationalis in noſtra hac Notitia. Sed Logographi conditionales ſunt ſine dignitate, qui, ſi res exigeret, tormentis ſubjici poterant[6]. At Rationales in honore poſiti ſunt, & inter viros egregios numerantur[7]. Quin Ratiocinator, ſeu Curator Reip. Juriſdictionem habet, eſtque Magiſtratus, & Adſeſſores habet ſeu Conſiliarios[8].

1 L. 7. C. de locat. & l. 8. C. de vectigalib. 2 Notitia Imper. 3 Lib. 6. tit. 20. 4 L. 3. C. de modo multar. 5 Novel. 128. 17. 6 L. 1. & 2. C. de tabular. ſcrib. logograph. 7 L. 3. C. T. de honorar. Codicil. & l. 2. C. eod. de princip. agent. in reb. 8 L. fin. C. de offic. adſeſſor.

Rationalis patrimonii ſub diſpoſitione fuit Comitis rei privatæ: ſed Rationales ſummarum ſub Comite Largitionum militabant, Symmachus *lib.* 10. *epiſt.* 4. & *l.* 6. *C. de exactionib. tribut.* qui in antiquis Inſcriptionibus inter egregios ponuntur, pag. 278. 6.

MAGNO. ET. INVICTO. IMP. CAES
M. AVR. VAL. DIOCLETIANO
PIO. FELICI. AVG
BASILIVS. DONATIANVS
V. E. RATIONALIS. D. N. M. Q. EIVS

B Id eſt, Vir egregius, devotus numini Majeſtatique ejus.

Rationales ſummarum in ſingulis Provinciis commorantur[1], ſacriſque ærariis in ſua quiſque Provincia præſidebat[2]. Iidem dicuntur Magiſtri æris, & Procuratores Theſaurorum[3]. Ideò verò Rationales ſummarum nuncupati, ut hæc adjectio illos à Rationali ſummæ rei diſtingueret. Nam Procuratoribus fiſci varia ſunt indita nomina, pro ratione adminiſtrationum: unde Paulus libro quarto ad legem Juliam & Papiam: *Procurator*, inquit[4], *Cæſaris non ſolùm cui rerum cujuſque Pro-*
C *vinciæ adminiſtratio mandata eſt, ſed & is cui rerum cura, quamvis non omnium.* Sunt enim Procuratores ſive Rationales diverſarum rerum, qualis eſt Rationalis monetarum, Rationalis purpurarum, de quo vetus hæc eſt Inſcriptio, pag. 474. 4.

THEOPRAEPON. AVG. LIB. PROC
D. N. M. AVR. SEVERI. ALEXANDRI. RATIONALI. PVRPVRAE
PROC. SALTVS. DOMITIANI

D Rationalis etiam legitur in aliis Inſcriptionibus, qui curam gregum Cæſaris habuit: qui propriè Procurator ſaltuum nominatur, pag. 513. 1.

BASSAEVS. RVFVS. ET. MACRINVS. VINDEX. MAGG. SAEPINAT. ....
SALVTEM. EXEMPLVM. EPISTVLAE
SCRIPTAE. NOBIS. A. COSINO. AVG
LIB. A. RATIONIBVS. CVM. HIS. QVAE
IVNCTA. ERANT. SVBIECIMVS. ET
ADMONEMVS. ABSTINEATIS. INIVRIIS. FACIENDIS. CONDVCTORIB
GREGVM. OVIARICORVM. CVM
E MAGNA. FISCI. INIVRIA. NE. NECESSE. SIT. RECOGNOSCI. DE. HOC
ET. IN. FACTVM. SI. ITA. RES. FVERIT. VINDICARI

COSINI. AVG. LIB. A. RATIONIBVS
SCRIPTAE. AD. BASSAEVM. RVFVM
ET. AD. MACRINVM. VINDICEM. PR
P. R. E. V. EXEMPLVM. EPISTVLAE. SCRIPTAE. MIHI. A. SEPTIMIANO. COLLIBERTO. ET. ADIVTORE
MEO. SVBIECI. ..... ET. PETO. TANTI. FACIATIS. SCRIBERE. MAGG
F SAEPIN. ET. BONIAN. VTI. DESINANT. INIVRIAM. CONDVCTORIBVS. GREGVM. OVIARICORVM. QVI
SVNT. SVB. CVRAM. ET. FACERE
VT. BENEFICIO. VESTRO. RATIO
FISCI. INDENNIS. SIT

1 L. 1. C. T. de incorporation. 2 L. 4. C. de advoc. fiſc. 3 Cujac. ad l. 6. C. de exact. trib. 4 L. qui mittuntur. §. item Procurator. D. ex quib. cauſ. major.

SCRIPTAE. A. SEPTIMIAMO. AD. COSINVM

CONDVCTORES. GREGVM. OVIARICORVM

QVI. SVNT. SVB. CVRA. TVA. IN. RE PRAESENTI. ABSTINERE. MIHI.....

....

Scripta Epiſtola à Rationali ſaltuum ad Procuratores privatæ rei, qui exemplar Epiſtolæ ad Magiſtros pecoris Sæpinatium miſerunt. Sic enim MAGG. interpretor Magiſtros, & quæ exarata ſunt ſic ſuppleo, ut ſcriptum putem: *Magiſtris Sæpinatium Bovianorum.* Magiſter pecoris, qui & Saltuarius, is eſt, ad quem præcipua pertinet animalium & paſtionis cura:

—— —— —— cui Regia paret
Armenta, & latè cuſtodia credita campi.

Virg. 7. *Æneid.* Rectè Servius, Magiſtrum hunc pecoris vult fuiſſe & Saltuarium: ſed lapſus eſt, cùm Magiſtrum pecoris putat, ad quem omnia animalia pertinent, laudatque Ciceronem; non adjecto loco, cui hæc verba tribuit, *nominat hominem, quem Magiſtrum pecoris eſſe dicebat.* Sed leviter M. Tullium percurrit Servius: ille enim Magiſtrum pecoris inter bubulcos & paſtores ſervos annumerat; *Etenim nominat iſte ſervum*, inquit, *quem Magiſtrum pecoris eſſe diceret*, lib. 2. *in Verrem.*

Notas litterarum PR. P. R. E. V. explico, *Procuratorem privatæ rei, egregium virum*; qui monetur ſcribere Magiſtris pecorum Sæpinatium & Bovianorum. Sæpinates & Boviani in quarta Italiæ regione à Plinio locantur *lib.* 3. *cap.* 12.

Greges Oviarici ſunt Greges ovium. Columella *lib.* 7. *cap.* 6. *Et quoniam*, inquit, *de Oviarico ſatis dictum eſt, ad caprinum pecus nunc revertor.* In hac Epiſtula Collibertus Adjutor memoratur: ex eo diſcimus Rationales Adjutores habuiſſe; quod & alia Inſcriptione probatur, pag. 371. 8.

AETE. MEMORIAE. AVRELI. DEMETRI. ADIVTORI. PROCC. CIVITATIS SENONVM. TRICASSINORVM. MELDORVM. PARISIORVM. ET. CIVITATIS. AEDVORVM

Adjutor Procuratoris etiam Subprocurator dictus eſt, pag. 4. 4.

AVIENVS. AVG. LIB. SVBPROC. AVRARIARVM

Eſt hæc alia, pag. 594. 7.

M. VLPIO. AVG. LIB. PROC AVRARIARVM

Auraria χρυσάργυρον, tributi genus, quod Conſtantinus inſtituit, χρυσὸς καὶ ἀργύρυ, ſi Zoſimo credimus *lib.* 2. quæ auraria collatio dicta eſt, & luſtrale aurum, quod negotiatoribus indicitur, Capitolinus in *Antonino Pio*, & l. 3. C. T. *de luſtral. conlat.* Rationales verò Proximos etiam habuerunt, ex veteri lapide, pag. 1111. 11.

T. FLAVIO. PALATINO. AVG. LIB PROXIM. RATIONAL. ET. A. COMMENTARIIS. PROVINCIAE. BELGICAE

Rationales Summarum alii ſunt ab iis qui Ratiocinatores appellantur: ii enim rationes tantùm diſcutiebant [1]; quo ſenſu Ratiocinator tabernæ ab Vlpiano dicitur [2], qui tabernæ rationes tractat, λογιστικὸς, & Rationalia λογικὰ, Rationarius λογιστήριος, Gloſſ. vet. Eſt *Rationarius apparitionis Magiſtri armorum*, Ammiano Marcel. *lib.* 15. qui ſtipendia Apparitoribus numerabat: eſt enim λογιστήριον, locus in quo milites recenſentur, & ſtipendia militibus numerantur.

Rationales æris Magiſtros ſuprà notabamus, qui & ærarii Procuratores appellantur. Procuratorem ærarii majoris narrat Lampridius in *Diadumeno*, cujus lectionem improbat Caſaubonus, quòd majus ærarium ſe alibi legere non meminerit. Quare non dubitat Auctorem ſcripſiſſe Procuratorem veſtiarii majoris, vel Gynæcei majoris: quoniam Procurator ærarii majoris purpuras fortè inſpexiſſe dicitur, & eas claras probaſſe: probationem enim purpurarum ad Procuratorem ærarii non pertinuiſſe. Si Caſaubonus majus ærarium non legit, nec ego quidem majus veſtiarium, aut majus Gynæceum.

Ærarium duplex fuit, ſacrum & privatum [3]; quod utrumque perenne dicitur [4], & majus ærarium: illudque propriè Imperatori ratione Imperii competebat, ut privatum ea bona continebat, quæ Principis propria erant, antequam Imperio potiretur. Fuerunt verò minora æraria in Provinciis, quæ Rationales ſummarum curarent: nam majus ærarium à Comitibus Largitionum ſacrarum & privatarum gerebatur. De minore ærario Symmachus *lib.* 5. *epiſt.* 63. *Piget dicere quibus ſtrophis ærarii Itali apparitio graſſetur.* Lapis vetus, pag. 43. 12.

L. GEMINIVS. L. FILIVS MESSIVS. VI. VIR. CVRATOR AERARI. MEDIOLAN

Rationales ergo ſummarum, minoris ærarii Procuratores rectè dixerim, vel ex Epiſtola Commodi ad Clodium Albinum: *Litteras*, inquit, *miſi, quas ipſe ſignatas excipies, ſigno Amazoniæ, &, cum opus fuerit, Rationalibus dabis: ne te non audiant, cum de ærario volueris imperare*, Capitolinus in *Clod. Albino.*

Erant & Auctores Summarum, ut apud Suetonium Levinus Torrentius rectè emendavit, *Actorem ſummarum*, malè in vulgatis, *auctorem. Hunc Domitianus pridie quàm crucifigeret, in cubiculum vocavit, aſſidere in toro juxta ſe coëgit, ſecurum hilaremque dimiſit*, Suetonius in *Domitiano* cap. 11. Hunc Actorem ſervum fuiſſe pœnæ genus arguit, ut & Officium. Nam Actor ſummarum ſervus, idem eſt ac Diſpenſator, qui pecuniæ domini, tàm exigendæ, quàm erogandæ præeſt [5]. Hic quidem ab Actoribus rerum ſejungitur. Actor enim ſummarum pecuniam tantùm tractat; Actor verò rerum Auguſti πραγματευτὴς à Scævola nominatur [6]: is eſt cui præcipua rerum domini cura incumbit, & cui libera rerum adminiſtratio, ut rebus omnibus Præpoſito, commiſſa eſt [7].

Ex his Rationales ſummarum à ſummæ rei Procuratoribus differre dubium non eſt: illorum enim munus coarctatum eſt, hujus verò ampliſſimum. Rationalis ſummæ rei vocatur à Suetonio, rerum Auguſti procurator, in *Vitellio* cap. 2. ab Euſebio, τῶ μεγίστω πράγματος προστατεύων. De quo pauca

1 Novel. 128. cap. 7. 2 L. Procuratores. §. ſi plures. D. de tribut. act. 3 L. 41. C. T. de operib. public. 4 L. 2. tit. 2. C. T. lib. 6. 5 L. 5. §. actoris. D. de dol. mal. & met. except. 6 L. Thais. §. ſorore. D. de fideicommiſſ. libertatib. 7 L. Procurator. cui. D. de Procuratorib.

pauca Cujacius lib. 8. *Observat.* cap. 32. qui veterem hanc Inſcriptionem laudat, pag. 282. 6.

PIISSIMO. AC. FORTISSIMO. FVNDATORI
PACIS. AC. LIBERTATIS. AVCTORI
D. N. F. VAL. CONSTANTINO
NOBILISSIMO. CAESARI. VAL. HONORATVS
V. P. RAT. S. R. D. N. M. Q. EIVS

Hunc virum quidam ſacrarum remunerationum Procuratorem interpretantur, qui nullus eſt: ſed Rationalis fuit ſummæ rei, qui & Procurator ſummæ rei dicitur [1]: nobis eſſet, *Receveur général:* ut Rationalis ſummarum, *Receveur particulier*: nam Rationalis ſummæ rei, καθολικὸς, Rationalis ſummarum, κεφαλικός. Sic in libris Βασιλικ. *lib.* 56. *tit.* 7. κατὰ κέλευσιν τοῦ κεφαλικοῦ, rectè ſcriptum: nec probo Cujacii emendationem, qui legendum putat καθολικοῦ. Κεφάλαιον enim eſt ratio & ſumma, à qua Rationalis κεφαλικός. At καθολικὸς, eſt etiam Procurator, & Rationalis Cæſaris, qui Provinciam obtinet, quique in partem adminiſtrationis Provinciæ venit, & ἡγεμὼν, ut Præſes dicitur, de quo nos poſtea. Hoc tantùm monemus, non licere Catholico, ſeu Procuratori Cæſaris, aut Præfecto Prætorio novum vectigal conſtituere, vel vetus augere, ſine principali Reſcripto. Ex iiſdem Βασιλικ. *lib.* 56. *tit.* 1. Ἄνευ βασιλικῆς κελεύσεως οὐκ ἔξεστι τῷ ἄρχοντι ἢ τῷ Καθολικῷ καινὸν τέλος, ἢ τὸ παλαιὸν αὐξῆσαι, ἢ μειῶσαι. Hinc Catholiciani, ſeu Cæſariani dicuntur, qui ſunt in Officio Procuratoris Cæſaris [2].

Procurator autem ſummæ rei, alius eſt ab eo qui ſummæ rei imponitur: hic enim in partem quodammodo imperii vocatur, ut Præt. Præfectus: nam ſumma res pro tota Republica intelligitur. M. Tullius *lib.* 13. *epiſt.* 68. *Ego ad te de Reip. ſumma, quid ſentiam, non ſæpe ſcribam, propter periculum hujuſmodi litterarum.* Sic in Libris noſtris ſumma Reip. idem ſignificat, quod ſtatus & firmamentum Reip. quo ſenſu Vlpianus ſcripſit *ad ſummam Reipublicæ, navium exercitum pertinere* [3]: quod eſt, eo ſublato, ſtatum Reip. lædi. Sic Paulus [4]: *qui de ſalute Principis, vel ſumma Reip. conſulit, capite punitur.* Quare non rectè Cujacius credit lib. 8. *Obſervat.* cap. 32. Rationalem ſummæ rei, eundem eſſe ac ſummæ rei impoſitum.

Rationales ſummarum undecim in Notitia recenſentur, qui rationum Præfecti, Ῥατιωνάλιοι οἱ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις βασιλικῶν πραγμάτων προνοοῦντες, Gloſſ. Baſil. Horum quorundam mentio in utroque C. antiquis Auctoribus, & Inſcriptionibus. Rationalem Italiæ ex Symmacho agnovimus: Rationalem Vrbis Romæ ex Reſcripto Conſtantini [5], & ex antiqua Inſcriptione, pag. 1098. 1.

L. NONIVS. VERVS. V. C. BIS. CORRECTOR
APVLIAE. ET. CALAB. BIS. RATION
VRBIS. ROMAE. AFRICAE.

Hic fortè & Vrbis Procurator dictus eſt. Meminit Vlpianus Salviani cujuſdam, qui urbicam procurationem beneficio Principis adeptus eſt [6]. Sed hæc procuratio nihil ad hanc rem, vide ſup. lib. 1. cap. 29. Amplior enim fuit procuratio Vrbis quàm illa urbica.

1 L. fin. C. ſi propter public. penſitat. & l. 7. C. ub. cauſ. fiſcal. 2 L. 9. §. fin. C. de bonis proſcriptor. 3 L. 1. §. ſi is qui navem. D. de exercitor. act. 4 Lib. 5. Sentent. cap. 21. 5 L. 14. C. de appellationib. 6 L. verum, §. ex facto. D. de minorib.

A Narrat Tacitus lib. 1. *Hiſtor. Cæcinam cunctatum, num Rheticis jugis in Noricum flecteret adversùs Petronium Vrbis Procuratorem, qui concitis auxiliis & interruptis fluminum pontibus, fidus Othoni putabatur.* Diſplicet hæc lectio Lipſio, & cùm Procuratorem Vrbis neſciret, quærit ille, cujus urbis? & Norici totius Procuratorem Petronium, non unius alicujus oppidi conſtituit. Quare pro *Vrbis Procuratorem*, corrigit ibi, *Procuratorem.* Facilè labi potuit qui Urbem Romam pro oppido intellexit. In tanta rerum perturbatione, nonne Procurator Vrbis, qui pecunias tractabat, auxilia contrahere potuit, Othonis partes adversùs
B Vitellium ſecutus? cur repugnantibus Libris omnibus recta lectio immutatur? Sed ſic ſolet Critica licentia.

Rationalis trium Provinciarum tribus legum inſcriptionibus deſignatur [1]. Rationalis Africæ alia legis inſcriptione [2], ut Rationalis Numidiæ [3]: Rationales Hiſpaniarum legis etiam Inſcriptione denotantur [4]: atque unâ hac veteri, pag. 414. 8.

L. FVRIO. L. F. PROC. A. RAT. PRAEF
PRAETO. PROC. PROVINCIAE. HISPANIAE. ET. GALL

C Hoc verò de Rationalibus ſeu Procuratoribus ſummarum, qui pecunias publicas tractabant, vetus dictum eſt: *Brevius iter credi, acquirendæ pecuniæ, per Procuratores Principis, negotia adminiſtrare*, Tacitus 4. *Hiſtor.* Horum faſtum & ſuperbiam Julianus Auguſtus facetè notavit, qui cùm ad demendum capillum Tonſorem venire præcepiſſet: *introivit ille ambitioſè veſtitus, quo viſo Julianus obſtupuit: Ego, inquit, non Rationalem juſſi, ſed Tonſorem, acciri*, Ammianus Marcellinus *lib.* 22.

Præpoſiti theſaurorum ſequuntur Rationales,
D qui duodecim in Notitia numerantur, quibus conſignabatur pecunia, quæ ex canone Largitionum titulorum redacta eſt, ſub obſignatione Tabularii. Sic enim canon theſauris Provinciæ ex more inferebatur [5]. Tabularii, Exactores, Arcarii ſunt rationum Officia [6]. Et Tabularii eorum, quæ inferuntur, rationes conficiunt [7].

Sunt & Comites theſaurorum, de quibus exſtat Impp. Theodoſii & Valentin. Reſcriptum ad Comitem S. L. [8]: *ut eorum provectiones per Diœceſes Principi reſerventur, ut Theſaurenſium.* Meminit Ammianus Marcellin. *lib.* 29. Comitis theſaurorum per Thracias, & ejus qui Gallicanos tue-
E batur theſauros, idem *lib.* 22. quem Notitia vocat Præpoſitum theſaurorum per Gallias Lugdunenſes. Sunt tamen in Gallia alii theſaurorum Præpoſiti ex Notitia, ut Præpoſitus theſaurorum Arelatenſium; Præpoſitus theſaurorum Nemauſenſium; Præpoſitus theſaurorum Treverorum; Treveris enim erat tum metropolis Galliarum.

Præpoſiti theſaurorum per Provincias: Comites theſaurorum ex Theodoſii Conſtitutione ſunt per Diœceſes conſtituti [9].

CAP.

F 1 L. 1. C. T. commun. divid. l. 5. C. eod. de petitionib. ultr. dat. & l. 2. C. eod. de ſuſceptorib. præpoſit. & arcar. 2 L. 2. C. T. de jur. fiſc. 3 L. 4. C. T. de bon. vacantib. 4 L. 1. C. T. de his qui ſe defer. 5 L. 1. C. de canon. largitional. tit. 6 L. 1. C. de iis qui ex public. rationib. 7 L. 1. C. de exact. tribut. 8 L. fin. C. T. de diverſ. offic. 9 L. 1. C. de Comitib. & Tribun. Schol.

CAP. XIX.

De Procuratoribus Monetæ.

SEx Monetæ Procuratores ſunt ſub diſpoſitione Comitis S. L. Liberalitatem Principis hoc obſequio Largitionum Comitem decorare Theodoricus Rex dicebat, *ut figura vultus Principis metallis uſualibus imprimeretur, monetamque faceret, ſuis temporibus futura ſecula commonere*, Caſſiodorus lib. 6. *Var.* 7. Hinc ad Largitiones ſacras pertinet Monetariorum Corpus, quod Procuratores ſuos habuit, qui S. L. Comiti obſequerentur, & Procuratores Rationales monetarum dicti.

Horum tanta fuit poteſtas, ut Corpus Monetariorum ad rebellionem provocantes, Aureliano Principi bellum inteſtinum intulerint; de quo Vopiſcus in *Aureliano: Fuit*, inquit, *ſub Aureliano etiam Monetariorum bellum, Feliciſſimo Rationali auctore.* Aurelius Victor in *Aureliano: Intra Urbem*, ait, *monetæ opifices deleti: qui cùm auctore Feliciſſimo Rationali nummariam notam corroſiſſent, pœnæ metu, bellum fecerant, uſque eò grave, uti per Cœlium Montem congreſſi ſeptem ferè millia bellatorum confecerint.* A quibus diſcrepant Eutropius, & Suidas, qui Feliciſſimum Rationalem hunc infeliciſſimum, non auctorem belli faciunt, ſed à Monetariis interfectum: *Monetarii*, inquit Eutropius *lib.* 9. *in Vrbe rebellarunt, vitiata pecunia, & Feliciſſimo Rationali interfecto.* Suidas verò: Μονετάριοι οἱ περὶ νόμισμα τεχνῖται, οἳ περὶ Αὐρελιανῦ διέφθειραν τὸ νόμισμα, καὶ τὸν ἴδιον ἄρχοντα Φιλικήσιμον ἀνελόντες ἐμφύλιον ἐγείρυσι πόλεμον. Hunc tamen rebellionis auctorem damnat Aureliani Epiſtola ad Vlpium Crinitum Conſulem: *Seditio*, ait Vopiſcus in *ejus Vita, intramurana bellum mihi graviſſimum peperit: Monetarii auctore Feliciſſimo ultimo ſervorum, ſui fiſci procurationem mandaveram, rebelles ſpiritus extulerunt.* Ex quibus conſtat Procuratores Monetæ, & Rationales & fiſci Procuratores vocatos, quos Suidas ἄρχοντας impropriè, Ammianus Marcel. Procuratores monetæ, & monetæ Præpoſitos, vocat *lib.* 28.

Quodnam fuerit illorum Officium, minùs notum eſt. Julius Cæſar monetæ peculiares ſervos præpoſuiſſe narratur, Suetonius in *Julio* cap. 76. quos Aurelianus Imp. vocat ſervorum ultimos: Vt *peculiare vinum* dixit Vlpianus, *quod in uſu ſervorum eſt* [1], ac proinde viliſſimum, ut rectè Torrentius interpretatur. Quare monetæ ſervos Præpoſitos, diſpenſationem publicæ pecuniæ habuiſſe, & aliquid rationis publicæ attigiſſe, colligi poteſt: ut olim Triumviri menſarii, rei nummariæ publicæ curatores fuerunt, quos Cæſar non abrogavit.

Stante Republica monetaria res præcipuè adminiſtrata eſt à Tribunis ærarii, Triumviris menſariis & Triumviris monetalibus. Tribuni ærarii Magiſtratus non erant, ex lege Aurelia, ſed ordinis nomen: lex quidem illa judicia tranſtulit ad tres Ordines, Senatorum, Equitum & Tribunorum ærarii, atque hos à judicandi munere Julius Cæſar ſuſtulit, Suetonius in *Jul.* cap. 41. Tribunos æris vocat Plinius *lib.* 33. *cap.* 2. Erat autem penes hunc Ordinem cuſtodia pecuniæ attributæ, quam militi darent, & à tribuendo ære ſunt appellati, Varro lib. 4. *de Ling. Latin.* & Feſtus in verbo *Ærarii.*

Triumviri menſarii in Vrbe pecuniâ Remp. juvabant: ut ex Oratione Levini Conſulis palam eſt, Livius *lib.* 26. Hic enim cùm in magna difficultate rerum conſilium hæreret: *Ceterum*, inquit, *omne aurum, argentum, & æs ſignatum, ad Triumviros menſarios extemplo deferamus, & certamen juvandæ Reipublicæ excitet ad æmulandum animos.*

1 L. ſi quis vinum. §. item ſi peculiare. D. de tritic. & vin. leg.

In Italia & Provinciis fuerunt publicæ pecuniæ Curatores, ut Inſcriptiones veteres docent: Sutrii in Hetruria, pag. 428. 6.

C. LEPIDIO. C. F. II. VIRO. IVR. DIC
CVR. PEC. PVBL. ET. OPERVM
PVBLICORVM

Et hæc alia, pag. 451. 5.

N. PETTIO. N. F. GAL. RVFO
II. VIRO. CVR. PEC. PVBLICAE
CVRATORI. FRVMENTI

Triumviri verò monetales inter minores Magiſtratus habentur, & Populi ſuffragio creantur. Hos æris, argenti, auri flatores Pomponius vocat [1], qui in nummis & lapidibus his notis deſignantur, III. V. A. A. A. F. F. Triumviri auro, argento, ære, flando, feriundo.

Fulvius Vrſinus lib. *Famil. Rom.* in gente Cornelia, fol. 71. ante inſtitutum Triumvirorum monetalium Officium, denariorum flandorum Curatores dictos tradit, qui cudendæ monetæ præficiebantur: & Triumviros monetales Ciceronis tempore, vel paulò antè, creatos. At ex Pomponio Triumviri monetales ante captam Sardiniam conſtituti ſunt. Poſt hos enim capta deinde Sardinia eſt, quam T. Manlius Torquatus in Conſulatu ſubegerat, poſt Cannenſem cladem, primo Punico bello, quod ex Faſtis Conſularibus geſtum eſt anno ab Vrbe condita CCCCLXXXVIII. Ducentis fermè annis ante tempora Ciceronis, qui Conſul fuit cum Antonio anno Vrbis DCXCI. Et Faſti Conſulares cum Pomponio conveniunt: qui eodem tempore Triumviros monetales, & Triumviros capitales conſtitutos prodit. Sed non ſolùm ante captam Sardiniam, ſed ante bellum Punicum primum: ſic enim Faſti Conſulares anno Vrbis conditæ CCCCLXV.

III. VIRI. CAPI. Q. MARCIVS. Q. F. P.
CORNELIVS. A. F. TALES. PRIMI.
TREMVLVS ARVINA

Quo eodem tempore monetales. Horum Officium lex Cornelia Nummaria, ſive de falſo, explicat, quâ cavetur, ut qui nummos adulterinos flaverit, falſi pœnâ teneatur: & ne quis nummos ſtanneos, plumbeos, emere, vendere, dolo malo vellet. Præerant huic muneri Triumviri monetales, auri, argenti, æris, flandi, feriundi gratiâ creati longo ante Ciceronis tempora intervallo. Sed induxit fortè in errorem Fulvium Vrſinum Dio, qui ex Senatuſconſulto, abſente adhuc Auguſto, viginti viros conſtitutos ſcribit, quorum tres ad capitalia judicia ſunt ordinati, alii tres cudendo numiſmati præfuerunt: Dio *lib.* 54. Οἵτε τρεῖς, οἱ τῦ θανάτυ δίκας προσεταγμένοι, οἱ δ' ἕτεροι τρεῖς, οἱ τῦ νομίσματος κόμμα μεταχειριζόμενοι. Κόμμα propriè eſt nota, ſeu ſignum in nummo percuſſum, & μεταχειρίζεσθαι, ſignificat diligenter & attentè tractare manibus, examinare, regere, moderari. Triumviri non Auguſti temporibus inſtituti, ſed reſtituti, ob intermiſſum bellis civilibus Officium: vel potiùs eorum numerus auctus à Julio Cæſare, ad Treſviros à Senatu & Auguſto redactus. De his M. Tul-

1 L. 2. §. deinde. D. de orig. jur.

Tullius *lib.* 7. *epist.* 13. *Treviros vites censeo*, (de Triumviris Reip. constituendæ sic loquitur) *audio capitales: mallem auro, argento, ære essent.* An verò Procuratores seu Rationales monetæ, Triumvirorum monetalium locum sortiti sint, videamus. Primum Triumviros ad M. Antonini Caracallæ tempora durasse, Inscriptio vetus testatur, quæ Romæ, pag. 379. 7.

C. CAERELLIO. FVFIDIO. SODALI
MARCIANO. AVRELIANO. COMMO-
DIANO. HELVIANO. SEVERIANO
III. VIR. MONET. A. A. A. F. F. QVAE-
STOR. CANDIDATO. IMP. CAESARIS
M. AVRELI. ANTONIN. AVG. AMY-
CVS. ET. CHRESTINA
NVTRITORES

Item hæc alia, pag. 417. 5.

Q. HED. L. F. POL. RVF. LOLLIANO
PROCOS. ASIAE. III. VIRO
A. A. A. F. F.

Horum munus ad Procuratores monetæ ante Constantinum translatum est, cùm Rationales & fisci Procuratores, ab Aureliano Imperatore vocatos viderimus: nam hi Procuratores monetæ præfecti sunt & probationi pecuniæ.

Rem Nummariam hîc tractare non est meí operis, sed breviter de illius Officinatoribus aliquid annotare, quod ad Procuratoris monetæ Officium pertineat. Ex Inscriptionum thesauro hanc monetam mutuabor, pag. 45. 3.

HERCVLI. AVG. SACRVM
OFFICINATORES. ET. NVMMVLARI
OFFICINARVM. ARGENTARIARVM
FAMILIAE. MONETARI.

Alia hæc est, quæ Monetariorum nomina continet, quos omnes libertos, aut servos arguit, pag. 74. 1.

FORTVNAE. AVG
SACRVM
OFFICINATORES. MONETAE
AVRARIAE. ET. ARGENTARIAE
CAESARIS
FELIX. OPTIO. ET. EXACTOR
AVRI. ARGENTI. AERIS
ALBANVS LIB. OPTIO AGATHO LIB. II
LACHES LIB. OFF MAMAS LIB. II
TROILVS LIB. II EXPECTATOR SER. II
D. S. D. D. DEDICAT. V. K. FEBR. L.
VIPSANIO. MESSALA. M. VERGI-
LIANO. PEDONE. COS

Est & hæc Inscriptio Romæ, pag. 1070. 1.

HERCVLI. AVG
SACR
FELIX. AVG. L. OPTIO. ET. EXACTOR
AVRI. ARG. AERIS. ITEM. SIGNAT
SVPPOSTORES. MALLIATORES. MO-
NETAE. CAESARIS. N.

In sinistro latere.

SIGNATORES. SVPPOSTORES. MAL-
LIATORES. PVDENS. LIB. SATYRVS
LIB. GORGIAS. LIB. EPAPHRODITVS.
SERV.

A Lugduni, pag. 583. 8.

NOBILIS. TIB. AVG. SERV
AEQ. MONET

Romæ, pag. 638. 4.

M. VLPIVS. AVG. LIB
FLATVARIVS. AVRI. ET. ARGENTI
MONETARVM

Item Romæ, pag. 638. 2.

B P. LOLLIO. MAXIMO. NVMMVLARIO
PRIMO. OFFIC. MONET
ARGENTAR

Atque hæc, pag. 638. 3.

M. VLPIO. SECVNDO
NVMMVLARIO. OFFIC
MONETAE

Ex his variis Inscriptionibus, inter Officinatores monetæ, qui in Officinis publicis operabantur, proponuntur nobis Optiones, Exactores, Signatores, C Suppostores, Malleatores, Æquatores, Flatuarii, Nummularii.

Optiones in re militari sunt honesti gradus, ut Optati; quod est, electi, adoptati, adsciti, Nonius: qui antecedentibus ægritudine præpeditis, ut eorum Vicarii, solent universa curare, Vegetius *lib.* 2. *cap.* 7. Optio igitur qui alteri vicariam operam præstat. Neque id solùm in castris, sed in aliis plerisque Officiis. Sic Optionem Carceris Vlpianus[1], quem Budæus Commentariensis Adjutorem interpretatur. Malim Speculatoris, ex verbis legis; quæ dum de Panniculariis damnatorum loquitur, D sanxit ut *neque Speculatores ultrò sibi vendicent, neque Optiones ea desiderent, quibus spoliatur quo momento quis punitus est.* Optionem fabricæ vocat Callistratus[2], quem Turnebus lib. 15. *Adversar.* cap. 14. putat esse, qui Imperatoriæ fabricæ custos præest. Optio Tabellariorum stationis marmorum, in veteri lapide, pag. 11. 5.

PRO. SALVTE. AVGG. N. N.
L. SEPTIMI. SEVERI. PERTINACIS
ET. AVRELI. ANTONINI. AVG
SEMNVS. AVGG. N. N. LIB. OPTIO
TABELLARIORVM. STATIONIS
E MARMORVM

Officinatorum monetæ, fabricæ, Tabellariorum Optiones, dixerim monitores, & operariorum Præfectos, quos moneant, & segniores castigent, eosque exerceant, quibus sunt Præpositi[3]. Quod in Optione hoc nostro Exactoris verbum confirmat. Opus enim exigit Præpositus & Optio, & nulla est, inquit Columella *lib.* 1. *cap.* 8. major vel nequissimi hominis custodia quàm operis exactio.

Signatores monetæ sunt notæ significationis: ab his enim pecunia signabatur[4]. *Servius Rex*, ait F Plinius *lib.* 18. *cap.* 3. *ovium boumque effigie primus æs signavit.* Suppostores monetæ sunt qui metalla parant & subjiciunt, ut sacris alii supponere cultros dicuntur, Virgilius 6. *Æneïd.* hi sanè metalla feribant: Vet. Gloss. ὑπαχθησομένε feriundo, ab ὑπάγειν, quod est subjicere. Malleatores argentum infectum feriunt, massam perpoliunt, & cudunt. Æquatores ponderant.

1 L. 6. §. fin. D. de bon. damnator. 2 L. fin. § fin. D. de jur. immunit. 3 L. instrumento. D. de instruct. & instrum. leg. 4 L. cùm aurum. D. de aur. & arg. leg.

In numismate tria requiruntur, metallum, figura, & pondus, Isidorus *lib.* 16. *cap.* 17. Trutina est gemina ponderum lances æquali examine pendens, facta propter talenta & centenaria appendenda: sicut momentana pro parva modicaque pecunia, hæc & moneta vocata, Isidorus *lib.* 16. *cap.* 24. Tria sunt etiam auri, argenti, & æris: signatum, factum, infectum. Signatum est in nummis; factum in vasis & signis; infectum in massis.

Flatuarii seu flatores, qui ad ignem excitandum folles commovent, quibus ventus attrahitur atque emittitur. Horum Officinatorum operas optimè describit Virgilius 7. *Æneid.*

——— ——— alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque; alii stridentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe massam.

Hîc satis mirari non possum Triumviros monetales à Pomponio, æris, argenti, & auri flatores dictos, & neminem hucusque corruptam lectionem advertisse. Quid enim? Num liberti flatores aut flatuarii in re monetaria Magistratum, Populi Romani suffragio, gesserunt? Hoc planè absurdum est. Quare audacter affirmo Pomponium ita scripsisse: Triumviri monetales, æris, argenti, auri, F. F. LATOR. Quod est, *flandi feriundi latores*: & ex litterarum vicinitate litteram F, litteræ F, verbo *latores* junxerunt: imperitiâ Librariorum scriptum, *flatores*.

Lator vet. Gloss. εἰσηγητὴς, auctor: & suasor legis Budæo, εἰσηγούμενος. Auctores quidem dicimus eos, quorum consilium & sententiam sequimur, quasi jus quoddam ita sentiendi, certum & constitutum habeant. Sic Imp. Antoninus oratione in Senatu habita, auctor fuit Senatui censendi, ut aliquid laxaret de rigore juris[1]. * Atque auctoritas vim, potestatem & dignitatem denotat, quam Triumviri monetales adepti sunt, jure Magistratus.

De Nummulariis, qui primi & secundi Officinæ monetæ in Inscriptionibus leguntur, hæc notanda puto: ut illos à Nummulariis & Mensariis distinguamus, à quibus mensa nummularia[2]. *Nummularios*, ait Pomponius[3], *non est iniquum cogi rationes reddere, quia & hi sicut argentarii rationes conficiunt, qui & accipiunt pecuniam & erogant per partes: quorum probatio scriptura, codicibusque eorum continetur.* Nummularii sunt nummorum permutatores, qui majoris pretii nummis acceptis, minusculam monetam reddunt, κολλυβίσαι, *Changeurs*, quique veteres nummos mutant cum recentibus & asperis: unde quod illis datur pro præmio mutationis, dicitur asperatura, Gloss. Philoxeni, & Cujac. lib. 10. *Observat.* cap. 14.

At monetæ Nummularios, pecuniam solùm probasse & spectasse crediderim, peritos nummorum æstimatores, an probi illi essent, cujus auri, an subærati, an æqui ponderis, an bonæ fusionis; nos dicimus, *De bon coing*, cujus contraria est falsa fusio[4]. Unde fusores, monetæ Officinatores. Qui in suprà scriptis Inscriptionibus præteriti sunt.

Et quoniam talenta & centenaria trutinâ appendi jamjam diximus; hoc ad majorinas & centenionales nummos trahi debet, qui in conversatione publica tractabantur[5]. Centenionalis, aureus nummus est, qui centenas auri libras efficit,

1 L. cùm hic status. D. de donat. int. vir. & ux. 2 L. fin. D. de instit. act. 3 L. quidam. §. nummularios. D. de edend. 4 L. 2. C. de fals. monet. 5 L. 1. & 2. C. T. si quis pecun. conflav.

A Isidorus *lib.* 16. *cap.* 17. Majorinæ autem pecuniæ sunt, formæ binariæ, ternariæ, quaternariæ, & denariæ, quas ampliùs ad centenarias Elagabalus invenit, quasque Alexander resolvi præcepit, neque in usum cujusquam versari, Lampridius in *Alexandro*. Binariæ formæ sunt nummi binis aureis valentes, Suidæ, Κεντηνάριον, νομισμάτων ποσότης.

Procuratores monetæ curarunt, ut illa proba, non adulterina, illique Monetariorum Magistri, qui ut privatæ vel linteariæ vestis Magistri Thesaurorum præpositi vel Baphiorum ac textrinorum Procuratores, ceterique, quibus hujusmodi B sollicitudo committitur, non antè ad rem sacri ærarii procurandam accedunt, quàm satisdationibus dignis eorum administratio roboretur[1].

Sex monetæ Procuratores Largitionum Comiti parebant, quot erant monetarum Officinæ, & ἀργυροκοπεῖαι. Hinc est quòd in posteriorum Principum nummis æneis circa Constantini tempora, hæ litterarum notæ impressæ videntur, P. T. R. & P. TR. & P. TRE. & TRS. quæ pecuniam Treveris signatam denotant: ut P. LVGD. pecuniam Lugduni: & AQ. P.S. Aquilejæ pecuniam signatam, in iisdem nummis observamus, C quæ monetæ Officinæ nobiliores in Notitia, in qua Procurator monetæ Siscianæ, quæ colonia est in Pannonia, Plinius *lib.* 3. *cap.* 25. Procurator monetæ Aquilejensis, Procur. monetæ Urbis Romæ, Procur. monetæ Lugdunensis, Procur. monetæ Arelatensis, Procur. monetæ Triberorum.

CAP. XX.

De Procuratoribus Gynæciorum, & Linificii.

D GYnæciarii, Murileguli, Procuratores Gynæcii, Monetarii, Bastagarii, uno eodemque titulo in utroque C. includuntur[2]. Malè in Notitia scriptum est, Procuratores Cynegiorum, pro Gynæciorum. Gynæcium Græcè dictum est, eò quòd ibi conventus feminarum ad opus lanificii exercendum conveniat, Isidorus *lib.* 15. *cap.* 6. Unde Vitruvius *lib.* 6. *cap.* 10. de Græcorum ædificiorum dispositione: *In iis locis*, ait, *introversus Oeci magni constituuntur, in quibus Matresfamilias cum lanificiis habent sessiones. Hæc pars ædificii Gynæconitis appellatur.* Ἀνθρωπὰς *vocant Græci* E *virilia convivia, quòd eò mulieres non accedant.* Hoc & Cornelius Nepos observavit[3]: „Quem Romanorum, *ait*, pudet ducere in convivium? aut „cujus materfamil. non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? Quod multò fit aliter in Græcia. Nam neque in convivium „adhibetur, nisi propinquorum, neque sedet nisi „in interiore parte ædium, quæ Gynæconitis appellatur. γυναικωνίτης Hesychio est, οἶκος γυναικῶν. Julio Polluci, γυναικωνίτης, θάλαμος ἱστῶν. ἱστουργὸς est qui telas tractat Gynæciarius. Hoc verbum Latinis familiare fuit. Plautus noster in *Mostel.* Act. 3. Sc. 2. ℣. 67.

F

——— ——— senex
Gynæceon ædificare volt hic in suis,
Et balneas, & ambulacrum & porticum.
S. *Quid ille somniavit?* TR. *At ego dicam tibi,*
Dare volt uxorem filio quantùm potest,
Ad eam rem facere volt Gynæceon novum.

Te-

1 L. 14. C. de murilegul. 2 De murilegul. &c.
3 In *Præfat. de Vit. Imperator.*

Terentius in *Phorm.* Act. 5. Sc. 6. ℣. 22.

Ubi in Gynæceon ire occipio, puer ad me accurrit.

Illud etiam textrinum dicitur, ut mancipia textrini quæ Gynæceo serviebant: sicque à M. Tullio Gynæcium, textrinum vocatur: *Nulla*, inquit 9. *in Verrem*, *domus in Sicilia locuples fuit, ubi iste non textrinum instituerit. Mulier est Segestana perdives, & nobilis, Lamia nomine: per triennium isti plena domo telarum, stragulam vestem confecit, nihil nisi conchylio tinctam.* Pro textrino paulò pòst Gynæcii voce usus est.

Procuratores Gynæciorum, textrinorum etiam Procuratores dicuntur[1], qui Ammiano Marcel. Tyrii textrini Præpositi, *lib.* 14. Textrinum ergo est Gynæcium, ubi arguto pectine solidanda fila decurrunt[2]. Et, ut Virgilius loquitur 1. *Georgic.*

Arguto conjux percurrit pectine telas.

Gynæciariis auratas ac sericas paragaudas auro intextas viriles, usibus privatis contexere conficereque prohibitum, quæ Principi tantùm fieri præcipiuntur, & quibus ministerium Imperiale concessum est[3]. Paragaudæ vestes, ut Cujacius annotavit, sunt auratæ vel sericæ, auro intextæ Phrygio sive barbaricario opere. Quod ex Vopisco licet intelligere[4], qui Aurelianum Imp. *Paragaudas vestes primum militibus dedisse tradit, cùm antè non nisi rectas purpureas accepissent. Et quidem aliis Monolores, aliis dilores, trilores aliis, & usque ad pentalores, quales hodie lineæ sunt.* Quæ ita dictæ sunt pro numero intextorum filorum aureorum, quæ videntur lora appellata. Quod pluribus Hadrianus Turnebus explicavit lib. 9. *Advers.* cap. 11.

In Donatione Constantini, τὸν ὑπέρλαμπρον λῶρον σημαίνοντα τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν, τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ αὐτοῦ ἰδίαις χερσὶν ἐπεθήκαμεν. Splendidum lorum resurrectionem sanctam designans, sacro capiti propriis manibus Sylvestro Pontifici imposuit Imperator. Interpres λῶρον vertit phrygium, de quo nos alio capite, ex Vopisco notamus, Gynæciarios vestes militares texuisse, quibus pro contextione sexta pars adærationis pendebatur[5]. Quod à Gynæcii Procuratoribus pretium solutum est. Hi enim pecunias numerabant, ut ex Rescripto Imperatorum discimus, quo cavetur, „Ut unusquisque „Procurator præpositus Gynæcio, qui se à Co„mite domorum meminerit esse concussum, cùm „ipse cui pecuniam numeravit, administratione de„cesserit, intra anni spatia ad Judicium Comitis „rerum privatarum quidquid dederit repetiturus „adcurrat. Post hoc tempus, ipsi Procuratores „præpositi obnoxii sunt ad solutionem[6]. Repetundarum lex constituta est in eos, qui in Magistratu, vel aliquo Officio sunt, in Provinciis, qualis Comes domorum: qui si à Procuratoribus Gynæciorum quid extorserit, illud repeti potest, post depositam administrationem intra annum; quo elapso, Procurator, qui pecuniam numeravit, ad solutionem compellitur. Procurator enim Gynæciorum cum fisco ex administratione debita contrahebat[7].

Gynæcium ex M. Tullio, *Philippic.* 2. locus est in quo plurimæ res væneunt. Horum pretia Procuratores dabant, & accipiebant: qui quindecim in Notitia numerantur: quibus adjuncti alii duo, Procurator scilicet linificii Viennensis Galliarum,

1 L. 14. C. de murileg. 2 L. 4. C. de vestib. holover. 3 L. 2. C. eod. 4 In *Aureliano.* 5 L. 1. C. T. de militar. vest. 6 L. fin. C. T. ad leg. Jul. repetund. 7 L. 3. C. T. de indulgent. debitor.

A & Procurator linificii Ravennatium Italiæ. Fuit Corpus Lineariorum & Linysariorum[1]. Linysarii lini textores ab ὑφαίνω, quod est texo, ordior, qui & λινοπλόκοι, λινοποιοὶ, λίνυφοι, Gloss. vet.

CAP. XXI.

De Procuratoribus Baphiorum.

BAphiorum Procuratores in Notitia novem re-
B censentur, qui & Baphiorum Præpositi[2]. Baphia sunt Officinæ, in quibus purpuræ ad usum Principis tingebantur. Quare sancitum est Imperatorum Constitutione, quæ ad Comitem S. L. scripta est, ut *fucandæ purpuræ, atque distrahendæ, vel in serico, vel in lana, quæ blatta & oxyblatta, atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus possit habere privatus*[3]. μηδεὶς καπηλευέτω ἢ πιπρασκέτω πορφύραν, μήτε ἐν μετάξῃ, μήτε ἐν ἐρίῳ, lib. 19. *Basilic.* tit. 1. Καπηλεύειν est cauponari, nundinari. Purpuræ nundinas innumeris Constitutionibus prohibitas Imperatores dicunt[4]: quod de pupura Phœnices intelligendum est, ex verbis legis, quâ
C statuitur, ut septimus de Scrinio Excerptorum, sextus de Scrinio Canonum, quintus de Scrinio Tabulariorum, ad Baphela Phœnices per certum tempus mittatur, quorum interventu fraus omnis submoveatur.

De Baphiis Phœnices Plinius *lib.* 5. *cap.* 19. *Tyrus quondam Insula, olim partu clara, urbibus genitis, & illa Romani Imperii æmula, terrarum avida Carthagine. Nunc omnis nobilitas conchylio & purpura constat.* Unde purpuræ Tyriæ dibaphæque ac Laconicæ eidem Plinio *lib.* 21. *cap.* 8. At Straboni *lib.* 16. Phœnices navigationibus semper aliis præstitere, tum purpurarum captura. Tyria enim pur-
D pura optima perhibetur: ac piscatio ipsa proxima est, & cetera cuncta quæ ad inficiendas vestes pertinent, in promtu sunt: Τῇ τε ναυτιλίᾳ καθ᾽ ἣν ἁπάντων τῶν αἰεὶ κρείττους εἰσὶ κοινῇ Φοίνικες καὶ τοῖς πορφυρείοις· πολὺ γὰρ ἐξίσταται πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη πορφύρα, καὶ ἡ θήρα πλησίον, καὶ δυσδιάγωγον μὲν ποιεῖ τὴν πόλιν ἡ πολυπληθία βαφέων.

Naviculæ functioni muricis, & legendis conchyliis deputatæ sunt[5]; Murileguli seu Conchylioleguli piscatores huic muneri addicti, qui alii sunt à Baphiis: hi enim sunt tinctores, quibus ut
E Murilegulis Procurator Baphiorum præpositus fuit. De variis purpuræ generibus Plinius consulendus *lib.* 9. *cap.* 36. nos de iis tantùm loquimur, quæ in Imperatorum Constitutionibus leguntur: in quibus est Blatta, Oxyblatta, Sericablatta, Metaxa, Hyacinthina, Blatta serica, quæ uno verbo Sericablatta, est ex vermiculi genere, Plinius *lib.* 29. *cap.* 6. Ab hac Blattiarii, qui ab universis muneribus vacant[6]. Blatta autem & ad sericum, & ad lanam refertur, propter muricis purpuram, quâ inficiebatur.

Oxyblatta est blatta auctioris luminis. Metaxa
F à circuitu filorum, à μετὰ, quod est *circum*, ait Isidorus *lib.* 19. *cap.* 29. Ab hac Metaxarii negotiatores, μεταξάριοι.

Est aliud genus purpuræ, quæ Probiana à Probo Imp. dicta est, qui eam reperit, cùm esset Baphiis præpositus, Lampridius in *Alexandro.* Aurelianus Imp. cùm ab eo uxor petiisset,

1 L. 16. C. de murileg. 2 L. 3. C. T. de indulg. debit. 3 L. 1. C. quæ res vænire non poss. 4 L. fin. C. de vestib. holover. 5 L. 9. C. de murileg. 6 L. 3. C. T. de excusationib. artific.

ut unico pallio blatteo serico uteretur: Ille respondit, *Absit ut auro fila pensentur.* Libra enim auri tunc libra serici fuit. Concessit tamen ut blatteas matronæ tunicas haberent, Vopiscus in *Aureliano*, quod de blattis laneis intelligendum puto, vel blattis lineis: nam & byssus, lini genus subtilissimi, murice tingebatur. Sidonius in *carmine* inserto lib. 9. epist. 14.

Rutilum toreuma bysso,
Rutilasque ferte blattas.

Hyacinthina ab hyacintho flore, & vestis hyacinthina quæ cum hujus colore certat. Est & janthinus purpuræ species violacei coloris, Plinius *lib.* 21. *cap.* 8. nobis, *Escarlatte vermeille.*

Purpuræ appellatione Vlpianus *omnis generis purpuram contineri* putat[1], sed *Coccum non contineri, fucinum & janthinum contineri, non verò lanam tingendæ purpuræ causâ destinatam.* Paulus[2] autem *Coccum* dicit, *quod proprio nomine appellatur, versicoloribus cedere.* Quin minùs porrò Coracinum aut Isginum, aut Melinum suo nomine, quàm Coccum purpuræ designatur.

Versicoloria non continentur lanæ appellatione, sed ea solùm quæ tincta sunt & neta, quæ neque detexta, neque contexta sunt[3]: proinde arbitratur Vlpianus, *Ea quæ tincta non sunt, versicoloribus non adnumerari, & ideo neque album, neque naturaliter nigrum contineri, nec alterius coloris naturalis, quod tinctum non est,* sed αὐτοφυὲς, sponte sua natum. Sed Paulus[4], *Lana enim legata*, ait, *sive succida, sive lota sit, sive pectinata, sive versicoloria, legato cedit: purpura verò, aut stamen, subtemenve, hoc nomine non continetur.* Hac de re videndus Cujacius.

Fucinum janthino conjungitur ab Vlpiano, quod quibusdam non placet, qui legendum putant *succinum*, aut *buccinum.* Sed recta lectio est & sine fuco. Nam fucus genus herbæ est, quâ vestes tinguntur, φῦκος θαλάσσιος, Isidorus *lib.* 17. *cap.* 9. Plinio *lib.* 26. *cap.* 10. fucus marinus lactucæ similis, qui conchyliis substernitur, & quo infectores utuntur. Blattas sericas clandestina fucatione coloratas, queritur Imperator[5], idque non sine læsæ Majestatis crimine factum. Hoc omne Procuratores Baphiorum advertere debent, & species transmittendas necessarias curare[6]. Species, quod ad purpuram attinet, pro vestibus accipiuntur[7].

CAP. XXII.

De Præpositis Barbaricariorum, sive Argentariorum. Et de Præpositis Bastagarum

BArbaricarii duorum generum fuerunt, qui perperam in Notitia Brambaricarii. Horum alii armorum fabricis deputati sunt, à quibus cassides & bucculæ auro & argento teguntur[8]. Alii dicuntur, qui ex auro coloratis filis formas hominum, aut animalium, aliarumque rerum exprimunt, arte subtili veritatem imitantes. Vnde vox illa fluxerit, cùm apud me quærerem, occurrit illud Strabonis de Caribus elogium: Cares, ait *lib.* 14. qui Minoi paruerunt, studii rerum bellicarum argumenta adducunt scutorum ansas, insignia & cristas; quæ omnia dicuntur Carica: Τῶ δὲ περὶ στρατιωτικὰ ζήλω τά τε ὄχανα ποιῶνται τεκμήρια, καὶ τὰ ἐπίσημα, καὶ τὰς λόφους· ἅπαντα μὲν λέγεται Καρικά. Cares Homerus vocat *Iliad.* β. βαρβαροφώνους, quæritque Strabo cur Poëta, qui tam multas gentes noverat, Cares barbarilingues dixerit, barbaros nullos. Et putat nomen illis hoc inditum ab asperitate linguæ, gentileque istud in nationes fluxisse quæ Græcis opponuntur. Barbaria quidem Italiæ & Græciæ à M. Tullio opponitur: *Philosophus*, inquit lib. 2. *de Finib. nobilis, à quo non solùm Græcia & Italia, sed etiam tota Barbaria commota est.* Quare βαρβαρόφωνοι Hesychio οἱ Ἠλεῖοι καὶ οἱ Κᾶρες, à quibus arma Carica; dicta fortè barbarica, vel potiùs barbaricaria, quæ per contractionem barbarica: βαρέας inter telorum militarium genera numerat Herodianus *lib.* 8. quas Politianus vertit *præustas sudes.*

Nos verò abjectis armis barbaricis, vestes barbaricas texamus, quarum artifices Phrygiones vocati ab Apulejo 10. *Metamorph. In modum*, inquit, *Paridis Phrygii pastoris, in barbaricis amiculis, humeris defluentibus, pulchrè indusiatus adolescens.* Phryges etiam barbari dicti, ut Phrygia barbaria.

Barbaricariis vestium junguntur Argentarii, quos argenti distractores vocat Justinianus[1]. Ii sunt ἀργυροπρᾶται, quos malè ab exigendis venditarum rerum pretiis, Nummularios viri docti putaverunt: Etenim ἀργυροπρᾶται sunt argenti distractores, qui in tenues laminas argentum dividunt, quibus fila serico involuta texuntur.

Habuit in animo Aurelianus „ut aurum neque „in cameras, neque in tunicas, neque argentum „mitteretur, dicens plus auri esse in rerum natu„ra quàm argenti: sed aurum per varios bractea„rum filorum & liquationum usus perire; argen„tum autem in suo usu manere, Vopiscus in *Aureliano.*

Nec verò Barbaricariis Argentarii solùm, sed & Fabricensibus junguntur[2]. Barbaricarii, Phrygiones & Argentarii sub dispositione Comitis Largitionum fuerunt: Barbaricarii & Argentarii Fabricenses sub Magistro Officiorum. Phrygiones Barbaricarii & Argentarii Scrinium non habuerunt: nam Scrinia Largitionum hæc sunt, Exceptorum, Tabulariorum, Numerariorum, Mittendariorum, Aureæ massæ, Auri ad responsum, à Milliarensibus, Vestiarii sacri, ab Argento, à Pecuniis[3]; quæ sua habuerunt Officia & dignitates, quibus debentur strenæ, vestes & annonæ.

Sed sunt alii gradus, qui dicuntur formæ primæ, secundæ, & tertiæ atque his formis Argentarii & Barbaricarii continentur. Sic primæ, secundæ, & tertiæ formæ Castrensiani dicuntur, qui inter statutos gradum illum à Principe impetrarunt[4]. Formarum apices dicuntur[5]. Formæ igitur sunt gradus, qui disponuntur à Principe, & ab eodem codicillis impetrantur. At verò Barbaricariorum Fabricensium Scrinium fuit, quod Scrinium Barbariorum & Fabricensium dicitur[6]. Qui quidem Barbarii & Barbicarii & Barbaricarii dicuntur.

Præpositi Bastagarum quinque sub Comite Largitionum fuerunt. Bastagæ sunt onera Hesychio, βασταγὴ, βάρος, quod & βάσταγμα à βαστάζειν, quod est portare, vehere, & onus bajulari. Unde Bastagarii, qui serviunt vecturæ rerum ad sacrum æra-

1 L. si cui lana. §. fin. D. de leg. 3. 2 L. quæsitum. §. coccum. D. eod. 3 D. l. si cui lana. §. versicoloribus. 4 Lib. 3. Sent. tit. 6. §. lana legata, & ib. Cujac. 5 L. 18. C. T. de murileg. 6 L. 18. C. T. de cursu publico. 7 L. 4. C. de vestib. holover. & l. fin. C. de militar. veste. 8 L. 1. C. T. de Fabricensib.

1 L. 27. C. de pignorib. 2 L. 37. C. T. de Decurionib. 3 L. 7. C. de Palatin. sacr. larg. 4 L. 2. C. de Castrensian. 5 L. 2. C. T. eod. 6 L. 1. C. de privileg. Schol. & l. 5. C. de Agentib in reb.

ærarium pertinentium, quam propriis jumentis faciunt, exceptâ quintâ quæ de fisco reparatur [1]: cùm decimum tantùm animal Bastagariis antea pro reparatione præberetur [2]. Horum munus Bastagæ sollicitudo dicitur, quod personale est [3]. Equorum enim productio, & si qua alia animalia necessariò producenda, vel res provehendæ sive prosequendæ sint, vel pecuniæ fiscalis sive annonæ vel vestis, personam respiciunt [4]. Militares autem vestes, vel pecunia transferenda ad Comitem Largitionum pertinebant; arma, annonæ, sarcinæ militum, ad Præfectum Prætorio.

Præpositi Bastagarum species transmittendas necessarias curabant, ac brevem diversarum ac directarum specierum, cui subvectio vehiculorum poscitur, designabant [5]. In Notitia hi Præpositi sunt primæ, secundæ, tertiæ, & quartæ Orientalis, qui primam, secundam & ceteras transvectiones curabant, rerum ex Oriente exportandarum. Ut Præfecti Bastagæ Gallicanorum, qui ex Galliis, aut per Gallias, ut Pancirolus annotavit.

Inter hos Præpositos occurrit Præpositus Romanarum Largitionum, qui in Notitia prætermissus, de quo exstat Rescriptum Impp. Valentiniani & Grat. ad Probum Præfectum Præt. Orientis [6]: *Si quis Præpositus fuerit, aut fabricæ, aut classi, aut lætis, identidem si Præpositus Romanarum Largitionum; vel cohortis gesserit Tribunatum, aut quicunque his administrationibus, ad quas non nisi cum certis fidejussoribus singuli quique veniunt, fortè præfuerit.*

Præpositi lætis nihil ad Comitem Largitionum pertinent. Qui tamen illi fuerint, obiter ex Rescripto alio intelligimus, Impp. Arcadii & Honorii: „Quoniam, *inquiunt* [7], ex multis gentibus „sequentes Romanam felicitatem, se ad nostrum „Imperium contulerunt, quibus terræ læticæ ad„ministrandæ sunt; nullus ex his agris aliquid, „nisi ex nostra annotatione mereatur. Et quo„niam aliquanti amplius quàm meruerant, occu„parunt aut conludio principalium, vel defenso„rum; inspector idoneus dirigatur, qui ea re„vocet. En lætica terra, & lætis, id est, agris publicis præpositi. Nam λαιτῶν, ait Hesychius, δημοσίων τόπων. Et lætis Præpositos Peræquatores & Inspectores credo; qui si incurrant culpam negligentiæ aut gratiæ, non solùm honorum jacturam, sed etiam annonarum mulctam subeunt [8]. Præpositus Romanarum Largitionum est Præpositus S. L. Romæ: etenim Roma Vrbs sacra dicta est [9]. Atque hi Præpositi sunt, Procuratores Monetæ, Gynæcii, Baphiorum, Barbaricariorum & Bastagarum: qui cum certis fidejussoribus administrationibus suis præsunt: hoc enim Præpositi nomen ad Procuratores extenditur: & Præpositi Baphiorum & Gynæceorum dicuntur, qui & Procuratores [10]. Præpositi enim nomen generale est, quod plerisque omnibus tribuitur, qui personis vel operibus præsunt.

Sub dispositione Comitis Largitionum Orientis est Comes Largitionum per omnes Diœceses, sunt Magistri lineæ vestis, & Magistri privatæ.

1 L. 4. C. de murileg. 2 L. 4. C. T. eod. 3 L. 3. C. T. de cohortalib. 4 L. fin. D. de munerib. & honorib. 5 L. 18. C. T. de cursu publico. 6 L. 19. C. T. de veteranis. 7 L. 9. C. T. de censitorib. inspectorib. & peræquatorib. 8 L. 6. C. de censib. & censitorib. 9 L. 2. C. de nautic. fœnor. 10 L. 3. C. T. de indulgent. debit.

CAP. XXIII.

De Comite Commerciorum per Illyricum; & de Officio Comitis Largitionum.

NEgotiatores, quos constat humanæ vitæ necessarios, Comitis Largitionum potestati manifestum est esse subjectos, Cassiodorus lib. 6. *Var.* 7. Sub hujus dispositione fuit Comes Commerciorum. In Occidente, per Illyricum: In Oriente, per Orientem, & Ægyptum, per Mœsiam, Scythiam & Pontum: cujus hoc munus præcipuum erat, ut ei soli comparandi à Barbaris serici facultas concessa est, quæ ceteris denegata [1]. Videbat ille ne commercia illicita exercerentur, neve ulli cum Barbaris sine illius auctoritate ultra fines præfinitos negotiarentur. Lex enim est posita Romanis & Barbaris, id est, Persis, ne ultra loca constituta inter se negotientur, nundinasve exerceant [2].

Comes Commerciorum annonas & capitum consequebatur, quæ delegationibus continentur [3]. Commercii autem duplex est significatio: nam res in commercio hominum dicuntur, & homines rerum commercia habere, quæ vulgò emi vendique possunt [4]. Quod Glossis vet. συνάλλαγμα. Atque hoc verbum latiùs porrigitur: contractum enim ultrò citróque obligatorium dicit Vlpianus, quem Græci συνάλλαγμα vocant [5], veluti emtionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem. Sed & permutationem, ut si do tibi rem ut mihi aliam dares, συνάλλαγμα est, vel veriùs, ut Christus Dominus loquitur, ἀντάλλαγμα, *Matth.* 16. ex quo nascitur civilis obligatio [6]. Commercium, quod porrigitur ad emtiones, venditiones, locationes, & obligationes, ex Jure Gentium institutum Hermogenianus tradit [7].

Altera est commercii significatio, ut sit onus quod mercatores sustinent, pro facultate exercendi commercii, de quo ita in libris Βασιλικ. *lib.* 56. Πενταετίας παραδραμούσης οὐκέτι ζητεῖ ὁ δημόσιος τὸ πλεκτοτελωθὲν τέλος, ἤτοι τὸ κομμέρκιον: *Elapso quinquennio fiscus vectigal vendicare non potest ampliùs, vel commercium.* Vectigal à Commercio differt: illud enim est mercium; ut commercium onus est mercatorum. Tria verò sunt commercii, sive mercatorum onera, Cujacius 16. *Observat.* cap. 3. primum monopolii, cùm certo Corpori concesserit Princeps, ut ei soli jus sit vendendæ certæ mercis, sub onere conferendæ in fiscum certæ pensionis: aliud onus siliquatici: tertium aurum lustrale, χρυσάργυρον, quod Constantinus instituit, Zosimus *lib.* 2. Monopolion κεφαλισμόν. Plinius de Herinaceis *lib.* 8. *cap.* 37. *Hac cute*, ait, *expoliuntur vestes. Magnum fraus & illi lucrum monopolio invenit: de nulla re crebrioribus Senatusconsultis nulloque non Principe adito querimoniis Provincialibus.* Quod tandem à Zenone omnino improbatum [8].

De siliquatico nos postea. Aurum lustrale sic dictum est, quòd singulo lustro, id est, quarto quoque anno, penderetur: lustrum enim tempus quinquennale ita reductum est [9]. Hoc & onus collationis dicitur, auri & argenti præstatio, indeque χρυσάργυρον. Oblatio, oblationis obsequium, auri pensitatio, lustralis auri depensio, auraria fun-

1 L. 2. C. quæ res venir. non poss. 2 L. 4. C. de commercio. 3 L. 1. C. de annon. & capit. 4 L. multum. D. de verb. obligat. 5 L. 19. D. de verb. sign. 6 L. juris gentium. D. de pactis. 7 L. ex hoc jure. D. de justitia & jur. 8 L. 1. C. de monopol. 9 L. 2. 4. 7. 8. &c. C. T. de lustral. collat.

functio, aurariæ functionis devotio, lustralis pensio, auraria præstatio [1]. Inscriptio vetus, pag. 347. 4.

P. AELIO. T. F. QVAEST. R. AVRI
LVSTRALIS. COACTORI

Ad negotiatores auri lustralis cura distributionis recurrit, & de Corpore suo mancipes eligunt [2]. Singularis in Inscriptione littera R, *Rationalem* significat. Etenim aurum lustrale auraria ratio dicitur. Quare jubent Imperatores [3], *ut ex Corpore negotiatorum, ad suscipiendam tuendamque aurariæ rationis rationem adponatur idoneus, qui fide omnium & periculo sit electus.*

Aurum lustrale vocatur à Lampridio in *Alexandro* aurum negotiatorium, quod Alexander Imp. Romæ remisit. Cùm ergo Alexander annos octoginta Constantinum præcesserit, quomodo à Constantino aurum lustrale introductum est, cùm Alexandri principatu solveretur? Hujus tamen oneris Constantinum auctorem Zosimus facit *lib.* 2. quòd gravius illud indixerit: „Aurum „enim lustrale, *inquit*, id est, auri argentique „collationem, imposuit omnibus ubique terrarum „negotiationes exercentibus, & Dardanariis oppidorum, ad vilissimos usque, ne miseris quidem „meritoriis puellis hoc incommodo liberatis. Itaque videre erat, quoties quartus quisque annus „appeteret, quo vectigal illud pendendum erat, „meras per universam urbem lachrimas & ploratus, &c. Hoc aurum etiam comparatitium dicitur [4].

Non alienum fuerit hoc loco de negotiatoribus aliquid dicere, qui huic oneri obnoxii fuerunt. Ii enim maximè ad elucidationem faciunt locorum obscuriorum, qui frequenter in Imperatorum legibus occurrunt. Scribit Cujacius [5] fœneratores mercatorum nomine contineri, & aurariæ huic præstationi adstringi. Aurum enim & argentum negotiandi causâ venale habuerunt negotiatores [6], qui in Arca * Septimii Severi, quæ * est in foro Boario, Argentarii & Negotiantes dicuntur, pag. 265. 2.

IMP. L. SEPTIMIO. SEVERO. AVG
IMP. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO
AVG. ARGENTARI. ET. NEGOTIANTES. BOARI. HVIVS. LOCI. QVI. INVEHEN. DEVOTI. NVMINI. EORVM

Inter negotiatores in Pandectarum libris invenio negotiatores frumentarios, quibus privilegium concessum. Etiam ad honores excusandos pertinet [7]: de his lapis vetus Romæ, pag. 128. 2.

EX. AVCTORITATE. IMP. CAESARIS
TITI. VESPASIANI. AVG
IN. LOCO. QVI. DESIGNATVS
ERAT. PER. FLAVIVM. SABINVM
OPERVM. PVBLICORVM. CVRATOREM
TEMPLVM. EXSTRVXERVNT
NEGOTIATORES. FRVMENTARI

Negotiatores hi annonam Vrbis adjuvant, ideoque à muneribus publicis immunitatem consequuntur [8]. Atque hi quidem magis ad Præfectum Vrbi & annonæ, quàm ad Comitem Largitionum pertinent: ut Navicularii & Mercatores Olearii [1], & qui ex vino negotiantur [2], cùm tamen illi omnes ab auraria præstatione immunes non sint, cui negotiatores Principis obligantur, & debitas pensiones solvunt [3]. Hac ratione Comiti Largitionum subjecti sunt.

Sunt qui utensilia negotiantur [4], quæ Placentinus non malè interpretatur esculenta & poculenta. Vtensilia enim sunt quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur, Columella *lib.* 11. *cap.* 1. Vtensilium etiam nomine supellex continetur. Quare *si fundus instructus legatus sit, venit supellex quæ illic fuit usus ipsius gratia, & vestis non solùm stragula, sed qua ibi uti solebat. Mensæ quoque eburneæ, vel si quæ aliæ. Item vitrea, aurum & argentum: vina quoque si quæ ibi fuerint usus ipsius causa, & si quid aliud utensilium* [5].

Vtensilia ergo ad omnem supellectilem referuntur, in qua sunt *capsæ, armaria, byssina, crystallina, argentea, & vitrea vasa, tàm escaria, quàm potoria, & vestes stratoriæ* [6]. Byssina vasa nulla sunt: optimè Cujacius *Myrrhina*: quod etiam Paulus latiùs explicat. Ille enim supellectili annumerat, *Mensas, trapezophora, delphicas, subsellia, scamna, lectos etiam inargentatos, vasa etiam aquaria. Culcitæ toraliæ, imperia*, &c. quæ ab illo recensentur [7]. Pro *imperia*, legit Cujacius *impelia* aut *impilia*, *lib.* 10. *Observat. cap.* 13. Josephus Scaliger *ad Varronem lib.* 1. *de Re Rustica cap.* 1. *imparia* legendum monet. Imparia enim sunt, quæ paterfamilias servat, præter ea, quæ sunt quotidiani usus. Sic Cato, impares trapetes præcipit in torcularibus singulis, præter illos quotidianos. Paria enim vocari debent, inquit, quæ habentur quotidianæ usioni; imparia, quæ præter illa adhibentur. Propterea alibi imparia vocat supervacanea. Subtilis est hæc Scaligeri conjectura, sed minùs apta & parùm conveniens supellectili, quæ ad usum quotidianum refertur. Certior est Cujacii ex *Basilicis* lib. 44. tit. 13. in quibus, στρώματα προσκεφάλαια leguntur, toralia, pulvini, quæ impilia vocari asserit. Sed huic Cujacii opinioni repugnat Vlpianus, cui impilia vestis loco sunt [8].

Si mihi liceat non conjecturâ augurari, sed veram lectionem inquirere, vulgatam retineo quæ recta est; atque impero auctorque sum, ut *imperia* legamus, ut in Pandectis Florentinis: pessimè in vulgatis pro *imperia* scriptum est *mappa villosa*. Florentinam lectionem, in qua *imperia*, tueor Βασιλικῶν auctoritate, in quibus προσκεφάλαια, minùs rectè vertit Interpres *pulvinos*: nam προσκεφάλαια sunt quæ capiti circuminduuntur: Auctor *Etymologici*, & Hesychius; γλαῖνες τὰ λαμπρύσματα τῶν περικεφαλαίων, οἷον ἀστέρας, ornamenta capitis magnifica, quasi fulgentes stellas dixerunt.

Hujusmodi fuerunt coronæ mensarum, de quibus Vlpianus [9]; *Sed in coronis mensarum*, ait, *gemmæ coronis cedunt, & hæ mensis.* Quæ coronæ, imperia dicta sunt, βασιλικὰ, regia, nomen inditum pretiosis rebus & vestibus. Plautus in *Epidico* Act. 2. Sc. 2. ℣. 39.

P. *Quid erat induta? an regillam indiculam, an mendiculam?*

Regilla vestis diminutivè dicta à regia. Nonius ex Varrone: *Regillam tunicam diffinditur purpura.* Plauti Pœnulus

Ba-

* Repon. *Arcu, qui.*

1 L. 19. C. T. de annon. & tribut. 2 L. 17. C. T. de lustral. collat. 3 L. 29. C. T. de Susceptorib. Præposit. & Vicar. 4 L. 3. C. de milit. vest. 5 Ad tit. de lustral. auri collat. 6 L. pediculis. §. idem cùm. D. de aur. & arg. leg. 7 L. eos qui. §. fin. D. de vacation. muner. 8 L. semper. §. negotiatores, D. de jure immunitat.

1 L. Navicularii. D. de munerib. & honorib. 2 L. si sterilis. §. cùm per. D. de actionib. emt. 3 L. 1. C. de commerc. 4 L. eos qui. D. de Decurionib. 5 L. quæsitum. §. proinde. D. de instruct. & instrum. leg. 6 L. Paulus lib. 3. Sent. tit. 9. §. supellectile. 7 L. 3. D. de supellectil. legat. 8 L. argumento. D. de aur. & arg. leg. 9 L. cùm aurum. §. perveniamus. D. eod.

*Basilicè instructus * incedit.*

Quod est, regiè indutus.

Imperia autem hujusmodi coronæ dictæ sunt, quòd gemmis coronas Imperatorum æmularentur; quamvis imperia non ad coronas solùm, sed ad omnem supellectilem pretiosam referri possunt, qualia sunt vasa myrrhina, crystallina, aurum, argentum, gemmæ, aliaque ornamenta, quæ imperialia dicuntur à Capitolino in *M. Antonino: Auctionem*, inquit, *fecit M. Antoninus, ornamentorum imperialium*, (hoc est, pretiosorum) *vendiditque aurea pocula, & crystallina, & myrrhina, vasa etiam regia & vestem uxoriam sericam, & auratam, gemmasque multas.* Fuerunt negotiatores vestiarii [1], de quibus vetus lapis, pag. 651. 3.

IVL. VICTOR. NEGOTIATORI
QVONDAM. VESTIARIO

His adjungo Sagarios negotiatores, à sago militari ac bellico indumento denominatos. Hinc sagariam inire societatem dixit Vlpianus [2]: & duas negotiationes exercere, sagariam & lintteariam [3]. De Sagario lapis Romæ, pag. 650. 2.

HIC	SITI SVNT
L. ARLENVS. L. L	L. ARLENVS. L. L
DEMETRIVS. NAT	ARTEMIDORVS. NAT
CILIX. NEGOT. SA	PAPHLAGO. MERCATOR
GARIVS. HELINVS	SAGARIVS. LIBERTI

De Linteario Mediolani, pag. 649. 5.

T. PONTI. MAIORIS
NEGOTIATORIS. LENTIARI. ET
CASTRENSIANI

Pro *Lentiario* legendum *Linteario*, mendum leve ex transpositione litterarum. Negotiatores vestiarii & lintearii seu linteones purpurarii, & Parthiarii seu Parthicarii, Imperatori deserviebant [4]. Sunt & Pelliones [5], qui pellium indumenta conficiunt, quique à Parthicariis differunt: hi enim sunt negotiatores pellium Parthicarum, quas inter species ad vectigal pertinentes Martianus comprehendit [6].

Ex his fiebant Zanchæ vel Thancæ, de quibus est Rescriptum, *ut nemo intra Vrbem Romam vel Ragis, vel Thancis utatur* [7]. In Epistola Gallieni Imp. ad Claudium, Tanchas de Parthicis Principis legimus, Trebellius Pol. in *Claudio*, quas pro barbarico calceamento accipit Casaubonus: sed Zanchæ in vestibus hybernis ponuntur, ut Ragæ in æstivis.

In Synodo Aureliani Canon. 22. decretum est, *ut Monachis orarium in monasteria, vel Zanchas habere non liceret, id est, vestes pelliceas.* Scio ex Glossis Basilicis τζάγγαν dici ὑπόδημα, quod crura tegeret: & hoc genus indumenti in usu fuisse ex Horatio lib. 1. *Serm.* satyr. 6.

Nam ut quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus.

Et ad genua usque pertingebant, ὑποδήματα μέχρι γόνυ, Procopius lib. 3. *de ædific. Justiniani.* Zanchæ igitur vel Tzancæ, vel ὑποδήματα, Glossis vet. sunt caligæ, quæ inter vestes computantur [8].

* Libri editi habent *exornatus*, Act. 3. Sc. 1. ℣. ult.

1 L. libertus. D. de operis libertor. 2 L. cùm duobus. §. quidam sagariam. D. pro socio. 3 L. 5. §. si plures. D. de tribut. act. 4 L. 7. C. de excusationib. muner. 5 L. 2. C. T. de excusationib. artific. & l. 4. C. eod. de habit. quo uti oport. 6 L. fin. §. species. D. de publican. 7 L. 3. C. T. de habit. quo intr. urb. 8 L. vestra. D. de aur. & argent. leg.

At calcei seu calcearium vestiario non continentur [1]. Zanchas etiam Trebellius Pollio in numero vestium ponit. Ille enim in *Claudio*: *vestes diversas*, XVI. *albam sub sericam Paragaudam triuncem, unam: Zanchas de nostris Parthicis paria tria.*

Ragæ hoc demonstrant, quas æstivas vestes interpretor. Ῥάγα Hesychio ἀκμή, ἀκμὴ θέρους, *vigor æstatis.* Sed cùm hujus verbi originem attentiùs indagarem, Persicum vocabulum suspicatus sum, ab Hebræis derivatum, quibus רדד est operimentum, & secundùm aliam formam רדיד peplum subtile, quo capita mulieres velabant. Quidam exponunt vittas sericas colligandis crinibus: sed alii meliùs vestem putant. Sic in *Canticis Salomonis* cap. 5. *tulerunt velum meum:* velum hoc verbo Hebræo designatur, quod D. Hieronymus vertit, *pallium meum.* Septuaginta Interpretes, θέριστρον, quod est æstivum vestimentum: θέριστρον enim vestis est tenuis & æstiva. Et Suidæ, θέριστρον, ἱμάτιον τὸ ἐκ κόκκου βαφέν. Hæc de Negotiatoribus Parthiariis, qui in diversas me partes dudum traxerunt.

De Purpurariis lapis Romæ, pag. 649. 10.

PERPETUAE. ME. SECURITATI. TIB
CLEVPHAS. IIIIII. VIR. AVG. NEGO-
TIATOR. ARTIS. PVRPVRARIAE

Est negotiatio venaliciaria, seu mancipiorum vendendorum, cujus mangones non mercatores, sed venaliciarii appellantur [2], σωματέμποροι, οὐκ ἔμποροι, in libris Βασιλικ. Mercis enim appellatione homines non continentur: quare merces à venalibus separantur [3]. Et licèt mercis appellatio angustior sit, ut neque ad servos fullones, sarcinatores, vel textores, vel venaliciarios pertineat; tamen ad omnes negotiationes, ex Pedio, Prætoris edictum de tributoria porrigitur [4]. Rectè ergo in antiquo lapide Negotiator familiæ gladiatoriæ legitur Arelate, pag. 333. 3.

L. GRANIO. L. F. M. IVLIVS
OLYMPVS. NEGOTIATOR. FAMILIAE
GLADIATORIAE

Alia est Inscriptio Lugduni, ex cujus fragmento hæc integra remanserunt, pag. 649. 7.

D.
ET. MEMOR
AETERNAE. I
POPPILI. NATI
SEQVANO. CIVI
LVGDVNENSI
NEGOTIATORI. ARTIS
PROSSARIAE. ADPERTINENTIS

Ars prossaria fortè ad cultum hortorum pertinet, & herbas hortenses. Quod ex inscriptione capitis tertii Columellæ, libro undecimo *de Re Rustica* conjicio; quæ ita concepta est: *Prossa de cultu hortorum & herbis hortensibus:* ubi olerum sationes & semina lactucæ, brassicæ, erucæ, nasturcii, &c. explicantur, quæ negotiatores prossariæ artis venalia habent. Sed veriùs hos negotiatores πραγματευτὰς dixerim, operatores qui studium adhibent ad efficiendam rem quampiam. Quare prossariam negotiationem, ἀπὸ τῆς πρασίας denominatam puto: πρασία enim apud Theophrastum est arbor perpetuæ frondis. Auctor *Etymolog.* Ἐπὶ δὲ τοῦ φυ-

1 L. diariis. D. de aliment. legat. 2 L. 207. D. de verb. sign. 3 L. 1. C. de nundinis. L. 1. §. licèt. D. de tributor.

φυτοῦ ὀρθίου, χείτης τε πρηνὴς ὀρθίους ποιούμεθα γόμφους· φυτὸν, planta: γόμφοι, contabulationes, compages, *palissades*. Hinc negotiator artis prossariæ est πραγματευτὴς πρὸς ὀρθίας. Adpertinens autem ars prossaria ad hortos in ædificiis constitutos & domui applicitos referri potest, vel alienis ædibus vicinos, de quibus leges variæ [1]. Qui ex ædibus alicujus in vicinas ædes pertinent: nam *pertinet* ex Vlpiano hoc significat, quod ex ædibus alicujus in alienas dirigitur, extenditur & prominet [2]. Vnde nobis dicuntur *Appartenances*. Hæc mea conjectura est, cui non multùm confido: viderint peritiores, si quid rectius illa noverint; & quò pertineat illud, *adpertinentis*, illi clariùs explicent.

De Siliquatici onere ita libri Βασιλικ. *lib.* 56. *tit.* 12. Ἐν ἑκάστῳ ἐνιαυτῷ ἑπτὰ κεράτια εἷς ἕκαστος ἄνθρωπος χρυσορύκτης παρεχέτω, οὐ μόνον τῆς Ποντικῆς διοικήσεως, ἀλλὰ γὰρ καὶ τῆς Ἀσιανῆς: *Singulis annis septem siliquas solvant aurileguli, non Ponticæ tantùm Diœceseos, verùm etiam Asianæ.* Priscianus de nominibus & mensuris ponderum: *Argentei*, ait, *erant viginti quatuor siliquarum, & quatuor drachmæ sunt septuaginta duæ siliquæ: tres scrupuli singuli sex siliquas faciunt: tres denarii septuaginta duas siliquas.* Siliqua est quod dicunt Græci κεράτιον, vel λεπτὸς, minutum nummi genus: siliquæ tres obolum faciunt; denarius denis assibus valuit, Budæus lib. 2. *de Asse*.

Onus hoc Siliquatici ex Constitutione Theodosii & Valent. introductum observat Cujacius lib. 16. *Observ.* cap. 23. ut nundinis quibusque decreto Provincialium loco & tempore constituto ex qualibet mercium negotiatione, fisco in singulos solidos venditor dimidiam siliquam ac similiter emtor alteram dimidiam inferret. Verba edicti subjicit Cujacius, quæ frustra hic apponerem. Hinc Siliquatici tituli Cassiodoro lib. 2. *Var.* 4. & Siliquatici conductores, idem lib. 2. *Var.* 30.

Hoc onus non tantùm ad Aurilegulos, id est, auri fossores, pertinet, sed transiit & ad Sportulas Palatinorum, & eorum qui canonem ad arcam Præfecturæ pertinentem, & sacris vel privatis Largitionibus inferendum exigebant: nam Palatinus siliquam mediam, pro siliquatico solidi remunerationis binorum solidorum: exactor siliquam: quatuor autem siliquas tàm Curialis quàm Officium Provinciale percipiebat: Officium Præfectorum sex semisiliquas [3].

Fuit Comes Siliquatariorum & portus curas agens, Cassiodorus 2. *Var.* 12. atque etiam portus Vicarius, idem 7. *Var.* 23. qui in portubus Officio fungebantur, commercia moderata æqualitate componebant: atque inter peregrinos dissidia discernebant.

Officium autem Comitis S. L. in Notitia sic est: Primicerius totius Officii. Primicerius Scriniorum canonum. Primicerius Scriniorum tabulariorum. Primicerius Scriniorum Numerorum. Primicerius Scriniorum aureæ massæ. Primicerius Scriniorum auri ad Responsum. Primicerius Scrinii vestiarii sacri. Primicerius Scrinii ab argento. Primicerius Scrinii à Milliarensibus. Primicerius Scrinii à pecuniis, & ceteri Scriniarii. Secundicerius Officii qui Primicerius est Exceptorum. Tertiocerius Officii qui tractat Bastagas. Quæ omnia intelligi possunt ex Commentariis Panciroli, qui latiùs ea exposuit.

1 L. 41. §. 1. D. de leg. 3. l. 91. §. fin. eod. l. 198. de verb. sign. 2 L. Prætor ait. §. quod ait. D. de cloacis. 3 Novel. Leon. & Majorian. de curialib.

CAP. XXIV.

De Palatinis sacrarum Largitionum.

PAlatinorum nomen ad multos extenditur: omnes enim communi hoc nomine vocantur, qui in Palatii Scriniis militant, & diversis Comitibus apparent: nam & Palatini sunt Notarii, qui intra Consistorii secreta funguntur Officio, quique inter Agentes in rebus. Admissionales qui sub castrensi Officio, quorum alii Imperatori obsequuntur: alii Scriniis vacant, id est, memoriæ Epistolarum libellorum: alii Palatinorum Magistro: atque alii Comitibus sacrarum Largitionum & privatarum [1].

Palatinorum ordinum Magistri meminit Zosimus *lib.* 5. quem inter Magistratus annumerat, isque illi est, ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων Μάγιστρος, quem postea Palatinorum ordinum Ducem appellat, τὸν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων ἡγέμενον. Hunc Magistrum equitum & peditum in præsenti rectè dixerimus. Sub eo enim fuerunt Legiones Palatinæ, seu Comitatenses. Fuerunt præterea Palatini sub Comite Domesticorum & sub Magistro Officiorum [2].

Nos hîc tantùm de Palatinis Largitionum loquimur, qui peculiariter Palatini dicuntur. Παλατῖνοι κοινῷ ὀνόματι πάντες ἐκαλοῦντο, οἱ ἐν τοῖς κατὰ τὸ παλάτιον θησαυροῖς ὑπηρετοῦντες ταξεῶται, *Gloss. Basilic.* Sunt enim Apparitores Comitum Largitionum sacrarum & privatarum, qui propriè Largitionales vocantur, & Privatiani. Atque ab his Comitibus Comitatenses dicti, dum in Palatio consistebant, ut qui in Provincias dirigebantur, Mittendarii.

Vopiscus, malus Latinitatis Auctor, Largitionalem pro Largitionum Comite usurpavit in *Carino*: *Diocletiani*, ait, *actum fertur, cùm ei quidam Largitionalis suus editionem Cari laudaret, dicens multùm placuisse Principes illos, causâ Ludorum Theatralium*, &c. Largitionalem suum pro Comite Largitionum dixit: nec enim Largitionales Comitum Apparitores dicuntur Principum: nec istius conditionis homines cum Principe colloquebantur.

Sunt Largitionales civitatum [3]: sunt etiam Largitionales urbium singularum [4], qui in illis commorabantur, atque inter militantes in Palatio habentur: sed ab Officio Largitionalium Comitatensium distinguuntur, qui intra aulam obsequiis deputantur [5]. Hi tamen omnes Palatinorum matriculis attinentur, & Palatini nominis præferunt dignitatem [6], & sacrarum remunerationum tractant rationem [7].

Horum partes sunt urgere, instare, monere, Comitem Orientis, & ceteros Magistratus spectabiles, ut conatus nefarios inhiberent, tàm Moderatorum quàm cohortalis Officii, id est, Apparitorum Præsidum [8]. Hæc tamen Palatinis præcipua cura fuit, „Vt periculo proprio Notariis destinatis super negligentia Judicum, si res ita exegerit, conquerantur, ne eorum sit impunita desidia. Judices quoque de eorum nominibus referre convenit, quos commodis propriis magis, quàm utilitatibus publicis studere providerint: „breves etiam quadrimenstruos ad Officium Pala-„tinum

1 L. 1. & 7. C. T. de privileg. eor. qui in sacr. Palat. 2 L. 38. C. T. de Decurionib. 3 L. 6. C. T. de susceptorib. præpos. &c. 4 L. 3. C. T. de privileg. eorum qui in sacr. Palat. 5 L. 12. C. T. de Palat. sacr. larg. 6 L. 38. C. T. de Decurionib. 7 L. 20. C. T. de Palatin. sacr. larg. 8 L. 3. C. de Canon. larg. titul.

„ tinum noverint dirigendos: aurumque exactum „ ad sacras Largitiones sine ulla dilatione esse mittendum [1].

Palatinorum præterea obsequio Largitionalium titulorum exactio deputatur [2]. Atque ad illorum Officium referuntur, qui personalibus debitis sacro ærario adstricti sunt, id est, Conductores diversorum portuum ac vectigalium: publicani, telonarii, Præpositi thesaurorum atque Baphiorum, Procuratores Gynæciorum ac Monetariorum, ceterique omnes, qui in chartis Palatinis continentur [3].

Palatini præterea superindictum vel aurarias functiones ceterasque ad utrumque ærarium pertinentes exigunt [4]. Compellunt Judæorum primates, periculo suo anniversarium canonem de synagogis omnibus exigere ad eam formam, quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant [5].

Palatinorum Largitionalium Officia varia fuerunt, Canonicarii scilicet, Tabularii, Numerarii, Exceptores, Mittendarii, Adjutor Palatini Officii, qui matriculas tractabat; de quibus & Largitionum decem Scriniis est Constitutio Imperatorum [6], quam Pancirolus perdoctè explicavit.

His omnibus annonæ juxta definitum dignitatum modum, & strenæ & vestes præstabantur [7], si statuti essent: fuere enim supernumerarii & honorarii [8]: Statuti fuere ducenti viginti quatuor: Supernumerarii sexcenti decem [9]: tandem quingenti quadraginta sex Palatini fuerunt, & Supernumerarii in locum decedentium singuli subrogati [10].

Varia Palatinorum privilegia fuerunt: nihil illis Præfectus Prætorio aut Provinciarum Rectores injungere poterant, sed soli Largitionum Comites [11]: quos Palatini, Judices sortiti sunt: in Vrbe, nec apud Præfectum Vrbi litigare compelli potuerunt, nisi de ædificatione domorum, & servitutibus & annonis causa oriretur [12]. In Provinciis tamen ordinarios Judices agnoscebant, nisi si qua publica sollicitudo eis injuncta esset.

Præterea Palatinis omnibus condonatur, ne Exactorum vel Turmariorum, quos Capitularios vocant, curam subeant, vel obsequium Temonariorum, vel Pentaprotiæ, aut etiam Tironum præstationem agnoscant, vel censualibus personalibus, vel corporalibus muneribus adstringantur. Nec ipsi, nec filii, nec nepotes eorum ad honores, vel munera municipalia devocentur: atque ab omnibus extraordinariis & sordidis muneribus excusentur [13].

Turmarii à turmis Tironum cogendis appellati sunt: illorum enim Tironum congregandorum munus fuit [14], quos Capitularios vocari lex docet. Capitulariorum enim verbum & ad Temonarios pertinet: nam temonaria & capitularia functio eadem est [15]. Temonarii exigebant aurum tironicum, Tirones, equos. Ex Constitutione Valentiniani & Valentis [16]: *Si aurum fuerit pro Tironibus inferendum, unumquemque pro modo capitationis suæ, debitum redhibere oportet.* Et ne quid dubium relinquatur, & solidorum numerum, qui temonario inferendus est, Imperatores designant: *Temonis injuriam pati* dixerunt Arcadius & Honorius [1].

Capitularii dicti à Tributo capitulari, seu tributo pro capitibus, ut Arcadius J. C. loquitur [2], qui Capitularios exactores pecuniæ pro capitibus appellat. Vnde tributum capitulare, ἐπὶ κεφαλαίῳ φόρος, & Κεφαλητίωνα vocant Græci [3]: fortè τέμωνα. Tributum hoc pro Tironibus imperabatur, de quo Symmachus *lib.* 9. *epist.* 10. *postulant Capitularii taxationem Tironis ab hominibus meis*, &c.

Pro *Pentaprotia*, quæ in vulgato codice, reponit Cujacius *prototypia* ex C. T. cujus titulus est, de protostasia, quæ eadem est ac prototypia. Sed nihil immutandum: nam prototypia, protostasia & pentaprotia eandem vim habent, munusque patrimonii designant, quod pentaprotis, decaprotis, & icosaprotis injungitur. Πρωτοστασίας, principalitates interpretatur Cujacius, quæ & principatus dicuntur, ut πρωτότυπος, principalis. Decurionum principales erant quinque, decem, vel viginti, pro Curiarum numero & amplitudine: unde πεντάπρωτοι, δεκάπρωτοι, & εἰκοσάπρωτοι. In numero quidem Decurionum sunt, sed honore & auctoritate præcellunt. Hinc Quinqueprimi, vel Decemprimi ordinis Curiales [4], Summates & Primates civitatum dicuntur. Sic quinque Summates ordinis Alexandrini [5]. De Principalibus vetus lapis, pag. 363. 2.

L. ARADIO. VALERIO. PROCVLO
V.C. VIRI. PERFECTISSIMI. ET. PRINCIPALES. ET. SPLENDIDISSIMVS
ORDO. ET. POPVLVS. PVTEOLANORVM. PATRONO. DIGNISSIMO

Horum periculo exactiones & distributiones tributorum fiebant. Huicque functioni minores obnoxii erant, *quia patrimonii onus*, ait Vlpianus, *magis videtur esse* [6]. Et rectè *magis* dixit: mixta enim munera Decaprotiæ & Icosaprotiæ. Herennius Modestinus notando & disputando benè & optima ratione decrevit: *Decaproti & Icosaproti tributa exigentes & corporale ministerium gerunt, & pro oneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt. Pro omnibus*, legunt Pandectæ Florentini; Cujacius, *pro oneribus*; vulgati codices, *pro muneribus.* Verior est Cujacii lectio, quæ magis ad Florentinorum lectionem accedit, nec tamen vulgata rejicienda: nam munera & onera idem valent.

Ceterùm ut Primicerius unus est totius Officii, quem alii sequuntur; ita in Curia est summo loco primus Curiæ [7], qui Dominus inter Decemprimos nominatur: ut ex Inscriptione antiqua didici, quæ est Romæ, pag. 348. 7.

FILI. FECERVNT
D. M.
P. AEMILI. NICOMEDI. IVN
DOMINO. D. III. INTER. DECEMPRIMOS
PATRI. BENE. MERENTI

Sic Primicerius totius Officii sacrarum Largitionum, Dominus ex Primiceriis vocatur, ut suprà monuimus cap. 9. quem sequuntur Primicerii alii Scriniorum ordinis secundi & tertii. Vnde notas Inscriptionis, D. III. interpretor, *Decurionum*, ut inter Decemprimos tres præcipui fuerint, quorum caput & quasi Primicerius fuerit is, qui primus & dominus est appellatus.

Oo CAP.

1 L. unic. C. de offic. Comit. larg. 2 L. 18. C. T. de exactionib. 3 L. 3. C. T. de indulgent. debit. 4 Novel. Theod. & Valent. de Palatinis. 5 L. 17. C. de Judæis & Cælicol. 6 L. 7. C. de Palatin. sacr. larg. 7 L. 7. & 11. C. T. eod. 8 L. 2. C. T. de proxim. Comitib. disposit. 9 L. 15. & 16. C. T. de Palatin. sacr. larg. 10 L. 17. eod. 11 L. 6. C. eod. 12 L. 12. C. eod. 13 L. 2. C. de privileg. eor. qui in sacr. palat. & l. 1. C. de Palatin. sacr. larg. 14 Novel. Theod. & Valent. 2. de tironib. 15 L. 14. C. T. de extraord. munerib. 16 L. 7. C. T. de tironib.

1 L. 14. C. T. de proxim. comitib. disposit. 2 L. fin. §. qui annonam. D. de munerib. & honorib. 3 Novel. 8. 4 L. 22. C. T. de Quæstorib. 5 L. 57. C. de Decurionib. 6 L. 3. §. decemprotos. D. de munerib. & honorib. 7 Cujac. ad leg. 33. C. de Decurionib.

CAP. XXV.

De Illustri Comite Rerum Privatarum, & illius Officio.

Largitiones sacræ fuerunt & privatæ, ex quarum diversitate duo Comites sunt constituti: qui utrique Largitionum & utriusque ærarii Comites dicti, & sacrarum & privatarum remunerationum[1]. Sacræ Largitiones publicæ vocantur: quod nomen privatis non convenit. Hinc *publicis & privatis rationibus involuti, pristinæ conditioni reddi* dicuntur[2].

Privatarum Largitionum Comes Illustris est, ut sacrarum[3]. Sub Juliano Imp. Comes S.L. Felix fuit; Elpidius rerum privatarum, de quibus Theodoretus lib. 3. *Hist. Eccles.* cap. 11. Φίλιξ μὲν ταμίας, ὁ τῶν Βασιλικῶν θησαυρῶν, Ἐλπίδιος δὲ τῶν ἰδίων τοῦ βασιλέως χρημάτων τε καὶ κτημάτων τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένος. Κόμητα δὲ τὸν τοιοῦτον προσαγορεύειν εἰώθασι Ῥωμαῖοι. Hos à Græcis, δαψιλείων παρόχους, dictos tradit Cujacius, quasi magnificentiæ Principis dispensatores.

C Parochus publicus M. Tullio lib. 13. *ad Attic.* epist. 2. is erat, qui lautia præbebat Legatis exterarum nationum: nam lautia Græcis sunt παροχή, ut Simon Bosius annotavit.

Δαψίλεια verò sunt quæ copiosa, ampla & magnifica dicuntur. Hinc Plauto dapsiles dotes, in *Aulularia*; dapsiles sumtus, in *Pœnulo* & in *Mostellaria*, pro amplis & magnificis. Ab eo Comitis privatarum magnificentia ab Impp. collaudatur[4], qui etiam frater Augustorum ab ipsis Principibus, imò & parens Karissimus salutatur, cum Illustri D auctoritate[5].

Comes privatarum, qui Κόμης τῶν ἰδιοκτήτων τοῦ βασιλέως, & Κόμης τῆς ἰδικῆς τῶν πραγμάτων, lib. 6. *Basilic.* tit. 1. Judex erat & gubernator privatæ substantiæ Principis, ex qua censebantur vacantia, caduca, commissa, tacita fideicommissa, vaga mancipia, thesauri inventi, & quidquid negotii erat, in quo aliquid commodi fiscalis apparebat[6].

Bona vacantia sunt intestatorum res, qui sine herede legitimo decesserunt, ἀκληρονόμητα[7]. Caduca ex Constitutione Imp. Antonini fisco vendicantur: sunt verò ea quæ jure relicta capaci, aliqua ex causa post mortem testatoris cadunt in fiscum. E Quæ latè Vlpianus exsequitur[8], quæque à Justiniano tandem sublata sunt[9]. Commissa in vectigalibus vocantur, τὰ κλεπτοτελωνήματα. Quæ propter crimina fisco vendicantur, & statim desinunt ejus esse, qui crimen contraxit[10]. Tacita fideicommissa sunt, cùm alicujus fides eligitur, quæ quod in testamento relictum est, alteri, qui capiendi jus non habet, restituturum se testatori promisit: vel quoties quis neque testamento, neque codicillis rogatur, sed domestica cautione, aut chirographo obligatus, ad præstandum ei qui capere non potest, sese obligat[11]. Sic in Jure dicitur, F tacitam fidem accommodare[12]: tacitam pecuniam apud se habere quæ refundi debeat[13]: & mutuam pecuniam tacitam accipere, Agel. *lib.* 12. *cap.* 12.

1 L. 2. C. T. de commeatu. 2 L. 3. C. T. de his qui ad Eccles. confug. 3 L. 3. C. T. de incorporat. 4 L. 3. C. T. unde vi. 5 L. Novel. Leon. & Majorian. de bonis caducis. 6 L. unic. C. de offic. Comit. rer. privatar. 7 L. 1. C. de bon. vac. 8 In Fragment. tit. 17. 9 C. de caduc. tollend. 10 L. commissa. D. de publicanis. 11 L. 1. & 3. D. de jur. fisc. & l. in tacitis. D. de leg. 1. 12 L. Lucius. D. eod. 13 L. emtor. §. Lucius. D. de pact.

A Vaga mancipia, ἀδέσποτα, quæ aut dominis sine herede defunctis, inveniuntur dominos non habere: aut servi pœnæ facti ac postmodum liberati, judicialibus dominos amisere sententiis, & in quos injectio manus fisco rectè præbetur[1]. De thesauris inventis Imp. Constantinus constituit, ut qui invenerit, & ad fiscum sponte detulerit, medietatem consequatur, & alteram fisci rationibus tradat[2]. Quod intelligitur, si in loco publico, vel fiscali invenerit, aut in loco religioso, aut in monumento, aut in Cæsaris possessione[3].

Formula Comitivæ rerum privatarum à Cassiodoro tradita est lib. 6. *Var.* 8. quâ *privatarum* B *Comes Præfectis adæquatur*; *& quasi parens publicus agnoscitur. Illi Jurisdictio tributa est*; *Sedes, Advocati, & decreta custodia contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus. Illi quies defunctorum commissa est, ne quis vestita marmoribus sepulchra nudare: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret*: legendum fortè, *pollueret*.

„Habet quoque privatarum Comes, per Provincias de perpetuario jure tributorum, non minimam quantitatem: Canonicarios dirigit, possessores admonet, & cum aliis Judicibus non C modica jura partitur. Caduca bona non sinit esse vacantia: depositivæ quoque pecuniæ, quæ longa vetustate competenter dominos amiserint, illius inquisitione, ærario privato applicantur. Et quos ille in foro suo habuit Advocatos, ii post depositum Officium Clarissimi primi ordinis Comitis dignitate fruebantur[4].

De nefariis verò libidinibus ita cognoscebat, si contra legum præcepta, vel contra mandata Constitutionesve Principum, nuptias quis fortè contraxisset. Nihil enim ex eo matrimonio, sive ante nuptias donatum, sive deinceps quoquo modo datum fuerit, ille qui peccaverat consequebatur: sed D id totum, quod ab alterius liberalitate ad alterum processerat, ut indigno, indignave, sublatum fisco vendicabatur[5].

Par ratio fuit, si quis sepulcrum violasset, cujus tertia pars bonorum publicatur, ipseque infamiâ notatur[6]. Quod ad exsecutionem pœnæ commissæ pertinet, non ad criminis vindictam, quæ Præfecto Præt. aut Præfecto Vrbi mandata est. Sed ad Comitem privatarum pertinet, etiam Canonicarios dirigere. Canon propriè est pensio, quæ ex Emphyteuticariis prædiis redigitur: Canonicarii ab exigendis canonibus dicti, qui & Palatini sunt ex Scrinio canonum, mittunturque in E Provincias, ad exigendos solennes titulos fiscales, vel à Comite privatarum, vel à Comite domorum, aut Præposito sacri cubiculi[7].

A Comite quidem privatarum ad perpetuarium jus exigendum, atque etiam Emphyteuticarium. Nam *ad Palatinorum curam & Rationalium Officia totius perpetui vel Emphyteuticarii juris exactio revertitur*[8]. Vulgati codices legunt, *totius perpetuarii*, *hoc est*, *Emphyteuticarii*, & malè: apponenda est enim distinctio, *&*: nam perpetuarium jus ab Emphyteuticario perpetuò separatur[9]. Perpetuarii enim non sunt domini, F qui nec mancipia manumittere possunt, licèt juris sui alienationem habeant: Emphyteuticarii sunt domini, & manumittere possunt. Sic privata & emphyteutica gleba distinguuntur[10]. De caducis & vacantibus bonis & thesauris inventis nihil repeto:

1 L. 2. C. T. si vagum pet. mancip. 2 L. 1. C. T. de thesauris. 3 L. 3. §. fin. D. de jur. fisc. 4 L. 1. C. de advocat. diversor. judicior. 5 L. 4. C. de incest. & inutilib. nupt. 6 Novel. 60. 7 Novel. 30. 8 L. 1. C. de Offic. Comit. sacr. Palat. 9 L. 14. C. T. de tironib. 10 Cujac. ad l. 1. C. de locat. præd. civil.

repeto: sed quæro quomodo par fuerit Comes privatarum Præfectis Præt. & Vrbi[1]. Par quidem dignitate fuit, quia illustris est, & parens Karissimus ab Imperatoribus appellatur: par potestate in Cognitionibus illi competentibus: nec enim ullus Judicum vir illustris, vel Præfectus Vrbi cognitionem Comitivæ rerum privatarum examini debitam, sibi vendicare potest, vel tuitionem contra ejusdem sedis statuta præstare. Quòd si id præsumserit, ad quadraginta librarum auri illationem, pœnæ nomine Officium ejus tenetur, quam decet in articulo exigi, Principis ærario sociandam[2]. Hæc lex scripta est ad Comitem rerum privatarum, in C. quæ sub titulo Comitis sacri Palatii continetur, qui quidem titulus subdititius est. Nec enim Comes sacri Palatii ullus fuit unquam: quare ad titulum proximum de Officio Comitis rerum privatarum rejicienda est. In articulo autem, est in momento, ἐν ἀτόμῳ, ex usu forensi, *Sans deport*.

Rescripserunt Imperatores ad Symmachum Præfectum Vrbi, *ut observaret in posterum, ne quid de rebus rei privatæ violetur, nisi priùs Comes rei privatæ esset gnarus*[3]. Pro, *violetur*, legebam aliquando; *ventiletur*: verbum enim est in Judiciis frequens, in quibus *altercationes ventilatas* dixit Imperator[4]: *& Judiciariis certaminibus ventilatas*[5]. Vt etiam Cognitio apud Rationalem ventilari dicitur, fisco alicujus patrimonium vendicante[6]. Sed retineo vulgatam lectionem, quam sic interpretor, ut si apud Præfectum Vrbi, vel coloni, vel perpetuarii, aliique istius conditionis homines, de fundi proprietate sibi invicem controversiam moveant; Comes privatarum à Præfecto Vrbi gnarus fieret, & moneretur, ut videat, ne quid jus fisci detrimenti capiat, aut violetur. Sic M. Tullius *violare dignitatem* dixit *lib.* 1. *epist.* 6. & *violare existimationem*, *lib.* 13. *ep.* 37. quod est lædere.

Hujusmodi controversiarum imaginem quandam ipse Symmachus refert *lib.* 5. *epist.* 66. „Veterator quidam, *inquit*, procuratorio nomine caput extulit, Eusebii Exnotario V. C. quassans vetustam petitionem, de impetratis olim Theodosii cujusdam bonis, quibus hoc prædium mentitur hæsisse: res in judicio Vrbano à petitore cœpta, & ipso fugiente finita est. Denuò cineres negotii obreptiva supplicatione refovet in flammam, & per diffidentiam justi, divinæ domus pro se attrahit actiones, ob inquisitionem videlicet mobilium, quibus nihil commune est cum prædio. Pervestigat* ista legum ordine Rector privati ærarii: ædium dominos relinquat Judici suo. Deinde, cur Procurator alienis invalidam petitionem, publicis viribus juvat? Cum fratre nostro Sperecio † Illustri viro quæso ista communices. Est æqui observantissimus, & qui libentiùs communi juri credat, quàm potestati suæ faveat: scit enim leges honoribus esse potiores. Hunc Illustrem Sperecium privatarum rerum Comitem fuisse clarum est satis.

Indiscretæ ex eodem Symmacho à Rationali appellationes interpositæ fuerunt, quarum cognitio, & ad Præfectum Vrbi, & ad Comitem privatarum commissa est ex Theodosii sanctione, Symmachus *lib.* 10. *ep.* 55. Sed ad Comitem privatarum in negotiis, quæ in Vrbe Roma patrimonii Principis ventilantur, de Rationalis sententia provocatio devolvebatur, si ducentarum librarum argenti æstimationem negotium transcenderet: si verò intra præstitutum modum litigii summa se cohiberet, judicium Præfecto Vrbi delegatum est[1].

In Provinciis, si de Discussoris, aut Rationalis sententia appellatio ad Comitem privatarum translata esset, & negotii mediocritas, aut regionis longinquitas ad illius judicium litigatores venire non pateretur; Comes Judici Provinciæ, quem ipse probabat, negotium delegabat[2]. Comes autem privatarum ante sententiæ tempus, & ordinem eventus, à Discussore vel Rationali appellationem recipere non debet[3]. Apud Comitem verò causæ civiles agebantur Actorum, Procuratorum, Conductorum, Inquilinorum, Servorum rei privatæ[4]. At si quid colonus, aut servus rei privatæ, contra disciplinam publicam perpetrasset, ad Judicium Rectoris Provinciæ venire cogebatur, ut præsente Rationali & Procuratore domus Augustæ, inter eum & accusatorem causa tractaretur[5]. Si verò Procurator, aut Præpositus Gynæcio rei privatæ, Susceptor, Colonus, vel quicunque se à Comite domorum meminerit esse concussum; ad Judicium Comitis privatarum repetiturus occurrit[6].

Præterea Comes privatarum de Colonorum debitis cognoscebat[7], ut de re à fisco vendita, sive mobili sive immobili, seu se moventi[8]. Cognoscebat & adversùs fisci Conductores[9]: de Confiscatis bonis[10]: fisco vendicabat libertos, qui conniventibus Patronis cum Ancillis Colonisve Principis, consortium elegerant[11]. In Fabricenses Jurisdictionem exercebat, si quid fisco intercepissent[12]. Atque hic, ut Comes S. L. extra ordinem negotia definiebat[13]. Et generaliter si quid negotiorum actitatum sit, in quibus aliquid commodi fiscalis appareat, ad Comitem privatarum transmittitur, ut instructione percepta quid sibimet juris auxilio debeatur, agnoscat[14].

Vniversa loca vel prædia, quæ à diversis Principibus vendita vel donata essent, Comes privatarum retractabat, & privato Principis patrimonio adgregabat[15]. Ille quandoque beneficii Principis adimendi potestatem habebat[16]. Ad illum pertinet venditio vestis, auri, & argenti, seu mancipiorum, si quando à privatis Principis ea contigerit venundari, & Palatinis emendi copiam denegare[17].

Item si res deferantur quasi ad sacratissimum ærarium pertinentes, Comes privatarum in celeberrimis locis Vrbis, in quibus res consistunt, permittit adversario cuilibet, iis de rebus apud se judicium suscipere, intra dies xxx. Quòd si neque Procurator ejus possidens, neque custos possessionis, compareat intra xxx. dies, idque actis fiat manifestum, mittit fiscum in possessionem[18].

Per eundem Comitem si quid rei Principis addendum esset, vel publicatione alicujus, vel incorporatione, incorporatio complebatur: ut per Rationales in singulis quibusque Provinciis[19]. Quod ad res caducas vacantiaque bona porrigitur[20]. Incorporare est quasi in corpus fisci redigere.

Emphyteutici juris prædia Comes privatarum locabat, & fundos rei privatæ postulantibus ad-

* Sic in Editis legitur, sed *Pervestiget* videtur leg.
† Ibid. script. *Sperchio*.

1 Novel. Theod. & Valent. de tribut. fiscalib. 2 L. 2. C. de offic. Comit. sacr. Palat. 3 L. 9. C. T. de jur. fisc. 4 L. 3. C. de annal. except. 5 L. fin. C. de præscript. 30. vel 40. annor. 6 L. 7. C. de jur. fisc.

1 L. 49. C. T. de appellationib. 2 L. 45. C. T. eod. 3 L. 7. C. quor. appellation. non recip. 4 L. 6. C. ubi causæ fiscal. 5 L. 8. C. eod. 6 L. 5. C. ad leg. Jul. repetund. 7 L. 11. C. de jur. fisc. 8 L. 2. C. de quadrienn. præscript. 9 L. 6. C. ubi caus. fisc. 10 L. 5. C. de conveniend. fisc. debitorib. 11 L. 2. C. de bon. libert. 12 L. 5. C. de Fabricensib. 13 L. 3. C. de jur. fisc. 14 L. 1. C. de offic. Comit. rei priv. 15 L. 8. C. de jur. fisc. 16 L. 16. C. T. de petitionib. ultr. dat. 17 L. fin. C. de rescind. vendit. 18 L. constit. Græc. l. fin. C. de delatorib. 19 L. 1. C. T. de incorporat. 20 L. 2. C. T. eod.

dicebat, salvo canone[1]. Curam habuit earum domorum quæ ad rem privatam Principis pertinent[2], ne Procuratorum nequitiâ, aut Rationalium negligentiâ, laberentur in ruinas: & si res ita postularet, eas res distraheret, vel Prætoriis Judicum reservaret[3]: quos moneret, ut certa prædiorum fides, & domorum esset justa in auctione taxatio. In legum inscriptionibus privatarum Comes dicitur, Comes Largitionum. Ille etiam Palatia & consecratas ædes ab omni privatorum usu & communi habitatione prohibebat[4].

Quòd si res in Provinciis constitutas quis denuntiaret, Comes privatarum nonnunquam Præsides Provinciarum Judices delegabat, qui vel ultro, vel ex præcepto illius, litem disceptarent[5]. Quod & ordinariis Judicibus & vicariis concessum est, cùm res denuntiabatur: id est, si thesauri inventi, ceteraque ad fiscum pertinentia deferrentur[6]: nam ex multis causis denuntiatio fiebat, de quibus nos plura, ubi de jure fisci. Hîc tantùm notamus, in nuntiatione, neque privatarum Comitem, neque aliorum Magistratuum quempiam, eum qui super thesauro aliquem defert, admittere: sed si de alia re fiscali nuntiet, datis fidejussoribus audire, ex Constitutione Græca, quæ in libris Βασιλικ. *lib.* 6. *tit.* 1. *cap.* 117. habetur, quam Contius ad titulum C. de Officio rerum privatarum retulit. Μήτε ὁ Κόμης τῶν πραγμάτων, τῆς ἀδίκης περιουσίας, μήτε τις ἕτερος τῶν ἐν ταῖς ὑπαρχίαις ἀρχόντων, τὸν περὶ θησαυροῦ καταμηνύοντα προσδεχέσθω. Comes autem privatarum Susceptores creabat periculo Procuratorum dominicæ domus, in capitibus & annonis præstandis familiæ dominicæ, prisca consuetudine servata[7]. Hunc Procuratorem primùm instituit Severus, qui postea Comes Largitionum privatarum, & Comes privati ærarii dictus est, Spartianus in *Severo*: qui alios sub se Procuratores habuit rei privatæ, per Appuliam, per Urbem Romam & ceteras regiones. Cùm Opilius Macrinus privatas res procuraret, ad Præfecturam Præt. evectus, Commodo arripuit imperium, Capitolinus in *Macrino*.

CAP. XXVI.

De Comite Largitionum privatarum: Comite Gildoniaci patrimonii: Rationalibus, Procuratoribus, & Præpositis rei privatæ.

SUb dispositione viri Illustris Comitis rerum privatarum fuerunt Comes Largitionum privatarum, Comes Gildoniaci patrimonii, Rationales undecim, Procuratores totidem, Præpositi duo[8]. Comes Italicianarum fuit sub dispositione Comitis S. L. Comes verò privatarum Largitionum sub dispositione Comitis privatarum. Ad hunc sunt Rescripta duo Impp. C. T. *de domibus ad rem privatam pertinentibus.* Primi Rescripti inscriptio est ad Comitem hunc Largitionum; secundi ad Comitem S. L. Sed delenda est littera S. Nec enim Comes S. L. curam habuit domorum, quæ ad patrimonium Principis pertinerent. Comes quidem Largitionum privatarum videtur Procurator, ut Comes Largitionum Italicarum, qui publica tributa Italiæ, ex Novella 104. Justiniani, sollicitabat: quæ censentur sub illo; qui Comes patrimonii Italiæ & Largitionum Italicarum.

Comitis Largitionum privatarum periculo fuerunt multæ, quæ rebus privatis inferri debuerunt, si fuissent neglectæ[1]: Vt sepulchri violatores viginti libras auri Largitionibus inferre coguntur[2]: hoc ad curam Comitis Largitionum privatarum pertinet, qui hac de causa Comes fiscalis commodi curam gerens dicitur[3]. Hic fortè Comes divinæ domus appellatur: nam domus divina est domus privata Principis & fiscalis[4].

Comes Gildoniaci patrimonii dicitur etiam Comes & Procurator divinæ domus[5]. Gildo Comes & Magister utriusque militiæ per Africam fuit, sub Theodosio, Arcadio, & Honorio, ut inscriptio illorum Constitutionis testatur[6]. De hoc Marcellinus: „Gildo Comes idemque Paganus, qui „mortuo Theodosio Principe Africæ præerat, „dum Arcadio & Honorio adhuc pueris regnan„tibus invidet, Africamque nititur obtinere: fra„ter ejus Mascezel cognita ejus vesania, relictis„que duobus apud Africam filiis, in Italiam re„meat: Gildo utrumque fratris filium dolo tru„cidat. Mascezel, fratris scelere cognito, cum „quinque millibus suorum, contra Gildonem se„ptuaginta millia armatorum sibi objicientem, in„festus accedit, Gildonemque parricidam jejuniis „& orationibus suis, imò B. Ambrosii in somnis „admonitu, auxiliantibus fugavit. Gildo fugiens „propria se manu strangulavit. Sic Mascezel sine „bello victoriam meruit, & sine cæde vindictam. Quod & Zosimus scriptum reliquit *lib.* 6. aliique ejus ævi Scriptores. Inter quos hæc Symmachus ad Stiliconem *lib.* 4. *ep.* 4. „Lectis Domini nostri „Honorii Augusti litteris atque sententiis, de„cursisque omnibus paginis, quæ Gildonis crimi„na continebant, par bonorum motus erupit. „Consulti igitur in Senatu more majorum ingenti „causæ, devotis sententiis satisfecimus. Adjecta „est post rei damnationem, pro alimentis Populi „Romani supplicatio. Deinde: „Veniet in manus „tuas quid pronuntiaverim: reperies & facti hu„jus me adseruisse justitiam, & apud Domi„num nostrum Arcadium causam publicæ egisse „concordiæ.

Ex his liquet Gildonem à Symmacho Præfecto Vrbi ex Senatus sententia capite damnatum, cum publicatione bonorum: nam prædia Gildonis hostis publici & satellitum ejus fisco vendicata sunt[7], satellitesque custodiis mancipati, & proscriptione damnati[8].

De Rationalibus privatarum eadem penè tenenda sunt, ac de Rationalibus S. L. Comes enim privatarum in singulis Provinciis Rationales habet qui res fisci procurant[9]. Horum curatio, statio appellatur, καὶ λέγεσθαι ἑκάστη φροντιστὴ, στατίων, lib. 7. *Basilic.* tit. 10. Inscriptio vetus, pag. 451. 3.

PETRONIAE. SABINAE. FILIAE. L. PETRONI. SABINI. P. P. BIS. PROCVRATOR. AVGG. STATIONIS. HEREDITATIVM

Hinc quoties fiscus tàm debitori quàm creditori succedit, licèt diversis stationibus, fidejussores liberan-

1 L. 7. C. de locat. fund. jur. emphyt. 2 L. 4. C. de fund. patrimonialib. & l. 2. C. de fund. rei privat. 3 L. 1. & 2. C. T. de domib. ad rem privat. pertinentib. 4 L. unic. C. de Palat. & domib. dominic. 5 L. 7. C. de delatorib. 6 L. 4. C. T. de advocat. fisc. 7 L. fin. C. de jur. fisc. 8 Notitia Imper.

1 L. 13. C. de adsessorib. 2 L. 2. C. T. de sepulchr. violat. 3 L. 28. C. T. de appellationib. 4 L. 1. C. T. de domib. ad rem privat. pertinentib. 5 Inscript. l. 16. C. T. de bon. proscript. 6 L. 9. C. T. ad leg. Jul. de adulter. 7 L. 7. C. T. de metatis, l. 16. & 19. C. eod. de bon. proscript. 8 L. 19. C. T. de pœnis. 9 L. 9. C. de jur. fisci.

berantur[1]. Secus in compensatione: nam in causa fiscali ita demum compensationi locus est, si eadem statio quid debeat, quæ petit[2].

Rationales privatarum causas ad fiscum pertinentes decidunt[3], cùm de bonis quæstio est, ut si quis mortem sibi consciverit pœnæ metu, & bona fisco vindicentur: Judex ordinarius de crimine & pœna mortui, Rationalis de bonis judicat[4], cujus præcipua cura bonorum vacantium fuit[5].

Moratur me in Notitia, Rationalis rei privatæ per Vrbem Romam, & suburbicarias regiones, cùm parte Faustinæ. Sed quæ fuerit illa pars Faustinæ, ex Spartiano possumus suspicari. Ille quidem de Antonino Pio: *Patrimonium*, inquit in *ejus Vita*, *privatum in filiam contulit, sed fructus Reip. donavit.*

Interversam lectionem Casaubonus credit: Quid enim, ait, profuisset patrimonium privatum Faustinæ conferre, si fructus Reip. donati essent? Sed nihil ego commutandum puto: nam fructus percipiendos, & jam maturos, ut reditus, quorum tempus cessisset, Antoninus Pius Reipublicæ largitus est: & patrimonium Faustinæ nullo in posterum deducto usufructu. Hoc Faustinæ patrimonium sublato herede ad fiscum rediit, & Faustinæ partis nomen retinuit. Si quis probabiliorem rationem attulerit, lubens illi subscribam. Est in Notitia Rationalis rei privatæ per Africam, & Rationalis rei privatæ fundorum domus per Africam; quæ duo diversa munera sunt: Primus enim res fisci procurabat; alter fundorum domus divinæ curam habebat: ad cujus differentiam primus, Magister rei privatæ Africæ vocatur[6].

Inter Procuratores, qui in Notitia sunt sub dispositione Comitis privatarum, occurrit Procurator rei privatæ per urbicarias regiones rerum Juliani. Hunc arbitror Julianum fuisse Didium, qui post Pertinacem Imperium arripuit, quem Severus occidere Prætorianis suasit, Spartianus in *Severo*. Hujus ita amplum fuit patrimonium fisco vendicatum, ut Procuratorem meruerit. De duobus Præpositis Bastagæ rei privatæ, nihil addendum ad ea quæ diximus de Præpositis Bastagæ Largitionum, quorum idem munus fuit.

Officium autem Comitis privatarum, hoc est, Primicerius totius Officii qui Dominus, Primiscrinius beneficiorum, Primiscrinius rationum, Primiscrinius securitatum, Primiscrinius Largitionum privatarum, & reliqui Scriniarii. Secundicerius totius Officii qui tractat chartas Officii. Ceteri etiam Palatini. Ex his constat quatuor fuisse Scrinia Comitis privatarum: beneficiorum scilicet, Rationum, securitatum & Largitionum privatarum, quæ Primiscrinios quatuor habuerunt. Scrinium securitatum continet Apochas, quæ securitates dicuntur.

Officia privatarum, privatiani sunt; quique privilegia Largitionalium consequuntur; hoc est, ut tàm Primicerius Officii, quàm alii quatuor Primiscrinii Scriniorum Exconsularibus inter Allectos esse mereantur[7]. Quod facit ad intellectum Inscriptionis veteris, in cujus fine hæc verba scripta sunt, pag. 151. 6.

LEPIDO. EXCONSVLARI. GERMANIAE
PRIMAE. EXMAG. MEMORI
EXCONS. RERVM. PRIVAT

Comitis verò rerum privatarum dignitas magnam habet cognationem cum Comitis S. L. di-

1 L. 2. C. de solutionib. 2 L. 5. C. de compensationib. 3 L. 5. C. ubi caus. fiscal. 4 L. 2. C. eod. 5 L. 2. 4. & 5. C. T. de bon. vac. 6 L. 4. C. T. de jur. fisc. 7 L. fin. C. de Palat. sacr. larg.

A gnitate: illorum enim munus par omninò est, & sola administrationis ratione distinguitur. Quare plerumque ii conjunguntur, iisdemque nominibus designantur: nam, ut diximus, Comes privatarum & Largitionum Comes dicitur, atque utrique Comites sunt utriusque ærarii[1]. Unde accidit aliquando, ut Comes S. L. vicem ageret Comitis rerum privatarum[2]: imò etiam ut Principes ipsi hoc sibi munus vendicarent: ut reprehensum est in Alexandro, quòd curas privatas ageret, Lampridius in *Alexandro*.

B

CAP. XXVII.

De Comite Patrimonii.

ALius est Comes sacri patrimonii, alius Comes rerum privatarum, alius Comes domorum. Horum tamen eadem prima fronte administratio videtur, & ab uno ipso Comite privatarum geri: nam vix ex Impp. legibus dignosci potest, quæ diversa fuerit illorum cura.

Patrimonii Comitem primus instituit Anastasius, ut ex Glossis Juris Sirmondus noster annotavit *ad Ennodium lib. 4. epist. 7.*
C Πατειμονάλια, ὅσα ἕκαστος βασιλεὺς ἑαυτῷ κτᾶται, ἀπὸ βασιλέως Ἀναστασίου· αὐτὸς γὰρ ὁ ἐξευρὼν καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην, καὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ κόμητος τοῦ πατειμονίου. Quod iisdem penè verbis Glossæ Basilicæ exprimunt: quibus πατειμονάλια ἰδιόκτητα τοῦ βασιλέως. Πατειμονιαλίκιον πατεικὴ οὐσία. Προσηγορία, quæ est collocutio, & Cassiodoro confabulatio, qui in formula Comitivæ patrimonii ex persona Theodorici, *Confabulationes*, ait 6. *Var. 9. nostræ erunt tibi instrumenta justitiæ. Regiæ præterea familiæ*, ex eadem formula *imperabat*,
D *& supra alios Judices familiaritatem Principis habebat. Epulas sollicita ordinatione disponebat, non solùm Palatio Principis, sed & gentibus, cùm eorum Legatis convivia pararentur.*

Titulus est C. Justiniani *de Officio Comitis sacri patrimonii*, quem meritò omnes Docti respuunt, cùm lex unica, quæ illo titulo continetur, ab Honorio & Theodosio scripta sit, quorum principatu nullus fuit Comes patrimonii. Deinde, scripta lex est ad Proconsulem Asiæ, nec ullum in illa verbum de patrimonio Principis, quod ante institutionem Comitis patrimonii duplex fuisse video, aliud sacrum, aliud privatum[3].
E Res quidem privata, cui Comes privatarum præerat, etiam patrimonium dicitur. Hinc Zosimo *lib.* 5. Petronius fisci Præfectus & rerum privatarum, sive patrimonii Principis Comes.

Patrimonium privatum à fisco separatum videtur: nam res fiscales sunt quasi propriæ Principis: dominicæ res, quæ & privatæ, sunt propriæ, ut Cujacius tradit[4]. Itaque res privata & res dominica patrimonialis appellatur[5], licèt & fisci patrimonium quoque dicatur[6]: nam generaliter patrimonium pro quibuscunque bonis accipitur, & pro partis & quæsitis[7]. Propriè tamen patrimonium est quod à patre & majoribus relictum
F est[8]. Res ergo privatæ, dominicæ, fiscales sunt in patrimonio Principis, diverso jure, quas à sacro patrimonio secerni debere Cujacius putat[9].

Oo 3 Pro-

1 L. unic. C. T. qui à præbit. tiron. excus. 2 Novel. Theod. & Valent. 47. 3 L. 8. C. T. de jur. fisc. & l. 1. C. de indictionib. 4 in Paratitl. C. ne rei dominio, vel templor. 5 L. fin. C. de fund. patrimonialib. 6 L. 1. §. hoc interdictum. D. ne quid in loc. public. 7 L. 1. D. de usufructu ear. rer. & l. cogi, & l. Titius. D. ad Trebell. 8 L. Lucius. D. famil. ercisc. 9 Ad tit. C. de fund. patrimonialib.

Procurator patrimonii frequenter in libris nostris occurrit, de quo Vlpianus: „ Sed ea prædia „ Cæsaris, quæ in formam patrimonii redacta, sub „ Procuratore patrimonii sunt, si legentur: nec „ æstimatio eorum debet præstari, quoniam com„ mercium eorum nisi jussu Principis non fit, „ cùm distrahi non soleant[1]. Patrimonii Procurator Nervæ Trajani Imp. in veteri Inscriptione legitur Romæ, pag. 61. 4.

CN. OCTAVIVS. TITINIVS. CAPITO
PROC. AB. EPISTVLIS. ET. A. PATRIMONIO. ITERVM. AB. EPISTVLIS
DIVI. NERVAE

Alia etiam Romæ, pag. 589. 12.

LEMNO. AVG. L. PROC
PATRIMONI. ET. HERED

Fuit etiam Proximus tabularum Rationis patrimonii, pag. 589. 9.

SOTER. AVG. LIB. PROXIMVS
TABVLAR. RATIONIS. PATRIMON

Et fuit Tabularius Rationis patrimonii Cæsarum, pag. ead. 8.

TI. CLAVDI. AVG. L. TABVLARI
RATIONIS. PATRIMONI. CAESARVM

Sed hic Procurator esse potuit privati patrimonii, non sacri, quod damnatorum bona nusquam vendicat, fiscalibus corporibus socianda[2]. Hinc Procurator privati, Ordinator privati patrimonii, ex Aniani interpretatione vocatur[3]: & Procurator privatæ Rationis[4].

In hac patrimonii Principis varietate, quodnam sacrum dici possit, ex Vlpiano colligitur[5]. Patrimonium enim sacrum de his prædiis fisco quæsitis intelligi debet, quæ in formam patrimonii rediguntur, id est, quæ ex privatis publica fiunt. *Cæsar*, ait Seneca lib. 7. *de Benefic.* cap. 6. *omnia habet, fiscus ejus privata tantùm, ac sua: & universa in Imperio ejus sunt, in patrimonio propria:* id est, omnia tàm fiscalia quàm patrimonialia, Principis esse intelliguntur, ut quidam interpretantur. Rectiùs si privatam substantiam, & propriam, à fiscali distinguerent, ut ipse Seneca: imò ut Impp. ipsi, qui medium ponunt inter privatam fortunam, & regale culmen; atque alios curatores privatæ substantiæ, alios divinarum domorum constituunt[6].

Sapienter idem ille Seneca variis criminationibus adortus dicebat Neroni: *Vna defensio occurrit quòd muneribus tuis obniti non debui: sed uterque mensuram implevimus, & tu quantùm amico tribuere posses, & ego quantùm amicus à Principe accipere. Cetera invidiam augent.* Deinde paulo pòst: *Cùm opes meas ultrà sustinere non possim, præsidium peto: Jube eas per Procuratores tuos in tuam fortunam recipi*, Tacitus lib. 14. *Annal.* quod est, in privatam substantiam redigi, non in fiscum: in privatam fortunam, non in regale culmen, quasi Proscriptorum bona, quæ in fiscum coguntur, & in formam patrimonii rediguntur.

Procurator ergo patrimonii, *ea prædia Cæsaris administrat, quæ in formam patrimonii redacta sunt, id est, quæ patrimonio Principis adgregantur, vel* A *quæ ærario sacro accedunt*[1]. Immoror Vlpiani verbis, qui prædia in formam patrimonii redacta ad curam Procuratoris patrimonii rejicit, illaque extra commercium ponit. In formam redigere, est ex alia forma in aliam transferre, & in unum reducere; quodque privatum erat, publicum reddere. Vt bona damnatorum, vacantia, caduca, & similia quæ fisco cedunt, privata quidem sunt & privatæ rei accedunt: sed si in formam patrimonii rediguntur, publica fiunt, & Regali patrimonio adcrescunt: hoc fit per incorporationem, quæ ritè & solemniter per Comitem rerum privatarum B fiebat: deinde per Rationales in singulis Provinciis commorantes complebatur[2].

Quod & hodie in nostra Gallia observatur, ex Regiis Constitutionibus, quibus res fisco Galliæ acquisita per bonorum publicationem, vel alio modo, si Dominio incorporata sit, regii patrimonii & Coronæ propria censetur. Ab eo dictum est sacrum patrimonium, quod est σεπτὸν augustum, à quo σεπτεύειν, est venerari Gloss. vet. Sic sacrum Principis Consistorium, sacrum Palatium, sacri apices dicuntur, ut omnia quæ Imperatorum sunt, quæ malè ἱερὰ καὶ θεῖα vulgò accipiuntur.

Fertur de Tacito Imp. quòd patrimonium suum C publicarit, cùm haberet in reditibus H-S. bis millies octingenties, Vopiscus in *Tacito*. De redituum hac amplitudine alii quæsierunt: nos verò publicationem tantùm persequimur, & dignam magno Principe virtutem, qui tantum patrimonium publicarit, id est, Imperii dominio consecrarit: & quod privatum erat, publicum & sacrum patrimonium fecerit, privatamque fortunam ad regale culmen redegerit. Publicare enim est δημοσιεύειν.

Fundi patrimoniales in Armeniæ tractu siti, Regales fundi vocantur[3]: & prædia Domus Au- D gustæ, quæ Regia Domus dicitur, & Domus divina[4], ad patrimonium sacrum pertinent. Patrimonialium autem conditio hæc, ut locentur, non ut in jus privatorum transferantur[5]: & Conductores horum prædiorum, quoties de causa ad Domum regiam pertinente aliquid quæstionis emerserit; non aliter quàm ex legum ordine, quibus omne genus hominum tenetur, excipiunt, vel inferunt actiones, eodemque jure, quo Conductores rerum fiscalium, utuntur.

Nec verò qui fiscale prædium conduxit, domus divinæ Conductor rectè diceretur[6]: nam fiscalia prædia ut res privata & dominica censentur, E cùm ad fiscum de bonis Proscriptorum devoluta sunt, vel alio jure, nisi per incorporationem ad sacrum patrimonium transeant[7]. Sic Conductores, Actores, & Procuratores rei privatæ & fiscalis, alii sunt à Conductoribus & hominibus domus divinæ & Augustæ[8]. Inter eos si quid dissidii nasceretur pro pensitatione, Judicem illi habuerunt Comitem patrimonii.

Hoc ex Ennodio observamus, qui cùm negotium inter regiæ domus Conductorem & Chartarium judicasset; in potestate esse Juliani Comitis patrimonii agnoscit suam decisionem auctoritate fulcire, *lib.* 7. *epist.* 1. Hunc enim Julianum rectè F Sirmondus probat Comitem patrimonii ex inscriptione alterius Epistolæ Ennodii, ipsi Juliano V. I. C. P. *lib.* 4. *ep.* 7. nam hæ singulares litteræ

1 L. cùm servus. §. fin. D. de legat. 1. 2 L. 3. C. de bon. vacant. 3 L. 1. C. T. de jurisdict. 4 L. 7. de edendo. 5 D. l. cùm servus. 6 L. 3. §. sed sancimus. C. de quadrienn. præscript.

1 L. 19. & 20. C. T. de bonis Proscript. 2 L. 1. C. T. de incorporat. 3 Novel. Theod. de patrimonialib. rei dominicæ, c. 3. 4 L. 4. C. de privileg. dom. August. 5 L. 10. C. de fund. patrimonialib. 6 L. 1. C. de conductorib. & procuratorib. præd. fiscal. 7 Tit. C. de collation. fund. fisc. 8 Tit. C. de actorib. procuratorib. reique privatæ conductoribus& hominibus domus Augustæ.

ræ sonant, *Viro Illustri Comiti patrimonii:* ad quem Theodorici Regis Epistola dirigitur, quâ eadem Comitis patrimonii dignitate decoratur, eique mandatur, de remittenda Conductoribus Apulis præstatione, ob commerciorum commoda diminuta; & frumenta inimicorum subreptionibus concremata, Cassiodorus 1. *Variar.* 16.

In aliis causis, sive civilibus, sive criminalibus, Judices ordinarios Conductores hi sortiebantur. In criminali per Rationalem exhibebantur: in civili Defensor domûs Augustæ, vel privatæ, adesse debuit[1]. Ex his conjicio Ennodium Rationalem patrimonii fuisse, cujus decisio inter Conductores & homines divinæ domus Comitis patrimonii auctoritate debuit comprobari.

Comes patrimonii in Officio Chartarios seu Chartularios habuit, & Sedem, cujus illustris magnitudo ab Athalarico Rege prædicatur, Cassiodorus lib. 8. *Var.* 23. Quî fit ut cùm patrimonii Comes sit illustris, frustra hunc sub Comitis rerum privatarum dispositione viri perdocti censuerint. Illustrium enim omnium ea potestas, ut superiorem nullum agnoverint præter ipsum Principem.

Nec dubium est, quin Comes patrimonii, ut ceteri Illustres, Officium habuerit, & Primicerium totius Officii, aliosque, & sub ejus dispositione fuerint Rationales, Defensores, Peræquatores, Censitores & Susceptores.

Defensores lubet hoc loco exquirere, de quibus Symmachus Præfectus Urbi *lib.* 10. *epist.* 55. *Sententiam*, inquit, *meam Defensor venerabilis domus provocatione suspendit.* Hunc Rationali patrimonii conjungit, quem Rationalem Augustissimæ domus appellat. Defensor & Rationalis in causa criminis & civili, ut diximus[2], præsentes esse debuerunt, dum causa tractatur inter Conductores & homines domus Augustæ, quæ patrimonium non respiciunt, & Defensor Procurator appellatur. Differt tamen Defensor à Procuratore[3]: nam Defensoribus commissa erat persecutio & investigatio eorum, quæ ad Augustam domum pertinebant: atque Defensores hujusmodi habuerunt in Provinciis Senatores, illique propriè erant œconomi[4].

Peræquatores sunt, qui desertos agros patrimoniales à prioribus Colonis cum Censitoribus dant in Emphyteusim. Inscriptio Populonii, pag. 361. 1.

L. ARADIO. VAL. PROCVLO. V. C
AVGVRI. PONTIFICI. MAIORI
PERAEQVATORI. CENSVS. PROVINCIAE. GALLECIAE

Alia hæc de Censitore, pag. 417. 5.

Q. HED. L. F. POL. RVF
AVGVRI. COS. PROCOS. ASIAE
CENSITORI. PROV. LVG

CAP. XXVIII.

De Comite Domorum.

Tamiaca possessio res est sacri Patrimonii Principis, quæ à re privata, ut notavimus, separatur. Hæc erat in Pontica Diœcesi & Cappadocia, quæ peculiarem habuit Magistratum non minorem civili, sed potiùs majorem[5]. Spectabilis enim Comes domorum permixtus est primæ Cap-

1 L. 3. C. T. de actorib. procuratorib. & conduct. rei privat. 2 Ex l. 8. C. ub. caus. fiscal. 3 L. nam postea. §. jusjurandum. D. de jurejur. 4 L. 2. & 3. C. T. de prædiis Senator. 5 Novel. 30.

padociæ Præsidi Clarissimo. Tamen neque pridem multæ quidem causæ movebantur apud eum, neque ex judicio ejus ferebatur aliqua penè appellatio[1].

Domus divinæ, vel Augustæ, vel regiæ, cura ad Comitem domorum non pertinet, ut nec rei dominicæ. Fuit enim rei dominicæ Comes, qui loca ad sacrum dominium pertinentia curabat[2]: & res dominica sub dispositione Comitis privatarum fuit, ut ex inscriptione legis planum est[3], quæ scripta est ad Florum Comitem rerum privatarum & Curatorem domus Augustæ. Divina tamen domus & domus dominica duos Curatores habuit ex inscriptione ejusdem legis, ad Petrum virum Illustrem Curatorem divinæ domus Serenissimæ Augustæ, & Macedonium virum Illustrem Curatorem & ipsum dominicæ domus Serenissimæ Augustæ. Fuit & Comes fundorum patrimonialium per Africam sub dispositione Præfecti Præt. Italiæ ex Notitia Imperii.

Comes ergo domorum Tamiacis prædiis præpositus erat, quæ erant in Cappadocia & in Provinciis aliis Pontici tractus, quæ etiam Curatores habuerunt, de quibus Interpretes Græci[3], Φροντιστὴς διοικῶν κτήματα καὶ ὑπὸ τὸν Κόμητα τῶν οἴκων· ἔστι δὲ οὗτος ἐν Καππαδοκίᾳ ὑποκείμενος τῷ Κόμητι τῶν περιβάτων.

Comes domorum est Cellarius, Promus Condus & penus custos. Cella proma, ταμεῖον, Gloss. vet. & ταμεῖον τὸ δημόσιον, fiscus, ærarium, ut ipse Justinianus interpretatur[5]. Ταμεῖον τὸ ἰδιωτικὸν, Cellarium, penum, promtuarium, quod ab ærario sacro & re privata & dominica separatur[6]. Sacro Cellario & cubiculo Prædiorum Tamiacorum reditus deputantur. Atque hinc Comes domorum inter Cubicularios recensetur[7]. Prædia Tamiaca consistunt in pascuis, sive in arvis, sive in locis vitibus consitis, sive in prædiis, sive domibus[8].

Præterea ad Comitis domorum curam pertinebant Coloni & servi Tamiaci, æquè & inquilini, & equitia ejusdem juris, conditionis, nominis, qui quæve erant sub jurisdictione Comitis domorum. Coloni verò Tamiaci alio fori privilegio utuntur, quàm rei privatæ Coloni: nam privatæ Colonus si quid contra disciplinam publicam commiserit, ad judicium Rectoris Provinciæ venire cogitur: sic videlicet ut præsente Rationali, vel Procuratore aut Defensore domus, inter eum & accusatorem causa tractetur[9]. At Colonus Tamiacus, inquilinusve aut servus, sive pulsetur ab aliquo super criminali seu civili negotio non alterius, quàm Præpositi Sacri cubiculi, vel spectabilis Comitis domorum, petitur examen, nullius allegatione super fori præscriptione penitus admittenda[10].

Dubitari potest, quomodo Comes domorum, qui, ut Græci Interpretes tradunt, subjectus est Comiti privatarum, superiorem etiam habeat Cubiculi Præfectum. Nam si quis vel Procurator, Præpositus Gynæcio, Tabularius, Susceptor, Colonus, vel quicunque alius, à Comite domorum concussus esset, ad judicium Comitis rerum privatarum occurrebat[11]. Quinetiam prisco revocato ordine, de Palatino Officio ad gerendum Principatum Officii Comitis domorum per Cappadociam mittebantur, quales Comes domorum, si inhonestum quid gessissent, vereretur, atque idonei Mittendariorum à Comite rerum privatarum singulis annis

1 Novel. 20. 2 L. 3. C. de rei dominic. vel templor. 3 L. 3. C. de quadrien. præscript. 4 Ad leg. 5. C. ad leg. Jul. repetundar. 5 Novel. 30. cap. 8. 6 Novel. Marcian. de indulgent. reliq. 7 L. 2. C. de Præposit. sacr. Cubic. 8 Novel. 30. cap. 7. & l. 2. C. de fund. & saltib. dominic. 9 L. 8. C. ubi caus. fiscal. 10 L. fin. C. eod. 11 L. 5. C. ad leg. Jul. repetund.

annis eligebantur, ac mittebantur[1]. Comes quidem domorum Officium habuit, & Officii Principem ex Officio Comitis rerum privatarum.

Quæ ergo fuerunt partes Præpositi Cubiculi in Cappadocia? Ecquid Comes domorum inter Cubicularios numeratur? Tamiaci reditus, ut suprà notamus, Cellario sacro & Cubiculo erant deputati. Qui ad cellarium sacrum, ad munus Comitis privatarum pertinebant; qui ad cubiculum, ad Cubiculi Præpositum. Atque hic interdum in Cappadociam Cubicularios mittebat[2]. Nam Præposito sacri Cubiculi supposita erat Palatinorum Schola in Cappadocia, simili cum potestate, ordine & figura, quæ abrogato Comite domorum intacta remansit, ut videlicet reditus ex Tamiacis possessionibus Cubiculo adsignatos, per Canonicarios susciperet, & Jurisdictionem exerceret in Tamiacæ conditionis homines, cum Comite domorum.

Habuit domorum Comes sub sua dispositione Curatores, Tractatores, Summarios. Tractatores sunt inter Exsecutores & Exactores[3], à trahendo dicti, quasi Tractores, Τρακτευταὶ, Tracteotæ Juliano[4], qui etiam delegationes tributorum proximæ futuræ indictionis significabant. Sed Curatorum & Tractatorum à Justiniano abolitum nomen, qui per singulas domos & totius Comitianæ Cohortis tredecim primates constituit, qui Primi & Secundi Magistri vocati sunt, & alios tredecim, qui Stativi, post illos separati sunt, nominari voluit: singulos ex singulis ædibus, & post priores tredecim, exactionibus incumbere & servare fisco quæ sua sunt[5].

Summarii sunt periti æstimatores, ab æstimationibus & summis rerum faciendis nuncupati[6]. Summarii verbum à M. Tullio hoc sensu usurpatum Cujacius credit, ex vulgata lectione quæ sic concepta est, lib. 10. *ad Attic.* epist. 1. *Mihi omnino non venit in mentem, quæ possit esse actio de pace, cùm illi certissimum sit, si possit exspoliare exercitu & Provincia Pompejum: nisi fortè ipse Summarius ei potest persuadere, ut dum oratores eant & redeant, quiescat. Sed quid in tanto pacis negotio summarum æstimator egisset?* Mendum credidit Turnebus 18. *Adversar.* cap. 9. nec curavit: Summarium interpretatus hominem seditiosum, & belli civilis cupidum. Alii hominem quæstuosum, avarum, & sordidum. At Bosio est Summœrius: quo nomine Tullius, inquit, Curionis impudicitiam perstringit, hominis pudicitiæ prodigi. Summœrium à muris tractum putat: nam muri, inquit, sive, ut Veteres loquebantur, mœri, sunt mœnia: & quæ sub murorum fornicibus prostabant, meretrices Summœriæ dicebantur Martiali *l.* 3. *epigr.* 82.

Summœrianas crevit inter uxores.

Longè quidem petita est hæc Etymologia, cui repugnat præcedens Marci Tullii lectio in eadem Epistola, in qua, *Jam enim*, inquit, *illum emtum pacificatorem peroraſſe puto.* Emtum, id est, pretio corruptum. Ex quo vulgatam cum Cujacio tueor.

Comes domorum tandem à Justiniano abrogatus est: nam cùm Cappadociæ regio semper adversùs hunc Magistratum Domibus Principis Præfectum seditiones moveret, & factionibus inter se divisæ essent civitates, quarum altera Tamiaca, quasi fiscalis & ærariа; altera Eleutherica, hoc est, libera, appellabatur: rerum Tamiacarum administratio in tam gravem & omnium cauponationibus expositam inopiam delapsa erat, ut in nullo ferè ampliùs pretio exsisteret, & Tamiaca possessio penè in formam privatæ redacta esset, totaque convulsa direptaque, nemine reclamante[1]. Quare Proconsul Cappadociæ à Justiniano creatus est, suppresso domorum Comite, qui vendicaret direpta & usurpata Tamiaca prædia, à quibusdam, sive rustica, sive urbana, sine ulla temporis præscriptione. Atque huic Proconsuli in homines Tamiacos permissum imperium, ut in omnes quicunque ad Comitivam priùs cohortem pertinebant. De illo Proconsule nos ampliùs cùm de Provinciarum Magistratibus volumen tertium, favente Deo, absolvemus.

CAP. XXIX.

De Præposito Sacri Cubiculi.

PRæpositi Cubiculi dignitas est primaria; quòd ei semper aures Imperatoris patent: Κατακοιμιστὴς καὶ κατ' οἰκίαν ἀρχισωματοφύλαξ, ὃς μόνος εἶχε εὐκαιρούσας καὶ σχολαζούσας ἀκοὰς Αὐτοκράτορος, Philo *de Legation. ad Cajum.* Hic nobis esset *Grand Chambellan*: cujus dignitas aucta est ab Honorio & Theodosio Principibus, & adæquata urbanæ & Prætorianæ Præfecturæ, atque etiam Magisteriæ potestati, ut nulla sit inter eos post depositas administrationes discretio. Quod in Macrobii honorem promulgatum est, qui primus Præpositorum Cubiculi inter Illustres annumeratus est[2].

Magna tamen ante Macrobii tempora Præpositi cubiculi dignitas fuit, magna auctoritas, ut ex Philone variisque Auctoribus & exemplis comprobatur. Nam Cleander Phryx, qui sub hasta venierat, cùm Imperatoris Commodi servitio traditus esset, eò honoris atque auctoritatis provectus est, ut & corporis custodiam & cubiculi curam, præterea militum Præfecturam solus obtineret: tantæque fuerunt illius divitiæ, ut luxus eum ad Imperii spem instigaret: Ὡς τοῦ σώματος φρουρὰν, καὶ τὴν τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν, τήν τε τῶν στρατῶν ἀρχὴν ἐγχειρισθῆναι· ὑπὸ δὲ πλούτου καὶ τρυφῆς ἀνεπείσθη καὶ πρὸς βασιλείας ἐπιθυμίαν, Herodianus *lib.* 1. Vertit Politianus τοῦ θαλάμου ἐξουσίαν, *Cubiculi curam*: & rectè: nam Præfectus cubiculi, Κατακοιμιστὴς Philoni, quòd in cubiculo proximo Principis obdormiret. Quod supremum honoris fastigium est Herodiano, μέγιστον ὕψος, qui Electum post Cleandrum cubiculi custodem narrat *eod. lib.* 1. τὸν τοῦ θαλάμου προεστῶτα, τοῦ βασιλικοῦ θαλάμου φύλακα vocat *lib.* 3. licèt thalamus propriè viri & uxoris cubiculum significet, qui etiam pro viri ipsius vel mulieris separata habitatione sumitur: ut ferrei Eumenidum thalami, Virgilio lib. 6. *Æneid.* & ib. Servius, cùm Furiæ nunquam nupserint.

Præpositus ergo cubiculi idem est ac thalami Custos. Hinc Eusebius, qui Præpositus cubiculi Constantini ab Ammiano Marcel. vocatur, ab eodem postea thalami Custos dicitur, lib. 15. *Eusebius*, inquit, *cui erat Constantini thalami cura commissa.* Hic ab ima sorte ad usque jubendum Imperatori penè elatus, ideoque intolerabilis, lethali pœnæ à Juliano Principe addictus est, Ammianus Marcellinus *lib.* 24. De illo Socrates lib. 3. *Eccles. Hist.* cap. 1. Eusebium Julianus summum Imperatoris Cubicularium morte multavit: non solùm quòd multos ab eo injuriâ affectos fuisse; verùm

1 L. 3. C. de Palatin. sacr. larg. 2 Novel. 30. cap. 7.
3 L. 6. C. de Exsecutorib. & Exactorib. 4 Novel. 128.
5 Novel. 30. cap. 2. 6 Novel. 64.

1 Novel. 30. cap. 1. & 5. 2 L. 1. C. T. de Præposit. sacr. Cubic.

verùm quòd suum ipsius fratrem Gallum per ejus calumniam è medio sublatum acceperat: Εὐσέβιον δὲ τ̀ προεστῶτα βασιλικοῦ κοιτῶνος ἐζημίωσε θανάτῳ· οὐ μόνον δὲ διὰ τὸ πολλοὺς ἀδικεῖσθαι ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ὅτι καὶ Γάλλον τ̀ ἑαυτοῦ ἀδελφὸν ἀναιρεῖσθαι ἐκ τ̀ ἐκείνου διαβολῆς ἐπυνθάνετο.

De Eutropiò, qui fuerit Arcadii Imp. Cubiculi Præfectus, multa ex Zosimo retulimus lib. 1. cap. 27. Tandem iste Eutropius Consul & Patricius factus, tandemque relegatus: quem omnium Spadonum primùm & ultimum Consulem factum, Marcellinus Comes scriptum reliquit. De hoc Claudianus Poëta:

Omnia cesserunt Eunucho Consule monstra.

Hunc silentio præteriissem, nisi me Arcadii & Honorii Rescriptum compulisset: quod ita est[1]: „Omnes res Eutropii, qui quondam Præpositus „sacri Cubiculi fuit, ærarii nostri calculis adjunxi„mus, erepto splendore ejus & Consulatu à tetra „illuvie, & à commemoratione nominis ejus, & „cœnosis sordibus vindicato: ut ejusdem univer„sis actibus antiquitatis omnia mutescant tempora, „nec ejus enumeratione seculi nostri labes appareat. Deinde: „Adhibitis itaque fidis custodibus, ad „Cyprum Insulam perducatur, in qua se relega„tum esse cognoscat, ut ibidem pervigili cura val„latus, nequeat suarum cogitationum rabie cuncta „miscere.

Præpositi sacri Cubiculi omnibus Cubiculariis præerant: atque hi duo fuerunt, Augusti & Augustæ[2]: nullam tamen hi in Cubicularios jurisdictionem habuerunt. Illi enim nullum alium cognoscunt Judicem quàm Magistrum Officiorum[3]. Sola sub Præpositi Cubiculi jurisdictione fuit divina domus per Cappadociam, ut omnes causæ hominum Tamiacorum apud illum agebantur, & Comitem domorum, ut suprà notavimus, in iisque rebus Tamiacis Præpositus Cubiculi superior est Proconsule[4]. Hic enim Spectabilis, ille verò Illustris, qui & Præpositus sacri palatii dicebatur, in veteri Narsetis Inscriptione, pag. 161. 1.

IMPERANTE. D. N. IVSTINIANO. AVG
NARSES. VIR. GLORIOSISSIMVS. EX
PRAEPOSITO. SACRI. PALATII. EX
CONS. ATQVE. PATRICIVS

Præpositi autem sacri cubiculi, in Senatorium Ordinem conscripti, si extra Vrbem proficiscerentur, cingulo uti poterant[5], & sub eorum dispositione, cùm erant in Actu positi, fuerunt omnes Cubicularii, sive primi loci, sive inferioris[6]. Primi loci sunt Primicerius sacri cubiculi, Comes domorum, Comes Castrensis, Comes sacræ vestis[7]. Inferioris ordinis Cubicularii sunt Decuriones palatii, Silentiarii, Magister Larum, qui Decurio Larum, Cultores imaginum Domus Augustæ, Diætarcha Domus Augustæ, Scriba cubiculi, Chartularii, Tricliniarcha, à locis cubiculi stati, & ceteri hujus generis, qui non famulorum, ut privatæ conditionis homines, sed liberorum honestis obsequiis funguntur[8].

Horum plerique Eunuchi, sacri cubiculi ministeriis adhærebant, quos castratos frustra viri perdocti putaverunt, atque Eunuchos dictos à cubiculo custodiendo, quod ἔχειν significat etiam custodire[9]. Auctor enim *Etymologici*, Εὐνούχους ab εὐνή, quod est cubile, & ἔχειν denominatos tradit: ἀπὸ τοῦ τὴν εὐνὴν ἔχειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι καὶ φυλάσσειν. Εὐνὴ generaliter pro omni loco, in quo quis commoratur. Vnde Præpositus Eunuchorum, Præpositus Cubiculi à Zonara in *Constantio* vocatur, τῶν βασιλικῶν Εὐνούχων πρωτεύων. Et quoniam Præpositi aliqui Castrati, ut Eutropius & Narses, plerisque Spadonibus Cubiculariis præerant, Eunuchi nomen ad Spadones transtulerunt.

Gorgonius, cui cura thalami Cæsariani commissa erat, cùm Galli Cæsaris consiliorum particeps probaretur, conspiratione Spadonum, Justitia concinnatis mendaciis obumbrata, periculo evolutus abscessit, Ammianus Marcellinus *lib.* 15. Spadonum nomine Eunuchi intelliguntur[1]: Spadoni tamen nulla pars corporis abest, sed ei tantùm valetudinis infirmitas generationem impedit. Cùm igitur Spadones & castrati plures cubiculo Principis adhærerent, ex consuetudine omnes Cubicularii Eunuchi dicti, οἱ ἐν τοῖς βασιλικοῖς ἐξυπηρετούμενοι κοιτῶσι, οὓς Εὐνούχους ἡ συνήθεια καλεῖ, Euagrius *lib.* 4. *cap.* 21. Nec tamen Cubicularios omnes Castratos fuisse sacra Historia de Putiphare testatur, in qua ille Eunuchus Pharaonis, Εὐνοῦχος Φαραώ, cùm tamen uxorem haberet, *Genes.* cap. 39. Sic dicitur idem Pharao iratus super duobus Eunuchis suis, super Principe pincernarum, & super Principe pistorum, *Genes.* cap. 40. Ὠργίσθη Φαραὼ ἐπὶ τοῖς δυσὶν Εὐνούχοις αὐτοῦ, ἐπὶ τῷ ἀρχιοινοχόῳ, καὶ ἐπὶ τῷ ἀρχισιτοποιῷ, qui Principes vocantur. Sic etiam Præpositus Eunuchorum, qui ἀρχιευνοῦχος, præerat pueris regiis, inter quos tres Hebræorum pueri nullam corporis maculam habuerunt, quos tamen Eunuchos in Palatio Regis Babylonis Isajas vaticinatus est *cap.* 39. De Primicerio cubiculi & Comite vestiarii nos hactenus. Comitem vestiarii sub dispositione Comitis sacrarum largitionum posuimus ex Notitia, qui curam habuit vestium tàm militarium quàm aliarum extra cubiculum. At Comes hic vestiarii intra Principis cubiculum vestes tractavit, ideoque sub Præposito sacri Cubiculi fuit. De Comite Castrensi nos sequenti capite.

Ad Decuriones Palatii venio & ceteros inferioris ordinis Cubicularios. Decurionum quidem ordo dignitatis fuit pleniore gradu, Ammianus Marcellinus *lib.* 20. Horum tria genera reperio. Fuerunt enim Decuriones Cubiculariorum, Decuriones Silentiariorum, Decuriones Larum. De Decurionibus Cubiculariorum Suetonius in *Domitiano*, cap. 17. De Silentiariis & Decurionibus eorum, titulus est in utroque C. Atque hi Decuriones sacri Palatii & sacri Consistorii vocantur[2], de quibus leges scriptæ sunt ad Præpositum sacri Cubiculi[3]: hi enim inter Cubicularios habebantur. Silentiarii in palatio Principis, quietis sunt Ministri, Procopius lib. 2. *de bello Persico*, illique circa latus Principis militare dicuntur; & Spectabiles appellantur[4]. De his lapis vetus, pag. 1053. 10.

IVLIVS. FELIX. VALENTINIANVS
V. C. ET. EX. SILENTIARIO. SACRI
PALATII. COM. CONSISTORII. COM.
DOM.

Non ergo humile Silentiariorum munus est, ut Zonaras nugatur in *Anastasio*: horum enim munus honorificum est, quod multis privilegiis fulcitur: nam ea fuit Silentiariorum prærogativa, ut

1 L. 17. C. T. de pœnis. 2 L. fin. C. de Præposit. sacr. Cubic. 3 L. 3. C. eod. 4 Novel. 30. 5 L. fin. C. eod. 6 L. 8. C. T. de Agentib. in reb. 7 L. 1. C. T. qui à præbit. Tiron. & l. 2. C. de Præposit. sacr. Cubic. 8 L. 4. C. eod. 9 Cujac. ad d. l. 4.

1 L. 3. §. idem Divus. D. ad leg. Cornel. de Sicariis. 2 L. fin. lib. 6. C. T. tit. 2. 3 L. 4. & 5. C. de Silentiar. & Decurionib. eor. 4 L. 25. C. de excusat. tutel. & l. 30. §. fin. C. de inoffic. testament.

ut à tutelis excusentur[1]: à præstatione tironum & equorum sint immunes[1]: eorum liberi honestati Comitivâ primi ordinis, vel dignitate Tribunorum Notariorum, non agnoscunt onera Præturæ, tanquam Senatorum filii[2]. Domus quoque eorum ab omni hospitum inquietudine liberæ sunt[3]: illi ab omnibus sordidis muneribus immunes, ad Comitatum Principis ire possunt sine evocatoria[4].

Anastasius, qui nondum ad Senatorium Ordinem adscenderat, sed solùm in Scholam Silentiariorum adscriptus erat, ad Imperium evectus est, ἐν τῇ λεγομένῃ τῶν Σιλεντιαρίων σχολῇ καταλεγόμενος, Euagrius *lib.* 3. *cap.* 31. & Marcellinus Comes. Atque hoc Adrianes Imperatricis artibus, non Vrbicii Eunuchi suffragio, ut Zonaras somniat in *Anastasio.*

De Decurionibus Larum, qui decem aliis præerant, lapis vetus Romæ, pag. 319. 9.

HYMNVS. CAESARIS. AVG
VOLVSIANVS
DECVRIO. LARVM. VOLVSIANORVM

Hi Magistrum habuerunt, de quo lapis alius, pag. 406. 4.

M. FABIO. ASIATICO. SEVIRO
MAG. LARVM. AVG

In interiore parte domus Principis, ut & privatorum, locus erat Laribus dicatus, qui lararium dicebatur, in quo Heroum imagines habebant & colebant. Hinc Lares familiares, ἥρωες κατοικίδιοι & domestici, Gloss. vet. De Alexandro Imp. narrat Lampridius in *ejus Vita*, *illum matutinis horis in larario suo rem divinam facere solitum, in quo & divos Principes, sed optimos electos, atque animas sanctiores, in quibus & Apollinem & Christum, Abraham & Orpheum habebat.* Vnde in eo loco quis domicilium habere dicitur, in quo Larem, rerumque ac fortunarum suarum summam constituit[5]. Sic Juris Auctores Larem pro domicilio usurparunt[6].

Sub Magistro Larum fuerunt præterea Cultores imaginum domus Augustæ, & Curatores. Inscriptio Romæ, pag. 238. 12.

IMAGINVM. DOMVS
AVG. CVLTORES. SIGNVM
LIBERTATIS. RESTITVTAE
SER. GALBAE. IMPERATORIS. AVG
CVRATORES. ANNI. SECVNDI
C. TVRRANIVS. POLYBIVS
L. CALPVRNIVS. ZENA
C. TVRRANIVS. FLORVS
C. MVNDIVS. * DEMOSTHENES
S. P. D. D

Hoc est, *sua pecunia dedicarunt.*

Diætarchus, Διαιτάρχης, Atriensis; Δίαιτα, τὸ ὑπερῷον, cœnaculum, Gloss. vet. Diæta tamen propriè est habitatio in hortis, voluptatis causâ[7]. Sed & quandoque ab hortis separatur, & pro parte ædium accipitur[8]. Nam in diæta, quæ zæta etiam dicitur, erat dormitorium cubiculum, junctaque diætæ quotidiana amicorum cœnatio, Plinius *lib.* 5. *epist.* 6. A zæta dicti Zætarii Palatii in Actis Martyrum, *Martyrolog.* 26. Mart. De Diætarcho Inscriptio vetus, pag. 576. 7.

* Apud Grut. leg. MVRDIVS.

1 L. 2. C. T. de Decurionib. & Silentiar. 2 L. 5. C. de Silentiar. & Decurionib. 3 L. 4. C. eod. 4 L. 3. C. T. eod. 5 L. 7. C. de incolis. 6 L. 1. §. domum. D. de agnoscend. liber. 7 L. Senatus. §. Marcellus. D. de leg. 1. 8 L. uxorem, §. in testamento. D. de leg. 3.

A

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS. SERVO. DIAETARCHO
DOMVS. AVG. TREBONIA. LAVDICE
FEC. CONIVGI. B. M. CVM. DVABVS. FILIIS. FORTVNATA. ET. FELICE.

Scriba Cubiculi nobis est *Secretaire de la Chambre.* De quo Inscriptio alia, pag. 575. 7.

IVLIA. SABINA. VIXIT. ANNIS
XXV. IANVARIVS. DOMITIANI
CAESARIS. L. SCRIB. CVB
CONTVBERNALI. OPTIMAE. FECIT

B

In hac Inscriptione notandum, libertum, qui in servitute uxorem duxerat, illam contubernalem vocare: & tamen in Inscriptione proxima, Treboniæ servum Contubernalem suum vocat conjugem; & natas ex contubernio, filias vocat impropriè.

Quæso, Hercle, quid istuc est? serviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent, aut poscent sibi?
Novum attulerunt quod fit nusquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Græcia & Carthagini,
Et hic in nostra terra, etiam in Apulia:
Majoreque opera ibi serviles nuptiæ
Quàm liberales etiam curari solent,

C

ait Plautus in *Casinæ* Prologo. Quî fit ut Dextrium & Trebonium Apulos credam: nec enim Servus conjugem habere potuit, sed conjunctam, Varro lib. 1 *de Re Rust.* cap. 17.

Chartularii à chartis sive instrumentis dicti, de quibus nos satis. De Cubiculario, qui à locis Cubiculi stati, Inscriptio hæc, pag. 575. 3.

D. M.
M. AVRELIO. AVG. LIB. ONESIMO
CVBICVL. ET. A. LOCIS. CVBICVL. STATI

D

Statum Cubiculum non aliter stare mihi potest, nisi solâ conjecturâ, cui minimum indulgere soleo. Si quis tamen illi locus est, putarem Statum cubiculum dici, in quo Imperator cognoscens quid decernebat; dictumque illud à stato die: Stati enim dies vocantur qui judicii causâ sunt constituti, Festus in verb. *status dies.* Hinc in XII. Tabulis, status dies cum hoste: hostis enim erat, quem nunc peregrinum dicimus, Cicero 1. *Offic.* Statum cubiculum nobis est *Salle de l'audience, ou Chambre du Conseil*, sacri auditorii cubiculum.

E

Nisi quis malit statum cubiculum pro ordinario accipere; quod minùs probo. Scio statos dici posse, ut statutos seu ordinarios. Sed Inscriptio ad statum cubicularium referri non potest, cùm posita sit Onesimo Cubiculario & à locis Cubiculi Stati. Frustra enim Cubicularii verbum repeteretur, & pro *Stati* reponendum esset *Stato*, & Inscriptio omnino immutanda. Cedo tamen loco, si quis illum probabiliùs occupare possit.

Tricliniarcha non minimum inter Cubicularios locum obtinet, qui Tricliniariis præerat. Tricliniarius, καλλικοιμαστής, à κοιμᾶσθαι, quod est propriè dormiendi causâ cubare, Gloss. vet. Triclinium etiam pro conclavi accipitur, Vitruvius *lib.* 6. *cap.* 5. & conclave est locus in interioribus tectis separatior, vel quòd intra eum loca multa & cubicula clausa sint adhærentia triclinio[1]. Lecti autem Veteribus duorum generum fuerunt: cubiculares, in quibus dormiebant, & discubitorii, qui tricliniares, in quibus discumbebant. Halagabalus solido argento habuit lectos & tricliniares & cubiculares, Lampridius in *ejus Vita*: utrorumque cura commissa Tricliniarchæ. Lapis Romæ, pag. 578. 1.

F

M.

1 L. quod conclave. D. de damn. infect.

M. VLPIO. AVG. LIB
DIVI. TRAIANI. AVG. A. POTIONE
ITEM. A. LAGVNA. ET
TRICLINIARCH

Et hic alius, pag. 474. 4.

THEOPRAEPON. AVG. LIB
PROC. D. N. M. AVR. SEVERI
ALEXANDRI. ET. *TRICLINIARCHAE.
TRICLINIARCHAM. PRAEPOSITVM
A. FIBLIS. PRAEPOSITVM. A. CRISTALLINIS. HOMINEM. INCOMPARABILEM

Vterque ad diſcubitorium Triclinium pertinet: nam Tricliniarcham à fiblis, intelligo à fibulis veſtis Cœnatoriæ: fibula enim φιβλίον, Gloſſ. vet. de qua Virgilius 1. *Æneïd.*

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Fibla per ſyncopen à Græco φίβλη, quæ aurea erat & gemmata, & magis ornamenti quàm veſtis eſſe dicitur[1]. Præpoſitus à Cryſtallinis ſequitur Præpoſitum à fiblis: nam ut fiblæ, ſic cryſtallina vaſa tricliniis inſervire ſolent:

Opimianum morionibus Nectar
Cryſtalliniſque murriniſque propinat,

ait Martialis *lib.* 4. *epigr.* 64. *De cryſtallinis dubitatum*, inquit Paulus, *an debeant ſupellectili adnumerari, propter eximium uſum & pretium:* quod magis putat[2].

Alii autem fuere Cubicularii aulæ penetralibus inhærentes[3]: alii aliis officiis in Palatio addicti, qui omnes Cubicularii Palatini vocantur. Cubicularios Palatinos, occiſo Pertinace defugiſſe omnes, narrat Capitolinus in *Pertinace*, qui ſuos filiis emancipatis dederat. Privati enim Cubicularios ſervos habuerunt, & obſonatores qui triclinio inſervirent[4]: atque illi privatorum Cubicularii inter ſervos numerantur, quos paterfamil. ad ejus corpus tuendum præpoſitos, deſtinatoſque habebat[5]. At Cubicularii Principis omnes ita liberi ſunt, ut ſervus oblatus Cubiculo à domino ſtatim liber fiat, aut ingenuus, nulla interveniente ſcriptura, nulla confectione geſtorum[6].

CAP. XXX.

De Comite Caſtrenſi.

INter Cubicularios ſeu domeſticos Principis erant Caſtrenſiani, Pædagogia, Decani, Cellarii, Menſores, Lampadarii, quibus Comes Caſtrenſis præerat, qui in Notitia Caſtrenſis ſacri Palatii nuncupatur. Hi omnes Caſtrenſiani dicti, ſeu Caſtrenſes Miniſtri, vel Miniſteriani aulici, ſacro miniſterio deputati. Rectè Cujacius in Suida pro Μαγισεριανὸς κασρένσιος emendat Μινισεριανός.

De Caſtrenſianis Tertullianus lib. *de Coron. milit.* cap. 12. *Eſt & alia militia*, inquit, *regiarum familiarum: nam & Caſtrenſes appellantur, munificæ & ipſæ ſolemnium Cæſarianorum.* Munifices Rhenanus intelligit, milites illos Romanorum perpetuos, qui ſunt veluti familia Imperatoris. Sed quid militia ad familiam regiam? Caſtrenſes à Tertulliano appellantur coronæ munificæ, non munifices caſtrenſes: & quidem Caſtrenſiani ſunt miniſtri, qui ſolemnibus epulis Cæſarum miniſtrabant coronati. De coronis conviviorum loquitur Tertullianus, quas Caſtrenſes nominat à Caſtrenſianis, qui ſolemnibus Cæſarum conviviis ſerviebant natali die vel alio, lætitiæ causâ: hi enim dies cum laſcivia colebantur, Tertullianus in *Apologetico* cap. 35. Hujuſmodi fuit Ælii Veri convivium, quo datæ etiam Convivis coronæ lemniſcatæ aureis interpoſitis & alieni temporis floribus, Capitolinus in *Ælio Vero.*

* Rep. THESSALIÆ.

Inter Caſtrenſes ſunt piſtores, prægustatores, pincernæ, veſtitores, fullones, Cura palatiorum, omneſque dominici Miniſteriales. De his titulus eſt in utroque C. de Caſtrenſianis, de quibus Lampridius in *Alexandro: Miniſterium aulicum in id contraxit Alexander, ut eſſent tot homines in ſingulis Officiis quot neceſſitas poſtularet: ita ut annonas, non dignitatem acciperent fullones, & veſtitores, & pictores,* (lego *piſtores*) *& pincernæ, omnes Caſtrenſes Miniſtri.* Hi quidem nullam dignitatem adepti ſunt, ſed ſunt ſolùm adminicula dignitatum[1].

Caſtrenſes ſcribit Caſaubonus ad Lampridium, eoſdem eſſe ac Cæſarianos: quod ex Tertulliano quodammodo ſuſtineri poteſt, qui Caſtrenſes coronas dixit Solemnium Cæſarianorum. Sed illa ſunt ſolemnia Cæſarum, & Cæſariani à Caſtrenſianis omnino differunt. Etenim Cæſariani ſunt officiales Procuratoris Cæſaris, qui & Catholiciani dicuntur, quique bona caduca auctoritate Principis occupabant[2]: Ipſique fraudibus infames[3]. At Caſtrenſiani honoratiores fuere, inter quos pædagogia numerantur.

Notat Vlpianus ad Sabinum[4]: *Si quis inſtructum fundum legaſſet, ea pædagogia, quæ ibi habebat, ut cùm ibi veniſſet præſtò eſſent in triclinio, legato contineri.* Pædagogia Principis ſub Comite Caſtrenſi triclinio ſeu menſæ ejus ſerviebant; quod ex Seneca explicamus. *Placet*, inquit ille lib. *de Tranquillitate animi* cap. 1. *Miniſter incultus & rudis, & menſa in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos voluptate moretur.* Deinde: *Cùm iſta benè placuerint, præſtringit animum apparatus alicujus pædagogii, diligentis * quàm intra privatum larem veſtita & auro culta mancipia, & agmen ſervorum nitentium.* Pædagogia non puerorum, ſed adultorum juvenum fuerunt, ex Ammiano Marcel. *lib.* 29. *Adultus*, ait, *quidem † ex his quos pædagogianos appellant.* Atque hi in Principis Comitatu erant ingenui, & in deliciis Principum perditorum, Suetonius in *Nerone* cap. 28. Tertullianus de Antinoo in *Apologet.* cap. 13. *De pædagogiis Aulicis neſcio quem Cinædum deum facitis.* Et *adversùs Valentinianos* cap. 8. *Caſtrata vis & poteſtas & libido genitalis Æonum, quaſi non & numerorum tanta adhuc coagula ſupereſſent, & nulla alia de pædagogio nomina.* Quod per metaphoram B. Rhenanus dictum annotavit. De pædagogiis Inſcriptiones variæ: pag. 585. 11.

PHILONICVS
TI. CAESARIS. GERM
DE. PAEDAGOGIO

Et hæc alia, pag. 585. 7.

T. FLAVIO. AVG. LIB. GANYMEDI
PAEDAGOGO. PVERORVM

* Leg. *diligentiùs.* † Reſcr. *quidam.*

1 L. argumento. §. vittæ. D. de aur. & arg. leg. 2 L. 3. §. de murrinis. D. de ſupellectil. leg. 3 L. 3. C. de Præfect. ſacri Cubic. 4 L. legatis ſervis. D. de leg. 3. 5 L. 203. D. de verb. ſign. 6 L. 4. C. de Præpoſit. ſacri Cubic.

1 L. 15. C. de erogat. milit. Annon. 2 L. 4. C. de bon. proſcript. & l. 5. C. de jur. fiſc. 3 L. 2. C. T. de bonis vacantib. 4 L. quæſitum, §. ſi inſtrumentum. D. de inſtruct. & inſtrum. leg.

Atque hæc, pag. 586. 1.

P. STATIO. P. L. DIONI
DEC
PAEDAG. DOMINI. VI. A. XCVI

Dec. Decanum significat: Decani enim pædagogii inter Ministerianos computantur [1]. Δέκανοι συναγόμενοι· Ἀρχὴ δέκα ὀνομάτων, συνηγμένοι, Gloss. Basilic.

Cellarii inter ministeria urbana continentur, ut Obsonatores, & Vestiarii, & Cubicularii, & Arcarii, & Coqui, & Placentarii, Tonsores, Pistores, Lecticarii, ait Paulus lib. 3. *Sent.* cap. 6. Cellarii ex Vlpiano [2] sunt, qui ideo præpositi ut rationes salvæ sint: unde Cellarium ταμεῖον, & Cellarius ταμίας, Gloss. vet.

Mensores etiam sunt ex Ministerianis, seu Castrensianis, qui hîc accipiendi non sunt pro iis qui Principi hospitia præparant [3], sed pro Mensoribus frumentariis domus Augustæ, quales fuerunt & Vrbis Romæ [4]. Atque his adjungo Pistores, qui etiam Ministerialibus adgregantur. De Lampadariis nos aliàs. De Prægustatore lapis vetus, pag. 581. 13.

DIS. MANIBVS
TI. CLAVDI. AVG. LIB. ZOSIMI
PROCVRAT. PRAEGVSTATORVM

Et hic alius, pag. 582. 1.

TI. CLAVDIO. TI. AVG. LIB
SCRIBAE. LIBEL. TI
CLAVDIVS. FLAMMA. CLAVSVS
TI. AVG. PRAEGVSTATOR

Epularum gustum Prægustator explorabat, Tacitus 12. *Annal.* Pincerna, οἰνοχόος, vinum infundebat: A potione in Inscriptionibus dicitur, & A cyatho. Romæ, pag. 582. 2.

TI. CLAVD. AVG. LIB
* GRATIANO. LIVIAE
AVG. SERVO. A. POTIONE

Item Romæ, pag. 582. 4.

DORYPHORO. CAESARIS
A. CYATHO

Vestitores curam habuerunt vestium Ministerialium omnium, & in vestis sacræ Schola militare dicebantur [5]. Fullones lavanda poliendave vestimenta accipiunt [6]. Plautus noster in *Aulular.*

Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius.

Erant & vestipici servi, custodiendis vestibus præpositi [7]. Cura palatii sub Castrensi Comite palatii. Erat autem is artifex, ad quem cura fabricæ Palatii pertinebat. Cui, auctore Cassiodoro, pro honoris insigni hoc erat attributum, ut auream virgam gestaret, & ante Imperatorem incederet, lib. 7. *Variar.* 5. nobis est *Maistre des bastimens.* Est in antiquis Inscriptionibus qui Architectus Augustorum: pag. 537. 4.

Q. CISSONIO. Q. F. HOR. APRILI
ARCHITECTO. AVGVSTOR

* Apud Gruterum leg. GRATIO.

1 L. 2. C. de Decan. 2 L. quæsitum. §. cellarium. D. de instruct. & instrum. leg. 3 L. 4. C. T. de metatis. 4 L. mensores. D. de excusationib. & l. 1. C. T. de frumentar. Vrb. Rom. 5 L. 3. C. de Castrensianis. 6 L. 2. D. de condict. sine causa. 7 L. cùm de lanionis. §. quidam. D. de instruct. & instrum. leg.

A Ille verò *Agens palatii Cæsaris curam* ab Ammiano Marcel. dicitur *lib.* 14. & *lib.* 26. In Oriente Curopalates, τὴν φυλακὴν τῆς αὐλῆς ἐμπεπιστευμένος, Euagrius *lib.* 5. *cap.* 1. qui Imperialis domus curam recipit: *Quod munus*, ait Symmachus, *aliquid dignitatis adfert*, *lib.* 1. *epist.* 60.

Justinus, Justiniani Imperatoris consobrinus in Imperium adscitus, hoc Curopalatæ munus sustinuit, si Zonaræ credimus in *Justino*: Κουροπαλάτης πρὸ τῆς βασιλείας. Fuit & in Comitatu Magistratuum qui vocabatur Cura Prætorii, Trebellius Pollio in *Claudio*. Sicubi tamen Prætorium ædificare vellet Princeps, Cura palatii omnium fa-
B bricarum curam gerebat, Cassiodorus *d. lib.* 7.

Fuerunt & plures alii Comiti Castrensi subjecti, ut Præpositus auri Escarii: Præpositus argenti potorii: à Supellectile Castrensi; Magister fontis palatii: Redemtor operum Cæsarum: Dispensator Augustorum: qui in antiquis Inscriptionibus passim. Atque horum omnium certi erant gradus, primæ, secundæ, & tertiæ formæ, quorum alii statuti, alii supernumerarii [1].

Alius verò fuit Comes Castrensis per Africam, cujus meminit Ammianus Marcel. *lib.* 30. Hic enim rei Castrensi præerat, & *summitatem*, ut ipse lo-
C quitur *lib.* 26. *castrensium necessitatum curabat.* Hinc Castrensiani de Castris Riparensibus, quæ in ripis fluminum limitaneorum constituta erant [2]. In Epistola Aureliani Principis ad Vlpium Crinitum de Monetariorum rebellione: *Hi compressi sunt*, inquit Vopiscus in *Aureliano*, *septem millibus Riparensium & Castrianorum interemtis.* Dubitat Casaubonus unde Castriani isti fuerint appellati: ego verò hanc vocem Vopisco Latinitatis minùs perito tribuo, qui Riparenses Castrensianos, à Castris Castrianos fecit. Castrensis Comes Officium habuit [3], Tabularium dominicum, Tabularium dominæ Augustæ, Adjutorem Chartularium, &
D Scrinium ipsius, & ceteros Palatinos officiorum.

CAP. XXXI.

De jure Fisci: & Fisci privilegiis.

Fiscus sacrum ærarium continet, id est, sacras largitiones, sive thesauros, de quibus fiscus propriè dicitur: & privatum ærarium, sive res & largitiones privatas Augusti & Augustæ. Continetur etiam fisci appellatione arca Præfectoria. Fiscalia enim debita dicuntur annonarii, ceteri-
E que tituli qui ad arcam pertinent Præfecturæ [4]: & fiscales titulos exigere ad Præfectum Prætorio pertinebat, Symmach. *lib.* 2. *epist.* 27. Multa de his hactenus à nobis explicata sunt, quæ majorem lucem ex juris fisci interpretatione accipere possunt.

Fisci, fiscinæ, fiscellæ, spartea sunt utensilia ad majoris summæ pecunias capiendas: unde quia major est summa pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro censu privato loculos & arcam dicimus, sic pro publico thesauro ærarii dicitur fiscus. Fiscus enim pecunia publica est, ex quo *Confiscare*
F dici solet, Asconius 2. *in Verrem.*

Fiscales res à privato Principis patrimonio separantur, quæ res dominicæ dicuntur, quæque ex privata Principis substantia procedunt [5]. Divina etiam domus dicitur, ratio Cæsaris Vlpiano: *Quodcunque*, inquit, *privilegium fisco competit, idem & Cæsaris ratio habere solet & Augustæ* [6]. Fiscales

1 L. 2. C. de Castrensian. 2 L. 14. C. de re militar. 3 Notit. Imper. 4 L. 6. C. de exact. tribut. 5 L. 3. C. de quadrien. præscript. l. 1. C. ne rei dominic. vel temp. 6 L. 6. §. fin. D. de jur. fisc.

fiscales ergo res non tàm in Principis, quàm in Principatus patrimonio sunt, quæ ad suam dignitatem tuendam Principi quasi usufructus nomine tribuuntur, Hotomannus lib. 1. *Quæst. illustr.* cap. 1.

Nec tamen fiscales res propriè publicæ dici possunt, ut nec privatæ. Quare optimè idem Vlpianus docet[1], *interdictum ne quid in loco publico, non pertinere ad ea loca, quæ sunt in fisci patrimonio. In iis enim neque facere quidquam, neque prohibere privatus potest. Res enim fiscales quasi propriæ & privatæ Principis sunt.* Si tamen veram nominis significationem inquiramus, Φίσκος δημόσιον ταμεῖον. Sed hoc successu temporis immutatum est, & promiscuè acceptum.

Vulgaris locus est Spartiani de Hadriano, *qui damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærario publico recepta*, in *Hadriano.* Quasi aliud, inquit Casaubonus, esset fiscus, præter privatum Principis. Rectiùs quidem ille, si promiscuas has voces ab ipsis etiam Juris Auctoribus acceptas notasset, Cujacius 21. *Observ.* cap. 11. Fiscus tamen & ærarium, ut ait Dio *lib.* 53. λόγῳ erant distincta, non ἔργῳ: & frequentiùs fiscus à privata substantia distinguitur, licèt utriusque jus pari privilegio nitatur.

Ad fiscum pertinent bona vacantia lege Julia[2], ut intestatorum qui sine legitimis heredibus decesserunt. Interdum etiam filius heres excluditur, fisco prælato; ut puta, si pater perduellionis damnatus fuerit post mortem suam[3]. Præterea obsidum bona, sicuti captivorum, in fiscum coguntur, ex Commodi Constitutione[4], Thesauri in bonis fiscalibus inventi, & damnatorum bona & caduca, de quibus nos suprà.

Fuit fiscus Judaïcus sub Domitiano, de quo hæc Suetonius in *ejus Vita* cap. 12. „Præter ceteros fiscus Judaïcus acerbissimè actus est; ad quem deferebantur, vel qui professi Judaïcam intra Vrbem venerunt vitam, vel qui dissimulata origine, imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse, *ait*, me adolescentulum memini, cùm à Procuratore frequentissimo concilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Tributum hoc à Tito imperatum, auctore Dione in *Vespasiano*: Ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη, τοὺς τὰ πάτρια αὐτῶν ἔθη περιστέλλοντας τῷ Καπιτωλίῳ Διῒ κατ' ἔτος ἀποφέρειν: *Ab eo jussi sunt quotannis didrachmam pendere Jovi Capitolino, hi qui patrios ritus eorum tuerentur.* Hoc tributum gravissimum sustulit Nerva, ut ex ejus argenteo nummo probatur, cum hac inscriptione, *Fisci Judaïci calumnia sublata.* Edicto enim vetuit, ne liceret aut impietatis, aut Judaïcæ superstitionis, quemquam accusare, Xiphilinus in *Nerva*: Τοῖς δὲ δὴ ἄλλοις οὔτ' ἀσεβείας, οὔτ' Ἰουδαϊκοῦ βίου καταιτιᾶσθαί τινας συνεχώρησε· πολλοὶ δὲ καὶ τῶν συκοφαντησάντων θάνατον κατεδικάσθησαν, ἐν οἷς καὶ Σέρας ἦν ὁ Φιλόσοφος. Multi enim capite damnati, atque inter eos Seras Philosophus fuit.

Fiscum Alexandrinum in antiquis Inscriptionibus legimus, pag. 591. 5.

FLORVS. AVG. LIB. TABVLARI....
FISCI. ALEXANDRINI

Hic & à Vespasiano introductus est, qui multa vectigalia, quæ jam solvi desierant, renovavit, auxitque: idque in Provinciis subditis Imperio Romano, ac postea in Vrbe. Hanc ob causam Alexandrini multa convitia in eum jactabant, dicebantque præter cetera eum sex obolos exigere. Quare Vespasianus, vir alioqui mitissimus, tantâ irâ commotus exarsit, ut viritim sex obolos persolvi jusserit, Xiphilinus *eod.* Οἱ γοῦν Ἀλεξανδρεῖς ἄλλα τε αὐτὸν ἀπερρίπτουν, καὶ ὅτι ἓξ ὀβολοὺς προσαιτεῖς, ὥστε καὶ τὸν Οὐεσπασιανὸν καίπερ ἐπιεικέστατον ὄντα, χαλεπῆναι, καὶ κελεῦσαι μὲν καὶ τοὺς ἓξ ὀβολοὺς κατ' ἄνδρα εἰσπραχθῆναι.

De fisco Asiatico lapis Romæ, pag. 575. 5.

HERMAE. AVG. LIB. A. CVBICVLO
DOMITIAE. AVG. FORTVNATVS. F
PROC. FISCI. ASIATIC

Aliud jus fisci adinvenit Nero: ille enim jam exhaustus constituit, ut ingratorum in Principem testamenta ad fiscum pertinerent, ac ne impunè esset studiosis Juris, qui scripsissent vel dictassent, Suetonius in *Neron.* cap. 32. quod antè à Caligula acerbiùs factitatum, idem in *Caligula* cap. 38. Sed Nero præterea voluit, *ut è libertorum defunctorum bonis pro semisse dodrans cogeretur, eis qui sine probabili causa eo nomine essent, quo fuissent illæ familiæ, quas ipse contingeret.* Semissem, notat Torrentius, jure fisci capiebat, pro quo dodrantem induxit.

Tiberii largitionem laudat Tacitus 2. *Annal.* *ut magnificam, quòd bona Æmiliæ Musæ locupletis intestatæ, petita in fiscum, Æmilio Lepido, cujus è domo videbatur, tradiderit.* Torquet se Lipsius in Taciti interpretatione, & tenebrosum sibi fingit locum, ut in eo laberetur. Suspicatur primùm hanc Æmiliam libertinam fuisse, argumento cognominis Græci, quod notam servitutis putat: ideoque in Tacito legit, *Musæ L.* id est, libertæ, *locupletis.* Deinde: *cur bona ejus*, ait, *petita in fiscum? cur non data patronis?* Quasi verò Musæ cognomen barbarum sit, nec proprium Gentis Romanæ: nam & in Gente Pomponia, una cognomen Musæ habuit, ut veteres nummi testantur, in quibus Q. Pomponius Musa inscribitur. Hoc etiam Musæ cognomen fuit Antoniæ familiæ, & aliarum.

Sed libertinitatis indicium magis est Æmiliæ nomen, quàm Musæ: libertini enim patronorum nomen ut plurimùm assumebant, ut ex veteri Inscriptione probatur, pag. 106. 13.

LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLVMITATE
DOMVS. Q. SERTORII
IVN. DONACE. DOMESTICA. EIVS. ET
Q. SERTOR. HERMES
Q. SERTORIVS. CEPHALO
Q. SERTORIVS. ANTEROS
LIBERTEI

Nec libertis licuit aliud sibi nomen usurpare, vel se profiteri ingenuos, ut jus fisci subterfugerent. Et frustra de jure patronorum & libertorum successione quærit Lipsius: frustra litteram, L, addendam Taciti lectioni credit: nam bona Æmiliæ in fiscum petita, tanquam vacantia & ἀκληρονόμητα, non ut feminæ conditionis libertinæ, quod & ipsa verba Taciti indicant. Nam bona Æmiliæ intestatæ Æmilio Lepido, è cujus domo videbatur, Tiberius concessit. Domus non libertinitatem, sed agnationem, cognationem & familiam significat: ut ex Inscriptione proxima patet, in qua Junia

1 L. 2. §. hoc interdictum. D. ne quid in loc. public.
2 L. quidam testamento. §. quoties. D. de leg. 1.
3 L. donationes. §. fin. D. de donationib. l. fin. D. ad leg. Jul. majest. 4 L. Divus Commodus. D. de jur. fisc. & l. obsides. D. de testament.

nia Donace domestica à libertis separatur: ut domestici Judicum, domestici Principum non sunt eorum liberti[1]. Quare Ulpianus: *Communi jure*, inquit[2], *familiam dicimus omnium agnatorum.* Omnes ergo agnati, gentiles; ex eadem domo & gente proditi præsumuntur. Sic Virgilius lib. 5. *Æneid.*

Sergestusque, domus tenet à quo Sergia nomen.

Æmilia ergò è domo Lepidi videbatur, id est, illius agnata, & verè ingenua. Magnis ingeniis ut laus ubique tribuenda est in iis quæ peritè scribunt; sic venia danda, si quando licentiùs errant: error enim illorum eruditionem semper aliquam habet.

Plura sunt alia fisci jura, vel, ut emendat Cujacius lib. 28. *Observat.* cap. 1. fisci vires ex Novella CXLIII. quæ Latina est, in qua vulgò scriptum est, *fisci juribus*, reponit Cujacius, *fisci viribus*: sed fisci jura æquiora sunt iis in rebus quàm vires. Licèt vi plerumque hujusmodi jura aucta sint ab iratis Imperatoribus. Sic Galba reditus Lugdunensium occasione iræ vertit in fiscum, cùm inter Lugdunenses Viennensesque discordia proximum bellum accenderat, multæque invicem clades crebriùs infestiúsque, quàm ut tantùm propter Neronem Galbamque pugnaretur, Tacitus 1. *Histor.*

Fiscus etiam pro tributis aliisque debitis & oneribus accipitur. Elegans Inscriptio & singularis exempli Romæ, in Ponte Senatorio, qui nunc S. Mariæ: pag. 10. 6.

NVMINI. DEORVM. AVG. IOVI. OPT MAX. AEDEM. VOTO. SVSCEPTO. Q LEPIDVS. M. F. M. CVRIVS. M. F COS. III. S. P. Q. R. IMP. CAES. DIVI TRAIANI. F. D. NERVAE. NEP. TRAIANO. HADRIANO. AVG. PONT. MAX TRIB. POT. II. COS. II. QVOD. VNVS OMNIVM. PRINCIPVM. ET. SOLVS REMITTENDO. SESTERTIVM. NOVIES. MILLIES. CENTENA. MILLIA N. DEBITVM. FISCI. NON. PRAESENTES. MODO. SED. ET. POSTEROS. SVOS. PRAESTITIT. HAC. LIBERALITATE. SECVROS

Nos alia fisci jura latiùs aliquando persequemur; nunc verò fisci privilegia expendamus, quæ multa & singularia fuerunt, quibus jura ipsa maximè adaugentur. *Privilegium fisci est inter omnes creditores primum locum tenere*, ait Paulus lib. 5. *Sent.* cap. 12. quod verum est inter creditores Chirographarios antiquiores, & qui privilegio nituntur. In actionibus, in personam rei persecutoriis, fiscus enim semper hypothecarius creditor. Quare quod quis navis fabricandæ, aut armandæ, vel instruendæ causâ, vel quoquo modo crediderit, habet privilegium post fiscum[3]. Et si creditor pecuniam à debitore suo receperit, fisco hæc restituitur, si debitor solvendo non sit[4]. Præterea si quis alteri obligaverit quæ habet habiturusve esset, & postea cum fisco contraxerit; in re postea quæsita fiscus potior est: prævenit enim causam pignoris fiscus, ex Papiniani sententia[5].

Fiscus non solet satisdare[6]. Adversùs fiscum usucapio non procedit, nisi res fisci esse desierit[7]; aut si bona vacantia, nondum tamen fisco nuntiata, emtor diutina possessione ceperit. Sic etiam competentes fisco actiones præscriptione longi temporis perimuntur, lib. 56. *Basilic.* tit. 2. καὶ αἱ τῷ δημοσίῳ διαφέρουσαι ἀγωγαὶ, ἀναιρείσθωσαν τῇ τοῦ χρόνου παραγραφῇ. Ut præscriptio xx. annorum, quæ etiam circa requirendorum annotatorum bona observatur, ex Constitutione Titi Imp. solet ex eo numerari, ex quo quid ad fiscum pervenire potuit[1]. Sic intelligendum est in omnibus fisci quæstionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora servari specialiter constitutum est, xx. annorum præscriptionem custodiri[2]. Minora tempora ad quadriennii præscriptionem pertinent, quæ dantur fisco & adversùs fiscum[3].

In fisco etiam hoc est singulare, ut edictum Ædilium Curulium ad venditiones fiscales non pertineat[4]. Si Procurator Cæsaris pro evictione triplum promiserit, simplum fiscus præstet[5]. Et in iis venditionibus, ut prædiorum fiscalium conductionibus tempora, adjectionibus præstituta referuntur, quæ nobis sunt, *doublement & tiercement*[6]. Ceterùm in auctione fiscali multa requiruntur, proscriptio, auctoritas Procuratoris Cæsaris, hasta, Præco, Quæstor, addictio, quæ fiat justo pretio, Cujac. *ad leg. 6. C. de fid. hast. fiscal.*

Potest quoque fiscus rem communem distrahere in solidum, cùm partis dominus sit, juxta proprium privilegium[7], etiamsi minima portio rei ad eum pertineat[8]. In fisco & illud est singulare, ut mora ei fiat re ipsa, id est, solo tempore tardæ solutionis: & fiscus ex suis contractibus usuras non debet, sed accipit, ut solet à foricariis, qui tardiùs pecuniam inferunt: item ex vectigalibus[9].

Foricarii sunt foricarum publicarum vilissimi conductores. Forica, ἀφεδρών, Gloss. vet. locus in foro, exonerandi ventris causâ paratus, ut Cujacius observat lib. 22. *Observ.* cap. 34. Hinc forire, ἀποσκευάζειν, ventris onus deponere. De foricis Juvenalis *satyr.* 3.

Conducunt foricas, & cur non omnia? cùm sint
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari.

Ubi vetus Interpres: *Foricas, stercora, hoc est, vectigal; forire enim est ventrem deonerare. Alii*, inquit, *tabernas dicunt foro vicinas: alii vectigal vinarium, quod ex Africa in Urbem vehebatur: alii domos publico sumtu ædificatas ad locandum, quarum conductores lucra capiebant.* Foricarii hujusmodi Lutetiæ visuntur, qui viarum immunditias plaustris purgare solent, leveque ob id à dominis ædium, vel earum conductoribus, vectigal penditur. Foricarii ergo sunt hujus vectigalis conductores.

Inter fisci privilegia istud annumero, ut si calculi fiscalis satisfactio postuletur, aut tributariæ functionis solemne munus exposcitur, vel si quem constiterit publicum esse debitorem, ei appellatio denegetur[10]. Hoc etiam inter fisci jura computatur, ut qui fisci rem dilapidant, interversores dicantur, eorumque scelesti contractus & perniciosi[11].

Sed nulla in fisci juribus perniciosior pestis fuit quàm delatorum: qui res ad fiscum pertinentes, ultrò ei præmii causâ denuntiant, ut bona caduca,

1 Tot. tit. C. de Domestic. & Protectorib. 2 L. 195. §. communi. D. de verb. sign. 3 L. quod quis navis. D. de reb. auth. judic. poss. 4 L. 5. C. de privileg. fisc. 5 L. si quis mihi. D. de jur. fisc. 6 L. 1. §. si ad fiscum. D. ut legator. nomin. 7 L. quamvis. D. de usucapionib.

1 L. 1. §. præscriptio. D. de jur. fisc. 2 L. in omnib. D. de divers. temp. præscript. l. 3. D. de requir. reis. 3 Tot. tit. C. de quadrien. præscript. 4 L. 1. §. sciendum. D. de Ædilit. edict. 5 L. si Curator. D. de jur. fisc. 6 L. Lucius Titius. §. fin. D. ad Municipal. 7 L. 2. C. de commun. rer. alienat. 8 L. unic. C. de vendit. rer. fiscal. 9 L. cùm quidam. §. fiscus. D. de usur. 10 L. 4. & 8. C. quor. appell. non recip. 11 L. 8. C. de jur. fisc.

caduca, ereptitia, vacantia, commiſſa, tacita fideicommiſſa, vaga mancipia, theſauri inventionem, atque inter hæc publica crimina, vel ſi quis in capitali crimine deceſſerit: ſi fiſcus ex prævaricatione victus eſt, vel ſi pœna fiſco ex contractu privato debetur.

Delatores quidem graſſatores ſunt & latrones, Plinius in *Panegyrico*, qui exſecrabiles ab Imperatoribus dicuntur [1], qui tamen in Jure admittuntur, licèt cum aliquo famæ diſcrimine. Quare deferre non poſſunt Clariſſimi viri, & veterani prohibentur delatores eſſe, propter honorem utique & merita militiæ: ut milites propter honorem ſtipendiorum [2]. Eorum tamen fama non læditur, qui non præmii conſequendi, vel ulciſcendi gratiâ deferunt, vel qui nomine Reip. cauſam exſequuntur [3].

Delatoribus à Caligula octava bonorum confiſcatorum decreta erat, Joſephus lib. 19. *Antiq. Judaic.* Μισθῷ τῶν κατηγόρων, διὰ τὰ ἆθλα αὐτοῖς προκεῖσθαι τὰς ὀγδόας τῶν οὐσιῶν. Sed Nero ad quartas eorum, quæ delata eſſent, lege Papia redegit; quod Suetonius inter præclara illius geſta retulit in *ipſius Vita*. Titi nobilius factum fuit: *Nam cùm inter adverſa temporum, & delatores mandatoreſque eſſent ex licentia veteri; hos aſſiduè in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac noviſſimè traductos per amphitheatri arenam, partim ſubjici in ſervos, aut vænire imperavit, partim in aſperrima inſularum avehi*, Suetonius in *Tito* cap. 8. Delatores mandatoreſque conjungit Suetonius: nam delatores compellebantur edere mandatorem, ac niſi edidiſſent, in vincula deducebantur: *Quod eò pertinet*, ait Calliſtratus [4], *non ut delator pœna ſubduceretur, ſi mandatorem haberet: ſed ut mandator quoque perinde ac ſi ipſe detuliſſet, puniretur. Nec enim tantùm delator punitur, ſi non probaverit, ſed & mandator.* Delator autem fidejuſſores dare tenebatur [5], nec ſine fiſci Advocato illum denuntiare permittitur: alioqui ferrò punitur [6].

Aliud delatorum genus eſt, qui ſeipſos deferunt, de quibus titulus eſt ſingularis in utroque C. ut ſi is, cui tacitè fideicommiſſa hereditas fuerit, nuntiet & prodat, quod capere non poſſit; ei datur pro præmio media pars hereditatis, & cum fiſco partitur, priorque eligit optionem, ex Edicto Trajani. Ita tamen ſi profeſſus eſſet, antequam ad ærarium deferretur [7]. Sed qui tacitam fidem accommodavit, ut non capienti reſtitueret hereditatem: ſi deducta parte quarta reſtituit, nihil retinere debet: quadrans enim qui heredi imponitur, ipſi eripitur, & ad fiſcum transfertur [8].

Publicatis autem bonis, id quod poſtea acquiritur, fiſcum non ſequitur [9]: & qui inteſtatus decedit, atque ſcit bona ſua ad fiſcum perventura vacantia, fidei fiſci committere poteſt [10].

CAP. XXXII.

De Præfectis Ærarii.

A Delatoribus ad ærarii Præfectos progredior, quorum hæc una præcipuè cura fuit, ut ex delatorum nuntiatione fiſcales cauſas judicarent. *Quàm juvat*, inquit Plinius in *Panegyrico*, *cernere ærarium ſilens & quietum, & quale ante dela-* A *tores erat. Nunc templum illud, nunc verè Deus, non ſpoliarium civium, cruentarumque prædarum receptaculum.*

Variè adminiſtratum eſt ærarium, illius ſæpiùs Magiſtratus immutati. Primum enim Quæſtoribus mandata eſt illius cura: deinde ad Ædiles tranſlata, poſtea ad Præfectos, exin ad Prætores ſeu Prætorios. Quæſtores rurſus impoſiti; tum ad Prætores, tandem ad Præfectos rediit, Tacitus lib. 13. *Annal.*

De Quæſtoribus Pomponius: *Quæſtores*, ait [1], *conſtituti ſunt, cùm ærarium Populi auctius eſſet, qui pecuniæ præeſſent: dicti ab eo quòd pecuniæ inqui-* B *rendæ & conſervandæ causâ creati erant.* Quæſtores tamen ſuos Reges ipſi habuerunt, ut Junius Gracchanus in eo libro quem de temporibus ſcripſit, ipſum Romulum & Numam duos habuiſſe Quæſtores, quos non ſua voce, ſed Populi ſuffragio creatos ſcriptum reliquit, Feneſtel. *de Magiſtrat. Rom.* cap. 3. Hi Quæſtores ærarii dicti, qui poſtea & urbani: nam & in Provinciis Quæſtores fuerunt militares, de quibus nos ſuo loco.

Tribunos ærarii Suetonius narrat, qui à Julio Cæſare è Judicum ordine ſublati ſunt, in *Julio* cap. 41. quos à tribuendo ære Feſtus ait appella- C tos. Penes eos erat cuſtodia pecuniæ attributæ; atque hoc ordinis nomen erat, ut ex lege Aurelia apparet. Ærarii publici cura ab eodem Julio Cæſare duobus Ædilibus mandata, quia nullus Quæſtor creatus fuerat, ut ait Dio *lib.* 43. Τὸ δ' οὖν κατὰ τὴν διοίκησιν ἐξ ἐκείνου δι' ἅπερ εἶπον παραπεπτωκὸς οὐκέτι τοῖς ταμίαις αἰεὶ ἐπιτρέπεται, ἀλλὰ τὸ πλεῖστον τοῖς ἐστρατηγηκόσι προστετάχθη. Sed tandem duobus Ædilibus commiſſum ærarium, τούς τε οὖν θησαυροὺς τοὺς δημοσίους δύο τότε τῶν πολιανομούντων διῴκησαν. Poſtea inſtituit Auguſtus, ut ærarii adminiſtrationi quotannis bini D Prætorii viri præficerentur, Dio *lib.* 53. Πρὸς δὲ τὴν διοίκησιν χρημάτων δημοσίων, δύο κατ' ἔτος ἐκ τῶν ἐστρατηγηκότων αἱρεῖσθαι ἐκέλευσε.

Lapſus eſt Dio cùm ad Quæſtores ærarii curam non rediiſſe, poſtquam Ædilibus à Julio Cæſare commiſſa eſt, ſcriptum reliquit: nam & Quæſtores poſt medium illud Ædilium tempus, quod modicum fuit, ærario præfuerunt: & ab iis Auguſtus ærarii curam ad Prætorios Prætoreſve tranſmiſit, Suetonius in *ejus Vita* cap. 36. quam deinde Quæſtoribus Claudius reddidit, ut prodit Suetonius in *Claudio* cap. 24. cui Tacitus aſſenti- E tur lib. 13. *Annal. Hic enim*, de Claudio, *Princeps*, ait, *curam tabularum publicarum à Quæſtoribus ad Præfectos tranſtulit.* Variè habita ac ſæpe immutata hujus rei forma: nam Auguſtus permiſit Senatui deligere Præfectos: dein ambitu ſuffragiorum inſpecto, ſorte ducebantur ex numero Prætorum qui præeſſent. Neque id diu manſit, quia ſors deerrabat ad parum idoneos. Tunc Claudius Quæſtores rurſum impoſuit. Nero Præturâ perfunctos & experientiâ probatos delegit. Quin & Dio ipſe hanc ſententiam ſecutus eſt: nam Claudius, ait *lib.* 60. Prætores, qui pecuniæ publicæ præerant, abrogavit: Quæſtoribus eo munere, F ut antiquitus conſtitutum fuerat, mandato: τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἐπὶ τῆς διοικήσεως καταλύσας, ταμίαις αὐτὰς κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπέτρεψεν.

Quæſtores ærarii multæ dicendæ jus habuiſſe videntur ex Inſcriptione veteri, pag. 52. 12.

L. TE-

1 L. 4. C. de Delatorib. 2 L. deferre. D. de jur. fiſc. 3 L. 2. D. eod. 4 L. 2. §. Divus Pius. D. de jur. fiſc. 5 L. 2. §. Senatus. D. eod. 6 L. 5. C. de Delatorib. 7 L. unic. C. de his qui ſe deferunt. l. edicto. D. de jur. fiſci. 8 L. cùm tantum. D. eod. 9 L. ſi mandavero. §. is cujus. D. mandat. 10 L. filiusfam. miles. §. qui inteſtatus. D. de leg. 1.

1 L. 2. §. deinde. D. de juſtit. & jur.

L. TERENTIO. L. F
C. APVFRENO.* C. F
L. TVRPILIO. C. F
M. ALBANI. L. F
T. MVNATIO. T. F
QVAISTORES. AIRE. MOLTATICOD
DEDERONT

Hanc Inscriptionem perveterem esse ex eo probatur, quòd Latinitatis leges in ea servatæ non sint, quæ nondum illo seculo invaluerant. Sic in antiqua alia Inscriptione L. Scipionis Barbati, quam Sirmondus noster mirè explicavit, scriptum, *optumo fuise viro Lucione Scipione*. Quod vetustati tribuendum Sirmondus probat perspicuis rationibus, quæ eadem hîc vetustatis vestigia produnt, & *L. Terentio, C. Apufreno Quaistores*, nihil in Grammaticæ leges nondum receptas peccasse demonstrat. Quod & verbum ultimum Inscriptionis ostendit, more antiquo scriptum, *Dederont*.

Nec tamen Quæstores jus multæ dicendæ habuerunt; sed multas à Judicibus dictas in publicas tabulas referebant, Tacitus lib. 13. *Annal.* quas, ut ceteras pecunias publicas, in eos usus expendebant, quibus erant destinatæ.

Ex Quæstoribus tandem duo Præfecti ærario facti sunt. Sic Favorinus apud Agellium *lib.* 13. *cap.* 23. *Quod per Quæstorem*, ait, *antè dixi, intelligi nunc oportet Præfectum ærario significari.* Nam cura ærarii à Quæstoribus ad Præfectos translata est. Quod à Nerone constitutum primùm videtur: ille enim ad Præfectos curam tabularum publicarum à Quæstoribus transtulit, Tacitus 13. *Annal.* Curam tabularum ab ærario sejungi non debere puto. Quare Neronis temporibus ærarium à Præfectis; Claudii, à Quæstoribus; Vespasiani, à Prætoribus tractatum. Præfectos deinde à Trajano & ab Hadriano restitutos, ex Favorini verbis clarum est, & ex veteri Inscriptione, quâ Plinio Præfectura ærarii à Trajano collata est, pag. 454. 3.

C. PLINIVS. C. F. C. N
CAECILIVS, SECVNDVS
PRAEF. AERARI. SATVRNI. PRAEF
AERARI. MILIT

Dubitari tamen posset, an Præfectus ærarii omnimodo Quæstoris Officio functus sit, an verò Judex tantùm fuerit in Vrbe, rerum fiscalium, ut Procurator Cæsaris in Provinciis. Hanc dubitandi causam mihi dat Vlpianus: *Transactiones alimentorum*, ait [1], *etiam apud Procuratorem Cæsaris fieri possunt, scilicet si à fisco petantur alimenta, secundùm quæ & apud Præfectos ærarii transigi potuit.* Quasi videatur ærarii Præfectus Prætoris locum sortitus esse, qui inter fiscum & privatos jus diceret; quem Prætorem Nerva Imp. adjecit ceteris Prætoribus, qui hac de re cognosceret [2]. Sed Præfecti ærarii amplior potestas fuit, qui & huic Prætori & Quæstoribus successisse videtur, ut & causas judicaret, & ærarium tractaret, ut ex Vlpiani & Favorini verbis colligitur.

Quod verò Vlpianus ait, *apud Præfectos ærarii transigi posse, si à fisco alimenta petantur:* hoc inde manavit, quòd Nerva Imp. constituerat pueris, puellisque natis parentibus egestuosis, sumtu publico per Italiæ oppida alimenta præstari, Aurelius Victor in *Nerva.* Sed ad hanc rem Quæstores speciales institutos vetus Inscriptio docet, pag. 394. 3.

* Gruterus habet, APRVFENIO.

1 L. cùm hi. §. transactiones. D. de transactionib.
2 L. 2. §. deinde. D. de origin. jur.

A C. COELIO. C. F
QVAEST. ALIMENT
C. IVLIO. SEVERO. M. RVFINIO. SABINIANO. COS

Consules, in hac Inscriptione notati, fuerunt sub Hadriani Imperio, ut Fasti Consulares indicant. Atque hi pecuniam alimentis destinatam tractabant, quorum cognitio ad Præfectum ærarii pertinebat.

B Non absimilis huic Quæstori alimentorum fuit ille, qui à Justiniano institutus est: nam cùm illius principatu duo tantùm Quæstores essent, Sacri Palatii scilicet, & exercitus, qui unus pecuniam militarem curabat & impendebat; tertium Justinianus addidit, cui Quæstoris nomen tribuit, quique in Vrbe, quærendis coërcendisque mendicis, inertibus, otiosis, peregrinis, errantibus, & vagis, cujusque conditionis essent, curam susciperet. Et si fortè exteri litis causâ in Vrbem venissent, Quæstore hoc imminente, instante, urgente, & ad extremum audiente & cognoscente, morantibus Judicibus celerrimè eorum lites finirentur. Eidem Quæstori in mendicos validos coërci-
C tio data, & potestas cognoscendi de crimine falsi, de superexactionibus exsecutorum, id est, si supra modum sportulæ exigerentur [1]. Videtur & hic Quæstor jus habuisse imbecillis dandi Tutores: sed neque hic, neque Quæstor alimentorum ærarium tractarunt, de quibus nonnihil hoc loco notavimus, ut nihil de Quæstoribus intactum relinquamus.

Revertor ad Præfectos ærarii, qui de caducis & ereptitiis bonis judicabant. Generali nomine quæ fisco obveniunt ex alieno, caduca dicuntur. Quæ auferuntur ut indignis, vel si post testatorem heres moriatur ante aditam hereditatem;
D ereptitia strictiori significatione vocantur, quòd eripiantur & ad fiscum transferantur [2]. Quare *cùm quidam peracto testamento nomen heredis induxisset; M. Antoninus ad Præfectos ærarii causam remisit, ut viderent an legata deberentur, quæ salva manserunt* [3].

Præterea si quid in rebus fiscalibus quis faciat, Præfecti ærarii Judices sunt [4]. Atque etiam si Tutores, vel Curatores qui Officio deposito non restituerunt, tutelam, vel curationem cum fisco contraxerint, cùm non possint, à Præfectis ærarii pœnæ falsi subjiciuntur [5]. Præfectorum quoque æra-
E rii fuit bona, fisco delata, vel agnoscere, vel repudiare. „Si ergo bona fuerint à fisco non agnita, „eaque addicta libertatis conservandæ causâ: quæsitum est an possit fiscus postea agnoscere? & „magis est, ne possit. Planè si non certioratis Præfectis ærario, bona fuerint libertatis conservandæ causâ addicta: si quidem talia fuerunt ut „agnosci debeant, addictio cessat; si verò non „fuerint, addictioni locus est [6]. Item si quis argueretur rationes detulisse, de eo Præfectus ærarii cognoscebat [7]. Quod intelligendum est de eo, qui se ad ærarium detulerit, quod capere non poterat, ut totum id ærarium colligatur, & ex eo
F pars dimidia sibi, secundùm beneficium Hadriani, restituatur [8].

Arrianus Severus Præfectus ærarii, cùm ejus qui tacitè rogatus fuerat non capienti fideicommissum redderе, bona publicata essent, pronuntiavit nihilominus

1 Novel. 80. 2 L. cùm tacitam. D. de jur. fisc. 3 L. cùm quidam. D. de his quæ ut indig. 4 L. 2. §. hoc interdictum. D. ne quid in loc. public. 5 L. 1. §. ex illa. D. ad leg. Cornel. de fals. 6 L. 4. §. si bona. D. de fideicommissar. libertatib. 7 L. 15. §. fin. D. de jur. fisc. 8 L. Arrianus. D. eod.

nus jus deferendi ex Conſtitutione Trajani habere eum, cui fideicommiſſum erat relictum. Edictum illud Trajani à Paulo refertur libro ſeptimo ad legem Juliam & Papiam[1].

Sanxit M. Antoninus primus, ut ad Præfectos ærarii Saturni unuſquiſque civium natos liberos profiteretur, intra triceſimum diem nomine impoſito. Ad hanc rem per Provincias tabularium inſtituit: atque ita liberales cauſas munivit, Capitolino teſte in *M. Antonino.* Ad quem Caſaubonus: Non primus, inquit, ſed vetus inſtitutum renovavit: quod & Lipſius ad Tacitum *lib.* 5. *Annal.* pluribus perſequitur. Hac de re Juvenalis *ſatyr.* 9.

Quòd tibi filiolus, vel filia naſcitur ex me?
Tollis enim, & libris Actorum ſpargere gaudes
Argumenta viri. Foribus ſuſpende coronas,
Jam pater es.

Vetus Interpres; *Libris Actorum*, ait, *propter profeſſionem ſcilicet, quia apud ærarium patres natorum deferebantur filiorum, vel nominum notitiam devulgare conteſtatione publica.*

Hinc Scævola libro nono Digeſtorum[2]: *Mulier gravida*, inquit, *repudiata, filium enixa abſente marito, ut ſpurium in Actis profeſſa eſt. Quæſitum eſt an is in poteſtate patris ſit: & matre inteſtata mortua, juſſu ejus hereditatem matris adire poſſit, nec obſit profeſſio à matre irata facta. Reſpondit veritati locum ſuperfore*, id eſt, de facti veritate quærendum.

Gordianus filium Gordianum, nomine Antonini, cùm apud Præfectum ærarii, more Romano profeſſus eſſet, publicis Actis ejus nomen inſeruit, ait Capitolinus in *Gordianis*, qui impropriè more Romano id factum tradit: nam Profeſſio liberorum, non more, ſed lege introducta eſt.

Sub Alexandro Principis ærarii cura à Præfectis ad Quæſtores rediiſſe videtur: ille enim Ærarios Quæſtores inſtituiſſe dicitur qui de ære fiſci ederent munera, eaque parciora, Lampridius in *Alexandro.* Sed obſervarunt ex veteribus libris viri perdocti, pro *Ærarios Quæſtores* legendum *Arcarios.* Atque hi quidem munere Quæſtoris alimentorum functi ſunt, & in veteri Inſcriptione Quæſtores Arcarii leguntur, pag. 386. 3.

L. CASVRIO. L. F. AED. IIII. VIR. I. D Q. ARG. PVBLIC. ET. PEC. ALIMENTAR

Singularis littera, & mediata nomina denotant, *Quæſtorem Arcarium publicæ & pecuniæ alimentariæ.*

Præfecti ærario præpoſiti, raro immutati, pecuniæ publicæ diſpenſatores erant, & ex mandato Principis præſtabant ſumtus, quos ille decernebat, Vopiſcus in *Aureliano.* Magnam verè ærarii Præfectorum auctoritatem fuiſſe, vel ex hoc uno Plinii loco obſervamus: *Quid audes?* inquit lib. 9. epiſt. *ad Quadratum, quò ruis? quibus te periculis objicis? quid præſentibus confidis, incertus futurorum? laceſſis hominem jam Præfectum ærarii, & brevi Conſulem.* Sic Plinius ipſe ab hac Præfectura ad Conſulatum evectus eſt.

Vtriuſque tandem ærarii adminiſtratio à Conſtantini temporibus ad Comites S. L. & privatarum rejecta eſt. Sed juriſdictio apud Præfectos ærarii in Vrbe & Procuratores Cæſaris in Provinciis remanſit plurima: nam fiſci Præfectus, qui ταμεὶς προεςηκὼς Zoſimo *lib.* 2. etiam de crimine cognoſcebat; ſi quod ab aliquo commiſſum eſſet,

1 L. edicto. D. eod. 2 L. Imperatores, §. mulier. D. de probat.

A qui ſub eo militaret. Sic Fortunatianus Imperatorio fiſco Præfectus, quemdam ex militantibus ſub ſe, veneficii reum, de cauſa cognoſcens verberibus ſubjecit: cúmque ille tormentis coactus alios nominatim indicaſſet, tanquam ſibi conſcios; cauſæ ad Præfectum Prætorio tranſmiſſæ ſunt, cùm ſub ejus imperio non eſſent, qui priùs jus dicebat, Zoſimus *lib.* 4.

In Vrbe Roma Heliocrates fiſco præfectus litteras Principis attulit, quæ jubebant omnium quicunque Stiliconis temporibus Magiſtratum geſſiſſent, facultates publicari, congerendis fiſco pecuniis occupatus dicitur, idem *lib.* 5. Nulla tamen in utroque C. Præfectorum Ærarii mentio habetur, ſed Illuſtres tantùm ærarii Comites pro-
B duntur[1].

CAP. XXXIII.

De Procuratore Cæſaris.

Fiſci nomine, Ærarium Procurator Cæſaris, qui & Procurator Principis[2], & Procurator Imperatoris dicitur[3], Officium, & ſtatio fiſcalis
C ſignificantur. Procurator Cæſaris eodem munere in Provinciis, quo Præfecti ærarii in Vrbe, fungebatur: cognoſcunt enim utrique inter fiſcum & privatum.

Primus Auguſtus ex Dione *lib.* 53. Procuratores miſit in Provincias ſuas ac Populi Romani: alios ex Equitibus, ex Libertis alios, qui publicos reditus colligerent, & mandata ejus exſequerentur: Τοὺς ἐπιτρόπους, οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας καὶ προστεταγμένα σφισὶν ἀναλίσκοντας ὠνόμαζεν, ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, τά τε ἑαυτοῦ δὴ καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς ἐκ τῶν ἱπ-
D πέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων.

Sed ante Auguſtum fuerunt Procuratores Syriæ, & captâ Hieroſolymâ Pompejus Herodis Aſcalonitæ filium Procuratorem Palæſtinæ præfecerat, Παλαιςίνης ἐπίτροπον, quem Joſephus vocat ἡγεμόνα Συρίας, lib. 2. *de bel. Judaïco* cap. 9. qui in partem adminiſtrationis Provinciæ veniebat. Aliis in Provinciis, Procuratores ab Auguſto conſtituti, ſolam rerum fiſcalium adminiſtrationem ſine juriſdictione habuerunt: uſquedum auctore Claudio data eſt illis juriſdictio in cauſis fiſcalibus, & pecuniariis inter fiſcum & privatos. Precario hoc exegit Claudius à Senatu, ut quæ Pro-
E curatores ſui ſtatuerent in judicando, rata eſſent, ut Suetonius ſcribit in *Claudio* cap. 12. Cui Tacitus aſſentitur, lib. 12. *Annal. Eodem anno*, inquit ille, *audita vox Principis, parem vim rerum habendam à Procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuitò prolapſus videretur, Senatus quoque Conſulto cautum pleniùs, quàm antea, & uberiùs.*

Non ſolùm autem quæ judicata ſunt, ſed quæ geſta à Procuratore Cæſaris, ſic ab eo comprobantur atque ſi à Cæſare geſta eſſent[4]. Quare eorum munus, *Procurationes ampliſſimas*, dixit Suetonius in *Galba* cap. 15. quas Imperatores ſuis fa-
F miliaribus aut Viris receptæ auctoritatis mandare ſolebant.

Plinius Senior Procurator in Hiſpania fuit, *lib.* 3. *epiſt.* 5. Cornelius Tacitus Eques Romanus, Belgicæ Galliæ Rationes procuravit: ut Plinius ipſe teſtatur lib. 7. *Hiſt.* cap. 16. qui non abs re Cornelium Equitem Romanum facit.

Q q Nam

2 L. 3. C. de ſuſceptorib. & arcar. 2 L. abeſſe. C. ex quib. cauſ. major. 3 L. fin. D. de jur. fiſc. 4 L. 1. D. de Offic. Proc. Cæſar.

Nam Procuratio Cæsaris Equestris est nobilitas, Tacitus in *Vita Agricolæ*, nec Senatori committebatur nisi Senatoriam dignitatem dimitteret. Hinc Cornelius Fuscus, cùm prima juventa quietis cupiditate Senatorium Ordinem exuisset, Procurationem Cæsaris adeptus est, Tacitus 2. *Hist.* & Terentius Junior Equestribus militiis atque etiam Procuratione Narbonensis Provinciæ functus, speratis honoribus, tranquillissimum otium prætulit, Plinius *lib. 7. epist. 25.* Rectè dicit Plinius, *speratis honoribus*, & pessimè Critici corrigunt, *spretis honoribus*. Etenim Procuratio Cæsaris aditus erat ad honores amplissimos, & Procuratori Cæsaris insignia Consularia quandoque decreta sunt, Tacitus 12. *Annal.* ac eorum plerosque Vespasianus Senatorii Ordinis honore percoluit.

Procuratores Cæsaris iidem Rationales appellati, ut ex titulo Digestorum clarum est, *de Officio Procuratoris Cæsaris vel Rationalis.* Notat Lipsius ad Tacitum lib. 12. *Annal.* Rationales à Procuratoribus differre; putatque Procuratores Remp. Rationales solùm rem privatam tractasse, rationesque pecuniæ Principalis. In quo lapsus est: nam Procuratores Lampridius interpretatur Rationales in *Alexandro*: Ille enim, *Et quoniam*, inquit, *de publicandis Dispositionibus mentio contigit; ubi aliquos voluisset, vel Rectores Provinciarum, vel Præpositos facere, vel Procuratores, id est, Rationales.* Ad quem notat Casaubonus, Procuratores Principum à posteriori ætate Rationales dictos: quod nullo Auctore probari potest. Imò ætas posterior huic opinioni refragatur. Nam Capitolinus posterioris ævi Scriptor, Rationalem à Procuratore separat: *Erat*, inquit in *Maximin. duob. fisci Procurator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliaverat. Hic per rusticanam plebem, deinde & quosdam milites interemtus est, per eos qui Rationalem in honorem Maximini defendebant.*

Rationalem, ait Casaubonus, vocat quem modò Procuratorem dicebat. Quod ut nobis persuadeat, mutat lectionem, atque *inter eos* legendum scribit, non *per eos*. Sed vulgata lectio, ut monuimus, retinenda est[1]. Nam Capitolinus cùm fisci Procuratorem à Rationali separat, de Rationali seu Procuratore privatæ rationis loquitur, vel patrimonii sacri, qui alius est à Procuratore Cæsaris & Rationali, qui in libris Basilicῶν καθολικὸς dicitur. Sic Rationalis patrimonii, qui per Africam constitutus est, alius est à Rationali fisci; ut Magister privatæ rei, alius à Procuratore Cæsaris: nam Procurator Cæsaris, vel Rationalis, jurisdictionem habuit: at Rationales privatæ rei, vel patrimonii, reditus & possessiones ex fisci patrimonio curabant[2].

Sæpe tamen Juris Auctores & Imperatores ipsi promiscuè Cæsaris & fisci appellationibus utuntur, Cujacius lib. 21. *Observat.* cap. 11. Vt res privatæ etiam patrimoniorum dicuntur, & Rationales privatæ rei cum Rationalibus patrimonii confunduntur: cùm tamen, ut dictum est, Procuratores Cæsaris, vel Rationales de causis fisci judicarent. At Rationalis, qui patrimonii fundos tractabat, & à Colonis & Emphyteuticariis canonem & pensiones exigebat, ut Procurator privatæ rei, Principis rei familiari impositus erat, ut Tacitus loquitur lib. 13. *Annal.*

At Procurator Cæsaris, vel Rationalis, Judicis partes sustinebat, & in Provinciales maximam potestatem exercebat, quos pro arbitrio facultatibus privare poterat. *Querebantur Britanni in*

1 Vid. sup. cap. 18. 2 L. 2. C. T. de jur. fisc.

A *Provinciam redacti, singulos sibi olim Reges fuisse, nunc binos imponi, è quibus Legatus in sanguinem, Procurator in bona sæviret*, Tacitus in *Vita Agricolæ*. Rectè, *in bona*, cùm in sanguinem Procurator non posset.

Nam merum imperium Procurator Cæsaris non habuit, nisi in partem administrationis Provinciæ venisset. Quare Callistratus libro sexto de Cognitionibus scripsit[1]: *Curatores Cæsaris jus deportandi non habere, quia hujus pœnæ constituendæ jus non habent. Si tamen quasi tumultuosum, vel injuriosum adversus colonos Cæsaris prohibuerint in prædia Cæsariana accedere; abstinere debebit.* Sed

B lex Constantini Callistrato adversari videtur[2]. Ille enim ad Florentium Rationalem rescripsit, *Reo exhibito statim quæstionem fieri debere, ut noxius puniatur, innocens absolvatur.* Sed hæc lex est sub titulo de custodia Reorum; in quo nihil de pœna. Deinde quæstionem fieri jubet Constantinus, quod est de Reorum crimine quæri; quod Procurator Cæsaris potuit in causa fisci: sed post interrogationem eos remittere vinctos debet ad Magistratum qui Provinciæ præest, si graviora eorum crimina essent. Sic Irenarchæ cùm apprehenderint latrones, interrogant eos, & interro-

C gationes litteris inclusas atque obsignatas ad cognitionem Magistratuum mittunt[3]. Hoc ita tamen in Procuratore Cæsaris, ut Præses vel Proconsul statuat de pœna Rei: Procuratori autem de bonis ejus integra cognitio servetur. Vt si quæratur an quis sibi mortem consciverit, metu pœnæ, ac propterea bona ejus fisco vendicari debeant: cùm non ampliùs de pœna, quia crimen morte exstinctum est, sed de bonis fisco quæsitis agatur: Procuratoris Cæsaris notio est, nec ad Proconsulem, aut Præsidem advocari causa potest[4].

D Apud Procuratorem Cæsaris causa etiam civiliter agi potest, defunctis homicidii Reis, sed non defensæ mortis quæstionem apud illum tractari non oportet, priusquàm de crimine constiterit, apud eum cui convictis pœnam irrogare licet: tum demum bona à fisco peti possunt[5]. Nec quidem Procurator Cæsaris de capite servi judicare potuit. Quare si improfessus servus fuerit, & probetur in commissum cecidisse, aut uxorem domini corrupisse dicatur, aut aliquid gravius admisisse: cognoscit quidem Procurator; & si in iis causis esse compertus sit, æstimatur, & ad pœnam domino traditur[6].

E Singularis casus est, quo in civilibus fisci Procuratori Præses adjungitur: si adversùs fiscum in integrum restitutio postuletur: tum enim Procurator Cæsaris unà cùm Præside, præsente fisci Patrono, adiri debet[7]. Quòd si quid à Procuratore judicatum est inter Majores, id per in integrum restitutionem, Præsidis sententiâ rescindi non potest: Princeps enim solus contra sententiam Procuratorum suorum in integrum restituere solet[8].

At in causa Minoris, in qua de restitutione non agitur, Procurator Cæsaris sententiam dicit, illam-

F que solus exsequitur, ut ex illius Actis colligitur à Scævola relatis: „Defendente, *inquit*[9], Tutore, „pupillus condemnatus ex contractu patris, acce„pit Curatorem, inter quem & Creditorem Actæ

fa-

1 L. 3. D. de Offic. Procurat. Cæsar. 2 L. 1. C. de custod. Reor. 3 L. Divus Hadrianus. §. sed & caput. D. de custod. Reor. 4 L. 2. C. ubi caus. fiscal. 5 L. 1. C. eod. 6 L. interdum. §. idem autem. D. de Publicanis. 7 L. 2. C. si advers. fiscum. 8 L. 1. C. ubi & apud quem in integr. restit. 9 L. defendente. D. de auctorit. tutor.

„ facta sunt apud Procuratorem Cæsaris infrà scri„ pta. Priscus Procurator Cæsaris dixit, Faciat „ judicata. Novellius Curator dixit, Abstineo pu„ pillum. Priscus Procurator Cæsaris dixit, Re„ sponsum habes: scis quid agere debeas. Quæsi„ tum est an secundùm hæc acta Adolescens à pa„ tris bonis abstentus sit; & respondit Scævola, „ proponi abstentum.

Si quis verò rem fisci lite pulsaverit, Rationali præsente confligere debet; quo defensante & controversia omnis agitatur, & Judex eam sententiam decernit, quam juris æquitas postulaverit[1]. Quod de Rationali καθολικῷ intelligi non potest, sed de eo cui privatæ rei alicujus cura commissa est. Etenim Procurator Cæsaris, vel Rationalis dicitur, non solùm cui rerum cujusque Provinciæ cura mandata est, vel, ut Tacitus loquitur lib. 13. *Annal.* qui Provinciam obtinet: sed & is, qui curam rerum habet quamvis non omnium[2]. Atque hic nulli præest jurisdictioni.

Quare ubi in Provincia Procurator Cæsaris non est, Præses Provinciæ adeundus est, quoties de fiscali causa agitur, qui negotium præsente Rationali terminet[3]. Sed si Procurator fuerit in Provincia, apud eum omnes fiscales Provinciæ causæ disceptabantur. „ Vt si quæstio inferretur filiis, „ qui Pupilli non essent, quòd tabulæ testamen„ ti patris eorum, qui à familia interfectus dice„ batur, priusquam quæstio de servis haberetur, „ apertæ & recitatæ sunt; propter amplissimi or„ dinis consultum hereditas à fisco vindicatur, & „ ideo agi causa apud Procuratorem Cæsaris debet[4]. Apud eum etiam causa agitur, si jure successionis bona ad fiscum pertinent, vel si illa ut vacantia fiscus tenet[5]. Generaliter de his omnibus cognoscit, quæ ut indignis auferuntur. Vt si filius emancipatus, contra tabulas bonorum possessionem patris, ut præteritus, petierit, & ex substitutione impuberis adierit hereditatem. Item si quis contra mandata uxorem duxerit in ea Provincia, in qua Officium gerit, aliaque hujusmodi facta sint, contra leges, vel mandata Principum, quæ legibus variis continentur.

Procurator Cæsaris cognoscebat de prædiis ab eo venditis, si super iis quæstio moveretur[6]: & Procurator illius anni, quo res debitoris fisci vendita est, omissis solemnitatibus, de restitutione judicat[7]. Quòd si ancilla exportanda venit; nec exportata est, sed ab Emtore in eadem civitate morante, emta & manumissa est; adversùs legem venditionis libera fieri non potuit: atque ideo Procurator Cæsaris suis partibus fungitur[8], id est, ancillam fisco adjudicabit, nisi si Emtor manus injectionem exceperit[9].

Procuratori verò Cæsaris interdicta est cognitio quarumdam rerum, quæ in causis incidunt: nam status causas Procurator examinare non potest[10]: *Sed si quæ causæ libertinitatis & servitutis in Provinciis inter fiscum & privatos exorirentur, ad Rationalem, vel Magistrum rei privatæ, unde motæ sunt quæstiones, remittuntur*[11]: *Si quæ verò ingenuitatis essent, à Rectore Provinciæ examinantur.*

Præterea Procurator in lite privatorum jus non habet Judices dandi, & frustra provocaretur ab ejus sententia, quæ non tenet[12]. Si tamen privati ejus sententiam elegerint, acquiescere debent rei ex illorum consensu judicatæ[1]. Nec etiam Procurator multæ dicendæ jus habet, sed solùm jus fisci exsequitur[2]. Item à Procuratore Cæsaris res distrahi non debent quæ in controversia sunt, ut nec res nexæ pignori: nec enim debet Procurator jura creditorum lædere[3]. Quòd si rem aliquam vendiderit, per fraudem, aut collusionem, nimis exiguo pretio, non servata hastarum solemnitate, Rationalis in actu constitutus venditionem revocabit, debitore fisci satisfaciente[4].

Quòd si Procurator venditionis, vel donationis, vel transactionis causâ quid agat; nihil agit: non enim alienare ei rem Cæsaris, sed diligenter gerere commissum est[5]. *Est autem hoc præcipuum in Procuratore Cæsaris, quòd ejus jussu servus Cæsaris adire hereditatem potest, si Cæsar heres instituitur: nam miscendo se opulentæ hereditati Procurator heredem Cæsarem facit*[6]. Rectè Accursius *præcipuum* interpretatur singulare & speciale, id est, contra receptam juris rationem: nam per Procuratorem hereditas acquiri non potest[7], quia aditio hereditatis, animi magis est quàm facti[8].

Magna verò fuit Procuratorum Cæsaris auctoritas, sed major rapacitas: nam brevius iter credebatur acquirendæ pecuniæ per Procurationes negotia Principis administrare, Tacitus lib. 16. *Annal.* Quare Procuratorum rapacissimum quemque Vespasianus ad ampliora Officia ex industria solebat promovere, quò locupletiores mox condemnaret, Suetonius in *Vespasiano* cap. 16. Quibus quidem vulgò pro spongiis dicebatur uti, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes. Cùm de hac rapacitate Tacitus loquitur lib. 1. *Historiar. Quid enim*, ait, *non auderent illi, qui interiorem potentiam adepti sunt, & quorum acta gestaque sic comprobantur, quasi à Principe gesta essent?*

L. Capito cùm à Tiberio Procurator Asiæ constitutus esset, jusque illi solùm in servitia & pecunias familiares datum, vim Prætoris ipse usurpavit, manibusque militum usus ad spoliandos socios, idem lib. 4. *Annal.* Procurator Cappadociæ Pelignus, Claudio perquam familiaris, auxiliis Provincialium contractis, tanquam recuperaturus Armeniam, dum socios magis quàm hostes prædatur, abscessu suorum & incursantibus Barbaris, præsidii egens ad Rhadimistum venit; donisque ejus evictus, ultrò regium insigne sumere cohortatus est, sumentique auctor fuit & satelles, idem lib. 12. *Annal.*

Fuere tamen quidam Procuratores Provinciæ integerrimi viri, qui tranquillissimum otium summis honoribus prætulerunt: nullaque occasione corrupti, ab insito sapientiæ & abstinentiæ amore usquam deflexerunt. *Sunt quidem*, ait Plinius lib. 7. epist. *ad Rufum, ut in castris, sic in litteris plures cultu pagano, qui cincti & armati, & quidem ardentissimo ingenio, non in villa, sed Athenis vivere videntur.* Sed quantum Eruditorum, aut modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famæ; quam magis viri boni fugiunt, quò tranquillitate animi in solitudine delectantur?

1 L. 5. C. T. de jurisdiction. 2 L. qui mittuntur. §. Procurator. D. ex quibus. caus. major. 3 L. fundus. D. de rescind. vendit. 4 L. 3. C. de his quibus ut indign. 5 L. 10. C. de inoffic. testam. 6 L. 4. C. ubi caus. fisc. 7 L. 1. C. de jur. hastæ fiscal. 8 L. 3. C. si servus exportand. ven. 9 L. Titius. D. de serv. exportand. 10 L. 2. C. ubi causa status. 11 L. 5. C. eod. 12 L. 1. C. de pedaneis judicib.

1 L. 1. C. de jurisdict. omn. judic. 2 L. 2. C. de mod. mult. 3 L. res quæ. D. de jur. fisc. 4 L. fin. C. si advers. fisc. 5 L. 1. §. si rem. D. de Offic. Procur. Cæs. 6 D. l. 1. §. fin. D. eod. 7 L. per Procuratorem. D. de acquir. hered. 8 L. pro hered. D. eod.

CAP. XXXIV.

De Procuratore Cæſaris, vices Præſidis agente.

PRocuratores Cæſaris, qui in Provinciis partibus Præſidum fungebantur, in antiquis Inſcriptionibus Procuratores & Præſides vocantur. Fragmentum Romæ, pag. 493. 6.

PRAEF. CLASS. BRIT. ET. MOESIC
PROC. ET. PRAESIDI. ALPIVM

Item, pag. 487. 6.

D. M. S.
P. VIBI. P. F. MARIANI. E. M. V. PROC
ET. PRAESIDI. PROV. SARDINIAE

Singulares litteræ E. M. V. *Egregiæ memoriæ virum* ſignificant. Hic etiam Procurator & Præſes, Procurator & Prolegatus legitur, pag. 376. 6.

Q. CAICILIO. CISIACO
PROCVR. AVGVSTOR. ET. PROLEG
PROVINCIAI. RAITIAI. ET. VINDELIC

Tritum eſt, Præſides Legatos Cæſaris appellari[1]: hinc Procurator, qui Præſes, Prolegati ſibi nomen aſſumſit, quaſi pro Præſide aut Legato ageret, quorum jure uteretur. Ei enim permiſſa ſunt eadem quæ Præſidi, cujus vices tuetur, & ex omnibus cauſis, quibus, vel Præfectus Vrbi, itemque Conſules, Prætores ceterique Romæ cognoſcunt, Procurator ille notionem habuit ut Præſes. Quæ omnia non habet is cui Præſes mandavit juriſdictionem. Etenim quæcunque lege, vel Senatus Conſulto, vel Conſtitutione Principis tribuuntur, mandata juriſdictione non tranſeunt; ſed ea tantùm quæ jure Magiſtratus[2].

Vices quidem Magiſtratuum ad regendas Provincias aliave Officia, temporis cauſâ nonnunquam à Principe mandari ſolebant: Præſide videlicet defuncto, aut alia qualibet cauſa neceſſaria abſente, vel impedito: quod ad Procuratores Cæſaris trahi non poſſe quidam putaverunt. Nam in iis Provinciis, quas Præſides obtinebant, ſi ampliores eſſent, Procuratores vice illorum fungebantur in aliqua Provinciæ parte, vel in tota, ſi modica eſſet: ut promtiores ad rebellionem animos continerent, & jura fiſci faciliùs exſequerentur, quæ motus & ſeditiones plerumque excitabant: quibus citò occurri debuit, nec Præſidis auxilium, qui variis in locis morabatur, ſeriùs implorandum, aut exſpectandum. Sic Noricum, Dacia, Thracia, duæ Mauritaniæ, & quædam aliæ à Procuratoribus cohibentur, ait Tacitus lib. 1. *Hiſt.* hoc eſt, partes harum Provinciarum, quæ Præſides & Conſulares habuerunt, vice eorum Procuratores adminiſtrarunt. Cohibere autem interpretor, non ἐπέχειν ſolùm, quod eſt pro poteſtate regere, ſed cum quadam ſeveritate continere. Sic de Trajano Plinius in *Panegyrico*, *Eadem ſeveritate fiſcum, quâ ærarium cohibes.*

Animadverto primùm Judæam Procuratoribus traditam, qui vicem Præſidis gererent. Primus Procurator Judææ fuit Sabinus ſub Auguſto, Σαβῖνος ἐπίτροπος Καίσαρος, Joſephus lib. 17. *Antiq. Judaïc.* cap. 12. Sabino ſucceſſit Coponius: huic An- A nius Rufus, ſub quo Auguſtus fato functus eſt. A Tiberio miſſus Valerius Gratus, quem Ἰουδαίοις ἐπάρχοντα vocat Joſephus lib. 8. *Antiq.* cap. 3. quòd Præſidis vices exerceret. Hic cùm annis undecim Judææ præfuiſſet, Pontius Pilatus illi ſucceſſor miſſus eſt, Πιλᾶτος διάδοχος αὐτῷ ἧκεν. Διάδοχοι propriè ſunt qui in Imperio, aut Prætura ſuccedunt. Vnde colligo Valerium Gratum, cui Pilatus ſucceſſit, Procurationem Cæſaris tum vice Præſidis primum peregiſſe. Pilatus tamen ἐπίτροπος à Joſepho lib. 2. *de bello Jud.* cap. 8. appellatur, qui poſtea ἡγεμὼν Συρίας *lib. eod.* cap. 9. At Philo in *Legation. ad Cajum*, Πιλᾶτος ἦν τῶν ὑπάρχων ἐπίτρο- B πος ἀποδεδειγμένος τῆς Ἰουδαίας: naturâ rigidus, & qui flecti non poterat, implacabilis & ſuperbus. Hunc Judæi ita exaſperarunt, ut veritus ſit, ne ſi mitteretur legatio, cetera quoque detegeret ejus crimina; venditas ſententias, rapinas, injurias, clades, tormenta, crebras cædes indeterminatorum, crudelitatem ſæviſſimam: Καταδείσαντα μὴ τῷ ὄντι πρεσβευσάμενοι, καὶ τῆς ἄλλης αὐτοῦ ἐπιτροπῆς ἐξελέγξωσι τὰς δωροδοκίας, τὰς ὕβρεις, τὰς ἁρπαγάς, τὰς αἰκίας, τὰς ἐπηρείας, τοὺς ἀκρίτους καὶ ἐπαλλήλους φόνους, τὴν ἀνήνυτον καὶ ἀργαλεωτάτην ὠμότητα διεξελθόντες. En Procu- C ratorum rapacitatem & infandam auctoritatem in uno Pilato, quæ ad ſucceſſores tranſierunt.

Vnus Judææ Procurator prætermittendus non eſt, Felix Pallantis Claudii Principis liberti frater, de quo Tacitus lib. 12. *Annal.* „Felix, *ait*, „Judææ impoſitus, intempeſtivis remediis delicta „accendebat, æmulo ad deterrima Ventidio Cumano, cui pars Provinciæ habebatur: ita diviſis, ut huic Galilæorum natio, Felici Samaritæ „parerent; diſcordes olim, & tum contemtu re„gentium, minùs coërcitis odiis. Igitur raptare „inter ſe, immittere latronum globos, componere D „inſidias, & aliquando præliis congredi, ſpolia„que & prædas ad Procuratores referre. Arſiſſet„que bello Provincia, ni Quadratus Syriæ Re„ctor ſubveniſſet. Nec diu adverſus Judæos, qui „in necem militum proruperant, dubitatum, quin „capite pœnas luerent. Cumanus & Felix conten„tionem afferebant, quia Claudius cauſis rebellio„nis auditis, jus ſtatuendi etiam de Procuratori„bus dederat. Sed Quadratus Felicem inter Judi„ces oſtentavit, receptum in tribunal, quò ſtudia „accuſantium deterrerentur: damnatuſque flagi„tiorum, quæ duo deliquerant, Cumanus; & quies „Provinciæ reddita. Paulò aliter Joſephus lib. 20. E *Antiq.* cap. 5. & lib. 2. *de bello Judaïco* cap. 11. ſed ex illo & Tacito obſervamus duos in una Provincia Procuratores impoſitos, Cumanum & Felicem, qui utrique Præſidis vices ſortiti ſunt; atque eidem Provinciæ præfuiſſe Præſidem Quadratum, cui jus ſtatuendi de Procuratoribus datum, de quibus alioqui ſolus Princeps cognoſcere potuit. Quare veriſimilius eſt, quod Joſephus tradit, Primores Judæorum, ſimulque Cumanum Procuratorem, Quadratum juſſiſſe ire in Italiam, ad Imperatorem, qui eos, qui ad judicium venerant, ſupplicio tradidit: Cumanum verò multavit ex- F ſilio: Joſephus lib. 20. *Antiq. Jud.* cap. 5. τοὺς μὲν ἀναβάντας πρὸς αὐτὸν, ἐκέλευσεν ἀναιρεθῆναι· τῷ Κουμάνῳ δὲ φυγὴν ἐπέβαλε. Hac in re Joſephum ſequor, qui eo tempore vixit quo hæc geſta ſunt, & patriæ ſuæ hiſtoriam cum magna fide texuit. Ille nihil de Felice tribunali adſidente loquitur, ſed tantùm poſt Cumani exſilium ſumtaque ſupplicia, Felicem miſſum Procuratorem in Judæam: Πέμπει δὲ καὶ Κλαύδιον Φήλικα ἀδελφὸν Πάλλαντος, τῶν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν προστησόμενον πραγμάτων. Potuit tamen Felix Præſidi adſidere, ea maximè tempeſtate, quâ ſumma rerum penes Pallantem fratrem ejus

1 L. legatus. D. de Offic. Præſid. 2 L. 1. D. de Offic. ejus cui mandat. juriſdict.

ejus erat, cujus gratiâm Quadratus ut ceteri Magistratus omnes ambiebant. Hoc enim in fisci causis consuetum erat, ut Procuratores, licèt liberti Principis, in disquisitione causarum, de his cum Præside statuerent & unà judicarent. Quod ex Epistola Trajani ad Plinium observamus: *Nicensibus*, inquit *lib.* 10. *epist.* 89. *qui intestatorum civium suorum concessam vindicationem bonorum à D. Augusto affirmant, debebis vacare, contractis omnibus personis, ad idem negotium pertinentibus, adhibitis Virdio Gemellino & Epimacho liberto meo Procuratoribus, ut æstimatis etiam iis, quæ contradicantur, quod optimum credideritis, statuatis.*

Ad Judæos & Felicem redeo, qui ἡγεμὼν in *Actis Apostolorum* vocatur: nam qui in partem administrationis Provinciarum veniebant, quasi Legati, vel Præsides, ἡγεμόνες dicebantur, Cujac. lib. 19. *Observ.* cap. 13. Felix eo nomine de Pauli Apostoli causâ cognovit, quem ex Tertulli Judæorum Oratoris oratione, Judæi apprehensum voluerunt secundùm legem suam judicare. Sed superveniens Lysias Tribunus Paulum de manibus illorum eripuit, jussitque accusatores ire ad Felicem *Act.* 24. Ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. Παρελθὼν δὲ Λυσίας χιλίαρχος, βίᾳ πολλῇ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀφείλετο, καὶ πρὸς σὲ ἀπέστειλε, κελεύσας καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι.

Hæc attuli ut probem Judæos de capite judicare solitos, si Procurator Cæsaris absens esset: tunc enim licebat summo Pontifici cum Concilio lege agere, & animadvertere si quis impietatis reus factus esset. Hoc perspicuè Josephus lib. 20. *Antiq.* cap. 8. „Mortuo Festo, *inquit*, Cæsar Albinum Præsidem in Judæam misit. Ananus summus Pontifex audax & ferox „ingenio, sectâ Sadducæus, quod hominum genus apud Judæos est severissimum. Talis cùm „esset, mortuo Festo, Albino adhuc agente in „itinere, concilium Judicum advocat, tempus „opportunum se nactum ratus, statutum coram „eo fratrem Jesu Christi Jacobum nomine, & „unà quosdam alios reos impietatis peractos, lapidandos tradidit: Ἅτε δὴ ὢν τοιοῦτος ὢν Ἄνανος, νομίσας ἔχειν καιρὸν ἐπιτήδειον τὸ τεθνάναι μὲν Φῆστον, Ἀλβῖνον δὲ ἔτι κατὰ τὴν ὁδὸν ὑπάρχειν, καθίζει συνέδριον κριτῶν· καὶ παραγαγὼν εἰς τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἑτέρους, ὡς παρανομησάντων κατηγορίαν ποιησάμενος παρέδωκε λευσθησομένους.

Hoc & Scaliger in *Animadversionibus ad Eusebii Chronicum* annotavit. Falluntur, inquit, Judæi recentiores, qui judicia sibi dicunt à Romanis sublata fuisse annis quadraginta ante excidium templi: hoc enim accidit uno & septuaginta annis ante Hierosolymorum casum, Archelao Viennam relegato, Præses quidem aut Procurator pauca reliquerat confessui Judæorum, eaque minimi momenti, cum iis præterea quæ ad eorum leges, ritus, ceremonias & cultus pertinebant.

Hinc illud Pilati de Christo Domino ad Judæos *Joan.* cap. 18. *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate eum.* Cui Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam.* Quòd scilicet præsens esset Pilatus; quodque non violatæ legis solùm, sed majestatis Christum accusarent, quia se Regem dixisset.

Paulus verò accusatus extra urbem Hierusalem, ut auctor seditionis Sectæ Nazaræorum, & qui templum violare conatus esset; quem Felix Festo successori vinctum reliquit, à quo Paulus Cæsarem appellavit. Unde liquet, in causa capitis,

A appellationis auxilium promtum fuisse. Notat Antonius Mercator, vel certè sub illius mutuato nomine Cujacius, *ad libros Animadversionum Roberti* lib. 1. cap. 21. ex Ulpiani libro nono de Officiò Proconsulis, Insulæ Cretæ Procuratorem, qui illam Provinciam regit, licèt de capitalibus causis cognoscere non soleat; tamen de lege Fabia & lege Julia de Adulteriis posse cognoscere, ex Imperatoris Antonini Constitutione. Hoc quidem in Digestorum libris aliter invenitur; sed Ulpiani Fragmentum in Legum Mosaïcarum collectione sic conceptum est: „Frequens est legis Fabiæ

B „cognitio in tribunalibus Præsidum. Quanquam „quidam Procuratores Cæsaris usurparint tàm „Romæ quàm in Provinciis. Sedenim eò perventum est Constitutionibus, ut Romæ quidem „Præfectus Urbi solus super ea re cognoscat, si „intra milliarium centesimum sit: enimvero si „ultra centesimum, Præfectorum Prætorio erit „cognitio: in Provinciam enim Præsidum Provinciarum. Nec aliter Procuratori Cæsaris hæc „cognitio injungitur, quàm Præsidis partibus in „Provincia fungatur. Planè post sententiam de „Fabia latam, Procuratoris partes succedunt. „Hujus certæ ad tamen Procuratori qui illam

C „Provinciam regit, licèt de capitalibus causis cognoscere nec soleat; tamen ut de lege Fabia „possit cognoscere Imp. Antoninus constituit. „Idem legis Juliæ de Adulteriis coërcendis Con„stitutione Imp. Antonini quæstionem accepit. „Lege autem Fabia tenetur, qui civem Romanum, eundemque qui in Italia liberatus sit, celaverit, vinxerit, vinctumque habuerit, vendiderit, emerit, quive in eam rem socius fuerit, *Collat. leg. Mosaic.* tit. 14. *de Plagiariis.*

Hæc omnino aliena sunt ab eis, quæ ex eodem libro Ulpiani de Officio Proconsulis habentur in Pandectis[1]. Quare mihi valde suspecta sunt, ma-

D ximè cùm corrupta hæc malè cohærens lectio sit. Deinde quia nusquam valet Procuratoris sententia si vicem Præsidis non tueatur, qui legi Fabiæ locum esse pronuntiavit. Cùm ejus legis disceptatio ad Præsidis Provinciæ pertineat notionem[2]. Quare Mercatoris conjecturam non admitto, qui corrupta hæc verba, *hujus certæ ad tamen Procuratori*, sic emendat, *insulæ Cretæ Procuratori*. Sed magis puto delenda esse hæc usque ad ea quæ sequuntur, *lege autem Fabia*, quasi supposita: nec enim ulla sunt vestigia Constitutionis Imp. Antonini, nec ulla ratio cur Cretæ Insulæ Procuratori hoc speciali lege mandatum sit.

E Magnæ verò ferè semper dissensiones fuerunt inter Provinciarum Rectores & Procuratores. Et meritò Agricolam laudat Tacitus in *illius Vita*, quòd cùm Aquitaniæ Præpositus esset, procul fuerit à contentione adversùs Procuratores. Unus Hadrianus antequam imperaret, cùm Legatus Prætorius in Pannoniam inferiorem missus esset, Procuratores latiùs evagantes coërcuit, id est, ultra terminos potestatis delatæ procurrentes in officio continuit. Post eum Gordianus senior Proconsul Africæ, Rationalem, seu Cæsaris Procuratorem, acriùs contra plurimos sævientem, sibi-

F que ultra Procurationem omnia vendicantem, fortiter retudit, Capitolinus in *Gordiano*. Quod pauci ausi sunt; propter summam Procuratorum auctoritatem. Quare Alexander Imp. rectè dicebat, Procuratorem Cæsaris, qui illius Rationes tractaret, malum necessarium videri, Lampridius in *Alexandro*.

1 L. 1. D. de lege Fabia. 2 L. 4. C. ad leg. Fab.

CAP. XXXV.

De Cæsaris Procuratoribus diversarum rerum, & non omnium.

PRocurator vicesimæ hereditatium, Principis Procurator appellatur ab Æmilio Macro, qui duos libros scripsit ad hanc legem vicesimæ[1]. Primus tamen illam Aulus Ofilius, qui in Equestri Ordine perseveravit, Cæsari familiarissimus, commentariis suis illustravit[2]. Legem vicesimæ Cn. Manlius Consul primus tulit, de quo Livius *lib. 7. Ab altero Consule Cn. Manlio Collega C. Martii nihil memorabile gestum, nisi quòd legem novo exemplo ad Sutrium in castris tributim tulit, de vicesima eorum, qui manumitterentur. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum esset, Auctores fuerunt.*

Hoc vectigal ab eodem Livio aurum vicesimarium appellatur *lib. 27.* Ille enim: *Cetera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Consulibus aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servaretur, promi placuit. Promta ad quatuor millia pondo auri.* De hac vicesima Tullius lib. 2. *ad Attic.* epist. 16. *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam? quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pedisequorum nostrorum esse peritura.*

Hanc vicesimæ legem, post trecentos & triginta fermè annos, Augustus ampliavit. Instituit enim ut vicesima pars hereditatium ac legatorum, exceptis iis quæ proximè genere junctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur: quasi scriptum in Cæsaris commentariis id tributi genus reperisset, Dio *lib. 55.* Τὴν δ' εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων, καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι (πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν, ἢ καὶ πενήτων) καταλείπωσι, κατεστήσατο, ὡς καὶ ἐν τοῖς τοῦ Καίσαρος ὑπομνήμασι τὸ τέλος τοῦτο γεγραμμένον εὑρών.

De vicesima fusè Plinius: *Onera imperii,* inquit in *Panegyrico, pleraque vectigalia institui coëgerunt: his vicesima reperta est, tributum intolerabile & facile heredibus duntaxat extraneis, domesticis grave.* Nerva multos necessitate vicesimæ solvit: Trajanus & M. Antoninus temperarunt; postremò recisa omnino est.

De vicesima scripsit Paulus lib. 4. *Sent.* tit. 6. sed illius solùm caput attigit, quod de aperiendis tabulis testamenti cavit, ut scilicet testamentum statim post mortem testatoris aperiretur, à præsentibus intra triduum vel quinque dies; ab absentibus quoque intra eos dies cùm supervenerint: nec enim oportet testamentum Heredibus aut Legatariis, aut Libertatibus, quàm necessario vectigali (vicesimæ scilicet) moram fieri. Hadrianus constituit edicto, ne liceret appellare si testamentum aperiri Judex pronuntiaverit, quia res dilationem non reciperet[3]. Hoc Hadriani edictum sub occasione vicesimæ partis hereditatis introductum est, & à Justiniano antiquatum, quia vicesima hereditatis ex Romana Republica recesserat[4]. De Procuratore vicesimæ lapis vetus, pag. 359. 3.

TI. APPAEO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED

1 Tit. l. nulli. D. de transact. 2 L. 2. §. ab hoc plurimi. D. de orig. jur. 3 L. fine. D. de appellationib. non recip. 4 L. 3. C. de edict. D. Hadriani tollend.

A Item hic alius, pag. 389. 2.

T. CL. CANDIDO. COS
PROC. XX. HERED. PER
GALLIAS. LVGDVNENSEM. ET
BELGICAM. ET. VTRAMQ.
GERMANIAM

Εἰκοστή, vicesima: Εἰκοστώνης, ὁ τὰς εἰκοστὰς ἀπαιτῶν, Gloss. vet. vicesimarius, qui vicesimæ rationem exigit. Legitur & in Inscriptionibus Procurator stationis hereditatium, pag. 451. 3.

B PETRONIAE. SABINAE. FILIAE
L. PETRONI. SABINI. P. P. BIS
PROCVRATOR. AVGG. STATIONIS
HEREDITATIVM. ITEM. PROVINCIAE. NARBONENSIS

Et Promagister xx. hereditatium pag. 426. 5.

C. IVNIO. C. F. Q VIR. FLAVIANO
PROC. A. RATIONIBVS. PROC
PROVINCIARVM. LVGDVNENSIS. ET
AQVITANICAE. PROC. HEREDITAT
C PROMAGISTRO. XX. HEREDITATIVM

Promagistrum hîc interpretor Supprocuratorem: etenim Procuratores Magistri vocati. Atque hanc meam interpretationem juvat Inscriptio hæc alia, pag. 591. 1.

D. M. S.
AELIAE. AGRIPPINAE. CONIVGI
KARISSIMAE. HYPATICVS. AVGG. LIB
SVPPROC. XX

D De variis Procuratoribus, quorum aliàs meminimus, nihil repeto: iis tantùm immorabor, quos præterire non possum, quales sunt Actores & Procuratores rei privatæ. De Actoribus loquar tantùm qui in fisci commodis occupantur. Ii quidem servi sunt, quos Procuratores Cæsaris alienare vetantur, & si manumissi fuerint, revocantur ad servitutem[1]. Atque hi Actores parùm à Procuratoribus minoribus differebant, cùm eadem negotia tractarent. Hinc titulus C. T. *de Actoribus & Procuratoribus & Conductoribus rei privatæ,* qui ad solutionem canonum compelli possunt manu
E militari[2].

De hujusmodi Actoribus & Procuratoribus intelligendus est locus ille celebris Plinii in *Panegyrico*: Actori fisci & Procuratori dicere licet: *In jus veni: sequere ad tribunal.* Sors & urna fisco Judicem assignat. Licet rejicere, licet exclamare, *Hunc nolo: Eodem foro utuntur Principatus & libertas.* Quod de Procuratoribus Cæsaris accipiendum non est, de quibus idem Plinius: *Eos Procuratores habes, ut plerumque cives tui non alios Judices velint.* Hi enim Procuratores sunt rerum universarum, qui καθολικοὶ, quos in jus vocare non licuit, si quid in Officio deliquissent; sed ap-
F pellare Principem. At Actores & Procuratores rerum singularum, si quid in privatos ratione Officii peccassent, in jus vocari potuerunt, & extra ordinem à Judicibus ordinariis damnari.

Fuit Procurator per singulas Provincias puellarum filiarum Domus Augustæ[3]. Ex Inscriptionibus singulares alias Procurationes plurimas colligere

1 L. bonorum. & l. ne Procuratores. D. de jur. fisc. 2 L. 4. C. de exact. tribut. 3 L. unic. C. T. de privileg. dom. August.

gere possumus: inter quas una hæc multas complectitur, pag. 474. 4.

THEOPRAEPON. AVG. LIB
PROC. D. N. M. AVR. SEVERI. ALEXANDRI. AVG. PROVINC. ACHAIAE
EPIRI.ET. THESSALIAE. RAT. PVRPVRAE. PROC. AB. EPHEMERIDE. PROC.
A. MANDATIS. PROC. ET. AD. PRAEDIA. GALLIGANA. PROC. SALTVS. DOMITIANI

Ephemeris est diurna Actorum scriptura, Agellius *lib.* 5. *cap.* 18. ex libro Sempronii Asellionis primo: *Annales libri*, ait, *tantummodo quod factum quoque anno gestum sit*, *id demonstrabant*, *id est*, *eorum quasi qui diarium scribunt*, *quam Græci ἐφημερίδα vocant*.

Annales tamen à diurnis Actis Tacitus distinguit lib. 15. *Annal.* quasi illi res majoris momenti & scitu digniores contineant: Acta diurna nihil memoriâ dignum, quod ad posteros transeat. Ephemeris autem privatorum fuit & Principum, quo verbo ut vulgari & Latinitate donato M. Tullius usus est *pro Quintio*: *Discedens*, ait, *in memoriam rediit Quintius*, *quo die Roma in Galliam profectus sit*: *ad Ephemeridem revertitur*, *invenitur dies profectionis*.

Procurator ab Ephemeride Principis dicitur etiam à Commentariis Augusti in veteri lapide, pag. 587. 6.

TROPHIMO. VER. AVG
A. COMMENTA

Commentaria Principis, sunt diurna Acta, quibus dies etiam profectionis Magistratuum notantur; ut eorum qui Provinciis præsunt, & Procuratorum Cæsaris & Tribunorum militum, qui in Commentarium Augusti referebantur [1]. Hinc qui diurna judiciorum Acta excipiunt, Commentarienses dicti, qui & manu adnotant, si eorum potestas postuletur [2].

Procuratio Ludorum inter dignitates fuit. Tacitus lib. 12. *Annal. Præfectura annonæ*, inquit, *Senio Rufo*; *cura Ludorum*, *qui à Cæsare parabantur*, *Arruntio Stellæ permittuntur*. Idem Tacitus 11. *Annal. Sulpitius Rufus Ludi Procurator.* De publico Procuratore Ludi magni Inscriptio vetus, pag. 389. 7.

TI. CLAVDIO. ILO. PRAEFECTO
CLASSIS. PRAETOR. MISENI. PVB
PROC. LVDI. MAGNI

De Curatore Procurationis Ludi familiæ Gladiatorum Cæsaris hæc alia, pag. 376. 3.

L. BOVIVS. L. F. CVR. PROCVR. LVDI. FAMIL. GLAD. CAESARIS
ALEXANDREAE. AD. AEGYPTVM

Hic Curator Procurationis dicitur, id est, stationis Alexandriæ ad Ægyptum: variæ enim per Provincias Gladiatorum hujusmodi stationes fuerunt, pag. 402. 4.

1 L. abesse. D. ex quib. caus. major. 2 L. in fraudem, §. quoties, D. de jur. fisc.

A

L. DIDIO. MARINO. V. E. PROC
AVG. N. PROVINC. ARAB. PROC. FAM
GLAD. PER. GALLIAS. BRET. HISPANIAS. GERMAN. ET. TRATIAM. PROC
MINVCIAE. PROC. ALIMENTORVM
PER. TRANSPADVM. PROC. VECTIGALIORVM. POP. R. QVAE. SVNT
CITRA. PADVM. PROC. FAM. GLAD
PER. ASIAM. HY. GALAT. CAPPADOC
LYCIAM. PAMPHYL. CILIC. CIPRVM
PONTVM. PELAG

B

Hinc Gladiatores fiscales Capitolino in *Gordiano*. Atque hæc fortè causa fuit, cur Nero edixerit, ne quis Magistratus, aut Procurator qui Provinciam obtineret, spectaculum Gladiatorum, aut quid aliud ludicrum ederet, Tacitus lib. 13. *Annal.* Qui verò Procurator Minuciæ hac in Inscriptione dicitur, ad Minuciam porticum referri debet, quæ in octava fuit Vrbis Regione.

His Ludorum Procuratoribus, summi Choragii Procuratorem intermisceo, qui Romæ, pag. 42. 5.

C

HERCVLI. ET. SYLVANO. EX. VOTO
TROPHIMIANVS. AVG. LIB. PROC
SVMMI. CHORAGI

Choragia significant, & eos qui Ludorum instrumentum suppeditant, & locum, & qui solebant indumenta præstare, quæ olim Ædiles præbenda locabant. Plautus noster in *Persa*.

TOX. *Et tu tuam natam tamen*
Ornatam adduce lepidè, *in peregrinum modum.*
SAT. *Sed πόθεν ornamenta?* TOX. *Abs Chorago sumito*,
Dare debet, *præbenda Ædiles locaverunt.*

D

Choragium etiam pro choro accipitur: unde Comœdi & chorus Africano Jureconsulto [1]: nam chorus Cantorum est, qui certo numero constat, & in conviviis plurimùm adhibebatur. *In comessationibus nostris*, ait Seneca *epist.* 84. *plus Cantorum est*; *quàm in theatris olim Spectatorum fuit*; *cùm omnes vias ordo canentium implevit*, *& cavea Æneatoribus cincta est*, *& ex pulpito omne tibicinarum genus organorumque consonuit.*

Habuerunt etiam Tibicines Procuratorem suum, pag. 41. 4.

E

DIANAE. LVCINAE. INVICTAE
CN. POMPEIVS. CN. LIB. BARBVS
PROCVRAT. TIBICIN. ROM.

Possem & de aliis Procuratoribus librum unum implere, ni ex his, quæ dicta sunt, ceteri facilè intelligi possent.

Hæc ex diuturna vigiliarum mearum Ephemeride collegi, Præses amplissime, cùm primum vitæ tempus in forensi labore & domesticis litteris impenderem summa animi oblectatione: ut qui se ad istæc studia revocat, omne vitæ fastidium temperat. Lusi in iis colligendis diu, diuque in componendis desudavi. Etenim oblectatio illa tot

F

tantisque difficultatibus obruta est, ut maximas mihi molestias in his perquirendis & explicandis paraverit. Multa enim occurrunt, quæ solâ conjecturâ vix potui augurari: multa etiam quæ in varias importunorum hominum reprehensiones incurrent: nam hæ nostræ litteræ, quæ humaniores animos decent, quæque in ludo primùm parantur,

1 L. cùm ejusdem. D. de ædilit. edict.

rantur, hoc sæculo in arenam trahuntur; nec alia A studiosorum jam, quàm in ludo gladiatorio vita est. Sunt enim plurimi verborum aucupes & Retiarii syllabarum, quorum ars, & societas tanquam ferarum conventus esse videatur. Ludunt, illudunt, eludunt, & fatum extremum melioribus litteris portendunt: ita semper parato animo, ut famæ periculum subire malint, quàm alienam non rodere. Horum stultitiam contemnere, non imitari velim. Sed si feriant, modica declinatione munus fortè edidero, ne lusisse me operam arbitrentur. Pergam porrò, & opus perficiam, favente Deo: reliquumque vitæ tempus ita partiar & absumam, ut dum nulli me in foro labores implicant & constringunt, ea quæ rei litterariæ prodesse possunt, sed maximè cælestia, procurare contendam. Ita quidem ut nihil me scire judicem, nisi Christum, atque hunc Crucifixum: is enim solitudinis meæ fructus uberrimus, summam animi mei tranquillitatem alit, recreat, & fovet, omnibus fortunæ deliciis anteponendam.

FINIS.

H. F. SALOMON,

EX-PRÆT. BVRDIGAL. ET IN SENATU AQVITANICO PRÆSIDIS,

DE

JUDICIIS ET POENIS,

ITEM

DE OFFICIIS VITÆ CIVILIS ROMANORUM

COMMENTARIA.

INDEX CAPITUM.

LIB. I.

Cap. I. De Reis.
— II. *Quis ordo servabatur in Judiciis exercendis.*
— III. *De triplicibus Tabellis.*
— IV. *De sententiis Judicum aliquando viva voce conceptis.*
— V. *Reus non poterat domo extrahi.*
— VI. *De Accusatore.*
— VII. *De Toga perversa in Judicio capitali.*
— VIII. *Quales Judices.*
— IX. *Varia supplicia Reis confessis & convictis irrogabantur.*
— X. *Causa supplicii duobus modis exprimebatur.*
— XI. *De Crucis supplicio.*
— XII. *Quibus peculiariter supplicium Crucis destinatum est.*
— XIII. *Supplicium Crucis quando cœperit & desierit.*
— XIV. *De Laquei supplicio.*
— XV. *Vltimum supplicium extra Vrbem.*
— XVI. *Quo tempore supplicia sumebantur.*
— XVII. *Obductio capitis Reorum.*
— XVIII. *De supplicio Carceris.*
— XIX. *De pœna Gladii.*
— XX. *Nulla pœna veneni Romæ.*
— XXI. *Vtrum libera mortis facultas debeat Reis concedi.*
— XXII. *Venas incidere mortis causâ, an supplicium sit legitimum.*
— XXIII. *De pœna Culei.*
— XXIV. *Quid sit Percutere securi.*
— XXV. *Num Populus Romanus spectator fuerit suppliciorum.*
— XXVI. *De Crematione.*
— XXVII. *De pœna Deportationis, aut Relegationis.*
— XXVIII. *Quid Deportatio, quid Relegatio.*
— XXIX. *De pœna ad metallum.*
— XXX. *De pœna stigmatum.*
— XXXI. *De pœna dejectionis è saxo.*
— XXXII. *De Ministris suppliciorum.*
— XXXIII. *Cadavera damnatorum quò deferebantur, & à quibus asservabantur.*
— XXXIV. *Num cadavera damnatorum honore sepulturæ afficerentur.*
— XXXV. *Num Rotæ supplicium Romæ frequens ac usitatum fuerit.*
— XXXVI. *De variis SS. Martyrum cruciatibus.*
— XXXVII. *De suppliciis militaribus.*
— XXXVIII. *De Castigatione.*
— XXXIX. *De Ignominia.*
— XL. *A quibus plectebantur milites.*
— XLI. *Quæ fustium asperitas, & qui miles fuste percutiebatur.*
A — XLII. *De continentia in castris observata.*
— XLIII. *Mutatio victus.*
— XLIV. *De Missione ignominiosa.*
— XLV. *Gladiis objecti milites.*
— XLVI. *De Decimatione.*
— XLVII. *De Mulcta.*
— XLVIII. *De Exsilio.*
— XLIX. *Num milites ad metallum damnarentur.*
— L. *Num milites vivi exurerentur.*
— LI. *In quibus præcipuè miles peccare dicitur.*
— LII. *De Transfugis.*
— LIII. *De militibus cum moderatione puniendis.*
B — LIV. *Quæ militia vilior, quæ honoratior.*
— LV. *Pœna militis non taciturni merces.*
— LVI. *Militibus ignominiosa appellatio Quirites.*
— LVII. *De his qui accusare non possunt.*
— LVIII. *An pater filium, filius patrem accusare possit.*
— LIX. *Servos in Dominos, Libertos in Patronos non audiri.*
— LX. *An Magistratus accusentur.*
— LXI. *De Testibus.*
— LXII. *Qui ad testimonium dicendum non cogantur.*
C — LXIII. *De causis suspicionis in Testibus quibus repelluntur.*
— LXIV. *An Testis omnino venire debeat.*
— LXV. *De numero Testium.*

LIB. II.

Cap. I. De variis Officiorum significationibus.
— II. *Officium Togæ puræ.*
— III. *Quæ modestia desiderabatur in eo qui Togam puram sumeret.*
— IV. *Toga pura ralla vel pexa.*
D — V. *De Tunica.*
— VI. *De mutatione Togæ.*
— VII. *De Subucula.*
— VIII. *Officium barbæ positæ.*
— IX. *Officium Recitationis.*
— X. *Quæ olim recitabantur.*
— XI. *Officium Declamationis.*
— XII. *Officium Sponsaliorum.*
— XIII. *Officium Nominalium.*
— XIV. *Officium agnoscendorum liberorum.*
— XV. *Officium Advocationis.*
— XVI. *Advocationes in causis capitalibus.*
— XVII. *Officium Deductionis & Salutationis.*
E — XVIII. *Officium Sportularum.*
— XIX. *De Officio Conviviorum.*
— XX. *Morituri decenter ab Amicis compositi.*
— XXI. *Officium Funeris.*
— XXII. *Quo tempore cœperit & desierit Crematio cadaverum.*

H. F. SALOMON,

EXPRAET. BVRDIGAL. ET IN SENATV AQVITANICO PRÆSIDIS;

DE

JUDICIIS ET POENIS ROMANORUM

COMMENTARIA.

Caput I.

De Reis.

FActurum operæ pretium me putavi, si breviter ordinem Judiciorum antiquorum apud Romanos tàm publicorum quàm in causis privatis explicuerim: multoque compendio studiosos, ut spero, juvabo, si illis materiam, tot voluminibus fusè enarratam ab aliis, in epitomen contraxerim. Insistam præcipuè in edisserendis Judiciis capitalibus, in quibus Actor & Reus, ut causæ primariæ & personam necessariam sustinentes, interventu Judicis totam fabulam absolvunt. De Reo præfari oportet, cujus miserabilis conditio vel ex ipso corporis marcidi habitu squalido, vultus colore lurido, promissa barba, incomto capillitio & veste sordida luctuosa spectantibus apparet: unde & barba Reorum in proverbium venit apud Poëtam Martialem. Vbi verò Reus absolutionem consecutus erat, capillos barbamque deponebat, & comtior, imò ornatus Diis gratias redditurus Capitolium adscendebat cum ingenti & læto amicorum & necessariorum simul de successu exsultantium comitatu; & postquam Judices gestu & voce reveritus erat, benevolosque spectatores salutaverat, Advocatos, qui supplicis defensionem susceperant, invisebat, & de patrocinio gratus Cliens gratulabatur. Quod exprimit Martialis *lib. 2. epigr.* 74.

Quanta reduci Regulus solet turba,
Ad alta tonsum templa cùm Reum misit.

Cap. II.

Quis ordo servabatur in Judiciis exercendis.

POpulus Romanus inquirebat & judicabat de criminibus publicis palàm & in rostris. Crimen Rabirii, si crimen fuit, quia Saturninum interfecisset, delatum est ad Populum, ut ad legitimum sceleris publici cognitorem & Judicem.

A Sic ferè omnia judicia stante Rep. coram Populo peracta sunt. In causis privatis Prætor occupabatur. Vt autem intelligatur qua ratione judicia exercerentur: primùm ad quæsitorem nomen Rei deferebat ille, qui accusare paratus erat, & accusationem recipi postulabat, & qua lege Reum faceret profitebatur; subscribebat deinde in crimen, id est, ut Vlpianus interpretatur, subscribebat libello se professum esse. Reo autem ad Prætorem tracto ita instituebatur actio, scio te Clodium occidisse. Quod si Reus nequaquam contradicebat, lis æstimabatur die dicto; sin negabat, à Magistratu dies inquirendorum criminum petebatur,
B hoc modo Reus dicebatur legibus interrogari: post eam verò interrogationem Reus in reatu institutus dicebatur, si Asconio credimus, qui Reum fieri nihil aliud esse ait, quàm apud Prætorem legibus interrogari. Recepto Rei nomine Prætor plerumque jubebat die decimo utrumque & Accusatorem & Reum adesse, & spatium dabat Accusatori ad probationes conquirendas.

Jam quod spectat ad Judices, Prætor eos ex Decuriis inscribebat, eorumque nomina in urnam mittebat, & ex eis numerum necessarium sortiebatur, & Judices jurejurando adigebat, ut rectè
C & sine acceptione Personarum judicarent, nec gratiâ, nec invidiâ partium. Die verò cognitionis Judices jubebant Accusatores & Reos à Præcone citari. Quòd si citatus Accusator nec respondisset, neque excusatus esset, accusatus eximebatur è numero Reorum, & innocentiam suam silentio Accusatoris confessam proclamabat. Sin judicio Reus & Accusator aderant, Oratoribus dicendi potestas fiebat. Citabantur Testes, palamque & publicè interrogabantur, eorumque dicta in promtu refellebantur. Causâ utrimque peroratâ Præco pronuntiabat, Oratores exegisse. Tunc Judices accipiebant tabellas, easque triplices, absolutionis, damnatio-
D nis, & ampliationis. Aliquam earum inscriptam necesse habebant Judices in urnam conjicere, huic rei destinatam. Hæc singula sed tumultuariè congesta habemus apud Asconium Pædianum Ciceronis Interpretem.

CAP. III.

De triplicibus Tabellis.

NE subesset locus invidiæ aut suspicioni, fuere sæpius datæ sententiæ per tabellas: sic apud Athenienses in testa scribebantur, ut narratur Aristides ipse pro imperito Atheniensi suam damnationem scripsisse, rationem sciscitatum nullam aliam retulisse, quàm offensum illum esse ingenti fama probitatis tanti viri. At verò Romanis tres afferebantur tabellæ, absolutionis, condemnationis, & ampliationis. Notum est quibus notis impressæ fuerint hæ tabellæ. Nota condemnationis erat figura elementi Græci Θ, ut littera A. seu alpha, nota erat absolutionis. Illud verò theta non solùm Reum condemnatum significabat, sed etiam ut animadverteretur quodcumque in aliquibus scriptis culpandum, delendum, aut expungendum videbatur. Dicta verò & facta, quæ laudabilia existimabant, litterâ L. Romanâ, vel Ξ. Græcâ notabantur; de theta improbationis notâ legitur apud Sidonium *Panegyr. ad Felicem*,

Ipse qui volet exarationi
Discretum bonus applicare Thetâ.*

Quæ observatio facit ad explicationem carminis Persii *sat.* 4. ℣. 13.

Et potis est nigrum vitio præfigere Theta.

Duplex enim sententia dari potest: prior, quasi diceret, tu potes scelestis & vitiosis hominibus mortem infligere; cujus symbolum erat theta Græcorum, quasi initium vocis Θάνατος; vel alio sensu, tu potes propter ingenii tui dexteritatem laudare quæ sunt honesta & pulchra, quæ verò deformia & vitiosa notare & proscribere, & diversis dictis, factis, aut moribus theta defigere; quod adeò mortis signum vulgare intelligebatur, ut hac etiam littera milites mortui designarentur.

CAP. IV.

De sententiis Judicum aliquando viva voce conceptis.

JUdices verò non semper sententiam suam per tabellas dedere, sed etiam conceptis interdum verbis pronunciabant, videlicet iniquam rem non constat esse factam, sed videri: cujus antiquitatis plurima vestigia supersunt. Sic M. Tullius in *Oratione 4. contra Verrem: Omnium*, inquit, *sententia fuit pronunciatum non videri veniam impediri Edicto.* Sallustius in *Catilin. Consulente*, ait, *Cicerone frequens Senatus decrevit Tarquinii judicium falsum videri.* Cornel. Tacitus *lib.* 14. *pronunciemus ultro Dominum cælum videri.*

CAP. V.

Reus non poterat domo extrahi

DIximus suprà Reum & Accusatorem lite contestata citari à Prætore: Plutarchus verò in *Vitis Gracchorum* testatur, quòd si quis capitali judicio accusatus non veniret, ut se defenderet, tunc eum Præco ciebat; domum tamen ejus non ingrediens, sed solùm ante domus januam consi-

* Alii leg. *districtum.*

A stens, eum vocabat. Qui verò Reus domi latitabat, neque sui copiam faciebat publicè, non poterat tamen domo abstrahi ut in jus arriperetur. Est enim veteris juris definitio & effatum, neminem invitum domo sua extrahendum: magna enim est domicilii cujusque prærogativa tanquam templi & sacrarii privati: habet enim quisque domi suæ Lares, Penates, & Divos tutelares, quos violare piaculum erat, attrectare violenter nefas.

B

CAP. VI.

De Accusatore.

ACcusatoribus aliquibus præmia proposita, quorum dulcedine ad accusandum pelliciebantur: præmia partim legibus ipsis, ex quibus crimen intendebatur, definita erant, partim æstimatione illius, qui de crimine cognovisset, constituebantur. Hoc verò quæstu cùm turpiter multi rem suam facerent, temporumque licentiâ & Dominantium iniquitate ad calumnias abuterentur, gravi postea supplicio in genus hoc hominum crudele sævitum est pro varietate formæ Reip. ut Historici scriptum reliquerunt. M. Tullius in *Oratione pro Sexto Roscio*: *Minatur in fronte ejus falsi accusatoris stigma*; constat enim in fronte calumniantium litteram C. vel D. inuri solitam: quin etiam Titi & Trajani bonorum Principum ætate iidem Calumniatores exsilio, gravioribusque aliis pœnis coërciti sunt, ut refert Suetonius in *Tito* cap. 8. Eandem pœnam Delatoribus à Trajano inflictam Plinius laudat in *Panegyrico.*

C

D

CAP. VII.

De Toga perversa in Judicio capitali.

MEmorabile illud sanè, quòd togâ prætextâ à Judicibus positâ ferretur judicium, ut docet Seneca lib. 1. *de Ira* cap. 16. Itaque erat perversa toga induenda Magistratui: si convocanda Plebs classico, procedat probus Judex in Tribunal, non furens, non infestus, sed vultu lenis, & solemnia verba gravi magis quàm turbida voce concipiat, lege, age, virgas expedi, Lictor.

E

CAP. VIII.

Quales Judices.

MEmini notanda esse multa de Judicibus in Oratione Catonis *pro Lege Oppia*, quibus addam, illos Reis puras manus præstare debere; tum in causæ disceptatione æquitatem singularem: fieri autem sæpius, ut sententiam ferant, quæ non ex juris præscripto, aut æquitatis fontibus hausta sit, sed ab affectu, ubi domicilium est omnium perturbationum, & à calore hepatis exundanti, ubi concupiscentiæ sedes perhibetur, unde avaritia, amor, odium: aut à corde, ubi penetrale iræ dicitur constitutum. Tales sententiæ à M. Tullio, in *Oratione pro Domo sua*, vocantur libidinosæ. Apud Thebanos Judicum imagines mutilæ ponebantur sine oculis & manibus, quarum privatione significabatur abstinentia, quam Judices profiteri tenentur ex legis Cinciæ præcepto. Multi tamen incontinentes, rapaces & avari, domivori & visceripetæ suas sordes tuentur, qui nisi donis aut promissionibus invitentur ad jus reddendum, aut improbè, aut cunctanter judicant. Vbi autem litigantes visceratione illis fecere, tandem aliquan-

F

quando sciunt de jure se orari, vel de injuria exorari. Quando verò in delictis connivent, dissimulant, contra præceptum Catonis dicentis, Judicem nec de jure certo obtinendo orari, nec de injuria exorari debere.

CAP. IX.

Varia supplicia Reis confessis & convictis irrogabantur.

SUpplicium de Reis sumitur non tàm quia peccaverunt, quàm ne alii eorum exemplo peccent confidentiùs. Impubes autem olim maturus supplicio non putabatur: hinc apud Dionem scriptum est *lib.* 47. jussum à Triumviris puerum quendam sumere togam virilem, ut scilicet jure videretur posse interfici. Inauditum verò fuit virginem affici supplicio. Lipsius arbitratur, in *Commentariis* suis *in Annales Taciti*, non aliam subesse causam, quàm quia virgo non esset adhuc plena annis, vel in honorem virginitatis id fuisse concessum. Itaque ut virgo rea mulier fieret, Carnifex illius florem delibabat virgineum priùs quàm supplicium pateretur. Suetonius in *Tiberio*, viginti inter Reos abjecti uno die pueri, & fœminæ, immaturæ puellæ, quas de more nefas esset virgines strangulari, compressæ & devirginatæ priùs à Carnifice, deinde strangulatæ. Varia verò fuere supplicia, quibus noxii damnati torquebantur. Primum satis liquet ad transtra sive remos & triremes mitti solitos. Qui se filium Octaviæ sororis Augusti mentiebatur, ipsius jussu remo addictus est, teste Valerio *lib.* 9. quâ pœnâ falsum Sebastianum, ut arguebat, Philippus secundus affecit. Primum illudque ultimum supplicium refert Titus Livius *lib.* 1. *cap.* 28. apud Romanos sumtum de Metio Suffetio, qui ob pactum perfidiosè ruptum binis quadrigis alligatus in diversa nitentibus raptus & dilaceratus est.

CAP. X.

Causa supplicii duobus modis exprimebatur.

CUm de aliquo supplicium sumeretur apud Romanos Præco viva voce, vel per inscriptionem, crimen exponebat, cujus causâ in sontem animadvertebatur. De Præcone passim occurrunt exempla. Spartianus testatur quemdam fustibus cæsum sub hoc Præconis elogio: *Legatum Populi Romani homo plebejus amplecti noli.* De inscriptione obvii etiam sunt loci: instar multorum erit Martialis *lib.* 1. *epigr.* 4. ubi delator traducitur per Urbis porticus cum titulo, in quo crimen falsæ delationis, sycophantiæ & calumniæ continetur:

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,
Quæ semper miseras sollicitabat opes,
Traducta est titulis.

CAP. XI.

De Crucis supplicio.

CRux præibat reliquas pœnas capitales in gravitate supplicii, si magnitudinem infamiæ & dolorum diuturnitatem spectemus; diuturnitas & duratio cruciatus satis nota: quia penduli, & ligno affixi aut alligati, morte producta necabantur. Diu autem vivere in cruciatibus teterrimum

A supplicium habetur, unde Prudentius in agone S. Laurentii sic loquentem Tyrannum inducit:

Perire raptim non dabo:
Vitam tenebo, & differam,
Pœnis moratam jugibus;
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.

Cui potest non præposterè annecti quod Seneca scribit lib. 2. *de Beneficiis* cap. 5. *misericordiæ genus est, citò occidere.* Quare etiam duratio pœnæ considerabatur in cruce, quia traducebatur Cruciarius B per urbem virgis, flagris, aut scorpionibus, vel loris cæsus. Flagella erant asperrima, adeò ut scripserit Ulpianus multos sub flagellis occubuisse, cùm insertis ossiculis aut clavis asperarentur: infamiæ magnitudo ex eo intelligebatur, quòd per compita & vicos Cruciarius ferale lignum circumferebat, & suffixus à cunctis adspiciebatur.

CAP. XII.

Quibus peculiariter supplicium Crucis destinatum est.

C SErvi Crucis supplicio afficiebantur, unde servus apud Plautum ait in *Milite Glor.* Act. 2. Sc. 4. ℣. 19.

Noli minitari; scio crucem futuram mihi sepulchrum,
Ubi mei majores sunt siti.

Non tamen addicebantur servi huic supplicio nisi propter gravissimum aliquod scelus, ut falsam delationem in Dominum, machinationem, insidias D structas & fugam. Itaque Horatius *lib.* 1. *sat.* 3. invehitur in heros, qui propter leve delictum servos in crucem tollebant,

Si quis eum servum; patinam qui tollere jussus,
Semesos pisces; tepidamque liguriit offam,
In cruce suffigat, Labeone insanior, inter
Sanos ducatur.

Veruntamen liberi homines cruce suspendebantur, sed viliores aut nocentiores, quales latrones, piratæ, prædones, sicarii, falsarii.

E

CAP. XIII.

Supplicium Crucis quando cœperit & desierit.

TItus Livius *lib.* 1. auctor est, Crucis supplicium sub Tulli Hostilii principatu habuisse originem: nec obstat quod Cicero *Orat. pro Rabirio* Reo perduellionis referat verba illa funesta, *Lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici suspendito*, fuisse Tarquinii: nam populariter & ad F causam adjecit, ea verba non à Tarquinio tanquam ab auctore primario traxisse principium, sed illo dignissima, & apud eum crebrò in usu fuisse. Constantinus verò Magnus crucem è numero suppliciorum exemit ac sustulit, ratus venerandam illam figuram & lignum colendum vilescere in pœnis damnatorum nefas esse & piaculum.

CAP. XIV.

De Laquei supplicio.

SUpplicium Laquei apud Romanos stante Rep. non ita frequens in Jurisconf. Scriptis reperitur: illius enim uno tantùm in loco Pandectarum fit mentio, *l. aut damnatum. §. 1. ff. de pœnis.* Cùm verò crux à Constantino sublata est, major esse cœpit usus laquei, nec dubitandum est, supplicium laquei sumtum à nocentibus in carcere dumtaxat. In *Aulularia* Plauti cùm anus avari Euclionis in desperationem adducta Heri verberibus & conviciis, de vita finienda laqueo deliberat, ait,

—— neque quicquam melius est mihi,
Ut opinor, quàm de me ut unam faciam litteram
Longam, meum laqueo collum quando constrinxero.

Quæ sit apud Comicum littera longa quæsitum est ab Eruditis, aliis L. aliis I. aliis T. videtur, qui enim pendent has figuras exprimunt.

CAP. XV.

Ultimum supplicium extra Urbem.

IN veterum Auctorum lectione deprehendimus, Carnificem intra pomœria Urbis non habuisse domicilium, quoniam muri fiebat quædam consecratio; quâ velut azylo Cives servari non exstingui decuit, imò funeribus polluebantur; unde sepulchrea ferè extra Urbem: sic & supplicia extra muros fieri solita, qui mos ex Urbe Roma in Provincias manavit, damnatos ultimo supplicio extra portam deduci: quam ob rem Mamertini in Sicilia, teste Cicerone *Actione* 3. *in Verrem*, more atque instituto suo crucem in Via Pompeji extra Urbem fixerant, quam deinde Verres in ea parte, quæ ad fretum & portum spectaret, jussit refigi. Dominus quoque & Salvator noster, cùm pro peccatis & sceleribus humani generis ipse innocens victima in cruce immeritas sed gravissimas pœnas luiturus esset, insons pro noxio habitus, in Calvariæ collem extra portam urbis adductus est: sic in Castris numquam miles ultimò supplicio afficiebatur, sed ducebatur extra vallum ut capite plecteretur, apud Vegetium.

CAP. XVI.

Quo tempore supplicia sumebantur.

INterdiu non noctu sumtum de Reis supplicium Romæ, ait Seneca lib. 3. *de Ira* cap. 1. feriatis festisque diebus non licet agere in capitis Reos, sed differre supplicium oportebat in profestum & negotiosum diem. Tiberius apud Suetonium *cap.* 60. subit maculam, quòd nullus à pœnis hominum cessaverit dies, ne religiosus quidem & sacer: idem Tiberius apud Tacitum lib. 4. *Annal.* passus est, ut in quosdam Reos animadverteretur ineunte anno novo, id est, Calendis Januariis, quas prisci Romani otio dicaverant, & feriatas esse jusserant. Itaque cùm quidam Sabinus traheretur in supplicium, exclamavit, *sic licet annum inchoare.* Diebus festis intercedentibus pœnam dilatam fuisse constat, eamque consuetudinem apud Athenienses viguisse docet Xenophon *lib.* 4. ubi quanta cum animi fortitudine atque constantia Socrates mortem oppetierit narratur, quando post damnationem per dies triginta in carcere certus de pœna sua per-

A mansit, quia illo mense sacra Delia peragebantur, quæ supplicio polluere religio vetabat.

CAP. XVII.

Obductio capitis Reorum.

REi, cùm ducebantur ad supplicium, caput habebant velatum, ne forsan atrocitate supplicii nimium territi & expavescentes occiderent, aut spectantium opprobriis vexati: cujus vetustæ consuetudinis non unicum est testimonium; illud
B *Orationis pro Rabirio*, *Lictor, caput obnubito.* Egesippus *lib.* 5. *cap.* 42. ait, *Dum percussor nimis moratur, Reus vinctis & clausis fasciolâ oculis se proripuit.* Sic Ammianus Marcellinus, *Carnifex rapinarum sequester, obductio capitum, & bonorum ubique mulctatio.* Q. Curtius *lib.* 6. *Dum ei obligantur oculi, dum vestis exsuitur, Deos invocabat.*

CAP. XVIII.

De supplicio Carceris.

C PRo ratione delicti à Judicibus pœna definiebatur: Horatius in eam rem ita cecinit,

—— —— adsit
Regula, peccatis quæ pœnas irroget æquas;
Ne scuticâ dignum horribili sectere flagello.

Graviori scilicet delicto gravius supplicium, leviori noxæ levior pœna, infligitur. Etsi verò carceres ad continendos homines & ad custodiam, non ad pœnam, Reorum instituti videantur, interdum tamen ad castigationem delinquentium assignati sunt; sic Cicero 2. *in Catilin. Sentiet in hac Urbe
D esse carcerem, quem vindicem nefariorum Majores nostri esse voluerunt.* Pœna carceris, licèt levissima censeatur, tamen morti sæpius æquiparatur, imò gravi morte crudelior; plerique carcerem inferos appellant: unde Cassiodorus ad Imperatorem: *Ex Averno tuo victuros Reos remitti dum imperas, redeunt ad Superos, qui magna ex parte inferos pertulere.* Jure verò Civili perpetui carceres prohibiti sunt, *l. mandatis. ff. de pœnis*, quamquam recensere possemus exempla Damnatorum ad perpetua vincula, ut apud Valer. Maximum *lib.* 6. *cap.* 3. de Cajo Labieno *; bonis publicatis ad æterna vincula damnato, quia ipse sibi sinistræ manus digitos præci-
E derat, ne bello Italico militaret. Tiberius magnam partem Plebis & Decurionum in perpetua vincula conjecit, auctore Suetonio. Posterioribus temporibus multi apud Christianos in Monasterium detrusi, & tonsi in pœnam. At verò prima Reip. Romanæ ætate unicus, & in mea urbe, constitutus est carcer ad terrorem crescentis audaciæ; unde Juvenalis *sat.* 3. ℣. 312.

—— —— felicia dicas
Sæcula, quæ quondam sub Regibus atque Tribunis
Viderunt uno contentam carcere Romam.

F
CAP. XIX.

De pœna Gladii.

POena gladii erat, quâ in sontem Gladio animadvertebatur, ita ut caput sonti amputaretur; sive decollatione, aut obtruncatione, quæ non gladio solùm, sed & securi fiebat. Non autem intelligenda est pœna gladii, Gladiatorum decertatio, etiamsi aliquando in pœnam, sævitiâ Imperatorum,

* In Edit. *Vettieno*,

rum, etiam Senatores ad gladiatorium exercendum certamen adigeret. Constantinus Imperator sacrilegos temeratores justarum nuptiarum gladio percuti jussit, *l. quamvis. Cod. ad legem Juliam de adulteriis.*

CAP. XX.

Nulla pœna veneni Romæ.

ETsi antiquitus Athenienses venenum pœnæ causâ damnatis propinarent, illa tamen pœna nec Romanis legibus approbata, nec moribus recepta fuit. Eufrati quidem Philosopho concessit Adrianus Imperator ut cicutam biberet, teste Xiphilino; verùm responderi potest, Principes usurpare posse quod aliis Magistratibus non licet: Princeps enim alicui Reo vel damnato non solùm legitimum, sed etiam extraordinarium supplicium potest determinare; quia ipse duriores casus & tristiorem fortunam Imperatoria humanitate solet mollire, legumque rigorem pro clementia sua temperare suppliciis moderatioribus, ut ait Symmachus *ep.* 8. *lib.* 1. Theodosium & Arcadium pœnas commutare solitos. Fuit Massiliæ quondam veneni præbitio nota, ubi poculum cicutâ temperatum publicè custodiebatur, eique offerebatur, qui causam sexcentis viris exposuisset, propter quam mortem approperare vellet cognitione utili benevolentia temperata, quæ nec egredi vitâ temerè patitur, & sapienter excedere cupienti celerem fati viam præbet, ut vel adversa, vel prospera nimis fortuna comprobato exitu terminetur, adversa-ne perseveret, prospera-ne destituat. Sed hæc apud Ethnicos laudata, apud Christianos exsecranda, vix etiam apud Romanos tolerata ante bella civilia, idque ad vitandam Tyrannorum rabiem.

CAP. XXI.

Vtrum libera mortis facultas debeat Reis concedi.

JUdices non habent liberam concedendi facultatem Reis mortis optionem: adeò ut ipsi damnati possint genus necis eligere, neque ex arbitrio suo perire: imperatum tamen illud Reis in solatium potest Princeps permittere, ut genus lethi, quod subire malint, optent. Domitianus Ocellatis sororibus incesti accusatis liberam mortis facultatem dedit, apud Suetonium in *ejus Vita* cap. 8. Idem sic aliquando Senatum adlocutus fertur, *Permittite, Patres conscripti, à pietate vestra impetrari, quod scio nec * difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis.* Sic Clarentiæ Dux submergi vino Malvatico obtinuit; & Carolus Infans Hispaniæ, Philippi secundi filius, nece, quam minùs exhorruerat, sublatus fertur.

CAP. XXII.

Venas incidere mortis causâ, an supplicium sit legitimum.

INcisio venarum mortis causâ inter supplicia ut recenseam facilè adducor: cùm aliqui Imperatores Proscriptis genus hoc mortis liberum reliquerint, ne aliàs sæviori etiam mulctarentur. Vnde Neronis dictum immanius quàm festivum, venas incidere mortis causâ idem videri quod curari. Suetonius in *ejus Vita* ait, Neronem mori jussis non ampliùs quàm horæ unius spatium cum clepsydra dedisse; ac ne quid moræ interveniret, Medicos admovebat, qui cunctantes continuò curarent: ita enim vocabat venas mortis causâ incidere.

* In Edit. legitur, *me.*

CAP. XXIII.

De pœnâ Culei.

SUb Tarquinio Prisco supplicium Culei cœpit usurpari, & sacrilego, qui Libros Sibyllinos transcripserat, infligi. Postea culeus destinatus fuit parricidiis puniendis: qui enim parentem interfecerunt, horrendum sacrilegium admisisse videntur. At verò sexcenti anni effluxerant Romæ, quibus nulla facta erat mentio de parricidio. Cæterùm soli confessi Parricidæ culeo insuebantur; in cujus rei memoriam Suetonius in *Octavio* cap. 33. dixit, jus non diligentiâ modò, sed & lenitate summa, si quidem manifesti parricidii Reum, ne culeo insueretur, (quòd nonnisi confessi Rei hac pœna afficiebantur) ita fertur interrogasse, *Certè tuum patrem non occidisti.* Quia verò inclinante Imperio culei usus non ita frequens, imò potiùs desiisset, renovavit id genus pœnæ Constantinus Imperator, quâ manifesti & confessi Parricidæ meritò plecterentur.

CAP. XXIV.

Quid sit Percutere securi.

NEmo nescit damnationem ad gladium decollationi respondere; observandum porrò prioribus Reipub. temporibus Reos non decollari gladio solitos, sed securi: nam damnati ad palum deligabantur, & extensa cervice feriebantur securi, vel dolabrâ, quâ truncabatur caput; sic apud Livium Manlius jussu patris securi percussus. Sic Tullius *Actione* 5. *in Verrem*, & Lucanus *lib.* 8. ỳ. 673.

—— *nondum artis erat caput ense rotare.*

CAP. XXV.

Num Populus Romanus spectator fuerit suppliciorum.

NOtatum est sæpius apud veteres Historicos Populum Romanum adspectu & contactu Carnificis & damnati pollui horruisse: unde forsan colligi posset, eum non interfuisse suppliciis, eorumque executioni præsentiam suam vix aliquando commodasse. Verumtamen quia supplicia de scelestis sumuntur, ut pœna ad paucos, metus ad omnes pertineat, ideo Populus Romanus iis spectator aderat: exempla enim desinunt esse exempla, nisi aliorum animos oculosque in se vertant. Quintilianus 5. *Declamat.* ait, quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, ubi plurimi intueri, plures commoveri hoc metu possint: patibula enim juxta vias poni solebant. Sic Alexander Eunuchum in crucem tolli jussit prope viam, quâ ipse cum servis & famulitio ad suburbana commeabat.

Cap. XXVI.

De Crematione.

CRematio vivi, seu vivicomburium, non admodum frequens quondam fuit, ut licet intelligere ex *lege Capitolium. ff. de pœnis*: Opilius adulterii Reos semper vivos simul incendi pronuntiavit, ut scribit Apulejus in *Floridis*. Cùm verò ea plerumque pœna foret servorum, expedit observare, pœnas non unius ejusdemque generis fuisse, alias scilicet aliis graviores, quæ infligebantur non modò ratione criminis admissi, verùm etiam Personarum; quemadmodum enim atrocium injuriarum æstimationem ex eorum persona, qui contumeliam intulerunt, & qui acceperunt, crescere dicimus; ita cæterorum delictorum, seu criminum varias pœnas graviores aut leviores pro ipsorum Reorum qualitate infligi Auctores docent: & ideò fit, ut idem crimen commissum leviori supplicio in honestiores & ingenuos vindicetur, sæviùs in Cives humiliores, plebejos, famosos & libertinos, aut quoscunque Peregrinos, animadvertatur: servi autem de eodem crimine convicti graviùs etiam, quàm reliqui omnes, puniuntur; itaque humiliorum & famosorum hominum ut servorum pœnæ singulares, & quasi peculiares fuere; crux, crematio, vincula, lora, damnatio ad metallum, & ad remos, seu transtra. Honestiorum verò propria supplicia, decollatio, deportatio, relegatio, exsiliumque.

Cap. XXVII.

De pœna Deportationis, aut Relegationis.

SErvi easdem pœnas non subeunt, quibus honestiores, altiores & splendidiores viri subjiciuntur: cùm ergo ingenui homines noxii deportarentur, vel relegarentur, vel mitterentur in Insulam, fieri non potuit ut exsilium servis puniendis conveniret: in contrarium movetur Accursius Constantini Imp. quem laudat, auctoritate, ita tamen ut ipse sibi non constet, sed transfugæ & exploratoris more ultrò citròque abeat. Verba Imperatoris hæc sunt *lege* 8. *Cod. de sepulcro violato*: *Si servus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, si id sine Domini scientia fecerit, metallo addicatur; sin verò Domini auctoritate, plectetur relegatione.* Difficilis sanè nodus, cui dissolvendo nequicquam adhibeas Legulejos, sed cultiores & sapientiores ex Jurisconsultorum Schola. Petrus Faber lib. 2. *Semestrium* posterius membrum Rescripti Constantini non utique ad servum, sed ad Dominum ipsum referri autumat, ut ipse, cujus mandato & jussu servus sepulchrum violaverat, in Insulam deportaretur, non item servus.

Cap. XXVIII.

Quid Deportatio, quid Relegatio.

SUb Imperatoribus deportatio & relegatio successere in locum exsilii, in morem Ostracismi Attici institutum. Gravior est deportatio, quia perpetua, vel in Insulam extra commercium positam damnatio, *l. inter pœnas. ff. de interdictis*; deportatus amittit Civitatem, liberos in potestate non retinet, patitur bonorum publicationem. Relegatio est, cùm quis jubetur Patriæ fines exire, civitatis jura non tollit, nec patriam potestatem, nec testamenti factionem.

A

Cap. XXIX.

De pœna ad metallum.

DAmnabantur ad metallum, sive opus publicum, plebeji & humiliores ingenui, non verò illi qui erant in aliquo dignitatis gradu constituti, nec Senatores, nec ex Ordine Equestri: quamobrem notatur à Suetonio sævitia Caligulæ, qui multos honestos, & patricios, vel Equestris Ordinis, deformatos stigmatum notis & turpiter inustos, ad me-
B talla & viarum munitiones, & ad bestias condemnavit, aut medios serrâ dissecari jussit.

Cap. XXX.

De pœna stigmatum.

NOxiorum servorum frons inurebatur stigmatibus; verùm Constantinus Imp. Christianus vetuit, ne in facie, quæ imaginem Dei refert, sed in manibus aut humeris, vel tergo, stigmata in
C posterum scriberentur, *l. si quis in metallum. Cod. de pœnis.*

Cap. XXXI.

De pœna dejectionis è saxo.

DEjectio de saxo fuit olim pœnæ genus ordinarium & legitimum Romæ nascentis exordio; & vigente Rep. affectatæ Tyrannidis Rei dejiciebantur, ut de Manlio scribit Plutarchus in *Camillo*; & pariter delati falsi testimonii post accusationem
D convicti ex A. Gellio *lib.* 20. *cap.* 1. tum qui cædem de dolo admisisse dicuntur, ut ait Dionys. Halicarn. *lib.* 8. Plutarchus verò in *Romulo* generaliter ait ex saxo Tarpejo sontes deturbari solitos. Supplicium præcipitationis jam inde post leges Porciam & Valeriam frequentari desiit Romæ, & paulatim obsolevit; ita ut non posse aliquem sic damnari, ut de saxo præceps ageretur, responderit Modestinus J. C. *l. si dicitur. §. ultimo. ff. de pœnis.* Quanquam invenio sub Tiberio è saxo Tarpejo fuisse præcipitatos plerosque Reos, quod illorum temporum sævitiæ datum est, quibus in
E enorme genus crudelitatis Tiberius erumpebat.

Cap. XXXII.

De Ministris suppliciorum.

STante Rep. per Carnifices & Lictores, interventu Triumvirorum Capitalium, sumebantur supplicia: verùm postquam summa Reip. cessit unius imperio & libidini, qui Princeps & Imperator dicebatur, omniumque Magistratuum munia solus usurpabat, jam non Triumvirorum, sed vel Centurionum aut Tribunorum in præsentia, ex-
F trema supplicia Romæ, non modò per Carnificem, Tortorem, vel Lictores, sed plerumque per milites, etiam ex Principis aut Senatus auctoritate, inferri solita legimus. Ita Seneca cap. 32. lib. 3. *De Ira*, Miles decollandi artifex quibuscunque è custodia capita amputabat; sic Suetonius in *Octavio* cap. 27. & in *Caligula* cap. 13. Corn. Tacitus lib. 3. *Annal.* Non prætermittam, quòd à Pilati militibus Servatorem nostrum cruci suffixum fuisse Evangelistæ significant, & in Actis Martyrum Rom. Ecclesiæ milites, Tortores, aut Spiculatores, vel satellites vocantur Carnifices, qui

Martyres excarnificabant. Quin & Præsides Provinciæ adfuisse agonibus quorumdam Sanctorum commemorantur.

Cap. XXXIII.

Cadavera damnatorum quò deferebantur, & à quibus asservabantur.

DAmnatorum corpora uncis protrahi solita in gradus & scalas gemonias & affigi Auctores docent, iisque adjici custodes jussu Magistratuum milites, donec consumta & putrefacta diffluerent, ne aliquis ea forsan ad sepulturam substraheret. Hunc morem Petronius in *Satyrico* refert: Cruciarii Propinqui ut viderunt laxatam custodiam, detraxerunt cruci pendentem, supremoque mandaverunt officio; sicque illud ex veteri consuetudine in morte Redemtoris nostri observatum, donec divinum spiritum Patri commendatum exhalasset, Centurio cum cohorte ipsius custodiendi causâ remansit: milites quoque sepulchro custodes dati, id ultra consuetudinem nimia cautione Judæorum, quod passa est divina Providentia, ut totidem essent testes gloriæ resurgentis Domini, quot vigiles humana astutia malignitasque apposuisset.

Cap. XXXIV.

Num cadavera damnatorum honore sepulturæ afficerentur.

COnstans opinio est corpora damnatorum non meruisse sepulturam, sed morticinia eorum abjecta feris laceranda. Tiberius Gracchus, interfectus propter seditionem excitatam, inhumatus jacuit, ut observat Plutarchus in *Graccho*. Verumtamen plerumque Propinqui à Magistratibus impetrabant, ut ipsis redderentur cremanda, aut ut humi mandarentur. Tullius *Actione 5. in Verrem* instar multorum testis erit, qui redemtam pretio à parentibus sepeliendi filios, Prætore in Sicilia Verre, potestatem ipsi exprobrat; nam aliàs illorum, ait, liberi gladio aut securi percussi feris aut avibus objiciebantur; hoc si luctuosum esset parentibus, redimebant pretio sepeliendi libertatem.

Cap. XXXV.

Num Rotæ supplicium Romæ frequens ac usitatum fuerit.

NEc Romæ, nec apud exteros Populos membrorum confractio solita est usurpari: nam quòd tormenti rotæ meminit Aristophanes in *Pluto*, id ad molam pistrini referre licet. In Galliam è Germania illatum fuit hoc genus supplicii, nec à multis annis, seu potiùs uno aut altero sæculo ob nefandum cujusdam Petri admissum scelus. Frangi verò crura cruci affixorum testantur sacræ paginæ de crurifragio Latronum, à quo mors Christi sacrosanctum ejus corpus exemit, secundùm Prophetiam, *ossa ejus non comminuetis.*

Cap. XXXVI.

De variis SS. Martyrum cruciatibus.

TRagicam, gloriæ tamen & sanctitatis plenam, Martyrum historiam fusiùs Annales Ecclesiæ prosequuntur: eorum agones singulari semper studio

A Mater piissima, & de fine suorum sollicita, sedulò observari jussit, quæ in scriniis sacris reposita, & à Notariis diligenter sub ipsum certaminis tempus fideliter excepta, ad nos usque transmissa sunt; ut adhuc militans Ecclesia in commemoratione victoriæ suorum Pugilum triumpharet, & alumnos novissimos ad æmulandam invictorum Athletarum constantiam excitaret. Acta & passiones Martyrum Surius, Lipomannus, & recentiùs adhuc Bollandus & Henschenius, Adonis, venerabilis Bedæ, Ferrarii, Galesini; Maurolyci, & Ribadeneiræ, aliorumque vestigia secuti collegere religioso studio; cunctis certè ex eo genere

B Scriptoribus Cæsar Card. Baronius doctissimis in Martyrologium Romanum Lucubrationibus longè antecelluit; quem proximè assecuti videntur illustrissimus Andreas Saussay Episc. Tullensis in erudito suo Martyrologio Gallicano, & Hispanicum graviori voluminum mole Doctor Tamayo illustravit; sigillatim & ex professo eandem materiam tractavere Antonius Gallonius Rom. Justus Lipsius libello singulari, & Joannes Gretserus Societatis Jesu, doctissimis suis de Cruce voluminibus.

Ex quibus omnibus nos pauca quædam sparsim collegimus, nec Studiosorum lectione, nec pio-

C rum attentione indigna, cùm pietatis Christianæ officium præcipuum habitum sit, Memorias Martyrum singulari cultu venerari, imò & instrumenta, quibus quasi vomeribus eorum proscissa corpora, pretiosam æterno Patrifamilias messem repræsentavere, adhuc in templis eodem honore, quo sancta ipsorum lipsana, recolantur à fidelibus, quorum fervor eorum visu adhuc inflammatur, quorum spectaculo tot populi ad verum Dei cultum adducti sunt: quoniam, teste Tertulliano, sanguis Martyrum semen est Christianorum.

Cruci rectæ, decussatæ, transversæ aut inversæ, arborum ramis, aut truncis, palo, ligno, co-

D lumnæ, aut stipiti affixi pluribus modis leguntur Martyres, aut capite sursum & pedibus in terram demissis stantes, ut Salvator noster Christus, aut pedibus sursùm, capite deorsùm verso, ut D. Petrus passus creditur. Aliquando verò uno tantùm pede suspensi erant fœtido fumo vexati, virgis cæsi, vel altero pede immane ferri pondere prægravato, ita ut discerperentur; aliquando ambobus pedibus appensi fumo, aut flammâ suffocabantur, capita eorum malleis contundebantur, saxa cervicibus alligabantur, ipsi facibus ardentibus adurebantur; quandoque etiam altero brachio appen-

E sus Martyr ponderibus vel globis lapideis, aut metalli pondere orbiculari premebatur; aliàs brachiis post tergum distortis vinciebatur, vel extremitates digitorum & apices pollicum funiculis immensa pondera disrumpebant, colla de sublimi pendentibus catenis aut massa onerabant, aut humeri glebis salis depressi corrodebantur. Aliquando Tyranni constrictos melle perunctos, aut oleo Solis æstu, & ardentissimis radiis tostos, stipitibus ligatos erigebant muscis & fucis pungendos, & ad mortem usque demordendos: unco etiam vel laqueo suspensos necabant, vel ad columnam deligabant, pedibus vix terram tangen-

F tibus; teneras verò mulieres & virgines capillis suspensas è patibulo iisdem, quibus viros, modis exstinguebant. Sæpiùs Martyres convexis rotarum impliciti ex alto per confragosa loca, & dumos, cautesque, præcipites dejiciebantur, vel radiis rotarum intexti relinquebantur, aut circumacti subjectis ferreis cuspidibus lancinabantur; vel trochleis extendebantur; vel torculari comprimebantur; vel acutis silicibus illidebantur; vel equuleo penduli discindebantur; loris, scuticis, fustibus, flagris, virgis, scorpionibus, plumbatisque cædebantur, aut veriùs dilacerabantur; alii lapidibus ob-

obruti aut contusi opprimebantur; alii clavis ferreis, ungulis, vel forcipibus, pectinibusque aduncis, aut testaceis fragmentis, volutati laniabantur; alii laminis ignitis, facibus, lampadibus, tædisque ardentibus adurebantur; alii tauro æneo inclusi ut gemitu mugirent; alii sartagine, craticulâ, lecto æneo, sellâ, galeâ, & tunicâ, loricâ, thorace, aliisque ex ferro, aliove metallo ignitis instrumentis torrebantur; alii ollâ, lebete, vel balnei calore, vel in fornace coquebantur. Quoties bestiis ferisque ipsô Imperatore mitioribus nudi, vel sub aliena pelle objiciebantur, aut equorum caudis alligati raptabantur, aut per declives scopulos deturbati volvebantur, aut medii humo vel fimo vermibus vorandi defodiebantur. Quoties post longum agonem indefessi mari, fluminibus, puteis, vel loculis, saccisve inclusi, vel culeo insuti demergebantur; aliqui ferreo collari per compita circumducti pungentibus tribulis perforabantur, vel arborum ramis inflexis ac deinde remissis in diversa tracti, aut trunco affixi pelle exsuebantur, aut calamis, cannarum fragminibus, stylis, clavis, graphiisque confixi, manibus pedibusque atrociter sauciabantur; frequentiùs gladiis, securibus, telis, sagittis, jaculis, & pugionibus confossi, verubusque transfixi, pedibus manibusque tandem capite truncati emoriebantur; quandoque tædarum instar pice obliti gutture fixo fumabant, vel serrâ ferreâ dissecti, aut terebrâ perforati, aut dentibus, vel lingua avulsis: virgines verò mamillis abscissis, ventre secto, cruribus fractis, aliisve membris turpiter præcisis; muribus rodenda, aut porcis hordeo palpitantibus visceribus immisso masticanda; leonibus, ursis, aliisque feris, aut equis indomitis proculcanda, vel molæ pistrini obterenda corpora adhuc spirantia alacriter & fortiter se ipsosque immolandos Deo invictâ patientiâ offerebant. Hæc quanquam horrenda carnificina, palæstra tamen fuit nascentis Ecclesiæ, quæ hactenus observavit Martyres fieri causâ, non tormento. Immanitatem autem Tyrannorum liceat abominari, qui nova & inaudita, nec aliis sontibus unquam destinata, suppliciorum genera in sanctissimos Christi Athletas excogitabant, ut etiam pœna ipsos à sceleratis secerneret, cùm furori illorum, non Judicum dicam, sed belluarum, sæpius elementa & ars, ipsaque instrumenta deficerent: de quibus tamen illæsi vel prostrati & neci succumbentes pari fide & constantia fortissimi milites triumphabant.

Inter Cruces verò aliqua diversitas observata fuit; nam ut manu factæ erant, & duplici ligno compactæ, aliæ decussatæ, quæ à sancti Andreæ morte nomen habent: aliæ commissæ T. figurâ, D. Antonio posterioribus sæculis dicata; aliæ immissæ, illi similes, in qua Salus generis humani pependit.

CAP. XXXVII.

De suppliciis militaribus.

HActenus de militum Christi injustis suppliciis; nunc ad æquissimam disciplinæ militaris severitatem transeamus: pœnarum enim capitalium quædam sunt propriæ paganorum, quædam militum, aliæ utrisque communes. Rursum quæ paganis destinatæ, eæ vel humilioribus, id est, plebejis, vel etiam honestioribus infligebantur: de quibus satis accuratè diximus, quantum ratio & brevitas instituti nostri patiebantur. De militaribus & communibus pœnis aliquid addemus; nec mirum videri debet pœnas quasdam militibus solis convenire; aliàs communes illis cum aliis militiam nusquam professis: quoniam miles delictum commune cum paganis vel proprium suæ conditioni potest admittere, ut scribit Menander *lege 2. ff. de delicto militari.* Proprium scilicet militare delictum esse, quod quis uti miles admisit, ut dare se militem cui non licet; desertorem vel emansorem esse, id est, diu vagatum; in castra regredi, crimen est militi sicuti proditio, statio relicta, armorum amissio, alienatio, vel surreptio; Reus etiam miles est transfuga qui pacem turbavit, imò qui exploratione emanet hostibus insistentibus, aut à fossato recedit, qui agmen excessit, vallum transcendit, aut fossam transiliit; qui Præpositum suum aut Ducem protegere noluerit, aut deseruerit, qui rem prohibitam fecit, aut Ducis mandata non servavit, vel ab excubiis destitit, vel ad diem commeatus non venit, perinde puniantur ac qui conspirationem, seditionem, aut defectionem fecerint. Talia possumus vocare peccata castrensia cum Flavio Vopisco in *Aureliano.*

Prima autem militaris pœna erat mutatio militiæ; exempli gratiâ, qui equo meruerat, in peditum numero militare jubebatur; sic qui pedites fuerant, in funditorum turbam transscribebantur, aut inter auxilia, consulendus Valerius *lib.* 2. ubi de Cotta & de Calpurnio loquitur. Et Ammianus Marcellinus, *Equites*, inquit, *ut contentum se Cæsar leviori pœna demonstraret, omnes ad infimum militiæ gradum detrusit.*

CAP. XXXVIII.

De Castigatione.

CAstigatio est pœna castrensis, ea tamen in milites flagellis non est exercita, quâ servi tantùm à Dominis coercebantur. Milites verò fustibus, aut vite à Tribuno, Centurione, vel alio Castrensi Præposito, aut Commilitone vapulabant. Vt statutum videtur *l.* 3. §. *sed qui. ff. de re militari.* Sic Scipio Numantiam obsidens cùm milites extra ordinem deprehendebat, Romanos quidem vitibus, at extraneos fustibus cecidit: adeò vitis pœnam ipsam honorabat in delictis, ut scribit Plinius *lib.* 14. Plutarchus in *Gracchis* memorat, Drusum fuisse hujus pœnæ auctorem. Centurio Lucillius apud Tacitum, Cedo alteram vocatus legitur, quia fracta vite in dorsum militis, alteram poscebat. De illa pœna Juvenalis ait *sat.* 8. ℣ 247.

Nodosam frangebat vertice vitem.

Et Silius *lib.* 12. ℣. 395.

Vitis adornabat dextræ decus.

Vitis enim Centurionum insigne erat, qui eâ minùs promtos ad parendum milites castigabant.

CAP. XXXIX.

De Ignominia.

IGnominiâ, quâ milites afficiebantur, in multis locis cerni potest: nam miles ubi deliquerat de gradu militiæ dejiciebatur. Constat etiam

ignominiæ causâ militi zonam solvi, & sanguinem mitti: cujus consuetudinis rationem & originem subtiliter exploravit A. Gellius *lib.* 10. *cap.* 8. Opinor factum esse primitus in militibus stupentis animi, & à naturali habitu declinantis, ut non tàm pœna quàm medicina videretur. Muretus lib. 13. *variar. Lect.* cap. ultimo causam aliam missionis sanguinis exponit, videlicet milites cum ignominia sanguinem suum amittere, quem cum gloria noluerant prò Patria effundere: quæ interpretatio non probatur in omnibus, quia miles in furto deprehensus hanc pœnam subit; at verò in furti delicto quis sanguis pro Patria fundendus erat. Sic M. Cato apud Frontonem * militibus in furto deprehensis dextram præscindi, vel sanguinem mitti jussit: Lipsius *in lib.* 3. *Polybii* censet id fuisse notam summæ & ultimæ animadversionis meritæ, quam cùm clementia Imperatoris remisisset, speciem tamen illius supplicii usurpabat in paucitate sanguinis emissi.

CAP. XL.

A quibus plectebantur milites.

CArnifices & Lictores, quos ratione ministerii & exsecutione plurimùm differre observatum est, ministri erant suppliciorum, quæ de paganis sumebantur. Milites verò neque manu carnificis, neque lictoris puniebantur: sed Tribunus signum modi dabat, & objiciebat multitudini militari. Si quæratur, an miles per alium militem plectebatur, quia honestior illa mors videretur, an quia molestior & magis in animos penetraret ad exemplum; respondetur, id factum fuisse non ad honorem, sed ad majorem tristitiam: triste enim profectò ac luctuosum est militem manibus Commilitonum interfici.

CAP. XLI.

Quæ fustium asperitas, & qui miles fuste percutiebatur.

SUb asperitate fustium plerumque exanimabantur castigati milites: Hirtius enim scribit, militem, qui fratrem suum in castris jugulasset, interceptum & fuste percussum perimi. Milites, qui in flore ætatis corpore suo abutebantur, solebant fustibus cædi ad mortem usque.

CAP. XLII.

De continentia in castris observata.

MIlitibus Romanis adeò vetita erat libido, ut 2000. scortorum Scipio è castris ad Numantiam positis ejecerit. Nec solùm Romæ, sed apud alias Gentes, pudicitia castrensis observata legitur. Philippus Rex Macedonum extra fines Regni sui duos milites relegavit, qui psaltriam mercede conductam in castra noctu induxerant. Friderici Imperatoris Constitutionem hac de re Guntherus Poëta his versibus enarravit:

Non erit in nostris nobiscum fœmina castris:
Turpiter & naso mutilabitur illa resectio.

Vt verò ad disciplinam castrensem Romanorum redeamus, non licebat etiam uxores in castra ducere; qua de causa ambigeretur forsan, an milites Romani fuissent conjugati: communis opinio est,

A milites Romanos conjugio abstinuisse quàm diu merebant. Cornelius Tacitus cælibatum militum his verbis refert: Neque suscipiendis conjugibus, neque liberis alendis assueti milites. Dio *lib.* 40. item scribit, legibus Romanis milites vetari esse uxoratos; quibus tamen indulserunt jura maritorum. Tertullianus, in *Exhortatione ad castitatem*, militum exemplum adducit, qui cælibatum sua ætate servarent. Videtur tamen pluribus huic opinioni refragari Tit. Livius *lib.* 43. *cap.* 3. cujus verba quodam modo probant, milites vinculis matrimonii fuisse innexos: sic enim scribit: Quatuor

B millia hominum impetraverunt à Senatu oppidum ubi habitarent, iis qui nati essent in Hispania ex militibus Romanis & ex Hispanis mulieribus. Illud verò ita interpretari licet, milites non duxisse uxores legitimas, nec ad legitimum matrimonium convolasse, quod conventione in manum contrahebatur, sed duxisse concubinas, quæ proprio nomine hîc dicuntur, uxores verò usu, sive, ut cum Plauto loquar, uxores usurarias.

Hoc ampliùs ad faciliorem intelligentiam consuetudinis antiquæ possumus adjicere, militiam Romanam in duplici genere videri distinctam; aliam temporariam, aliam perpetuam viginti quin-

C que stipendiis constantem; miles ad tempus poterat uxorem ducere: at ille, cujus militia erat perpetua, ad cælibatum cogebatur; quin ætate veterum Jurisconsultorum, militia causa legitima esse videbatur dissolvendi matrimonii: bonâ enim gratiâ dissolvi dicitur conjugium, quod propter sacerdotium, sterilitatem, & militiam potest non retineri.

CAP. XLIII.

Mutatio victus.

D POena quædam militum capitalis, quædam non tam sæva. Non capitalis sæpius est ignominia, quæ variis modis irrogabatur. Mutatio victus fuit quoddam genus ignominiæ, quando cogebantur hordeo vesci milites noxii, quibus priùs frumentum dabatur ad victum. Causa hujus rei non alia est, quàm quia indigni viderentur communi militum cibo, sed rejicerentur potiùs, ut cum jumentis jungerentur. Non dubium est quin Tribuni vel Centuriones punierint hac victus mutatione suos milites, cùm ad hujus rei fidem faciendam suppetant Auctores: Titus Livius *libro* 27. *cap.*

E 15. *Cohortibus*, inquit, quæ Liguriæ stabant, *hordeum* Marcellus *dari jussit*. Suetonius in *Augusto* cap. 24. *Cohortes*, ait, *si quæ deseruissent ordinem, decimatas hordeo puniit*. Fuit etiam genus ignominiæ, diminui ære sive stipendio. Cogebantur præterea milites ad ignominiam, interdum extra vallum & castra traduci. Causa ejus ignominiæ non alia subjicitur, quàm quia essent indigni qui inter veros milites viverent, projecti & objecti incursionibus hostium: idque interdum sine tentoriis. Ita Tit. Livius *lib.* 10. *Cohortes, quæ signa amiserant, extra vallum sine tentoriis destitutas invenit*. Sunt & aliæ ignominiæ

F species, ut scilicet stantes milites cibum potumque caperent, quod Gracchus imposuit, ut scribit Titus Livius *lib.* 24. Nec prætermittam, fuisse quandoque coactos milites deponere arma & vestimenta militaria. Lampridius narrat, suis militibus Alexandrum Imperatorem sic locutum, *Discedite, Quirites, & arma deponite*; verba Imperatoris apud Herodianum aptissima sunt *lib.* 1. *Jubeo, Quirites, arma deponere, vestes exsuere, & nudos abire.*

* Rescr. *Frontinum*, qui hoc narrat lib. 4. ex. 15.

CAP.

A

CAP. XLIV.

De Missione ignominiosa.

MIssio militaris erat, quâ miles sacramento militiæ liberabatur, vel arma ponebat; quod fiebat duobus modis, legitimè, vel illegitimè; qui ponebat arma secundùm leges, honestam missionem vel causariam habebat. Missio honesta dicebatur, si quis confectis legitimis stipendiis sacramento militiæ solvebatur, veluti si pedes annos viginti militasset, eques si decem annis equo meruisset. Causaria missio erat, si quis recederet ab armis, quia manibus mutilatus, oculis captus, adversa valetudine correptus & laborans. Illegitimè arma ponebat, cujus missio gratiosa erat, vel ignominiosa determinata fuerat. Missio gratiosa erat, si miles non confecto legitimo annorum numero militiæ præscripto, non vitio nec defectu corporis veniam ponendorum armorum ab Imperatore impetraverat gratia aut ambitu. Ignominiosa verò missio erat, quâ quis militiâ propter delictum solvebatur. Elegans formula Missionis legitur apud Hirtium in historia belli Africani: *Cæsar*, inquit, *convocatis omnibus Legatis, Tribunis, & Centurionibus dixit, Cai Aviene, quòd in Italia milites Populi Romani contra Remp. instigasti; rapinasque per Municipia fecisti; quodque mihi & Reip. fuisti inutilis, ob eas res ab exercitu te removeo, hodieque ex Africa abesse, & quantum potes proficisci jubeo.*

CAP. XLV.

Gladiis objecti milites.

ALiquando veteres Romani milites noxios gladiis contubernalium objiciebant, ut notant Tacitus lib. 1. *Annal.* & Amm. Marcellinus *lib.* 29. Non etiam infrequens pœnæ modus fuit Reos saxis occidere, seu lapidibus obruere, Polybius *lib.* 1.

CAP. XLVI.

De Decimatione.

CApitalis supplicii genus fuit Decimatio. Cùm enim plures in exercitu, vel in legionibus deliquissent, non omnes ratione delicti puniebantur, sed decimus quisque sorte ad supplicium legebatur. Causam decimationis expressit M. Tullius in *Orat. pro Cluentio*: *Statuerunt*, inquit, *Majores nostri, ut si à multis esset flagitium rei militaris admissum, animadverteretur in quosdam sortitione, ut videlicet metus ad omnes, pœnâ ad paucos pertineret.* Appianus Cæsarem alloquentem turbidos & tumultuantes milites inducit: *Ita*, inquit, *lege patria de noxiæ legionis militibus, quoniam ea seditionem suscitavit, decimum quemque ad mortem sorte ducam.* Decimatio, si illius originem spectemus, statim post exactos Reges cœpit vigere, cujus rei copiam facit Titus Livius *lib.* 2. loquens de Appio Consule: ejus exercitus cùm profugisset, sontes capite mulctavit, ita tamen ut sorte decimus quisque ad supplicium fuerit selectus ac segregatus.

CAP. XLVII.

De Mulcta.

QUædam pœnæ militares propriæ, quædam communes, ut adnotavimus: proprias quasdam proponimus*, ignominiâ affici, gladiis objici, saxis obrui. Nunc ordo postulat, ut quasdam communes militibus & paganis pœnas attingamus: tritum satis & familiare cives & paganos affici solitos fuisse mulctâ; sentiendum idem de militibus,
B
quibus interdum mulcta imposita est. Notandum verò est mulctam, ter repetitam & inflictam militi, facere, ut si denuò postea miles ita peccasset, pœnam capitalem subiret; leviores enim & pecuniariæ pœnæ capitales fiunt, si ter repetitæ sint. Causa hujusce rei dari potest, vel quod militem pravo esse ingenio censebant, ejusque esse puniendam pertinaciam; vel quia quasi in contemtum & ludibrium legum militem peccare longè graviùs existimabant, pœnæ prioris immemorem: nec modò intelligitur communem pœnam militibus & paganis infligi, quia utrique mulctarentur; ve-
C
rùm etiam liquidò constat, milites gladio aut securi percussos fuisse, perinde ac reliqui è plebe, quibus idem necis genus criminis similitudo imponebat.

CAP. XLVIII.

De Exsilio.

M. Tullius in *Oratione pro Cæcinna* scribit, exsilium non pœnam, sed pœnæ fugam esse: qui enim aliquam pœnam seu calamitatem subterfugiebant, solum vertebant, fines mutabant.
D
Non autem expedit Reip. ut plures sint exsules. Solon apud Laërtium sic fertur scripsisse Periandro Tyranno: *Si Tyrannidi*, inquit, *censeas, cupiasque insistendum, neminem extorrem velis*; qui enim malè animati sunt in Remp. sibi illatam injuriam ulcisci meditantur, & cùm de sedibus, aris, focisque relictis cogitant, quæ singula recuperari posse diffidunt, si aperto marte non possint ulcisci, ad dolos & malas artes se convertunt, sique id illis non succedit, aliâ aggrediuntur viâ.

E

CAP. XLIX.

Num milites ad metallum damnarentur.

MIlites ad metallum, sive opus metalli fodiendi dari, vel objici feris, & bestiis, vel cæteris infimorum ex plebe, aut servorum pœnis affici veteres leges vetuere, ut scribit Modestinus *lege* 2. §. *is qui voluit. ff. de re militari*, & *l. de quæstionibus*, statuere Imp. pœnam metalli, nec ad milites, nec ad veteranos qui militiæ missionem impetraverant, pertinere.

F

CAP. L.

Num milites vivi exurerentur.

ETiamsi à militibus grave quoddam facinus admissum esset, veluti si proditores aut transfugæ forent, pœnæ verò transfugarum & proditionis tanquam hostium & perduellium esset, ut vivi comburerentur, aut furcâ suspenderentur, tamen ab eis suppliciis eximebantur milites, vel certè iis non afficiebantur, priusquam fuissent exauctorati, quia tunc

* Vid. leg. *proposuimus*.

tunc pro hostibus, non pro militibus habebantur, *l. proditores. ff. de re militari.* Exauctorabantur verò ademtis armis, vel ignominiosa missione, quòd amisso militiæ gradu infames reddantur, & plebejorum pœnis jure subjiciantur.

Cap. LI.

In quibus præcipuè miles peccare dicitur.

CUlpæ militares sunt præcipuæ, falsò strenuum aliquod factum referre, & falsum testimonium dicere; quin perjurium & impietas in milite habetur prava ambitio; virtuti bellicæ definita præmia affectare & aucupari; arma abjicere propter metum, culpa erat militaris, quæ non nisi morte expiabatur. Catonis Censorii filius in discrimine prælii equo delapsus, dum se recolligeret, gladium amisit, ad quem recipiendum inter medios hostes eorum se mucronibus objecit, atque ita multis honestis vulneribus acceptis ad suos rediit, non inermis, receptoque gladio gloriosior.

Cap. LII.

De Transfugis.

GRave scelus Transfugarum apud veteres Romanos, iique variis suppliciis subdebantur. Q. Fabius Maximus, cujus alioqui mansuetissimum fuit ingenium, dextras Transfugarum præcidit, quemadmodum narrat Val. Maximus *lib. 2. cap. 7. num.* 11. cujus non piget verba subjicere: *Omnium, qui ex præsidiis Romanis ad hostes transfugerant, captique erant, dextras * abscidit, ut trunca præ se brachia gestantes metum defectionis reliquis injicerent.* Porrò in Transfugas duriùs animadversum à Romanis legimus. Scipio Africanus deleta Carthagine, cùm omnes, qui ab exercitu Romanorum ad pænetram † fugissent, in suam potestatem redegisset, graviùs Romanos quàm Latinos Transfugas punìisse fertur. Romanos enim tanquam Patriæ fugitivos cruci affixit, Latinos verò tanquam perfidos socios securi percussit. Sceleribus aliis seu culpis militaribus, ut falsum testimonium dixisse; falsò strenuum aliquod factum retulisse in veræ virtutis invidiam & dispendium; clypeos præ metu abjecisse, atque è præsidiis ad hostem fugisse. Adnectimur, ut crimen habitum ordinem deseruisse, hostem longiùs persequi ac quasi comitari, & extra ordinem in adversarium pugnare.

Cap. LIII.

De militibus cum moderatione puniendis.

ETsi asperitate suppliciorum indigeat disciplina militum, quia Reip. vires armis constant, quæ ubi à recto tramite descivere oppressura sunt, nisi reprimantur, ut ait Val. Maximus *lib. 2. cap. 2.* Nihilominus non oportet miles excarnificari, nec graviùs, crudeliúsve quàm par est puniri. Non defuere tamen Imperatores, qui sævis & inhumanis modis in milites animadvertebant. Vulcatius Gallicanus narrat, Cassium genus id supplicii invenisse, ut stipitem poneret 120. pedum, cui à summo ad imum damnatos milites alligaret, ignem-

* Rep. *manus*, nam ambæ fuerunt abscissæ.

† Vox nihili, rescr. *Pœnos*; vel potiùs, *Pœnos transfugissent*, ut procul dubio scripsit Auctor.

A que immitteret, quo aliis incensis alios fumo, alios terrore necis imminentis necaret. Julius Capitolinus refert, cùm quidam milites ancillæ hospitis pudorem depravassent, Macrinum eos adduci jussisse, & interrogasse, utrum esset factum; quod cùm constitisset, duos boves miræ magnitudinis vivos subitò aperiri jussit & exenterari, iisque singulos milites inseri, capitibus exsertis, ut secum de calamitate sua colloqui possent. Fl. Vopiscus tradit, Aurelianum ita puniisse militem, qui cum hospitis uxore commiserat adulterium, ut duorum arborum ramos inflecteret, quos ad

B pedes militis deligaret, eosdemque subitò dimitteret, ut abscissus miser utrinque penderet. Ejusmodi pœnæ inflictæ à Cassio, Macrino & Aureliano non legitimæ, sed extraordinariæ leguntur, quæ non humanitatem, sed tyrannidem sapiunt.

Erat pœna militum, qui citati non parebant, neque ad nomen respondebant, si periculum ingens impenderet, & auxilium subitò ferendum foret, raptim militem capiebant & adducebant. Plerique milites proni & spontanei ultro in militiam properabant, adeò ut promti citati à Consule vel à Tribuno, vel ab aliis quibusvis; alii contrà tardi & contumaces, qui vocati, nec pa-

C rent, nec comparent. Verùm proclives semper milites arma capessebant, si Dux & Imperator esset gratiosus, vel si aliqua spes lucri faciendi affulgeret. Unde legitur apud Livium *lib.* 34. plerosque nomina dedisse, quia locupletes videbantur qui militaverant; militi verò refractario, & qui cunctatus citationi non pareret, supplicia fuere constituta. Reperio apud Agellium *lib. 11. cap.* 1. interdum militem hac de causa fuisse mulctatum: M. Terentius Varro ait, quando miles citatur, nec excusatus est, ego ei ingentem mulctam dabo. Interdum virgæ adhibitæ sunt in contumacem: Livius *lib.* 7. refert, acerbitatem in delectu lace-

D ratorum corporum partim virgis, partim vinculis, odiosam fuisse. Quin etiam qui ad nomen non respondebant, morte civili afficiebantur, & in servitutem redigebantur. Varro *lib. 6. cap. 5.* M. Curius præfatur, Reip. non opus esse eo qui parere nesciat, ideo bona ejus & ipsum vendidit. In citatione verò observatum reperio, religionis fuisse ut primus miles, qui vocabatur, boni ominis esset, ex quo bonum omen in auspicio foret. Legendus hac de re Cicero lib. 1. *de Divinat.* & Festus. In delectu igitur boni ominis gratiâ nominabantur primi, Salvius, Statorius, Victorinus, Felix, &c.

E

Cap. LIV.

Quæ militia vilior, quæ honoratior.

IN enumeratione pœnarum militarium, satis intelligere licet, qui milites essent viliores, qui verò honoratiores; quemadmodum in pœnis aliorum civium & paganorum adnotavimus, alias honestioribus & ingenuis, diversas plebejis & ser-

F vis irrogari solitas. Militia nautica vilior terrestri semper habita fuit, vel quia periculum ibi certius, & metus ignavæ mortis quasi desperatione ad fortitudinem adigit, vel quia parum relinquitur virtuti & robori militari. Livius *lib.* 22. ait, navales socii ad spem honoratioris militiæ transgressi: per militiam autem honoratiorem intelligit terrestrem. Corn. Tacitus *lib.* 2. facta spes, inquit, reliquis militibus classicis honoratioris militiæ, iique cum indispari sint gradu militiæ sive classici & terrestres milites, non iisdem generibus suppliciorum afficiuntur.

Cap. LV.

Pœna militis non taciturni merces.

TAciturnitas maximè desideratur in milite, adeò ut dicenda tacendaque canat *lib.* 3. Horatius,

Est fideli tuta silentio merces.

Lambinus tamen existimat Horatium egredi à proposito suo cùm loquatur de taciturnitate, quæ non convenire militi videtur, tamen satis perspicuùm & apertum dicere militem taciturnum esse debere in cælandis, nec evulgandis Ducis sui consiliis. Pœna verò gravis militi indicta, qui consilia in castris habita propalaret, cujus rei fidem faciunt cuncti Historici.

Cap. LVI.

Militibus ignominiosa appellatio Quirites.

QUi exauctorabantur, & per ignominiam à militia mittebantur, solebant ab Imperatoribus Quirites, non milites, vocari, quasi privati ac plebeji, nec ampliùs milites censendi. Alexander Severus cùm esset mota seditio à legione, cujus socii erant in vincula conjecti, quia muliebribus lavacris vacarent, ita concionem ad milites habuisse fertur: *Continete vocem, ne vos omnes hodie uno ore atque una voce Quirites dimittam.* Incertum an Quirites, non enim digni essent qui vel Romanæ plebi accensendi essent, qui jus Romanum non agnoscerent.

Cap. LVII.

De his qui accusare non possunt.

QUamvis Quæstores & Legati Consulum & Prætorum suorum crimina exactiùs nossent, & jure summo eorum accusationem prosequi possent, ex pietate tamen non admittebantur, quia Prætores quodammodo Quæstoribus loco patrum habentur; nec justior, aut gravior causa necessitudinis datur, quàm Provinciæ, quàm officii, quàm publici muneris conjunctio & societas, ait Cicero. Ideo nec Pompejo in Æbutium, nec Philoni in Servilium, nec Scauro in Flaccum concessa fuit accusandi potestas, ne libido violandæ necessitudinis auctoritate Judicum comprobaretur. Marius vituperatus est, qui Metellum, cujus Legatus fuerat, criminabatur de bello Jugurthino nimium profectò. Verres à Cicerone reprehensus est, quòd in Dolabellam, cujus Legatus fuerat, improbissimum testimonium dixisset; Paulus verò Æmilius laudatur, qui in pugna Cannensi moriens dixit, malle se in strage suorum militum exspirare inultum, quàm Collegæ accusatorem exsistere, & alieno crimine malle obire quàm alterius pœnâ suam innocentiam protegere, aut laudem commendare. Apud Athenienses fuit eadem necessitudo seu potiùs reverentia & religio inter Collegas, ne se mutuò accusarent; contraria tamen exempla & Romæ & Athenis visa; hæc sunt causarum & temporum, sed quod honestum est, nusquam sibi contrarium, semper idem videtur, & sibi constat.

Cap. LVIII.

An patrem filium, filius patrem accusare possit.

QUanquam de accusatione filii in patrem nec quæri posse, nec debere arbitror, cùm à tali certamine Gentes etiam barbaræ abhorreant, nec pietas solùm, sed & ipsa natura repugnet, suam enim injuriam si de patre queratur necesse habet sine murmure, sin alienam, dissimulare. Miseriarum tamen, sævitiæque exemplum atrox recenset Tacitus, Tiberii principatu Reum patrem Q. Vibium Serenum accusatorem filium, qui perterritus clamoribus vulgi, saxum, robur, pœnasque parricidarum minitantis, ab accusatione destiterat, sed retractus, & eam exsequi adactus, damnante universo Populo quod Senatus servilem in modum decreverat; tandem Tiberius ipse, ut molliret injuriam, patrem licèt majestatis Reum in exsilium reportari jussit. Euthyphro apud Platonem dementiæ convictus est, qui nihil alienum à religione in accusatione patris à filio committi asserebat. Ego contrà reor, filium, qui patrem interficit, semel tantùm esse parricidam, qui parentes accusaret, toties parricidium renovare, quoties stant in judicio adversarii, vocant, interrogant, & testibus oppugnant.

Durum etiam & inhumanum censuit olim Artaxerxes accusante patre Racone filium puniri, quem increpitum, & extrema minatus dimisit; ut non absimili humanitate D. Pius Imp. desertorem filium, quem pater obtulisset pœnæ, in deteriorem tantùm militiam detrudi jussit, ne videretur contra sua viscera sæviens pater filium ad supplicium exhibuisse. Idem à Friderico III. Imp. factum memorat Cepola, qui filium Comitis Palatini à patre accusatum, quanquam pia prævaricatione pater nato consuluisse videretur, minore pœna, scilicet relegatione, coërcuit. Hac de causa Magistratus mitiores sunt semper in filios à parentibus accusatos, quia non exacerbanda censent odia, quæ per se natura conciliare & exstinguere conatur.

Cap. LIX.

Servos in Dominos, Libertos in Patronos non audiri.

NOn admittendum etiam censuere veteres Romani, ut salus & vita Dominorum ex eorum arbitrio pendeat, qui in eosdem jus vitæ & necis habeant, ne è domo & ædibus propriis, quæ unicuique asylum præbuisse debent, latrocinia & insidiæ nascerentur. Nec ferendum est, quæ secreta intus evolare, & ipsis Dominis opponi ut noceant. Nec igitur testimonium, nec quæstio, nec judicium, nec confessio, nec accusatio Servorum in Dominos audiebatur. Unde imprecatus est sibi Julius Cæsar, si quid unquam Servo adversùs Dominum credidit; ipso etiam Nerone perfidiam Servorum in Dominos exsecrante, teste Tacito. Sed callidus, novique juris repertor, Tiberius mancipari Servos jussit Actori publico, ut quasi è manu Libonis egressi salvo Senatusconsulto audirentur. C. Cæsar, Tiberii æmulus in sævitia, Servis licentiam heros accusandi concessit. Contrarium æquissimè melior Claudius Imp. sentiebat, vetuitque in exsilium ferri Libertos, qui contra Patronos agerent, iisque, qui Liberti in Patronum accusationi subscripsissent, jus alios accusandi ademit.

Præ-

Præceptorem verò discipuli accusatorem quis ferat? certè Augustus Imperator Theodorum, Antylli alumni sui proditorem, à militibus occisi, Ludimagistro Faliscorum nequiorem judicavit, & necari jussit.

CAP. LX.

An Magistratus accusentur.

PArs Majestatis existimatur, ut quamdiu jus aliis dicit Magistratus, ei à nemine dicatur. Sprevere Romulius & Veturius, Coss. Romani, accusantibus Tribunis Plebis respondere. Marcellus item Consul accusationem Græcorum post captas Syracusas contemsit; & Galba de intercessione, quâ Triumpho Pauli Æmilii restitit, valde reprehensus est. Et sanè Magistratus, qui annum plerumque apud Romanos vix egrediebantur, immunes ab accusatione fore par erat, cùm statim in conditionem Privatorum recidissent, accusationibus ut invidiæ obtrectantium expositi erant. Perpetuos Magistratus nulla lex eximit, sed inscriptione, satisdatione, solemnibus formulis, & majore Judice opus est, ne qui ex necessitate officii odio multorum exponitur; sicut nec ipse Jupiter dum pluit omnibus placet, eorum injustum livorem patiatur, quibus ipse justè potuit nocuisse. Consules, Prætores, aliique Magistratus ad tempus, si malè Remp. administrassent, abrogabantur, ut eis malè agendi potestas adimeretur, non conditio. Eorum certè, qui Reip. causâ aberant, recipi nomina ad accusationem vetabat lex Memmia: at verò Legatus statim atque renunciatus est, non in procinctu tantùm, sed in ipsa functione Magistratus reputatur, imò præsens adhuc, Reip. causâ abesse. Sed non certior est in absentia defensio, ea potior sanè quæ ab innocentia præstatur: nam etiamsi secura remanere nequit, tamen innocentia sibi semper constat, quin falsi testimonii macula purissimæ vitæ adspersa non illam, sed seipsam exstinguit; sic Pericles & Theophrastus Athenis, Romæ verò Metellus, Scipio & Scaurus opinione parta virtutis obtrectatores refellebant, & sinistram suspicionem summoverunt. Q. Metello de repetundis coram Populo accusato, tabulasque castissimæ administrationis testes exhibente, nemo fuit in concione, qui à tabularum inspectione oculos non averteret, ne quisquam de earum veritate dubitasse videretur; sicque vix auditus absolutus est. Scauri verò superstitis continentia non modò nequitiam Varii Tribuni Plebis repulit, sed mortui sola memoria filio absolutionem promeruit. Illi sanè quicunque accusantur, Iphicles, respondere possunt, qui Aristophrontem refellebat, percontatus est, an accusator Remp. proditurus esset, ipsique neganti retulit, quid igitur quod tu non fecisses ipse, fecisse arguor.

CAP. LXI.

De Testibus.

TEstes requiri omni exceptione majores Juris Antistites semper pronunciavere, & præcipuè eos quærunt, quorum fides nullatenus vacillet; ideoque in persona eorum exploranda erit imprimis conditio, ut careat suspicione testimonium, vel propter personam, à qua fertur, quòd honesta sit & vitæ inculpatæ, vel propter causam, quòd neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ causâ; unde examinare oportet, cujus dignita-

A tis & æstimationis sint; & qui simpliciter videntur dicere, an unum meditatumque sermonem attulerint, an ex tempore verisimilia responderint interrogati. Non est audiendus Testis notatus, judicio publico damnatus, nec in integrum restitutus, repetundarum & calumniæ damnatus: nec is produci potest, qui ante testimonium in Reum ipsummet dixerit, nec ex domo accusatoris, aut cui imperari potest ut testes fiant: nullus enim in re sua testis idoneus intelligitur. Testes item non rogati, nec vocati repelluntur; non auditur etiam legis Juliæ præcepto qui in vinculis, custodiave

B publica erit; arenarius, & qui ad bestias ut depugnaret se locaverit; quæ mulier corpore quæstum fecerit; nec qui pecuniam accepisse judicatus erit; nec qui crimen famosum commisisse convictus est. Coguntur verò testes ad dicendum testimonium etiam Magistratus, ut veritatem cum sacramenti præstatione perhibere de iis quæ noverint, aut dejerare de iis quæ ignorant. Pueri verò quanquam Seneca in *Controversiis* dicat ad eos annos pervenisse ut intelligant, nondum verò ad eam ætatem quâ fingant, testimonia tamen non ferunt, sed judicia. Plato quidem in homicidii causa pueri testimonium admitti jubet, scilicet judi-

C cium parvuli, tunc argumentum præbet cui sæpe plùs credunt Judices quàm testimoniis, in quibus alteris, in argumentis verò perpendendis & examinandis sibi fidem adhibent; suntque sæpe argumenta ejusmodi, quæ veritatem necessariò probent.

CAP. LXII.

Qui ad testimonium dicendum non cogantur.

D LEge Julia judiciorum publicorum cavetur, ne invito denuncietur ut testimonium dicat adversùs socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum, sobrino natum, eosque qui priore gradu sint; sic testis idoneus pater filio, aut filius patri non est; inviti etiam non coguntur testimonium dicere, senes, valetudinarii, vel milites, vel qui Reip. causâ absunt, vel quibus venire non licet; servis item fides non adhibetur, nisi cùm omnis alia probatio ad edendam veritatem deest. Eos verò pro Domino, nec contra Dominum interrogari fas nunquam fuit. Libertorum verò ad-

E versùs Patronos illicitas atque improbas voces pro objectione præclusere Honorius & Theodosius Imperatores. Institutum à Romulo ajebat Herennius, ut se à subscriptione in Marium clientem olim suum excusaret, ne Patroni & Liberti invicem contra se ferrent testimonium.

CAP. LXIII.

De causis suspicionis in Testibus quibus repelluntur.

F TEstium fides diligenter examinanda est, ex quorum vocibus vita & fortunæ civium pendent, nec exspectandum ut falsi testimonii convicti meritas pœnas luant: attendendum enim est, an propter reverentiam Personarum, aut propter lubricum consilii sui, sistant se coram Judicibus. Notæ enim fidem Testibus abrogant inimicitiæ, vel cupiditates. Noluere scilicet veteres Romani hanc patere odiis viam, ut quem quisque inviderit vel oderit, possit lædere, ait Cicero. Sic Lucius ille Crassus, cujus sermo testimonii vim & auctoritatem habuit, quæ in Marcellum etiam in judi-

judicio deblateraverat, probare nequit. Non solùm inimicitiæ graves, verùm æmulatio ipsa fidem detrahit, quin & nimia fama, nimia dignitas, & amplitudo obest accusatoribus, & movet ad commiserationem; impetu enim grave est testimonium, exitu vanum. Clodius incœsti ac sacrilegii Reus, M. Tullio & Catone contra ipsum perorantibus, liberatus est; inquit Seneca: ille enim putatur opprimi, in quem adducti Testes magis pro auctoritate sententiam quàm testimonium dicere videntur: nam si is est testis, cui nihil audeat Reus objicere, non concertatio est, sed imperium.

Cap. LXIV.

An Testis omnino venire debeat.

A

REus quidem necessariò venit in judicium cùm de capite & bonis suis agitur, Testis etiam, si alieno judicio interveniat, sicut Reus proprio, obtemperare æquè debet: pariter enim contemnunt Magistratus Rei ac Testes qui vocati non venerunt, nec ulla admittitur non parendi prærogativa. Vestales, quibus aliàs fasces à Magistratibus submittebantur, vocatæ in forum veniebant & audiebantur, uti & Magistratus, si res exigat: nec tantùm Privatos testimonium perhibere oportet. Testes voluntarii, quibus partes ipsæ testimonium denunciabant, facilè absentiam suam purgabant; necessariis, quos Judex evocat, excusatio veniendi nulla, nec apud Romanos, nec apud nos unquam fuit, sine damno quorum & impendio interlocutiones & productiones procedere sumtibusque accusatoris possunt.

Testes verò citabantur ut coram Reo examinarentur; quin à Reo ipso ejusque Patrono interrogabantur; antequam verò causa peroraretur; per triduum Testes audiebantur. Sic Milo cum Tullio & Marcello Testes adversùm se venientes interrogabat, & refellebat publicè & palam; utque castiores se præberent Judices, legem de ambitu tulit Pompejus, quâ pœnam graviorem, formam breviorem judicii constituit. Observandum porrò testes servos, quibus nisi per tormenta fides non constabat, in accusatione de vi publica audiri, quoniam ad statum & majestatem Patriæ & salutem omnium pertinet. Rei extraordinariè & diebus festis peragebantur, damnati non appellabant, & licèt offensus suam Reo condonasset injuriam, apud Rempublicam nulla erat deprecatio.

B

Cap. LXV.

De numero Testium.

C

UNius omnino Testis, responsio non admittitur, etiamsi præclaro Curiæ honore præfulgeat. Uti autem numerus non adjicitur, duo sufficiunt; pluralis enim elocutio duorum numero contenta est: aliàs tamen numerus Testium, aliàs dignitas & auctoritas, aliàs velut consentiens fama confirmat Rei, de qua quæritur, fidem. Et hæc quidem de Testibus ferè ex ipsis veterum Jurisconsultorum Scriptis aut Rescriptis Imperatorum desumta sufficiant.

H. F. SALOMON,

EXPRAET. BVRDIGAL. ET IN SENATV AQVITANICO PRÆSIDIS,

DE OFFICIIS VITÆ CIVILIS ROMANORVM

LIBELLVS.

CAP. I.

De variis Officiorum nominibus.

OFficii nomen varias sortitur significationes. Primò intelligitur relatio personæ ad certi operis necessariam effectionem, ad normam scilicet præscripti, tanquam exemplar; sicque dicitur officium conditio, habitus, status, vel respectus, propter quem aliquis facere quidpiam tenetur, seu obligatio ad agendum vel omittendum: nam ut agendis, ita fugiendis certis rebus vita omnis nostra continetur.

Secundò, officium opus ipsum significat, quod quis statui suo convenienter facit; hocque sensu ait Charisius jus ad doctrinam, officium ad virtutem pertinere.

3. Officium dicimus aliquando quod quis non ex debito, sed animo & voluntate benè merendi, aut gratificandi facit.

4. Specialiter dicitur de Magistratus vel Subditi munere. Imò officia pro Officialibus sæpè intelligimus, eoque sensu Tertullianus ait, nos divina officia Angelos dicere. Apud Plinium, Suetonium, Juvenalem officium dicitur, quod Græci παράστασιν vocant, quâ præsentiam nostram honoris causâ Principi, Magistratui, aut aliis accommodamus.

Ethici de officio agunt quatenus debetur ex virtute, cujus functio est actio rectæ rationi consentanea, judicio supremi Naturæ Legislatoris respondens. Officium verò dividunt in perfectum & medium, τέλειον καὶ μέσον Græci dicunt. Perfectum κατόρθωμα dicitur, omnibus numeris absolutum, planè rectum, nulla parte deficiens, ex pura mente ad normam legis & propter finem justum & sanctum, sine labe & exorbitatione. Medium definit Zeno, factum, cujus probabilis ratio reddi potest. Commune etiam illud officium καθῆκον vocat Cicero libro *de Officiis*.

Beneficia etiam merita & gratiæ officiorum genera sunt; præterea præcipuum illud est quod in sacris divinisque rebus celebratur, matutinum & vespertinum officium; quin etiam apud Senecam

A *Controvers.* lib. 4. Haterius ait, impudicitiam in egeno * crimen esse, in servo necessitatem, in Liberto officium.

Quandoque officium accipitur pro artis alicujus ratione & functione, officium videlicet Grammatici, Medici; ut & quamvis officium propriè ad virtutem pertineat, ut est singulare hominis officium pietatem colere, tamen & impropriè dicitur accusatoris officium. Sed veriùs & rectiùs Tullius ait, quod ratione rectum est, officium appellamus, & is summo officio præditus dicitur & officiosissimus, qui integer vitæ, scelerisque purus,

B omnino quod decet, strenuè facit.

D. Ambrosius officium quasi *efficium* unius literulæ immutatione nuncupari putat, vel certè quia ea tantùm agantur, quæ nulli officiant, prosint singulis; quoniam primum hominis officium est proximum juvare, & alteri pro viribus prodesse, cunctisque, quantum in se est, gratificari: neque enim tàm nati sumus nobis quàm ut aliis aliquid utilitatis afferamus; unde pulcherrimè ait Cicero, odiosum esse sanè genus hominum officia exprobrantium, quæ meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit. Officium ergo generaliter dicitur quod quisque ef-

C ficere debet, observatâ locorum, temporum, & Personarum ratione. Vnde in familia benè instituta omnes dicimus in officio esse, stare, & Domesticos continere; sic Tullius ait, si in officio erunt Amici, pecunia non deerit, ad uxorem scribens. Sic modi loquendi in usu sunt, officium facere, exsequi, obire, persolvere, præstare, servare, retinere, usurpare, intermittere, & deserere, quando ab eo disceditur. Fungi officio vulgare est, ei incumbere & satisfacere, ejusque meminisse, aliosque commonere. De his verò officiis, quæ liberè præstabantur, veteres memorias ea præci-

D puè attingunt, quæ familiaria sunt, quæ, ut notat Tertullianus lib. *de Idololatria*, multa erant, officia privatarum & communium solemnitatum, ut sponsalium, togæ puræ, nominalium, funerum, insertationis, salutationum, & deductionis Magistratuum. Observandum verò est noctu plerumque vel prima luce celebrari solita. Officium togæ puræ circa mediam noctem exercebatur; funeris officium noctu fieri; luctus & dolor, qui tenebras quærunt, satis indicant. Sponsalibus autem prima aut secunda diei hora dicatæ erant: unde Juvenalis de hoc officio *sat.* 2. ℣. 132.

* Leg. *ingenuo*.

Offi-

——— ——— *Officium cras*
Primo Sole mihi peragendum in valle Quirini:
Quæ causa officii? † *quia nubit amicus.*

CAP. II.

Officium Togæ puræ.

PRimum officium familiare, idemque nocturnum cui datur lumen, est officium Togæ puræ. Qua ætate sumeretur & indueretur toga pura seu virilis, quæ prætextæ opponitur, scribit Justus Lipsius *ad Annal. Taciti*, ubi explicat virilem togam Neroni fuisse maturatam. Hoc loco dictata à doctissimis Viris fideliter reddam, neque committam, ut in furto, aut plagio deprehendi malim, quàm ingenuâ verecundiâ profiteri cujus depositum servem. Igitur quod semel susceptum est persequar. Dici toga pura alio nomine videtur dies Tyrocinii, propterea scilicet quòd inciperent Romani esse milites Tyrones sumtâ togâ purâ; qui verò togam puram suscipiebant, deducebantur ab agnatis in forum, à foro in Capitolium, ut observant Plutarchus in *Bruto*, Valerius *lib. 5. cap. 4.* Suetonius in *Augusto*, cujus hæc sunt verba: Consulatum petiit, ut filios amplissimo prædicti * magistratus suo quemque tyrocinio deduceret in forum. Munera & sportulas dari die Togæ puræ seu Tyrocinii docet idem Suetonius in *Nerone* cap. 7. Nec solùm in Principum liberis, sed vulgò id servatum legimus apud Plinium libro 10. *Epist.* Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, solent totam familiam, villam & viciniam, atque etiam de plebe non exiguum numerum vocare, binosque dare denarios.

CAP. III.

Quæ modestia desiderabatur in eo, qui Togam puram sumeret.

EO anno, quo sumta virilis Toga fuerat, etiamnum pudor in adolescentibus est desideratus, adeò ut ad cohibendum brachium toga constringeretur. Quæsitum est à Turnebo viro doctissimo, quis esset sensus illius loci apud Ciceronem *Orat. pro Cælio*, *nobis quidem olim annus erat ad cohibendum brachium togâ constitutus*; quibus respondet, sibi videri eo anno, quo sumta virilis toga fuerat, modestiam & pudorem in juvenibus requisitum fuisse æquè ac in puellis; propterea quòd à suis Magistris liberati, & suæ tanquam tutelæ vel proprii arbitrii facti; nisi essent petulantiores eo anno de eorum pudicitia malè existimabatur; qui enim brachium vel profert, vel exserit, minùs modestus & verecundus esse videtur, quàm qui togâ brachium continet, Turnebus lib. 3. *Advers.* cap. 6.

CAP. IV.

Toga pura, ralla, vel pexa.

ROmani prima Reip. nascentis ætate togas spissas gerebant; posterioribus temporibus rallæ fuere in usu. Rallam vestem à raritate dictam quasi raram notat Nonius Marcellus in Libello

† In Edit. *quid quæris?* * Leg. *præditus magistratu.*

A *de Vestimentis*, Plautus verò in *Epidico*, vestem rallam à spissa separat. Rallæ vestes, quia nimium pellucidæ, quæ videlicet corpus magis nudarent quàm tegerent, subiere reprehensionem. M. Portius Cato in Catilinam, quos calamistratos quotidie in oculis civium, & vestibus collucentes, passim obvolitare cernimus.

CAP. V.

De Tunica.

ROmanos initio togâ solâ sine tunicis usos fuisse scribit A. Gellius *lib. 7. cap. 3.* Viris autem & B mulieribus communes fuere Tunicæ; sed inter viriles & muliebres multum discrimen. Viriles substrictæ & breves citra humerum desinebant sine manicis, auctore Nonio Marcello. Tunicæ mulierum longæ, maniculatæ, sive manuleatæ, prolixæ, videlicet ultra brachia usque in manum, ac prope in digitos: quibusdam verò iis uti Romæ indecorum fuit, imò flagitium, ut notat D. Augustinus lib. 3. *de Doctrina Christiana.*

C

CAP. VI.

De mutatione Togæ.

CIvis Romanus in Vrbe & extra Vrbem semper togatus conspici debuit, & apud Livium Scipio à Q. Curtio vocatus fuit in judicium, quòd in Asia palliatus fuisset; objectumque Rabirio Posthumo, quòd extra Romam togam mutasset; totusque est M. Tullius in eo purgando, tanquam ab insigni facinore, in *Oratione*, quam pro eo D habuit. Imminente tumultu aut bello sagum sumere posita veste cogebatur civis Romanus: depulsis verò periculis, quorum terrore vestem mutaverat, ad togam vestiendam jubebatur, apud Dionem *lib. 39.* Pisonem edixisse, ut Populus Romanus rediret ad vestitum priorem, *Oratio* Tullii contra eum habita declarat. Sic in *Philippica* idem Cicero ait, propter cujus periculum ad saga issemus, propter ejusdem salutem redeundum ad pristinum vestitum. Sciunt omnes togæ mutationem in luctu frequentem fuisse, eamque pullam sumtam.

E

CAP. VII.

De Subucula.

TOgæ Tunica, Tunicæ suberat Subucula: Tunica enim duplex dicitur, interior quæ subucula & interula; vel indusium, alia est exterior. Vtraque, ut & toga, ex lana confecta primùm fuisse videtur: nam constat serò linum ex Ægypto fuisse Romam advectum. De lineis togis queritur passim Seneca. Quintilianus formam & figuram F togæ virilis designat. Indusium autem propria est vestis, quæ corpori inter plurimas alias adhæret. Varro autem Libro *de Vita Populi Romani* ait, postquam binas tunicas habere cœperunt, instituerunt vocare subuculam & indusium.

CAP. VIII.

Officium barbæ positæ.

QUemadmodum designavimus, die togæ puræ pueritiam exsuebant, sic barbâ rasâ juventutem deponebant, & transibant in viros: unde dies illi dicebantur Juvenalia: hic dies Romanis pariter festus, adeò ut munera peti, darique solerent, de quibus Juvenalis *sat.* 3. ℣. 186.

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati:
Plena domus libis generalibus.*

Vigesimo anno vel circà barba ponebatur, quam deo alicui dicare consueverant: Suetonius in *Nerone* ait, barbam primam posuit conditamque in aurea pyxide, & pretiosissimis margaritis adornata, Jovi Capitolino consecravit.

CAP. IX.

Officium Recitationis.

AMici vocabantur ad recitationem, ut ad togam & positionem barbæ. Recitationis verò duæ erant causæ, & duplex recitandi ratio: sollicitudo & cura recitantium prima est, altera verò est audientium judicium & consilium. Plinius Junior* recitabat, ut hac exercitatione ad laudem incenderetur, tum etiam ut admoneretur, si fortè quid falleret, ac inveniret qui consilii sui copiam facerent: sollicitudo enim est emendatrix acerrima; hoc ipsum, quod nos recitare cogitamus corrigit, quod auditorium aggredimur observat, quod pallescimus circumspicit. Emendat se qui recitaturus est, judicio aliorum seipsum subjiciens, adeò ut antequam faciat id, sæpe ipsum, idemque retractare, & quasi sub incudem revocare debet, si velit reprehensionis aculeos effugere.

CAP. X.

Quæ olim recitabantur.

ORationes, Dialogi, Historiæ, Carmina, Fabulæ publicè aut privatim recitabantur. Augustus Imperator recitantes benignè & patienter audivit Carmina, Orationes, Historias, & Dialogos; placuit autem nonnullis non recitandam historiam, quia non ostentationi, sed fidei, veritatique, tribuitur; nec tragœdiam item, quæ non auditorium, sed scenam & actores, videtur exposcere. Verùm non possum non mirari, cùm in illam recitandi rationem incido, eorum stultitiam qui pecuniâ redimebant Auditores, & plausum, & quasi conductitios laudatores, qui Poëtæ faverent blanditiis verborum, qui gratularentur dictioni figuratæ; quod nisi temporibus nostris factum renovatumque cerneremus, vix Persio, Juvenali in *Satyris*, & Plinio passim in *Epistolis* crederetur.

CAP. XI.

Officium Declamationis.

DE Declamationibus, ad quas Amici vocabantur, iisque intererant, accuratè Persius *sat.* 3. ℣. 44.

A *Sæpe oculos, memini, tingebam parvus olivo,*
Grandia si vellem morituri verba Catonis,
Discere ab insano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis gaudens audiret amicis.*

Suetonius cap. 31. in *Tiberio* narrat, Diogenem Grammaticum declamare solitum venientem Tiberium non admisisse, & per servulum suum in septimum diem distulisse: hunc Romæ salutandi sui causâ pro foribus adstantem nihil ampliùs, quàm ut post septimum annum rediret, admonuit. B Ceterùm duo intelligere licet ex hoc historiæ contextu; primum non modò Amicos, sed etiam Imperatores Rhetorum Declamationibus præsentiam suam accommodasse, deinde septimo quoque die in Scholis habitas fuisse Declamationes.

CAP. XII.

Officium Sponsaliorum.

SPonsalia propriè intelliguntur solemnia eo die celebrata, quo quis uxorem duxerat. In nuptiis autem præter aquæ & ignis prolationem cum C facibus accensis, clavium traditionem, acclamationem Thalassionis, Geniorum maritalium evocationem, intercedebant signatæ tabulæ, quibus sponsus ab eo unde ducenda erat uxor eam traditam iri, qui daturus erat vice versa ducendam, stipulabatur. Has tabulas D. Hieronymus *sponsales*, D. Augustinus *matrimoniales* vocant. Ad nuptias vocabantur Amici, & signatis tabulis adclamabant feliciter, unde Juvenalis *sat.* 2. ℣. 119.

Signatæ tabulæ dictum feliciter.

Et Messala apud Festum in *Sponsalibus*, sponsis bene, benéque volueris in precatione augurali. Sacra etiam quædam in nuptiis celebrabantur, quibus D adesse Christianos, si alia eos causa conjungit, non vetat Tertullianus, severissimus alioquin superstitionis Censor, modò spectatores sint ab omni sacrificiorum vanitate extranei, & amici sint non idolo officiosi; sunt enim, inquit ille, officia necessaria, & dies quidam munerum, quæ apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum, expungunt, tunc licet recipere suum & rependere alienum.

CAP. XIII.

E *Officium Nominalium.*

AMicos etiam constat ad Nominalia invitatos fuisse ante septimum diem, quia exstinguuntur plerique sanguinolentorum, ut vocantur *l. ult. Cod. de patribus qui filios distraxerunt*, id est, recens natorum, & adhuc à matre rubentium, ut canit Juvenalis. Ideo receptum esse apud Græcos scribit Aristoteles, ut septimo die imponerentur nomina; Plutarchus auctor est, apud Romanos masculis quidem septimo die, fœminis octavo F die tantùm imponi solita fuisse. Consulendus in hujusce antiquitatis fidem Suetonius in *Nerone*, Capitolinus in *Claudio Albino*, qui docet lustrico die propinquos & familiares vocatos fuisse ad epulum in Nominalibus, his verbis: *Cùm rarum esset aquilas iis in locis videri, in quibus natus est Albinus, septima diei hora convivio, quod celebritati pueri deputabatur, cùm ei fierent nomina, septem aquilæ parvulæ de nido allatæ sunt.* Nec tamen ideo minus existimaverim, quo die puer natus esset, eodem epulum seu con-

* Rep. genialibus. * Vid. lib. 5. epist. 13.

* Hi versus aliter planè leguntur in Edit.

convivium anniversarium celebrari solitum: nam & hac ratione Veteres dare natalitia munera dicebantur, & convivium ipsum hoc nomine appellabant; sic Cicero 2. *Philippica: Hodie non descendit Antonius, cur? dat natalitia in hortis, putatote alicui Phormioni, Ballioni aut Gnathoni.* De Natalitiis etiam loquuntur Plautus in *Pseudolo*, & Seneca lib. 2. *de Ira* cap. 33. Romani ingenui triplicem appellationem induerunt, prænomen, nomen & cognomen, servi unico nomine designabantur. Vide Ausonium in *Grypho*,

——— *tria nomina nobiliorum.*

Sed etiam apud Horatium prænomen accipitur pro ingenuitate; sic enim canit ille *lib.* 2. *sat.* 5.

——— ——— *gaudent prænomine.*

Porrò recens nati nomen sortiebantur, interdum ab ordine nascendi, ut Secundus, Quintus, Sextus, Decimus in masculis: Prima vel Primilla, Secunda vel Secundilla, Tertia vel Tertilla, Sexta vel Sextilia. In altero sexu interdum à tempore nascendi, ut Lucius quasi prima luce natus; tum etiam ab alio quopiam eventu, ut Cæsar à matre secta, cujus memoriæ nos admonuit Sigonius. Ne quis verò hallucinetur in eo, prænomen non imponebatur Nominalibus: sic enim Valerius scriptum reliquit *lib.* 10. nec pueris priusquam togam virilem sumerent; puellis verò, non antequam nuberent, prænomina imponi moris fuisse, ex Capitolino probari potest.

CAP. XIV.

Officium agnoscendorum liberorum.

PAtres præsentibus Amicis editos liberos suscipiebant, susceptos agnoscebant; auctor est Suetonius in *Vita Augusti*, illum ex nepte Julia editum infantem agnosci, alique vetuisse. Ut verò patres liberos editos agnoscerent, nativitatem in Actis profitebantur. Hujusce instituti origo à Servio Tullio emanavit; qui ut numerum subditorum nosset, & sciret qui nascerentur aut morerentur, adinvenit, ut propinqui nata prole certum aliquem nummum in templum Junonis Lucinæ ferrent, itidem ut alio mortuo in Veneris, aut Libitinæ fanum aliquid deponerent. At verò à sumente quopiam togam virilem in Juventutis delubrum idem census ferebatur; qui mos exoleverat, sed in usum retractus fuit ab Augusto, ut narrat Suetonius.

CAP. XV.

Officium Advocationis.

DE hoc officio scribit Plinius epistola 9. *ad Minutium* lib. 1. *Si interrogem, quid egisti hodie? respondebis, officio togæ virilis interfui, sponsalia & nuptias frequentavi; ille me ad signandum testamentum, ille me ad advocationem rogavit.* Advocati erant amici, qui squalidis & in reatu sedentibus ad movendos Judicum animos operam suam accommodabant; sic dicti quòd advocarentur & arcesserentur quasi operæ forenses; eâdem prorsus formâ, quâ operæ campestres pro iis qui Candidati aderant in Campo Martio. Evocati fuerunt pro Fontejo Advocati Macedones, Hispani, Massilienses, qui suam præsentiam com-

A modarent, & Judices exorarent. Mittebantur etiam Legati ex Provinciis in Reorum periculis, quemadmodum in causa Verris Mamertini, Gaditani, in causa Balbi apud Tullium.

CAP. XVI.

Advocationes in causis capitalibus.

OFficium Advocationis sæpius in causis capitalibus cernebatur. Magistratus autem Romani
B quando Reum aliquem capitali damnabant supplicio, prætextâ exsuebantur, perversam vestem induebant, quasi vicem Rei quodammodo lugerent, ut notat Valerius Maximus *lib.* 9. *cap.* 12. Supplicia verò non fuere unius ejusdemque generis; quædam, ut notavimus, servilia, quædam militaria, alia urbana, de quibus vide Petrum Fabrum lib. 2. *Semestr.* At verò nunquam in Reum animadvertebatur eodem die, quo morti condemnatus fuerat, siquidem pœna damnatorum in diem decimum differebatur, ut auctor est in *Tiberio* Suetonius; nonnunquam in diem trigesimum usque, quemadmodum colligitur ex Quintiliani
C *Declamationibus.* Porrò cùm jam dies supplicii instaret, Populus classico convocabatur, quia supplicium non tàm ad delictum, quàm ad exemplum videbatur pertinere, teste eodem Quintiliano.

CAP. XVII.

Officium Deductionis & Salutationis.

CIves Romani tenuiores Candidatos & Magistratus deducebant & comitabantur, imò clien-
D tes tribulesque videbantur sublevare Candidatos, cùm eos deducerent; de hoc officio loquitur M. Tullius *Oratione pro Muræna.* Erga Oratores impensum ab Amicis idem officium, testatur Cornelius Tacitus, seu alius Auctor Libelli *de Oratore*, & Tullius ipse lib. 1. *de Oratore.* Jam verò Togatorum comitatum & ingressum, quæ in publico species, quæ in judiciis veneratio, quo nomine Clientibus cœna dabatur, infrà explicabitur. Inter Amicos & pares officium deductionis receptum; Plinius fatetur in *Epistolis* se prosecutum fuisse secedentem Valerium Martialem, *lib.* 3. *epist.* 21.

E

CAP. XVIII.

Officium Sportularum.

SPortulæ erant calathi ex vimine texti, ut Asconius Pædianus & Servius scribunt, vel à sparto, quasi sparteas, vel ab asportando; sic Varro *de Vita Populi Romani* ait, obsonium in tota cœna coëmtum ex variis rebus conjectum in unam sportam perspicitur. Sportula igitur erat capsa obsoniorum & cœnæ servandæ causâ parata: hinc
F factum ut sportula pro cibo acciperetur, qui à Magistratibus quotidie dabatur iis, qui officii gratiâ eos comitati fuissent aut domi salutavissent togati. Opponebantur verò sportulis rectæ cœnæ, quæ sic dictæ erant cùm Clientem lautè excipiebant & pascebant. Tranquillus in *Domitiano* ait, eum sportulas publicas sustulisse revocata rectarum cœnarum consuetudine. Liberaliores enim convictoribus suis asseclis & Clientibus convivia exhibebant recto ordine, unde Martialis *lib.* 8. *epigr.* 50.

Promissa est nobis sportula, recta data est.

Solebant quandoque nummi & pecunia loco ſportularum Clientibus diſtribui: Juvenalis *ſat.* 1. ℣. 117.

—— *ſummus honor finito computat anno,*
Sportula quid referat.

Sic Xenia dabantur hoſpitibus mutua.

CAP. XIX.

De Officio Conviviorum.

PRæter rectam cœnam, quam opulentiores inferioribus & Clientibus exhibebant, convivia etiam ſæpius à ditioribus inter pares celebrabantur, ut anniverſario die natalium & aliàs. Tullius convivii proprietatem demonſtrat lib. *de Senectute* cap. 13. *Benè*, inquit, *Majores accubitionem epularum* * *amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominaverunt meliùs quàm Græci, qui compotationem & concœnationem nuncupabant.* Conviviis verò præter fercula & obſonia, Muſica, Symphoniæ, Pſaltriæ quoque & Cymbaliſtriæ mulieres. Adhibebantur & Saltatrices, Mimi, & ludicrorum omnia genera luxu erudito inducebantur; roſæ capitibus, & floribus corollæ imponebantur, odoramenta, aquæ olentes, vel crocus effundebantur, & unguenta pretioſa, quibus diſcumbentes, capite, manibus, pedibus, veſtes tenus delibuti erant, & apophoreta dividebantur.

CAP. XX.

Morituri decenter ab Amicis compoſiti.

AMici aderant morituro, ut illius oculos ſuggillarent, verba ultima notarent, & quaſi animam fugientem exciperent, ſaltem complecterentur. Sic Corn. Tacitus in *Vita Agricolæ* ſoceri: *Tu felix*, Agricola, *non tantùm claritate vitæ, ſed etiam opportunitate mortis feliciſſimus; ſed mihi auget moleſtiam, quòd aſſidere valetudini, fovere deficientem, ſatiari vultu, & complexu non contigit. Excepiſſem certè mandata, voceſque, quas penitus animo figeremus.* Præcipua autem cura morientium fuit decenter componi; ſic canit Ovidius lib. 13. *Metam.* ℣. 479.

Tunc quoque cura fuit partes velare tegendas
Corporis.

* Leg. *epularem.*

A Auguſtus in extremo vitæ capillum ſibi comi, & malas labentes & fluentes corrigi præcepit, an ut diſſimularet vim morbi, & ſpem longioris vitæ viſentibus daret; an potiùs ex veteri Græcorum & Trojanorum conſuetudine, qui id diligenter cavebant, ut decenter compoſiti abirent ad plures.

CAP. XXI.

Officium Funeris.

B NOn erat ſatis id officii præſtare moribundis, ut adeſſent Amici; poſtulabat enim rurſus amicitia, ut mortuus ad rogum produceretur. Nec eſt prætereundum, Imperatores in funeribus & exſequiis virorum illuſtrium ad laudationem tantùm, quæ in foro fiebat, venire ſolitos: non tamen interfuiſſe officio cùm efferrentur è Roſtris ad buſtum. Frequens laudationibus mortuorum amicorum adfuit Auguſtus, ut narrat Suetonius in *ejus Vita.* Reliquiæ autem mortuorum colligebantur à parentibus vel amicis tunicatis & diſcinctis; ſic Tibullus *lib.* 3. *eleg.* 2.

C *Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis oſſa*
Cum gemitu nigrâ candida veſte tegant.

Imò plerique oſſa & cineres colligebant in urnis, & cum urnula lachrymarum in monumento ſeu ſepulchro lapideo, aut fictili, aut in conditorio ſervabant, additis plerumque lucernis.

CAP. XXII.

Quo tempore cœperit & deſierit crematio cadaverum.

D PLinius Junior * *cap.* 54. *lib.* 7. ſic fatur: Primùm cadavera ſepeliebantur, ea non ſepeliri poſtea placuit, ſed cremari, ne ſubeſſet occaſio crudelitatis inferendæ mortuis. Verùm ætate Tertulliani atque ſub imperio Severi Imperatoris crematio fuit prohibita Chriſtianis. Legendus Tertullianus in libris *de Corona Militis*, & *de Reſurrectione carnis.* Apud Petronium vidua cadaver conjugis in ſpelunca ſervabat, quod novi mariti periculo impendit.

* Voluit dicere, *Senior.*

FINIS.

IOSEPHI LANZONI,

M. D. FERRARIENSIS,

Ac in Patr. Gymnasio Lectoris ordinarii;
Acad. Natur. Cur. Collegæ, &c.

DE CORONIS ET UNGVENTIS
IN ANTIQVORVM CONVIVIIS
EXERCITATIO PHILOLOGICA:

Ab Italica in Latinam Linguam traduxit, sectionibus distinxit, Notis, & Animadversionibus auxit

HIERONYMVS BARVFFALDVS

PH. D. FERRARIENSIS.

Accessit

Insuper ejusdem Traductoris singulare

DE ARMIS CONVIVALIBVS, &c.

SCHEDIASMA.

Cicero *Tuscul. Quæst. l.* 3.

Fungar jam interpretis munere, ne quis me putet hæc fingere, &c.

ILLUSTRISSIMO VIRO
DOMINO

EMILIANO TRAVAGLINO

J. U. D.

NOBILI SPOLETINO,

Atque in Civitate, & toto Ferrarienſi Ducatu pro R. C. Apoſtolica Commiſſario Generali digniſſimo.

QUærenti mihi, cui potiſſimùm Opuſculum hoc *de Coronis & Unguentis in Antiquorum Conviviis*, quod nunc multò auctius, correctiuſque ſecundò in lucem prodit, dicarem; ex iis, qui ſe mihi obtulerunt, Te mihi nullus opportunior oblatus eſt. Tu enim, Illuſtriſſime Domine, mihi es imprimis Patronus cariſſimus & optimus, quem jure diligere ac vehementer amare debeo. Præterea virtutes tuæ præclariſſimæ, doctrina, & prudentia exercendi munus Tibi à ſupremo Principe noſtro commiſſum, ac elegantiſſimi tui mores ad obſervandum Te colendumque magnoperè alliciunt. Denique eximia tua atque illuſtria facta, quibus noſtram hanc civitatem, tot armorum periculis oppreſſam, prudenter ac mirabiliter ſublevaſti, poſtulant ut Tè admirer atque ſuſpiciam. Quamobrem rationibus his adductus meritò Te, Illuſtriſſime Domine, omnibus præpoſui, atque ex cunctis unum delegi, cui has Lucubratiunculas dicarem, & cùm tui nominis inſcriptione emitterem atque publicarem; ſperans meam hanc in Te obſervantiam Tibi non ingratam atque injucundam fore. Accipe igitur, Illuſtriſſime Domine, munuſculum hoc, ab optimo ac Tibi deditiſſimo animo profectum; & cogita quamdiu Lucubrationes iſtæ exſtabunt, meam erga Te incredibilem benevolentiam nunquam obſcuram fore. Vale.

Dom. Tuæ Illuſtriſſimæ

Humillim. addictiſſ. & obſeq. Famulus,
Bernardinus Barberius.

HIERONYMI BARUFFALDI

De Translationum necessitate, & de hujus Libri Traductionis caussa,

PROLEGOMENA.

Ad Lectorem.

QUoniam universo Mundo non unus sermo est, nec idem verborum usus, licèt unum idemque sit ubique sermocinandi instrumentum: ideo prisca usque ab ætate mos invaluit, sermones ab uno in aliud idioma, modò disertè, modò non verbis, sed sententiis, vertendi; atque ita paulatim omnibus id commune factum est, quod, prisco Linguarum divisionis infortunio, peculiare evaserat. Præ omnibus verò Linguis, cæterarum Provinciarum triumphatrix, una illa Latina fuit omnium Linguarum Regina, quæ post tot Populorum, Regnorum, Urbium, Academiarum eversiones, adhuc vivida, florens, ac annos perpetua juventa gerens, evasit. Propterea qui Latinam Linguam hodierno tempore callet, universas Mundi Regiones peragrare valet, secum ubique quasi Libellum assertorium portans, seu fidum interpretem, ut ubique locorum percipiatur, suscipiaturque. Hoc idem itaque, quod Advenæ extera loca petenti eveniret Latinè loquendo, Libris quoque tribuendum est, qui quamvis consultores mortui nuncupentur, Orbem tamen peragrare audent, ac per omnes Mundi partes perstrepere auctoritate non minùs, quàm facundia & delectatione; animos quandoque mulcendo, suavibusque narrationibus, ac veris exemplis, rectum vivendi usum docendo. Consulendi igitur caussâ huic admodum ingenti utilitati, Patres nostri, benè & sapienter animadvertentes, Latinam Linguam quibuscumque Nationibus communem, ex Hebraico, Græco, Syriaco, Chaldæo, & Italico, non minùs quàm Gallico & Teutonico sermone, aliisque plurimis, ad Latinam Linguam transferre conati sunt Libros potiores præcipuarum facultatum, ut ubi nec Italica, nec aliæ Linguæ in usu sunt, Latino sermone, saltem pro communi eruditione, scientia nostra promulgaretur.

Enimvero secùs operam navando, continua Galliæ, Hollandiæ, Germaniæque haud compensaremus beneficia, quæ nostris Bibliothecis elargiuntur. Maria navigiis gravia intuemur quotidie Voluminibus celebrioribus Auctorum primæ Classis, mole, numero, ac argumentis rarioribus Musea nostra cumulantia: quorum excellentissimorum Auctorum cura fuit unicè Latinè scribendi ad nostram utilitatem: quando expeditiùs, utiliúsque fortasse maternas Linguas illustrassent Gallicè, Teutonicéque scribendo. Nobis commune beneficium reddere studuerunt, tot scientias pertractando, totque artes & facultates eadem illa Lingua, quæ præter vernaculam, maternamque, magis nobis in usu est, cuique à teneris unguiculis tanto temporis impendio insudavimus, quamque à prima adolescentia acquisitam, ad ultimam senectutem usque custodimus.

Gallici idiomatis, inter alia, non fortuitò hìc sermonem habui: quamvis penè omnia Gallorum studia modò in hoc versentur, ut maternam Linguam per universas Mundi Regiones diffundant, quamcumque materiam, vel abstrusissimam, sermone tantùm vernaculo pertractantes, ut Linguâ quoque universis dominentur Nationibus. Verùm hodierni magni Regis ætatem mos iste non superat: si enim retrorsum intueri datum esset, Latinam Linguam à Gallis apprimè illustratam fateremur per Gersonios, Turnebos, Tiraquellos, Brissonios, Budæos, Duretos, ac penè innumeros alios primæ notæ Scriptores, natione Gallos, Linguâ & calamo verè Latinos. Isti omnes Italicas Bibliothecas innumeris Voluminibus ditarunt; ac quascumque facultates floridè & luculenter uno sermone Latino illustrarunt.

Insuper nonnullæ facultates proprio & singulari idiomate pertractari desiderant, quæ Linguâ non suâ aliter balbutirent: harum una (ut illam secernam, quæ magis ad argumentum nostrum pertinet) Ars Antiquaria est, quæ Ritus, Historias, Monumenta cæteraque venerabilis Philologiæ argumenta continet. Hæc Latinam Terram parentem noscit, ac ex ruderibus è Latio effossis penè germinare quotidie videtur: hæc nullo patitur tractari sermone, quàm Latino: illud enim evenit in hujus argumenti Libris Latinè scriptis, ut miscella Linguarum fiat modò Italica, modò Latina, nec duo verba junctim & continuò scribi queant, cui testimonium Latinum non sequatur. Res certè non omni laude digna: vix enim perleguntur Italici Libelli inter hos Italiæ fines, ubi ex professo Italica Lingua viget: ceteroquin ultra montes, ubi sermo Italus pro studio habetur, eodem modo, quo Gallus apud nos, vix succisivis horis & secundariis perleguntur pauculi Italici Versus suavioris numeri, ac Romanenses fabulæ in Gynæceis, ac in secretioribus fæminarum cubiculis, seu apud Tyrones Linguæ Italicæ, non ut eruditionis, sed ut verbi unius minùs triti pondus librent,

brent, non naturam doctrinæ. Enimvero quot Italorum Scriptorum pretiosa Volumina, omnique æstimatione dignissima, Italiæ nostræ montibus septa quasi flaccescunt, pereuntque, angusto nimium vallo restricta; latentque penitus ultramarinas Gentes, hoc seu favore, seu solatio, destituta, transvadandi tot sinus & maria hac una tantùm culpa, quia Italicè loquuntur. Permulta enumerarem Volumina, quæ vel nimia solitudine attrita, & frigore consumta periere in Bibliopolarum Italorum Promtuariis, Apothecisque, vel ad ollas in culinis damnata, vel ad scombros & garum in officinis hac una de caussa, quia cùm potior eorum pars Bibliothecas Italiæ jam impleat, cetera Alpes, seu maria extra Italiam trajicere non valentia, cèu relegata, vel damnata inter hos fines, benignum emtorem, vel interpretem nacta non sunt, qui ea ad longinquas Bibliothecas, seu ad Athenæa ultramarina, viam præmonstrando, perducant. Ast eorum memoria ehu nimium vilesceret, ac tota Italia fortasse ab infausta recordatione abhorreret.

Si ullum itaque argumentum Latina Lingua pertractari dignum, certè hoc est de Rebus Convivalibus *&* Coronamentis, *ubi tota & Græca & Latina floret Philologia. Plutarchum, Athenæum, Plinium, Stuckium, Bulengerum, Pascalium, Ciaconium, centumque alios (ehu cur non Magnaninum nostrum, qui tam eruditè de Convivio Volumina duo Italicè exaravit!) seu è Græcis, seu è Latinis fontibus derivatos inspicimus, qui hoc eruditionis genus admodum excellenter illustrarunt, publicique juris fecerunt longinquioribus Regionibus mores, & ritus tam elegantes, tantisque mysteriis refertos.*

Unicum inter tot intueri dabatur Opusculum hoc de Coronis & Unguentis *licèt exiguum, pretiosum sanè, nostri celeberrimi undequaque Viri & Amici* Jos. Lanzoni *de Rep. litteraria adeò benemeriti, quod ab Anno usque* 1698. *quo consilio, nescio, Italicè exaratum prodiit, atque ita inter manus tantùm eruditorum Italiæ Virorum versabatur, nec ad illas transmarinas Regiones peragrare dabatur, quò tot ejus sanè eruditi fratres, ejusdem patris filii, fortunatè jam pervenere, & à celebrioribus Europæ Academiis suscepti, laudabiliter identidem in pretio habentur.*

Quamobrem, cogitanti mihi quomodo exspectationi satisfieret, quam tot Auctoris Amici ac cultores in Germania præcipuè, ac in locis ultra montes, enixè sustinent: atque argumentum hoc eadem Lingua pertractatum exoptant, quâ ceteræ ejusdem naturæ Dissertationes: illud se obtulit, ut ad Linguam Latinam brevi dierum spatio Opusculum transferrem melius quò fieri potuit, & eodem penitus stylo hujusmodi pertractationi convenienti, ut res tam reconditæ vetustatis facilè perciperentur. Ad majorem insuper dilucidationem, ornatumque, (absit contradicendi, seu adversandi pruritus: neque enim cum Quintiliano, Paraphrasim esse interpretationem tantùm volo, sed circa eosdem sensus certamen atque æmulationem) Opusculum sectionibus distinxi, nonnullasque adnotatiunculas adnectere ausus sum, locis præcipuè illis, ubi Auctorum testimonia magis explicatione indigebant, ac rerum pertractatarum notitia: ibi nonnulla quærere, nonnulla enucleare; alia exemplis confirmare, alia demum rationibus corroborare non inutile duxi, atque ita amicè & benevolè de doctissimo Viro benemereri, Concivem illustrare, atque semper candidum, perennem, unanimem, & in utraque fortuna immutabilem Amicum colere, quo mihi

Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque.

Martialis *l.* 4. *ep.* 86.

IOSEPHI LANZONI,

M. D. FERRARIENSIS,

DE CORONIS ET UNGVENTIS

IN ANTIQVORVM CONVIVIIS

EXERCITATIO PHILOLOGICA.

§. I.

PRimum Coronarum Institutorem Cælum ipsum fuisse, seu potiùs à Cælo homines usum Coronarum didicisse, facilè adjudicari potest: quoniam, ex Homeri sententia Cl. Saturninus, [1] à Tertulliano allatus *de Cor. Milit.* inquit, stellas Cæli esse Coronam: *Cælum syderibus apud Homeri carmina coronatum.* Ita maximus ille Poëta in Achillei Clypei descriptione. Adinstar Cæli itaque, qui se primùm coronâ redimiret, Saturnum fuisse inquit [2] Pherecydes ab eodem Tertulliano allatus: fœminamque primam, quæ tali ornata redimiculo incesserit, Pandoram fuisse testatur Hesiodus, cui per Charites caput aureum, monente eodem Tertulliano, coronatum fuit: *Hoc primum caput*, inquit, *coronatum est à Charitibus, cùm ab omnibus muneraretur.* Sed, ut Hesiodi sententiam propiùs inspiciamus, Horæ satiùs fuere, quæ illum omnium malorum [3] jucundissimum fontem cinxere:

Circùm verò Charitesque Deæ, & veneranda Suada,
Monilia aurea posuerunt corpori: ipsam porrò
Horæ pulchricomæ coronarunt floribus vernis.

Joannes Rosinus, Leonicus, & Draco Corcyræus in Lib. *de Lapidibus*, Coronarum Inventorem bifrontem Janum volunt, illumque Coronas reperisse, Navigia, Rates, &c. quamobrem nonnullæ urbes Græciæ, Siciliæ, atque Italiæ [1] Monetas cudere consueverunt bifronti capite ex una, & alia parte, vel Rate, vel Navigio, vel Corona.

Bacchum Coronarum Inventorem agnoscunt Isidorus, Jo. Argolus, & Moscardus. A [2] Prometheo quoque institutas fuisse autumari potest, ex quo, magnanimo illo ignis latrocinio patrato, ab Jove asperrimè mulctatus fuit: dein leviori pœna supremus Deorum Præses eundem punivit, *ut liberati à vinculis caput alligatâ coronâ circumdaretur.* Idem & per homines paulò pòst actum fuit, quibus igne communicato maximum beneficium detulisset. Quod & Æschylus in *Prometheo* asseverat, ubi liquidò scribit, *in ejus honorem coronas capite gestari, tanquam vicissim nos pœnam ei pendamus, quòd nostrâ causâ vinculis sit oneratus.* Atque in *Sphinge*,

Hospiti priscum coronam circumdo
Vinculorum Promethei sociam, inquam.

Sed & [3] Dædalum Coronas invexisse in Choreis illis jucundis ob [4] Ariadnem Cretæ institutis, in quibus puellæ *tenues vestes habebant*, notat Homerus, *& illæ quidem pulchras coronas gerebant.*

Homines mirum in modum Coronis oblectati sunt, utpote quæ apud [5] Triumphantes, Milites, Magistratus, Sacerdotes, aliosque plures in usu fuere, atque ita Diis suis gratiores fiebant, ut apud Athenæum inquit suavissima Sapphus, de hoc rationem reddens, cur coronemur,

Hic

1 Præstantissimus in hac materia Commentator est illius *de Coronis* Liber disertissimus.

2 Pythagoræ Magister, de quo idem Tertullianus l. *de Anima* c. 2.

3 De Pandora plura in Græcis Scriptoribus. Primam fæminarum memorat Hesiodus. Ab Hesychio exponitur Terra, quia omnia ad vitam necessaria donat. Apud Poëtas est fæmina à Vulcano facta, ex eo dicta, quòd Dii omnes sua dona in eam contulissent, quorum munerum larga dispensatrix habebatur: atque ideo non semper vas Pandoræ odiosè sumitur. Exstat vetus Inscriptio votiva Ronchi in Agro Ferrariensi ad Sandalum;

PANDORÆ
BONÆ. DISPENSA
TRICI. Q. CAMERIVS
CATVLLINVS
VT. BENE. SIT

Mirum verò hoc, quòd cùm Pandora (ut narrat Gyraldus in lib. *de Diis*) non sit Dea, sed tantùm Vulcani filia, attamen votum illi tamquam Deæ solutum sit.

1 Jani plures Nummi apud Antiquarios obvii sunt cum bicipiti fronte ex una, & Navis rostro ex altera parte: nullus verò adhuc, quod sciam, cum corona. Cave ne temerè credas Athenæo, qui hoc constanter asserit: certè Rosinus, Naves tantùm, & Frontes (non verò Rates, quia idem sunt ac Naves) in hujusmodi Nummis notat; cujus opinioni magis adstipulor.

2 Prometheus Japheti filius, qui primus finxit ex luto simulacra, unde dicunt eum homines fecisse: fabulantur enim quòd in Cælum adscendens ignem ferulâ sit furatus, quo simulacrum à se factum animaret: qua re iratus Jupiter ipsum alligari jussit ad montem Caucasum.

3 Atheniensis faber ingeniosus. Hic in Creta Insula Labyrinthum construxit, & sibimet, Icaroque filio construxit alas.

4 Bacchus eam accepit in uxorem, cui Venus elargita est coronam, quam Bacchus dein novem stellis ornatam Cælo imposuit, diciturque Corona Gnosia, de qua Virgilius *Georgic.* l. 1.

Gnosiaque ardentis decedat stella Coronæ.

5 Multiplici officiorum generi multiplex corona dabatur: Triumphantibus una, Militibus altera, Magistratibus alia: modò rostrata, modò radiata, civica modò: de quibus consule Pascalium.

Hic te coronato, & pulchræ comæ
Anethi ramos injice, teneris ac delicatis manibus;
Diis enim florida chariora sunt & gratiora,
Eos immortales aversantur, coronam qui non habent.

Atqui cùm Athenæus hos versus tribuat illi, qui *sacris operabatur*, quia coronâ redimitus magis Diis placeret: ideò, cùm [1] mensa tamquam altare apud illustriores Antiquitatis Scriptores, & sacrificium pro convivio sumatur, coronæ ad convivia transmearunt, cujus ritus exordium à Valerio Maximo * Ioniis populis tribuitur.

His ita stantibus de Coronis, occasionem instituti nostri repetentes, hoc est, in quo convivii ordine apud Veteres Coronæ atque Unguenta odorata effunderentur; eodem tempore unà & simul & Coronas & Unguenta in usu fuisse ambigendum nequaquam judicamus. Hinc Lucretius de his junctim canit *lib.* 4. ✠. 1124.

Eximia veste & victu Convivia, Ludi,
Pocula crebra, [2] Vnguenta, Coronæ, serta parantur.

Quod & apud Martialem *l.* 2. *ep.* 59.

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Eundem morem pluries Horatius quoque retulit, ut *l.* 2. *od.* 7.

Pompei, meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

Nitentes [3] Malobathro, hoc est, inquit Lambinus, unguento Syrio delibutos. Atque in eadem ode ad calcem:

Oblivioso lævia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
Vnguenta de conchis; quis udo
Deproperare apio coronas, &c.

Et *lib.* 3. *od.* 14. laudes Augusti efferens, strictiùs, sed clariùs coronas & unguenta præstari jubet,

I, pete unguentum, puer, & coronas.

Conjunctionem eandem quoque ex Cæl. Rhodig. & Juvenale *sat.* 15. ✠. 49. habemus,

——— ——— qualiacumque
Vnguenta, & flores, multæque in fronte coronæ.

* Lib. 2. cap. 6. ex. 1.

1 Immo altare mensa est; altare mensa Domini, D. Ignatius in *epist.* Clem. in *Canon.* Dionys. Areop. Irenæus *l.* 4. 20.

2 Thomas Creeck in *Notis ad Lucretium* arcet ab hoc versu *Vnguenta*, tamquam si locum ibi habere nequeant, & supplet, putatque legendum fortasse *Vnioque*, seu *fibula*. Ergo tantum Virum, Lucretii voratorem, latebat, unà & simul Coronas & Unguenta apud Veteres in usu fuisse?

3 Folium Indum, Scalig. *exerc.* 140. 1. Idem 146. 2. *Malobathrum Horatius cùm vocavit Syrium, non à natalibus, sed ab officinarum loco deduxit appellationem.* Ferunt apud Indos nasci in ea Regione, quæ *Malabar* dicitur. Plura apud Dioscorid. Hinc *Malobathrarius*, qui Malobathrum vendit. Apud Plaut. in *Aul.* ita quidam legunt, ubi alii *Murrobathrarii*, alii *Myrobrecharii*, qui unguento capillitium ungunt.

A Anacreon, aurum, divitias, & imperia obtrectans, inquit;

Sed curo delibutam
Vnguento habere barbam;
Sed implicare curo
Meos rosis capillos.

[1] Posidonius insuper lib. 28. *Hist.* ubi, monente Athenæo, de unguentis sermo habetur in regalibus conviviis, cùm Convivantibus coronæ distributæ fuissent, quosdam cœnaculum ingredi consuetos fuisse affirmat cum utriculis unguenti [2] Ba-
B bylonii, qui procul mensam circumeuntes accumbentium, coronas eo irrorant, aliud præterea nihil conspergentes.

§. II.

CUm igitur unà & simul unguenta, flores, & coronæ in Conviviis eodem tempore præstarentur, illud remanet, ut inquiramus, an in exordio, vel in fine, seu in [3] secunda mensa hoc fieret, in qua quidquid sub [4] bellariorum nomine continetur, afferebatur. Athenæus pro utroque
C tempore testimonia in promtu habet. Pro exordio stat [5] Philoxenus Dithyrambicus in lib. inscripto *Cœna*, ubi ait;

Aqua lavandis manibus allata est;
Mollidusculus puellus argenteo [6] gutto, quem tenebat,
Affudit, coronasque deinde advexit
Tenues, è puris myrti ramis magno labore contextas.

Et ne dubitandi locus adsit de initio cœnæ sermonem habere, Athenæus ipse hoc explicat inquiens: *Epularum initio coronas dari tradit his ver-*
D *bis: hoc est, modò hæc præstatis?* Sed Eubulus in *Nutricibus* apud eundem Athen. interpretatione non indiget: inquit enim,

Domum ut sunt ingressi vetuli, statim accubuerunt: mox
Adest corona: apponitur elata mensa.

Idem dicendum est de Anaximandride * in *Agricolis*,

Vt coronatus sum mensa est apposita,
Tot constrata cibis, quot per Deos
Atque Deas nec ego vidi, nec quisquam alius.

Mo-

E * Rep. *Anaxandride.*

1 Scriptor contemporaneus, & Amicus Athenæi, ut ex *cap.* 18. *l.* 15.

2 Vel Babylone factum, vel ibi usitatum.

3 Mensa dividitur in tres partes: Antecœnium, seu primum ferculum, quod Italicè nuncupatur *Antipasto*; Edulium; & Fructus. Communiter verò duas, edulium nempe, & fructus. Edulium prima; fructus secunda mensa dicitur, hoc est, finis convivii. Servius *in Virgil.* duas mensas tantùm ponit; prima carnis, secunda pomorum.

4 Omne genus mensæ secundæ, hoc est, fructuum: à bonitate, inquit Fungerus in *Etym.* quòd secundæ mensæ bellè & splendidè essent instructæ. Franciscus Pa-
F tritius existimabat Bellaria dicta, quòd Bellatoribus sint opportuna, notatione quidem ingeniosè, sed non satis aptè excogitata. Pollux Bellaria esse scribit myrtidas, caricas, & mespillos: plura apud eundem Fungerum.

5 Quia fortasse Dithyrambos scripsit; species poëmatis elaboratissimi, & carmen, ut inquit P. Victorius in *Demetr.* audax, licentiæque plenum, in quo de largo potu ut plurimùm, deque Conviviis sermo haberi solet. Poëtæ Græci & Latini, atque inter Italos celeberrimi Chiabrera, Redi, Lemene, & Pegolotti, satis probant exemplo.

6 Natalis de Comitibus vertit *gutturnio*, quod idem est, nempe vas aquam guttatim, & hanc ut plurimùm odorosam fundens, quâ Convivæ adspergebantur.

Morem eundem religiosè tenuisse Ægyptios narrat idem Athenæus; qui pro secunda mensa ita scribit,

Coronarum autem & unguentorum missus
Secundæ mensæ præibat.

Quod Nicostrati testimonio confirmat,

—— —— at tu quidem
Concinnè secundam mensam appara,
Eamque omnifariis bellariis;
Vnguenta, coronas, thus, tibicinam accipe.

Cui superaddendum puto cum Lipsio, *antiq. Lect.* 3. vino captos, seu ebrios, coronari solitos. Plautus & clarè & sæpissimè id affert, adeò ut dubitandi nullus locus sit. Dum in *Amphitryone* Mercurius, qui in Sosiæ formam converti debuerat, inquit Act. 3. Sc. 4.

Capiam coronam mibi in caput, assimilabo me esse ebrium.

Et paulò pòst,

Ibo intrò, ornatum capiam, qui potis decet.

Nullum aliud ornamenti genus hîc intelligitur ebrio conveniens, juxta Lipsium, Lambinum, & Stuckium, aliosque, quàm corona. In *Asinaria* dum Parasitus studiosè curat, ut uxor virum publicè cum Amica potantem inveniat, ait Act. 5. Sc. 2.

Possis, si fortè accubantem tuum virum conspexeris
Cum corona amplexum Amicam, si videas, cognoscere?

In *Menæchmo*, hoc est, in duobus similibus fratribus, gemellisque, Act. 3. Sc. 1. Peniculus Parasitus unum illorum, nempe Sosiclem, è domo Amicæ egredientem offendit, ubi, eo inscio, comessando biberat, & ait:

Sed quid ego video Menæchmum? cum corona exit foras?
Sublatum est convivium.

Hoc est, postquam benè potus esset: quapropter in subsequenti Scena idem Parasitus furore percitus prorumpit,

Pallam ad Phrygionem fert, confecto prandio,
Vinoque epoto.

Quin & adolescens ipsemet bono eventu lætus, suamque sortem amplificans, ait,

Prandi, potavi, scortum accubui, &c.

Et exinde, ne ornatu illo minùs decenti vituperaretur, coronam projiciens inquit Act. 3. Sc. 3.

Demam coronam, atque abjiciam ad lævam manum.

Quæ postmodum ab uxore fratris inventa est Act. 4. Sc. 1.

Pallam ad Phrygionem cum corona hinc ebrius
Ferebat, hodie tibi quam surripuit domo.
Sed eccam, quam coronam habuit: num mentior?

In subsequenti verò Scena frater alter in Parasitum offendens utique queritur, & alterum fratrem suspicans, qui, eo absente, pransus esset, exclamat,

A *Sic datur, properatò, absente me, comesse prandium:*
Post ante ædeis cum corona me derideto ebrius!

Et cùm adolescens, verè culpæ expers, prandisse negaret, instat Parasitus illum obstringens ita,

Non ego te modò hîc ante ædes cum corona florea
Vidi adstare, cùm negabas mibi esse sanum sinciput?

Tandem in *Pseudolo*, Simo senex vix dum limen domus excesserat, Pseudolum servum intuens coronâ septum, mirabundus in hæc verba erumpit
B Act. 5. Sc. 2.

—— Sed quid hoc? quomodo? quid te video ego?

Cui famulus: ad quid? & quorsum hæc? en vides

Cum corona ebrium Pseudolum tuum.

In *Pluto* Aristophanis; quidam adolescens inopiâ ductus, [1] vetulæ cuidam, ita rugosæ quò locupleti, se immiscere coactus, à Plutone illico ditior factus, & mentis compos evasus, luridum illud spectrum deserit. Illa inconsolabiliter con-
C queritur, illumque coronâ exornatum inspiciens, ait:

Et quidem adolescentulus hic advenit,
Quem diu accusans sum;
Videtur autem ad ebrietatem ire. CHR. *Videtur?*
Coronam utique & tædam habens ambulat.

Ad ebrietatem ire, hoc est, *ab ebrietate redire*, seu ad ebrietatem *ire concoquendam & digerendam.*

§. III.

D NAm diurno tempore convivia adibant, nocturno verò domum revertebantur: ditiores primùm facibus, [2] funalibus, & inde lucernis, [3] laternisque præeuntibus, ex quo inventæ fuere; quamobrem in Juvenale legimus *sat.* 3.

—— —— & comitum longissimus ordo;
Multum præterea flammarum, atque ænea lampas.

Egeni verò ad domos revertebantur breviusculo cereolo, vel Lunæ splendore comitante: idcirco idem Poëta subdit,

Me,

E 1 Sanè similis casus est in Martial. *l.* 7. *epig.* 74. in Anum deformem.

2 Funalia (inquit Servius *ad Æn. l.* 1.) ideo dicta sunt; quia ante usum papyri antiquitus funes cerâ circundabant. Modò Intorticia vocantur, quia ex intorto gossypio cera superinducta: Itali *Torcie*. Pignorius *de Servis*, antiqua Intorticia picta demonstrat, ex veteri monumento, è marmore Synnadico. Vox Ecclesiastica est & recens, de qua nihil Macrius in *Hierolex.*

3 Laterna receptaculum, in quo custoditur lucerna. Perottus, Laterna, quòd lumen in ea lateat. Dicitur etiam Cornu Plaut. in *Amphit.* quòd corneis lamellis circùm clausa sit, ut ventorum flabra arceat. Græci Phanos. Martialis *lib.* 14. *epigr.* 61.

F *Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,*
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Ego verò potiùs à latere dici credo, quia ad latus gestabantur istæ lucernæ, ut ex antiquo ebore anaglypt. in meo Museo, ubi famulum præeuntem domino inspicimus, laternâ alligatâ femori. Multiplices laternas usus invexit; Ferreas, orichalceas, æneas, linteas, papyraceas, ligneas, corneas, bracteatas, vitreas, fictiles, ut hodiernæ parvulæ chytræ seu ollulæ; & multiformes, modò plicatiles, modò perforatas, modò cæcas, modò cuspidatas, modò alatas, modò clypeatas. Nomen hoc quoque ad alia artificia translatum est. Athenæus plura in *cap.* 4. *lib.* 15.

A

Me, quem Luna solet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus dispenso & tempero filum,
Contemnit, &c.

Candela verò sebacea erat, ut notat Casaubonus *in Suetonium*: *Olim candelis sebaceis soli pauperes utebantur, reliqui facibus, has Græci lychnos vocant.* Epicharmus* apud Athenæum *lib.* 6. è convivio abiens dicit,

Nam multùm edens, bibensque multùm, protinus
Discedo, lucernam puer nec fert mihi,
Serpo cadens persæpe per nigras tenebras.

B

Cleopatra, monente eodem Athenæo, Antonium lautâ cœnâ convivans cæterosque Amasium comitantes, discessuris omnibus, Æthiopes pueros, qui facibus prælucerent, assistere jussit: & [1] prælucentes servi ad hoc subeundum munus designati nuncupabantur, *lib.* 4. *cap.* 11. Hinc apud Suetonium legimus, Augustum Imperatorem, cùm nocturno tempore ad expeditionem Cantabricam lecticâ invectus incederet, fulmine de cælo tacto puero, qui face accensâ præibat, eò quia lectica inoffensa evaserat, Templum Jovi Tonanti condidisse. Verba sunt: *Cùm expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset.* Ad quæ Beroaldus: *Prælucere dicitur servus, qui fert cereum ante dominum per iter nocturnum.* Plauti in *Curculione* testimonium adducens Act. 1. Sc. 1.

C

Tu te tibi puer es, lautus luces cereum.

Domo egreditur Adolescentulus Phædromus noctis per umbras multibibam vetulam aditurus, ut ad colloquium cum Planesia, quam deperibat, iter sterneret: propterea Palinurus, Tu tibi, inquit, servi (& ut bellè!) vicem geris, & ceream facem tibi præfers. Quod ideo ad nostrum argumentum pertinet, quia Adolescens à nonnullis servis insequebatur, *qui Veneri jentaculum* gestabant, hoc est, vinum anniculum & præcipuum, quo cum lenam allicerent: ideo Palinurus mirabundus exorditur Act. 1. Sc. 1.

D

Quò te hoc noctis dicam proficisci foras
Cum isthoc ornatu, cumque hac pompa, Phædrome?

nempe hoc *intorticio*, hoc vino, cæterisque te prosequentibus, quibus ebrii ac insani nomen acquiris.

E

Hìc non ab re esset Duillii honorificentiam subdere, qui sibi, ob victoriam partam in maritimo certamine contra Carthaginenses, honorem vitalitium comparavit, ut ubi à cœna rediret, prælucere funalia servos, præcingere sibi tibias mereretur, quasi quotidie triumpharet, ut ajunt Florus *l.* 12. Livius *l.* 17. Val. Maximus *l.* 3. & Martinus de Roa *Singul.* l. 2. quibus in hac re me subscribo; unicum tantùm carmen Theodoridæ Syracusani ab Athenæo allatum *lib.* 15. afferam, ut laternarum usum magis comprobemus, de quibus nuper sermonem fecimus, *cap.* 18.

F

* Leg. *Alexis*, & vid. locus *lib. cit. cap.* 8.

1 Prælucentes servi in numero servorum Adversitorum habebantur, quorum ministerium narrat Titus Popma *de op. serv.* fuisse, ire ad herum foris cœnitantem, & eum domum reducere ac comitari. Et verè sine his dominus benè potus quomodo domum noctu se contulisset? Pignorius clariùs eorum officium explicat, aitque: Adversitoribus dissimiles non fuisse illos, qui præcincti lumbos, & lychnos ferentes dominum domi præstolabantur, & à cœna revertentem, quorum aliqui dominorum comites erant. Atque hos servos ad lychnum, ad funale, ad laternam, Lampadophoros, & Tædigeros appellat: nusquam verò Prælucentes.

Ac corneæ luciferæ laternæ [1] *splendorem.*

Pollux animadvertit lampadem quoque laternam dici *lib.* 10. & de comitatu post cœnam lumine præeunte, nunc memini, Athenæi Convivas bellè & ludicrè disceptantes & fabulantes noctem deprehendisse: tum ex Convivis, alii facem, alii lucernam accepere, ut ambulantibus præluceret, & viam ministraret.

§. IV.

SEd eò redeamus unde sermonem deflexìmus; ac de Coronis disseramus tamquam signa bibacitatis. Alcibiades apud Platonem, monente doctissimo Pascalio *de Coron.* l. 1. c. 7. ebrius coronâ sibimet caput circumvallavit, quare Ovidius cecinit,

Ergo Amor, & modicum circum mea tempora vinum
Mecum est, & madidis lapsa corona comis.

Horatius lib. 4. *Carminum* od. 1.

Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

Nec alius Propertii locus reticendus est. [2] Sobrius, inquit ipse, ad lites pergo: quando verò me coronâ circumdatum intueris, tunc me vino captum judicabis, *l.* 4. *el.* 2.

Sobrius ad lites, at quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.

Hìc de unguentis non loquitur, sed de iis *lib.* 3. *eleg.* 9.

Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat;
Et crocino nares murrheus ungat onyx.

De ambobus Menander in *Hercule mentito*, monente Athenæo *l.* 4.

His paratis qui cœnat bellariis satiatur;
Unguento priùs delibutus, coronatusque postea.

Cùm igitur unà & simul Unguenta in Conviviis præstarentur, & Coronæ, quibus tempora & colla cingebantur, Nicostrati sententiam sequar, nempe communiter hæc ad finem convivii præstari solita. Ita Stuckius *l.* 3. *c.* 17. inquiens: *Communem ferè apud Græcos & Romanos hanc consuetudinem fuisse, ex Veterum scriptis constat, ut ferè ad finem convivii, cùm largiori potui indulgere vellent, coronas & unguenta sumserint.* At è contrà Ciaconius, & Ursinus, ille in *Triclinio*, alter in *Appendice*, Philoxeni, Eubulique sententiam sequuntur: nam ubi Convivæ ad mensam dispositi sunt, illico de coronis unguentisque sermonem faciunt: nihilominus adhuc à sententia meâ non recedo, innixus Lucretii, Martialis, Horatii, & Propertii, aliorumque auctoritatibus. Lucretius hìc denuò:

——— ——— *Convivia, Ludi,*
Pocula crebra, Unguenta, Coronæ.

Præ-

1 Natalis Comes interpretatur lumen lychni cornei; non verò laternam: hic versus legitur in *Tridente*, sive *Seplasiario* Theodoridæ Syracusii.

2 Non jejunus: ait enim Pædianus, declamanti citò verba deficere, si jejuno ventre forum ingrediatur.

[1] Præbibitiones, & propinationes procul dubio, magis ad finem convivii succrescunt, & frequentantur majoribus poculis: igitur, ut curarentur ab ebrietate, ad unguenta redolentia, ad coronas ex floribus & herbis deveniebant: ita gradatim loquitur Martialis *l. 2. ep. 59.*

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.

Ubi illud, *pete vina*, per Raderum significat, *pota Græco more*; *majoribus posce poculis*, [2] *græcare*: ideoque *rosas cape*, *tingere nardo*; ne potu nimio, vinique effluviis mentis acies hebetetur: de hoc intelligit Horatius plurimis in locis, & præcipuè *od. 7. lib. 2.*

Huc vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ.

Juvenalis huic opinioni egregiè favet, sævitiem narrans [3] Tentyritarum adversùs Ombitas Ægyptios pariter, sibi invicem infestos, ob Religionis disparitatem. Ombitæ sacra peragentes, non sine conviviis & poculis, dum multo vino maderent mediis in poculis, à Tentyritis aggressi, barbarè trucidati sunt,

——— *quod & facilis victoria de madidis.*

Satyricus ebrios illos prædicans, inquit;

——— ——— ——— *qualiacumque*
Unguenta, & flores, multæque in fronte coronæ.

Lucretius *pocula crebra* repetens, satis apertè frequentiam propinationum in secundis mensis explicat; inde subdens,

——— *unguenta, coronæ, serta parantur.*

Julius Pollux Σπονδαρχεῖν Græcum explicans notat, *quod est potandi invitationes propinare, pocula circumagere, frequenter instillare, & potus mensarum secundarum, & calix transitorius, qui ad omnes pervenit.* Et usque ad nostra tempora mos est, ad finem convivii, & largæ potationis, calicem majoris notæ afferre vino optimo gravem; ex quo quisque haustum sumat; & oh felix, cui ultima pelagi illius gutta contingat! Fortassis de hujusmodi poculo intelligit Pherecrates in *Tyrannide*, ut legitur apud Athenæum *l. 11. c. 9.*

Profundos calices onerariæ navis pares,
Quâ vinum vehitur, rotundos, tenues, in medio
ventrosos.

1 Italicè *brindisi* à *brinden* Germ. de quo plura amœnissimè Redius in *Dithyrambi* sui adnotationibus, Menagius, Ferrarius in *Origin.* quorum alter satis diffusè: ego quoque in *Notis ad Tabaccheid.* p. 183. Octavius Magnaninus verò præ omnibus in *Convivio* P. 2. propriè dicit libare, propinare.

2 Græco more bibere. Nonnulli apud Martin. *Lex. Philol.* intelligunt luxuriosè vivere, more Græcorum, conviviis & compotationibus gaudentium. Festus, *Pergræcari est epulis & potationibus inservire.* Locum Ciceronis habemus 3. *Verr.* ubi ait, *Fit sermo inter eos, ut Græco more biberetur:* pro cujus explicatione Pædianus nova & inexcogitata animadvertit: *Grandibus inquiunt poculis, & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis, & hoc putant Græco more potare: est autem Græcus mos, ut Græci dicunt, cùm merum cyathis libant; salutantes primò Deos, deinde Amicos suos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties & Deos & caros suos nominatim vocant.* Eruditissimus Octavius Magnaninus rem diffusè ac eruditè perpendit in *Convivio* P. 2. pag. 85. 86. & seqq.

3 Ombos & Tentyra urbes Ægypti, Thebaïdis nomine à Plinio nuncupatæ *l. 9. c. 9.* De urbium istarum discordia plura habet Strabo *l. 7.* & eruditissimus Co. Silvestri in *Notis ad Juvenalem.*

Vel de ampla patera adinstar illius ab eodem Athenæo descripta, *quâ vectus Hercules Oceanum trajecit.* Seu de illa aurea, quâ Sol utebatur, monente Stesichoro, Æschylo, & Antimacho, quam ut clariùs Mimnermus demonstraret, aurei [1] cubilis, ac mollis nomine, Vulcani opere, his versibus appellavit,

Solem enim vehit perquam gratum ipsi cubile
Cavum, honorandi Vulcani manibus & malleo
factum.

Ampliùs quoque calix & profundus erat ille Nestoris, similisque illi, quem sibi Anacreon optabat,

Sed poculum mihi fac
Quantùm potes profundum.

Interpres alius legit, *peramplum*, non *profundum.*

Hujusmodi quoque erat poculum illud [1] *Elephas* à Damoxeno appellatum ab insigni magnitudine & capacitate, ut explicat Dalechampius. Similis tandem erat calix ille [2] transitorius, qui in orbem transibat ad finem secundæ mensæ, de quo Athenæus, immo Menander, *in orbem exhaurire* scripsit.

§. V.

Quoniam igitur in secunda mensa, &, ut ajunt, ad [3] fructus, admodùm poculis indulgebatur apud Veteres, benè & sapienter eodem tempore afferebantur coronæ & unguenta odorifera ad mentis aciem tuendam à nimia vinorum evaporatione. Ut igitur huic malo mederetur; Propertius *l. 3. el. 3.* vino tumidum cerebrum exoptabat, sed unà simul rosis caput vinctum; quod & sæpe Anacreonti familiare fuit:

Roseis quidem coronis
Caput undique impediti
Hilarescimus bibentes.

Insuper in alio loco,

Nigris caput corymbis
Armare, & ipse poto:
Affer scyphum, puer, da.

Et in ebrietatis meditullio,

Ego scyphum capacem
Habens, & hanc coronam, &c.

Nec non & alibi, de se ipso pariter loquens;

Date mi, date, ô puellæ,
Cyathum, ut bibam Lyæi,
Date serta, queis calentem
Amo frigere frontem.

Ex

1 Pocula ista ita reor appellata, non tantùm ob amplitudinem, sed & ob similitudinem operis. Figuli enim, Vitriarii, ac Fusores quæcumque effingere possunt ex vitro, argilla, & metallo. In antiquis monumentis, ubi de Vasculis aliquid anaglyptè sculptum est, vasa & pocula adinstar navium, cochlearium, fontium, draconum, elephantorum, leonum, piscium, Priapi, seu cælata, seu fictilia intuemur, juxta Artificum libidinem, qui utensilibus varias induxerunt figuras. Plura habemus in Bayf. *de Vasculis.*

2 Quia de manu ad manum, atque inde, de ore ad os convivarum per orbem transibat.

3 Adagium à fine convivii sumtum, quia in secunda mensa poma in convivio apponuntur, dici solet, quoties ad finem alicujus rei perventum est.

Ex quibus allegatis hujus festivi & bibacis Poëtæ versibus magis constat, Veteres illos, quando ad bibendum se invitare poculis inchoabant, coronas quoque accersisse ad præservationem ab ebrietate, & hujusmodi provocatio in secundis Mensis locum habebat; de qua procul dubio sentit Alcæus apud Athenæum, ubi ait,

Læti bibamus: cur rogo
Pigri manemus, usque dum
Noctu lucerna fulgeat?
Vel longa digitus est dies.
Majoribus tu poculis
Infunde vinum, atque variis.
Semeles Jovisque filius
Mortalibus vinum dedit,
Curas graves quod deleat.
*Affunde, misce * vinum; duo, & plura*, &c.

Enimvero operæ pretium erat antidotum paratum præsto esse ad retundendos vini fumantes [1] salientesque vapores: *maximè enim merum quando caput ferit & intendit*, (ut inquit Plutarchus in *Symposio*, Tryphonis Personam indutus) *corpora* [2] *perturbat*, &c. *At florum exhalationes mirabiliter contra hoc mali præsidio sunt, caputque veluti arcem muniunt ad ebrietatem pellendam.* Eò quia flores vel calidi, [3] vel leviter frigidi sunt: si calidi, meatus leviter dilatando, convenientem exhalationem præbent vini vaporibus; & qui aliquantulum frigidiusculi sunt, putà rosæ, violæ, suavi contactu vapores repellunt; & præ cæteris rosa in usu est, quia in tanta refrigeratione nescio quid adstringentis ac compressivi in se habet. Quod & in [4] hedera utique dignoscimus; nam, ut ait Athenæus *lib.* 15. non tantùm virentibus foliis, corymbisque frontem adumbrat, sed virtute compressiva refrigerat *citra odoris gravitatem.* Hinc Galenus inter convivales coronas, hederaceas & roseas connumerat: *Careant etiam* (verba Galeni) *convivia æstiva hederâ, careant coronis ex rosis contextis.* Et quamvis Anacreon rosaceam coronam multi faceret, ex hedera tamen non recusavit,

Hederâ comasque cingens, &c.

Ast ne nimia frigiditate hederæ, vel rosæ, læderentur patres illi, vel [5] apium, vel lilia coronis interserebant; de hedera & apio ait Horatius *l.* 4. *od.* 11.

——— ——— est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est hederæ vis
Multa, quâ crines religata fulges.

* Sic leg. & disting. *misce : unum.*

1 Plautus festiviter ait, vinum tanquam luctatorem dolosum, pedes primùm captare: quod & apud nos in Adagium transiit, cùm dicimus: Vinum, dum bibitur, minari quidem calcaneis, sed caput petere.

2 Homerus in 6. *Iliad. Immodicum vinum vires & animi & corporis atterit.*

3 Copiam salium volatilium juxta eorum figuras, vel dilatationem, vel constipationem gignere in porositatibus, nemo est Recentiorum, qui ambigat.

4 Id est, hedera arborea, non verò smilax, nec terrestris, nec palustris.

5 Id est, apium hortense, non palustre, aut saxatile. Apud Plutarchum in *Sympos.* invaluit Adagium, *Apio opus est*, cujus significationem Manutius, seu Erasmus in *Adagiis* malè nobis exponit: inquit enim: iis qui periculosè ægrotant apio opus esse: dicendum est iis, qui morbo capitali tantùm laborant: & idcirco apium in coronis locum habebat cum liliis.

A Rosis, liliisque apium conjunxit idem Horatius lib. 1. *Carm.* od. 36.

Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.

Anacreon quoque cecinit,

En adspice in corollis
Rosis decenter alba
Ut lilia implicentur.

B Sed ut redeamus ad virtutes hederæ, quæ sunt refrigerandi & comprimendi vapores vini ad cerebrum salientes: Tryphon in Plutarchi *Symposio* inquit, Medici cognomen Baccho impositum fuisse, non tantùm quòd inventor fuisset vini, quod est medicamentorum validissimum & suavissimum, sed quia hederæ usum, quæ satis validè resistit vino, nos docuit, eâque [1] Bacchantes coronavit, ut minùs à vino læderentur, hedera suo frigore ebrietatem restinguente; quod frigoris genus comprobatur etiam per Clementem Alexandrinum in *Pædagogo* lib. 2. cap. 8. *hedera itaque refrigerat.*
C Atque si cum Ammonio in Plutarchi *Sympos.* hederam calidam esse decernamus, ratio in promtu esse potest, illam nempe meatus calore dilatando, concoctionem meri adjuvare, atque ex hoc etiam titulo, Medici nomen Baccho non inconveniens adjudicatur. Quidquid igitur sit, seu calidi cum Tryphone, seu frigidi cum Ammonio, naturam induat hedera, semper stat, Bacchum apud Ægyptios hederâ coronatum fuisse, quare Ovidius,

Bacche, racemiferos hederâ redimite capillos.

Ideo vel una, vel utraque qualitate, vino semper adjuncta commendatur: quod & per Tertullianum confirmatur, ubi ait, *quòd hederæ natura sit*
D *cerebrum ab* [2] *eluco defensare*, hoc est, ab illa somnolentia, seu stupiditate à nimio potu derivante.

§. VI.

NEque hîc subdo Plutarchi documentum, coronas nempe contra vinolentiam pharmacum esse, priùs ab Aristotele, ab Aristone Peripatetico de Amore, & fortassis ab Andrea, juxta Athenæum *lib.* 15. excogitatum, qui unà simul docuere, apud Veteres in capitis dolore & gravedi-
E ne à nimio potu in usu fuisse, non sine maximo levamine, frontem [3] vittis & fasciolis perstringere. Recentiores verò, ut prisco remedio, oculorum & narium delectationem superadderent, coronas excogitasse. Hinc Galenus *de Rem. fac.* capitis dolori per ebrietatem, vel per aliud, coronis & rosis recenter carptis opem fert, & Manardus noster flores cum [4] trago aptissimos ad capitis dolorem sedandum laudat.

Equi-

1 Bacchantis vetustissimum caput ex marmore ohy-
F chite in Museo Nicolai Baruffaldi patris mei asservatur, hedera, corymbisque coronatum, ore hiante & ridente; cujus iconem hîc afferre minimè tæderet, si brevis Notæ præscriptum mihi limitem fas esset excedere.

2 Alii heluco, ut Martin. ab heluo; veternus, gravedo nimia à potione plurima. Plura ad hujus vocis explicationem affert Rhenanus in *Not. ad Tertull.* & Turnebus.

3 De istis vittis & fasciolis egregiè tractat Jo. Rhodius in Dissertatione de *Acia* ad mentem Celsi pag. 179. illa enim perstrictione motus inversus fit musculorum, vel coërcetur nimia sanguinis ebullitio.

4 Tragus herba, scorpius: Plinius *l.* 27. *cap.* 14. locus Manardi est *ep.* 2. *l.* 7.

Equidem ad majorem hujus veritatis indaginem, nempe Antiquiores nostros in conviviis, nuptiisque, ubi lautè bibebatur, coronas adhibuisse, Silenum Virgilii *egl.* 6. in scenam adducere liceat. Hic cùm præcedenti die benè, ut mos erat, potitasset, meroque incaluisset, antrum petierat, ut somno vini tumultus compesceret. Ibi à duobus Satyrunculis, qui ut cantiones illius blandulas audirent, eum vestigabant, inopinatò deprehensus est turpiter stratus, ac somno captus, coronâ jam è fronte dilapsâ:

—— Chromis & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre jacentem,
Inflatum hesterno venas ut semper [1] *Iaccho;*
Serta procul tantùm capiti delapsa jacebant.

In Poëmate quoque maximo idem Virgilius, Æneas Italiam primò veniens, sociis jubet, ut summo mane, audacter de Regione illa, ejusque domino sciscitarentur, indeque libarent pateras Jovi, vinumque adferrent in mensa; precibus & votis Anchisen peterent, dum ipse viridi fronde comam implicaret:

Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisen genitorem, & vina reponite mensis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, &c.

Hortensius notat, Æneam se coronâ percinxisse ritu sacrificantium, quapropter in ejus adventu ad littus Siculum, eidem patri suo sacrum facere exoptans, jussit, omnes socios virenti fronde coronari, sicut & ipse se ambiit coronâ ex myrto contextâ, tamquam plantâ matri Veneri sacrâ, unde *lib.* 5. legitur,

—— —— & cingite tempora ramis:
Sic fatus velat materna tempora myrto:
Hoc Helymus facit, &c.

Similiter & Acestes, & puer Ascanius, atque inde sepulchrum adiens, sacrificium est aggressus. Lactantius *lib.* 1. hæc omnia sacrificiis tribuit, dum notat: *Cui*, nempe Anchisæ, *non tantùm immortalitatem, verùm etiam ventorum tribuit potestatem*, dum dicit, *poscamus ventos.* Sed etsi [2] sacrificii ambo speciem præ se ferant, veruntamen ambo ad convivii normam celebrata sunt: de Siculo sacrificio,

Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viscera torrent,

hoc est, juxta versionem Italicam Hannib. Cari,

Altri cibi ne fero, e tutti insieme
Sul verde prato a convivar si diero.

Et ita redimiti hilariter pransi sunt. De alio in profectione Italica ait Poëta,

Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina coronant.

1 Nomen Bacchi, unde Virgil. *ecl.* 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho.

Sumitur quandoque pro ipsomet vino, ut in loco textus.

2 Quatenus libatur Diis, sacrificium est, & quatenus hominibus, dicitur convivium; in utrisque enim lautè epulatur; & mensa, ut alibi notavimus, sumitur etiam pro altare; sacrificabant Veteres à cœnis discedentes, ut notat Athenæus *l.* 1, *c.* 9.

A Ubi Servius exponit, *vina coronant*, *pro pateris.* Ut alibi quoque inquit, *magnum cratera coronat.* Doctissimus Lambertus, *non* [1] *ipsa vina, sed pocula; metonymia, qui tropus Poëtis est familiaris.* Hannibal Carus nihilominus ita egregiè explicat Italicè,

—— —— à tanto annuncio
Tutti commossi à rinovar le mense,
Ad invitarsi, à coronarsi, à bere
Lietamente si diero.

B En igitur quomodò illud, *vina coronant*, aliud etiam significare potest, quàm calices coronare. Ast cum tanto Interprete liceat mihi uno voto esse, eò magis, quia vel Raderus ipse in *Gloss. ad Martial. l.* 10. *epig.* 19. magis magisque sententiam nostram comprobat. Epigramma est, *Cùm regnat rosa*, &c. aitque Raderus, *rosâ coronati enim potabant, & hoc est quod existimant aliqui, vinum coronare, cùm coronati biberent.* Ubi Martialis mirè coronas & unguenta conjungit,

Cùm regnat rosa, cùm madent capilli.

C *Madent*, idem Raderus explicat, *delibuti unguentis.* Idem etiam in alio *epigrammate libri* 5. legimus,

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
Lassenturque rosis tempora sutilibus.

Ovidius pariter lib. 5. *Fast.* ita coronas & unguenta conjunxit:

D *Tempora sutilibus cinguntur tota coronis,*
Et latet injectâ splendida mensa rosâ.
Ebrius incinctis philyrâ conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.

De quo, nempe cur coronarentur convivæ, tunc quando majoribus poculis circùm propinabatur, si rationem reddere deberemus, cum eodem Poëta utique danda esset,

Bacchus amat flores, Baccho placuisse coronam
Ex Ariadnæo sydere nosse potes.

E Antiphanes quoque coronas & unguenta associavit, dum inquit apud Athenæum *lib.* 1.

Obsonii appetentiam valde excitant
Vnguenti odor, corona, vinumque Thasium.

Idem Auctor de Archestrato ita habet: *Archestratus igitur parandi variis modis obsonii peritus, à cœna propinationes, compotationesque adhibendas esse, ac unguentis utendum, sic inquit:*

F *Perpetuò verò coronis inter cœnam caput redimitum sit,*
Omnifariis, quibus universa terra solùm floret,
Stillatitiis unguentis coma bonis inungitur.

§. VII.

1 Philologi, ut coronationem vinorum & paterarum probent, locum hunc Virgilii afferunt, *Vina coronat.* Sed tropus est, ut inquit Lambertus, Poëtis familiaris. Vinum coronare ego intelligo, se coronare potando; sed alibi de hoc usu.

§. VII.

IN Regibus, & Magnatibus quoque, ista unguentorum & coronarum inseparabilis unio, ex Plutarcho satis evidens est, qui ait, [1] Artaxerxem coronam Antalcidæ Lacedæmonio dono dedisse: *Rex suam ipsam coronam unguento immersam ferri jussit.* L. Verus quoque Imperator iis, quos in convivio acceperat, monente Capitolino, unguenta & coronas elargiebatur: *Coronas quin etiam datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus: data & vasa aurea cum unguentis ad speciem* [2] *alabastrorum.* Locus Ciceronis pulcherrimus nunc subit: in *Oratione pro Gall.* stylo illo aureo, pene ad evidentiam convivium omnium flagitiorum genere refertum ostendens, ait: *Vt clamor, ut convicium mulierum, ut symphoniæ cantus; videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. Versabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis.* Cætera hic reticenda essent, sed quædam coronarum species, narrationis continuationem postulant: *Humus erat lutulenta vino, coronis languidulis & spinis cooperta piscium.* Quas languidulas coronas ex rosis puto contextas, aliisque hujusmodi floribus mollioribus, utpote qui à vini calore ad caput saliente, pressi facilè languent, flaccescuntque: ideoque à convivii exordio, cùm recenti illa frigiditate nihil oblectamenti afferrent, projiciebantur: & ex hoc coronis languidis flaccidisque, triclinii, seu cœnaculi pavimenta [3] ferebantur. Hujusmodi coronam usurpavit [4] Meton ille Tarentinus, tunc cùm Pyrrhi intempestivum adventum ad Tarentum tuendam impedire ausus, ebrietatem simulans, languidulâ coronâ redimitus facem seu lampadem manu gestans furens Senatum irrumpens, paucis, sed libratis verbis, ab amissione libertatis, Pyrrho accersito, Patrum animum, quamvis incassum, removere tentavit: *Acceptâ coronâ & lampade*, inquit Plutarchus, *quasi ebrius, tibicina ducente*; Interpres verbum illud *languidâ* tacet, sed Petrus Victorius fideliter è Græco idiomate, *sumtâ coronâ languidâ & faculâ, ut mos ebriorum est, ducente tibicina.* Vnde Sansuinus ad vernaculam Linguam transtulit: *Postasi in capo una corona di foglie marcie e guaste.* Et quia rosa brevi languet, flaccescitque, utpote quæ magnam odoris copiam exspirat, à quo tanquam [5] ab anima vivificatur,

1 Est locus Plutarchi in *Sympos.* l. 7. q. 8. Clarior est, ac ad nostrum propositum magis accommodata interpretatio Guillielmi Xilandri, qui coronam illam Regis non de more, sed ob contumeliam, quandamque ingenii ruditatem unguento delibutam fuisse ait. Verba sunt: *Admodum certè inepta & rustica habetur Regis Persarum adversus Antalcidam Spartanum magnificentia, quando coronam è rosa & croco consertam in unguentum intingens ei misit, nativa pulchritudine exstincta, factaque floribus injuriè contumelia.*

2 Ad vasa referuntur hæc alabastra, non ad unguenta: vasis genus erat ex alabastrite lapide torno excavatum ad conservanda unguenta maximè idoneum. Ex hoc Itali *albarello*, & prius *albastrello.*

3 Casu, non arte: dum enim flores flaccescebant, paulatim è coronis decidebant.

4 Est locus Plutarchi in *Vita Pyrrhi.* Meton vir urbanus erat. Leonardus Aretinus in hac interpretatione nihil aliud ait, quàm, *accepta corona & lampade:* illud *languidula* desideratur; quod nihil ad rem facere judico. Ad summum, hunc Metonem flores quoscumque, ut ad manus occurrebant ex tempore, seu flaccidos, seu recentes, collegisse, ac sibi coronam composuisse judico; non enim cunctandi tempus aderat in tam gravi re, ad colligendos & secernendos flores tantùm languidulos & marcescentes.

5 Odor florum anima dicitur à Ferrario in *Flora*, de jansemino loquendo, & à Virgilio in *Elegia* de rosa, quam Scipio Badaluccus commentariis illustravit.

A citò spiritibus exhausta languescit, vitamque profundit. Idcirco Clemens Alexandrinus in lib. 2. *Pædag.* hujusmodi coronarum & florum brevem vitam exaggerans, ait: *statim autem probatur eorum vitæ brevitas: ambo enim flaccescunt, flos & pulchritudo:* atque ex hoc illam Tarentini civis coronam rosarum, violarumque contextam fuisse judico. *Rosa autem*, inquit Plutarchus in *Sympos.* ῥόδον *dicitur, quia multum odoris exhalet, quo fit, ut etiam celerrimè marcescat.* Et enunciatus Clemens Alexandrinus: *Hinc etiam dicunt rosam, Græcè* ῥόδον *fuisse nominatam, quòd odoris plurimum fluxum emittat, & ideo citò marcescit.* Ita quoque ait magnus [1] Cælius Rhodiginus *Antiq.*
B *Lect.* quod & insuper confirmatur ab illis qui in Libro *Sapientiæ* inquiunt, *Coronemus nos rosis antequam marcescant*, hoc est, priusquam putrescant & decidant. Atque ita satis explicatas credo *languidulas* illas Ciceronis coronas.

§. VIII.

NUnc remanet, ut de [2] sutilibus coronis Ovidii & sutilibus rosis Martialis aliquid proferamus, cùm materiæ admodum concinnum videatur. [3] *Su-*
C *tilis*, si Calepini Lexico credendum est, res suta significat. Domitius *in Martial.* duplices esse coronas ait, *aliæ plicatiles, aliæ sutiles*, quam distinctionem priùs attulerat Plinius *l.* 21. *c.* 3. *summaque auctoritas pactili coronæ. Sutiles Saliorum sacris invenimus, & solemnes cœnis:* hinc paucis interpositis: *Sutilibus mox petitis ab India, aut ultrà:* quem locum aliter Turnebus legit, qui tria coronarum genera affert, *pactiles, sutiles*, & *plectiles*, quæ ab aliquibus *compactiles* appellantur; *quarum coronamenta in torulo rotundo, vel uspiam figuntur, panguntúrque:* nec aliud significant quàm, seu flores, seu frondes quibusdam orbiculis alliga-
D tas, quibus mulieres pro corona utebantur. *Sutiles sutos habebant flores, aut coronamenta; fiebant ferè è mero rosæ folio.* Ita enim legitur textus Plinii: *Transiere deinde ad rosaria, eòque luxuria processit, ut non esset gratia nisi mero folio sutilis:* adeò ut coronæ ex solis rosarum foliis contextæ & affabrè sutæ magno in pretio haberentur. Sequitur corona *plectilis*, & hæc *è surculis, vel ramulis plectitur, & innectitur, ut è ramo lauri, aut myrti.* Huic Turnebi descriptioni, lib. 18. c. 29. *Adversariorum*, adstipulatur Martinus del Rio, dum verba illa Senecæ in *Agamemnone* interpretatur,

E *—— —— tibi nexilibus*
Turba coronis redimita venit.

De hac plectili corona ex ramusculis flexis inque orbem circumvolutis, testimonium habemus in Plau-

1 Magnus ille eruditionis antiquæ Thesaurarius, *Antiquar. Lect.* l. 27. c. 26. Hoc enim illi innotescere facilè poterat à nomine illustris Patriæ suæ Rhodigii, quam tradunt nonnulli à rosis, seu à ῥόδῳ originem traxisse; inter quos Hercules Strozza, & maximus Poëta Ariostus in *Furente* C. 3. st. 40.

F *Come la terra, il cui produr di rose*
Le diè piacevol nome in Greche voci.

2 Loca Martialis & Ovidii in §. 6. hujus Dissertationis leguntur.

3 Sutura accipitur etiam pro fibula, ideoque *sutum* idem ac fibulatum; exponit Jo. Rhodius in Dissert. *de Acia* p. 116. Quin Latinis etiam Scriptoribus *sutum* esse fibulatum, & *resutum* refibulatum, Suetonii auctoritate Salmasius probavit. In coronis nostris hæ fibulæ locum habebant, cùm ad frontem alligarentur, perstringerenturque fibulis: & benè huic opinioni favet locus Turnebi, qui paulò pòst in hoc §. explicatur, ubi de tribus Coronarum generibus.

Plauto *Bacch.* Act. I. Sc. I. ubi adolescentulus Pistoclerus ait,

Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis.

Ad quæ Lambinus: *Corona plectilis est, quæ ex ramo lauri, aut myrti, aut simul, nectitur, non adhibitis ullis ornamentis supervacaneis, quales sunt lemnisci.*

Ad texendas hujusmodi corollas, non tantùm laurus & myrtus in usu erant, ut docet Pascalius, sed verbenæ tenues ex salice, quæ faciliter contorquentur, perstringunturque, & ita in Athenæo B *lib.* 15. legimus, *ex Amerina salice* [1] *Rusticorum coronamenta.* Populi verò Carii, cæteris posthabitis, hac sola corona ex salice coronabantur. Nec ab re judico illud Tryphonis in Plutarchi *Sympos.* qui florum coronas, & præcipuè rosarum & violarum, utique approbabat, tamquam à Natura, quæ nihil frustra operatur, ad nostram oblectationem institutas; sed illa arborum denudatio, frondiumque decerptio, pro barbara immanitate habebatur: cùm frondes non tantùm ad ornamenta plantarum, sed & ad [2] fructuum tutamen ab externis injuriis, productæ sint à Natura: adeò ut C si plantæ ratione & sensibus pollerent, utique de hujusmodi cæde dolerent non minùs quàm arbores illæ, de quibus Petrus à Vineis apud Dantem, *Inf.* 13.

perche mi schiante?
perche mi sterpi?
Non hai tu spirto di pietade alcuno?
Ben dovrebb' esser la tua man più pia.

Laurus quocumque tempore in magno honore habita est: adeò ut Empedocles nec frondem carpi sinebat, [3] *A lauri foliis abstinendum prorsùs*: ita D legit Cæl. Rhodig. *Antiq. Lect. l.* 27. *c.* 26. Et fortasse hac de caussa à conviviis planta hæc arcebatur, quamvis Athenæus *lib.* 15. scripserit, lauream coronam ob ejus calorem, gravemque odorem, compotationibus inutilem fuisse. Atqui si è conviviis tam nobilis planta exsulat, in hujusmodi contemtus vindictam regales [4] Imperatorum frontes, eximiorumque Poëtarum, percingere dignata est. His verò non obstantibus Ibycus per Athenæum inter coronamenta laurum quoque computavit. Ægrè tamen ferendum puto, violas quoque à coronarum textura rejecisse, eò quia odore caput E feriant, cùm satis apertè innotescat, gratissimas

1 Ista Rusticorum coronamenta à nobili symposiorum ordine erant arcenda: in rusticis enim conviviis quidlibet, vel vile & incongruum, locum habet; neque per hoc salix inter nobiles plantas aggregatur.

2 Per Servium *in* 2. *Georg.* salix sterilis est, verùm fructus gignere satis liquet. Hic pro agno casto sumitur.

3 Empedocles in *loco cit.* apud Rhodiginum, ob venerationem plantæ debitam hoc fortasse dicit, non ob vitium aliquod plantæ; laurus enim sacra Apollini est, Rhodig. *l.* 5. *c.* 7. Ego verò autumo locum esse Plutarchi *Symp.* III. q. I. ubi Empedoclis hic versus legitur, *Omnino foliis debemus parcere palmæ.*

4 F. Petrarcha in *Carm.*

Arbor vittoriosa, e trionfale,
Onor d' Imperadori, e di Poëti.

Inter Poëtas Italos præclariores, laureâ coronâ donati sunt, suprà renunciatus Petrarcha, Lyricorum facilè Princeps, Anno 1341. à Senatu Romano in Capitolio: Magnus Ludovicus Ariostus, Epicorum Antesignanus, Mantuæ Anno 1532. per Carolum V. Cæsarem: Antonius Tebaldeus, & ipse Ferrariensis Poëta, Ferrariæ Anno 1469. per Fridericum Imp. aliique celeberrimi Poëtæ.

A esse violas, utpote quæ speciosæ Veris nuntiæ, & quæ non gravem, sed levissimum, gratissimumque spirant odorem: quamobrem Theophrastus *lib.* 6. inter coronarios flores violam enumerat, nec non & Ibycus apud Athenæum *lib.* 15. & Clem. Alex. qui violas, lilia, & rosas in coronis adhibitas testatur; Plutarch. quoque in *Symp.* non tantùm id confirmat, sed insuper de utilitate rationem reddit: *Et quæ leviter frigida sunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea, & rosacea corona: utrumque enim horum adstringit, reprimitque odore suo ea, quibus caput gravatur.* Philetas apud Athenæum ait myrti ramis violas & alios flores complicatos fuisse. Hegesias, seu quisquis [1] Auctor Cyprii Poëmatis, inter coronamenta violas quoque enumerat: idem & Nicander in 2. lib. *Georgic.* & Cratinus in *Effæminatis.* Nec pro viola reticendum est id, quod narrat Plutarchus in *Symp.* nempe in quodam convivio Chæroneæ parato, cùm jam omnis generis poma allata essent, cùm Conviva unus illa Homeri verba, quibus fortunati Alcinoi Horas* describit, commemorasset, nempe *egregio mali fructu*, vel, ut alii interpretantur, *mali pulchrum fructum*, (Homerus epitheto [2] ἀγλαόκαρπον utitur, quod splendidum, nitidum, præstantem significat) sciscitatus fuit, quare Græcus Poëta tali adjuncto pomum consociasset. Cujusdam sententia fuit, in illo fructu omnes Veneres coacervatas esse, & in illo omnium quorumcumque fructuum excellentias coli: in illo enim, si tactui credas, mollities erat violæ, quæ non inquinat, *sed fragrantiâ opplet tangentem*, estque olfactui & visui jucundissimum malum. Si igitur malo illi & venusti & egregii nomen conveniens adjudicatum fuit, quia tactus mollitiem, gustus suavitatem, odoris fragrantiam, visus pulchritudinem adinstar violæ præ se ferebat, satiùs violæ tribuendum est honoratum illud epitheton ἀγλαόκαρπον. Quare violam, ut sensibus omnibus satisfiat, à coronis proscribendam non judico, immo inter digniores flores locus ei dandus est.

§. IX.

Interim mihi locus sit ad originem inquirendam, cur Coronæ ad finem convivii admitterentur: quæ fuit utilitas & delectatio. Ita Plinius, Clemens Alex. Athenæus, Rhodiginus, Stuckius, Pascalius, & denique quotquot Scriptores sermonem de Coronis habuere. Quoad delectationem, ex antecedentibus jam constat: vidimus enim flores & coronas odorum fragrantia atque pulchritudine maximum oblectamentum afferre. De utilitate verò licèt nonnulla in antecedentibus præfati simus, alia quoque nunc hîc subdere non erit onerosum. Plinius *l.* 21. ait, Mnesitheum & Callimachum fuisse, qui de Coronis sermonem habuerunt, quique nos docuerunt quales Coronæ damnum, quales utilitatem, seu levamen afferrent, *quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio.* Plutarchus in *Symp.* fortasse ab istis edoctus idem documentum dat, nos admonens, ne Coronis ex frondibus nucum, [3] narcissi, seu rutæ, caput ornemus: *nam &*

F * Leg. *Hortos.*

1 Vel Hegesias, vel Stasimus, ut Athen. *l.* 15. *c.* 8.

2 Interpretatur etiam, fructus Aglajæ, quæ una est Charitum.

3 Anne flosculus ille innocens, ac formosus, funestissimâ illâ fabulâ notus? Utique. Sed, bonâ veniâ Plutarchi, licèt de umbra nucis, quæ verè infesta est iis, qui sub ea planta recumbunt, hoc credendum sit, non ita tamen est de narcisso & ruta. Effectus nocuus istorum foliorum, rutæ & narcissi, ut arbitror, tunc locum habet, quando per olfactum nimium penè viscerantur, vel per os deglutiuntur, inque stomachum introducuntur, non verò si in corolla ad frontem perstrin-

& nucem καρύων dixerunt, quod spiritum gravem, ac soporem incutientem profundum exhalans, lædat qui sub ea recumbunt; & narcissum, quia torporem nervis incutiat, gravedinemque torpidam: rutam quoque πήγανον ea de causa dictam autumat, (de Sophocle loquitur) *quòd ob siccitatem, calore mixtam, semen genitale constringat & coagulet.* Et propterea Joannes Baptista Sinibaldus in *Geneantrop.* inquit, rutam infensam esse mulieribus prægnantibus. Aristoteles & Ariston, utrique in libris Amatoriis, nos admonuere, Veteres in capitis dolore, & gravedine vinolenta, maximum levamen invenisse, tempora funiculis perstringendo, *quòd eam ligaturam prodesse crederent.* Quidam Andreas, ut puto, Medicus, apud Athenæum narrat, cuidam, cui caput intensè dolebat, ipsummet caput compressisse, atque illico eundem ad pristinam valetudinem restitutum fuisse, ex quo cognovit in hujusmodi capitis doloribus hanc perstrictionem esse doloris præsens auxilium; & idcirco iis, qui vino madebant, [1] hederâ caput strictè cingebant: hedera enim planta est nullius culturæ, & ubique provenit copiosa; præterquàm quòd nec visu ingrata est; nam corymbis & foliis virentibus *frontem opacat*, adstrictionisque vehementiam patitur, ac insuper refrigerat citra odoris gravitatem. Cui addit Plutarchus, hederam suapte natura vino admodum repugnare: quapropter ex hedera corona [2] Baccho dicata fuit, ex quo deus ille vini potionem primus adinvenit; [3] *medicamentum valentissimum & suavissimum; malisque inde nascentibus optimum præstitit pharmacum.* Quare Medici titulo honoratus est à Pythio Oraculo, referente Mnesitheo Atheniense in *lib.* I. Athenæi. Atheniensibus responso Pythiæ jussum fuisse, ut [4] Bacchum Medicum venerarentur; quod etiam à Chamæleone his versibus apud eundem Athen. exprimitur,

Viginti ante Canem, at totidem post ipse diebus
Ædibus umbrosis tectus, Medico utere Baccho.

Ex hoc invento hederaceæ coronæ, & ab ejus obvia fæcunditate, aptitudineque ad perstringenda tempora adinstar funiculi, Megisthem, ex Ana-

A creonte, [1] salicis Amerinæ, seu agni casti coronâ caput percinxisse arbitror, quoniam ad nexus est idonea, ut ait Athenæus *lib.* 15. quare Admetus, cùm statuam Junonis, Samios deserturam vereretur, adque Carios se recepturam, oblongis ramusculis ex salice Amerina, seu agno casto [2] illam vinxit, perstrinxitque, & hoc non tantùm quia planta illa ad manus & in propinquo esset copiosa, eo in loco, ubi convivabatur, sed ut quoque vini vaporibus ad caput salientibus opem ferret, illâ potissimùm sibi tempora præcinxit.

B

§. X.

FUniculis & fasciolis, quas [3] lemniscos appellat Festus, & seu ex [4] lino, seu ex lana conficiebantur, quod antiquissimum fuit genus coronarum lanearum, coronisque hederaceis jam institutis, remedii opportunitati delectationem, & venustatem, seu elegantiam quoque adnectere studuerunt. Hoc ex Aristotele & Aristone nuper allegatis habemus: *Posteros autem, ut ornatus adderetur quidpiam temporibus, quod compotationis oblectamentum esset, coronas excogitasse*, quæ capiti præcipuè aptabantur, quia sedes in eo sit omnium sensuum. Athenæus quoque post hederaceam coronam immediatè subdit: *At jam inde voluptatibus illecti homines, præter eam vim, quia ebrietatis incommodis medetur, & confert ejusmodi coronam, oculorum quoque & narium delectationem expetiverunt.* Atque ex hoc exordium sumsere coronæ ex floribus, herbisque redolentibus, Naturâ ipsâ magistrâ, quæ floribus & herbis miscuit utilitatem atque oblectamentum, *promtissimum, id est*, inquit Athenæus, *ex florum fasciculis ac sertis, præsertim Natura duce atque magistra.* Atque hìc de rosis violisque satis: liceat tantùm superaddere verba ipsa Plutarchi: „At florum exhalationes „mirabiliter contra hoc mali præsidio sunt, caD „putque velut arcem muniunt ad ebrietatem pel„lendam: nam & calidi flores molliter aperiendis „meatibus faciunt, ut perspirare vinum possit: „& quæ leviter frigida sunt, mediocri contactu, „vapores repellunt, ut violacea & rosacea corona: „utrumque enim horum adstringit, reprimitque „odore suo ea, quibus caput gravatur. Notatu dignum est verbum illud [5] *contactu*, quia hujusmodi coronæ non tantùm odore opem ferunt, sed etiam tactu ipso in fronte & capite. Ex quo deducitur, serta illa non modò [6] extrà, sed intrà, flori-

stringantur, ubi vim penè nullam habent, ut prosint, vel noceant. Similiter intelligendus est locus Sinibaldi de ruta prægnantibus nocua.

1 Fuga igitur doloris è capite non ex hedera, sed ex quacumque pressione & perstrictione habebatur. Hedera tantùm, seu salix, secernebatur, quia flexibiles & adinstar funiculi ramos habent.

2 De hedera, & Bacchi corona plura habebis in elegantissimo Opere doctissimi Philippi Bonaroti, de quibusdam Nummis maximi moduli, ubi, tamquam pro mantissa, addit explicationem eruditissimam cujusdam Gemmæ, in qua anaglypticè Bacchi triumphus exprimitur ad pag. 247. Baccho etiam erectam fuisse columnam hederâ cinctam ex Euripide refert Clem. Alexandrinus lib. I. *Stromatum.*

3 Juxta illud vulgatum in *Dithyrambo* suavissimi Vatis,

Il vino è Imperador d' ogni rimedio.

4 Nonnulla Vota Libero Patri, seu Baccho, tamquam Medico & liberatori, attulit Jac. Phil. Tomasinus in lib. *de Donariis*, cap. 27. elegantius mihi videtur illud Lindavii Monumentum, quamquam, ut judicavit Gruterus *, suspectæ antiquitatis:

DIIS MAXIMIS
BACHO ET SOMNO
HUMANÆ VITÆ
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB.
SACRVM.

* Inscript. 67. 8.

E 1 Eadem salix, de qua suprà ad §. VIII. l. c. diximus Rusticorum coronamenta fieri: diciturque vitex ob ramorum flexibilitatem. Cave ne credas ex vulgari salice fieri coronamenta.

2 Neutrum Athæneo, credo, nempe hoc factum fuisse ob ramorum flexibilitatem, vel ad reprimendos vini vapores. Verisimilius est, hoc factum fuisse, quia cùm Juno castitatis symbolum sit, nulla alia fronde ligari congruum erat ejus simulacrum, quàm ex salice Amerina, quæ & agnos, seu castum dicitur, eò quia virgines olim sibi componebant stratum ex hujusmodi plantæ foliis.

3 Limniscos quoque; utraque enim lectio invenitur. Fasciolæ dependentes ex coronis nuncupantur à Festo. Servius ad illud Virgilii,

F *Puniceis ibant evicti tempora vittis*,

scribit, Poëtam significare lemniscatas coronas, quæ sunt de frondibus & discoloribus fasciis. Tæniæ quoque angustæ, nec non & virgula inter geminos punctos jacens, Isid. *lib.* I. *cap.* 20.

4 Telas lineas faciliores nexus ac plicationis, quàm laneas, experientia docet: ideo in coronis lana minùs usitata.

5 Per contactum enim faciliùs introducuntur particulæ, seu sales in cute, & levamen propositum afferunt.

6 Cùm coronæ in orbem compositæ sint ac contortæ, necesse est intus quoque & herbas & flores habuisse.

floribus, frondibus, herbisque aptè repleta fuisse, & ideo non solùm frigiditate, ut ita dicam, potentiali, sed actualiter juvant ad retundendas vini fumosas exhalationes, & ita cerebrum frigore non attingunt, ut aliqui adversantur, sed à calore illo extraneo & gravedine cerebrum ipsum vindicavit. Ita illud Aristotelis benè ac sapienter prolatum judicabimus *de Sens. c. 5. Ad auxilium sanitatis facta est ista species odoris.* Et illud Plinii jam enunciatum, *in hoc est aliqua valetudinis portio.* Et quia odoris virtus calidæ naturæ est, cerebrum suâ naturâ frigidum refocillatur. Super quæ Averroës: *Olfactilia curant ab infirmitatibus capitis, & olfactum est in majori parte calidum & siccum.* Corona ex myrto, alio nomine Naucratites nuncupata, satis efficaciter vini fumositates repellit, adjectis rosis. Hîc Athenæus: *At cùm myrteam coronam, quæ adstringit, & vini exhalationes arcet, tum è rosis, quæ & gravitatem capitis nonnihil sedat, & æstuantes potiones refrigerat, usurparunt.* Quare Philonides* inquit, *E myrto coronam, meri vapores prohibere, è rosis autem refrigerare, & gravitatem capitis lenire.*

§. XI.

Atqui nonnullos me redarguentes audio: quid istud *Naucratites* cum corona myrto rosisque contexta? & declarari terminos postulant. De Naucratite corona igitur modò sermo erit, atque insuper ostendam rosas Veneri & Cupidini apprimè sacras fuisse, immo apud Charites in magno pretio. [1] Polycharmus, monente Athenæo, Librum rerum, gestorumque Veneris scripsit, in quo hæc mira & jucunda fabella legebatur: [2] Annis Olympiadis XXIII. Herostratus civis Naucratites ([3] urbs est Naucratis, de qua Strabo *l.* 17.) mercaturæ operam dabat, negotiabaturque plurimis in Provinciis: cúmque Paphum Cypri applicuisset, simulacrum, seu parvum Idolum Veneris ad palmi unius mensuram, ex antiquissimo opere, quod secum ad Naucratin transferre meditabatur, comparavit. Cúmque prope Ægyptum navigaret, atque hyems repentè incidisset, perterritus, atque mente turbatus, quò traheretur euri furore, quasque aquas navigaret, penitus ignoraret, omnes ad Veneris ipsius simulacrum confugerunt, atque orarunt, ut eos servaret. Tum verò Dea (erat enim Naucratitis amica clementissima) protinus navem totam viridanti [4] myrto circumvallavit, obduxitque, atque fragrantissimo odore totam perfudit. Insperato prodigio Nautæ ac Advenæ correpti, qui jam corde fracti animum desponderant in vitæ periculo, atque lassati de eorum salute prorsus desperaverant; cúmque sol enituisset, montibus conspectis, in Naucraten pervenerunt. Tum Herostratus exiens è navi cum simulacro, simulque virides myrtos habens, quæ sibi repentè apparuerant, id deposuit in Veneris fano, sacrificiaque instituit, eaque Veneri dicavit, ac convivium in ipso sacello celebravit; convocavitque eò quos conveniebat, & familiares viros, quorum singulis coronam ex myrto donavit, quam [1] ideo Naucratiten appellant. Ita Polycharmus de hujus coronæ origine. An verò tunc temporis, vel annis supervenientibus rosa cum myrto colligata fuerit, penitus ignoro: hoc unum scio, Athenæum illico post Naucratiten, coronam myrteam subnectere; verba sunt: *Hæc Polycharmus, quibus fidem adhibeo, nec ullam aliam esse Naucratiten coronam puto, quàm myrteam adjectis rosis.* Nihilominus Anacreon videtur roseam coronam [2] à Naucratite sejungere, dum ait,

Coronas vir quisque tres habuit,
Roseas duas, Naucratiten tertiam.

Verùm aliqui putant, sed inconsideratè ac ludicrè fortasse, coronam hanc ex papyro intorta confectam fuisse, ajuntque Theopompum lib. 3. *de Gestis Græcorum* hæc scripsisse: Papyraceam coronam inter cætera munera ab Ægyptiis Agesilao Lacedæmonio præstita, locum habuisse. Hanc opinionem irridet Athenæus, nullum nanciscens oblectamentum in corona ex papyro rosis mixta, nisi illud fortassis, quod ab allio & rosa traheretur. Ex quibus omnibus Dalechampius, papyrum malè olere deducens, Ægyptios Duci illi eximio ac invicto coronam, ut allia fœtentem, dono dedisse statuit. Et licèt per Theophrastum & Plinium notum sit, papyrum tamquam cibum in usu esse *crudam, elixam*, & *assam:* attamen & cepæ quoque, & allia, & scaloniæ, in cibariis locum habent, licèt malè & graviter oleant. Nihilominus cùm utrique Auctores ex papyro vasa, vestes, & stragula confici affirment, haud credendum est ita graviter olevisse ut allia, nisi papyrum, de qua Athenæus loquitur, [3] diversæ speciei fuisse adjudicare velimus. Quomodocumque se habeat res, ut Ægyptiis indulgeamus, facilè credendum est, Ægyptios Agesilao eundem honorem præstare credidisse, quo prosequebantur Deos; inquit Plinius, papyro ad Deos coronandos usos fuisse, atque ideo coronam papyraceam, hoc est, ex papyri floribus contextam, dono dedisse. Sed ad Naucratiten coronam revertamur. Et primò adest Pollux, qui in suo *Dictionario* de hujusmodi corona compendiosè loquitur, sed neque papyri, neque myrti nomine usus est. Flores permultos enumerat, & plantas verè coronarias, atque inter cætera ait *l. 6. c. 19. Anacreon etiam myrtis & corian-*

* Rescr. *Andreas*, & consul. Athen. *lib.* 15. *cap.* 5.

1 Naucratites & ipse erat Patriâ, Athen. *l.* 15. *c.* 6. Ejus liber *de Venere* inscribebatur.

2 De Olympiadum annis disertè Lilius Gyraldus noster in libro *de Annis & Mens.* Ista verò seu fabula, seu historiola, narratur ab Athenæo *lib.* 15. *c.* 5. quod totum inscribitur de corona Naucratite. Aliquantulum discrepant inter se interpretationes Casauboni, & N. Comitis: D. Lanzonus Auctor primâ usus est.

3 Urbs, & Nomos, seu Præfectura Ægypti mediterranea intra Deltam: hinc Naucraticum ostium Nili, vulgò *Rossetto.* Ita Plinius & Ptol.

4 Natalis de Comitibus ita vertit, *Omnia, quæ illi erant apposita myrtos virides fecit.* Quæ lectio magis consona videtur, & verisimilis: cùm enim Græca Theologia per metamorphosim magis explicetur, Fabulis priscis ista formarum mutatio magis arridet. Itaque omnia quæ in navi erant ad usum navis in myrtum convertit.

1 Igitur Naucratite corona dicitur, quia in ostio Naucratico ista prodigiosa germinatio, istudque, ut ita dicam, Veneris miraculum evenit, ubi statua ejusdem Deæ myrto & rosa coronata fuit.

2 Non verò per hoc Naucratiten coronam sine rosis esse Anacreon suasit. Sejunxit tantùm corona solius rosæ à corona myrti & rosæ simul, quæ Naucratites erat.

3 Multiplex papyri species apud Melchiorem Guillandinum enumerari potest in aureo illo Opusculo *De Papyro.* Certè non omnis papyrus malè olet. Addo insuper, non propriè coronas ex papyro, seu papyri flore contextas fuisse, sed coronarum vertebras seu cingulum, super quo corona suebatur, vel suebantur rosæ & myrtus. Atque ita istud magnum inter Philologos jurgium de Naucratite corona, an ex myrto, an ex rosis, an ex papyro, aliisque floribus, frondibusque interserta fuisset, præstat componere. Quibus omnibus novam, inexcogitatamque adhuc addam animadversionem: Naucratiten coronam eandem esse ac Votivam, quocumque flore componatur; & quandocumque pro voto, seu gratiarum actione, corona alicui Numini, seu homini, tribuatur, Naucratiten coronam appellari, ut priùs pro voto solvendo Veneri instituta fuit; multæ enim voces & ritus velut in Adagium transiere.

riandris coronari tradidit: tum & Naucratite corona, hæc autem amaracus erat. Athenæus ipsemet addit perquam plures coronam Naucratiten ex amaraco intelligi, quæ verba satis illam à myrto distinguunt.

§. XII.

AMaracus nil aliud est quàm majorana, ut habetur ex Matthiolo, Mizzaldo, Carolo Stephano, aliisque hujusmodi Scriptoribus, & hæc cum Dioscoride, Theophrasto, Diocle, & Plinio nihil à sampsycho differt: quamvis Galenus & Paulus Ægineta apertè amaracum à sampsycho distinguant. Sed nihil hæc ad rem nostram: clarum enim est per allegatum Pollucem, Naucratiten coronam ex[1] majorana compositam fuisse; & per Athenæum ex[1] myrto planta Veneri sacra; atque item Cereri, juxta Artemidorum *l.* I. ubi narrat myrti significationes per somnium: *Myrtea verò eadem quæ oleacea significat; verùm Agricolis commoda propter Cererem, & mulieribus propter Venerem: est autem communis utrique Deæ hæc planta.* Ex illa verò subita myrti apparitione in navi Polycharmi, myrteam fuisse Naucratiten coronam magis affirmari potest: ast quia myrto superaddita fuit rosa, ut lubet Athenæo, majoranam quoque copiosè in eadem corona intextam fuisse haud incredibile est. Quapropter & Pollucem, & alios plures Auctores, de quibus Athenæus, ex magna fragrantia amaracum, seu majoranam, in coronis fuisse, arbitrasse credendum est, eò magis, quò Dioscorides majoranam coronamentis aptam testatur; sicut & Theophrastus inter flores & plantas coronarias sampsychum à Diocle unà cum amaraco enumeratam asserit. Et quia amaracus plurima est in Ægypto, monente Pascalio; atque odoratissima per Theophrastum ibi germinat myrtus, utramque plantam in coronis efformandis intextam fuisse arbitrandum facile est unà cum rosa, Veneris, Cupidinis, & Gratiarum flore.

§. XIII.

GRatiarum, inquam, nam illis quoque (ut Veneris ancillæ) rosæ & [2] myrtus sacræ sunt, ut ex Pausania de tribus Charit. *Eliac. poster.* sive lib. 6. *Earum una rosam, talum altera, myrtum tertia præfert.* Cujus ratio in promtu est: *rosam & item myrtum Veneri sacram*, atque utræque eximiæ venustatis: *Gratiæ verò Veneri præ cæteris Diis attributæ sunt.* Rosam[3] Veneri sa-

1 Utraque opinio magis favet adnotationi nostræ ad §. XI. Not. 3. cùm nulla certa appareat herba, seu flos, ex quibus Naucratites coronæ componerentur.

2 Nomina plantarum, quæ in *us* terminantur, generis masculini suâ naturâ sunt. Cur verò ut plurimùm fœminino generi adscribuntur? v. g. *hæc myrtus, hæc platanus, hæc papyrus?* Quia semper subintelligitur nomen *planta*, seu *arbor*, ita; *hæc planta myrtus, planta papyrus*, &c. Estque hæc potissima ratio non uniformis generis in ista arborum declinatione: neque sphalmate notandum censeo eum, qui dixerit *hic platanus, hic myrtus*, &c. Pro quibus stat Sanctius, Menagius, & Gaspar Scioppius in *Instit. Gramm.* nomine Pascasii Grosippi evulgatis.

3 Epigrammatarius apud Scipionem Badaluechum in Commentariis ad Virgilianam Elegiam *de Rosâ*, seu de caducitate humana, habet,

I, fœlix rosa, mollibusque sertis
Nostri cinge comas Apollinaris,
Quas tu nectere candidas, sed olim:
Sic te semper amet VENUS memento.

Elegiam verò à Badaluccho Commentariis amplissimis illustratam, Virgilianam esse suspicandum est.

A cram, à Cupidine quoque filio inter delicias habitam, suavis ac festivus Anacreon nobis significavit *ode* 5.

Roseis Puer Cytheres
Caput implicat corollis.

Ex quo illud accidit Cupidini infælix periculum: dum enim ex opaca sepe rosam carpere studeret, apis infesta tenellam manum pupugit,

Inter rosas Cupido
Apiculam jacentem
B *Non vidit, estque punctus.*

Tunc gemebundus raptim ad matris sinum volitans se recepit, dolori suo, stridulo, altoque gemitu opem implorans:

Heu! occidi, occidi, inquit,
Vitamque, mater, efflo:
En me minuta serpens
Pennata vulneravit:
Apem vocant Coloni.

C Cui mater, & quidem ad rem:

Apis si acumen
Tantum facit dolorem,
Quantùm dolere credis
Quos tu feris, Cupido?

Theocritus[1] aliter narrat Cupidini hoc accidisse, dum mel rapere ex alveari tentaret: matris verò exprobratio eadem est,

Cui Venus: haudquaquam mirabere si tua spectes,
Quæ Puer exiguus vulnera tanta facis.

D Hoc idem Italicis carminibus, & quidem de more suavissimis, cecinit mel illud Charitum Carolus Maria Maddius[2], quod ad majorem Libelli hujus ornatum subdo:

Punto d' ape celata infra le rose
Nella man, che vi stese incauto Amore,
Pianse alla madre: e la perfidia espose,
Che si copria nella beltà del fiore.
Or le ferite intendi, ella rispose,
Che fai nell' Alme altrui dal tuo dolore:
Ben le prova più crude, e insidiose
E *Di quelle del tuo dito il nostro core.*
Pur la tua spina à noi tu non iscopri
E in paragon di questa ape infedele
Più crudeltade, e con più frode adopri:
Ci pungi à morte in promettendo mele,
In rose di beltà tue punte copri:
Mà l' inganno più bello è più crudele.

Idem eventus quoque ab Alciato in *Emblematibus* enarratur. Sed Anacreontem quæso adeamus, ut magis

1 Frequens est apud Scriptores præcipuè Græcos &
F Mythologicos ista diversa fabellarum, seu historiarum, lectio. Videsis Æsopianas Fabulas, & illas cum Phædri, Gabriæ, Ovidii, & Alciati Fabulis confer, videbisque Personas easdem, ac ferè eventus consimiles, sed non simili ordine res ad suos exitus perductas.

2 Seu, ut Itali, *Maggi*, Mediolanensis Philosophus, & Poëta eximius, cujus memoria cum laude semper celebranda est: castas enim, ac virgines, piasque Musas coluit. Qui si in Mundo Apollinari Laureâ dignatus non fuit, certè, ut credendum est, æterna ac immarcescibilis corona in Cælo illi non defuit. Piè obiit die 22. Aprilis 1699. Ejus Res gestas ac Scripta omnia collegit, eleganterque scripsit Lud. Ant. Muratorius.

magis magisque rosam Veneri acceptissimam confirmemus: idcirco rosicolor & ipsa cupidinum mater nuncupari sinit,

Rosicolor ipsa Cypris
Vocitata nonne doctis?

Roseæ erant mammæ tunc cùm è mari prodiit:

Ita fluctibus renidens
Mediis Venus natando
Trahit atque pellit undam
Roseas supra papillas.

Nec tantùm duo poma illa suavissima, sed & oscula ipsa rosea,

Rosa suavium Cytheres.

Nec mirum, Venerem rosis totam plasmatam fuisse: ad ejus enim ortum & rosa ipsa [1] primò orta est:

Sed quæ rosis origo,
Quum cæruleis ab undis
Sale rosidam Cytherem
Spumis edidit profundi.

Rosis redimitam [2] M. Justinopolitanus appellat,

Tutta di bianche è di vermiglie rose
Coronata le chiome.

Nec mirum, inquam, nam rosis quoque stipantur & ipsæ Charites, & multo flore coronari amant,

Decus addidit illa Nymphis;

quem locum Henricus Stephanus ita legit,

Decus illa Gratiarum
Florente Amoris hora.

Et in Veris descriptione;

Viden' ut ineunte Vere
Charites rosis abundant?

Denique non tam;

Hominum rosa est voluptas.

Sed insuper,

Rosa spiritus Deorum.

Sed ut ad rem nostram redeamus: cùm rosas adeò Venus depereat, ut asserunt Beroaldus, Schedius, nostrique [3] Magnaninus, & Bernius; à corona Naucratite utpote ex myrto contexta, dicataque ipsi Veneri, rosam excludere nefas est, ut aptè notant Athenæus & Pascalius. Nec adversùs amaracum, seu majoranam, sto; immo Polluci adhæreo: & licèt non in voto sim, rosas & majoranam adnexas fuisse in primo illo navis portento, fortassisque una post aliam invectæ sunt: de

1 Rosa primò candida orta est: purpurea verò dein facta ex Veneris sanguine, eburneo pede unius spinæ ictu transfixo.

2 Hieronymus Mutius Justinopolitanus Poëta Seculi XVI.

3 Duo excellentissimi Ferrarienses Scriptores, Octavius Magnaninus Philosophus, omni eruditionum genere refertus: qui Lectiones de Oculis, ac Convivium inter cætera eruditissimè scripsit: alter Franciscus Bernius Comes, Poëta suo Ævo clarus: verùm clarior Philologus, Philosophusque, ob illud egregium Volumen de Symbolis Pythagoricis, inscriptum *Moralitatis arcana*; cujus altera pars desideratur, servaturque manuscripta apud filios.

A quo nihil constanter assero. Hoc unum tamen dico, ab Anacreontis deliciis me nimis allicitum supervacaneè & ultro vagasse.

§. XIV.

MOdò de Coronarum utilitate in conviviis disserere liceat. Inter antiquissimas coronas locum habet illa ex meliloto, ut notat Pascalius cum Plinio *lib.* 21. atque ad hunc usum institutam fuisse, [1] nomen illud *sertulæ* satis indicat, atque odor ipse, ut ajunt, & præcipuè meliloti sylve-
B stris, quasi odoris crocei. Dioscorides de meliloto, quæ prope [2] Cyzicum nascitur, atque in Chalcedonia, ait: *Croci colore & odoratu habet campanâ sertula adstringendi vires, mollit inflammationes omnes, quin etiam capitis dolores levat:* quare mirum non est locum habuisse inter coronas, vino effervescente. Alexis in *Medicamentario* per Athenæum ita inquit: *Coronas è meliloto plurimas desideras.* Et Cratinus in *Effeminatis*, flores in coronis usitatiores enumerans, nempe lilia, rosas, violas, serpillum, crocum, aliosque, addit,

C *Et hederæ floribus, meliloto circumsepiente, caput*
Mihi semper tegitur.

Verba Cratini interpretanda Cynulco dedit quidam ex Convivis Athenæi: *Tu verò, ô Cynulce, exple ventrem, deinde explana quod de meliloto Cratinus dixerit his verbis,*

Melilotoque semper muniente caput stipatum.

At ille ventris magis curans pabulum, quàm mentis, & jam vino nimio ebrius ac temulentus, irresolutam liquit quæstionem. Mercurialis in *Var. Lect.* l. 3. c. 9. supplere huic responso ausus
D est: propositoque dubio, ait: *Sciri velim; inter herbas coronarias apud Veteres melilotum primas ferè semper tenuisse.* Idcirco Latini modò sertam, modò sertulam campanam melilotum nuncupavere: *Cur verò id esset, puto quoniam coronis ad sedandum ebrietatis fervorem institutis, melilotum miram operam præstabat.* Subditque locum Athenæi: *Melilotum, à quo dicuntur melilotinæ coronæ odoris suavissimi, & magnis æstibus valde refrigerantes*; quibus auctoritatibus innixus ita finem sermoni imponit: *Qui igitur apud Cratinum semper custodem melilotum dixit, nil aliud, meâ quidem sententiâ, significare nobis voluit, nisi quòd ejus herbæ
E potestate semper ab ebrietate custodiretur.* Hujus opinionis fuisse hunc quemquam apud Cratinum ex Athenæo firmiter judico, licèt ambigam, Mercurialem utcumque eruditissimum eximiumque Virum, cum meliloto & sertula florem [3] Ægyptiæ fabæ confundere. Certum enim est, ex allegatis verbis Mercurialis, de meliloto & sertula campana sermonem habere, tamquam ejusdem naturæ cum meliloto, de quo in initio tertii

1 Verè hoc etymon est hujus herbæ, quæ à sertis componendis *sertula* vocatur, atque ideò Hispanicè *corona de Rey.*

F 2 Urbs Mysiæ in Asia ad Propontidem & Æsapi fluvii ostium: *Spiga* etiam appellatur, & per alios *Zelia.* Antiquissima est, ac Mileti coæva. Ovidius lib. 1. *Trist.* el. 9.

Cyzicon Hæmoniæ nobile Gentis opus.

3 Faba Ægyptia olim apud nos herba exotica, nunc verò in Italia non rara: colocasia nuncupatur; faba Pontica, Niliaca, & ciborium, ut Dioscorides, & Theophrastus; nec non Athenæus *l.* 3. *c.* 1. ubi clarè extricatur nodus istius controversiæ inter melilotum & fabam.

tii libri loquitur Athenæus: sed si propiùs Athenæum inspiciamus, de faba Ægyptia tantùm sermonem habere compertum erit, cujus flos in coronis quoque locum habebat, ex Nicandro in *Georgicis:*

Ægyptiam tu fabam serito, ut post metas
E floribus coronam texas: delapsa
Maturo fructu ciboria pransuris
Pueris, & jam pridem cupientibus in manu
des.

Florem istum, inquit Athenæus, Ægyptii loton vocant, sed à Naucratitis civibus meliloton, à quo dicuntur melilotinæ coronæ odoris suavissimi, & magnis æstibus refrigerantes, qui effectus magis de fabæ flore verificatur, quàm de meliloto, utpote quæ, monente Matthiolo, calida sit in primo gradu. Addo, florem fabæ Ægyptiæ, de quo Athenæus, florem esse coloris rosacei, de quo Theophrastus; *Flos duplex quàm papaveris, color roseus in plenum caput:* flos verò meliloti verus & ingenuus flavus est, de quo Dioscorides & Plinius ajunt; colore & odore croco assimilari: qui verò in [1] Campania citra Nolam nascitur, lutei coloris est, nempe flavus aureus, non rubidus, ut Matthiolus interpretatur. Stet igitur, florem fabæ Ægyptiæ, de quo in initio libri tertii loquitur Athenæus, alium esse ab illo vero & ingenuo meliloti: atque ideo coronas illas ex meliloto easdem non fuisse, ac illæ de quibus Cratinus loquebatur. Hæc verò tantùm opinor: nihil verò contra tam præclarum Auctorem affirmo.

§. XV.

Atque hìc tandem finis esset totius Dessertationis de Coronis in conviviis, cùm satis hucusque appareat, primò inventas fuisse ad remedium, non verò ad oblectamentum; quia prima usque ab origine coronæ istæ tantùm [2] adinstar fasciolarum, seu funiculorum ex lino, vel lana fuere, quas Festus lemnisci nomine significat: tractu verò temporis huic remedio se adjunxerunt comites elegantia & venustas, ac insuper mollities floribus & frondibus, quæ ita distinguit Plinius *l.* 21. *c.* 9. *Duo earum genera, quando aliæ flore constant, aliæ folio.* Inter flores primo loco enumeratur [3] genesta, inter verò frondes, *folia smilacis & hederæ.* Temporis præcedentia utique hederæ danda est, quia à Baccho primùm inventa ad refrigerandam frontem, caputque nimio vino fumans, simulque ad repellendas vini fumationes. In usu quoque fuit apud priores smilax illa hortensis levis, cujus frondes hederæ admodum consimiles sunt, licèt tenuiores, (& hoc temporis illius sinceritati magis concinnum fuit) quæ & volvulus fortasse appellata fuit, ab involucri fronde, quâ cuique plantæ proximiori circumvolvitur, ideoque ad cingendum caput aptissima & ad refrigerationem. *Olim*, inquit Suidas, *Convivis imponebantur coronæ, quò calvam refrigerarent, cùm contra vini vapores, tùm contra æstum.* Ideoque necessitas eam primò invexit, dein voluptas coronis ex floribus frondibusque fragrantioribus, quæ in pratis, vinetis, hortisque omni tempore producuntur. Atque adeò invaluit hujusmodi voluptas odorum, ut odoramento florum, herbarumque, ac ipsarummet coronarum, unguentorum quoque odores apposuerunt. Unicus est Posidonii locus, qui per Athenæum *l.* 15. ait, apud Syros, nonnullos cœnaculum ingredi solitos vasis unguento [1] Babylonico affluentibus, atque procul mensam circùmeuntes, accumbentium coronas irrorabant, nil aliud odore adspergentes. Nec tantùm coronas unguentis irrorabant, suffumigabantque, sed & funiculos & fasciolas, quibus coronæ circa caput ligabantur; fragrantissimis unguentis ungebant: quare Demonades* Halicarnasseus cecinit, ut affert Athenæus,

[2] *Ministræ verò jocis atque risu hilaris Veneris,*
Textas coronas suaviter olentes ex floribus terrâ
editis
Capitibus imposuerunt, fascia, unguento pingui re-
vinctis,
Nymphæ, Gratiæque simul cum aurea Venere
Pulchrè canentes per Idæ montem.

Plutarchus de unctione coronarum, quæ ob miram redolentiam [3] *hypothymidæ* vocabantur, & quas collo appensas gestabant, ait: *Itemque serta, è floribus texta, præcipuè à cervice suspendentes, hypothymidas appellabant, unguentisque, quibus ea erant delibuta, pectus inungebant.* De coronis circa collum cecinit quoque [4] Tibullus (ex quo amœnitates voluptatesque Græcas Romanis quoque placuisse credendum est) dum ait,

Illius è nitido stillent unguenta capillo
Et capite, & collo mollia serta gerant.

Cicero quoque, in *Verrinis*, C. Verrem vituperat, quia coronam habebat unam in capite, alteram in collo; quod etiam ex Tertulliano habemus lib. *de Corona, & sertis colla complectimur.* Sed neque colla tantùm, pectora quoque coronis ornabantur, ungebanturque, de quibus Athenæus *lib.* 15. *Coronis etiam pectus ornari, unguentisque oblini cœptum, quia sit in eo cor situm.* Quamobrem [5] Anacreon maximè optat, ut sibi ungatur cor,

Unguento mihi pectus ut cavum oblinas.

Et

1 Atque ideo sertula Campana dicitur. Campania, antonomasticè felix, *Terra di lavoro*, Regio Italiæ in Regno Neap. clarissima urbibus & fertilitate.

2 Priùs igitur cingulum erat, deinde corona: nec priùs coronæ nomen assumsit, nisi quando istud cingulum ornari cœpit floribus, frondibusve.

3 Non tantùm inter plantas coronales locum habet genesta, ob floris sui elegantiam fragrantiamve, quantùm ob aptitudinem ad texenda filamenta coronarum, & lemniscos. Narrat enim Plinius *lib.* 19. *c.* 11. & Matthiol. *in Dioscorid. l.* 4. *c.* 159. ex sparto (idem est ac genesta, vel saltem genestæ species) confici funes ac rudentes navium, tamquam nos ex cannabino filo, post constitutam macerationem.

* Rest. *Demodamas.*

1 Idem quoque habemus suprà in §. 1. Not. 2. pag. 680.

2 Locus Demonadis Poëtæ pulcherrimus est; & demonstrat, fasciolas quoque coronarum, unguento delibutas fuisse: nihil enim facilius in unguenti effusione super flores, fasciolas quoque perungi.

3 Sequitur Plutarchus *Symp.* quæst. 1. *Non enim ideo hypothymides vocaverunt collo appensas coronas, quòd animum castra sua in corde habere putarent, (est enim θύμος animus) sed propter exhalantem potius fragrantiam, quam ipsi apothymia finnominant.* Igitur hypothymides interpretatur seu corona animi, seu corona exhalans fragrantiam.

4 *Lib.* 1. *eleg.* 8. ubi celebrat natalem diem Messalæ, estque elegia antiquariam eruditionem maximè præbens.

5 Clariùs explicatur hic Anacreontis versus, nec non & alter Alcæi ab eodem Athenæo *l.* 15. *c.* 14. Illud pectoris ornamentum abusivè corona nuncupatur. Corona capiti gestatur, collare collo, & torques pectori: coronæ, quæ collum & pectus cingebant, erant veluti caudæ, seu barbæ coronarum capitis, ut narrat Antoninius in lib. *de Triclinio.*

Ex Alcæus de seipso,

Mihi deorsum in pectus unguentum suave profudit.

Tamquam, interpretatur Athenæus, *odoris suavitate cor recreetur*. Hoc autem apud Veteres fuisse olim factitatum, non ideo tantùm, quòd naturâ vapor odoris à pectore sursùm in caput efferatur, sed etiam quia in corde sit animi domicilium. Ita quoque statuerunt eximii Medici Philotimus & Praxagoras, super quibus Athen. idem plura affert Homeri loca. Atque ita à coronis inopinatè ad unguenta devenimus. Enimvero utraque ita in convivalibus antiquitatibus conjunguntur, ut neutrum sine alio tamquam umbra à corpore sejungi possit.

§. XVI.

VNguenta [1] in conviviis locum habuere eadem ratione, quâ & coronæ, nempe, ut retunderent vini vapores ad caput salientes. Hoc habemus ex Myronide apud Athenæum in Libro *Vnguentorum & Coronarum*; ex ritu Medicorum illius temporis hunc usum trahit, qui dum caput febrili ardore æstuaret, jubebant *irrigationibus perfundi caput, ne sursùm in eam partem irruerent quò adurebantur*. Hujus medici consilii causâ, Majores nostri, rationabiliter dubitantes, ex vini vaporibus inter potandum notabile detrimentum capiti inferri, illud ungere maximè approbaverunt, *quòd vini fore imbecilliorem vim crederent, quo pacto veluti diluerentur*: sed similiter ac de coronis, utilitati ornamentum, & voluptatem adjunxerunt. Non verò omnimoda res unguentaria ad ungendum caput apta erat; illis tantùm unguentis utebantur, quæ caput minimè gravarent, adstringerent nonnihil, & refrigerarent. Hujusmodi unctionis ad tam nobile membrum rationem reddit Masurius apud Athenæum *l.* 15. sensus in capite positos odoribus demulceri ac deliniri. Alexis eadem de causa, vitæ humanæ incolumitatem ex unctione derivari autumavit, ubi inquit,

——— *odores cerebro bonos objicere.*

Archestratus & similiter *lib.* 3. *cap.* 21.

Stillatitiis unguentis coma bonis inungitor:

stillatitiis unguentis interpretatur Dalechampius *myrrha stacte*, nec irrationabiliter, quia ex arbore per nonnullas cicatrices myrrha, primò nuncupata stactes, distillat adinstar vitis collacrymantis post salubrem potationem. Archilochus capiti superaddidit pectoris unctionem, ut modò diximus,

Unguento perfusa coma, pectusque madidum est.

Sed de ista unctione, ac suffitu pectoris, deque hujusmodi faciendi ratione, satis jam actum est. Prætermittendum verò non judico, cum Athenæo, Antiquiores nostros hanc luridam ac voluptuosam unctionem adeò voluisse, ut privatim unicuique parti corporis idoneam scirent: alia unguenti species pedibus, alia capiti, alia cruribus, alia brachiis, alia genibus, & sic pro singulis partibus in usu erat. Antiphanes potiora unguenta enumerat. Sed quod mihi stomachum movet solo mentis recursu est, adcò hujusmodi luxuriem spurcitiamque coluisse, ut ad miscenda vino unguenta, illaque bibenda stultè perventum sit. Hoc vel cum lacrymis enarrat Plinius *l.* 3. *c.* 3. *At hercle, jam quidam etiam in potu addunt, tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* De hoc etiam intelligit idem Plinius *l.* 14. *c.* 17. *ex unguentis vina composita*, &c. Atque Athenæus cum Pherecrate,

Jussi nobis [1] *affundi unguentum Brenthium*, &c.

Ubi sanè verbum *affundi*, non effundere, seu versare significat, sed infundere, atque in cyathum introducere: quare Natalis de Comitibus legit *infundere*. Pro eadem quoque significatione usus est hoc vocabulo C. Tacitus nefariam proditionem narrans à Nerone patratam in impuberem Principem Britannicum: ait enim 13. *Annal. Frigida in aqua affunditur venenum*: & Plautus in *Sticho* Act. 5. Scena 4.

Tibi propino decem, affunde.

Præterquam quòd Dalechampius sæpe utitur verbo *affundere*, ubi de mixtione vini pro potu loquitur, ut in interpretatione Menandri apud Athenæum *l.* 10.

Octo quidam ut affunderentur exclamabat
Cyathi, quousque in ea bibendi ambitione, &c.

Alcæus quoque inquit,

Affunde, misce, unum, & duos.

Et ita sæpius ad nauseam usque. De hujusmodi vini & unguenti mixtione loquitur fortasse Athenæus in prolixa enarratione horum unguentorum *lib.* 15. *Compotationibus utile rosaceum, myrthinum, & melinum*; & paucis interpositis: *In compotationibus juvat sampsuchinum, serpyllinum, crocinum, absque myrrha multa, quemadmodum &* [2] *stacte & nardinum.* Ubi notandum est, quòd quamvis stacte vocetur in genere myrrhæ, utpote quæ, prælo expressa, pinguissimam distillationem stactem vocant, (verba sunt Dioscorid. *l.* 1.) nihilominus quia per *se etiam unguentum faciens quod stacte appellatur.* Eam à myrrha Memphitica distinguit, ut hac, odoris causâ, tantùm utantur, alterâ fortasse, ut vino misceatur. Hanc eandem distinctionem affert quoque *Psal.* 44. vers. 9. *myrrha & gutta.* Atque hoc nomine guttæ à Tirino stacte, & ab aliis Scriptoribus, appellatur.

§. XVII.

1 Martialis, præ omnibus, hujus penè tunc temporis universi usus testimonium affert in lepidissimo illo epigrammate:

Unguentum, fateor, bonum dedisti
Convivis, here, sed nihil scidisti:
Res salsa est, benè olere, & esurire.
Qui non cœnat, & ungitur, Fabulle,
Hic verè mihi mortuus videtur.

1 Athenæus *l.* 15. *c.* 16. hunc locum Pherecratis affert, & ex interpretatione Natalis Comitis sic sonat: *De unguento Brenthio hoc pacto meminit in Nugis Pherecrates. Constiti ac jussi nobis unguentum Brenthium infundere, ut infunderet adeuntibus*: ubi bis utitur verbo *infundere*. Meo judicio, vel nulla, vel minima discrepantia adest inter duo verba hæc, *affundere*, & *infundere*: sumuntur enim utraque pro *versare, inundare.* Est locus Plinii *l.* 16. *c.* 44. *Vinum illi affundere*: affunduntur fluvii, ubi alveum nanciscuntur: est tantùm vehementior expressio illud *infundere*, hoc est, se totum immergere.

2 Stacte est stillatitius humor, & sumitur pro quolibet liquido in genere.

A

§. XVII.

NEc tantùm myrrham stacten vino miscebant, sed & [1] unguentum nardinum: quare (Plaut. in *Mil. glor.* Act. 3. Sc. 2.) Lucrius de Sceledro servo, qui nimiùm potus graviter dormiebat,

—— tetigit calicem clanculum;
Demisit nardini amphoram cellarius.

Et quamvis Lambinus vinum illud cum nardo tantùm aromatizatum fuisse credat; Turnebus pro mea sententia stat, notatque in *Adverf.* l. 2. c. 29. *Vinum nardinum est, quod vel nardo, vel unguento nardino conditum est: Veteres enim, ut Theophrastus auctor est, unguentum miscebant vino.* Quamobrem & similiter [2] Menandri locum ab Athenæo allatum intelligendum judico,

Suave, puer, hoc unguentum est: suave, inquam:
Quidni? Nardinum est.

Hujusmodi unguentariæ odoratæque potionis saluti maximè infestæ (ut ait Jo. Baptista Persona in *Noct. Solit.*) exemplum nobis attulit Plutarchus post Taletem in Convivio: estque hoc: Alexidemus, Thrasybuli illegitimus filius, unguenti pretiosi vas, patri suo dono datum, in magnam pateram elutrians, vinoque super effuso totum ebibit: *Unguentum præclarum, id in magnam crateram infudit, meroque affuso ebibit.* Verùm Alexidemus improbatus fuit, vel ob nimiam unguenti copiam, vel quia nemini partem elargitus fuisset illius potionis. Ob hujusmodi potionem Philosophastri quidam justè à Luciano vituperantur in *Nigrino, hos illos esse, qui unguenta bibunt.* Non ex necessitate, sed ex voluptate tantùm, quæ ab illo ita appellatur, cùm unguenta [3] ad ungendum externè corpus, non verò viscera, inventa sint. Hanc luxuriem acriter exaggerat Ælianus in *Var.* l. 12. ita scribens: *Illa quoque luxus sunt indicia, quòd Græci unguenta vino miscentes ita bibebant,* [4] *cogebantque hæc duo inter se diversa simul misceri.* In viris hanc unguentorum ingluviem, effrenatamque libidinem, dum vini major effervescebat insania, nimiùm damnandam censemus: ast fæminas quoque Matronasque Romanas ævi illius, hanc dissolutam vini unguentique ebibitionem in usu habuisse, heu quantæ abominationis digna res est! Juvenalis certè, rabie percitus, exagitatusque in illas ita irrumpit,

1 Unguentum ex nardo, aliisque ingredientibus. Nardus est frutex fragrantissimus, unde pretiosissimum oleum fit. Antiquitus magni fuit pretii, quia illis temporibus unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret: nec multò ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cœpit fieri quod commendaretur. Hujus rei rationem vide apud Martin. in *Lex. Philol.* ex spica fit, unde nardus spicata ab aliquibus nuncupatur: & an dicendus sit nardus pisticus perlegantur verba nostri Ferrariensis Hippocratis Antonii Musæ Brasavoli in *exam. Herbar.* quæ hîc justis de causis referre non audeo. Sed quid nardus in vino? Vinum nardo medicatum potiùs autumo eo modo, quo inter medicata vina legimus vinum mellitum, vinum caryophyllatum, vinum feniculatum, passulatum, buglossatum, &c. Ita & hoc vinum nardinum. Plura habebis in Libro *de vini natura, artificio, usu*, Basil. impress. Anno 1565. c. 26. & in Athenæo *l.* 15. *c.* 12.

2 Menander in *Reticulo:* Athen. *l.* 15. *c.* 13. per Natalem de Comitibus interpretatur sic, *Suave unguentum, suavis Puer, quî enim non nardinum?*

3 Et hic benè accommodatur epigramma illud Martialis desuper allatum in *Not.* 1. ad §. XVI. pag. 707.

4 Optimè exprimitur lucta vini & unguenti in hac permixtione.

Cùm perfusa mero spumant unguenta Falerno;
Cùm bibitur concha, &c.

Farnabius notat hîc [1], *Vina unguentis miscentur, eò invalescente luxuria, ut odorem prodigum ex utraque corporis parte captarent.* Et Lubinus in eodem loco textus: *Cùm unguenta puro Falerno vino perfusa & delibuta spumant & fervescunt.*

B

§. XVIII.

ET hîc de vino myrrhato sermo incidit: multi enim Scriptores, nempe Hermolaus Barbarus *in Plin.* Hadrianus Junius in *Adverf.* & Persona in *Noct. Solit.* nullum neque vinum, neque unguentum à myrrha denominatum fuisse opinantur, sed à Græca voce μύρον, *myron:* quod genericè de omnibus unguentis intelligitur, & sic myrrha quoque in conditura seu præparatione vinorum locum haberet: atque ita à quocumque unguento vina myrrhina nuncupata fuisse; & ab Æliano μυῤῥινίτης myrrhinites, & à Polluce μυρίνης: *Erat & vinum myrines, unguentarium, unguento mixtum: nonnulli tamen dulce vinum sic nominatum putant.*
C Diphilus apud Athenæum *l.* 4. *cap.* 4. sic habet,

—— —— quod ferculum
Multò magis gratum erit, myrinam quàm si affundas.

Super quibus Dalechampius [2] *vinum unguento conditum*, ad Plinii locum se referens. Hæc omnia prolixè in Auctoribus perleguntur, nihilominus (nec nimis audeo) ego unguenta appellarem, ut Æolii vocant, & myrrha, & smyrna, *quia conficiuntur è myrrha: quin & myrrha stacte per se unguentum est*, ut Dioscoridis & Plinii opinio fuit.
D Hisque Athenæi verbis, *quia multum conficiuntur unguenta è myrrha.* Dioscorides vim addit, ubi unguentorum præparationes docet. Quamobrem vel nulla, vel penè ulla unguenta sine myrrha parata esse judicare audeo, adeò ut unguenta myrrhata ex sola myrrha nomen sumsisse affirmem, ut à nobiliori capite. Atque ita cùm jam Alexis in Athenæo dixisset *lib.* 15.

Argentata manu è cynio lapide*
Unguenti præbebunt ornatum Ægyptii.

E Didymus animadvertit, num myrrham verbis illis Poëta innuat, utpote quæ ab Ægypto in Græciam primò invecta est. Quapropter apud Athenæum duo loca de stacte intelligenda sunt; unum *lib.* 12. *cap.* 13.

—— —— unguento
Ægyptio linit manus & pedes.

Aliud *lib.* 15. *cap.* 12.

—— —— unguento
Ægyptio pedes linit & crura.

F

Nonnulli existimant vinum myrrhatum maximè valuisse ad animum stupidum hebetemque reddendum in angustiis acerbioribus; adinstar pharmaci, seu nepenthes formosissimæ Helenæ, cujus virtus adeò

* Rescr. *Cyprio.*

1 Sensus Juvenalis est *sat.* 6. v. 302. Cùm unguenta perfusa Falerno mero spumant: unguenta perfundebantur vino, non vina unguento.

2 Hoc est, aromatizatum.

adeò ad curas animi repellendas sedandasque invaluerat, ut non modò fletum, sed & dolorem impediret, vel in morte filii, acceptiorisve conjuncti, Immo iii, quibus hoc remedium in usu erat, per horas lætè & jucundè vivere conabantur, adstringebanturque. Homerus [1]:

Ibi tum alia excogitavit Helena è Jove nata.
Protinus sanè in vinum misit pharmacum unde bibebant
Absque dolore & ira, malorum oblivionem inducens:
Qui illud deglutierit postquam crateri mixtum erit,
Non utique tota die profundere poterit lacrymas à palpebris,
Neque si ei mortui fuerint materque paterque,
Neque si ei fratrem, aut charum filium
Ferro trucidarent, ipse verò oculis videret.

Tanta virtute ac penè incredibili pollebat vinum illud ita conditum, quod ab [2] Ægyptia Polydamna edocta Helena fuit: incredibili, inquam, nam, ut ait Jovius, Imperator Turcarum Selimus, ut animum molestiis levaret, quibus imperandi curâ affligebatur, potionem quandam ebibere consueverat, à qua omnimodè mentis angustiæ repellebantur, ac diu Imperatoris animus inenarrabili jucunditate perfundebatur. Jo. Baptista Persona in *Noct. Solitariis* studiosissimè inquirit originem hujus penè divinæ potionis, & quandam [3] helenii speciem fuisse ait, cujus virtutem ipse quoque expertus fuerat. Quomodocumque sit ad nostrum vinum myrrhatum nihil attinet: ideoque Plinium adeamus, qui ut vina myrrhâ quoque condita fuisse comprobaret, *Persam* Plauti affert, cùm in Plauto nulla sit mentio myrrhæ: quare nonnulli Plinii credulitatem irrident: enimvero Plautus in enarrata Comœdia hæc habet Act. 1. Sc. 3.

Commisce [4] mulsum, struthea colutheaque appara,
Benè ut in strutheis † concaleat, & calamum injice.

Ubi de myrrha nulla mentio habetur.

§. XIX.

AD quam Plinii eluendam calumniam, juvat singula hujus Scriptoris verba percurrere, & sunt *l.* 14. *c.* 13. *Laudatissima apud Priscos vina erant myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti*

A *fabula, quæ Persa inscribitur.* Et illico subdit: *quamquam in ea & [1] calamum addi jubet.* Ex his verbis, Plinio notum fuisse locum Plauti satis constat, cùm in illo jubeat Toxilus servus calamum injicere: si ergo benè meminerat potioni illi calamum quoque copulari, procul dubio est de myrrha quoque ibi mentionem animadvertisse, aliter Plauti locus incassùm allatus fuisset. Igitur (ut Antonius Persius) suspicandum est, in textu, qui tunc præ manibus erat Plinii, carmen unum adfuisse, in quo de myrrha sermo haberetur, ut ego inter varia Plauti exemplaria unum vidi Hollandicis typis excusum Anno 1640. in quo ad Act. 1. Sc. 1. sic lego,

B *Commisce myrrham, struthea, colutheaque appara, &c.*

sed optimè, meâ sententiâ, per Nicolaum Guibertum Plinii auctoritas vindicatur, Plautique textus expurgatur. Monet primò Auctor iste, duo illa verba Plauti *struthea* & *coluthea* non adhuc benè ab aliquo percepta fuisse, atque ideo pro *struthea* in textu penes Plinium, vel *stacta*, vel *strutea* legi, nam stacte, sunt lacrymæ illæ, quæ ante incisionem corticis, juxta Plinium, vel C post ejusdem corticis levem incisionem (juxta aliorum opinionem) spontè fluunt. *Sudant autem* (verba Plinii *lib.* 12.) *sponte priùs quàm incidantur, cui nulla præfertur.* Et Dioscorides *l.* 1. *Expressa stactum dat.* Necnon Theophrastus *l.* 9. *Sed alios securi percussos videri, alios tenuiores incisuras habere & lacrymarum aliam decidere, aliam arbori inhærere.* Fulgentius ita concinnè de his lacrymis loquitur, ut verba illius præterire nefas esset: *Solis ardoribus*, inquit, *crepans, vulnera efficit, per quæ succum desudat, quod mirrha dicitur, & redolentibus lacrymosa guttulis fletus suavis scissuris hiantibus jaculatur.* Quamobrem si in textu Plau- D tino pro *struthea* scribitur *stacte*, ibi de myrrha stacte, quæ pretiosior est, mentio erit. Atque hoc eò probabilius erit, quò in *Mostellaria* ejusdemmet Plauti de stacte sermo est, Act. 1. Sc. 3. ubi Adolescens Philolaches ancillæ Scaphæ, quæ jam dixerat,

* *Vide tu an ibi sint unguenta,*

ita responsum dat,

Quid opus est? cum stacte accubo.

E Sique in *Persa* non *stacte*, sed *stactea* legere lubebit, erit illa myrrhæ species, de qua Plinius *lib.* 12. *c.* 16. ubi myrrharum genera exponens ait; *Prima Erythræa; sequens & Minæa, in qua stactea & Atramitica est.* Plauti igitur à Guiberto versu emendato, Plinius à veterni nota vindicatur, & clarè dignoscitur Toxilum in [2] mulso jussisse myrrham stacten, ut crassiorem, fragrantioremque, ob excellentiam, misceri: atque ita vino stacten miscere idem erit, ac pretiosissimum unguentum infundere, quia stacte, ut diximus cum Dioscoride, Plinio, & Athenæo, per F se facit unguentum. Rebus ita stantibus in Plinii *lib.* 14. *c.* 13. laudatissima apud Priscos erant vina myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula,

† Scr. *scutris.*

1 *Odyss.* l. 4. ℣. 220. ex interp. Giphanii.
2 Uxor Thonis; ideoque in eodem loco Homeri hi versus subsequuntur post super enarratos;

Talia Jovis filia habebat pharmaca utilia,
Bona, quæ illi Polydamna præbuit Thonis uxor Ægyptia.

3 Herba ita appellata ab Helena, quæ fertur eam sevisse, ut pastu serpentes tolleret, Hes. apud Martin. Enula campana communiter dicitur. Nos verò in hoc loco genericè sumimus, pro liquido, quod vino infusum tristitiam discutit adinstar Helenæ, quæ tali nepenthe usa est, ut maritum suum & hospitem Telemachum exhilararet. Plura Gorræus *Def. Med.*
4 Textus Amstelodamensis ex recensione Jo. Isaaci Pontani habet *murrham*, non *mulsum*, ita,

Commisce murrham, struthea, colutheaque appara,
Benè ut scutris concaleam:

hasque varias lectiones affert etiam Valens Acidal. in *Not. ad Plaut. Persam*, cap. 2. p. 411. atque ideo Plinius non est lippitudine objurgandus.

* In Edit. Camerarii, Gronovii, &c. sic iste versus legitur, *Vide tali ubi sint: vin' unguenta.*

1 Calamus odoratus planta, locum, in quo nascitur, suavissimo replens odore. De quo Dioscorides & Plin. *l.* 12. *c.* 20. Juncus à Theophrasto appellatur l. 9. c. 7. *Hist. Plant.*
2 In potione; à mulcendo dicta, id est, molliendo; applicatur etiam potionibus quibuscunque.

la, quæ *Persa* inscribitur. (quem locum ipsemet Plinius emendat paulò pòst *l.* 14. *c.* 16. *Aromatiten quoque invenio factitatum, non tantùm unguentorum compositione, primò ex mirrha, ut diximus, mox ex* [1] *nardo Celtico*) Igitur Antiquiores nostri, vini genus habuere, in quo non tantùm odor, sed myrrhæ substantia medullitus infundebatur. Dioscorides id affirmat, ubi diversas vini species ab eo conditas edocet: *Sumito myrrhæ drachmas duas, in vini* [2] *sextarios septem demittito:* dein inquit: *myrrhæ itidem, crocique singulorum singulas drachmas.* Constantinus Cæsar, seu potiùs Dionysius Uticensis, in factitatione vini Aminei ait, *quidam etiam, myrrhæ,* [3] *cassiæ, croci singulorum drachmas quattuor.* Et in illa vini mulsi: *Myrrhæ scrupulos sex, vini sextarios viginti quattuor.* Priùs verò de quodam vino loquens ad tuendam valetudinem ùsque ad senectam, myrrhæ Troglodytis drachmas duas infert; & illi mirificæ conditurae, durabiliora vina facienti, adhuc sextantem myrrhæ addit.

§. XX.

HUjusmodi vina condita atque aromatizata apud Hebræos quoque in usu fuere: legimus enim *Cantic.* 8. *Dabo tibi poculum ex* [4] *vino conditum.* Et licèt arcana horum verborum imperscrutabilia sint, nihilominus quandoque licet [5] uti litterâ, ut narrant Interpretes, & præcipuè Ghislerius. Huic loco & alium superaddunt ex *Sap. Vino pretioso & unguentis nos impleamus.* Verbum illud *impleamus* tàm vino quàm unguentis commune est; ideoque unguenta unà cum pretioso vino potasse existimo. Ita Cornelius à Lapide explicat: *Vino & unguentis, id est,* [6] *vino unguentoso*; atque subinde Picinellus *Lum. Rifl.* Itaque non ab re dissonum judico vinum cum myrrha stacte, seu aliis aromatibus medicatum, vinum myrrhatum appellari posse, ac tale fuisse illud, (quidquid ex adverso opinetur Guibertus) quod milites Redemtori nostro in Passione ejus, (ut refert D. Marcus) non ob levamen, ut Th. Bartolinus affert, sed ut magis illum affligerent, apposuerunt: illud verò bibere Salvator noster nequaquam dignatus fuit, à levamine illo fortasse abhorrens, quod in tam diro cruciatu [7] ab odore myrrhæ exhaurire poterat.

1 Seu nardo Celtica, utrumque enim scribitur. Multiplex est nardus: Celticus nuncupatur, quia in Gallia Celtica nascitur; item in Liguria.

2 Mensura liquidorum & aridorum, sextam congii partem continens.

3 Non vulgaris, seu solutivæ cassiæ, neque coronariæ, sed odoratæ, de qua Dioscorides. Casiæ hic potiùs legendum censeo: est enim casia herba suaviter fragrans, quâ utebantur Veteres in corollis componendis. Virgil. *Buc.* egl. 2.

Tum casia atque aliis intexens suavibus herbis,

& alibi pluries.

Notandum in hoc §. tripliciter scribi myrrhæ nomen; nempe Myrrha, Mirrha, & Murrha à qua Murrhinum: ita dissentiunt inter se Scriptores.

4 Franciscus Titelmanus in *Commentariis Cantic.* Vinum conditum, inquit, sive confectum, quod vulgò Hypocraticum vocant.

5 Id est, sensu litterali; qui sensus duplex est: proprius scilicet, & improprius, qui & metaphoricus dicitur. Plura de hoc sensu litterali D. Augustinus lib. *contra mendacium* c. 10. & alibi penes Pintian. *Isagog. Bibl.* prælud. III. dub. IV. §. 2. pag. 204.

6 Bone Deus! illud *unguentoso* Cornelii quàm malè olet! meliùs Holkoth, & Lorinus in *Sap.* cap. 2. electuario ad meliùs & jucundè bibendum, pertinetque tàm ad gustum quàm ad tactum.

7 Egregiè & diffusè locum hunc explicat nunquam satis laudatus Baronius *Annal.* T. I. Ann. 34. cap. 49. statuitque myrrhatum vinum nequaquam (ut multi explicant) amarum fuisse & insuave, sed perquam jucundum & gratum: & hoc factum fuit commiserationis ergo.

A Neminem latet unguenta apud Hebræos, vel in conviviis in usu fuisse: idcirco tunc, cùm Maria Magdalena Salvatori nostro pedes unxit, Pharisæo, qui scandalum patiebatur, seriò improperavit Christus, *Oleo caput meum non unxisti.* Quæ verba cùm sanctissima illa matrona in corde suo conservasset, in alio convivio, dum Christus cœnaturus accumberet, pretiosum unguentum effudit super caput ejus. De unguentis Psalmista ait *Psal.* 132. *sicut unguentum in capite*, &c. Et in *Cantico* pluries unguenta commemorantur: præcipuè verò c. 4. myrrha recens & perfecta, quæ nil aliud est quàm stacte per lacrymas B ab arbore fluens: ideoque ab Hebræis myrrha vinum aromatizatum fuisse facilè credendum est. Laudabilis est unguentorum usus moderatus ad sanitatem: *Medicina est à Domino*, *Ecclef.* 4. Medicinæ pars unguenta sunt: idcirco *Unguentarius faciet mixtionem.* Nimius verò illorum abusus damnatur, quia *virilitatem effæminat*, ut iis accidit, qui *& sua vestimenta,* (Clem. Alex. in *Pædag.* l. 2.) *& vestes stragulas, domusque suas suffumigant, & adspergunt, atque ideo vel ipsas prope matulas olere cogunt unguenti delitias.* Ex quo temperantiæ virtus maximè læditur, quæ sensus nostros atque voluptates viriliter temperat. Et hæc sufficiant de un- C guentis & vino myrrhato.

§. XXI.

LUce igitur meridiana clariùs comprobatur, ex tot hucusque adductis, unguenta apud Hebræos, Græcos, Romanos, atque, ut ita dicam, Gentes omnes, in usu fuisse: sed de usu coronarum apud Hebræos dubitandum est. Licet enim in sacris Libris non prohibeantur, *æquè retorquebitur*, inquit Tertullianus *de Coron. ideo coronari non licere, quia Scriptura non jubet.* Pluries pom- D pæ eximiæ describuntur in illis, ut reditus à servitute Babylonica, ac sæpiùs nimius luxus reprehenditur: nusquam verò de coronis circa caput sermo est: quare ex verbis Isaiæ Prophetæ idem Tertullianus ait: *nam neque lætitiæ descriptio, neque luxuriæ denotatio de coronis decore, aut dedecore tacuisset.* Immo cum Clem. Alexandrino addam, neque veteres Homeri [1] Procos in effrenatis libidinibus coronari solitos; neque in Aula [2] Phæacia, ubi delitiæ, voluptatesque summoperè colebantur: denique inter celebres Heroas illos, qui pro Troja certabant, nec ullum quidem coronatum legimus. Sed nil mirum, quòd apud E Heroas Homericos coronas in usu fuisse non reperiatur. Athenæus quoque & ab hoc minimè recedere videtur: ex hoc verò deduci nequit, Homerum coronas ignorasse: duplici enim loco per translationem & metaphoricè coronæ vocabulo Homerus utitur: ex quo benè sibi notas fuisse coronas deducitur, quoniam propria & nativa vocis significatio [3] natura prior est, quàm translatitia, inquit Casaub. *in Athen. l.* 1. *c.* 16. Itaque probum ac validum argumentum statuit, illud fuisse Athenæi, Homero coronas innotuisse, quamvis nemini Heroum suorum frontes circum- F sepiret. Utique corollis ornavit puellas illas à Vulcano sculptas in Clypeo Anchisæ, aitque,

Ibi

1 Amatores Rivales. Festus interpretatur Adolescentes, qui poscunt aliquam in matrimonium. Homerus in *Odyss.* eorum convivia disertè narrat.

2 Phæacenses sumto cibo & potu corpus exercent: de iis Homerus *Odyss.* 6.

3 Nomina sequuntur naturam rei, inquit Aristoteles,

Ibi quædam juvenes, & virgines formosæ
Et illæ quidem pulchras coronas gerebant.

Quamobrem coronarum notitiam ab universo penè usu traxisse credendum non ab re existimo. Quæ omnia, ut magis magisque probatione fulciantur, addam Martinum de Roa lib. 3. *Singul.* ubi inquit: *Quibus ego illud imprimis certum mihi esse affirmavi, convivales coronas nihil ad Hebræos pertinere, quoniam ejus moris apud eos nulla vestigia cernerentur, nam cùm sæpe à Prophetis eorum in rebus luxus notatus esset, nunquam apud eos de coronis fit mentio.* Tertulliani auctoritatem subdens. Fateor hìc, ac ex corde rem fateor, me, priusquam Tertullianum ac Clementem coronas istas damnantes audirem, benè persuasum fuisse, in sacris Libris aliquid legi posse circa coronarum usum, & præcipuè in Sacro Epithalamio *Canticorum*, in quo Libro quamvis amorum, nuptiarum, ac conviviorum sacrorum, spiritualium, cælestiumque sermo habeatur, nihilominus littera ista ex amoribus ac conviviis prosanis eruta est. Quamobrem Origenes inquit: *Quæ spiritualibus quidem sensibus, sed adopertis amorum quibusdam figuris docentur in Canticis Canticorum.* Ideo cùm valde periculosum sit, ut qui legit *nutriat in se ipso concupiscentias carnis*, illis tantùm concedenda est lectio divini illius Libri, *qui carnis & sanguinis molestiis carent, cùm & moribus quis fuerit defæcatis:* atque hanc ob causam Hebræi ipsimet, (addit Origenes) nisi priùs ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, Libellum hunc cuiquam ne quidem in manibus tenere permittunt. D. Hieronymus de educatione Paulæ filiæ ad Lætam matrem scribens, Librorum seriem ille præsignans, quibus uti debuerat, inquit: [1] *Ad ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum: si in exordio legerit, sub carnalibus verbis spiritualium nuptiarum epithalamium non intelligens vulneretur.* Idem, quod & nonnullis accidit, monente Theodoreto, qui Librum illum spiritualem esse negabant, ac de amoribus Salomonis in pulcherrimam Pharaonis filiam scriptum fuisse decertabant, atque in id offenderunt, quia in illo Volumine animadverterunt, *unguenta, & oscula, & femora, & ventrem, & umbilicum, & genas, & oculos, & lilia, & mala, & flacten, & myrrham, & iis similia*, &c. *carnaliter intelligentes in hanc blasphemiam prolapsi sunt.*

§. XXII.

Cum igitur littera sacri illius & mystici Dramatis, cælestiumque rerum prægnantis, ab humana amorum consuetudine derivata sit, leviter suspicabar, nonnulla de coronis convivalibus ibidem inesse, & præcipuè tunc, cùm Sponsa ait: *Introduxit me in cellam vinariam*, vel, ut legit Origenes, *in domum vini*, quod interpretatur, Sponsam ad Sponsi convivium invectam: *quæ enim*, interpretatur idem, *jam viderat cubiculum regium, desiderat nunc regale introire convivium.* Et Martinus de Roa *Singul.* l. 2. *Vini enim nomine convivium significatur, ut in sacris Litteris passim offendas, & in humanis regna vini dixit Horatius, id est, convivium.* Ubi autem convivium Sponsa ingressa est, illico orans inquit, *fulcite me floribus*, ac si floribus formosissimis olentissimisque coronari exardesceret. Et quia septuaginta Interpretes legunt, *confirmate me in unguentis*, optare coronas ad majus oblectamentum, pretiosis unguentis suffitas demonstrat. Paulò pòst Sponsus Sponsam advocat novo Vere frui, atque cælo mitiori, ad texendas corollas: *jam hyems transiit, imber abiit & recessit, flores apparuerunt in Terra nostra.* Ad quæ Psellus, *Legendi sunt flores, si vis corollas ex floribus contexere.* Ulteriùs virgines Sion invitantur ad Salomonem cum diademate intuendum, quo in die nuptiali coronavit eum mater: ubi pro corona, neque Pineda, neque Ghislerius diadema regale intelligunt, sed corollam ex floribus campestribus textam, cùm apud illos in usu esset sponsos coronare: atque hoc non tantùm à Tertulliano, sed ab ipso sacro Textu habemus: *Isaiæ 61. Quasi sponsum decoratum coronâ*, &c. Super quibus Pineda: „Sed numquid id diadema, quod erat Re„gni insigne, proinde aureum, & quod illi sin„gulari diligentia & sollicitudine mater, Regnum „procurans, imposuisse dicatur? minimè, sed „nuptiale sertum ex floribus. Sic observavit Cy„rillus Alexandrinus loco Isajæ indicato. Ita quoque Ghislerius in litterali ejusdem Textus expositione: „Quamquam & congruenter ipsum diade„matis nomen propriè sumi potest, ut coronam „significet; ut videlicet sponsus in agro corollâ „florum redimitus comparuerit, & seqq. Tertulliani auctoritati innixus. Ipsemet Pineda coronam sponsalem [1] myrrhâ quoque contextam fuisse addit: „Atque ex myrrhâ potissimùm contexi solere nu„ptialem coronam indicare potest id ejusdem Spon„sæ fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi: coronam fortasse tanquam correlativam autumans fasciculi illius ex floribus myrrhâ suffitis, ac si in Sponsis utrumque commune sit, unumque sine alio exsistere nequeat. Insuper idem Auctor docet Sponsum sacri illius Epithalamii collum & pectus coronâ sibi redimisse: „Rem hanc procul dubio „olent illa Sponsæ verba: Meliora sunt ubera tua „vino, fragrantia unguentis optimis, & totum „ipsum Sponsum, qui sit velut intertexta corolla „ex myrrha & odoratis floribus, optat sibi suo„que collo, ab eo enim descendit ad pectus & ube„ra. Non tantùm verò [2] Sponsus, sed & Sponsa caput ornabat coronâ ex myrrha & floribus [3] oleosis: id significari ait Pineda tunc, cùm Sponsus Sponsam invitat: *Veni de Libano Sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana*, &c. *de vertice Senir, & Hermon.* Quorum montium adscensus arduus, diruptusque erat, sed in vertice flores olentissimi germinabant. Atque ideo: „Sponsa ad coronam ex floribus myrrha, aliisque „odoratis herbis, tunc vocata, cùm audit ex „Sponso: Veni de Libano, veni coronaberis, „quasi diceret: Habeo ego jam collectas herbas „& flores, ex quibus tibi texui corollam: veni „in hortum meum, messui [4] myrrham cum aro„matibus. Idemque Ghislerius eundem invitandi modum paraphrasi explicans ait: „Veni mecum, „Sponsa, de locis istis maximè arduis, ingenti„busve periculis expositis, veni mecum, veni ob„secro

1 Idem maximus Doctor alibi dixerat Eustochio suæ scribens: *Nec Canticum Canticorum, nec hujus Voluminis exordium & finem legere permittitur.*

1 Scilicet floribus, vel frondibus myrrhâ perfusis: myrrha enim gutta est, seu lacryma ex arbore stillans.

2 Mirificè morem hunc coronandi Sponsum utrumque penicillo expressit celeberrimus, omnique laude dignissimus, noster Ferrariensis Pictor Carolus Bononus, cujus memoria semper cum laude recordanda est, in insigni illa Tabula Templi Sanctæ Mariæ in Vado Ferrariæ, ubi Nuptias in Cana Galilææ factas affabrè pinxit: ibi enim, super omnes convivas, ex hoc distinguuntur sponsi, quòd iis tantùm corona ex floribus, frondibusque contexta tempora circumcincta sunt. Accubitus, gestus, vestes, incessus, cæteraque hujusmodi, communia sunt; corona verò Sponsis tantùm data est.

3 Odor enim ex sulphuris oleositate provenit.

4 Myrrhæ frondes, cum myrrha lacryma.

„ secro ad montem myrrhæ, & collem thuris, ad „ loca amœnissima, & coronaberis perpulchrorum „ ac suaviter redolentium florum coronâ. Flores „ ibi conspicies, colligesque ubertim, quibus corollas tibi contexas.

§. XXIII.

HUcusque de Coronis apud Hebræos satis superque res claras, à nulloque excogitatas, repertasque invenisse judico; modò funiculos & fasciolas addo, quibus fronti capitique coronas alligabant, ne laberentur, atque in eodem sacro Dramate indicantur, tunc cùm Sponsus dilectæ Sponsæ ait: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.* Legunt Septuaginta: *Quàm speciosæ factæ sunt genæ tuæ tanquam turturis; cervix tua sicut redimicula.* Doctissimus Pagninus, *Collum tuum propter torques. Monilia*, ita Origenes vertit, *cervix tua sicut redimicula*, eodem modo, quo Septuaginta: ac idem vocabulum explicans, inquit: *Redimicula hîc dicit*[1] *constrictiones, vel connexiones monilium, quæ in cervicibus sedere solent; ex quibus deducitur, & descendi per omne collum reliquus ornatus.* Isidorus de iisdem ita scribit: *Redimicula autem sunt, quibus mitra alligatur.* Quamobrem in Virgilio legimus *Æn.* 9.

—— —— & habent redimicula mitræ.

Ubi Servius, *alligatas habetis mitras, hoc est, redimiculis.* Atque[1] mitræ inter fœminarum ornamenta enumerabantur, ut ex Bayffio *de Re Vest.* ex Tiraquello *de leg. connub.* Turnebo in *Adversf.* Dempstero, Laurentio, aliisque plurimis, quod per Juvenalem firmum manet, *sat.* 2. ỷ. 84.

—— —— qui longa domi redimicula sumunt
Frontibus, & tota posuere monilia collo.

Mitram quoque aliquando, notant Grammatici sumi pro corollis puellarum ad ornamentum capitis, ex qua pendebant fasciolæ, ut in Calepino. Ex Hebræis igitur non levia sumuntur indicia, nec obscura, non tantùm coronarum, sed & fasciolarum, quæ partes coronarum sunt, de quibus meminit Festus, Isidorus & Plinius, lemniscorum nomine ex coronis pendentium. Hoc non obstante[2] adversùs priscos illos sanctos PP. Tertullianum & Clementem Alexandrinum, nihil in contrarium affirmare auderem: tantùm, bonâ veniâ, addo illos, qui in sacro *Sapientiæ* Libro justè redarguuntur, utpote qui invicem ad vina pretiosiora libanda atque unguentis toto ventre redolere invitabantur: *Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra.* Verba, quæ adamussim cum Clemente Alexandrino concordant, ubi ait, *ex puro autem prato contextam coronam.* At licèt vox illa nequam promatur à scelestis illis in luxu immersis ac libidine ebriis, credendum tamen est,

1 Necesse erat, ne laberentur à fronte coronæ, illas alligare, seu fibulis, ut alibi diximus, seu funiculis & fasciolis. Hîc Septuaginta Interpretes nobis demonstrant, corollas, monilia, ac alia ornamenta frontis, capitis, & humerorum, quadam connexione colligata fuisse, ut unum alteri, velut adinstar fulcri, sustentaculum præberet.

2 Adhuc desideratur integra ac diserta tractatio de mulierum mitra, seu capitis ornatu, quam olim nobis D. Jo. Antonius Astorius J. C. Venetus, omni eruditionum genere excultus, pollicitus est.

3 Nempe Tertullianum & Clem. Alexandrinum, qui, ut alibi diximus, negant apud Hebræos coronas in usu fuisse.

A morem hunc ab usu, opportuniori tempore invecto, abominandæ illius intemperantiæ voces traxisse.

Improbus illorum usus roseis coronis percingi Sponsis mulieribus nequaquam obesse debuerat, ne coronarentur illa hortorum Regina, florumque ocello, ut verbis utar Saphi apud Achillem Tatium: immo duplici causa sponsis puellis coronis concedere æquum erat; primò quia rosis pudicitiæ thesaurus in sponsa significatur, secundò ob sanctissimum virginalem pudorem, quibus laudabiliùs ac ditiùs quàm gemmis ac monilibus sponsæ adornantur. Hujus mentio est apud D. Hieronymum dum Rustico Monacho scribit: *Ostendam tibi variorum pulchritudinem florum quid in se lilia habeant, quid rosa verecundiæ possideat.* Idem scribit Eustochio, dum promissis cerasis laudes profundit *verecundia virginali rubentibus.* Atque Demetriadi *rosa virginitatis & lilia castitatis nascerentur.* Noster denique[1] Ferrariensis Homerus benè & sapienter rosæ virginem comparat *Fur.* 1. 42.

B

[1] La verginella è simile alla rosa,
Che in bel giardin sulla nativa spina
Mentre sola, e sicura si riposa
Nè gregge, nè Pastor se le avvicina.

C

Rosæ quoque virgunculæ epitheton addit, & congruenter magnus Torquatus Tassus in *Hieros.* lib. 16. 14.

[2] Deh mira egli cantò spuntar la rosa
Dal verde suo modesta, e verginella;
Che mezzo aperta ancora, e mezzo ascosa
Quanto si mostra men, tanto è più bella.

D Rosam quoque virgunculæ titulo notavit Apulejus, *Rosæ virgines matutino rore fluentes;* nec non & Columella in hortorum cultura,

—— —— & ingenuo confusa rubore
Virgineas adaperta genas rosa præbet honores.

§. XXIV.

SEd non tantùm colla, caput, pectusque apud Antiquos coronari credendum est in conviviis: nasus quoque pedesque coronis percingebantur:
E (cachinnari absit) in Petronio enim luce meridiana

1 Ludovicus Ariostus, Poëtarum Italorum facilè Princeps, ideo Homeri nomine decoratur, quia Homeri Artem Poëticam in suo *Furente* peculiariter imitatus est, eodem modo, quo Torquatus Tassus Virgilium.

2 Decertarunt ad invicem incomparabiles isti duo Poëtæ in rosæ descriptione & comparatione, maxima utriusque laude. Apud Criticos magna est contentio, cuinam debeatur palma in hac comparatione. Brevis Notæ terminus hîc obest, ne in hac controversia nimis morer, certè Ariostus Catulli locum egregiè imitatus est in *Nuptiis Juliæ & Manlii:*

F

Ut flos in septis secretus nascitur hortis
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber;
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cùm tenui decerptus floruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ cupiere puellæ.
Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis: sed
Cùm castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis.

In qua comparatione, ut hîc quoque notat Hieronymus Ruscelli, Ariostus cum Catullo decertavit, immo in aliquâ parte Catullum ipsum superavit.

na clarius est illud, [1] *pedes coronis vinxissent:* quod & inferiùs videbimus. Athenæus *l.* 4. narrat, Cleopatram, cœnâ sumtuosissimâ Antonio paratâ, talentum insumsisse rosis emendis, (talentum per Budæum sexcentis scutatis nostratibus æquiparatur) quibus ad altitudinem cubiti unius cœnaculum seminavit, rete subtùs extenso: *Die quarta talenti sumtu convehendas eas rosas curavit, ad altitudinem cubiti consterni pavimentum,* &c. Natalis de Comitibus interpretatur, *retibus circumvolutionibusque extensis pavimenta substrata fuerunt.* Cujus rationem affert Dalechampius, & Casaubonus. Prior: *Ut meliùs omnes incederent, ac pedum vestigia soli duritie non offenderent;* alter verò: *Ne ingredientium pedibus auferrentur, & soli planities æqualis ubique corrumperetur.* [2] Elagabalus quoque rosis pedes sibi coronare consuevit, teste Lampridio: *Stravit & triclinia de rosa, & lectos & porticus, ac sic per ea deambulavit, idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis, & narcissis.*

E pedum ad nasi coronas adscendamus: cúmque non adeò facile fuerit coronas naso aptare, ut saltem ab odorum fragrantia non defraudaretur, reticulos, seu sacculos tenuissimi lini, rosarum plenos, identidem naribus admoventes ac odorantes, odore fruebantur. Molliciem hujusmodi ex Cicerone habemus *in Verr.* ubi capitis collique coronis addit: *Reticulum ad nares sibi apponebat tenuissimo lino, plenum rosæ.* Casaubonus *in Athen.* de rete extenso super rosas hæc ait: *Reticulorum istum usum nemo mirabitur, qui observaverit consuetudinem Veterum, involucris pellucidis, aut etiam reticulis involvendi rosas, quo faciliùs earum fragrantiam perciperent.* Atque sacculi, & reticula illa ad modum coronarum habebantur, cùm rosarum plena essent, ut cerebro levamen afferrent, fruerenturque odoris suavitate; ait enim Aristoteles, *florum, pratorumque odoriferas respirationes, non minùs ad sanitatem quàm ad voluptatem conferre.* Immo Tertullianus in *Apolog.* inquit, *coronam naribus novimus.* Atque ita, saltem ludicrè, corollas nasi pedumque, meliùs quam fieri potui, vobis exposui.

§. XXV.

MOdò rem seriùs perpendamus, inquiramusque, quomodo Coronæ [3] ad convivii finem protraherentur; cujus testimonium habemus ex splendidissima Cœna [4] Carani Macedonis apud Athen. & quamvis primæ coronæ [5] ex lamina au-

A rea fuerint, ut ait Dalechampius, in fine tamen *præstabantur coronæ ex omnifariis floribus, aureisque lemniscis,* & in processu convivii, atque in nova mensæ instructione novis cibis, *rursus nobis allata est corona, iterumque unguentarium vasculum duplex, aureum, & argenteum;* atque insuper novo adveniente [1] nuncio; *lotis deinde manibus, rursum advectæ coronæ cum aureis lemniscis, & alia rursùs unguenti duplex arcula.* Adeò ut probabiliter affirmare queam, non tantùm in prima mensa allatas, distributasque coronas, sed supervenientibus quibuscumque [1] nunciis renovatas in solemnioribus B conviviis: cujus ratio promta est, quia rosæ cùm præter quoscumque flores magis oleant, citiùs etiam vitam animamque spirant, nec diutiùs durant, ut inquit Nic. Bissius *in Claudian.* quamobrem rectè inquit Ausonius in 14. *Idyll.*

Et dum nascuntur, consenuisse rosas:
Una dies aperit, conficit una dies.

Ex quo igitur tam citò flaccescunt, citissiméque à vaporibus vini ad caput adscendentibus opprimuntur, curabant, ut novæ, recentesque coronæ C in promtu essent. Addo insuper, expletis conviviis, novas corollas elargitas fuisse convivantibus, cùm libationes in fine convivii succederent, nec sine coronis fierent, ut Æneas libando paternis ossibus inquit *Æn.* 5.

Ore favete omnes, & cingite tempora ramis.
Sic fatus velat materna tempora myrto.

Cujus moris rationem affert suavissima Sapphus;

Diis enim florida chariora sunt & gratiora.

D Ad quæ Athenæus *l.* 15. *his scilicet declarat magnificentius esse magisque Diis placere, coronâ si redimitus sit qui sacris operatur.* Igitur cùm in fine convivii libationes fierent, quæ [2] sacrificii speciem in se continebant, ita novæ coronæ in fine convivii parandæ erant, ut Diis libationes illæ placerent. Plutarchus pluries id satis probare videtur: in *Convivio septem Sapientum* ait: *Sublatis mensis, sertisque à Melissa distributis, nos quidem libavimus.* Idem in *Sympos.* scribit Eratonem Musicum Musis litando, solemne convivium parasse, E finitâque cœnâ, *omnis generis serta fuerunt circumlata.* Et ecce quomodo in fine convivii coronæ quoque distribuerentur Convivis.

§. XXVI.

1 Figuratam Petronii Arbitri expressionem hanc judico, ac hyperbolicam, simulque quascumque auctoritates in hoc §. allatas ad hanc pedum coronationem comprobandam. Stratum floribus serere, quò pedes incedunt, ac pedes ipsos coronare, idem est apud Rhetores. Rete opus erat, ne tritu pedum flores confunderentur, corrumperenturve. Mihi favet Casaubonus in allata interpretatione, & Lampridius.

2 Alii scribunt *Eliogabalus.* Ego cum illustrissimo D. Philippo à Turre Episcopo Adrien. in doctissimo libro *de Annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali*, Elagabalum scribendum censeo.

3 Scilicet ad secundam mensam.

4 Hujus convivii, seu cœnæ, seu harum nuptiarum, ampla descriptio est apud Athenæum *l.* 4. *c.* 1.

5 Verè nova est hæc corona ex lamina aurea in conviviis, Athenæus *l.* 4. *c.* 1. cœnam Carani Macedonis describens, ex versione & interpretatione Natalis de Comitibus ait: *Coronaverat autem priùs omnes strigili aurea, cujus pretium erat aureorum quinque, quàm in convivium ingrederentur.* Ast quid cum corona strigilis *?

* Nihil certè; sed inde non sequitur legendum esse *donaverat* pro *coronaverat*, nam vox Græca στλεγγίς non solùm notat strigilem, sed & genus aliquod coronamenti, prout ostendit doctiss. Casaubonus *Not. ad Athen.* lib. 15. cap. 4. quem videsis.

F Ego ita scribendum judico, *donaverat omnes priùs strigili aurea.* Strigili utebantur Veteres, ut notant Scriptores, ad tergendum sudorem & corporis sordes, præcipuè in frictionibus ante cibum. Sequitur Athenæus: *Illatæ illico fuere coronæ multiplicibus floribus compositæ, in quibus omnibus aureæ erant strigiles.* Ergo strigiles non erant coronæ, sed inter coronarum flores quasi cælabantur ad modum coni, seu cristæ, ut commodiùs & faciliùs ad manus essent, tergereturque è fronte sudor, ob nimium potum, tunc cùm à temperantia deficerent; unguentumque coronis impositum per ora genasque liquefactum discurreret. Ita ego opinor, salvo semper meliori judicio.

1 Nuncii in conviviis intelliguntur ii, qui convivium ingressi saltabant, choreas ducebant, canebant, ac variis spectaculis Convivas exhilarabant, ut in eodem loco Athenæi diffusè apparet.

2 Saltem ex oblatione, sacrificii speciem continebant; nullum enim fit sacrificium sine oblatione.

§. XXVI.

Restat modò, ut de coronatione poculi & vini aliquid disseramus: vinum enim cùm [1] Rex sit, ut monet Octavius Magnaninus noster in *Convivio* P. 2. eò potentius, quò egregium & optimum, juxta Horatium, qui inquit *lib. 1. od. 4.*

Nec regna vini sortiere talis.

Ac meliùs, clariúsque Jovius * Chius in *Eleg.* monente Athenæo *l. 10. cap. 14. Bonorum omnium Regem Natura vinum statuit.* Ut Rex igitur coronari vinum fas est; quamobrem tribus modis ad mentem Interpretum Homeri, Virgilii, aliorumque eruditissimorum Auctorum, hoc evenire potest: nempe primò quando calix adeò vino cumulatur, ut orificii labia quemadmodum indignans altum stat, sibique ipsi corona est & diadema, de quo ait Joseph. Laurentius in *Polymath.* In gratiam hujus Argumenti nonnulla habet Homerus in utroque Poëmate. In *Iliade* l. 1. restituta Chryséide patri suo Chrysi, ut Apollinis ira demulceretur, cujus ipse sacerdos erat, sacrificium paratum est,

Postquam potus & escæ desiderium exemerunt,
Pueri quidem [2] *crateras coronarunt vino.*

Et in *Odyss.* narrat Procorum convivium, tunc cùm Minerva, mutatâ formâ, ad Telemachum profecta est: dumque illi discumbentes cibum sumerent,

Pueri verò crateres coronarunt potus.

In convivio eorum petulantium Procorum, quod novissimum fuit, & eorum ultimus vitæ terminus sub justè irato Ulysse legitur,

Juvenes autem crateres coronarunt potu.

Athenæus interpretatur auctoritatem Homeri admodum concinnè *lib. 1. Coronantur vino pateræ, dum labra vinum exsuperat, ut suprà stare corona videatur*: rationemque addit, hoc factum fuisse boni ominis causâ. Apud Virgilium quoque, ut notat La Cerda, pluries hujus moris mentio est, ut in *Æneïd.* lib. 1.

Crateras magnos statuunt, & vina coronant.

Et lib. 7.

Crateras læti statuunt, & vina coronant.

§. XXVII.

Vel (& hic secundus modus erat coronandi vina) circa [3] labium crateris, seu calicis corollam florum, herbarumque odoratarum circùm ponebant, non ut tanto honore unicè calicem dignum crederent, sed vinum: quamobrem Servius *in Virgilium* inquit, *Vina coronat pro pateris.* Mos iste clariùs ab eodem Virgilio explicatur alibi, & præcipuè tunc, cùm fidus Achates Italiam diu exoptatam festivus adinvenisse exclamavit: cujus rei Anchises Diis gratias referre exoptans,

——— magnum cratera coronâ
Induit, implevitque mero.

Priùs pateram coronavit, deinde implevit mero. Lambertus hîc, *induit, coronavit, periphrasis.* Sed, bonâ veniâ tanti Auctoris, alioquin excellentissimi, nullus est hîc locus periphrasi; nam quando pluribus verbis enarratur quod uno aut paucioribus verbis dici potest, circumloquutio à Latinis appellatur. Poëta verò duo exprimere intendens, hoc est, coronâ calicem exornasse, indeque vino implevisse, nullum supervacaneum verbum adest, nec minori verborum copia mos ille priscus exprimi poterat: ideoque opportuniùs interpretatus est Servius, *aut usque ad summum implevit, aut reverà coronavit:* atque ita se habuit res, verbum illud subdens *induit*, ut explicaret coronâ [1] induisse atque operuisse calicem, eodem modo, quo egregiè hunc locum interpretatus est Italus Poëta Annibal Carus, inquiens,

——— ——— allora Anchise
Con una inghirlandata, e piena tazza, &c.

Ita in vernaculam Linguam vertens locum adventus in Latium, non benè, ut opinor, scopum attigit, dum ait,

ad invitarsi a coronarsi, a bere,

quia tunc Poëta neque verbum facit coronationis. Itemque in cœna Didonis Poëtam nova [2] verba loquentem fingit, quæ reverà in textu non leguntur,

Comparir nuove tazze, e vino, e fiori
Per lietamente incoronarsi, e bere.

§. XXVIII.

Cum igitur satis pateat (ut cum Interpretibus sim) ad coronandos calices & vinum, Coronas in usu fuisse; doctissimus Joannes Argolus & Turnebus in *Adversariis* constanter affirmant, verè induere & coronare calices coronis, mentem fuisse Virgilii in locis citatis: hoc est, calici coronam apponere, calicemque ipsum ad summum usque implere, cùm nihil repugnantiæ inveniam, cur uterque modus coronandi pocula apud dictum Poëtam non debeat intelligi, ad majoris lætitiæ solemnisque convivationis indicium. Virgilio locum Tibulli concordare autumat Germanus Valent. *lib. 2.*

Coronatus stabit & ipse calix,

adeò

* Rest. *Ion.*

1 De regno vini, ac de hujusmodi Regis potentia omnes dithyrambici Poëtæ multa afferunt. Ex Italicis Chiabrera, Lemene, Redius, Pegolottus, Crescimbenius, Grazzinus, aliique egregii Poëtæ. Redius præ cunctis in suo *Dithyrambo* ait, *Montepulciano d' ogni vino è il Rè.* Magnaninus enunciatus vinum appellat regnum, in *Convivio* Part. 2. cap. 8.

2 Ista coronatio crateris, seu vini in Homero, cæterisque Poëtis hoc §. allatis, mihi videtur tropologica, quòd scilicet debeat intelligi coronare se potando, ut alibi diximus in *Not. 1. ad* §. VI. pag. 692.

3 At quomodo bibebatur quæso in calice ad orificium usque coronato? Res sanè difficilis ac imperceptibilis est, vel pitissando sorbebatur, vel sordidè versabatur extra vas vinum.

1 Et hîc quoque novus occurrit nodus: quomodo in calice floribus operto bibere possent? Interpretum verò explicationes adeò claræ sunt, ut nullus difficultati locus remaneat.

2 Totus secundus versus supervacaneus est: Virgilius enim hoc tantùm ait *Æn.* l. 1. in fine,

Crateras magnos statuunt, & vina coronant:

nihil aliud subdens de coronatione capitis.

adeò ut [1] *coronatus* utramque significationem in se retineat, hoc est, *plenus* & *coronatus*. Baccius in *Vini Hist.* l. 14. ait, Servium Virgilii sententiam non benè explicasse, quia hujusmodi coronamenta conviviis Magnatum solummodo conveniant, atque ideo Virgilium de [2] Augusti conviviis intellexisse, utpote qui, monente Suetonio, *convivabatur*, *& assiduè*, &c. Ast quis ignorat Eruditorum, ab ætate usque veteris Græcorum Reipublicæ Romam invectas fuisse coronas? illasque non tantùm Principibus, Senatoribusque, sed cuilibet de Populo in usu fuisse? Cùm igitur mos coronandi frontem, ornandique calices in conviviis invaluerit, non tantùm apud Magnates, sed & apud plebejos, Principes, ac servos, rationabiliter tamquam de communi more Servius Virgilii loca interpretatus est. Idem quoque cecinit [3] Ferrariensis noster Vates Fulvius Testi, (ut mentio est apud Amicum nostrum Hieronymum Baruffaldum in [4] *Dissertatione de Poëtis Ferrariensibus* p. 16.) qui in *Nuptiis Venusinæ Principis* od. 2. Veterum mores imitando cecinit,

——— in stagion si gioconda
Ben lice incoronare o muse amate
D' indomito Lieo tazze gemmate.

§. XXIX.

Tertius tandem vini coronandi modus fuit, flores & coronas ipsas in calices vinumque ipsum immergendi, atque ita olfactum gustumque ipsum exsatiare, licèt Natura hos sensus sejunctos sta-

1 Calix coronatus Tibulli *lib.* 2. *el.* 5. intelligitur corona ex frondibus ipsius vitis: Jos. Scaliger multa notat, sed non ad rem nostram: ex hoc Achilles Statius meliùs interpretatur locum Virgilii, *Vina coronant.* Nihil ad hunc versum doctissimus Jo. Antonius Vulpius in *Observationibus ad Tibullum.*

2 Res nova hæc Baccii, atque à nemine adhuc excogitata.

3 Fulvium Testium Ferrariensem genere & natalibus nemo est qui ambigat. Super omnes id testatur Majolinus Bisaccionus in quadam epistola Apologetica Fulvio scripta de Anno 1617. ubi Fulvii & patris sui natalia aperit. Magis verò comprobatur ex sepulchrali lapide Mutinæ in Divi Dominici Templo, ubi ossa totius Familiæ de Testiis servantur, & præcipuè Julii patris, & Fulvii filii. Inscriptio est:

JVLIVS TESTIVS RELICTA PRO PATRIO PRINCIPE PATRIA MARMOR HOC EXTERI SED DVLCI SOLO, SIBI HERED. SVIS V. P. ANNO A VIRGINEO PARTV MDCXV.

Ubi verbum illud *Patria*, de Ferraria intelligitur, ubi, priusquam Sanctæ Romanæ Sedis Dominio adsciscere-tur, Familia de Testiis commorabatur.

4 Prima usque ab adolescentia mea, nempe Anno 1698. *Dissertationem* quandam *de Poëtis Ferrariensibus* typis evulgavi: sed consilium præceps, ac ætas improvida non benè omnia suppeditavit ad laudabile Opus constituendum: multis enim mendis contaminata prodiit. Dissertationem verò eandem modò noviter instauratam, auctam, emendatam, tribusque libris distinctam nuper absolvi, hancque citiùs quàm fieri poterit typis mandare decrevi, nec pudet veterem illam tamquam informem abjicere ac repudiare: emendatio enim (ait Quintilianus) pars studiorum est longè utilior: neque quisquam (ut cum D. Augustino loquar) nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me audebit reprehendere: res enim, licèt habeat aliquid difficultatis, certè turpitudinis nihil habet.

A tuisset. Morem istum Stuckius atque Ursinus commemorant, atque Nascimbenius noster, dum inquit: *Nam Veteres pocula coronabant, coronasque pateris infundebant hilaritatis gratiâ.* Idem quoque adnotavit Polydorus Vergilius, qui Ionios hujus moris inventores fuisse tradit. De tribus his coronandi ritibus loquitur, quamvis compendiosè, Sebastianus Corradus in *Comment. ad lib.* 1. *Æneid.* Verùm antiquitatem majorem redolere ritus istos, & præcipuè coronas in crateres vino plenos immergendi, affert Tertullianus, inquiens, *& coronis* [1] *potatoriis inornabitur calix, aut adspergine florum honorabitur.* Et alibi: *In sinum conde* B *si tanta munditia est, in lectulum sparge si tanta mollitia est, in poculum conde si tanta innocentia est:* hoc est, infunde flores quoque in ipso cratere, si adeò innocuus es, ut dolum timere nequeas vel proditionem: fortè indicans, ut opinor, venenum à [2] Creusa paratum ignoto filio in cratere: de quo Euripides in *Ione*:

Dedit plenum vas, jaciens in vinum
Efficax venenum, quod dicunt dedisse
Dominam, ut interficeretur novus filius.

C Vel ut clariùs rem perpendamus: fortasse Tertullianus illis verbis, *in poculum conde si tanta innocentia est*, vaferrimam derisionem à Cleopatra Antonio suo paratam intellexit, de qua Polydorus Vergilius, Mascardus, & Plinius, cujus in fine hujus meæ incomtæ Exercitationis mentionem faciam: eritque pro coronide hujus Coronarum Unguentorumque Dissertationis. Verùm priùs addere optimum duco, ut magis hæc infusio coronarum in poculis vino jam turgidis comprobetur, Propertii locum *lib.* 2. *eleg.* 33.

Jam bibe, formosa es: nil tibi vina nocent;
D *Quum tua prætendent* [3] *demissa in pocula serta.*

§. XXX.

Modò totam hanc infusionem florum, coronarumque in calicibus firmandam censeo callidissimo illo dolo, quem M. Antonio suo Cleopatra molita est, ut illi comprobaret, suoque ore fateretur, inanem suspicionem ab illa veneno infici, cujus jucundæ Historiæ nuper narrationem pollicitus sum. Pluries Convivam habuit Antonium illum, (qui Ægyptiis delitiis, nominis sui E splendorem obumbravit) Cleopatra illa, quæ amorum suorum blanditiis intrepidos Romanos Duces alliciendo, se Romanæ Reipublicæ Tyrannam prædicabat. Totis innixa viribus, & formæ venustissimæ fascino, verborum robore, vocisque modulatione, *velut instrumentum aliquod plurium chordarum*, ut ait Plutarchus, atque illecebris ad ultimum elegantissimis dolosissimisque Antonium deperibat. Ille quamquam à pristina ira fortasse defecisset, attamen ab iracundo proposito nondum declinaverat Cleopatræ injuriam vindicandi ob favorem ar-

F

1 Tertullianus stylo illo Africano verum hujusmodi coronarum nomen adinvenit, dum eas vocat *coronas potatorias*: quo titulo distinguuntur à coronis capitis, colli, pedum, &c. Sunt hæ coronæ, quibus coronabantur calices & vina, erantque in usu bibendo.

2 Duplex Creusa apud veteres Scriptores invenitur: una filia Priami, & uxor Æneæ; altera Creontis, & uxor Jasonis Medeâ repudiatâ: hîc secundæ mentio est apud Euripidem.

3 Alii legunt, *demissæ in pocula sertæ*: inter sertum & serta magna discrepantia inest, de qua vid. Scalig. in *Notis ad Tibullum.*

armis [1] Cassio præstitum. Quamobrem timore percitus ne Regina, quæ veneficam artem optimè callebat, ([2] maritum enim veneno sustulerat) totius ingenii acumine studeret, ut sibi quoque mortem inferret, furtivè in poculis cibisve, penitus à cibo potuque abstinebat, donec per fidum sibi famulum [3] prægustationes & delibationes fierent. Cleopatra verò quæ sibi animo proposuerat, & regno suo (O quàm fallaces hominum cogitationes!) auream quietem parere, si strenuissimum Ducem illum amore caperet, (Reginæ verè digna vafrities ac callidissimæ fœminæ!) illum illudere statuit, & zelotypiam, trepidantemque animum Magnatis illius fraudando, fidemque suam indubiam manifestando, totas in Antonii animum habenas sumere conata est. Cœnâ itaque jam paratâ, immo dimidiatâ, cùm invalesceret hilaritas, atque jucundatio, Antonium Cleopatra invitavit *ut coronas* quoque *biberet*: ut notat Plinius *lib.* 21.[4] Ipse hilari animo invitanti annuit: illa verò illico aliquantulos flores manu sua carpens, qui coronam Regiam sibi componebant, hosque (quos primò potentissimo veneno clam medicaverat) in Antonii pateram prolabi sinit, totosque immersit. Incautus Amasius, quò cautior esse debuerat, formosæ Reginæ favore lætior factus, jamjam celerrimè poculum labiis admovebat: pia verò ac simul vaferrima mulier unà simul ex tempore Amasii manum corripiens: Siste, inquit, siste, corcule, atque anima animulæ meæ, siste, nec bibere aude. Anne credis, dilecte mi, hac tua inopportuna ac malè oborta diffidentia ab artibus studiisque regalis fœminæ te tueri? Heu! si Cleopatræ luce frui sine tua luce daretur, sique sine tua vita vivere datum esset! Anne credis, inquam, artium mihi inopiam fuisse, te jam [5] inter

1 De quo Plutarchus in *M. Antonii Vita.*

2 Ptolemæum ultimum Ægypt.

3 Prægustatores servi dicebantur, qui cibos potumque Principum prægustabant: ex ministris enim, qui epulis mensas instruebant, quidam Prægustatorum nomine fungebantur: eorum munus erat explorare potum & cibum: & quia Regum & Principum vita multis insidiis erat exposita, ne venena eis infunderentur, calicem labris non antè admovebant, quàm pocillatores potum gustu explorassent. Vetus Inscriptio Romæ in Monte Viminali eruta, de Prægustatore hæc habet:

VOTVM. SYLVANO. SOLVIT. LIBENS MERITO
T. F. DIADVMENVS. LVRNESIANVS PRAEGVSTATOR. AVGVSTI.

4 Est *caput* 3. *l.* 21. ubi de honore coronarum scribit, deque foliis aureis & argenteis.

5 Hoc est, ubi mortem dandi. Elysium locus, ubi Piorum animæ per Gentiles habitabant. Sunt & Elysii Campi in Bœotia circa Thebas, ut inquit Lycophron, de quibus sensisse videtur Virgilius l. 1. *Georg.*

Quamvis Elysios miretur Græcia Campos.

A Elysiorum Umbras ablegandi? Heu! quàm te cœcat dubia formido, & vana inter mensas quoque & gaudia infeliciter te cruciat suspicio! En tibi viva inopinataque mors adest, quæ floribus redimita, impatiens, ac tumida in hoc pretiosissimi liquoris calice natans, in te jam ruit. Modò igitur atque illiço, pavor iste tuus à te exsulet, atque omnino inanis timor deturbetur: dubiæ fidei meæ tuo è virili pectore nebulas expelle: tanto viro, (tua pace sit, corcule mi) tanto viro indigna suspicio est. Cor meum tuo jam in pectore depositum ab hujus opinionis consortio maximè abhorret. Crede, crede, mi Amor: ego eò felicior ero,

B quò fidelior à te reputabor, ancillæque tuæ magis quàm Ægyptiæ Reginæ titulis gloriabor. Hæc ubi dixit, quàm suaviter, quàm jucundè lacrymulas, ceu rorem, è sereno luminum suorum cælo labi sinit, quæ rariores gemmas pretio non minùs quàm splendore superabant. Atque ut rem probaret eventus, suavissimam illam mortem [1] damnato cuidam ob patrata crimina bibendam tradidit: resque evenit, ut jam promiserat, mortemque in poculo nactus est, ut alter olim [2] in olla. His ita stantibus, coronare vina apud Veteres sumtum fuisse non tantùm pro pocula, calicesque usque ad orificium & supra implere, co-

C ronisque cyathos ipsos coronare statuo; sed & flores ipsos, & corollas immergi solitas, quæ propterea à Tertulliano in lib. *de. Resurrectione* coronæ potatoriæ vocantur.

Jamque Opusculum explevi, in quo horis succisivis, quas medicæ arti subripere datum est, varia ex optimis Auctoribus colligere valui, ut propositum argumentum comprobarem, nempe Corollas atque Unguenta in conviviis apud Veteres in usu fuisse, atque ut modum ordinemque demonstrarem in hujusmodi ritu usurpatum.

D

E

1 Mos erat apud Veteres in omni re dubia per damnatos periculum facere, & lusus erat vitam hominis tam parvi facere. Lipsius *De Cruce* multa habet hujus argumenti.

2 *Mors in olla*, Adagium est vetustissimum. Vetus Scholiastes Plauti hæc narrat: Quidam Saturio (de quo Plaut. in *Persa*) Parasitus noctu mortem in olla sedentem per somnium vidit: die verò cùm in culina subdolè ex olla lixatum gallum subripuisset, illumque vorasset, ex osficulo, sibi in trachea infixo, periculum mortis jamjam imminere sentiens, ac de facto moriens, nil aliud exclamabat ejulando, quàm *Mors in olla*, *Mors in olla*, omen mortis suæ ex somnio deducens.

ELECTA CONVIVALIA

Ex variis Auctoribus decerpta.

Convivales Coronæ ex quolibet flore & herbis, præterquam apio, quòd feralis sit herba, Muret. *lib.* 16.

Elixam crambem apponebant Ægyptii in conviviis ad ebrietatem avertendam, Manut. in *Adag.*

Corona erat ebrietatis indicium, Novar. *elect. sacr.*

Quater in die Prisci edebant, Laurent. *Polymath.*

Jentaculum est cibi degustatio matutina, & puerilis refectio, Apulejus 1. *Metamor.*

Prandii tempus propriè meridies, Suetonius in *Claudio.*

Cœna est cibus vespertinus, Laurent. *Polymath.*

Comessatio sequebatur cœnam, Livius *lib.* 9.

Cœnæ variæ fuere; aliæ Augurales, aliæ Pontificiæ, Dapsiles, Saliares, Cereales, Capitolinæ, Populares, Triumphales, Natalitiæ, Ferales, &c. Laurentius in *Polymath.* lib. 3.

Fercula in mensam deferebantur ab ancillis, & servis qui dicebantur Dapiferi, Hildebrand. in *Compend. Antiq. Roman.*

Priscis temporibus, cùm frugalitas, & modestia vigeret, sedebant ad mensam, sic Virgilius canit,

Perpetuis soliti Patres considere mensis.

Ita Servius *ad Virgil.*

Rex convivii ille erat, qui modum bibendi præscribebat, Cæl. Rhodigin. *Ant. Lect.* lib. 28.

Quando exhausta erant pocula, illa vertebant, ita Meursius *ad Plaut.*

Conviva cantare tenebatur, tradito ei signo, ex Plutarcho in *Sympos.* & musicos concentus in conviviis ajunt adhibitos fuisse, quos sequebatur saltatio, Hildebrand. in *Compend. Antiq. Roman.*

In luctu sedisse viros comedentes refert Plutarchus in *Catone.*

Stantes nonnunquam epulabantur, Laurent. *Polymath.*

Ambulantes etiam comedebant, unde jentaculum ambulatorium vocat Apulejus.

Convivium, ut omnibus numeris sit absolutum, ex rebus quatuor debet constare: si belli homunculi collecti sint; si lectus locus; si tempus lectum; & si apparatus non neglectus, Hildebrand. *Compend.*

Triclinium dicitur conclave discubitorium, & est locus, in quo discumbebant & cœnabant, præcipuè in convivium accepti, sic dictum à tribus lectis, quos sternebant inter se contiguis, Stephanus *Thes. Ling. Lat.*

Convivales coronæ etiam hospitibus datæ, cuique pro meritis & fortuna, Tomasinus *de Tesser. hospital.*

Vinum honorarium est, quòd Regibus & potentibus honoris gratiâ offertur, Isidorus *Origin.*

Hospites publico convivio recipiebantur, & ludi, & choreæ Matronarum, ac omnis generis spectacula, in eorum gratiam edebantur, Tomasin. *de hospit. Tesser.*

Eubulus sub Dionysii nomine monuit, sanitati primum dicari cratera, secundum amori & vo-

A luptati, somno tertium, quartum injuriæ; post cœnam verò poculum Boni Dæmonis fuisse legitur apud Cæl. Rhodigin. *lib.* 28.

In cœnaculo mensa collocabatur rotunda, humilis, inferiorum hominum tripes; ex simplici ligno, lautiorum verò citrea, aut lamina argentea intecta, cum pedibus eburneis; circa mensam tres ut plurimùm lecti erant, unde triclinii nomen, Hildebrand. in *Compend.* pag. 3.

Aliqui Antiqui, ut hodie Turcæ, in ipsa terra fusi cœnabant, sic Virgilius,

B *Tum victu revocant vires, fusique per herbam;*

ita Laurent. *Polymath.*

Accumbebant, reclinata supera corporis parte in sinistrum cubitum, infera in longum porrecta & jacente, Lipsius lib. 3. *Antiq. Lect.*

Lecti insternebantur aulæis, purpura, aut alia veste stragula pro statu convivatoris, & priùs quàm accumberent lavabantur, & togam deponebant, & soleas pedibus demebant, ne lectum conspurcarent, Hildebrand. *Compend.*

Pocula Priscis fuerunt boum cornua, Jos. Lanzonus in *Museo Minerv.* tom. 2.

C Gallienus concubinas secum accumbentes habuit, Jul. Capitolin.

Strato triclinio Convivæ loti cœnatum veniebant, quod si loti non erant, pedes saltem lavabant, Petr. Ciaccon. *de Triclin.*

In conviviis odores naribus gratissimi incendebantur, Seneca *de Vita beata.*

Alba veste induti funebre convivium celebrabant, Fulv. Ursin. in *Append. ad Ciaccon.*

Apodyterium, quasi Latinè dicas Exsutorium, erat locus spoliatorius ante balnei ingressum, ubi cœnatum, vel post cœnam, se loturi exsuebant, hoc est, vestimenta deponebant, Rob. Stephan.
D in *Thesauro.*

Pueri flabello muscas abigebant, & ventum cœnantibus faciebant, Fulv. Ursin. *ad Ciaccon. Appen.*

Mensæ monopodiæ, in quibus esculenta & poculenta inferebantur; urnaria mensa, ubi aquæ, pocula, & hæc in culina plerumque. Apud Græcos mensæ non opertæ linteis erant, sed post cœnam spongiis tersæ per servos: apud Romanos opertæ mappis, sive mantilibus, mutari solitis in singulis missibus, Laurent. *Polymath.*

Aqua nive refrigerata utebantur, sicuti aqua calefacta, ita Plinius in *Hist.* Varro, Suetonius, & Ursinus.

E Explorandis adolescentium ingeniis convivia nonnunquam indulta Plato scribit, Camerar. *Hor. Succes.*

Cibos digitis attrectare rusticitatis putant Sinæ, bracteatis paxillis, vel argenteis, aureisque fusciculis concisa minutim frusta in os inserunt, Maffeus Soc. Jes. *Hist. Indic.*

Alabastrum unguenti, ampulla est vitrea, quæ libram olei capit, estque dimidii sextarii mensura: alabastri porrò nomen à fragilitate reperit, S. Epiphan. *de Mens. & Pond.*

Culinæ prope templa erant, in quibus dapes fune-

funerum parabantur, Phil. à Turre *de Diis Aquil.*

Vt in veneratione Deorum, dextrovorsum circumagi solent, ita in convivio, id est, quasi sacra symposi, moris apud Veteres fuit pateram in dextrum circumferre, Just. Lipsius *Antiq. Lection.* lib. 3.

Exhilarabant convivia facta licitatione, ut ex Commentariis Græcorum colligit Casaubonus *in Sueton.*

Solebant uxores & liberi in ima lectuli parte accumbere in viri vel parentis sinu, Del Rio in *Adag.*

Cœnacula domorum privatarum inserviebant primis Christi fidelibus pro Ecclesiis, Sarnel. in *Basilicogr.*

Silicernium ex Donato cœna est, quæ propriè Diis Manibus referebatur, quòd eam silentes Vmbræ cernerent, id est, possiderent, vel quòd qui ferebant, cernerent, sed non degustarent, Jos. Lanzon. *de Balsam. Cadav.* cap. 6.

Persarum mos fuit inter pocula de seriis rebus consilium capere, Jo. Bapt. Pacichel. *de jur. hospit.*

Jentare est cibum ante prandium gustare, Lanzon. *Advers.* lib. 1.

Duplex erat cœna funebris; una Diis Manibus parabatur, altera domi proximioribus & amicis; hoc propriè epulum funebre; illud silicernium vocarunt, Jacob. Gutherius lib. 1. *de Jure Man.*

Prisci Sapientes, morales, naturalesque quæstiones inter pocula & fercula exagitabant, Jo. Bapt. Pacichel. *de Hospitalit.* lib. 2.

Compotationum sodalitates vitare consultissimum erit, sed si quando casus eò te detulerit, ante ebrietatem surgito, Isocrates in *Paræn. ad Demonic.*

Convivia paulò ante noctem, hoc est, post horam decimam, à sobriis adibantur, & in primam noctem protrahebantur, sic unam aut alteram horam noctis cibo sumendo impendebant Antiqui, Casaubon. *Com. in Pers.*

Quando Cyrus aliquos invitabat ad cœnam, consultò singulos locabat ad mensam, & quem maximè honoraret ad sinistram sedere jubebat manum, secundum verò ad dextram, tertium rursus ad sinistram, quartum ad dextram, & si plures essent, eodem modo, Xenophon. *de Pæd. Cyri* lib. 8.

Solebant Judæi feralia convivia prolixè populis dare, ob quem magni sumtus morem multi ad paupertatem redacti sunt, Sarnel. *Lett. in Evangel.*

Sponsi ad nuptiale convivium coronati ducebantur, Fr. Mendoza *Com. in lib.* 1. *Regum.*

Veteres inter bellaria post cœnam interdum etiam folia lauri adhibuisse ait Athenæus.

Nemades, ac insolens Hunnorum feritas, nec semicrudas adspernata est carnes, Laur. Beyerlinck. *T. V. H.*

Pocillatores nivem in poculis aliquando miscebant, Athenæus *lib.* 3.

Spartanis communia erant convivia, Alex. ab Alexandro *lib.* 5.

Sybaritæ anno antè ad convivia vocare solebant, Herodotus & Ælianus.

Apud Indos solus Rex in lecto accubat, cæteri sedentes epulantur, Alex. ab Alex. *lib.* 5.

Nec loquaces Convivas, nec mutos esse oportet, Gellius *lib.* 12.

Græcis quatuor, aut quinque convictores unis mensis adhibere satis erat, Alex. ab Alex. *lib.* 5.

Septem convivium, novem convicium, innuit proverbium, Beyerlinck. *T. V. H.* & Erasmus *Adag.*

Persæ antiquitus lautè cœnabant, integra, multa, & varia apponentes, Strabo *lib.* 15.

Cœnæ in canistris ferebantur, Erasm. in *Adag.*

Tres cyathos sæpe ad numerum Gratiarum potabant, aut novem ad numerum Musarum, Beyerlinck.

Apud Romanos nefas erat mensam prorsus inanem relinquere, Brodæus in 2. *Epigr. Græc.*

A Græcis ænigmata post cœnam proponebantur, Alex. ab Alex.

Mustum rutatum Populo quondam datum est, Plinius *lib.* 15.

Galba ante lucem semper vescebatur, Alexand. ab Alex. & Cicero ante Solis occasum raro discubuit, idem Alex.

Coqui solebant in foro stare exspectantes donec conducerentur, unde & forum coquinum vocabant, ita Laurent. Beyerlinck. in *Theat. Vit. hum.*

Pistores Romæ non fuisse usque ad Persicum Bellum ait Plinius *lib.* 18.

Romani aliquando post singulos missus laverunt, Lamprid. in *Heliogab.*

Viri soliti erant in convivio discumbere, mulieres tamen ut plurimùm sedebant, Casal. *de rit. Rom.* cap. 25.

Fuere apud Priscos Prægustatores, qui regios cibos & potus prægustarent, Qu. Curt. *lib.* 10.

Cœnæ initio ova apponebantur, Cicero in *Epist.* ex quo adagium ortum puto, *incipiamus ab ovo.*

Pueri pavonio flabello muscas abigebant in convivio, Casal. *de rit. Rom.*

Lactucam sub cœnæ finem solebant comedere Antiqui, Pancirol. *Rer. deperd.* tit. 5.

Veteres Romani mulsum in deliciis habebant, Salmut. & fiebat è vetere vino austero, & bono melle.

Cœna recta erat ea, quæ sine lectis discubitoriis fiebat, & recto ordine Convivæ in hac assidebant: de qua D. Co. Silvestri in *Not. ad Juvenal.*

Nunquam nudi accubuere Veteres ad convivia, sed vestes cœnatorias induebant, Spondanus.

Preces agebant in cœna, & mensam Diis commendabant, Quintilian. in *Declamat.*

Sacras faciebant mensas Veteres apposito sale, & simulacro alicujus dei, Arnobius *lib.* 2.

Antiqui accubituris pedes etiam lavabant, ne pulverosis pedibus strata inquinarent, Kipping. in *Antiquit. Rom.* lib. 4. cap. 3.

Bibebant poculis aureis, crystalinis, & murrhinis, ita Capitolin. in *Anton.*

Vina recondebantur in multos annos cadis fictilibus probè conclusa & reposita, Kipping. *lib.* 4.

Adipalæ erant cœnæ multis ferculis graves, Nonius has vocat Dapales, quasi amplis dapibus plenæ, Antonin. in *antiq. Triclin.*

Nobilior lectus in triclinio erat, qui in medio stabat, & hic digniori Convivæ dabatur, idem *loco cit.*

In conviviis tibiæ personabant, & ad earum sonitum Convivæ canebant carmina de clarorum virorum laudibus, Valer. Maxim. & Cicero.

Antequam ad convivia pergerent lavabantur, sed ante lotionem oculi à Medico inspiciebantur, inde barbam radebant, Dion. & Plinius.

Solebant Ægyptii, monente Herodoto, in divitum conviviis, ubi multi aderant, ad finem mensæ vocare servum, qui circumferebat in loculo cadaveris humani figuram concinnè accommodatam ac bellè depictam, longitudinis cubiti unius, & servus circumferens talia verba dabat, *Tu qui potas, & comedis, ita post mortem eris:* quem morem aliqui Romanorum sequuti sunt, ut apud Pe-

Petronium in *Cœn. Trimal.* habetur, inspiciens enim cadaveris figuram à servo latam exclamavit Trimalcio,

Heu! Heu! nos miseros, quàm totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti postquam nos auferet Orcus.

De hoc more meminere, Plutarchus, Seneca, aliique.

Convivium magnum fecit Abraam die, quo ablactatus est Isaac filius ejus, S. Jo. Chrysostom. *tom.* 1.

Mulsum apud veteres Romanos in deliciis habebatur, & militibus in pompa triumphali dabatur pro conviviis, Jo. Nicolai *de Roman. Triumph.*

Post Ludos funebres cœna feralis fiebat, Livius *lib.* 39. de qua ferali cœna vid. Lanzonus *de Balsamat. Cad.*

Nudatis pedibus cœnabant Antiqui, unde Martialis,

Deposui soleas; adfertur protinus ingens
Inter lactucas, &c.

Et Terentius, *Accurrunt servi, soleas detrahunt, &c.*

Bellaria, vel mensarum secundarum accessio, erant poma, pyra, nuces, ficus, castaneæ, uvæ, & similia hortorum proventa, Kipping. *Antiq. Rom.* lib. 4.

Cœna adventitia & viatica dicebatur ea, quæ dabatur consanguineo, aut amico post longum iter ad patriam redeunti, Antonin. in *Triclin.*

Pythagorici fabam non comedebant, sive quòd habeat inflationem magnam hic cibus, tranquillitati mentis vera quærentis contrariam, sive, ut apud Lucianum Pythagoras ipse fatetur, quòd Athenienses fabis pro suffragiis uterentur, Steph. Nigr. in *Phyt.*

Antiphanes Medicus Delius hanc unam dixit esse morborum causam, ciborum varietatem in conviviis, Clemens Alexandrin. lib. 2. *Pædag.*

Triumphantibus pro instituto Majorum convivium dapsile atque magnificentissimum parabatur in Capitolio, Pet. Crinit. *de hon. discipl.* lib. 24. cap. 5.

Minium unguentis fuisse additum, quo, & corpora triumphantium, & ipsius Jovis simulacri facies diebus festis illini fuit solita, ante epulas triumphales, ita Joh. Nicolai lib. *de Triumph. Roman.* cap. 23.

Abituri ad somnum conciliandum poscebant ultimum poculum Mercurio consecratum, qui somni præses erat; ita ex Pontano, Kipping. Heinsio, & nostro Lil. Gregor. Gyraldo.

Triclinii locus erat immunis, nec ibi Servus castigabatur, Antonin. in *Triclin.*

Derbices Populos & Læstrigones humana carne vesci solitos fuisse ait Picinellus in *lum. reflex.* part. 4. unde Ovidius cecinit,

Heu quantum scelus est in viscera, viscera condi,
Congestoque avidum pinguescere corpore corpus.

Cellæ glaciariæ, & nivaria ad usum conviviorum temporibus Neronis inventa fuere, Ant. Mar. Salvin. in *Lect. Acad. Furfur.*

In Sacris Litteris per cœnacula homines sublimi & excelsa mente prædìti significari possunt; ita Niceta in Comment. Orat. *S. Gregor. Nazianz.* 44.

Imperatoriæ cœnæ nemini licebat accumbere nisi togato, ex Spartiano & Ferrario.

Synthesis communis fuit convivantium vestis, Ferrarius *de Re Vestiar.* lib. 1. per alios autem synthesis est tota vestis in vestiario posita, vulgò *guardarobba*, Laurent. in *Amalth. Onom.*

Mulieribus Romæ vetitum fuit vinum potare, Plinius & Valer. Max.

Symposiarcha erat Rex convivii, eique conveniebat dominari super cibum & potum, atque ludos, & sermones in convivio, Antonin. *de Triclin.*

In fine convivii buccina personabat, unde C. Tacitus ait, *convivium buccinâ dimitti.*

Primus Dædalus mensam & sellam fecit; & coquinæ apparatum Apicius primus composuit, Isidorus.

Pocula apponi solita erant in mensa, non autem à Ministris porrigi, Casal. *de Ritib. Rom.*

Ministri tricliniares ad pedes Convivarum stabant, Seneca *de Benef.* lib. 3.

Abeuntibus Convivis à Domino convivii dabantur Apophoreta, Suetonius in *Caligula*; Apophoreta verò erant munera Saturnalia.

In atrio cœnabant Veteres apertis januis, Pancirol.

Vinum mellitum, hoc est, dulcissimum, melle erat temperatum, Salmut. in *Not. ad Pancirol.*

Aquam calidam & frigidam in mensæ initio apponere mos erat, idem *loco cit.*

Lex convivalis erat, scommatis asperis ac mordacibus in epulis omnino abstinendum esse, Macrobius.

Solebant Veteres in convivium medium larvas, sive personas projicere, quæ diversas figuras exprimerent, Henric. Salmut. *Not. ad Pancirol.*

Agapæ sacra convivia erant, quæ fiebant in primitivæ Ecclesia, Macri in *Hierolex.*

Comessationes erant convivia nocturna post cœnam, Jos. Laurentius *Amalth. Onomast.*

Accumbebant in tricliniis uxores in maritorum gremiis, Dempster. *ad Rosinum.*

Lacedæmonii immolabant capras, & Convivis carnes harum dividebant addito pane, Meursius *Miscel.*

Apparabant Veteres mensas duas, unam ex carnibus, & fructibus alteram, Panciról. *Rer. Memor.*

Cranium, sive caput hominis mortui, vel in mensam aliquando apponebant Veteres, & manibus versabant, vel è triclinio suspendebant, ut eo uterentur Convivæ mutuò se cohortantes, *Vivendum esse*, nam vita cedit, & mors imminet, Salmut. *ad Pancir.*

Parvam cœnationem ob exiguitatem *micam* appellavit Martialis.

Servus ad cyathum pocillator dicebatur, Pignor. *de Servis.*

In conviviis Antiquorum consuevere bibentes VIVAS alta voce dicere: inde in salutem Regis poculum haurire, Jo. Jacob. Claudius *de Salutation.*

Vinum honorarium distribuebatur pro Convivis, initio Januarii, ut recordarentur veteres Jani vitium Satoris, Lipenius *de Stren.* cap. 3.

Comessatione soli pueri manè utebantur apud Antiquos, Mercurial. *Var. Lect.*

Libationes inventæ sunt à Libero Patre, Lanzonus in *Adversar.* lib. 4. cap. 8.

Structor, seu obsonii magister, deartuabat appositas dapes, easque dispertiens, portionem cuique offerebat suam, Comenius *Jan. erudition.*

Prandebant Veteres meridie, tribus inde horis merendam capiebant, vesperi cœnabant, lectum ingressuri comessabantur, Kipping. *Antiq. Rom.* lib. 4. cap. 3.

Mensæ erant rotundæ, ideoque *Orbes* vocabant Poëtæ, non verò erant perfectè rotundæ, sed ovatæ, idem *loco cit.*

Semel

Semel de die comedere, emaciat, ficcat, alvum reddit duriorem: prandere verò & cœnare moderatiùs utrinque, non fic, Frid. Forner. *de Temul.*

Cœnarum tria genera apud veteres Romanos erant; Primum à parfimonia, ut Philofophica, Platonica, Ruftica, Laconica, Cynica pro nimis tenui, ac penè fordida & terreftri, id eft, fine fanguine ex oleribus tantùm; Secundum genus cœna dapfilis erat, pollucibilis, recta, dubia, uncta, epularis, regalis, quæ à divitibus dabatur; Tertium genus erat cœna Cerealis, Saliaris, Auguralis, Capitolina, Perfica, Sybaritica, &c. quæ à delicatiffimis Apiciis ufurpatæ funt, Frider. Hildebrand. *Comp. Antiq. Rom.*

Carnis efum eft labori impenfum, debitum agriculturæ, & laborantium privilegium, Celada *in Efter. Com.*

Cœna pura illa dicebatur, in qua pro cibo panis apponebatur, fal pro obfonio, pro condimento hyffopus, Baron. *Annal.* tom. 1.

Gentilium mos erat ultima die anni æquè ac primâ convivia celebrare, Corn. à Lapide *Com. in Ifaiam.*

Pedes ungebantur in conviviis, Pineda *in Job. Com.*

Triclinium ornabatur trophæis gentilitiis, Dempfter. *ad Rofin.*

Sicut vitæ venenum eft mœftitia, ita menfæ venenum eft triftitia; utriufque verò theriaca, fuave ac clarum vinum eft, Marfil. Ficin. *Epift.* lib. 3.

Plutarchus convivia appellat humaniffima hominum commercia, Sim. Majol. colloq. 4. *Dier. Canicul.*

Magnificentiffimum omnium fuit Alexandri Magni convivium, ad quod adhibuerat decem millia Convivarum, fingulis ab eo paterâ aureâ donatis, Ben. Pererius Soc. Jef. *Com. in Daniel.*

Affo vitulo æftiva claudebatur cœna, uti pomis hyberna, Mar. de Roa *S. I. de die natal.* cap. 14.

Corinthii ftatis quibufdam diebus feftis publicè convivabantur, fiquidem opulenti fercula adferebant, inopefque ad convivium iftud accerfebant, Theophylact. *in Epift. ad Roman.*

Cibus fine fale, proverbium eft à conviviis defumtum, & dici folet cùm quippiam fit, aut dicitur, quod careat gratiâ, velut inops, inane, jejunum, ac neutiquam exactum, Polyd. Vergil. in *Adag.*

Convivium eft conventus hominum, qui ab Amico invitati ad eafdem epulas, confervandæ mutuæ benevolentiæ, atque amoris causâ accumbunt, Varro & Fornerius *de Temulent.*

Clitomachus in conviviis, fi de rebus venereis fermo incidiffet, continuò furgens difcedebat, Ælian. *Var. Hiftor.* lib. 1. cap. 30.

Lycurgus, tefte Juftino, pueros impuberes non in forum, fed in agrum deduci præcepit, eofque laboribus ante comeftionem fatigari egregiè juffit, Frider. Fornerius lib. 4. *de Temulentia.*

Fuit aliquibus mos tot cyathos bibere, quot fuiffent litteræ in amici, vel amicæ nomine, item quot digiti effent in manu, Jof. Lanzon. in *Epift. Ant. Bulifon.* tom. 4.

Apud Romanos aliquando mos fuit tot cyathos bibere, quot alicui annos precabantur, Urfin. *in Appendice ad Ciaccon.*

Calix dicitur à caldo, quod in eo calida potio apponebatur, & caldum in eo bibebant, Varro *de Ling. Lat.* 4.

Caftrare vina, erat frangere eorum vires facco, ut hodie dicitur vulgò *far il vino à facco*, Petr. Ciaccon. *de Triclin.* pag. 68.

Tibia in convivio locum habuit, in principio, medio, & fine, Cafp. Bartholin. *de Tibiis.*

Coqui ad tibiæ fonitum epulas apparabant, Stuckius in *Antiq. Convival.* lib. 3.

Lecti triclinares habebant fulcra, ad quæ fedentes vefcebantur liberi, Jo. Alftorpius *de Lectis.*

In funeralibus cœnis certa quædam cibaria erant in ufu, ut vinum, panis, ficus, caro fuilla, cafeus, pifces, apium, faba, &c. Lanzon. *de Balfam.*

Sponfa domum viri ingreffa totam diem nuptiarum in conviviis, facrificiis, & faltationibus transfigebat, Ant. Hotoman. *de rit. Nupt. ad Briffon.*

Nobiliores lautioribus epulis excepti, capacioribus poculis, altioribus lectis, ftragulis preciofioribus, cœnabant, & vinis conditis utebantur, Laurent. in *Polymath.* lib. 3.

Cœnæ tempus Athenis erat ubi jam vefperaverat, Gellius; Romæ verò antequam advefperafceret, non æftate tantùm, fed hyeme, Vitruvius *lib.* 6.

Major cura apud Veteres in pifcibus & avibus, quàm in quadrupedibus, convivandi causâ erat, Mar. Cagnat.

Panis penes Græcos primò ex hordeo fuit, inde ex tritico; Latini autem ex farre primum panem fecere, tum reliqua frumenti genera invecta fuiffe ait Laurentius in lib. 3. *Polymath.*

Vina ab Antiquis condiebantur refina, pice, & ut fervarentur diutiùs, & falutis gratiâ, ita Columella & Plinius.

In conviviis poft cœnam lyra circumferre folita erat, Laurentius in *Polymath.* lib. 3.

Tribus de caufis Veteres vefcebantur publicè; Prima erat in funere Principis, aut viri infignis; Secunda, cùm publicè facrificabant; Tertia, cùm ob publicam lætitiam Populo epulum dabatur, Marcel. Donatus.

Vinum fumo inveteratum infaluberrimum effe ait Plinius in *Hiftor.*

In cœnis Convivatori tabella tradebatur, in qua nomina ferculorum defcripta erant, Athenæus.

Structor pro Cellario ponitur, qui inftruendæ menfæ & ciborum curam habet; fic dicitur à ftruendo, id eft, ordinando & componendo: de hoc Octav. Magnanin. *Conv.* part. 1. cap. 11.

Pocula chryfendeta erant aureis cruftis, five emblematis incruftata, Ful. Urfinus *ad Ciaccon.*

Erant pocula aurea, cryftallina, & murrhina, quibus in conviviis utebantur, Jul. Capitolinus.

Ferunt vitrea pocula primò excogitata fuiffe fub Tiberio Principe, Plinius lib. 36. *Hiftor.*

Struthia mala, cydonia funt, Columella *lib.* 5.

Poëtis conceffum effe ab Horatio bibere novem vini cyathos ait Octav. Magnanin. *Conv.* part. 2. fequentia carmina afferens,

Qui mufas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates.

Inter cœnandum Tragœdiæ & Comœdiæ fæpe agebantur, Petr. Ciaccon. *de Triclin.*

Aliquando fportula ufurpabatur pro ipfo cibo, Ful. Urfin. *Append. ad Ciaccon.*

Judæi nifi loti cibum non fumebant, Ciaccon. *loco cit.*

Convivium laudatur, dummodo detractionibus, & fabulis, & plaufibus turpibus non mifceatur, ita Beyerlinck. in *Theat. Vitæ. hum.* lit. C.

Le-

Legionibus victricibus ante fores convivium parabatur, Alex. ab Alex. *lib.* 6.

Ancus Martius Rex salinas primus instituit, Plinius.

Lacedæmonii coquos nullos alios quàm carnium admittebant, & reliquos tanquam luxuriæ A ministros è civitate pellebant, Ælian. *Var. Histor.*

Erant in conviviis Pocillatores, seu Pincernæ, qui vinum miscebant, Casal. *de Roman. Rit.* cap. 25.

In epulis Veteres à parvis calicibus inchoabant, & in capaciores desinebant, Mercurial. *Var. Lect.*

FINIS.

HIERONYMI BARVFFALDI,

PHILOS. D. FERRARIENSIS,

S C H E D I A S M A

DE ARMIS CONVIVALIBUS;

AD DOMINUM

CAIETANUM DE RUBEIS

R O M A N U M,

In Civitate & Ducatu Ferrarienſi in Criminalibus Cauſis Auditorem,

Amicum ſuum.

CAIETANO DE RVBEIS

R O M A N O,

Amico ſuo,

HIERONYMVS BARVFFALDVS

S. P. D.

CUm primùm ab Urbe Ferrariam, Vir eruditiſſime, Auditoris Generalis in Criminalibus hujus Ducatus, & Legationis cauſis, Provinciam ſuſcepturus appuliſti, tam vehemens tuæ virtutis apud omnes reputatio orta eſt, ut tuæ comitatis invitamento, morumque ſuavitate (prout fama vulgaverat) miro quodam modo allectus, jucundiſſimo tui conſortio perfrui non deſperaverim. Quod cùm tibi innoteſceret, nedum exſpectatiſſima tua nos præſentia recreavit, verùm (quæ hominis comitas fuit) dum Te in Muſeo noſtro peramanter exciperemus, miram ingenii largitatem atque ſolertiam, quâ fermè in omnibus humanioribus litteris, præſertim in eruditiſſimo antiquarum rerum ſtudio, maximè polles, experti atque admirati fuimus. Quamobrem arctiſſima inita inter nos conſuetudine aſſiduis exercebamur quæſtioni-

bus, seu nos tua, omnibus bonarum artium cultoribus patens, domus exciperet, seu pomeridiana ad animi laxamentum jungeret ambulatio, seu convivia reficerent. Inter quæ cùm in sympoſiacis Tibi ratio quædam dubitandi orta fuerit, Anne apud Antiquos creber cochlearium, fuſcinarum, cultrorumque, dum epularentur, ad elegantiorem concinnatioremque corporis cultum urbanitatemque foret uſus, seu potiùs idem poſtremis hiſce temporibus inoleverit; ea quæ circa quæſtionem hanc ultro citroque habita fuere inter nos, quin quidquam pro certo ſtatueretur mente revolvens, Schediaſma hoc in medium ponere, Tibique, cum quo quæſtio orta fuit, inſcribere, publicique juris facere non detrectavi. Quæ quantulacunque ea ſint, quemadmodum tibi libens offero, ſic te quoque peramanter libentiſſiméque accepturum confido. Interim Vale, &, ſi me amas, Ama.

Ferrariæ ex noſtro Muſeo
Kal. Jan. 1715.

SCiſcitatus nuper à Te, CAIETANE, Amice ornatiſſime, quibuſnam armis inſtruerentur Antiquorum menſæ, ſeu quibuſnam inſtrumentis ſumerentur cibi in menſa appoſiti, atque an in uſu eſſet ſupellectilis illa, nempe cochleare, fuſcinula, & culter, quibus eſculenta & potulenta partim dividere, partim ſumere ſolemus: hoc tibi ex tempore Reſponſum, ſeu, ut ajunt Græci, Schediaſma, facere ſtatui, quo ea, quæ apud veteres Auctores, quos omnes tu benè calles, & præcipuè convivales, adinveni, adjectis nonnullis, quæ opinari potui, tibi exercitationis gratiâ patefacerem. Atque ut rem priùs ab ipſa nominum origine exordiar, tria illa menſæ inſtrumenta definire ſum ratus, ac proinde circa illa animadverſiones nonnullas ſubdere.

Cochleare, ſive cochlearium, utcumque apud Scriptores inveniatur, non tantùm menſura eſt, ſed inſtrumentum illud, coquis, culiniſque familiare, quo ſorbiles eſcas haurimus, ac liquamina ſumimus: unde apud nonnullos *ſumtorium* appellatur, quaſi à ſumendo, ut Hodoard. lib. 3. *Hiſt. Rhem.* cap. 4. Apud alios *applare* nuncupatur, pro quo Scaliger. *in * Sueton.* Per nonnullos *aſſula lignea*, per alios tandem *conchylium*. Plurimùm ad inquirendam cochlearis originem M. Martinius inſudavit in *Etymologico*, illam ex Græcis, Hebræis, Hiſpanis, Germanis, Gallis, quid plura? Anglis

* Rep. *Auſon.*

A quoque vocibus inquirens, plurima longè à vera etymologia adducens in tanta rerum congerie. Unicum, inter tot, locum Martialis ſilet, qui cum à tanta rerum indagine abſolviſſet, eſtque *lib.* 14. *ep.* 121.

Sum cochleis habilis, ſed nec minùs utilis ovis:
Numquid ſcis potiùs cur cochleare vocer?

Super quo ſaniorem interpretationem addit Farnabius, cui omnino adſtipulor, conſentanea enim eſt veritati. Inquit enim, cochleare dici à cochlearum teſtis primùm ad hunc uſum adhibitis. Enim-
B vero priuſquam ex auro, & argento, ſeu alio metallo conficerentur inſtrumenta iſta, ex ſolis cochlearum teſtis præſtabantur, quarum nonnulla apud me ſervantur ex rarioribus cochleis, nempe ex nautillo, ex olearia, ex concha venerea, ex margaritifera, ac hujuſmodi. Cochlearia igitur à cochleis, quibus primùm conficiebantur, dicta nemo eſt qui ambigat. Hominum deinde ſuperbia ad hunc uſum aurum, & argentum, ac alia metalla invexit, relictis cochleis, ligneis, oſſeis ac vilioris materiæ inſtrumentis, in ruſtica &
C paupercula menſa præſtandis. Unicum argenteum exſtitiſſe ſuperioribus annis (veteris operis) apud Angelum Colotium Epiſcopum Nucerinum, teſtatur Fulvius Urſinus in *Appendice ad Ciacconium de Triclinio.*

Sequitur fuſcinula inſtrumentum aliud, quo eſculenta unicè ſolidiora ſumimus. A fuſcina derivationem ſuam credimus, quæ eſt telum triſulcum piſcatorium, quod fundo natantia capiat. Martinius fuſcinam appellandam eſſe putat, & eſ-

ſe

se propriè coquorum ad carnes trahendas de olla, à fusco colore, quem à fumo concipit, nuncupatam, deinde ad res similes translatam: est & tridens, & bidens, quo aptior judicatur: ferrea & majuscula ut plurimùm apud coquos: in mensis verò nobilioribus ad gradus quoque nobilioris metalli assumitur: nihilque insuper de hac, quoad nominis originem.

Modò de cultro sermo sit, quod est instrumentum, quo scinditur, lippis atque tonsoribus notum. Videntur Græci cultrorum mensalium omnino ignorasse usum; nam, monente eodem Martinio, in universa illorum Lingua nullum vocabulum est, quod propriè hujusmodi cultros denotet. Scriptor verò *Antiquitatum Convivalium*, locum afferens Clementis Alexandrini lib. 2. c. 3. *Pædag.* instrumenta ad hujusmodi divisionem idonea commemorat sic: *Culter, sive gladiolus, qui in mensa ponitur, si clavos non habuerit argenteos, vel non fuerit factus ex ebore capulus, non scindit. An ad carnes dividendas Indicum ferrum nobis fabricandum?* Hæc de nimia pretiositate in hujusmodi instrumentis declamat magnus ille Pater: ubi notandum, capulos cultrorum variè fabrefactos, laminas verò vel æneas vel ferreas fuisse, ut coti resisterent.

Ex istis Etymologicorum tricis evasus, pro quibus inter Grammaticos magnum dissidium, mensas Veterum perlustremus, atque an istis armis instruerentur perpendamus. Hæc instrumenta armorum nomine nuncupare placuit, ex quo per eundem *Antiquitatum Convivalium* Scriptorem *lib.* 2. vox arma à Latinis similiter usurpatur, & pro bellicis, & pro quarumvis artium instrumentis: unde arma Cerealia, & rustica, & nautica Virgilio, coquinaria Plauto, tonsoria Martiali dicta, & per Xenophontem supellex, arma, utensilia appellantur. Hinc supellecticarii Servi ab iisdem eleganter dicuntur, qui supellectilem cibariam curant. Pro cujus explicatione animadvertendum est, ad Antiquorum mensas obsonii scindendi Magistrum adfuisse, (quem Petronius Scissorem, & Carpum, Juvenalis Carptorem, Apulejus Diribitorem vocat) qui manum doctam per edulia circumferebat, atque ad symphoniam discerpebat. Igitur pro discerptione ciborum apud Convivas nulla aderat necessitas cultri, cùm ad mensuram, ut ita dicam, oris buccæ, seu frustula per Scissorem pararentur, & cuicumque datum esset cibum sumere ad libitum gulæ. De pane tantùm, qui inter obsonia locum non habet, quæstio oriri posset, sed panem frangi manibus, non cultro scindi, satis ex Scriptoribus liquet, & præcipuè ex Auctore *Antiquitatum Convivalium*, qui *lib.* 2. ait, Veteres non panes elevatos, ut nos, habuisse, ita ut ad scindendum cultro opus esset, sed latos pinsuisse atque subtiles adinstar placentæ, unde manibus frangebant, atque inde frangere panes in sacris Litteris sæpe dicitur.

Ita eliminato ex Conviviis cultro, inquirendum superest, an locum in mensa haberet fuscinula illa cuspidata, & bidens, seu tridens, quâ cibi solidiores infiguntur: & cùm hoc vocabulum ad usum conviviorum satis recens sit apud Latinos Scriptores, de instrumenti quoque satis nova inventione non leviter suspicandum est. Certè inter Rei antiquariæ supellectilem nusquam hæc fuscinula apparuit, quò nil facilius esset ex tot ruderibus eruere, cùm res sanè minutissimæ, & pauxillæ, fragilioresque quotidie in dies Romæ præsertim effodiantur. Igitur à mensis Antiquorum ableganda fuscinula? neutiquam. Per æquipollens modò id, quod olim ligula apud Veteres in usu erat, perficitur. Tridenti, seu bidenti illo penitus Veteres carebant, cujus officium per ligulam implebatur. Verùm de ligula nihil dicendum priusquam de cochleari sermo habeatur, cùm unum & idem essent apud Veteres ligula & cochleare, & utrique officio inservirent, nempe pro liquaminibus & cibis solidioribus sumendis. Locum Martialis suprà enunciatum mirificè explicat ad rem nostram Martinus Lister in *Notis ad Apicium Cœlium* l. 7. c. 16.

> *Sum cochleis habilis, sed non minùs utilis ovis:*
> *Numquid scis potiùs cur cochleare vocer?*

Scito (inquit clarissimus Adnotator) caput istius instrumenti mensarum, fuisse tenui admodum mucrone productum, ut sic eo cochleæ coctæ commodè è testis suis eximerentur: ad cujus loci ulteriorem explicationem advertendum est, Poëtam in antecedenti epigrammate de ligula argentea sermonem fecisse sic,

> *Quamvis me ligulam dicant Equitesque, Patresque,*
> *Dicor ab indoctis lingula Grammaticis.*

postmodumque sequitur,

> *Sum cochleis habilis, sed non minùs utilis ovis:*
> *Numquid scis potiùs cur cochleare vocer?*

Eundem sensum continuò protrahens, ut sit cui congruat vox illa *habilis*, & *utilis*, quibus non convenit *cochleare*. Propterea unum & idem instrumentum fuisse, ligulam & cochleare censendum est, ab uno capite cuspidatum, & hoc, loco fuscinulæ, utebantur ad eximenda frusta eduliorum, ab alio latum & concavum ad sumenda liquamina. Enimvero pro spatula, seu gladiolo in speciem linguæ, & pro cochleari per quoscumque Interpretes ligula illa explicatur, de qua etiam idem Martialis aliis in locis fidem facit.

Itaque unico hoc instrumento parabantur mensæ loco fuscinulæ & cochlearis; sed non semper illo opus erat, cùm præterea cibi carperentur digitis: latere acuto ligulæ, seu cochlearis, utebantur tantùm in subsidium digitorum, ubi opus esset eximere aliquid è testa vel cortice: puta cochleas, eodem modo, quo acu utuntur Veneti: latere verò expanso & concavo ad sumenda liquamina & ova tenella: incongruum enim ac inelegans fuisset pitissare & sorbillare in patellis. Hujus insuper instrumenti, nempe ligulæ, testimonium nobis præbent Romana marmora, quorum iconologiam exponunt nobis eruditissimi Viri Ciacconius, Ursinus, Mercurialis, Lipsius, aliique excellentissimi Scriptores rerum Convivalium.

Usus tandem in discumbendo erat capiendi cibum digitis, nullo adhibito instrumenti subsidio, præterquam quòd ubi opus erat: à natura enim ipsa satis munimur quinque digitis per singulas manus: cujus moris testimonium ex Homero habemus *Odyss.* l. 14. ubi de Procis ait,

> *Hi autem in cibos paratos præjacientes manus extendebant.*

Verùm & hîc dubitari potest, an manus inermes essent, vel fuscinula, seu cochleari munitæ, cùm sæpe apud Scriptores per tropum & figuram modus hic loquendi communis sit. Clariùs igitur Ovidius in *Arte Am.* l. 3. ubi Amatorem bonis urbanisque moribus informans ad mensam Amasiæ, ne cacotropia laboret, inquit,

> *Carpe cibum digitis: est quiddam gestus edendi:*
> *Ora nec immundâ tota perunge manu.*

 Ubi

Ubi notandum censeo illud *carpe*, quod diligenti & eleganti modò sumere summis digitis adsignificat: aliquid enim majoris roboris & efficaciæ ad amorem alliciendum habet gestus urbanus & elegans in edendo ad amatoriam mensam; quæ elegantia & urbanitas mirificè explicatur diligenter carpendo, ac, ut dictum est, summis digitis tantùm, ne tota manus & facies perungantur.

Ex his omnibus, clarissime Vir, tibi satis opinionem meam de Armis Convivalibus explicatam A reor: quæ omnia ut intelligas tantùm postulo de nobilioribus ac civilioribus conviviis & mensis, non verò de rusticis & plebejis, in quibus omnia in unum miscebantur præstabanturque, ac intemperanter & incomtè ingurgitabantur, nec comiter digitis, sed plena manu rapiebantur, sorbebanturque, nulloque instrumento opus erat, sed per os & manus quæcumque ad gulæ satietatem operabantur. Si qua supersunt, tu è penu promere ut non renuas, exoro. Vale.

FINIS.

HIERONYMI BARVFFALDI,

PHILOS. D. FERRARIENSIS,

DISSERTATIO

DE

PRAEFICIS,

AD ILLVSTRATIONEM

VRNAE SEPVLCRALIS

FL. QUARTILLAE

PRAEFICAE.

ACCEDVNT

IOSEPHI LANZONI,

MED. FERRARIENSIS, &c.

DE

LVCTV MORTVALI

VETERUM

ADVERSARIA.

Ovid. de Ponto *lib.* 3. *el.* 9.

Læta ferè lætus cecini, cano tristia tristis:
Conveniens operi tempus utrumque suo est.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO

ULYSSI JOSEPHO

S. R. E. CARDINALI

GOZZADINO

EPISCOPO FORO - CORNELIENSI

HIERONYMUS BARUFFALDUS

FELICITATEM.

QUamquam inter præcipua merita, quæ ad Romanam Purpuram præpeti gradu evehant, illud imprimis emineat, quo quis longa laborum ſerie meritus ſit, ut ita in altaris faſtigio eluceſcat qui pro altaris decore inſudavit: nihilominus in talis ac tantæ dignitatis honore conferendo, Scientiarum notitiam, Reique litterariæ præſtantiam ab optimo ſanctiſſimoque PONTIFICE animadverti, plurium annorum ſpatio admirati ſumus. Et quidem maximo ſacroſanctæ Eccleſiæ ornamento & utilitate, utpote quæ ſapientiæ & doctrinæ Orthodoxorum PP. fulcris innixa, ſemper Adverſariorum profligavit conatus, & jacula evaſit, atque imperterrita fronte inter tot diſſidia firmiter manſit. Felix revera Patris cæleſtis Sponſa, tali prole fecundata: quinimmo feliciſſima noſtrorum temporum conditio, ubi labor & virtus Apoſtolicum Senatum implent! Atque ut ex uno ſacri Cœtus ſydere totius Eccleſiaſtici cæli ſplendorem enuntiemus, in Te, Cardinalis ampliſſime, oculos injiciens, ſatis ſuperque enitet, quod in univerſo Eminentiſſimæ dignitatis tuæ ordine intueri ſperandum eſt. Quæ feliciter geſſiſti primæva uſque ab ætate, tum pro Catholicæ Religionis felici ſtatu & propagatione, tum in proximioribus Pontificiæ Domus Officiis gerendis, pro auctoritate, decore, & bono nomine Sanctæ Sedis tuendo, amplificandoque, nulla poſteritas ignorabit, nulla delebit oblivio. Et ſanè ſi unquam Sacri Apoſtolatus gloria emicuit, tunc fuit præcipuè, cùm Tu, Cardinalis ampliſſime, illos gradus adſcendebas, per quos viam ad ſacram Purpuram tibi ſterneres, Diplomata ad Principes, Summi Paſtoris nomine, exarando. Quæ verò in Scientiarum ordine de doctrina tua teſtimonium præbeant, non adeò exigui momenti ſunt, ut brevi animadverſione ſint percurrenda. Te verè Latinum Principem admiramur, adeò ut, quidquid abditi, quidquid arcani in pretioſioribus Scriptorum monumentis erui queat, tibi mira promtitudine eluceſcat. Tu Theologica, Tu Philoſophica, imperterrita mente, arcana enucleas: ſacram profanamque Hiſtoriam quàm benè calleas, norunt qui ſæpius in tui contubernium acciti ſapientes Viri, taciti intentique ab ore tuo pendent. De Juriſprudentia, Bononiam tuam verè Studiorum matrem conſulo, ubi ſacra Themidis oracula per te, prima uſque ab adoleſcentia, recluſa immortalem nominis gloriam tibi pararunt. In Oratoribus, Poëtis, Philologiſque demum legendis quàm benè præſtes, quantumque oblecteris illorum ſeu conſiliis, ſeu ſententiis, ſeu eruditionibus, ex hoc potiſſimùm erui poteſt, quòd libentiſſimè litteratos Viros admittas, ac favoribus proſequaris. Quibus omnibus licèt magnam dierum tuorum par-

tem

tem impertias ; non est cur præstantissimo tui Præsulatus munere oblivíscaris. Tu in Populis tuis, Tu in sacris ministeriis, Tu inter tot Scientias semper idem emicas; adeò ut omnia studia, miro ordine in hoc coalescant, ut te non minùs eximium Doctorem constituant, sed & præstantissimum Ecclesiæ Cardinalem atque Antistitem vigilantissimum. Hinc est, EMINENTISSIME PRINCEPS, ut ego vix de tua erga me certior factus benevolentia, te propiùs in tanto fortunæ meæ exordio considerans, cuncta de tui Nominis celebritate adeò me invaserint, ut tua nequiverim merita quocumque loco reticescere, ac uno eodemque tempore, Ecclesiæ Sanctæ, ac mei benè auguratam sortem amplificare. Cùm verò hoc unum mihi se offerret, ut ego ad Tui conspectum me sisterem, ut primò tot virtutum fontem oculariter intuerer, stimulumque aliquem sentirem, qui me ad veræ virtutis semitam impelleret: atque, ut ob elargita mihi innumera & maxima beneficia tibi gratias referrem, illud mihi convenientius visum est, non vacuis, ut ajunt, manibus accedere, quin tibi, Cardinalis amplissime, ingenioli mei fructus vel minimos offerrem, ut tui memoria, quamdiu per me foret, esset in perpetuum duratura. Nec aliter impræsentiarum, &, ut ita dicam, ex tempore hoc fieri potuit, quàm Dissertatiunculam hanc *de Præficis* obsequentiori quo datum est animo tibi præbendo: triste ac luctuosum sanè argumentum, sed omnino tempori, quo natum est, accommodatum, omnique antiqua elegantiorique eruditione refertum. Quare non rem adeò alienam à tuis studiis tibi offerre sum ratus, ut aliquando oculos ad illam, oblectamenti & eruditionis gratiâ, non sis conversurus. Hoc unum superest demum, ut Opusculum hoc alacri animo suscipias, tuoque favore imposterum magis magisque prosequaris Auctorem suum, qui sicut in adversa Fortuna te Mœcenatem agnovit, ita in feliciori statu à tua dextera erigatur, foveaturque, & tui Nominis faustissimi sub umbra alacriori animo in litteris elaborando, tibi cuncta debeat, qui à te cuncta de suo bono eventu cognoscere jam cœpit. Vale, Romani Senatus decus & splendor, obsequiique mei memor esto.

L E C T O R I
P R O L O Q U I U M.

HAbes hîc, humanissime Lector, *Dissertationem de Præficis*, cui argumento tristioris notæ manum adjeci Anno nuper elapso 1712. dum mihi res non omnino fortunatè evenirent, animusque meus expressissimam mœstitudinis imaginem præ se ferret, ac prorsus tristitiæ onere urgerer. Illud enim evenit, ut in maximis calamitatibus, id ipsum levamen, quod tam anxiè sollicitéque aucupamur, in tristitiam rursus convertatur, & in secernendis animi oblectamentis argumenta plerumque deteriora sequamur. Non enim verò id assequi tam facilè potui in re adeò vetustæ & reconditæ eruditionis, cùm Libris penitus destituerer, nonnullaque hujus argumenti, quæ felicioribus annis in Adversariis adnotaveram, periissent. Rursus igitur messem parare coactus, cùm à Patria procul morarer, id per Epistolas ad eruditos Amicos evenit, quod facilè domi meæ inter Liberculorum meorum copiam accidisset. Isti unaquaque hebdomada per Tabellarios ac Nuncios Epistolis Librisque me adibant, qui in *Castro Gullelmo* ad Castagnarium, Athesis cornu, in Ditione Veneta, degebam, hospes fortunatissimus D. *Angeli Mazzuchi* humanissimi, intimi, ac semper laudandi Amici, qui me in sui contubernium susceperat. Quo tempore, dum Rhodiginam Peninsulam percurrerem, factum est, ut illustrissimum & reverendissimum D. *Philippum à Turre* Episcopum Adriensem, omni doctrinarum genere excultum, ac bonarum Artium columen, inviserem, & unà simul ædes, quin potiùs antiquariæ eruditionis thesaurum D. *Comitis Camilli Silvestri* Nob. Rhodigin. eruditissimi priscarum rerum interpretis, nec non & D. *Alexandrum Guarinum*

Nob.

Nob. Ferrarienſ. ad S. Bellini, Virum doctiſſimi ac clariſſimi generis ſplendori novum optimarum litterarum ſtudio lumen adjicientem. Aderat etiam clariſſ. D *Jacobus Facciolatus* in celebri Seminario Patavino Stud. Præfectus, Vir ſanè in amœnioribus ſtudiis bonæ frugis & emunctæ naris: quorum omnium conſortio per interſtitia maximum ærumnis meis levamen acceſſit. Dum verò (& id per dies ſæpius eveniebat) hoſpitis mei domi detinerer, nihil antiquius duxi, quàm Epiſtolas & Philologos Scriptores ab Amicis traditos percurrere, ut jam diu excogitatæ Diſſertationi *De Præficis* ſatis darem. Quod brevi menſis curriculo factum fuit, latum enim argumentum præbuerat *Urna Sepulcralis F. Quartillæ Præficæ*, quæ ceu picta in mentem hærebat, de qua ſæpius Ferrariæ, ubi illa apud patrem meum ſervatur, cum Amicis verba habueram. Et jam penſum perſolveram tunc, cùm poſtliminio, per clementiam ſummi Principis, reverſus, Acta *Litteratorum Italiæ* advertens, quæ mihi ornatiſſimus & litteratiſſimus Vir D. *Apoſtolus Zenus* humaniſſimè identidem elargiebatur, intuenſque quanti hac noſtra ætate habeantur Rerum antiquarum ſtudia, adeò ut apud Provincias exteras, Scriptores Antiquitatum Græcarum, Latinarum, Hebraïcarum, Eccleſiaſticarumque recentes quotidie oriantur, & veteres iterum prælo committantur, ac in unum colligantur, ad maximum Antiquitatum Theſaurum coacervandum, (ut nuper de *Jo. Alberto Fabritio* traditur *T.* IX. *Art.* XIV. *p.* 448.) ego, neſcio quâ ingenioli mei blanditiâ elicitus, Opus jam penè obdormiens, iterum ad trutinam revocare non deſtiti, idque obiter, ut potui, expolitum evulgare.

En igitur Diſſertatio mea, ſi non talis, quæ in pace rerum mearum oriri poterat, certè omni, quâ datum eſt, curâ elaborata. Tempus fortaſſe, Deo dante, adveniet, cùm alia ejuſdem argumenti, quæ poterunt inſurgere, pro mantiſſa adjiciam. Hîc quæcumque de *Præficis* haberi poſſunt, adumbrata, ſi non adnotata videbuntur, quæ ad Monumentum *Quartillæ* illuſtrandum faciunt, cùm nec ab re diſſonum judicaverim, argumentum hoc ad ſenſum moralem perducere, & ex eo, licèt vetuſtiſſimæ indaginis, tamquam è penu promere quæ in Eccleſia Dei magis amplexanda ſunt in mortuis deflendis noſtra hac tempeſtate.

Quamobrem nec ab re judicavi, nonnulla clariſſimi noſtri *Joſephi Lanzoni*, undequaque & ſcientiâ & evulgatorum Librorum copiâ famigeratiſſimi, *Adverſaria de Luctu Mortuali Veterum*, huic meo Opuſculo adnectere, utpote quæ, argumenti mei conſimilis naturæ, & ad eruditionem antiquam permaximè concinna, quibus inſtituti mei omnia deſiderabilia expedirem. Tu interim, Lector, hæc quæcumque ſint, bono animo ſuſcipe. Si hoc egeris, Vigiliarum mearum me fructum vel maximum tuliſſe arbitrabor. Vale.

INDEX CAPITUM.

CAP. I. *Diſſertationis ratio: Urna ſepulcralis Fl. Quartillæ Præficæ unà cum operculo deſcribitur.* A

—— II. *Præficæ quid? Etymon. Varia nomina. Locus Plauti emendatur per Muretum. Nova etymologia ab aliis non excogitata.*

—— III. *Funeræ deſcribuntur, Reputatrices, Pſaltriæ, & Threnodæ. Harum omnium à Præficis diſtinctio. Scaliger notatus. Menochius confutatur, & Porphyrio ad Horatium.*

—— IV. *Præficarum origo. Lacrymarum neceſſitas. Apud Græcos Præficæ antiquiores. E Caria Romam traductæ. Lex* XII. *Tabularum interpretatur. Balduinus confutatur. Quouſque Præficæ invaluerint.* B

—— V. *Præficarum genus: earum nulla mentio in Inſcriptionibus veteribus. Erant Miniſtræ Sacerdotum Pop. Rom. Quartilla Liberta Gentis Flaviæ. Varia de hac Familia. Servilis Præficarum conditio.*

—— VI. *Præficarum officium, locus, & modus flendi. Feminæ lacrymis ſemper paratæ. Luctus fictus ſuperabat ſæpe verum. Pompa feralis deſcribitur. Præficæ utplurimum vetulæ, & cur? Verbum* Ilicet *poſt funera.*

—— VII. *Præficarum numerus, & an in unico funere plures eſſent. Collegium Præficarum negatur. Bonaventura Angelus notatus. Thecuæ excellentiores Præficæ erant. Ibi Ars flendi.* C

—— VIII. *Præficarum veſtes. Feminæ ad funus utebantur pallâ nigri coloris. In ſacris caput velabatur. Ita Præficæ in funeribus. Diſſidium inter Plutarchum & Kirchmannum. Semifacies velabatur. Cuculli uſus in mulieribus. In maſculis etiam ad funus. Marmoribus non omnis fides adhibenda. Lolliæ Paulinæ icon. Capilli paſſi in funeribus, non tonſi, contra variorum opinionem Auctorum.*

—— IX. *De Næniis. Ars Præficarum non erat tota in lacrymis. Canebant laudes Defuncti ad tibiam. Simonides primus Næniarum Inſtitutor. Erant triplices. Non canebantur Næniæ à Præficis ubi aderant Propinqui, quorum erat munus. Erat carmen extemporaneum plenum nugis. Moſellanus notatus. Interjectio* Heu *Næniarum propria.*

—— X. *De mercede Præficarum. Sumtus immoderati in funeribus vetiti. Obolis conducebantur Threnodæ. Obolus quid?*

—— XI. *Ampullæ lacrymales; earum nomina, forma, & uſus. Semper vitreæ, ac ſine manubriis. Leibnitzius confutatus. In ſepulcris includebantur. Lacrymæ commodabantur, & elutriabantur.*

—— XII. *An Officium Præficarum per viros etiam ſuppleretur. Horatii locus variè explicatus. Pintianus declaratus.*

—— XIII. *An uſus conducendi Præficas noſtris temporibus vigeat, & an in Eccleſia Dei tolerandus. Multæ SS. Patrum & Conciliorum interdictiones afferuntur.*

—— XIV. *De Præficis moralia. Æſopi Apologus explicatur, & Adagia nonnulla. In cœna laudabantur mortui.*

Adverſaria de Luctu Mortuali Veterum.

HIERONYMI BARVFFALDI,

PHILOS. D. FERRARIENSIS,

DE

PRAEFICIS

DISSERTATIO.

CAPUT I.

Dissertationis Ratio. Urna sepulcralis Fl. Quartillæ Præficæ unà cum operculo describitur.

LUctuosam sanè, lacrymisque non pretio emtis dignam, immensam Padi alluvionem, quæ totum ferè Agrum Ferrariensem obruit, mense Novembris Anni præteriti M. DCCV. hîc in mentem revocaturus, non possum quin, eodem contextu, rei antiquariæ faustum omen amplificem. In illa enim aggerum utrobique palpitantium indigesta eversione, terram, vel longa ætate quiescentem, vel ibi à Mundi exordio sitam, emollitam atque maceratam, natantem hac illac mirati sumus, vallesque aquarum sedimento fœcundatas, & arva flebili metamorphosi in vallium speciem transfigurata. Fluminibus tandem, divino certè nutu, in alveum redactis, divisisque aquis ab aquis, cùm apparuerit arida, ex aggeribus ubique corruentibus nonnullæ antiquitatis reliquiæ, ibi longa ætate sepultæ, (prout plùs, minúsve loca illa antiquitus culta exstiterant) eruperunt: Marmora, ubi veteres Inscriptiones, Lucernæ, ac Urnæ sepulcrales, Vasa alia, Idola, Numismata tum æ- A rea, tum argentéa; Imbrices, & alia quamplura hujus naturæ monumenta, latam Antiquariis supellectilem ministrantia.

Inter tot antiquitatis rudera, ex aggere quodam contrito prope pagum *Stienta* trans Padum, ad prædia ex juribus Præbendarum D. Matthæi Maraldi Canonici Ferrariensis, Urna quædam sepulcralis fictilis prosiliit, argilloso cœno involuta, utrinque ansata, ac operculo ex eadem materie elevato, & in inferiori parte, ad modum cuspidis, caudata. Hanc ex luto facilè effossam (prope enim labans erat) Rusticus quidam, thesaurum ibi latentem opinans, (Urnamque tantùm eam esse B cognoscens, ne totam unico ligonis ictu perfringeret) per operculum reclusit, ac introspiciens illam, & versans, madidum ac subactum cinerem fodit, simulque in eo commixtam ampullam vitream, & hanc vacuam, quam lacrymalem existimamus. Fortunæ suæ maledicens Rusticus Urnam penè contrivit; optimam tamen illam opinans alicui usui domestico, domum transtulit, ac laudatum Canonicum Maraldum herum suum adiens, rem prout evenerat enarravit. Quamquam nulla rei antiquariæ notitia calleret Vir ille alioquin doctissimus, aliquid tamen in Vase illo antiquæ memoriæ recondi censuit, illudque Ferrariam tra- C ducens, Nicolao Baruffaldo parenti meo dilectissimo, tamquam antiquarum rerum coacervatori, in amicitiæ symbolum elargitus est. Servatur itaque Ferrariæ penes eundem parentem meum, tamquam antiquæ eruditionis thesaurus inter cætera priscorum seculorum monumenta, quorum refertissimam Pinacothecam ibidem pandit: cujus Urnæ pictura est.

Atqui

Icon Vrnæ sepulcralis Fl. Quartillæ Præficæ ejusque Operculi secundum varios prospectus.

Ex Museo Nicolai Baruffaldi Ferrariæ.

Atqui ut Urnam hanc propiùs inspiciamus: illi à se sumtæ nihil insueti inest, quandoquidem nec in ore, nec in manubriis, non caracteres, non signa ulla appareant. Similem tantummodo figuram ostentat cæteris feralibus urnis: corpulentior tamen & brevior est, nec uncias 38. mensuræ Ferrariensis excedens, ut *Num.* I. Ad operculum igitur tota nostra Dissertatio pertinet; in eo enim tot antiquitatis mysteria elúcent, ut non facilè judicem brevi curriculo me expediturum. Operculum prominens, & anaglyptum, muliebre vetulæ caput ostendit sursum prospiciens, ore hianti, genis rigarum * serie obductis, oculis adinstar amarè flentis, comis, seu plectis effusis, incomtisque; à sinistro tantùm latere patentibus, dextera enim facies velo antè pendulo absconditur, unde & semifacies velata apparet: quod velum ad occiput deflectens, pendulum quemdam cucullum (*capputium* nostrates pronunciarent) præ se fert rigatum * & crispum. Inferiùs, tamquam basis, insequitur compago, os Urnæ inserens, orbicularis formæ, à qua tota Urnæ labia ac collum implentur. Basis terminus labium sphæricum & sinuatum, in cujus centro inscriptæ litteræ prominent, quarum sensus est *Num.* IV.

HEV
FL. QVARTILL.
PRÆFICA
V. ANN. LXI.

Hæc postrema verò linea ab aliis sejuncta apparet in circumferentia basis subtus collum, ut in Icone clariùs demonstratur, *Num.* V. Quid ego verò de tot mysteriis sentiam, brevibus in hoc Capite me expediam, ampliora daturus in Operis processu, omnia tamquam per suas divisiones distribuens.

* Leg. *rugarum* & *rugatum.*

A *Urnam igitur sepulcralem judico ad cineres servandos Flaviæ Quartillæ Præficæ, quæ vixit annis sexaginta & unum.* De Præficis verò, earum Nominibus, Officio, Vestibus, Numero, Stipendio, Genere, cæterisque aliis hujusmodi, in subsequentibus capitibus disserendum, omnia ad nostræ Urnæ illustrationem.

CAP. II.

Præficæ *quid? Etymon. Varia nomina. Locus Plauti emendatus per Muretum. Nova etymologia ab aliis non excogitata.*

B MUlierem planctuum & lamentationum in funeribus principem, mercede conductam, locum primum in ploratu occupantem, reliquos præeuntem in exsequiis, cæterisque plangendi modum dantem, Præficam Scriptores omnes fuisse, unius sunt sententiæ. An verò feminis tantummodò nomen, officiumque hoc conveniret, suo loco dicemus. A præficiendo dicuntur nomen duxisse, quia reliquos præirent auspicando à sua voce ejulatum, & Jo. Fungerus *Lex. Philol.* etymon hoc satis comprobat. Ad cujus originis illu-

C strationem clariùs Matthias Martinius *Lex. Etymol.* cum Servio addit, nomen hoc talibus feminis impositum fuisse, eò quia in funeribus lamentandis essent Præfectæ, & planctuum principes. Ast, curnon potiùs Præfectæ nomen, quàm Præficæ impositum? Præfectus vox generis est, & eum significat, qui muneri alicui gerendo præest, aliunde accepta potestate. Hæc omnia in Præficis clarè demonstrantur: præerant enim cæteris in planctu funebri, & potestatem plangendi à conductoribus suscipiebant; ideo citiùs crederem à

Præfatione dictas fuisse Præficas: Præfationem enim in Næniis mortualibus psallebant, nonnullisque pronunciatis seu ejulatis carminibus, tamquam symphoniarchæ, chorum lugentium ad lamentationes suscitabant; quare potiùs à præfando, quàm à præficiendo dictas autumo; nam ipsæ præfabantur & proloquebantur. Quænam hæc præfatio esset in funebri Nænia facile ex ipsis Næniis præcipuè Græcorum Poëtarum dignosci potest, quæ quamvis populare carmen præ se ferrent, orationis tamen funebris speciem gerebant, & Majores nostros nullam Orationem, nisi invocatis Numinibus, inchoasse docet Servius *ad illud Virgilii Æn. lib. 2. v. 3.*

Præfatus Divos solio Rex infit ab alto.

Tiraquellus *ad Alex. ab Alex. l. 3. c. 7.* à præsentia, seu præsidentia nomen Præficæ deducit, & ideo tamquam Præsides funerum, Præficas nuncupat. Ast quid si à *Præficiscine*, seu *Præficiscini*, originem duceret? Videsis M. Antonium Muretum *Var. Lect.* l. 9. c. 3. ubi Plauti emendatur locus. In laudando mos fuit apud Veteres plerumque addendi vocem *Præficiscine*, quâ invidiam & fascinum à se amolirentur: Præficæ & ipsæ defunctos laudabant: quare ab hoc laudationis genere, quod *Præfiscine* conclamabatur, facilè & Præficarum nomen derivari potest. Sed & aliis nominibus hoc genus Lacrymantium legimus: appellantur nempe Funeræ, Reputatrices, Psaltriæ, & Threnodæ, de quibus singulis in sequenti capite.

CAP. III.

Funeræ *describuntur*, Reputatrices, Psaltriæ, *&* Threnodæ. *Harum omnium à* Præficis *distinctio. Scaliger notatus. Menochius confutatur, & Porphyrio ad Horatium.*

Funera & ipsa mulier lamentatrix: tantum verò inter Præficas & Funeras differentiæ locus erat, quantum inter consanguineos & alienigenas. Funeræ dicebantur mulieres, ad quas funus pertineret, ut sunt mater & soror Defuncti. Istæ doloris non erant expertes, ut Præficæ, quæ lugebant lucri gratiâ, & ad eas nihil mortui pertinebat. Vox hæc apud Ennium invaluit, cujus versus M. T. Cicero affert *Tusc. Quæst. lib. 3.*

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit: cur? volito vivus per ora virûm.

Ab Ennio ad Virgilium permeavit, qui mœrentem Euryali matrem describens, ait *Æneid.* 9.

Heu terrâ ignotâ canibus data præda Latinis
Alitibusque jaces, nec te tua Funera *mater*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi, &c.

Ad cujus loci explicationem optimè Servius legendum *Funera* asserit, eò quia hìc de matre sermo habetur, tamquam illarum una, ad quas funus pertinebat, & quæ verè dolebant, non fictè ut Præficæ. Ex his mendum illorum apparet qui *funere*, subintelligentes *in*, legunt, ut in Codice perantiquo apud me videre est, cui fortasse simillimum exemplar Farnabii oculos non evasit, qui pariter ait Scaligerum *Funera* legisse, & subaudisse *ad*; quorum mendosa lectio satis apparet ex Ennio suprà enuntiato, quem ut sacræ vetustatis

A lucos adoramus. Recto modo legit etiam Annibal Carus Italus Poëta præclarissimus, qui Italico idiomati Virgilii maximum Poëma soluto carmine donavit, cujus verba sunt:

——— ——— Et io tua madre,
Io, cui l'esequie eran dovute, e'l duolo
D'un cotal figlio, non t'ho chiusi gli occhi,
Nè lavate le piaghe, &c.

Secus verò Benedictus Minerbettus Episcopus Aretinus, eundem *Æneidos* librum in Italicam Linguam vertens, vim *Funeræ* fortasse negligens
B sic effatus est:

Ahi, che preda giacer ti vedo à i cani,
Et à gli augei di Latio, in cosi strana
Terra, e l'esequie non ti faccia, &c.

ubi illud, *l'esequie non ti faccia*, clarè demonstrat ad Funus pertinere, non ad Funeras.

Funeris non tantùm incumbebat planctus, sed & lotio & unctio Defuncti, cujus muneris curam apud fœminas fuisse observat Muretus *Var. Lect.* l. 3. c. 19. & latissimè Kirchmannus *De Funeribus* l. 1. c. 19. quibus egregiè adstipulatur do-
C ctissimus Joseph. Lanzonus in Libro *de Balsamatione Cadaverum* c. 1. pag. 8. qui tamquam præsignans munus harum mulierum Funerarum, non vero Præficarum, inquit lotionem & unctionem cadaveris per Propinquiores Defuncti in usu esse, nec fœminæ propinquiores dari possunt matre, sorore, filia, uxore, &c. quæ Funeræ vocabantur. De matre Ovidius ita *de Rem.* l. 1.

Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco est.

D *Reputatrices* apud Siculos, ubi flendi super cadavera mos est, idem sunt ac Præficæ, cujus nominis Sopranus in Libro *de Funeribus Hebræorum c.* 3. originem ducit à *reputando*, & *cogitando*, eò quia spectatores consultò Defuncti merita recogitant, ac laude digna facinora reputant, quæ merita & facinora per tales fœminas cum fletu decantantur, & ad inductionis suæ fulcimen illud David affert 2. *Reg.* 1. 18. *Considera Israël pro his qui mortui sunt super excelsa tua vulnerati:* & illud *Isajæ* 57. 1. *Justus perit, & non est qui recogitet corde suo.* Joannes Stephanus Menochius verò *Stuore P.P. c.* 60. etymologiæ huic adversatur, & il-
E lam à materno familiari loquendi usu trahit: dicimus enim aliquid agere, boni nominis, bonæ famæ, & existimationis gratiâ, *(per riputazione)* ideoque fœminas illas ductas autumat ad honore prosequendum & celebrandum Defunctum lacrymis & ejulatibus, propter quamdam humanam existimationem, ex qua videretur honoratioribus prosequi exsequiis Defunctus ille, qui plurium lacrymis reputaretur, & sic à *reputatione*, (quæ vox apud Plinium & Gellium nota est) Reputatrices dictæ.

Quibus omnibus ego adderem, reputare aliquan-
F do pro computatione sumi posse. Ulpianus apud Perot. *Cornucop.* verbo *reputare*: *Item sumtus litis Tutor reputabit*; & eò quia tales mulieres computarent acta celebriora Defuncti, quasi *Computatrices* fuerint, & exinde *Reputatrices*.

Sequuntur *Psaltriæ*, quæ Præficarum loco apud Christianos olim substitutæ fuerunt, quæ Hymnos canebant: harum meminit Justinianus *Novel.* LIX. ut monet Kirchmannus *de Funer.* l. 2. c. 6. Si verò rem maturiùs perpendamus, propriè nequit dici Psaltrias loco Præficarum substitutas. Psaltriarum munus erat canere Hymnos, & Psalmos,

mos, & Allelujah, ut D. Hieronymus in epitaphio Paulæ testis est; Præficarum verò Nænias & carmen lamentabile. Satius dicendum, Præficis eliminatis, & illa perversa consuetudine plangendi tam immoderatè & impudenter mortuos, apud veteres Christianos, institutas fuisse Psaltrias, ut cantu gratias Deo agerent, eum, qui è vita excesserat, jam à mundi ærumnis & laboribus liberatum fuisse. Hymni enim & Psalmodiæ sunt lætantium.

Superest ut de *Threnodis* aliquid in apertum proferamus. A Threno dicuntur, quod est lamentatio, unde Hieremiæ Lamentationes super Hierusalem, Threni dicuntur. Porphyrio *in Horatii Poët.* ait, Alexandriæ obolis conduci qui mortuos flerent, & Threnodas vocari. Minime verò huic opinioni adhæreo, Threnodas nempe plorasse, & lacrymas emisisse, sed tantùm præcinisse. Josephus *de Bello Judaico l.* 3. ait: *Josephum verò omnes pariter, adeò ut per dies triginta nunquam lamenta cessarent, plurimique tibicines conducerentur, qui illis in lamentationibus præcinerent:* cujusmodi fuerunt & ii, quorum mentio est apud Matthæum *c.* 9. *Cùm venisset Jesus in domum Principis Sacerdotum, & vidisset tibicines & turbam tumultuantem*, &c. Qua de re dicendum est, Threnodas hujusmodi præcinisse tantùm lamentationes illas, & eo cantu flevisse: non enim ab re est canere & flere, immo sæpius in Elegiis ac Næniis idem sonat fletus, & cantus, fletus tamen internus & animi, non oculorum. Ovidius quot cecinit de suo exsilio carmina, tot & flevit: *Trist.* 5. *el.* 1.

Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen
Materiæ scripto conveniente suæ.

Threnodæ insuper erant, de quibus mentio in Hoseæ *c.* 5. *Vocabunt ad planctum qui sciunt plangere.* Pagninus legit, *& vocabunt scientes lamentum*; Theodoretus clariùs, *qui sciunt lamentationem.* Ars enim ista Lamentationum, seu Threnorum, ac Næniarum in usu erat, unde Emanuel Saa *Adnot. in Hos.* 5. addit, *sciunt ex arte, quæ olim in usu.*

CAP. IV.

Præficarum *Origo. Lacrymarum necessitas. Ab Hebræis* Præficæ *vocabantur Mulieres sapientes. Apud Græcos* Præficæ *antiquiores. E Caria Romam traductæ. Lex* XII. *Tabularum interpretatur. Balduinus confutatur. Quò usque* Præficæ *invaluerint.*

ATqui ex istis tandem Etymologicorum, Grammaticorumque tricis evadamus, & ad Præficarum originem deflectamus. Vetustissimæ originis super mortuos collacrymari, nemo fuisse ambigit, quandoquidem humanus dolor in boni alicujus amissione meliùs quàm fletu significari nequeat: per lacrymas enim primum impetum effundere necesse est & exsatiari: eas naturalis necessitas exprimit, & in illis aliquid solatii inditum: meminit Ovidius *Trist.* 4.

——— *est quædam flere voluptas,*
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

At hîc de justo dolore agitur, in quo, monente Seneca *epist.* 99. est decor aliquis: nos verò de mendicatis & emtis lacrymis sermonem habemus, quales fuerunt lacrymæ Præficarum, à quibus comitabantur cadavera ad funus, ut eodem modo, quo inter lacrymas vivimus & morimur, tandem comite fletu deportemur ad tumulum. Mortuo Aaron omnis multitudo flevit super eo triginta diebus per cunctas familias suas, *Num.* 20. Mortuo Moyse fleverunt eum filii Israël in campestribus Moab triginta diebus, *Deut.* 24. Ita Judæos & David mortem Saul plorasse, Tobiam, Antiochum, ac alios in sacris Scripturis, mortuos suos amarè planxisse comperitur. De Præficis verò nulla habetur mentio, quia apud Hebræos vocabantur Mulieres sapientes, non Præficæ, ut infrà *cap.* VIII. demonstrabimus.

Apud Romanos Præficarum usus certissimè invaluit, & à Scriptoribus Romanarum rerum sæpissime comprobatus in funerum descriptionibus. Varro, Sex. Pompejus, Nonius Marcellus, Cicero, & ex Poëtis, Plautus, Lucilius, Ennius, aliique antiquiores, Præficarum mentionem faciunt, ex quo usum hunc Romæ magnum incrementum habuisse facilè deducimus.

A Græcis verò ortum duxisse, Romamque evectas ex Hesychio habemus apud Manutium in *Adagiis*, ubi ait *Carica Musa.* Ad pompas funebres conduci solitas è Caria fœminas, quæ lamentantium personam agerent, ac si veris fictas lacrymas subrogare opus esset. Et inde *Carica Musa* ortum habuisse. Verùm Romanos, alioquin consultissimos, tantæ animi dejectionis ne insimulemus, quin potiùs eas è Caria ductas fuisse credamus, eo modo, quo acciri solent è longinquis Regionibus celebres Artis periti ad artem quamdam instituendam, tamquam fundatores: quare hanc illationem subdo. Lacrymis obsequebantur Romæ cadavera à prima ejus nativitate, sed lacrymis immoderatis, ac ejulatu reboanti & horrifico, nec sine genarum laceratione & sanguinis effusione, adeò ut per legem XXXIV. duodecim Tabularum sancitum fuerit: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento*; quod & priùs per Solonem vetitum fuit apud Plutarchum, ut sic omnia funebria, quibus luctus augeretur, sublata essent: lessum pro excessu, quem committebant in planctu mulieres, interpretatur Kippingius *Antiq. Rom.* lib. 4. cap. 6. Quapropter moderatum tantùm luctum optantes Romani Decemviri, Cicero II. *de Leg.* ut mos lugendi decorè servaretur, è Caria Præficas tamquam Magistras ciendi lessum, hoc est, Nænias, Romam duxerunt, ut cæteris flere cupientibus modum darent. Et revera, non tantùm post legem XII. Tabularum, sed etiam condita lege à Solone, Solon ipse hæc funera sibi statuit tamquam longè aliter sensisset à lege condita, de qua Cicero in *Tuscul. Quæstionibus* 1.

Mors mea ne careat lacrymis: linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu.

Franciscus Balduinus in *Commentariis ad Leg.* XII. *Tabularum*, lege suprà enunciata, credit vetitas & eliminatas fuisse Præficas: Decemvirosque has, sive nænias, sive ineptias tali sanctione tollere curasse. Verùm ex ipsa temporum computatione & ex officio earumdem Præficarum, evidenter contrarium apparet. Post legem XII. Tabularum invaluit magis usus Præficarum, & planctus in funeribus, ita ut & D. Justinianus eas in Psaltrias convertere per *Novell. Constit.* 99. conatus sit, & Apostolus veterem in hoc genere luctum Ethnicorum damnaverit, & vetuerit nos eum imitari: nec absint adhuc, ut suo loco dicemus, urbes nonnullæ, in quibus hujusmodi mos vigeat; sed neque Romæ, monet idem Balduinus, planè tolli olim potuit.

Præterea Præficarum officium, quæ luctum simulabant, non erat genas radere, nec sanguinem elicere, nec rogum tam fœdo spectaculo funestare, sed tantùm lugere, næniam canere, cæteris modum flendi præbere, ac alias mulieres in luctu præcedere, ut infrà dicetur. Quomodo, quæso, Præficarum artificium, quod totum versabatur in ostentatione, effectum nancisceretur? Nil sanè pejus ac crudelius evenire potuisset, si vero cordis mœrore tactæ, mortuorum funeribus adstitissent, ac vero fletu ejulassent.

Nec officit quod de Quintiliani muliere affert idem Balduinus, quæ filium lugens, sanguinantes lacertos, scissum laniatumque vultum, & livida ubera ostendit, *Declam.* x. hæc enim, utpote mater, Funera erat, non Præfica, & vero mœrore erat affecta, non simulato. Atqui Præfica planctus princeps est, non doloris: dolor verus erat ille sororum, matrum, uxorum, similiumque, qui fratribus, filiis, maritisque parentabant. Igitur, ut eò redeamus, unde sermonem deflexímus, Præficarum origo apud Phryges penes Græcos antiquissima. Earum usus è Caria Romæ invaluit post conditas leges XII. Tabularum, ubi longa ætate & ad secula usque Christiana pacificè perseveravit, cujus moris nulla in Romanis Pandectis superesse vestigia, ex hoc fortasse evenire potuit, quòd Præficæ vocatæ sint usque ad secundum Bellum Punicum, ut notat Panvinus *de Civit. Rom.* p. 162. Sed Præficarum genus adeamus.

CAP. V.

Præficarum *genus. Earum nulla mentio in veteribus Inscriptionibus. Erant* Ministræ Sacerdotum *Pop. Rom.* Quartilla *Liberta Gentis* Flaviæ. *Varia de hac Familia. Servilis* Præficarum *conditio.*

JAm verò de genere Præficarum aliquid promere ordo ipse poscit. Re igitur maturè considerata, cùm nullam in antiquis marmoribus adhuc Præficarum memoriam repererim, (Gruterus enim, Reinesius, Fabrettus, Sponius, aliique Scriptores, & antiquarum Inscriptionum solertissimi collectores, nullum offenderunt marmor, ubi Præficæ nomen inscriberetur) magis Monumentum nostrum reconditæ memoriæ censui, utpote quòd neque in enumeratione Officiorum ac Artium vilissimæ naturæ penes Romanos ulla sit mentio. Onuphrius Panvinus tantùm in Libro *de Civitate Romana* p. 162. sermonem faciens de Ministris Sacerdotum Pop. Rom. præpositis Camillis, Flaminiis, Æditui̇s, Scribis, Tibicinis, Pullariis, Popis, Victimariis, Lictoribus, ac similibus, ad Præficas quoque descendit, illas Vespillonibus tantùm præferens: qua de re hujusmodi feminas intra Servorum publicorum numerum aggregatas censeo, ideoque servilis naturæ ac generis: Servos enim publicos antiquitus ad vilia ministeria coactos fuisse docet præclarissimus Patavini Athenæi decus, Bernardinus Ramazzinus, in *Diatriba de morbis Artificum* cap. 18. p. 128.

Equidem Quartillam nostram, licèt Flaviæ Gentis cognomine decoratam, nec de ejus manumissione pateat, Libertam tamen fuisse Gentis Flaviæ censendum est. Flaviæ Gentis plebejæ frequens est mentio apud Veteres, ut apud Ursinum *de Familiis Romanis* videre est p. 99. Pluribus Familiis cognomen impertita fuit, nempe Largiæ, Decimiæ, Cesciæ, Sulpiciæ, Octaviæ, & Lu-

A cretiæ, quarum testimonia idem Ursinus affert; nusquam verò Quartillæ nomen obvium apparet.

Unius tantummodo Quartillæ mentio est apud eruditissimum rerum antiquarum Oedipum, Joannem Vignolium, in Libro *Veterum Inscriptionum selectarum* p. 258. cui Passienus tamquam maritus monumentum fecit his verbis:

L. PaSIENVS EROS FECIT SIBI ET
PaSIENO L. F. MAGNO FILIO SVO ET
PaSSIeNÆ L. F. QVARTILLÆ VXORI ET
PaSSIENO FELICI FILIO ET
B Passienæ L. F. GRATÆ VXORI.

Sed ex hac nominis tantùm indicatione, quid ad nostram Quartillam? Ad summum, in usu tale nomen fuisse erui potest, & insuper nihil prorsus aliud. Pro quorum omnium coronide, quæ de Præficarum genere sentiam breviter effabor. Servilis generis fuisse Præficas, ut quæ servile ac abjectum ministerium pro mercede pacta adimplerent, nec in tali contemto & vili munere obeundo Gentem ullam nobilioris notæ dies impendisse. Insuper Quartillam nostram Libertam alicujus Flavii fuisse, non verò è tali stipite genitam;
C quæ cùm esset Præfica, ideo memoriam sepulcralem meruerit, ob excellentiam in Arte, ab sexagesimum primum annum usque producta, in qua senuit, lacrymando, nænias canendo, comasque ac genas cum simulatione lacerando, ex cujus officii stipe, fortasse maximo pecuniæ acervo congregato, fieri potuit, ut hæredes lætabundi Urnam & memoriam ponerent cum effigie.

CAP. VI.

D Præficarum *officium, locus, & modus flendi. Feminæ lacrymis semper paratæ. Luctus fictus superabat sæpe verum. Pompa feralis describitur.* Præficæ *ut plurimum vetulæ, & cur? Verbum* Ilicet *post funera.*

STatim ac emori cuipiam datum erat, de funere curabatur; expletisque præliminaribus ad funus, lotione scilicet, unctione, aliisque similibus, de quibus hîc nihil, si nulli adessent propinquiores, qui Defunctum plangerent & laudarent,
E domesticis iisinet incumbebat Præficam ducere, quæ flendo cæteris flere cupientibus modum daret, ac laudes promeret; cujus rei specimen affert Thomas Porcacchius *de var. sepel. ritu* c. 6. Nam privari hoc, sive solatio, sive obsequio, apud multas Nationes, summi supplicii loco fuit habitum; *Marcel. l. minimè* 35. *ff. de Relig. & sumt. funer.* Pretio igitur concordato Præfica ad fores domi Defunctorum præstò erat, & ibi aliarum mulierum adstantium turbam nanciscens, (pius enim mos lugendi semper feminis peculiaris fuit, utpote quæ ad lacrymas promtissimæ, & ad eas
F natæ, ut inquit Euripides) priùs à Familiaribus Defuncti potiores animi dotes & fortia facta edocta, cantum suum lamentabilem exordiebatur humi prostrata, & insidens quibusdam pellibus, ut notat Gualterius ad Pancirollum *Annotazioni alla Raccolta del Pancirolli c.* 63. *l.* 1. Fletus prægrandis erat, genarum deformatione, pectoris & capitis percussione; ejulabat voce magna, clamabat amarè, pulvere & cinere caput conspergens, lamentationibus cæterarum feminarum modum præfigens, ut inde ordinatim funebris pompa gigneretur.

Ex

Ex epigraphe noſtræ *Fl. Quartillæ*, inchoans HEV, facilè eruitur, lamentationes hujuſmodi Præficæ à voce *Heu* inchoaſſe; eſt enim interjectio dolentis, cujus primordii ſpecimen apud Plautum in *Milite* habemus Act. 4. Sc. 2.

Heu! mihi nequeo quin fleam.

Et ita lamentationes inceptas Prophetæ legimus in libro 3. *Regum* cap. 13. *Heu, heu, mi frater!* de quo ad *cap.* 9. ſermo habendus eſt. Nec modici momenti demonſtratio hujus luctus habebatur. Sæpius verum luctum & ex animo productum ſuperabat: hinc Horatius aſſentatoribus maledicens ait, magis ploraſſe & plura feciſſe qui conducti erant ad funus, quàm ii, qui ex animo dolerent, *Art. Poët.*

Vt qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo: ſic, &c.

Igitur ante domum mortui laudes Defuncti canebant, & ancillis lamentantibus præficiebant, clamantes, ejulantes, & ſcindentes capillos, de quibus Lucilius;

—— —— mercede quæ
Conductæ flent alieno in funere Præficæ,
Multò & capillos ſcindunt, & clamant magis.

Hoc flendi ordine inſtituto, feminis aliis, ſeu ancillis repetentibus, ac laudes & fletus alternantibus, è domo ad rogum efferebatur cadaver, pompa illa comitante, quæ magis Defuncti gradui conveniret, cujus nihil hìc ad nos pertinet. Locus Præficæ, ac turbæ flentis in procedendo, prior erat, ne digniorum, qui ſequebantur, ordo perturbaretur; qualis in antiquis marmoribus videre eſt, & apud Kirchmannum in Breviario Operis *de Funeribus*.

Sed & inter lugentes aliquis ordo ſervabatur: præcedebat enim ipſa Præfica, tamquam Chorodidaſcala, miniſterium ſuum implens, ut ſuprà diximus, ac cæteris modum voce & geſtu præbens, quod ſervabatur uſque dum cadaver ad locum rogi perveniret. Ibi populus & mulieres tamdiu circumadſtabant, quamdiu cadaver per ignem conſumaretur, cinereſque de more colligerentur, tamdiuque fletus & mulierum, Præficæque ululatus perdurabat, quamdiu hæc omnia explerentur. De his Seneca fortaſſe ait *epiſt.* 63. *Quam tamen ex illis mulierculis dabis, vix retractis à rogo; vix à cadavere revulſis; cui lacrymæ duraverint?* Illico tandem, corpore jam in monumentum collocato, reliquiiſque conditis, & omnibus ſolemni more peractis, cunctis quieſcentibus, Præficæ erat ſupremum verbum *Ilicet*, alta voce, tamquam præcentrix fuiſſet, intonare, quod erat ac dicere: *Ire licet, miſſum facio*, & *populum dimitto*; quâ formulâ utebantur etiam Veteres, teſte Donato, ad dimittendos Judices de concilio, per Præconem pronunciato verbo noviſſimo *Ilicet*.

His perfectis, mirum, quin potiùs ridiculum, mulierculaṙum illarum tam dirutè ejulantium caterva, unà cum earum Anteſignana Præfica, protinus faciem innovantes, tamquam quæ ſua funera non flerent, ora componebant, & voces, ut illud affabrè Petrarchæ impleretur, *Son. Se'l dolce ſguardo*,

Femina è coſa mobil per natura.

Domumque Defuncti ingreſſæ lautè epulando, mercede conventa ſibi illata, ad priſtina Gynæcea remeabant ad colos penſaque, extemporaneis cantionibus mixta, tractanda. Si verò rurſus & illico ad novum funus flendum avocarentur, confeſtim nova facie indutæ, ſeriis & lætabundis carminibus repoſitis, novas lacrymas, triſtemque vultum præ ſe ferebant, tamquam excubias inientes, & prægnantes; Juvenal. *ſat.* 6. 272.

Uberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua, atque exſpectantibus illam,
Quo jubeat manare modo.

Vetulas Præficas ducere mos erat, tum quia per Caramuelem *Aplot. de Reſtr. ment.* c. 54. faciliùs in vetulis lacrymæ adoriuntur, tum quia parvo ſtat vetulis, jam à natura ipſa excarificatis & maceratis, vultum ad triſtitiam componere & deformare. Vltra quam quòd ſenior Artifex cæteris procul dubio excellentior: ideo Joab miſit Thecuam, & tulit inde Mulierem *ſapientem*, dixitque ad eam: *Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri*, quaſi *mulier jam plurimo tempore lugens mortuum*, 2. *Reg.* 14. 2.

Fl. Quartilla noſtra vixit annis LXI. & ſanè excellentem in arte fuiſſe credendum eſt, ut quæ meruerit Urnam & Memoriam ſepulcralem.

CAP. VII.

Præficarum *numerus*, & *an in unico funere plures eſſent.* *Collegium* Præficarum *negatur.* *Bonaventura Angelus notatus.* Thecuæ *excellentiores* Præficæ *erant.* *Ibi Ars flendi.*

EX hucuſque in apertum proditis, dubium oritur, an una tantum eſſet Præfica in funeribus celebrandis, an altera, vel plures, quandoquidem ad omnia explenda funera in magnis civitatibus, Romæ puta, nec una, nec altera ſufficeret unico & eodem die ad tot munia ſubeunda, quoties eadem hora ſæpius ſuſtulerit plurimos ejuſdem urbis cives.

Non deſunt, qui Collegium Præficarum Romæ olim fuiſſe credant, inter quos Bonaventura Angelus in ejus Opuſculo manuſcripto de *Die funebri*, ubi ait: *Conducta ex Collegio Præficarum muliere tamquam planctus principe, funus inſtitutum eſt.* Verùm Scriptorem hunc, nulli auctoritati innixum, gratis hoc pronunciaſſe ſuſpicandum: Romæ enim tale Collegium extitiſſe nemo ex Romanarum Rerum Scriptoribus nec minimum verbum facit.

Plures certè fuiſſe Præficas opus eſt, immo plurimas, & inter ſe quadam communione adinſtar Sodalitii, vel, ut noſtrates ajunt, Confratriæ, conjunctas, quod tamen ſolùm opinari poteſt. Cujus ſpecimen aliquod habemus in illis verbis libri 2. *Regum* 14. 2. in capite antecedenti enunciatis, *Joab miſit Thecuam, & tulit inde Mulierem ſapientem, dixitque ad eam: lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, ut ſis quaſi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum.* Prò cujus loci interpretatione, Sopranus in Libro *de Funeribus Hebræorum* apud Menochium intelligit, Mulierem illam ſapientem fuiſſe Præficam, tamquam inter lamentatrices principem & magiſtram, quarum copia Thecuæ fortaſſe erat; cui adſtipulatur & Pintianus, ſubdens rationem pro quà Sapientes vocarentur. Primò quia, licèt verus luctus arte non egeat, aſt ad fucatum & fictum arte opus eſt & diſciplina, & fortè nulla ſcientia tàm difficilis quàm ſimulare lacrymas cùm

cor

cor alienum est à tristitia: propterea *Amos.* 5. 16. *Vocabunt*, inquit, *ad planctum eos qui sciunt plangere.* Secundò dicebantur Sapientes, quia omnium fermè mores, ingenia, & heroïca facta sciebant, ut possent deinde meliùs illa in funere inter lamenta laudare. Hoc idem adnotavit Procopius *ad illud Judic.* 5. 29. *Una sapientior cæteris*, ubi Septuaginta, *Sapientes principes ejus : lamentatrices* (inquit Procopius) *sic Scriptura vocat.* Ita Pint. *digr.* 3. *sect.* 9.

Nec prætermittendum est, quotiescumque ab Auctoribus de hujusmodi feminis mentio habetur, ut plurimùm singulari numero vocari, cujus ratio in promtu habetur ex ipso sui officio præessendi, & modum dandi cæteris feminis ad planctum coacervatis; nec usquam legimus, lacrymas mulierum illarum respondisse nutibus plurium, sed unius tantùm Præficæ. Præterea quandocumque ab Auctoribus de Præficis sermo habetur, tamquam de pluribus, hoc genericè sumendum est, ac si diceretur de universo Præficarum cœtu. Opus enim est Conventus fuisse ad tyrunculas instruendas, ne Ars Præficaria collaberetur, cujus præcepta necessaria erant, tamquam quæ artem dirigerent, cùm, monente Aristotele lib. 3. *de Republ.* Artes subjecto certo alligentur, & alia perficiant, quæ natura non potest efficere, alia verò imitentur.

Ex hoc feminarum sic instructarum concilio acciebantur & invitabantur peritiores, ad hoc, vel illud funus explendum, ut nominis & artis celebritatem retinerent, unicâ tantùm pro singulo funere conductâ : &, oh felix, quæ oculos magis ad lacrymas, & gestus ad pandiculationes erudierat!

CAP. VIII.

Præficarum *vestes. Feminæ ad funus utebantur* pallâ *nigri coloris. In sacris caput velabatur, ita* Præficæ *in funeribus. Dissidium inter Plutarchum & Kirchmannum. Semifacies velabatur.* Cuculli *usus in mulieribus. In masculis etiam ad funus. Marmoribus non omnis fides adhibenda.* Lolliæ Paulinæ *icon.* Capilli passi *in funeribus, non tonsi, contra variorum Auctorum opinionem.*

MAximam quidem provinciam susciperem, si totam funebrium vestium historiam hìc aggredi auderem, quandoquidem Philologi & Historici nunquam ab opere manum reponere videantur, ac inter se discrepare quemadmodum studeant, tunc cùm de indumentis funebribus sermo incidat. Nos, ut non modò nodum hunc vitemus, sed etiam ut rem nostram expeditiùs absolvamus, institutum Præficarum aggrediamur, tantùm de earum vestibus in ministerio plangendi adhibitis disceptantes, ad illustrationem nostræ Quartillæ, quæ huic argumento maximam materiam præstat.

Hæc, ut suprà enarravimus, semivelatum caput, cucullo ab occipite pendente, comisque effusis, profert, qua de re hoc tamquam inconcussæ basis præmittendum censeo, cum Pompejo apud veterem Scholiastem Juvenalis, prætextâ pallâ usas fuisse feminas, quæ funus curabant, quam postea laceratam præ dolore sæpius legimus, & præcipuè in Juvenali *sat.* x.

—— —— ut primos edere planctus
Cassandra inciperet, scissaque Polyxena palla, &c.

A Palla mulieris vestimentum erat; hoc est, pallium, quod palam & foris est ad vestigia usque demissum. Tunicæ sive stolæ mulieres honestæ injiciebant pallium, quod palla dicebatur, ita apud Ferrarium *de Re vestiaria* P. 1. l. 3. c. 8. Ejus colorem in funeribus saltem lugubrem fuisse, hoc est, nigrum, nemo ambigit, ut qui color semper pro luctus indicio habitus, & è converso, albus pro signo lætitiæ, quod præter innumera ferè testimonia, indicat Astrampsychus Poëta Græcus apud Kirchmannum duobus hisce senariis onirocriticis, *de Fun.* l. 2. c. 17.

B *Omen bonum in somno est amictus candidus,*
Gestare amictum atrum haud bonum spectaculum.

Non enim adhuc mos Japoniæ apud Europæos invaluerat, nigrum pro lætitia, album pro mœrore colorem induendo, ut videre est apud eloquentissimum P. Danielem Bartolum Soc. Jes. in *Asia* lib. 3. Nec meliùs mulier illa Quintiliani, de qua in *Declamatione* decima, poterat mœrorem patefacere, quàm tristiora & lugubria vela sumendo. His omnibus monstrosum sanè videri poterat si Præficæ palla non concordasset: si enim C erat planctuum princeps, omnia, quæ mœrorem & tristitiam inducunt, assumere æquum erat.

In Quartilla nostra verò, quæ solum caput profert, pallam intueri nequimus, sed fimbriam tantùm, quâ caput, & semifacies velatur. De capitis velamento in rebus sacris peragendis amplissimam præbet supellectilem in *Monumentis Veteris Antii* c. 3. p. 36. & seqq. illustriss. & reverendiss. D. Philippus à Turre Episcopus Adriens. in quo doctrinæ non minùs quàm pietatis, ad muneris sui obeundas vices, maximum lumen intuemur, cujus commendatissimo nomine has meas pagellas ornatissimas reputo. Ibi & Sacrificulos, & D Sacerdotes, aliosque Ministros capite adoperto operatos fuisse antiquitus demonstratur : quare cùm inter actus religionis, ac inter sacrorum officiorum numerum cooptetur etiam exsequias persolvere, ac funus ducere, fieri potuit, ut Præfica, & mulieres, quæ funus curarent, velato capite incederent; & si non pallam, quæ Matronarum præcipua vestis erat, saltem velum aliud huic ministerio peculiare gesserint. Certè capitibus velatis filios parentum funera comitasse per Plutarchum docemur *Probl.* 14. Sed de feminis magnum dissidium inter eumdem Plutarchum & Kirchmannum; quorum alter multa affert argu- E menta, feminas velatas incessisse comprobantia, *l.* 2. *c.* 16. Præfica nostra sanè pro Kirchmanno stat, cùm faciem eo modo velatam ostendat omnino *Num.* II. quo uti solebant Chalcedoniæ mulieres, teste eodem Plutarcho *Probl.* 162. quæ si in alienos viros, & potissimùm Magistratus, inciderent, dimidium faciei tantùm tegebant: idem & Tertullianus, in Libro *de Virginibus velandis*, tradit de feminis Arabiæ, cujus verba sunt *cap.* 17. *Judicabunt vos Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimi-* F *diam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Quales denique prorsus pingit Cæsar Vecellius in Libro *de Vestibus variarum Gentium* ad §. de Puellis Ferrariensibus. Pro Plutarcho stat Pintianus, sed frivolis ac emendicatis rationibus.

At nostræ Quartillæ velum adinstar cuculli retro pendet, út *Num.* III. Quid hoc igitur? Cuculli mentio est apud Juvenalem tribus in locis; ex quibus tantùm sumemus secundum ex sexta satyra, ubi Messalinæ prostitutam verecundiam perstringens, eam noctis tempore cucullo tectam incessisse ait *sat.* 6. 117.

Au-

Ausa Palatino tegetem præferre cubili,
Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos.

Pro cujus significatione Octavius Ferrarius scribit *de Re Vest.* P. II. l. 1. c. 20. *Cucullum capitis, atque humerorum tegmen densum ac villosum, ad frigus atque imbrem arcendum.* Quòd autem tegmen esset, & præcipuè ad latendum, propterea noctu sumebatur in discursationibus, & ad dissimulandam personam. Cetera plura ad hoc argumentum illustrandum affert doctissimus D. Comes Camillus Silvestri Nob. Rhodigin. de Juvenale & Persio optimè meritus, ut qui non tantùm horum Poëtarum abditissima arcana, metro Italico, & quidem nitidissimo, aperuerit, sed etiam eruditissimis ac uberrimis adnotationibus illustraverit. Sed Ferrarii sententiæ non omnino adstipulans, veterem Juvenalis Scholiasten *ad sat.* 6. adeo, qui cucullum vestem muliebrem fuisse non dubitat, & sanè ad humeros usque prolatam, ut in nostra Flavia Quartilla videre est: cujus indicationi inhærens, cucullum fuisse etiam vestis lugubris speciem censeo, quâ in funeribus utebatur Præfica, quod nusquam clariùs quàm in nostro monumento compertum vidimus. Addo etiam, nostrates cucullo isto, seu capitio, in funeribus deducendis præcipuè uti, & eodem caput velare ad mœroris indicium: quare fieri potuit, Præficas quoque similiter & caput adoperire, semique faciem velare.

An verò fuerit cucullus hujusmodi cum cetera palla contextus, vel sejunctus, non nisi opinari potest, & quid sentiam vix habeo dicere. Ego ab illa sejunctum credo, quippe in acumine villosum, ac propè crispatum illum intuemur, quod ex crassiori panno evenire poterat, si fides figulo in hoc est adhibenda; certior factus à Carolo Stephano in *Præfatione ad Opus Lazari Baysii de Re Navali, tantam fidem adhibendam non esse Veterum monumentis, ut ad unguem efficta fuisse credamus: id enim non ignoramus, marmora quantumvis antiqua nonnihil interdum habere, quod Artificis libidini potiùs quàm veritati respondeat, unde plurimùm deceptos credimus eos, qui certitudinis aliquid in marmorum antiquorum statuis hactenus posuerunt.*

Alia hìc in promtu se offert opinio ex oculari quadam inspectione mihi proposita cujusdam nummi, seu potiùs iconis, apud Æneam Vicum in Libro *Imaginum Augustarum Icon.* 33. ubi *Lolliam Paulinam* M. Lollii filiam, & C. Cæsaris uxorem, affabrè pingit, quodam capitis ornatu adinstar cuculli pendentis, quâdam vittâ obvoluto, in quo plectæ, velut in cella, colliguntur & obstruuntur, cujus iconis speciem ad loci hujus illustrationem afferre minimè piget, ut in Tabula ad initium hujus *Dissertationis* Cap. I. apposita *Num.* VII.

An verò nummum, seu imaginem hanc ex antiquis monumentis expinxerit, vel somniaverit Parmensis ille cælator egregius, ambigendum est. Sanè nusquam apud Rei nummariæ Scriptores adhuc comperi, nec insuper in *Serie Augustorum, & Augustarum, Cæsarum, & Tyrannorum omnium,* quam eruditissimus Laurentius Patarol Venetus typis mandavit, hujusmodi imago apparet, ut de eadem Lollia Paulina, ac de cæteris Caligulæ uxoribus sermonem faciat *p.* 37. Nec incuriæ accuratissimo huic Auctori tribuendum est, quandoquidem de ceteris Cæsarum uxoribus quotquot per Nummos prodiere effigies affabrè demonstret. Ceterùm si huic ornamento cucullus Quartillæ nostræ tribui posset, operæ pretium censerem inferre, velum illud tali ornatui superimpositum, cucullum verè non esse, licèt adinstar cuculli efformetur. Sed hæc obiter.

Restat, ut de capillamento, seu plectis, (quæ in nostro Operculo palam sunt, & antependulæ

A *Num.* IIII.) aliquid etiam dicamus; quod & nostro argumento convenit. Feminas Græcas in luctu tonsas plurimis testimoniis probat Kirchmannus *l.* 2. *c.* 13: sed non videri id fuisse perpetuum asserit. Quidquid de Græcis fuerit, nos de Latino monumento quærimus, & Terentium verè Latinum scimus, passam comam in mulieribus funebribus agnoscere, *Heaut.* Act. 2. Sc. 3. ℣. 50.

Texentem telam studiosè ipsam offendimus,
Mediocriter vestitam veste lugubri,
Ejus anuis causâ, opinor, quæ erat mortua, &c.
Capillus passus, prolixus, circum caput
B *Rejectus negligenter,* &c.

Clariùs in *Phormione* virginem pulcherrimam de matris morte lugentem demonstrat capillis passis, Act. 1. Sc. 1.

Capillus passus, nudus pes, &c.

Super quibus veteres ac recentissimi Interpretes, capillos passos, hoc est, temerè dispersos, solutos, diffusosque per collum, ac rejectos negligenter, interpretantur; & quidem de more feminarum: (nam apud viros utique capillorum tonsio in usu erat, nec in quæstionem hìc redigendum
C est) etenim ut in *Cap.* VI. de Præficarum officio demonstravimus, munus Præficæ, ceterarumque mulierum plorantium, erat non tantùm lugere, sed & comas solvere ac crines lacerare. Quomodo igitur (satis acutè hìc Kirchmannus) crines solvere, comasque lacerare potuissent, nisi comam illas aluisse & capillos circum caput fluitare sivisse affirmemus? Quod & uberiùs comprobatur per Hubertinum Crescentium ad illud Ovidii in *Epistola Ariadnæ Theseo:*

*Adspice demissos lugentis more * capillos,*
Et tunicas lacrymis sicut ab imbre graves.

D Demissos crines considerat, per humeros sparsos, more ejus, quæ morte alicujus mœret. Sed & apud omnes propinquas in usu fuisse comarum tonsionem inquit Henricus Kippingius in Libro *Antiq. Roman.* lib. 4. *c.* 6. his verbis: *Illud verò in usu esse perseveravit, ut sorores fratribus, matres filiis, uxores maritis defunctis pro funeris honore crines attonsos in rogum conjicerent. Propert.*

Illa meo caros donasset funere crines
Molliter, & tenera poneret ossa manu.

E

Cap. IX.

De Næniis. *Ars* Præficarum *non erat tota in lacrymis. Canebant laudes Defuncti ad* tibiam. *Simonides primus* Næniarum *Institutor. Erant triplices; non canebantur* Næniæ *à* Præficis *ubi aderant Propinqui, quorum hoc erat munus. Erat carmen extemporaneum plenum nugis. Mosellanus notatus. Interjectio* Heu *Næniarum propria.*

F ILlud inquirendum nunc est, num in tot Præficæ ejulatibus aliquid harmoniæ haberetur, quod revera non abfuit. Enimvero Præficæ Ars non tota erat in lacrymis, quæ quamvis interdum vim & pondus vocis habeant, &, ut ait Caramuel *Aplot.* p. 277. suo modo & suâ Linguâ loquantur, attamen nullam Defuncti laudem complectebantur. Igitur verba etiam pronunciabantur, quinimmo carmina, & hæc ad Næniam pertinent.

* Alii leg. *in ore.*

Nænia (ut omittam quæ de ejus origine Etymologici & Grammatici inter se certant) erat lugubre carmen, quod in funere, laudandi gratiâ, ad tibiam cani solebat, & ex hac ortum habuit quædam funerum Dea, de qua meminit ex Varrone D. Augustinus, cujus sacellum extra Urbem fuisse, non longè à Viminali Porta, tradunt Auctores. Has institutas fuisse primùm à Simonide Lyrico Poëta credunt, unde Næniam Cæam dixit Horatius ab Insula, in qua natus Simonides.

Hanc triplicem numerat Gutherius *de Jure Manium*: Prima quando ducebatur cadaver, altera quando urebatur, & tertia demum quando deponebatur. Per Bonifacium verò in lib. *de componendis Epitaphiis* l. 1. c. 3. Nænia erat ultimum carmen. Distinctionem hanc Scaliger iterum subdividit inquiens *Poëticæ* l. 1. quæ ad rogum Næniæ, quæ ad tumulum Epitaphia, quæ in exsequiis, cùm justa persolverentur, Epicedia. Hîc de prima, quæ ad rogum canebatur, sermo incidit, quæ à Præfica canebatur.

Advertendum tamen, non semper Præficas Næniam canere consuevisse, sed ut plurimùm in iis funeribus, in quibus desiderabantur Propinqui. Ita Fungerus *Lex. Phil.* ad vocem *Nænia*: Propinquæ mulieres, quæ & Funeræ, ut alibi diximus, cùm vero dolore lugerent, veriora etiam in Næniis ad Defuncti laudem canebant: Præficæ verò cuidam sibi statuto carmini, quo in omnibus funeribus utebantur, nova ad rem præsentem consarcinabant, & ex hoc evenit, ut à Nonio Nænias ineptum & inconditum carmen fuisse dicatur, ac frigidum, & nullius pretii, cap. 2. Nugis igitur & ineptiis plenissimæ erant Næniæ, quæ à Præficis in laudem mortuorum canebantur, unde & Plautus *Asinar.* Act. 4. Sc. 1.

Hæc non sunt Nugæ? non enim mortualia:

hoc est; ut explicant Saracenus & Valla Plauti Interpretes, quasi nugatoria, vana, & inania; qualia sunt quæ de mortuis referuntur. Clariùs has Nugas proprias Præficarum fuisse explicat A. Gellius *l.* 18. *c.* 7. Philosophos perstringens ut loquaces, & inanium verborum funditores, Præficisque similes, quæ in mortuos Næniam argutam & nugacem canebant. Verba Gellii sunt: *Vos Philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria: namque colligitis lexidia, res tetras, & inanes, & frivolas, tamquam mulierum voces Præficarum.* Quam vocem *Præficarum* malè invertit in *Maleficarum* Petrus Mosellanus in *Adnotationibus ad Gellium*: Præficæ enim Maleficis tantùm distant, quantùm æra lupinis.

Argutiis plenas fuisse Nænias Præficarum ex verbis Plauti liquet in *Frivol.* *Superaboque omnes argutando Præficas*: & ex hoc magis comprobatur opinio, frivolas esse & incomtas Nænias; argutias enim frigidam orationem reddere compertum est apud Rhetores, quarum abominationem satis eliminat clarissimus Muratorius in Libris Italicis *Perfectæ Poëseos*; ultraquam quòd flentibus vix aptæ sunt, ut monet Quintilianus *Inst.* 10. *c.* 1. inquiens, *sententiolis ne flendum.* Hinc Næniæ quæcumque apud seu Græcos, seu Latinos Poëtas, cùm optimæ artis specimen præ se ferant, Præficarum Næniæ dici nequeunt, sed vel Poëtarum illorum laudabilis querimonia, seu carmen ad usum feminarum funerarum prolatum, in laudem alicujus Defuncti. Quid enim Poëticæ artis & decoris inesse poterat feminis illis venalibus ac mercenariis, quæ, quantum nummorum ipsis spondebatur, tantum habebant & artis, & simulati doloris, ita ut ex tempore quidquid in buccam venerat eructarent, prout natura, & amor lucri dabat eloqui illis?

A Nænias Præficarum flebili illa interjectione HEV fatas, facilè credendum est, cúmque aliud memoria non suppeditaret, ad intercalare illud *Heu*, *Heu* remigrarent, quod in promtu est apud maximum Poëtam Franciscum Petrarcham (si licèt parvis componere magna) in illo Italico Epigrammate:

Ohime il bel viso, ohime il soave sguardo!
Ohime il leggiadro portamento altero!
Ohime il parlar, ch' ogn' aspro ingegno, e fero
Faceva humile, & ogn' huom vil gagliardo!
Et ohime 'l dolce riso, &c.

B Et hîc animi concitatio vehementer apparet, (ut notat Alexander Tassonus, magnus ille censor) cujus affectus declinando ab arte magis elucent; sed inquit, *è più d' apparenza, che d' essenza con tanti, ohime.*

Quare ad eamdem flebilem interjectionem arguendam, tamquam Præficarum instrumentum, inscriptio nostri operculi pro exordio habet HEV, cujusmodi Epitaphium legitur Liviæ Orestillæ, C. Cæsaris uxoris, descriptum, quin potiùs effictum, ab Ænea Vico in Libro *Augustarum Imaginum*, cujus verba sunt *Icon.* 32.

HEV QVID PROSVNT
C IMPERIA.
LIVIA ORESTILLA
FVI
C. CAESARIS
AVG. CONIVX
INFOELICISSIMA.

Hæc conclamatio fiebat nominibus consanguinitatis, juxta ætatem plorantis & plorati, de quibus Pintianus varia affert exempla; ut *Heù Absalom, frater mi*, vel *fili mi*! Sic Prophetes ille, qui Prophetam alium à leone occisum sepelivit, *Planxit cum heu! heu! mi frater*, 3. *Reg.* 13. Si verò D plangentes erant inferioris conditionis, conclamabant, *Heu domine*! vel *Heu inclyte!* vel similia, Pintian. *Isagog.* P. 1. digr. 3. sect. 7.

Interjectio *Heu* per aliam etiam interjectionem significatur, nempe *Væ*, quod idem est ac *Heu*. Ideo Jeremias *cap.* 22. ℣. 18. quia Joachim nec à cognatis, nec à subditis plangendus erat, dixit, *Non plangent eum: Væ frater! . . . non increpabunt ei, væ domine! væ inclyte!* Sedeciæ verò, cui nullus cognatus, quia omnes erant à Chaldæis interemti, subditi autem concaptivi erant plurimi, non concrepandum ait, *væ pater*! aut *væ frater! sed væ domine, plangent te*, ibid. 34. 5.

E Itaque *Heu*, seu *Væ* familiare fuit lamentationibus Veterum, & à Funeris, seu consanguineis ad Præficas etiam permeavit: nullo enim aptiori modo, seu voce, flebilis ejulatus exordiri potest & iterari; quare eadem etiam conclamarunt illi, qui nostræ Quartillæ funus instituerunt.

Nænia igitur carmen lugubre à Præficis in funeribus conclamatum, vocibus & modulis aptis ad excitandum dolorem, lacrymas, & Defuncti famam dicimus: alii Threnos, alii Lessum nuncupavere, pro quibus magnus Grammaticorum rumor; ego verò nihil. Aliam definitionem idem F Pintianus affert sic: *Lamentatio (hoc est, Nænia) erat lugubris querela; seu oratio flebilis ad numeros & modulos temperata, quâ expositi hominis cadaver deplorabatur.* Subdendum tantùm hîc tamquam pro corollario dignum censeo cum Tarquinio Gallutio in Virgilianis vindicationibus *de eleg.* c. 3. p. 387. Nænias, paulò superiori memoria, per Jovianum Pontanum traductas fuisse ad nutricias cantilenas; ad quod eo permotus fuit consilio, quòd in Italia Nutrices, populari Lingua, cantiunculas illas, quibus somnum pueris conciliant, *Nænas* appellent.

CAP.

Cap. X.

De mercede Præficarum. *Sumtus immoderati in funeribus vetiti.* Obolis *conducebantur* Threnodæ. *Obolus quid?*

Mentes hominum insaniunt;
Cùm sumtus inutiles pro mortuis expendunt.

Ex hac Euripidis, in *Polyde* apud Stobæum, sententia colligimus, sumtus inutiles in funeribus abdicandos esse, quorum, meâ sententiâ, nec inutilior, nec inanior fuerat olim, emtione lacrymarum simulatarum, à quibus nihil solatii sequebatur. Quambobrem rectè ac sapienter mihi fecisse videntur, qui in sepulcrorum sumtibus & eorum luxu, ne immodica erogaretur pecunia, modum per leges posuerunt. Pittacus quidem unus, monente Gyraldo meo *de var. sep. rit.* apud suos lege cavit, ne in construendo tumulo, quàm tres columellas, plus expenderent: ibi enim fortunarum dispendium fieri non debet, quò incommutabili naturæ lege omnes pervenire compellimur. Verùm cùm hic conducendi hujusmodi Præficas mos eliminari non posset, dignus erat operarius mercede sua; bonus enim est odor lucri ex re qualibet. Quâ verò mercede pacta, & concordata, nulla mentio est apud Scriptores.

Porphyrio tantùm in *Commentariis ad Horatium* notat, Alexandriæ obolis conduci qui mortuos flerent, ab illis Threnodæ nuncupati; & sanè, si non obolo, qui sextam partem drachmæ erat, & nummus minutus & contemtus, parvi habebatur illa lacrymarum emtio: immo addo minoris non potuisse æstimari, nam; ut notat Donatus, obolo esse emtos, ultima est numerorum significatio; *in Andr. Terent. Act. 2. Sc. 2.*

Vespillonum igitur naturam sequi Præficas adjudicandum est, ac consimili mercede ductas fuisse, hoc est, exigua & parvi momenti, utpote qui vile ministerium implebant, tamquam ministri infimi Sacerdotum Populi Romani, ut in Cap. v.

Equidem Antiquos in mercede operariorum parcos fuisse docet Bajulus ille Congrio Plauti in *Aulularia* Act. 3. Sc. 2. qui nummo tantùm conductus, non satis habere fassus fuit, ut Medicum solveret, à quo mederetur caput sibi fuste infractum,

Nummo sum conductus, plus jam Medico mercede opus est,

hoc est, plus ego Medico, qui me curet, quàm merces mea est, exsolvero.

In mercede etiam Præficæ, & cæterarum feminarum lugentium, computatam fuisse, non ab re est, cœnam illam feralem, quæ post cadaverum humationem in domibus Defunctorum lautè & sumtuosè parari solebat.

Cap. XI.

Ampullæ *lacrymales; earum nomina, forma, & usus. Semper vitreæ, ac sine manubriis. Leibnitzius confutatus. In sepulcris includebantur.* Lacrymæ *commodabantur, & elutriabantur.*

Quoniam de lacrymis hucusque sermonem fecimus, tanquam in additamentum ad præfata, aliquid hìc de lacrymalibus Vasculis adnectere sta-

A tuimus, quantùm ad Vrnulæ, in nostri Monumenti ventre repertæ, illustrationem, & ad Præficarum memoriam attineat: non enim totam hujusmodi Vasculorum materiam sum amplexurus, quandoquidem, & multa indagatione indigeat, & peculiari Dissertationi, Deo dante, reposuerim.

Hujusmodi igitur urnulæ, quæ passim in antiquis monumentis reperiuntur, tamquam lacrymarum receptacula, olim lugentium affectuum pluviam congerebant; nec enim adeò exigua erat imbrium illorum copia, quæ ad amplam aquarum congeriem non sufficeret. Corippi locum de funere *lib.* 3. Justiniani affert Kirchmannus 2. 11. qui etsi

B poëtica amplificatione redundet, nihilominus verisimilitudini innixus, satis ad rem nostram facit:

Funduntur lacrymæ ritu nivis, imbre madebant
Cunctorum vestes, proprioque in fonte natabant
Manantes oculi, vultusque sinusque rigabant.

Ut verò, condito etiam sepulcro, doloris testimonium unà cum cineribus remaneret, hanc lacrymarum pluviam in quasdam ampullas servabant, ac cineri apponebant. Hoc ex lapidum fide accipitur: quid enim (infit Jacobus Leibnitzius in

C *Adnotationibus ad Bibliothecam Norimbergens.* pag. 31.) illud? Posuit cum lacrymis? cum lacrymis & opobalsamo condere? Quid illud? Tumulum lacrymis plenum dare? Hinc Romæ hoc legitur marmori

VLPIAI SCITAI PILVMENAI
CONIVGI. B. M. P.
AELIVS MACER. ANTESI
GNANOR. TRIB.
LACRYMAS POSVIT.

Urnulas istas idem Auctor dolori sacras appellat, aut lacrymis potiùs, adeò doctè inter cereos pul-

D losque ornatus manantibus, ut ipsum dolorem in spectaculum prodire crederes. A nonnullis vocantur *Plandisteria*, ita Albinus in *Chronico* p. 179. quorum significationem ignorat Leibnitzius superenuntiatus, inquiens, se latere cujus Familiæ, aut matris sit, ac si novum nomen esset Plangisterium, non Plandisterium: à *Planidera* facilè oritur, quæ vox apud Hispanos idem significat ac Præfica, de qua Pintianus. Ulteriùs Urnæ lacrymales, Vasa lacrymarum, Ampullæ & Urnulæ nuncupabantur: ego Ampullas lacrymales semper, quæ omnino vitreæ & diaphanæ erant, non

E testaceæ, ut lacrymarum copia inde transluceret, ac quisque mensuram doloris sui, juxta lacrymarum abundantiam, explorare posset; & hinc Leibnitzium cum cæteris, quos ad suam sententiam avocat, reprobo, qui etiam testaceas asserit. Quomodo, quæso, dignosci poterat in vase testaceo orificii perangusti, in quo guttatim stillabant lacrymæ, quantum adhuc vacui superesset ad illud implendum, ne tam exquisitus & pretio emtus humor extrà effunderetur? Procul dubio apud rerum antiquarum collectores, vitreas semper legi: vide Musea, Wormianum, Calceolarium, Septalianum, Cospianum, Mascardum, Kircherianum,

F ac alia hujusmodi argumenti, & sententiam meam comprobabis.

Forma iis oblongior, collum ventre obstrictius, quo facilè manu perstringatur, ore patulo & incurvo ad lacrymas stillatim colligendas, quales tandem plus minusve in Tabula ad Cap. I. *Num.* VIII. à nobis exhibentur. Omnimodè tandem neutrobique ansatæ: arripiebantur enim strictè manu altera, & sub oculis veluti per stillicidium, lacrymis cunctanter stillantibus, implebantur. Ignoscat Leibnitzius, si hìc Urnam à se pictam, quam ipse lacrymatoriam sustinet, rejicien-

ciendam censeam, utpote testaceam, manubrio fulcitam, collo breviusculo, orificio perquam patulo, & prorsus ollis coquinariis consimilem; etsi Ægyptiaci vasculi lacrymalis nomine illam condecoret, satagendo cum quodam Scacchio, cujus fidem tamquam dubiam affert, ut suadeat, Antiquos ad lacrymas servandas, unguentario etiam vase usos fuisse, ac si lacrymis publicæ aperirentur nundinæ, ad eas quanti plurimi petentibus vendendas; nec statim ac obortæ essent, vel supra cineres effunderentur, vel Monumentis ac Urnis sepulcralibus conderentur.

Ergo lacrymæ de vase in vas elutriabantur, donec sufficerent ad integrum explendum Funus, immo commodabantur etiam, ut ex Petronio habemus, qui de Matrona Ephesina, quæ positum in hypogeo virum afflicta custodiebat, inquit, *Assidebat ægrè fidelissima ancilla, simulque & lacrumas commodabat lugenti, &, quoties defecerat in monumento, lumen renovabat.* Ita substituit Rittershusius in *Notis ad Phædrum* pro vulgata *commendabat*: cui tamen significationi allegoricæ non annuo: inquit enim ipse, seu Kirchmannus *de Funer.* l. 4. c. 4. *commodabat*, id est, in gratiam heræ unà flebat, ut ita ipsius allevaretur dolor. Nimis ingeniosa est interpretatio & figurata: lubet mihi explicare, *commodabat*, seu mutuas dabat lacrymas ex vase in vas elutriando, tamquam Serva, seu Ancilla ministrans, ut apparet ex officio renovandi luminis quoties defecerat in Monumento.

Quoad Præficas in ista lacrymarum elutriatione nihil: manibus procedebant vacuis, & lacrymas liberè per genas, perque sinus vagantes sinebant. Manus Necessariorum & Propinquorum tantùm distinguebantur vasculo hoc lacrymali, tradente eodem Leibnitzio *p.* 31. ideoque cùm ad nostrum Institutum parùm, vel nihil attineat, hoc tamquam eruditionis gratiâ prolatum sit, ut manutissa, ad lacrymas Præficarum.

CAP. XII.

An Officium** Præficarum **per viros etiam suppleretur. Menochius & Kirchmannus notati. Horatii locus variè explicatus. Pintianus declaratur.

TOta hujus Capitis quæstio ex Horatio Flacco desumitur, ubi Adulatorum vitia obtrectans, ait,

Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo, &c.

Ex quibus carminibus Menochius suam sententiam infert *Stuore* P. 2. c. 60. viros quoque Præficarum officium implevisse apud Antiquos, & apud Græcos hujusmodi viros Threnodas appellari; nunc verò apud Hetruscos, Lamentatores dici, vulgò *Piagnoni*. Textum Horatii sanè legitimum censeo, quotquot enim huc usque perlegere concessum est, ita se habent. Unus tantùm Kirchmannus *de Funer.* l. 2. c. 6. ab omnibus dissentit, qui masculinum genus in femininum convertens, legit,

Ut quæ conductæ plorant in funere, &c.

Et hoc Præficis tribuit, tamquam quibus solis incumberet fletus. Verùm, ut quod sentiam in hoc discrimine liberè proferam, neutrius sententiam probo. Genericè tunc Horatius loquutus est,

A tamquam si dixisset, *Ut quicunque fuerint illi, qui plorant*, &c. & ita de feminis etiam intelligi potest: ambiguitas enim textus Horatii non cadit supra vel mares, vel feminas, sed super feminarum illarum lugentium diversitatem.

Cæterùm nusquam mares conductos fuisse comperi ad lugendum, quidquid sit de cantu & de sono tibiarum, & pneumatico ad numerum concentu, qui per mares perficiebatur. Restat semper, Luctum, Næniam, Comarum lacerationem, & cæteras hujusmodi doloris ostentationes per feminas, quæ, ut Ovid. *Rem.* 3.

Ut flerent oculos erudiere suos,

B expletas fuisse: illæ enim sunt, ut alibi diximus, quæ lacrymas habent in excubiis, cuique nutui promtas, &, ut idem Ovid. *Art. Am.* 3.

Quoque volunt plorant tempore, quoque modo.

Infelix Joannes Maria Vicecomes Mediolani Dux secundus, barbarè à conjuratis trucidatus, mulierculam tantùm habuit, (& hanc scortum) quæ rosis cadaver sanguine fedum & luridum operiret,

C *Hist. Mediolan.* Soncini *p.* 3.

Neque per nomen Præficæ nusquam viri nomen adsignificatum est. Perlegantur quotquot Horatii locum suprà notatum, seu Notis, seu Commentariis illustrarunt, omnes & singuli Præficarum usui carmina illa adscribunt, unico demto Porphyrione, qui eruditionis gratiâ de Threnodis loquitur, quorum munus, ut in Cap. 111. adnotavimus, non erat lugere, sed tantùm threnos, seu lamentationes canere. Quòd verò ad Lamentatores, seu *Piagnoni*, non est moris veteris, sed Christianorum seculorum, ut infrà videbitur, & ideo ad antiquas Præficas nihil, vel parùm atti-

D nent.

Huic opinioni adversatur Antonius à Matre Dei Pintianus *Prælud. Isagog. ad Sacr. Bibl.* Pr. 1. digr. 3. sect. 8. qui ad munus lamentandi, viros & feminas promiscuè destinari morem fuisse ait, non minùs quàm ad alia officia Reipublicæ aut utilia, aut necessaria. Hinc D. Hieronymus *ad cap.* 5. *Amos. num.* 36. ait morem illius Provinciæ fuisse Lamentatores & Lamentatrices habere, quas pretio conducerent ad lugendum, & ex 2. *Paral.* utriusque sexus expresse fit mentio: *cujus* (inquit) *omnes cantores & cantatrices*, &c.

E ex quo id probat Sanch. *ad cap.* 5. *Amos. cit.*

Verùm videtur & ipse Pintianus paulò pòst resipiscere dum subdit, feminas in funeribus præcipuas lacrymarum nundinatrices fuisse. Illud enim Proph. Amosi pro Cantoribus & Threnodis stat, non pro Præficis; & illud D. Hieronymi ad unius tantùm Provinciæ morem reducitur, nec de Præficis ullo modo loquitur, immo neque verbum facit de viris pretio conductis; ideoque miror, eumdem tantæ doctrinæ Auctorem, vel nova Divo Hieronymo suppeditasse verba, vel tanti Doctoris sensum pervertisse.

F

CAP. XIII.

An usus conducendi** Præficas **nostris temporibus vigeat, & an in Ecclesia Dei tolerandus. Multæ SS. Patrum & Conciliorum interdictiones afferuntur.

PSaltrias jam suo loco in recentioribus seculis ad convertendum Antiquorum fletum in nostram lætitiam introductas fuisse exposuimus: verùm nec hic

hic in universa Ecclesia Dei mos est; quandoquidem & luctus, & clamor, & ejulatus in elatione cadaverum nostra etiam tempestate, ac in Italia nostra, auribus nostris audivimus. In Etruria Lamentatores, seu *Piagnoni* vocantur, in Sicilia *Reputatores*, & *Reputatrices*. Bellonius *de mendicato funere* ait, Venetos è Græcia abusum flendi evellere omnibus viribus conatos fuisse, sed exspectationi non respondit eventus: hujusmodi moris apud Cyrnenses testis de visu est Menochius sæpe enuntiatus, id quod etiam tempore Lilii Gregorii Gyraldi, *de var. sep. ritu*, in Sabinis, & toto ferè Latio, & supra Latium perseverabat.

Ego quoque, superioribus annis, cùm Cymacli fortè essem, turbam mulierum, vetulam quamdam defunctam prosequentium, vidi gemitibus obstrepentium, quarum vestigia sequendo, ad summum templum perventum est. (Templum sanè Auctoris sui majestatem præ se ferens, tamquam à fundamentis exstructum jussu Eminentissimi & Reverendissimi D. Josephi Renati Imperialis S. R. E. Card. undequaque amplissimi, nec unquam satis laude celebrandi, tunc cùm Ferrariensi Legatione tanta sui nominis celebritate fungeretur) Ibi deposito cadavere, silentioque lamentationibus imposito, sacra de more à Clericis persoluta sunt, quibus expletis, ecce pristinus ejulatus exorditur, vocibus etiam altioribus & reboantibus. Non deerant quæ laudes & præconia defunctæ vetulæ celebrarent, quæ genas & manus illius deoscularentur, quæ demum Scheleto illi blandirentur. Hæc ita quousque in sandapila cadaver exstitit, ac ex illa extraheretur; at postquam tumbæ traditum fuit, lapisque superimpositus, repentè compositis & cohibitis lacrymis, alto silentio, ac si nunquam flere didicissent, quin immo læto & hilari vultu, gregatim è templo egressæ sunt. Hæc miratus, ad Amicum reversus, (erat hic clarissimus Dionysius Andreas Sancassanus, illius civitatis Archiater, mecum ad perantiquæ urbis illius rariora Monumenta invisenda stipatus) Quid ita, Amice? Funus deducitur, respondit, & more antiquo (ex hoc facilè dignosces civitatis hujus seniem) ploratrices feminæ conducuntur, quibus tantùm deest Præfica planctuum princeps, & lacrymarum magistra: cæteroquin nihil ab antiquis distant, & jam lætabundæ domum Defunctæ revertuntur ad mortuariam placentam pro mercede vorandam.

Per alias civitates etiam, perque pagos vagatur mos iste, in Apulia, in Regno Neapolitano, in Umbria, ac Insubria, de quibus non ab re judico hic per extensum carmina Italica Andreæ Bergomensis, seu, ut veriùs loquar, Petri Nelli Senensis proferre, lepida quidem, sed satyrico sale conspersa, ut in ejus tertia satyra lib. 1. p. 31. inscripta *Risa della Morte*:

Ma si ride, che 'l pianto oggi si vende
A contanti, e con l' aco, e con la roccha
La feminuccia a pianger morti apprende.
Calabria, e Puglia hà questa usanza sciocca
Di tor le Donne a vettura, a contanti,
Che piangano del mal, che non le tocca.
E nello Riegno solo, ove son tanti
Altri costumi senza sal, ma ancora
Voi Lombardi tallor comprate i pianti.
Sendo io costì in passaggio, e sendo allora
Morto un de' vostri grandi, mi voleste
Mostrar fra voi, come un morto s' honora.
Vidi trentatrè Donne in bruna veste
Pur tolta a nolo, che a mirarle in viso
Havrian potuto spaventar la Peste.
Intorno al corpo faceano improuviso
L' armonia de Bastardi in Processione,
Ond' io fra 'l pianto non contenni il riso.
Voi spianaste l' usanza, e la cagione,
Che l' indusse, e diceste: questi honori
Si fanno a gente di gran condizione.
E che il Morto già fù de Senatori,
Huomo ricco, huomo saggio, huomo compito;
Con altre circostanze dentro, e fuori.
Hor mentre il figlio al Scrinnio era impedito
Quelle Gazze pagate feano un verso
D' aguzzare a Caronte l' appetito.
Credete, che per lungo, e per traverso
Morte mostrasse i denti a bocca aperta
Udendo 'l compro pianto è tutto perso?
E rider di nascoso, e stare in berta
Chi sa spender si ben quel male acquisto,
Di cui l' Alma del Padre era riferta.
E che più? in testamento era provisto,
Che tal sia 'l pianto, che d' intorno s' oda,
Come se 'l pianto lo mandasse a Christo.

Ex quo etiam eruitur, quandoquidem lacrymas, & Præficæ planctum, supremis tabulis cautum fuisse, quemadmodum Epicurus, cujus ambitionem bellè Tullius exagitat l. 11. *de Finib.*

An verò apud Christi fideles tolerandus sit mos iste, totam Ethnicam barbariem redolens, quis est qui audeat affirmare? Ipsemet Plato à Christiana pietate tam disjunctus in suis de Republica Legibus hoc vetuit *de Leg.* l. 12. *Lacrymis mortuos decorare, aut non, turpe Legumlatori cogere est: plangere verò, & extra domum vociferari probibendum est. Cadaver etiam manifestè per vias urbis frequentiores efferre, & palam ejulare, aut ante diem extra urbem se affictare non liceat.* Pluries etiam per Christianos Patres vetitum est, sed non sublatum, parentare hoc modo mortuis. D. Basilius Seleuciensis hanc muliebrem insaniam perstringit apertis verbis, nec à ratione dissonum videtur. Perlegantur, quæso, quotquot doctissimus Antonius Augustinus Archiep. Tarraconens. collegit in ejus Epitome veteris Juris Pontificii, ad caput inscriptum *de lugendis mortuis moderatè*, Tom. 2. *de Reb.* l. 26. tit. 2. p. 319. quæ ut in promtu omnibus sint, cùm optimè ad rem nostram faciant, hic prorsus transcribere non renuo: „Quòd de fratris vestri transitu vos contristari „audivimus, non modico compulsi sumus mœro„re. Unde omnipotentem Deum rogamus, ut „suæ vos gratiæ adspiratione consoletur, vos„que & à malignis spiritibus, & à perversis ho„minibus, cælesti protectione custodiat. (C. 1. „Pontia. Epist. in med.) Habent forsitan illi ju„stam longi doloris excusationem, qui vitam al„teram nesciunt, qui de hoc seculo ad melius „esse transitum non confidunt. Nos autem qui „novimus, qui credimus, & docemus, contri„stari nimiùm de obeuntibus non debemus, ne „quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc no„bis magis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodam„modo genus est, contra quod quisque Prædica„tor queritur justitiam amans, dicente Apostolo: „*Nolumus autem vos ignorare de dormientibus*, „*ut non contristemini sicut & cæteri qui spem non* „*habent*. Hac itaque ratione perspecta, studen„dum nobis est, ne de mortuis affligamur. (C. 2. „13. q. 2. c. 27. Anastas. epist. 2. Greg. l. 7. in „d. 2. ep. 3. Aregio Episcop. de Gallis, Burchard. „l. 19. c. 129. Ivo par. 15. c. 139. decret. Anselm. „lib. 7. c. 171.)

„Quia ea infirmitatis natura est, ut non possi„mus de obeuntibus non dolere, fraternitatis ve„stræ doctrina tribulatis sit solamen: mansura il„lis bona, quæ promittuntur, insinuet, ut spe „certissima roborati, in comparatione futuri mu„neris discant de amissione temporalium non do-

„ lere. (C. 3. Greg. dominico Carthagin. Episc.
„ l. 8. regist. Epist. 41.)

„ Prohibet nos Apostolus lugere defunctos dicens: „ *De dormientibus autem nolo vos contristari sicut &* „ *cæteri qui spem non habent.* Et Dominus noster „ flevit Lazarum mortuum, sed ad vitæ hujus plo- „ ravit ærumnas resuscitandum. Si enim potest hoc „ Episcopus omnes Christianos prohibere, agere non „ moretur. A Religiosis tamen omnino aliter fieri „ non debere censemus. (C. 4. 13. q. 2. c. 28. Qui „ divina, 1. Thes. 4. Jo. 11. Tolet. 3. c. 22.) *Alia* „ *apud Pinian.* Prael. Isag. *P.* 1. *digr.* 3. *sect.* 9.

Sed & nostris temporibus per plures Episcopos id etiam vetitum lego. Pro omnibus mihi se offerunt Synodales Constitutiones pro nostra Ferrariensi Diœcesi promulgatæ à Sac. Mem. Laurentio Card. Magalotto Episc. Ferrariensi Anno 1637. efficacissimis verbis, dignissimis ut hic etiam legantur: *C. de funerib. p.* 88. *Et primùm decernimus,* (verba sunt Sanctionis) *ut Parochi nostri curent amicos & junctos Defuncti à deformibus lamentis & indecoris ploratibus avertere: quamvis enim dolorem in iis significatum minimè reprehendamus, cùm sacra edoceat Scriptura* Eccl. 22. *a* 12. Super mortuum plora, deficit enim lux ejus: *& rursus* 38. *b.* 16. Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare: *tamen absurdos fletus & femineos ejulatus Christiano indignos judicamus, & ad Ethnicorum, qui spem non habent, mores potiùs pertinere, quorum indecens usus lugendi mortuos ita invaluerat, ut ne dum per urbes vagantes pergerent, sed etiam Histriones & Præficas ejulantes conducerent, quæ simulatis lacrymis mortuos deplorarent. Talis ergo mos non est à fidelibus expetendus, qui se hospites super terram esse profitentur; apud quos mors non est vivendi finis, sed sempiternæ vitæ principium, non nascentis pœna, sed renascentis gloria. Sub eadem ratione ineptas aut mendaces laudationes damnamus.*

Quod & sapienter redintegravit, & in mentem revocavit Eminentissimus & Reverendissimus D. Thaddæus Aloysius Cardinalis de Verme, ejusdem Ecclesiæ Antistes, in ampla & verè Pastorali Synodo habita Anno nuper elapso 1711. Ferrariæ, morem hunc detestabilem reprobans in quibusdam pagis transpadanis suæ Diœcesis: *Quid enim*, inquit cum D. Ambrosio, *epulæ cum funere? C. de funerib. p.* 117.

CAP. XIV.

De Præficis *moralia. Æsopi Apologus explicatur, & Adagia nonnulla. In cœna laudabantur Mortui.*

CUm Mortuos lugere alicujus religionis speciei expers non sit, immo præcipuè apud Veteres inter actus religiosæ pietatis reputaretur, moralem significationem abscondisse fas est. Apologi & Adagia in subjecta materia non desunt, è quibus tamquam è fonte moralia documenta erui possunt. Fabulam primùm, quæ admonendi gratiâ comperta est, afferamus, & hanc Æsopi Phrygii *fab.* 122. *Dives duas habens filias, altera mortua, Præficas conduxit. Quum verò altera filia dixisset: Vt nos miseræ! ipsæ, ad quas pertinet luctus, lamentari nescimus: hæ verò non necessariæ sic vehementer plangunt. Mater ait: ne mirare, filia, si hæ ita lamentantur, nam nummorum gratiâ id agunt.*

Affabulatio hujus Apologi est: nonnullos homines pecuniæ amore non vereri ex alienis calamitatibus quæstum facere. Hinc Adagium illud ortum habuit, *Præficarum more:* à Præficis jocus sumitur in eos qui simulant amorem, aut dolorem, cùm lucri causâ faciant quidquid faciunt. Convenit & in illos, qui præ invidia non sustinent laudare nisi vitâ defunctos. Nævius apud Festum quamdam mulierem irridens satis superque Defunctum laudantem, inquit, verbo *Præfica*,

Hæc quidem me hercle opinamur Præfica est;
Quæ sic mortuum collaudat.

Id familiare potissimùm est uxoribus, ut maritum defunctum in alterius invidiam sine fine prædicent. Quadrabit (monente eodem Manutio) etiam in illos, qui cùm ipsi nihil habeant quo laudem promereantur, laudandis aliis affectant videri aliquid. Hinc est apud Plautum in *Truc.* Stratophanem militem optasse potiùs laudari à Cive quàm à Præfica,

Sine virtute argutum Civem mihi habeam pro
Præfica,
Quæ alios collaudat, & sese verò non potest.

Quare nec laudandum in cœna quidem hominem; nobis suppetit Adagium illud, quod in hominem vehementer illaudatum dicebatur. Antiquis mos erat, præsertim Græcis, in Cœnis funeralibus, Encomiis, Epicediis, & Epitaphiis laudare vitâ defunctum, etiamsi parum meruisset in vita. Siquidem, ut ait Ovidius l. 1. * *de Ponto*,

Pascitur in vivis livor, post fata quiescit:
Tunc suus ex merito quemque tuetur honos.

Unde fit, subdit idem Paulus, ut vivos nonnunquam merita laude fraudemus, mortuis etiam immeritam tribuamus.

Adulatorum tandem speciem haberi in Præficis monemur à sæpius hic enunciato loco Horatii; qui à veris amicis distingui nequeunt, & moventur extrinsecus, non animo, tamquam adulterini Nummi, qui splendorem tantùm auri imitantur, intrinsecus verò nihil.

ATQVE hæc sunt quæ de *Præficis* ad illustrationem Urnæ Sepulcralis *Fl. Quartillæ* dicenda arbitrati sumus. Argumentum sanè recens, nulloque, quod sciam, adhuc pede tritum: quare si in aliquibus (quæ plura erunt) minùs exspectationi datum est, ingenioli mei non minùs quàm rei angustiæ tribuatur. Satis erit iter alicui præmonstrasse ad amplissimum hujus argumenti tractatum elaborandum; nec deerunt qui ampliori animi tranquillitate, ac mentis robore vegetiori quàm ego sim, Opus fortasse aggrediantur; ac errata mea expungant, corripiantque: quibus omnibus tantùm abest ut irascar, quin potiùs gratias quàm plurimas referam. Ego illis hoc unum tantùm objiciam Boëthii *de Cons.* l. 2. metr. 11.

Quisquis profunda mente vestigat verum,
Cupitque nullis ille deviis falli,
In se revolvat intimi lucem visus.

* Rescr. lib. 1. *Amor.* eleg. 15. ℣. 39.

FINIS.

JOSE.

IOSEPHI LANZONI,
MED. FERRARIENSIS, &c.
DE
LVCTV MORTVALI VETERVM ADVERSARIA.
AD ILLVSTRISS. ET ERVDITISS. VIRVM DOMINVM
LAVRENTIVM PANTAROLVM VENETVM.

Quandoquidem, referente Seneca, in funere lacrymas naturalis necessitas exprimit, & spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum quatit corpus, ita oculos, quibus adjacentem humorem perpremit & expellit, sic lacrymæ, ait D. Basilius, naturalem carnis infirmitatem ostendunt, quæ homini contingunt, quando incurva, sunt verba citati Patris, cerebri vaporationibus ex tristitia sumtis, referta per oculorum exitus, veluti per fistulas quasdam humidi gravedinem ac copiam præparat, unde & sonitus quidam, & revolutiones, & vertigines in auditione rerum tristium inexspectata, atque improvisa funduntur; ita ut deflens justè possit cum D. Gregor. Nazianzeno exclamare,

Heu lacrymis madeo, pectusque dolore tumescit!

Dura, sed naturalis, fletus necessitas, quæ nascentes homines excipit, morientes circumdat, & usque ad intima sepulcri penetralia denatum insequitur, unde suavis Marini Musa cecinit,

Umano ufficio è veramente il pianto,
E più proprio dell' huom forse, che 'l riso,
Poiche à pena vestito il fragil manto,
In aprir gli occhi al Sol, ne bagna il viso.

Immo lacrymas, quæ, S. Cypriano teste, sunt legati doloris, dolores ipsos minuere, ac humanas ærumnas levare docuerunt Poëtæ; sic Ovidius *Trist.* lib. 4.

—— est quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.

Seneca in *Troade*,

Fletus ærumnas levat.

Et Euripides,

Est etiam in malis aliquid voluptatis,
Hominibus nempe luctus & lacrymæ,
Hæc enim levant animi dolores, &c.

Unde B. Petrus Damianus *de Perf. Monach.* de lacrymis scribendo, exclamavit, *hæc sunt, quæ de mœrore pariunt gaudium.* Plura apud nostrum doctiss. à Fabra *de Anim. Affect.*

Quamobrem liceat mihi, horis succisivis, animi relaxandi gratiâ, de luctu, & præsertim fu-

A nereo nonnulla excerpta à Græcis & Latinis Scriptorum Monumentis, ex meis Adversariis colligere, ut constet non tantùm inter pios ac misericordes Christi fideles tàm antiquos quàm recentes, verùm etiam inter Gentiles & Barbaros, luctum funeralem semper in usu fuisse. Et quidem commendandus hic usus; sic enim in *epist. ad Pammachium* D. Paulinus ait, *bonæ lacrymæ pietatis, quas Joseph justus impendit patri*, &c. sic habemus in Scriptis sacris per obitum Aaronis flevisse Hebræos, mortua Sara Abraamum, Davidem pro morte Jonatæ, omnes Judæos ob necem

B Josiæ, unde in *Ecclesiastico* habemus: *Fili, in mortuum produc lacrymas, & super mortuum plora*; ita Christus Dominus super Lazaro mortuo lacrymavit, & in primis Religionis nostræ rudimentis Protomartyre Stephano occiso, fertur Christi fideles magnum planctum fecisse super eum; & D. Gregor. Nazianzenus in *Epist* ait: *Usus, & consuetudo hoc obtinuit, ut ob sanctorum virorum ex hac vita discessum mœrore afficiamur.* A sacris autem Auctoritatibus ad profanas transeamus; unde Achilles apud Homerum ait,

Adstantes Patrocli lacrymas in funus amici
C *Fundite, defunctis tales debentur honores.*

Romani luxerunt super mortuum Numam, Junium Brutum primum Consulem, Valerium Publicolam, Agrippam, Coriolanum, Augustum, Liviam, Drusum, & alios, ut testantur Dion, Suetonius, Dionysius Halicarnass. & Livius: quare Ovidius in *Metam.* cecinit,

Surge, da lacrymas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum sub inania tartara mitte.

D Sit igitur sermo de Luctu Mortuali in præsenti Dissertatiuncula, festinanter & rudi quidem calamo exarata. Luctus ergo generaliter sumtus juxta Rob. Stephanum est dolor, qui exteriùs proditur vultu ipso atque adspectu. Sæpe autem luctus est ipse habitus, atque vestis: Cicero autem ait luctum esse ægritudinem ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo, de quo præcisè nunc agimus. Ubi igitur ægrotus in agone versabatur, atque animam exhalaret, proximi sanguine, cognationisque vinculo juncti, & potissimùm feminæ, ut matres, sorores, uxores, filiæ, exhalantis spiri-

E tum osculo excipiebant, quod summæ charitatis erat documentum, & non tantùm Judæi & Romani, suadente Kempio *de Oscul.* Dissert. 20. sed & alii etiam homines, quilibet hunc tenuerunt usum, ne scilicet morientes hoc supremo amoris

ris officio privarentur, ita apud Euripidem, Antigone morientem patrem sic compellat,

O amantissime, quin os tuum applicabo ori.

Et Manilius lib. 5. *Astronomici* cecinit,

Per noctesque patres cupiant extrema suorum
Oscula, & in proprias animam transferre medullas.

Hinc Tibullus *eleg.* 1. *lib.* 1.

Flebis & arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mixta dabis.

Sic etiam eadem natura duce antiquitus Hebræi, morientes osculati in Sacris leguntur paginis; unde in *Genes.* cap. 50. Jacobus Patriarcha in osculis Josephi vivere desiit; & eloquentiss. ille Judæus Philo, de Jacobo filium plorante, sic ait, *ante mortem impressissem morienti extrema oscula*, &c. Necnon D. Jo. Chrysostomus *homil. de Patient.* habet, *os deosculantur ultimo parentum osculo.* Post osculum autem, decedentis oculos & ora claudebant; & istius usus memoriam video in Græcis & Latinis Scriptoribus; sic Homerus fingit Agamemnonem quærentem hoc officium ab uxore Clitæmnestra; & Ovidius inter alia apud conjugem lamentatus,

—— —— *nec cum clamore supremo*
Labentes oculos condet amica manus.

Apud Christianos etiam oculi morientibus clauduntur, non tamen ita communiter à propinquis, sed aliis lecto & letho adstantibus.

In communi ergo funere proximiores, ut antea dixi, morientis cubili assidebant, & cùm jam deficere videretur & denasci, ut ait Varro *de Ling. Lat.*. ignemque amitteret & frigesceret, quò ultima illius verba attentiores exciperent; nam divino aliquo instinctu, inflatuque incitatus morientium animus credebatur ab Antiquis, ut ait Gutherius *cap.* 12. qui urgentibus fatis integrior haberet futurorum etiam quandam prædictionem; hinc Suetonius in *Augusto*, quem in osculis Liviæ, & in hac voce defecisse tradit, *Livia, nostri conjugii memor, vive ac vale.* Post hæc per intervalla conclamabant, & nomine ter vocato, jubebant æternum valere: sic Virgilius,

—— —— *salve, mi maxime Palla,*
Æternumque vale.

Et Lucanus lib. 2. *Pharsal.*

—— —— *sic funere primo*
Attonitæ tacuere domus, cùm corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine soluto
Exigit ad sævos famulorum brachia planctus.

Hinc propinquiores & magis affines calidâ aquâ abluebant cadaver, & pretiosis unguentis ungebant, ut ego innui in meo *de Balsamatione* Tractatu; inde candido amictu induebant, diebus septem servabant arâ constitutâ, ubi odores incendebantur. Conclamatos indui à Pollinctoribus & Libitinariis ait Laurentius in *Polymath.* lib. 3. Vestes autem erant ex lino & lana: Romanis hæc vestis erat toga, Magistratibus prætexta, Censoribus purpura, Imperatoribus paludamentum, Græcis verò pallium. Demum corpus exanimatum coronis & floribus ornabant, & in vestibulo ædium ad januam collocabant, ut pedes haberet extentos ad viam, quod & hodie à nostris fit;

A mortui autem coronati efferebantur; dum hæc igitur peragebantur, undique clamores, ululatus, undique fletus & luctus,

Et domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur, gemitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant, ferit aurea sidera clamor,
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Ita Virgilius. Duplex igitur luctus reperitur apud Auctores, unus scilicet particularis, alter publicus; primus à familia & amicis Defuncti peragebatur; alter, cùm civitas tota illustrem mortuum publico luctu honoraret, celebrabatur: de quibus luctibus singillatim aliquid ex antiquis Græcis ac Romanis Scriptoribus delibandum. Particularis fletus, & tristitia de mortuis, qui diliguntur, est quodammodo naturalis, ut inquit Augustinus, hinc Spartanus quidam filium deflens increpanti respondit: *Quid facerem? non enim ego, sed natura mea mihi luctum excussit.* M. Antoninus Pius, cùm Marcus Philosophus mortuum educatorem suum fleret, revocareturque ab aulicis Ministris ab ostentatione pietatis, dixisse scribitur, *Permitte illi, ut homo sit, neque enim Philosophia, vel Imperium tollit affectus.* Hinc quoque lugere mortuos, magistra Natura consuetudo tenet omnium gentium, præter nescio quas, quæ, scribente Quenstedt, puerperia lugent, natosque deflent, ac funera contrà velut sacra festo cantu lusuque celebrant. Lugentium igitur scena, & ostentatio doloris ea fuit, ut in luctu familia omnis intus clausa, scissis vestibus, promissa barba, intonsa coma, Matronæ crinibus solutis & antependulis humi prostratæ jacerent, oppresso igne, lucernis exstinctis, quoniam, ut ait Servius, lugentibus inimica lux; insuper lacerabant genas, percutiebant caput & pectus, quibus se gratum mortuis facere, putavisse Antiquos, ait Casalius *de Ritib. Roman.* cap. 26.

Hebræi itaque, Græci, Persæ, Lacedæmones, Ægyptii, Romani, aliæque Gentes etiam barbaræ supra suos mortuos lugebant; hinc Homerus in *Odyssea* cecinit,

Namque hæc sola manent miseris solatia mortis,
Et tondere comam, & lacrymis respergere vultus.

Non tantùm enim, ut suprà dixi, lugebant, verùm genas lacerabant, ornamentis depositis, & vestibus mutatis, ad ostentationem intensi doloris, ut notat illustriss. ac eruditiss. D. Co. Camil. Silvestri in suis *Notis ad Juvenal.* unde Servius *in* 3. *Æneid. Varro dicit mulieres in luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant.*

Verùm quia istæ lamentationes, gemitus, &c. in domesticis, amicisque utpote dolore percitis confusè & absque ordine, nec sine tumultu fiebant, ut notatur in Evangelio *Matthæi* cap. 9. super quem locum ita Cornel. à Lapide, *amicis & vicinis luctum & lacrymas ciebant conducti ob mortem Defuncti.* Opus igitur fuit istis lamentationibus ordinem dare, sicque Præficæ introductæ fuere, mulieres scilicet quædam, quæ pretio conductæ dabant ceteris plangendi modum. Terentius Varro & Rosinus ajunt, Præficam dici mulierem à luctu, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret, unde Nævius,

Hæc quidem hercle, opinor, Præfica est,
Nam mortuos collaudat.

Claudius scribit, eam, quæ præficeretur ancillis, quemadmodum lamentarentur, Præficam esse di-

ctam;

ctam; Sextus Pompejus, Præficas esse illas docuit, ad lamentandum conductas, quæ dant cæteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ, & Nonius Marcellus, Præficæ, inquit, dicebantur, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent; hinc Statius,

Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdoniosque colunt, & non sua funera plorant.

Notandum autem Præficas illas præfuisse planctui, sed non dolori, externè enim dolentes apparebant, internè verò læto corde & alacri animo mercedem ac præmium avidè exspectantes, non dissimiles viduis aliquibus, quæ super maritos mortuos oculis deflent, corde verò lætantur; si enim de corde procederent illæ lacrymæ, non tam facilè illico solverentur in risum, ut innuit in *Serm.* 4. D. Bernardus; *Istæ non lugent, sed veriùs elugent*; lugere enim propriè, est lacrymas ab oculis effundere; elugere autem, grammaticè sumtum, est finem lacrymis imponere. Sed ad Præficas redeamus, quæ planctui, ut suprà dixi, præerant, non dolori; lacrymæ enim earum erant venales & fictæ, quemadmodum illæ apud Juvenalem,

——— *vel ficta pellice plorat*
Uberibus semper lacrymis, semperque paratis
In statione sua, &c.

Putat enim ipse Satyricus Poëta nullas lacrymas esse veras, nullumque dolorem legitimum, nisi qui provenit ab amissione nummorum, unde postea cecinit in *Satyr.* 13.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera, nemo dolorem
Fingit in hoc casu, vestem diducere summam
Contentus, vexare oculos, humore coacto;
Ploratur lacrymis amissa pecunia veris.

Præerant pariter luctui, non funeri, funerum enim tota pompa ad Designatores, Pollinctores, Vespillones, & Libitinarios spectabat; cùm autem in luctu Præficæ ejularent, id est, in altum sublata voce plorarent; tunc *Lessum* fecisse existimabatur: Lessum enim apud Ciceronem interpretatur, quòd sit quasi lugubris ejulatio. Dùm verò lugebant ex antiquo more Hebræorum, Græcorum, ac Romanorum, caput pulvere inspergebant, vel in eo sedebant, ut monet Mar. de Roa; sic Virgilius in *Æneid.*

Canitiem multo deformant pulvere.

Et Catullus,

Canitiem terra atque infuso pulvere fœdant.

Et apud Homerum Achilles audita morte Patrocli caput cinere spargit,

——— ——— *tum pronus adustum*
Corripiens manibus cinerem, nigramque favillam
Inspergit capiti, & faciem fœdavit honestam.

Eadem, quod ad pulverem & procubitum in terram attinet, Regius Propheta, nunciata morte Absalonis, fecisse narratur. Nonnunquam Mimos in funere vocabant, Alexandro teste, qui personas effingerent, ac facta dictaque repræsentarent, qui apio coronati, Defuncti laudes carmine recensebant, ut notavit in *Amint. defens.* illustriss. D. Just. Fontaninus omni eruditionum genere instructus.

A Pretium autem, seu merces Præficarum qualis esset adhuc certò non liquet; puto tamen, pretium juxta diversas mortuorum conditiones diversum pariter fuisse, siquidem pauperes modico Præficarum luctu utentes, modica mercede sint usi; divites verò, quibus magna patrimonia, lacrymas magno pretio emisse dicendum est. Rationem postea, cur potiùs vocarentur mulieres ad lugendum quàm viri, assignat Cornel. à Lapide sup. *Jerem. cap.* 9. per hoc quòd mulieres in fletum & in omnes pathos faciles sint, sicque nudatis pectoribus, sparsis crinibus, voce modulata omnes ad planctum concitabant; & non tantùm lacrymas pretio conductæ ex arte effundebant

B Præficæ, verùm Nænias canebant, quæ teste clariss. ac eruditiss. viro D. Laurentio Patarolo in *Not. ad vet. Panegyr.* erant lugubria carmina, quæ ad Defuncti cadaver canebantur ad tibiam. De quibus legendus est illustriss. Crescimbenius Arcad. Custos vol. 1. *Com. Ital. Poësis.* Non tantùm verò in funeribus lacrymabant, & cadavera cum luctu & gemitu comitabantur, verùm etiam, cùm denati corporibus in sepulcris ipsis lacrymas in quibusdam vasis ad hoc munus paratis condebant, quæ hodie vel casu, vel determinatè eruta

C in Museis asservantur, ut quæ olim fuerant antiquæ superstitionis instrumenta, hodie sint curiositatis solatia, & hoc ex antiquis Inscriptionibus sepulcrorum confirmatur, & præsertim ex his verbis, *unà cum lacrymis posuit.* Non igitur strophiolis ad tergendas à lacrymis genas utebantur, & non tantùm in sepulcris lacrymas asservabant, sed statis temporibus ad tumulum flentes redibant, & flores super spargebant, atque lacrymis externè monumenta ipsa rigabant, unde Torquatus Tassus magnus ille Musarum Decus in *Hieros. lib.* cecinit Cant. 12.

D *Alfin sgorgando un lagrimoso rivo*
In un languido ohimè proruppe, e disse:
O Sasso amato, onorato tanto,
Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto.

Persarum in luctu mortuorum mos erat capillum detondere, lugubrique veste conjuges ac liberos induere, si Bellonio credamus; Alexandriæ obolis conducebantur, qui mortuos flebant; Brachmanes Indorum Sapientes diem fati occupare erant soliti, vivosque cremari se jubebant, immo & coronati more ac lege Indorum hymnos ac laudes Deorum concinebant; mortuorum ejulatio, quæ

E Romanis olim erat communis, nunc in Græcia, teste citato Bellonio, & in Regionibus, quæ Græcorum Ecclesiæ parent, servatur, ut in Bulgaris, Servis, Dalmatis, Epirotis, &c. Tempus autem, quo particularis luctus mortualis perdurabat, ex Origene super *Job.* erat septem dierum & septem noctium, at per eruditiss. nostrum Lil. Gregor. Gyraldum videtur esse multiplex; scripsit enim Plutarchus, Numam Pompilium apud Romanos pro ætatibus temporibusque Defuncti lugendi modum statuisse; puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandio-

F rem, neque etiam plus mense qui vixisset, usque ad annos x. Mulieribus quidem viduis menses decem, hoc est, per annum lugere maritum fas fuit, tantus enim à Romulo annus institutus fuerat, unde in *Fastis* Ovidius canit,

Per totidem menses à funere conjugis uxor
Sustinet in vidua tristia signa domo.

Idem Plutarchus à Numa institutum ait, ut quæ ante decem menses à mariti morte mulier nuberet, prægnantem vaccam immolaret; leguntur & in

Codice Justiniani adhuc illa verba ; *si aliqua ex feminis, perdito marito, intra anni spatium alteri festinarit nubere, probro notetur.* Scribit Seneca : *Annum feminis ad lugendum Majores constituisse, non ut tandiu lugerent, sed ne diutiùs ; viris nullum legitimum tempus fuisse, quia nullum honestum.* Hæc ille. Aliquos tamen in Republ. viros excellentes annuo Matronarum luctu ornatos legimus in Historiis, ut Junium Brutum, & Valerium Publicolam. Idem ex usu nostris mulieribus in mariti funere permittitur : sed mali adeò mores ætatem nostram invasere, ut quæ quintum decimum diem, vel vigesimum non exspectaverint ad secundas nuptias ego ipse viderim ; sed mores hos longè funere pejores Satyricis perstringendos mittamus. At enim ut honestum, humanumque putamus mortuos lugere, ita Stoicos quosdam inhumanos non satis probamus, qui maximum flendi jus in diem unum dumtaxat statuunt, idque Poëtæ Græci testimonio, nempe Apollonii Rhodii in *Argonaut.* comprobatum volunt, qui Niobem infelicem illam matrem post tot filiorum necem, de cibo cogitasse inducit, cui & ego alios possem addere Poëtas Græcos & Latinos, qui eam nimio lacrymarum fletu in saxum diriguisse cecinerunt, perpetuis quasi lacrymarum guttis manans ; sed nos hæc fabulosa mittamus.

Nunc de annuo luctu verba facere oportet, cùm sit de luctu domestico ac particulari ; sic uxori ob maritum annuus erat indictus luctus, ut testatur Nicol. Cragius *de Rep. Laced.* idemque Romanis in usu erat, immo Caligula indixit, ne viduæ intra annum fletus ad spectacula venirent, ita luctu inhibente ; sic Prætoris edicto infamiâ notatur, teste Gutherio *lib.* 3. quæ intra legitimum tempus nupserit, id est, ante exactos luctus menses decem ; at viri uxores mortuas lugere non compellabantur, ut habet cit. Guther. sponsi enim nullus est luctus ; ego verò puto sic debere legi, *uxores viri elugere non compelluntur* ; nullum siquidem legitimum tempus viris fuerat constitutum. Color cæruleus vestium in funere filior. famil. adhiberi solebat ; purpuratos tamen legimus Severi Imper. filios urnam cùm patriis reliquiis gestantes, quos Populus universus laureatus excepit, teste Herodiano *lib.* 4. quia fortè infausti ominis fuisset in lugubri veste imperium auspicari. Alba denique vestis in luctu ab ipsius Severi temporibus fuit observata, ut ait Lipsius *ad Tacit. lib.* 2. *Annal.* Luctus porrò apud Lacedæmones XI. dierum erat, de quo plura apud Cragium. Luctus autem iste privatus cessabat propter nativitatem filiorum, propter sponsalia celebrata, vel suadente Porcachio, si aliquis domesticus jam captivus in libertatem domum rediret. Publici luctus memini suprà ; sic apud Persas in publico luctu ob mortem Regis justitium per dies quinque indicebatur, quo tempore leges silebant, notante Brissonio lib. 1. *de Pers.* Luctus publicus stante Repub. Rom. nullus indictus, ne in publica quidem calamitate ; ingentem tamen illum fuisse scribit Livius *lib.* 9. sed sponte susceptum, & sine publica auctoritate ; tunc tabernæ circa forum clausæ, lati clavi, aurei annuli positi. Justitium mœstitiæ speciem præferebat & luctus ; licèt tamen privati in luctu vestimenta mutarent, attamen Senatus nusquam, unde Tullius in *Orat.* ait : *Nostrâ memoriâ Senatus ne in suis quidem periculis mutare vestem solebat.* Conjecto in carcerem Manlio constat magnam partem plebis vestem mutavisse, & multos capillos & barbam promisisse ; licèt autem Cicero dixerit in luctu Senatum vestem non mutavisse, attamen ego apud Florum & Dionem invenio Consules senatoriam vestem deposuisse. Notandum autem publico decreto luctum indictum fuisse primò in funere Augusti ; pariter, crescente adulatione Senatus, mortuâ Liviâ luctum annuum mulieribus edixit ; quod tandem eò crevit, ut mortuo Druso justitium longius Tiberius inhibuerit ; ita Suetonius. In publico itaque luctu Senatores Equestri habitu, Magistratus Senatorio, positis Prætextis considebant ; illi solito quisque loco, Consules inferiùs, alter in prætoriis, alter in subselliis Tribunorum Plebis ; plura de hac re Jacob. Gutherius videatur in lib. 3. *de Jur. Manium*, & Hendreik *de Carthag. Repub.* Luctus autem publicus terminabatur multipliciter, primò quando tributum solvebatur, inde cùm sacrificiis purgabatur civitas, quod post quinque annos accidebat, ut docet Porcachius in *Funer. Antiquor.* & tunc describebantur omnes populi, qui in urbe erant ; inde si votum publicum celebraretur, quod sæpe accidebat propter vota, quæ à Ducibus militum fiebant, tandemque luctus publicus terminabatur propter Cereris sacrificia, quæ Livio teste, luctum publicum ob cladem Cannensem pauco 30. dierum tempore terminare fecerunt. Fragmentum marmoreum luctus publici visitur Romæ tale, prout refert Gutherius in lib. 3. *de Jur. Man.*

CONSILIS. PVBLICIS. CON....
ANNVM. EXPLETVRVS....
MORTEM. EIVS. IVSTITIO. PER. CON...
OMNES. LVXERVNT. CENSV....
INSIGNIBVS. DECORATA. CV.....

Tibia tandem inter luctum mortualem locum habuit, teste Macrobio ; unde Ovidius cecinit,

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Et apud Petronium ad Tibicines mitti dicuntur illi, qui desperata valetudine neci sunt proximi. Adhibebantur autem Tibiæ in funeribus, si Bartholino credamus, ut hominum mortuos lugentium, animi languentes, ejusmodi sono excitati, minùs sentirent dolorem, ita Sext. Empiricus ait, *lugentibus canunt tibiæ, quæ iis luctum levant.* Ast ne longiùs in istis mortualibus immoremur, hæc usque adhuc dicta circa Luctum funebrem sufficiant ; esto igitur

FINIS.

LAVR. I. MOLIN

DE

CLAVIBVS VETERVM

DISSERTATIO.

LECT. CAND.

*Q*Uum non ita pridem studiorum ulterius continuandorum de ratione consulenti mihi, in Scripto quodam publice edendo vires ut tentarem, Viri cujusdam gravioris suaderet auctoritas, cujus consiliis, ut ut viribus oneri ferendo imparibus ipse diffiderem, locum tamen denegare, mihi religio fuit; quippe cui ita sum obstrictus, ut parentis optimi benignitatem in me prope omnibus numeris explevisse eum non falsò dixerim: tum plura inter argumenta ab eo mihi, ut ipse desiderabam, proposita, paucorum dierum post deliberationem, ad hoc ipsum de Veterum Clavibus, nescio quâ ejus præ ceteris, quam mihi fingebam, facilitate allectus, propendere cœpi. Verùm manum operi admovens tandem in Labyrinthum, unde ipse Theseus, etiam ab Ariadna probè edoctus, sese vix explicaturus videretur, incidebam. Tum primùm enim deprehendebam Veterum claustra (ac proinde etiam claves) alia cum hisce nostris in nullo ferè, alia verò in quibusdam convenire; adeò tamen intricata esse omnia, ut ob tenebras ævi remotioris circuitus errorumque anfractus passim objiciant innumerabiles. Quod si itaque in hisce, ut à me humani nihil alienum puto, me labi contigerit, æquos tamen & benignos id mihi vitiò minimè versuros confido, quòd sperari non possit rem tam controversam, eandemque tam abstrusam, ut virorum longè maximorum non tantum exerceret, sed & nonnunquam fugeret acumen, per me, qui Musas vix dum de limine salutarim, ita ut omnibus sese probet, ad liquidum deductam iri. Ibam tamen, quò poteram, ac quum ulterior per has tenebras denegaretur progressus, subsistebam. Tuarum igitur, B. L. velim existimes esse partium, non adeò lynceis planeque rigidis & severis, sed benevolis potius hæcce subjicere oculis: quod quum facturos confidam omnes boni studiosos, scrupulum mihi Momi livor neutiquam movere potis erit. Vale.



LAVR. I. MOLIN DE CLAVIBUS VETERUM DISSERTATIO.

Caput I.

Clavis sistens Ὀνοματολογίαν.

I.

CLavium brevem exhibiturus delineationem, vix operæ pretium facturus primùm videbar, multâ si verborum pompâ vocis circa etymologiam occuparer: veritus, ne candido Lectori primo in limine diutiùs suspenso longum eodem crearetur tædium. Verùm enimvero, partim, ne tam pertinax diu recepti moris æstimarer desertor, partim, ut suscepti argumenti in consideratione commodiùs memet explicarem, quum in etymo quoque notatu digna non rarò lateant, perpauca tantùm ad illam spectantia præmittere visum fuit. Ad *Clavis* autem vocabulum quod attinet, variè à variis illud deduci certum est. Quibusdam enim Latina arridet origo; aliis verò Græca longè majoris æstimatur. Neque etiam omnes, qui illam amplectuntur, eandem derivandi ingrediuntur viam; quippe quorum aliis tanquam genuinum ejus primitivum ducitur τὸ *Clam*, quod res claves intra serasque servatæ clam omni-

A bus esse præsumantur; vel nulli, nisi domino, apparere debeant. Verùm remotiùs accersita isthæc mihi videtur origo, quàm ut assensum invenire queat: est namque potiùs nominis quædam allusio, quàm deductio. Habuit autem suos fautores Ambros. Calepinum & apud Perottum in *Cornu Copiæ* p. m. 73. alios. Aliis verò ἀπὸ τοῦ *claudo* derivatum censetur, quod clavis præcipuum sit munus *aperire & claudere*; ita Isidorus. Lambin. *ad Horat. Ep.* 1. 20. 3. Budæus *Lex. Gr. Lat.* Sed neque hæc opinio sua caret difficultate, quòd clavis munus non tàm sit ut claudat, quàm ut ape-

B riat: ideoque nihil obstat, quò minùs ab aperiendo æquè commodè atque à claudendo adpellationem sortiri potuisset, quemadmodum apud Ebræos à rad. פתח est מפתח, id est, *clavis*, ab aperiendo. Neque aliter ac Janus Romanis dictus est *Patulcius*, quòd portæ ejus temporibus bellicis ac turbulentis paterent, & *Clusius*, quasi Clausius, quòd pacis temporibus portæ ejusdem fani clausæ haberentur; Ovid. *Fastor.* I. v. 29. Plutarch. *de Fort. Rom.* Vereor etiam, ne hujus derivationis defensores ipsum petierint principium. Tantum enim abest, ut clavis τῷ *claudo* originem debeat, ut potiùs hoc ab illo deductum suspicer: nihil equidem

C aliud denotare mihi videtur vox *claudo*, quàm clavem do vel addo, scil. vel januæ, vel operculo cuicunque alii. Et hoc non tàm, quâ clavis est instrumentum, quo obducitur & reducitur vectis, quàm uti pro ipsa sera, probos apud Auctores legitur: unde ab omni errore non sunt immunes, qui

qui τὸ claudo proximè à voce aliqua Græca descendere arbitrantur, sive sit illa κλείδω, sive κλειδόω, sive κλείω, sive etiam κλᾴζω, quo Dores pro κληΐζω utuntur, Vossius *Etymolog.* Sicuti enim horum duo priora à τῷ κλεῖν pro κλεῖδα, & τῷ δόω pro δίδωμι composita sunt: ita & illud à τῷ *clavem* & τῷ *do* extrusis duabus in fine præcedentis litteris, quod vocum in compositionibus tàm Latinis quàm Græcis non est infrequens, descendisse in aprico est. Exempla subministrabit Vossius litterarum de permutatione passim.

II. Alii rursum, qui itidem Latio incunabula debere contenderunt, hisce non contenti, diversam ejus deducendi ingressi sunt viam, accommodatissimam judicantes originem esse ἀπὸ τῦ *calare*, vid. Perottus in *Cornu Cop.* p. 220. At quoniam, quid hac voce potissimùm significatum voluerint, in obscuro est, haud facilè ejus derivationis patet ratio. Certè, si τὸ *calare* idem ipsis est ac vocare, à Græcorum καλεῖν, quod est apud Gellium *N. A.* 15. 27. dubium non est, quin à vero tramite longiùs abfuerint. Si autem, quod vero longè est similius, ad τὸ χαλᾷν respectum habuerunt, aliquam quidem mihi institisse viam videntur, quippe, quod non semel ad claustra translatum invenitur, & *laxare* sive *aperire* Latinis redditur. Ita Euripidi usurpatum in *Hippolyt.* v. 808. χαλᾶτε τὰ κλῇθρα, quod vers. sequenti est ἐκλύσαθ' ἁρμοὺς, & in *Med.* v. 1314. χαλᾶτε κλῇδα, quod itidem vers. seq. ἐκλύεθ' ἁρμοὺς, *solvite repagula*: hinc Luciani, χαλωμένυ τῦ κλεῖθρυ per ἀνεωγμένυ interpretatus est Henr. Stephanus. Neque aliter Xenophon Παιδ. 7. pag. m. 132. ὡς εἶδον τὰς πύλας χαλώσας, de qua re in præcedentibus: ὡς κραυγὴ καὶ κτύπος ἐγίγνετο, αἰσθόμενοι οἱ ἔνδον, κελεύσαντος τοῦ βασιλέως σκέψασθαι, τί εἴη τὸ πρᾶγμα, ἐκθέουσί τινες ἀνοίξαντες τὰς πύλας: ad hunc modum Virgilius quoque *Æn.* 2. v. 255. *Laxat claustra Sinon*; quod & *relaxare* est Ovidio *Amor.* 1. 6. 17. Hinc derivationis hanc arbitror ipsis esse rationem, quòd in laxandis foribus opera clavium requireretur. Sed aliquam, non rectam institisse hosce viam dixi: illo enim stante, Orthographia stare nequit, quum τὸ χαλᾷν adspiratum sit, τὸ clavis verò & eorum calare levigatum, adeóque ipsa in derivatione non parum periret, quod tamen absque urgente necessitate vix factum reor. Quod si verò ad כלא Hebræorum sive כלא Chaldæorum, quod occludere utrisque redditur, & claudere, imò & inhibere, respexerint, idem de illo foret dicendum, sic de deductione à claudo dictum est.

III. Quandoquidem sententiarum jam allatarum planè nulla circa vocis *clavis* originem sese probare potuit illis, curatiùs qui adpellationis naturam cum reliquis eò pertinentibus contulerunt; Latio itaque relicto apud Græcos ejus incunabula investigare sunt aggressi, & profectò non sine successu. Primùm enim accuratissimus vocum originumque indagator Fr. Guyetus ostendit novo quidem, & fortassis antea ignoto, probo tamen consilio, Linguam Latinam tantùm non omnem à Græca derivandam, in qua etiam primitiva omnia, unde cætera deducerentur, vocabula monosyllaba esse contendit: cujus inventi in consortium quum neminem admitteret, ideoque adhuc in obscuro latet, teste Ant. Periandro ipsius in *Vita* ad Joh. Boeclerum, & *Comment. in Terentium* præmissa. Deinde illud ipsum tutiùs de hoc vocabulo asseritur, quod ipsa res, sive instrumentum ipsum, Græciæ potiùs quàm Latio suam deferat originem, ut suo monstrabitur loco, unde à vero quàm proximè abest, illius quoque denominationem à Latinis inde mutuatam esse. Accedit denique & illud, quòd Græco in vocabulo, quo hoc idem exprimitur instrumentum, tam exactè omnia elementa huic Latino respondeant, ut prorsus nihil desiderari posse arbitrer. Audit Græcis communiter κλεὶς, quod variarum Dialectorum respectu variam quoque mutationis subit faciem. Hujus monosyllabi ει, Ionibus primùm resolvitur in ηι, quod Doribus iterum vertitur in αι, ut Joh. Benedictus *ad Pindari Pyth. od.* 8. Vel si mavis, quod ει commune abeat in ᾳ Doricum, non secus ac est αἴκα & αἴκε pro εἴκε apud Theocritum, Pindarum & Homerum passim, ut hoc denique resolvatur. Sic utroque modo pro communi monosyllabo κλεὶς nobis subministratur dissyllabum κλαΐς, unde in memoratis Pindari *Pythiis* constanter legitur κλαΐδες. Est itaque parum è re, ut cum Vossio refugium omnino quæramus in Dorico κλᾷξ; licèt auctoritate Scholiastæ Theocriti p. m. 142. ita illis usurpetur, quum nec κλαΐς sit ignotum. Hinc α inter & ι vel cum Joh. Benedicto & Vossio inseratur Latinorum consona v, ad eundem modum, quo vox *ovis* κατ' ἐπένθεσιν ejusdem litteræ ab ὄϊς descendit, & ab ὠὸν *ovum*, à βόες *boves*, aliaque infinita: vel cum Salmasio *ad Solinum* p. 935. inseratur β. ait enim ille vocem *clavis respondere* τῷ κλαβὶς, cui quidem originationi quid possit deesse planè non video, quum Latinis nihil unquam sit frequentius, quàm τὸ β Græcorum per suum v consonans exprimere: sic enim *arvina* à Siculo est ἀρβίνη, *vadum* quasi βατὸν, vid. Scalig. in *Catalect.* & Vossius de litterar. permut. Est autem illud κλαβὶς more Laconico, vel potiùs Syracusano dictum, quippe quibus β ita inseri suevit, notante Etymologo, ut pro ἔασον dicerent ἔβασον, pro ἔαται ἔβαται: vid. Jacob. Wellerus de mutatione consonantium respectu Dialectorum p. m. 44. reg. 1. de abundantia τῦ β. Possent equidem plura hunc in sensum congeri, si & res ipsa, jam satis per se clara, requireret, & instituta brevitas permitteret. Conf. Bechman. *de orig. voc.* Joh. Seldenus *de Synedr. Ebr.* c. 9. Salmasius *Exercit. Plin.* p. 935. aliique.

IV. Orthographia, cujus inprimis diligentem habendam esse rationem omnibus in Linguis novimus, prorsus nullam nobis hoc in negotio creat molestiam: siquidem nuspiam aliter lecta scriptave hæc invenitur vox, quàm communiter *clavis*. Quare ad illam hîc adeò attendere planè nullius momenti existimo laborem. Ab hac voce, tanquam apud Latinos primitiva, plurimæ descendunt aliæ, utpote conclave & conclavia, quæ Beroaldo *ad Apuleji Metam.* 2. pag. m. 181. & Festo p. m. 1136. dicuntur loca, quæ una clauduntur clave. Et Glossar. Gr. Lat. ἔστιν οἶκος ὑπὸ μίαν κλεῖδα in H. Stephani *Dictionar.* teste Guyeto *ad Terent. Heautont.* 5. 1. 29. p. m. 172. Paulò tamen aliter Perottus *Cornu C.* p. m. 145. qui Donatum videtur sequutus *ad Terent. Eunuch.* 3. 5. 35. quos vide, itemque Plautum *Aulul.* 3. 2. 24. & Vossium in *Etymol.* aliosque. Hinc quoque *clavicula* est, quasi parva clavis, sive τὸ κλειδίον Salmas. *ad Solin.* p. 927. Et *claviger* quemadmodum & κλειδῦχος: illud Jani cognomen est apud Ovidium non uno in loco: sic *Fast.* 1. 228.

Clavigerum verbis alloquor ipse Deum.

Hanc autem appellationem sortitum esse non à clava, sed clave docet v. 99. & 254. conf. 544. altero verò nomine apud Æschyl. in *Supplic.* v. 295. insignita legitur Io:

Κληδῦχον Ἥρας φασὶ δωμάτων ποτὲ
Ἰὼ γενέσθαι.

Sic apud Hesychium quoque uxores, itemque viri, quibus apud Græcos cura custodiaque clavium de-

demandata censetur, estque nihil aliud quàm κλεῖδα ἔχων. Huic quoque voci jure merito sua refert incunabula τὸ *claustrum*, non secus atque à κλεὶς proveniunt κλείδωμα & κλείδωσις. Sic etiam nonnulla alia, ut *clavicularius*, &c.

V. Paucis hisce indagatam expositamque Etymologiam excipit ὁμωνυμία, quæ quidem paulò operosior, verùm non nisi brevibus mihi delibanda. Est autem *clavis*, prout præsenti servit instituto, *instrumentum*, *quo uti hodie consuevimus*, *& olim usi sunt Antiqui in claudendis aperiendisve ostiis*, *arculis*, *operculis*, *& id genus aliis: sive in ducendis reducendisque forium pessulis ac objicibus*. Hæc vocis significatio, ut Latinis olim maximè recepta, ita etiam frequentata, trita & vulgata hodie. Induit dein & alios quoque significatus, ut per metonymiam claustrum ipsum seu objicem, seramve designet. Vnde Varro *R. R.* 1. 22. 5. *sub clavi esse* pro occludi dixit. Ita *servari centum clavibus* apud Horatium *carm.* 2. 14. sub fin. nihil aliud est, vel esse potest, quàm centum intra seraturas condi, vel ut Maro lib. 7. *Æn.*

Centum ærei claudunt vectes,

pro eo, quod maximâ servatur curâ; idque bovis apud Phædrum 2. 8. 19. ex sermone de centoculo domino & auctoris ἐπιμυθίῳ liquidò patet. Nostro verò idiomate hoc ipsum numero non parum imminuto dicitur *giomas in om tio las*, posito scil. certo quodam numero pro incerto, ita tamen, ut perfectionem quandam involvat, quemadmodum aliis est observatum. Sicut enim centenarium illi ut perfectum elegerunt, ita nostri denarium, qui etiam inter perfectos numeratur; Macrob. *Somn. Scip.* 1. 6. p. m. 57. 58. Ovid. *Fast.* 3. 120. Gilb. Cognato *ad Lucian.* T. 3. p. m. 131. Hoc quoque significatu exponendum arbitror locum Tibulli 1. 7. 40.

—— *frustra clavis inest foribus.*

Itemque Plauti *Casin.* 5. 2. 7.

Ubi intro hanc novam nuptam deduxi via recta, *clavem*
Obduxi.

Ibi tantum abest, ut obstaculum aliquod præberet irrumpenti clavis, nisi pro sera usurpetur, ut etiam venienti cuique faciliorem præbuerit aditum: hîc verò in aprico est claustri esse *obduci* & seræ, non verò instrumenti, quo obducitur. Non tamen dissimulandum, nonnullos hîc loci legere, pro *obduxi*, *abduxi*, notante Langio in *var. Lect.* quasi clavem secum abduxisset; verùm priorem lectionem ut amplectuntur alii, ita firmare videntur sequentia v. 15.

—— —— *forem obdo*, *ne senex me opprimat.*

Atque ita hæc eadem est, quæ Nasoni sera in sæpius iterato illo ex *Amor.* 1. 6.

—— —— *Excute poste seram.*

Huc plurima alia faciunt, quæ brevitatis studiosus nunc sciens volensque omitto.

VI. Fuit & clavis in trocho, indicante Propertio 3. 12. 6.

Increpat & versi clavis adunca trochi.

Hac trochi de clave multi multa, omnium tamen optimè Cl. Jo. Schefferus in *de Re Vehiculari* lib.
A 1. 6. p. m. 57. ubi & ipsum ex Hieron. Mercurial. lib. 3. *Art. gymnast.* cap. 8. exhibet trochum, qui circa clavem axis locum occupantem circumvolvebatur. Catoni verò *R. R.* cap. 13. est clavis in torculario, quæ qualis sit, ejus rei gnari explicent. Aliis verò, ut videtur, est capreolus sive pampinus in vite, qui & clavicula Cicer. de *Nat. Deor.* cap. 56. audit, & Plin. *Proœm. ad lib.* 23. Recentioribus clavis nomine venire solet parvum illud instrumentum, quo suscitabula sclopetorum sive tormentorum manuariorum remittuntur, quod nobis vocabulo satis noto exprimitur, *tryckpinne.* Ita dum redivivus Cæsar introducitur quærens,
B quanam ratione inflammaretur pulvis pyrius, ejusmodi tulit responsum, quòd silex lapis rotæ æreæ (potiùs chalybeæ) dentatæ, ac instrumento quodam (nobis *Spannare*) intensæ imponi consueverit, quæ rota levi quodam *clavis* attactu dein subitò remittitur, unde scintillæ promicant. Pleniùs hæc, si tanti fuerint visa, hauriri possunt ab ipso Nicod. Frischlino, qui hunc ferè in modum loquitur in *Julio redivivo* act. 1. sc. 2. prope fin. p. m. 248. conf. Petr. Lansbergius in *de bello Germanico G. Adolphi*, p. m. 13. ubi hodierna armorum de ratione agit. Claves vulgò nuncupantur
C etiam termini in cyclo decemnovali sive aureo numero, *Gyllentalet*, unde festorum supputantur inveniunturque tempora, quod nos Mathematicorum scripta passim docent: vid. Nicod. Frischlini. *Astronom.* 5. 9. quo de diebus festis agit p. m. 382. Durandus *Rationar.* 8. 12. Carolus du Fresne *Glossar. mediæ & infimæ Latin.* Joh. Hoffman. in *Continuat. Lex. univ.* aliique. Musicis formandæ vocis indices claves dicuntur: quemadmodum ejus scientiæ periti norunt, & docet præter alios in *Compendiolo Musicæ* Heinr. Faber cap. 1. quod integrum est de clavibus istis. Huic ad calcem jungitur alius cujusdam *Compend.* quod hæc eadem
D probat. Ex hisce iisdem clavium nomine fortassis insigniri quoque in musica instrumentali existimo pinnulas, quarum tactu chordæ moventur, unde dicuntur *claver*. Nec aliam puto denominationis rationem instrumenti, quod nobis dicitur *Nyckelharpa*, *Nyckelgiga Nyckelspel*, quod tamen diverso planè modo à prioribus est confectum.

VII. Quandoquidem Græcis potissimùm ex Auctoribus antiquissimorum temporum de clavibus nobis quædam innotuerunt, eoque frequentior in sequentibus τῆς κλειδὸς occurrit mentio: ne quibus igitur obscuritatibus præsens involvatur
E tractatio, istius quoque vocis πολυσημία paucis expendenda videtur. Τὸ κλεὶς dicente Varino Phavorino πολλὰ σημαίνει, & Eustathio *ad Iliad.* 17. p. m. 1145. Δῆλον δ' ἐκ τῶν παλαιῶν, ὅτι κληῒς καὶ αὐτὴ πολλὰ δηλοῦσα, additque: ὥσπερ καὶ τὸ κλειδίον καὶ ἡ κλεὶς λέγεται, καὶ ἐπὶ μέρους θύννου, ὡς ὁ Ἀθηναῖος παρασημειοῦται. Οἷον κλεῖδες μὲν ὀπταὶ δύο παρεσκευασμέναι· πρὸς ὅπερ πυθομένου τινὸς τὸ ἄρα αἷς θύρας κλείουσιν; ἐπάγεται ἀπόκρισις· τὸ θύννου μὲν σεμνὸν βρῶμα· οὕτω καὶ ὀρφῶν κλειδία, οἷον ἐν γαδείροις· τὰ κλειδία τῶν ὀρφῶν, καθ' αὑτὰ ταριχευόμενα. Quæ clariora, quàm ulterio-
F ris ut indigeant expositionis. Athenæus autem ex veteri quodam Poëta Aristophonte verbis paulò mutatis hæc eadem refert Δειπνοσ. 7. 14. p. m. 303. Ubi τὸ κλεῖδες ὀπταὶ Dalechampius reddit, *assæ claves*: Plinius autem 9. 15. *clides* & *clidia* vocat. Aliam ejus vocis significationem subministrat adhuc idem Eustathius *ad Iliad.* 2. p. m. 131. Ἔστι μὲν κληῒς ὀξυτόνως ἡ ναυτικὴ καθέδρα παρὰ τὸ κλῶ, ἔνθα κλᾶται τὸ σῶμα συγκαμφθέν· ἰστέον δὲ, ὅτι πολυκληῗδες νῆες οὐ μόνον αἱ πολυκάθεδροι κατὰ τὴν ῥηθεῖσαν ἐτυμολογίαν, ἀλλὰ μᾶλλον πολυ-

πολυκλείδωτοι περὶ τὴν κληῖδα, τουτέστι κοινῶς τὴν κλεῖδα· πολυκλείδωτοι γὰρ ἀληθῶς αἱ νῆες, διὰ τὸ πολυγόμφωτον καὶ εὐάρμοστον, ταυτὸν δὲ κατὰ παλαιοὺς κληῒς καὶ ἑδώλιον· γενικὴ δὲ τοῦ κληῒς κληῗδος, καὶ συναιρέσει κλῃδὸς, ὡς νηρῇδος, ὅθεν τὸ κλῄδων θρόνοι παρὰ Λυκόφρονι· δοκεῖ δὲ καὶ ὁ τῆς εἰρεσίας ζυγὸς, ἑδώλιον εἶναι. Quid sint ἑδώλια vid. Suidas. Pro foraminibus, quibus inseruntur fibulæ, usus est voce κληῗδες *ad Odyss.* 18. p. m. 670. Κληῗδες δὲ, ὅπαι λεγόμεναι καταχλεῖδες, εἰς ἃς αἱ περόναι καθίενται. Sicut pro angustiis maris Euripid. *Med.* 212.

> Ἐφ' ἁλμυρὰν πόντου
> Κλῇδ' ἀπέραντον.
> *Supra salsas ponti*
> *Immensi angustias,*

reddit Guil. Canterus. Et pro unco sive instrumento aut baculo incurvo, quo ferociores irretiuntur porci, Ariston, cujus epigramma in Ἀνθολογ. ἐπιγρ. 6. 17. tit. *de Coquis*:

> Βαθυκαμπῆ κλεῖδα συῶν ὀψοπόνος
> Σπιντὴρ Ἑρμῇ σύμβολα τέχνας θήκατο,

hoc est, ex translatione Eilhardi Lubini,

> *Et profundè incurvatam clavem suum obsoniator*
> *Spinter Mercurio symbola artis deposuit.*

Hæc & similia alia satis evincunt non tantùm diversimodè usurpatam esse hanc vocem, sed & nullam esse τὸ κλεὶς inter & τὸ κληὶς differentiam, nisi quòd ad dialectum, quam tamen sibi imaginati sunt Lexicographi plerique. Per τὸ κλεὶς etiam venit nonnunquam intelligenda humeri cervix, ut apud Homerum *Iliad.* 5. 146.

> Τὸν δ' ἕτερον ξίφει μεγάλῳ κληῗδα παρ' ὦμον
> Πλῆξ'.

Conf. vers. 579. ubi intelligendam esse cervicem humeri, quâ scil. cervici humerus jungitur παρὰ τὸ κατακλεῖσθαι ὑπ' αὐτῆς τόν τε αὐχένα καὶ τὸν ὦμον, docent vetusta ista, quæ Didymi sub nomine circumferuntur, Scholia, quibus suffragatur Eustathius p. 403. δοκεῖ δὲ ἀπὸ τοῦ κλείειν καὶ συνδεῖν ὦμον, καὶ αὐχένα καὶ νῶτον γίνεσθαι. Hujusmodi de clave (ita enim Latinis ut plurimùm redditur Interpretibus, ubicunque occurrit) sermonem esse Euripidi in *Med.* 655. κλεῖδα φρενῶν existimo. Quale autem sit hoc ipsum os, ὀστεολόγοις relinquitur discutiendum. Videantur tamen H. Stephanus in voce Κλεὶς, Ruffus Ephes. *de corporis humani partib.* 2. 9. p. m. 103. Paulus Ægineta *de re medica* 6. 113. p. m. 603. Aristotel. *Ethic.* 9. 1. aliique. Hic vocis significatus occasionem dedit Philippo, ut quum Medicus, qui jugulum seu humerum in ipso conflictu acieve læsum curaret, in dies non desisteret postulare, ut sibi pecuniæ quid daretur, ita responderet, λάμβανε, ὅσα βούλει, τὴν γὰρ κλεῖν ἔχεις. Ubi quidem sermo Regi est de læsa corporis sui parte, quæ sananda fuit: allusum tamen est ad alterum & fortè famosiorem vocis significatum, quo pro claudendi aperiendive sumitur instrumento. Re enim vera κλεὶς καταχθεῖσα Medici fuit in potestate, licèt κλεῖν ἀνοίγουσαν sive χρημάτων suæ potestati dispositionique servatam non tantùm voluerit, sed & habuerit Philippus. Historiam hanc de Philippo reliquit in *Apophth.* Plutarchus. Est & promontorium quoddam Insulæ Cypri, quod apud Herodotum *lib.* 5. p. m. 208. κληῗδες τῆς Κύπρου audit, quod Valla p. 145. *claves Cypri* interpretatus est. Nomen verò hoc sortitum videtur, quòd esse singulari cuidam præsidio æstimaretur Insulæ, non secus ac munimenta regionum urbiumque hodie claves dicuntur, quemadmodum nobis communiter oppidum Calmariæ *Sweriges Riikes Nyckel* indigitatur. Hoc eodem nomine antea in *Rimkronikan* p. 83. insignitur *Bahus*, & *Nycklaborg* dicitur. Conf. Hadorphii index ad calcem suffixus. Sophocles verò in *Oedip. Col.* v. 1044. usus est hoc eodem vocabulo pro freno seu instrumento, quo in ore equi immisso illum moderari consuevimus, quod aliàs χείλωσις est & χείλων: ita leguntur,

> — — ὧν χρυσέα
> Κληῒς ἐπὶ γλῶσσα βέβακε
> Προσπόλων Εὐμολπιδᾶν,
> *Et quorum aurea sera linguam claudit ministri*
> *Eumolpidæ.*

Conf. *Scholia* p. 306. & J. Camerarii *Comm.* pag. 198.

VIII. Præter istas notiones, quæ præsentiâ proposito justo sunt remotiores, κλεὶς non rarò etiam κλεῖθρον significat seu seram vel pessulum, idque vel unicus in Arato locus evincere potis est, quem sic, secus quàm est in vulgatis, antiquissimorum integræque fidei codicum auctoritate legendum restituit Salmasius,

> Οἷον δὲ κληῗδι θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν
> Δικλίδα πεπλήγοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες.

Frustra esset, quicunque per τὸ κληῗδι claustri referandi instrumentum hîc loci intellectum vellet, quum revera non aliud sit, quàm τὸ τῆς θύρας ἀσφάλισμα· ὀχῆες γὰρ πλήσσοντες ἀνακρούουσι τὴν κληῗδα, non verò vice versa, κληῗδες ἀνακρούουσι τοὺς ὀχῆας. Hic tamen loquendi modus Homero arrisit *Odyss.* 21. v. 47.

> Ἐν δὲ κληῗδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας,

quod *Iliad.* ult. v. 446. dicitur ἀπῶσεν ὀχῆας. Ex illis locis inter se collatis facilè patet idem Homero esse τὴν κληῗδα, atque sunt ὀχῆες Arato. Neque tamen in Homero desunt argumenta, quibus κλεὶς sive κληὶς ἀντὶ τοῦ ἐπιβλῆτος usurpatur: in *Iliad.* enim ultima ψ. 453.

> — — θύρην δ' ἔχε μοῦνος ἐπιβλὴς
> Εἰλάτινος, τὸν τρεῖς μὲν ἐπιρρήσσεσκον Ἀχαιοὶ,
> Τρεῖς δ' ἀναοίγεσκον μεγάλην κληῗδα θυράων.

Hic altero loco obex iste abiegnus est ἐπιβλὴς, altero verò κληὶς, & paulò antè ὀχεὺς, ut alibi passim. Eustathius postquam, quid voce τοῦ ἐπιβλὴς intelligendum esset, docuisset, Ὁ δὲ Ποιητὴς, inquit, ἑρμηνεύων τὴν λέξιν καὶ μεγάλην κληῗδα θυρῶν αὐτὴν φησὶ, ταυτὸν εἶναι κληῗδα καὶ ἐπιβλῆτα παραδιδούς· ἀμφότερα δὲ μοχλὸν δηλοῦσιν, ὡς καὶ κλεῖθρον λέγεται, ὁποῖόν τι καὶ Ὀδύσσεια δηλοῖ ἐν τῷ, ἐπὶ δὲ κληῗδ' ἐτάνυσσεν ἱμάντι· κλεῖδα γὰρ ἐκεῖ τὸ κλεῖθρον καλεῖ, μικρὸν ὄν, ὡς μὴ χειρὶ καταῤῥήσσεσθαι, ἀλλὰ ἱμάντι τείνεσθαι· ὁ δὲ τοιοῦτος μοχλὸς καὶ ὀχεύς ἐστιν ἢ ὀχῆες, κατὰ τὸ, ὤϊξε πύλας καὶ ἀπῶσεν ὀχῆας. Et post pauca: ὥστε ταυτὰ κατὰ πολυωνυμίαν μοχλὸς, ὀχεὺς, ἐπιβλὴς, κληὶς καὶ κλεῖθρον. Neque aliter Theoni Alexandrino ad Arati versus modò citatos usurpatum est: Νῦν δ' ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, τουτέστι μάγγανα τῆς κλειδώσεως. Hisce & Pollux adstipulatus est, p. m. 462. Ὀνομαστ. inquiens:

Ἐν δὲ τοῖς δημιοσπράτοις, καὶ ἐν μοχλείᾳ σιδηρᾷ· οἱ μὲν οὖν ἀκλειδέστερον ἑρμηνεύειν πειρώμενοι, τὰς κλεῖς οἴονται προσήκειν λέγειν. Hinc in *Iliad.* ult. v. 317. ἡ ὑψορόφοιο θύρη θαλάμοιο εὐκληῒς, id est, *benè ferata*, audit. Est sanè mirè harum vocum inter se variata significatio.

IX. Quod jam περὶ τῆς κλεὶς dictum est, idem ferè de τῷ ὀχῆες venit intelligendum; nunc enim pro clave, ut in loco Arati, nunc pro clavis dentibus, nunc pro pessulis ferreis seu ligneis, vel etiam quibuscunque usurpatur κλειδώσεσι, quod ex allatis atque infinitis aliis perspicere pronum est. De βαλάνῳ quoque eadem intelligenda sunto, quippe quæ nunc ferream quandam designat glandem feræ immissam, nunc ipsam feram, seu τὸν μοχλὸν, ut ex Aristophanis *Vespis* ipsiusque *Scholiis* apertum est, quorum ille v. 154.

Καὶ τῆς κατακλεῖδος ἐπιμελοῦ καὶ τοῦ μοχλοῦ,
Φύλαττε δ' ὅπως μὴ τὴν βάλανον ἐκτρώξεται.

Hæc verò, βάλανον, id est, τὸν μοχλὸν: nunc itidem clavem sive potiùs ejus dentem, ut in Epigrammate quodam Græco:

Δικλίδος ἡμετέρης τὴν βάλανον χαλάσας.

Conf. Hesych. & Phavorinus. Est, quod adhuc magis mirere in ipsa βαλανάγρᾳ, quòd licèt παρὰ τὸ ἀγρεύειν τὴν βάλανον, testibus non tantùm in memoratum modò Comicum, sed & in Thucydidem *Scholiis*, nomen eadem habeat, non tamen istam evitare potuit sortem, quin ad alia transferretur, ut non tantùm clavem, sed & ipsum κλείδωμα denotaret: Polybius lib. 7. *Hist.* de occupatione Sardium p. m. 508. Οὗτοι μὲν ἔξωθεν προσπεσόντες πειρᾶσθαι διακόπτειν τοὺς στροφεῖς καὶ τὸ ζύγωμα τῆς πύλης· αὐτοὶ δὲ τὸν μοχλὸν ἔνδοθεν καὶ τὰς βαλανάγρας. Hoc in loco, sicuti Interpretum, quos videre contigit, per claves vocem βαλανάγρας reddere nullus sustinuit, ita aut nimiùm incautus aut festinus fortè æstimaretur, aut Græcarum litterarum planè rudis, qui non perspiceret hîc claves non indigitatas. Quare Casaubono visum est reddi debere per claustra ipsa, idque præeunte clara verborum connexione & structura, unde resultat sensus: *Extrinsecus irruentes cardines portarum & jugamentum seu lignum transversarium effringere conati sunt, tantisper dum ipsi vectem intus & claustra discuterent.*

X. Paucioribus verbis indicandæ nunc veniunt ex vera & propria clavis significatione enatæ aliæ, ad similitudinem istius efformatæ, ac rebus affictæ, suntque nihil aliud, quàm *modi seu rationes, quibus aliquid nobis patere nostrique juris facimus*, ut J. Colding. in *Etymol. Lat. Dan.* voc. *clavis*, placet. Hoc modo *clavis imperii* est modus acquirendæ Reipub. qui ut multiplex, ita doctrinæ civilis tractatoribus expendendus relinquitur. Hoc deinde nomine insigniri quoque gaudent scripta nonnulla, succinctam quæ methodum consequendæ rerum obscuriorum cognitionis tradunt, apparatumque alium, ad intelligenda ea, quæ absque manuductione aliàs forent obscuriora, quàm ut quis eorum mentem facilè assequi valeret. Quo sensu suspicor venire titulos, *Clavis Scripturæ*, quale est Opus quoddam Matth. Flacii: *Clavis Philosophiæ: Clavis Linguarum Ebr. Græc. Latin.* & quæ sunt id genus alia. Hujusmodi claves occultæ norunt litteræ, & scripta ænigmatica, quemadmodum de epigrammatibus suis ad curiosum Lectorem Joh. Owenus lib. ad Arbell. Stuart *epigr.* 274.

Cur sint obscuro sensu mea carmina quæris,
Utiliter nequeant quæ sine clave legi.

A Ob hanc ipsam causam, quæ abstrusiora sunt, atque ab intellectu captuque humano remotiora, quàm ut eorum in cognitionem humana pervenire possit ratio, clave carere dicuntur, vel ut de consiliis divinis vernaculum habet proverbium, *Gudz Radlammar bar ingen nyckel*: vid. Christoph. *Grubbs penu Proverb.* p. m. 282. Hasce claves excipiunt suadelæ sapientum apud Pindarum *Pyth.* od. 9. v. 69.

— κρυπταὶ
Κλαΐδες ἐντὶ σοφᾶς
B Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων,
——— *occultæ*
Claves sunt callidæ
Suadelæ sacrorum amorum.

Hîc enim per τὸ κρυπταὶ κλαΐδες prorsus nihil aliud intelligi potest, quàm tectus sermo & quidem cum suasione conjunctus, quo Apollo non tantùm desideria sua aperire ac declarare deberet, sed unà quoque captandæ benevolentiæ atque amoris viam sibi sternere, ad oculum demonstrante hoc ipsum Paraphraste, qui, σύνηθές, inquit, ἐστι, Ἄπολλον, κρυπτοῖς λόγοις τὸν ἔρωτα φα-
C νεροῦν, καὶ δεῖ οὐ δι' ἁρπαγῆς βιαίως, ἀλλὰ διὰ πειθοῦς δολίως τὴν συνουσίαν θηρεύειν. Vid. Joh. Benedicti *Comment.* in eundem Poëtæ locum.

XI. Designat denique verbum *clavis* ipsam rei alicujus gerendæ potestatem, unde Rabbini Dei omnipotentiam quinque comprehendunt clavibus, cæli nim. terræ, inferni, uteri, sepulcri, quos hoc disticho complexus est B. D. Petr. Winstrupius *epigr.* 1. 2. p. m. 30.

Tu claves uteri, cæli, terræ, tumulique,
Et simul inferni, Jova, potenter habes.

D J. Buxtorf. *Lex. Rabb.* p. 1873. tantùm quatuor hujusmodi claves ex Targum Hierosol. annotat, & hoc ordine recenset: *Quatuor sunt claves in manu Domini Mundi, quas non tradidit neque ulli Angelo, neque Seraphim; clavis pluviæ, clavis sustentationis, clavis sepulcrorum, clavis sterilitatis;* quæ tamen cum prioribus ferè coincidunt. Quomodo autem singula locis Scripturæ probare annitantur, ibidem videre est. Add. pag. 2034. voce קלד, quæ clavem quoque à Græco κλεὶς deducta significat. Conf. Conr. Dietericus supr. *Evang. Dominic.* P. 2. p. m. 357. Ita Ἡσυχία βουλᾶν τε καὶ
E πολέμων ἔχοισα κλαΐδας Pindaro *Pyth.* 8. 3. dicitur, quod qua fiat ratione indicant *Scholia*, atque ex illis J. Benedicti. Hujusmodi quendam ad significatum non inconvenienter, ut opinor, Suecum referri potest proverbium: *Alla nycklat hangia icke wid & balte*, *Grubbz penu Proverb.* p. m. 15. quod, nisi fallor, ita Latinis sonat,

Unica non claves matrona repagulat omnes,

quasi indicaret omnem potestatem ita penes unum non esse, ut alia dari non possit conditio, quàm illius per favorem. Hoc eodem nomine in veteri
F quodam epigrammate, seu potiùs ænigmate, insignitus est baculus Mosis, quòd ejus operâ Maris Rubri aquæ divisæ atque reseratæ essent,

Est fera, aquis constans, reserat quam lignea clavis:
Venator capitur; libera casse fera est.

Clavis quoque nomine exprimitur quodvis instrumentum fores pandens, sive etiam effringens: inde nobis venit formula, *lasa up med Rungz nyckelen*, quando clavibus ademtis claustra ad regium mandatum impetu quodam & vi aperiuntur.

Nec

Nec aliunde Græcis fluxit proverbium, *clave findere ligna*, & *securi fores aperire*, quod de rebus præposterè peractis ex Plutarcho annotavit Erasmus *chil.* 2. *cent.* 6. 81. p. m. 484. τῇ κλειδὶ τὰ ξύλα σχίζειν, τῇ ἀξίνῃ τὴν θύραν ἀνοίγειν.

XII. Sequitur nunc ultimo loco expendenda συνωνυμία, & primùm quidem Latina, quæ tamen parum nobis facessit negotii, quum puræ Latinitatis Scriptores, quod mihi quidem cernere contigit, ullam non agnoscant, nisi fortè periphrasticam, cujus rationem hîc loci habere instituti non admittit brevitas. Quod si verò sequiorum temporum in Scriptoribus hujusmodi quid occurrat, quod tamen perspectus priscæ vocis usus, isque satis frequens, sperare prohibet, illud me adeò non moratur, quum mei non sit propositi antibarbarum quendam agere, ac in barbaris potiùs quàm Latinis vocibus investigandis tempus terere. Ubi tamen non possum non indicare insignem istum à quodam non ita pridem commissum errorem, in quem is ipse Auctor, vel aliorum minus fida ex allegatione, vel non intellecto Guidonis Pancirolli textu *de rebus deperditis* seu parte 1. tit. *de ædific. Veter.* p. m. 121. prolapsus est, dum existimavit asseruitque, *claves antiquitus dictas fuisse bullas, lucidissimoque constitisse ferro.* Pancirollus certè tantùm abest, ut hoc ipsum adseruerit, ut ne in toto quidem capite clavium fecerit mentionem: verùm de clavis illi sermo est, quos dicit bullas dictos fuisse, non tamen quoscunque, sed quorum capita in modum bullarum fastigiata fuere; quibus magnarum superbarumque ædium valvæ configi solebant exornarique, teste in *Aulul.* 2. 4. 20. Plauto. Quid autem bullæ famosiori significatu sint, ex Plinio 33. 1. & 4. constare potest, & Macrob. *Sat.* 1. 6. p. 263. Græci, verborum æquipollentium aliàs abundantissimi, in hoc ferè eandem cum Romanis coacti sunt experiri inopiam: quotquot enim sunt præter duo illa nomina τὸ κλεὶς, quod generalius, & βαλανάγρα, quod strictius, non tam ipsum instrumentum, quàm partem ejus propriè indicant. Neque Sueci etiam præter unam ejus norunt adpellationem, *Nyckel*, quod antiquitus vel *Lyckel* vel *Lyckla* dictum videtur ex illo in Heraudi *Hist.* p. 48. *Fieck Kongr honum i hendur oll lyklarad*, quod B. Verelio in *Notis* est potestas clavium p. 98. primum tamen præferendum suadet cognomen Lioda *Lyckel*, in Indice Auctorum ad fin. *Hist.* Torstani: addatur Loccenius in *Lexico Jur. Sueo-Goth.* sub *Luka* p. m. 101. *Luka up est aperire, reserare: inde Lyklar fl.* 3. *Erfd. H. L.* & 4. *Kyrk. Sml. claves, a reserando, hodie Nyklar per euphoniam:* sic *Husslykle* c. 31. *Manbalg. H. L.*

CAP. II.

De Clavium inventione & structura varia.

I.

CLavium diversa ad genera priusquam pedem promoveam, quædam ad inventionem, inventionisque occasionem ac necessitatem spectantia præmittere visum est. Usum clavium non casus, non temeritas mortales docuit, neque voluptas aut singularis industriæ cujusdam jactantia primùm in lucem produxit; verùm eundem excogitare ipsa jussit necessitas, injunxitque naturæ vitiositas. Homini enim integro omnis custodum usus supervacaneus, omnisque serarum ratio inutilis, quam ob causam neque clave illi opus erat. Quid enim hominibus malitiæ citra contagionem viventibus claustra, quæ non nisi pravitate corruptis opposita censentur, prodes-
A sent, quum post contractam quoque labem clavium usus quibusdam terrarum in partibus non adeò magni æstimatus sit, scilicet, ex quibus in delinquentes animadvertendi severitas & institutionis sinceritas furti crimen aliamque ejusmodi profanitatem exsulare jusserunt? Ita patriæ docent monumenta de Regis Magni *Ladulaas* temporibus, Loccen. *Hist. Sueo-Goth.* lib. 2. p. m. 58. Rectè itaque Clem. Alexandr. lib. 3. *de Pædag.* Εἰ γὰρ οἱ πάντες ἦσαν παιδαγωγούμενοι, οὐδὲν τῶν σφραγίδων ἔδει, ἐπίσης ὄντων δικαίων καὶ οἰκετῶν καὶ δεσποτῶν· ἐπεὶ δὲ ἡ ἀπαιδευσία πολλὴν ἐκ-
B δίδωσι ῥοπὴν εἰς ἀδικίαν, σφραγίδων ἐδεήθημεν. Ita domorum atque clavium usu caruisse Scythas auctor est Justinus 2. 2. 5. quod de Celtis & Æthiopibus affirmat Damascen. apud Stobæum *de leg. & consuet.* 6. serm. 42. p. m. 297. Hujusmodi felicitatis vestigia apud Dalecarlos etiam hodiernos comparere non pauca experientia probat. Quod si jam serarum usum, atque proinde clavium, inutilem severior effecit disciplina, quanto majori cum successu hoc idem ipsa præstaret integritas? Hoc ipsum veteres quoque Poëtæ, aliique Scriptores, etiam quibus divina cognoscere penitiùs oracula non contigit, quodammodo ha-
C buere perspectum; qui, quòd primævæ integritatis, ipsamque excipientis lapsus non nisi obscuram habuerint notitiam, ideo naturæ, vitæ, morumque propter præstantiam, ut est apud Platonem, aureum quoddam fingere seculum aggressi sunt, in quo Saturni obtinuisse imperium arbitrabantur. Ejus autem felicitatem tantò majorem duxerunt, quòd omnis domus non tantùm clavibus, sed & foribus careret, vel ut verba Tibulli 1. 3. 35. fluunt,

> *Quam benè Saturno vivebant Rege, priusquam*
> *Tellus in longas est patefacta vias!*

D Quando

> *Non domus ulla fores habuit:*

Idem 2. 3. 45.

> *Nullus erat custos; nulla exclusura volentes*
> *Janua:*

quippe nullam tum nocendi cognitam existimarunt cupidinem, cujus causâ aditus intercludere necessium haberent, siquidem,

> *Non locus invidiæ, quamvis vicinus abundè*
> E *Et pecus & messes mustaque haberet ager.*

Sed,

> *Omnia pacis erant, & sua cuique satis.*

Vt est in *Elegia*, quæ Cornel. Galli sub nomine circumfertur: conf. Ovid. *Metam.* 1. 90. de summa primi ævi integritate. Et Hesiod. Ἔργ. 108. Verùm amissa per propriam hominum culpam integritate,

> *Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum*
> *Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque:*
> F *In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,*
> *Insidiæque, & vis, & amor sceleratus habendi,*

Ovid. *Metam.* 1. 128. Hesiod. Ἔργ. 1. 180.

> *Hic dat avaritiæ causas.*

Ac demum,

> ——— *hinc clavem janua sensit,*
> *Et cœpit custos liminis esse canis.*

Tibullus 2. 4. 31.

 II. Post

II. Post contractam enim labem hæc mortalium fuit conditio, hic rerum cursus, ut propagatis ac multiplicatis familiis, aut possessionum è medio tollenda esset penitusque exstirpanda talis communio, aut futurum esset, ut omnis societas, civilis pariter, ac, quæ illius est fundamentum ac fulcrum, familiaris, subverteretur pessumque iret, uti rectè contra Platonis, ejusque assectarum communionem Aristot. *Polit.* 2. 3. & quotquot eum secuti sunt alii: vid. Theoph. Golius *Polit.* 2. 3. p. m. 82. assertioni inservit Munceri cujusdam factum apud Helvetios, de quo Sleidanus in *de statu Relig.* ad An. 1525. lib. 5. p. m. 118. Communione sublata rerum introductum est dominium, quod bonorum appellare proprietatem moris est. Hoc verò facto (modum alii doceant) vesana pravos ignavosque alienorum invasit cupido, ut turpia sequentes otia, quo ignavum alerent corpus, haberent, & insatiabili habendi desiderio flagrantibus, quo sitim ardoremque sedarent, suppeteret, aliorum inhiarent bonis, quæ vi partim ac violentia, partim etiam clam possessoribus eripuerunt, ceu Lusitanos sui temporis prædari maluisse, quàm fœcundam colere terram asserit Strabo *Geogr.* 3. Istiusmodi perversitatis malitiæque exercitia quum nec possent, nec debere se existimarent æquo animo ferre boni, industriam quam potuere, in excogitandis iis, quibus se suaque ab istius generis suppilatoribus tuta præstarent, adhibuere maximam. Tunc primùm de ædificiis, quæ qualiacunque ac temporum primorum pro conditione rudia fuere, ut Æg. Hunnius *ad Gen.* 4. p. m. 132. & Perottus *C. C.* p. 182. docent, sibi prospicere necessum habuerunt; estque hoc ipsum, quod inquit Ovid. *Met.* 1. 121.

Tum primùm subiere domos: domus antra fuerunt,
Et densi frutices, & vinctæ cortice virgæ.

Quemadmodum autem absque foribus, quibus arceantur maligni, repositoriorum nomen ædificia mereri non possunt; ita extra repagula & claustra in removendis iisdem nihil possunt valvæ, nihil firmissimæ portæ. Struendarum itaque domorum inventa ratione, foriumque introducto usu, è re visum est antiquitati ejusmodi quid venari, quo ôstia firmarent, ac pessima conata frustrarentur dissolverentque, requirente hoc ipsum non tantùm utensilium ac bonorum custodiendorum cura, verùm longè maximè vitæ incolumitatisque servandæ summa urgente necessitate. Neque enim contenta fuit naturæ pravitas opibus struxisse insidias, quin eo quoque perversitatis ac malitiæ procederet, ut ne ipsam quidem vitam inviolatam relinqueret. Hæc si non sola, certè è præcipuis maxima excogitandarum clavium videtur fuisse causa.

III. Ad clavium verò incunabula quod attinet, fateor tam impeditam ac difficilem esse eorum investigationem, ut de inventione ac inventore vix certi quid adferi posse suspicer. Temporibus antediluvianis an aliqua hujus instrumenti exstiterit notitia, nec Scriptorum nos docent monumenta, nec adeò sollicitè laborandum duco. Voluit enim summus Conditor omnium historiam illius ævi non nisi per summa quædam rerum capita, ubi hujusmodi ad minutias, ad salutem prorsus non necessarias, digredi supervacaneum videbatur, nobis per Mosen servare. Ista tamen à cognitione antediluviana tempora planè excludere, varia sunt, quæ prohibeant, argumenta. Primùm enim firmum ratumque manet, tunc temporis scelera, si non graviora ævi sequentis sceleribus, certè nihil aut parùm leviora viguisse, ac planè inter mortales invaluisse; quod satis quidem per-

A spicuè Mosaica ex historia colligitur. Est & vix quod speremus tantæ felicitatis ista fuisse secula; ut tot sceleribus contaminata prorsus omni furti carerent crimine, quum eò perversitatis tum genus humanum processisse constet; ut hoc etiam longè majora attentare non vereretur. Hujusmodi vero scelera deprehensa & cognita; claves & claustra, *custodes muti* quæ Columellæ 7. 12. audiunt, excogitanda suaserunt. Ædificiorum quoque tum exstitisse rationem evincit historia Caïni urbem, vel, ut quidam sequius sentiunt, imaginem ejus, ceu de Romulo Florus 1. 1. 9. exstruentis; itemque alia, quæ vix admittere posse

B videntur, ut tantum temporis homines domorum absque notitia viverent. An autem eidem Caïno clavium innotuerit usus, adhuc ambiguum est; aliquam tamen offirmandarum ædium rationem illi fuisse non inconvenienter adseritur, quippe, cui vix alia fuit causa condendæ civitatis istius Chanoch, quàm ut invasorum, quorum timore adeò percellebatur, eluderet molimina, quod clavium & claustrorum absque ope frustra conatus esset. Accedit denique, quòd non tantùm seraturas clavesque habuisse censeantur, sed & easdem vel ferreas vel æreas, vel ex quocunque alio metallo

C confectas, siquidem horum cudendorum artem optimè calluisse atque excoluisse Tubalcaïnum ex Historia sacra in confesso est, quem Ethnici Scriptores per quendam Vulcanum, quod vel solo ex nomine addisci posset, exprimunt; vid. Sam. Bochart. *Chan.* 1. 22. p. m. 432. Genere verò humano per aquas Diluvii tantam iterum ad paucitatem redacto, ut se invicem nec adeò timere opus esset, nec terrarum per inundationem fœcundatarum ubertas rapinas suadere posset, hominesque præterea in tentoriis, ut de Noachidæis scripsit Genebrardus, atque ex illo Joh. Widichindi in *Lum. Chronogr. V. T.* lit. D. conf. Ti-

D bullus 2. 1. ubi ferarum claviumque usus non adeò magnus esse potuit, habitarent; factum est, ut si aliquam hujus instrumenti notitiam ante immissum Diluvium hauserint, illam vinculis vel pessulo solùm ligneo pro arcendis bestiis, contenti, negligerent, usque dum ejus memoria penè oblitteraretur. Sed nec diu hac gavisos felicitate homines in propatulo est, quum non adeò multis interjectis humanam venationem auspicaretur potens ille coram Domino venator Nimrod, cum quo finem habuisse mihi videntur aurea illa Saturni tempora Scriptoribus antiquis frequentata, in

E quibus omnia hominibus communia existimabantur*, quum adhuc, ut Tibulli utar verbis 1. 3. 43.

—— —— *non esset fixus in agris,*
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas esset.

Ex *Georg.* 1. 126. Virgil. quum

Seducta in varias certarunt pectora curas,
Et quodcunque sagax tentando repperit usus,
F *In commune bonum commentum læta dedere.*

Ex Manilii *lib.* 1. p. m. 3. Hoc verò destructo sive ad finem perducto seculo, postquam jam agri atque terræ dividerentur, quod Phalegi tempore factum Historia sacra docet, jam paulatim irrepere cœpit deterior ætas, quâ, casis relictis, de domibus sibi iterum prospicere necessum habuerunt mortales, ut Bochartus in *Phaleg.* 4. 12. p. m. 256. & demum

Tum variæ venere artes,

Vir-

Virgil. loco cit. Hæc verò ante tempora an prorſus omni clavium uſu deſtituti fuerint homines, cuique perpendendum relinquitur: hoc tamen certò certiùs polliceri habeo, non ſtatim à Diluvio ex ferro confectas ſive ſeras ſive claves exſtitiſſe; quod non niſi ſatis longum temporis poſt intervallum id metallum denuo adinventum legatur, unde non tàm ejus metalli cudendi fundendique ignorantiæ, quàm inopiæ hoc ipſum adſcribendum reor. Exoticorum enim unanimis eſt conſenſus, inventionem ferri ad ſequentia tempora referendam eſſe, quippe quos ante Diluvium Tubalcaïnum hac arte celebrem fuiſſe latuit.

IV. Quod ſi autem *ſive Chalybibus* ut plurimis Scriptorum placet, utpote Ammiano *lib.* 22. p. m. 231. Arrian. in *Alexand.* Callimacho; atque ex illo in *de Coma Berenices* Catullo v. 48. Euripid. *Alceſt.* 980. Scholiaſt. Apollonii *lib.* 2. Num. 19. Euſtath. *in Dionyſ.* Straboni *Geogr.* 12. Stephano, Lucano *bell. Pharſal.* 4. p. m. 117. ad quem vide Jac. Micyllum p. m. 433. & Tzetzæ *Chil. Hiſt.* 10. 338. p. m. 433. ſive *Fauno*, ut Suidæ: ſive *Rhadamantho*, ut Euſebio: ſive *Hiſpaniæ quibuſdam populis*, ut Sulpitio ad memoratum Lucani locum viſum eſt, *ſive aliis quibuſcunque* largiamur, quòd primi poſt Diluvium ferrariam exercuerint, an & iiſdem debeat originem clavis, in dubium meritò venit, quum non tantùm ligna, de quibus ſtatim, ſed & alia etiam metallorum genera huic uſui non ſint inepta; quæ abſque dubio iſtorum ante tempora dudum fuere inventa; quod ſatis expreſſis teſtatur verbis v. 150. Ἔργ. Heſiodus;

Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

add. Scholiaſt. Apollon. v. 430. ex recentioribus Magius in *Miſcell. Lect.* amp. O. Rudbeck in *Atlant.* 7. 5. p. 190. & 26. 4. 46. p. 653. Quemadmodum itaque clauſtra fuere ærea, ex Virgil. *Æn.* 7. & Euripid. *Iphigen. in Tauris* 99. & aliis locis; ita æreæ quoque fuere claves, quod nec obſcurè Homerus ipſe *Odyſſ.* φ. v. 8. ſubinnuit de Penelope verba faciens,

Εἵλετο δὲ κληῗδ'
Καλήν, χαλκείην.

ubi τὸ χαλκείην ferream indigitare clavem; quod de armis quidam ſuſpicantur, Euſtathio minimè eſt verſimile, ideoque ait: Χαλκείην δέ φησι Ποιητής· οὐ τὴν ἐκ σιδήρου μετὰ τὸ χαλκέα ὅπλα, ἀλλὰ τὸ αὐτόχρημα χαλκῆν· διὸ καὶ καλὴν αὐτὴν ἔφη· ὃ καὶ μᾶλλον παρακαλεῖται γραφὴν ἑτέραν τὴν ἔν τισιν ἀντιγράφοις ἤγουν τὸ καλὴν χρυσείην· χρυσῷ γὰρ μάλιστα οἰκεῖον τὸ καλόν. Gorlæus quoque in *Dactyliotheca* figur. 42. æneæ cujuſdam clavis ſpeciem ſiſtit, itemque P. Scriverius in *Antiquitatibus Batavicis* p. m. 192. Sed ne quid in hiſce diſſimulem, bello Trojano, ad cujus reſpexit tempora Poëta, antiquior eſt & Rhadamanthus ex *Iliad.* ξ. & uſus ferri ex Joſephi hiſtoria, *Pſalm.* 105. 18. add. *Job.* 28. 1. de cujus ætate, quæ quibuſdam dubia eſt, vid. Frid. Spanhem. in peculiari *de Jobo* Tractatu, Hornius *Hiſt. Philoſ.* 5. 9. p. m. 284. Adde, quod & Plato in *Axiocho*, abſque dubio ad antiquiora reſpiciens tempora, dicat veſtibula Plutonis ferreis clauſtris & clavibus obfirmata: conf. Jac. Pontanus *ad Virgil. Æn.* 6. v. 295. Rudbecks *Atlant.* 22. 2. 3. p. 538.

V. Ad auream quod attinet clavem, an & illa iſtis temporibus, vel aliàs unquam communi uſu recepta fuerit, in ambiguo cuipiam eſſe poterit,

A quum ejus etiam mentionem ſatis frequentem Poëtarum faciant monumenta. Mihi equidem veriſimile non eſt, quòd & mollior ejus ſit indoles, quàm ut iſti inſervire uſui, & major omni tempore inopia, cariuſque pretium, quàm ut huic tam vulgari rei deſtinari, nedum promiſcuè adhiberi potuerit. Idem quoque de argentea eſto judicium. Quandocunque autem hujuſmodi materiæ clavium mentionem Scriptores faciunt, ſplendorem quendam magnificentiamque innuere eos certum eſt, idque Homero uſu veniſſe ſatis comprobant ſuo exemplo illi, qui ſuadent præferendam lectionem
B τὴν χρυσείην; ὅτι χρυσῷ μάλιστα οἰκεῖον τὸ καλόν: cui etiam opinioni maximè ſuffragantur ſequentia, quum in deſcribendo manubrio ait,

—— κώπη δ' ἐλέφαντος ἐπῆεν.

Quæ omnia non poſſunt non ad ſplendorem referenda eſſe; unde & Euſtathius κώπην δὲ ἐλεφαντίνην τὴν λαβὴν λέγει· τοιαύτην οὖσαν διὰ τὸ τιμιώτερον, αἱ γὰρ λοιπαί, ξύλιναι ὡς εἰκός. Neque mirum cuiquam ſit, ad magnificentiam factam fuiſſe illam clavem, ὅτι ἐκεῖ θάλαμος ἔσχατος ἦν, καὶ ἐνταῦθα τὸ ταμεῖον, ὃ καὶ βασιλικόν
C ἐστι, διὰ τὸν Βασιλέα Ὀδυσσέα, ἐν ᾧ φησι κειμήλια κεῖτο ἄνακτος χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος· οἷς ἀνάλογον καλὴ καὶ ἡ κλεὶς, uti paulò inferiùs verba Euſtathio habentur. Omnia denique ſplendida fuiſſe, deſcriptio τοῦ θαλάμου, v. 43. item *Odyſſ.* ψ. v. 188. allata abundè probant. Hoc eodem modo aurea clavis Plutoni, tanquam Inferorum, imò etiam quibuſdam divitiarum Deo; apud Pauſaniam in priori *Eliacor.* ſeu *lib.* 5. p. m. 301. tribuitur. Neque alia fuit ratio aureæ clavis, quâ uſi fuerunt Pontifices Romani, & quam adorandam proſtituerunt, teſtibus
D Theodoreto in *de cultu Imag. confeſſ.* apud Damaſcen. p. m. 675. Gregor. M. 6. *Ep.* 20. Magdeburgenſes *Cent.* 6. 6. p. m. 193. quàm ut inutilem proderent ſplendorem luxumque abominandum & deteſtabilem. Nec aliter intelligendus eſt locus Sophoclis ex *Oedip. Col.* v. 1038. ſuprà adductus de aureo freno: conf. Virg. *Æn.* 7. 274. De orichalcea non eſt quòd multis diſſeram, quum illius inventionem longè recentiora ſibi depoſcant tempora, ut ex Pancirollo in *Memorab.* p. 2. tit. de orichalco patet: conf. Voſſ. *Etymolog.* Rudbecks *Atlant.* 7. 5. p. 190.

E VI. Sed de clavis tàm inventione quàm inventore primo notandus eſt inſignis quidam recentiorum Scriptorum error, qui primæ clavis auctorem Theodorum quendam Samium celebrant. Eorum in numero ſunt C. Plinius in *Hiſt. Nat.* 7. 56. p. m. 126. Polyd. Vergilius *de rer. Invent.* 3. 14. p. m. 258. Perottus in *Cornu C.* p. m. 46. Spondanus *ad Homer. Odyſſ.* θ. p. 111. aliique. Non equidem eſt diffitendum hunc ipſum Theodorum inſignem ferri fabrum in *Laconicis* Pauſaniæ ſive *lib.* 3. p. m. 171. prædicari: verùm eundem Ulyſſe recentiorem in *Arcadicis* ſeu *lib.* 8. p. m. 438. facit, ideoque nec is primus eſſe po-
F tuit, qui in Græcia clavem confecerit, niſi vel de certo aliquo clavium genere à prioribus diverſo, vel etiam de clave ferrea, quum lignea atque ænea antea eſſent in uſu, id intelligendum ſit, quum & ipſa in Græcia tempore Ulyſſis clavium ope fores & obfirmarint & laxarint, teſte non uno in loco Homero: vid. Joh. Feithius *Antiq. Homer.* 3. 11. p. m. 229. Nec ſatis liquet, an non eodem digitum quoque intenderit Euſtathius dicens τὴν κλεῖδα Λακώνων εὕρημα εἶναι, *ad Odyſſ.* θ. p. m. 319. licèt inventoris nomen vel ignorarit, vel ſtudio ſuppreſſerit, quod verò eſt ſimilius, quum

 ipſe

ipse secum non posset non reputare instrumenti hujus incunabula remotioribus Mundi temporibus, quàm ut ad hunc Theodorum referrentur, quærenda esse. Hoc verò de auctore, licèt certi quid statuere nemo potis sit, Græcum tamen eundem fuisse non absque ratione in dubium vocatur, siquidem vera sunt, quæ de Danao Beli filio circumferuntur, quod is vectem sive pessulum, vel certè eorum usum ab Ægyptiis ad Græcos primus transtulerit: vid. Perottus in *C. C.* p. m. 192. Unde non immeritò etiam antiquissimum clavis modum unà cum vecte transsumtum suspicor. An etiam Ægyptiis originem debeat clavis, an verò & illi aliunde ejus hauserint notitiam, pariter ambiguum est. Annii Witerbiensis commentis, quæ Fabii Pictoris longè antiquissimi Scriptoris sub nomine nobis obtrudere conatus est, si quid tribuendum foret, satis equidem antiquum esset inventum clavis, quippe ipsis januis coævum, ita enim ille de Jano: *Primus aras & pomœria & sacra docuit, & ad pudorem & sanctimoniam domorum primus valvas & sacras claves excogitavit & invenit, & ab eo dictæ sunt januæ*: conf. Hier. Magius *Lect. miscell.* 3. 13. De veri autem Jani ætate consuli potest in *Etymol.* sub *Janua* Vossius, cui Noach & Janus pro iisdem habentur. Hornius *Hist. Philos.* 2. 1. p. m. 61. Neque aliter Annius ipse in supposititio illo Berosi Scripto, ubi Janum cum Noëo, qui post Diluvium vitem vinumque adinvenit, confundit: conf. Claud. Minos *ad Embl. Alciati* N. 18. p. m. 106. Fortè non per omnia rejiciendæ Annii conjecturæ. Certè sacra si velimus consulere oracula, quibus, ut in omnibus aliis, ita in his quoque fidem habemus longè maximam, facilè patebit, claves antiquitate non tantùm belli Trojani antecedere tempora, evincente *Historia Judicum* cap. 3. 25. ubi expressis asseritur verbis Eglonis ministros clavis ope conclavii aperuisse januam, cùm tamen Troicum illud bellum in tempora inciderit vel Tholæ, vel Jair, vel etiam posteriora, commonstrantibus Chronologorum monumentis. Vid. Eusebius *de Præpar. Evangel.* 10. pag. m. 484. Chronic. Alexandrin. p. 392. Rhodomannus in *Hist. Troj.* v. 171. quorum illi ad Labdonis, hic ad Elonii tempora, Georg. Cedrenus lib. 1. *Hist.* p. 101. ad Eli vel Saulis, Clem. Alexandr. *Strom.* 1. p. 334. ad Salomonis referunt. Conferantur & reliqui, quorum sententias magno studio conquisivit congessitque in *de Troja capta* cap. 3. §. 3. Ol. Svanberg. conf. Rudbeck in *Atlant.* cap. 35. §. 4. Sed & ad longè remotiora referenda esse tempora Lothi suadere videtur Historia, quæ quidem non paucis seculis hac, imò ipso quoque Danao, qui decimum ab Inacho Argivorum successorem regno depulisse traditur, antiquior est. Quum enim Loth ad ædium suarum obsessores exiret, clave clausisse evidens est, quod innuit vox illa Genes. 19. 5. 10. סגר, collata cum *Esa.* 22. 22. ubi clavis domus David super humeros Eljakim imponenda dicitur, ut *illo claudente nemo aperiat, & illo aperiente nemo claudat*, ubi clave claudendum esse & aperiendum contextus solidè evincit, licèt non alia adhibeatur loquenti formula, quàm quæ Mosi usurpatur. Hoc cernens Interpres Suecus cum emphasi illam vocem reddidit: *oc Loth gick ut til them for dorena, oc smalte igen dorena efter sig.* & v. 10. *The togo Loth in i huset, oc smalte dorena til.* LXX. προσέωξε ὀπίσω αὐτȣ̃, & v. 10. τὴν θύραν τȣ̃ οἴκȣ ἀπέκλεισαν. Nisi autem revera obseratæ fuissent fores, nihil profectò causæ Sodomitæ habuissent, cur easdem vi effringere adorirentur, quod sequens habet versus, לשבר הדלת. Hæc sanè antiquissima clavis est memoria, quæ pariter erroris arguit omnes eos, qui Theodorum inventorem pronunciant. Nec tamen præcisè audeo affirmare potiùs in hisce quàm aliis terrarum tractibus lucem primùm adspexisse, sed in medio illud relinquo. Quod si tamen οἱ Χαλδαῖοι secundùm Strabonem & alios à Jac. Micyllo *ad Lucan. Pharsal.* 4. p. m. 433. adductos, Χάλυβες τὸ παλαιὸν ὠνομάζοντο, atque illi non tantùm ferrum primi invenerint, sed & æs, ærisque cudendi rationem, vel ut Tzetzes *Chil. Hist.* 10. 338. loquitur,

— χαλκόν τε λέγουσί μοι
Οἷα καὶ τȣ̃τοι εὕρημα τελȣ̃ντα τῶν Χαλύβων,

posset quis fortè existimare; quòd illi claves ex metallo primi confecerint, ex iisdem verò Loth atque Abraham earum notitiam hauserint, inque peregrinas terras secum transtulerint. Tribuat verò quisque huic conjecturæ, quantum volet, quum Chalybes, quorum memoriam Græcorum servant Scripta, vix ac ne vix quidem Patriarchis illis antiquiores crediderim.

VII. Hisce ita expositis ad ipsas claves claviumque varia genera, veniendum est, in quibus considerandis claustra, quæ clavem non admisere, seposita sunto, ut sunt *pessuli interni* Comicorum Terentii *Eunuch.* 4. 6. 25. Plaut. *Aulul.* 2. 2. 25. *Fustes* Festi, teste Vossio in *Sera*, *Vincula interna*, sic *uncini* Apuleji *Metam.* 3. p. m. 232. ῥόπτρα Plut. in *de Curios.* c. 5. κιγκλίδες Scholiastæ Theocriti *ad Idyll.* 5. p. m. 135. & alia quæcunque, vid. *Histor.* Rholfonis c. 43. p. 273. Corn. Nep. 10. 6. 4. Eorum verò, quæ clavi paruere inter prima arbitror fuisse vincula, non tantùm arculis ex Homeri *Odyss.* θ. 447. sed ipsis etiam januis ex Apuleji in de Psyche Apologo seu *Metam.* 5. p. m. 365. adhibita, ac in nodum quendam Gordianum, (Curt. 3. 1. 15.) vel alio quodam instrumento ita implicata, ut absque clavium singulari opera effictarum auxilio solvi vix possent. Ejusmodi fuit δεσμὸς Ὀδυσσέως, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη, id quod solutu tam difficile fuit, ut in proverbium abiret, ἐπὶ τῶν ἀσφαλῶς σφραγιζομένων, notante Eustathio *ad Odyss.* θ. conf. Adrian. Junius *Adag. Cent.* 8. 74. p. m. 865. Joh. Spondanus *ad Odyss. Hom.* λ. quale quid de Jove quoque in Jambis Simonides Ζεὺς δεσμὸν ἀμφέθηκεν ἄῤῥηκτον πέδῃ. Clavium verò operam hîc requisitam non obscurè subinnuit Ulyssis apud Homer. *Odyss.* φ. 240. non tantùm forium custodiam Philœtio demandans, sed &, ut in apponendo vinculo clavi clauderet, unà præcipiens,

Σοὶ δὲ, inquit, Φιλοίτιε δῖε θύρας ἐπιτέλλομαι αὐλῆς
Κληῖσαι κληῖδι, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἰῆλαι.

In quibus verbis explicandis vix sibi constat emendatio Schrevelii, aut cujuscunque ea est, pro vinculo, ut est in Editione Crispini, quam sequutus Giphanius, pessulum substituentis, quum τὸ δεσμὸς ἀπὸ τȣ̃ δέω oriundum aliud importet: vid. Eustathius, item Jo. Spondanus p. m. 305. Illa sanè clave, nuda manu vinculum si adponi potuisset, opus minimè fuisset. Quod si verò in claudendo sive complicando hocce vinculo clavis requireret operam Philœtius, dubium non est, quin longè major in aperiendo sive replicando ejus fuerit usus atque indigentia. Ad hunc vel hujusmodi quempiam ligandi sive claudendi modum allusisse Salvatorem in de clave ligationis sermone apud Evangelistam vult D. Calixtus, quem commodè in *Harmonia Evangelica* de metaphora illa *à ligando & solvendo vincula seu catenas* ducta disserentem audire lubet: *Metaphora*, inquit, *quæ sub-*

A *subjungitur, & per quam claves explicantur ligandi & solvendi, posset videri nova, & recedere à metaphora clavium; sed ita non est. Respexit Dominus ad ligationem & solutionem vinculorum sive catenarum, quæ appositis seris impingi, & ope clavium removeri solent.* Vid. Glassius in *Philol. Sacr.* lib. 5. tract. 1. cap. 12. p. m. 392. Communem autem hunc fuisse claudendi modum, & remotissimæ Antiquitati receptum diligentissimus talium rerum scrutator Eustathius docet, inquiens: Παλαιὸν δέ φασιν ἔθος ἦν, κατασφαλίζεσθαι δεσμοῖς, καὶ τὴν κλεῖδα νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα εἶναι.
B Quale verò cujusve generis hæc fuerint, quum tàm vinciendi modum, quàm vinculorum naturam antiquitatum sileant monumenta, difficilius determinatu est. Coriaceas tamen fuisse & feras & claves ex Sanhedrin f. 110. 1. & Pesachim fol. 119. 1. constat, ubi hæc habentur: וכולהו אקלידי וקולפי רגלידא, hoc est, *omnes istæ claves & seræ erant ex corio.* Quomodo autem clavem hæc admitterent vincula, quum eorum notitiam pariter ac clavium monumentorum neget defectus, haud facilè dici potest. Suam quidem prodit harum clavium de usu Eustathius, ad verba *Odyss.* ante allata, sententiam, existimans non ipsum
C vinculum clavi complicatum & dein solutum esse, verùm januam duplici quasi sera munitam, vinculo quidem, ut munimento externo, & pessulo, ut interno, adeóque in aperiendo illud primùm manu solvendum fuisse, & clavem denique januæ reducendi pessuli ergo immittendam. De hac obserandi ratione sic verba facit: Ὁποῖόν τι περὶ ὀλίγου εἶχον αἱ τοῦ βασιλικοῦ θαλάμου θύραι, ἐν αἷς ἡ δέσποινα ἱμάντα θοῶς ἀπολύσασα κληῖδα ἐνῆκεν ὥς τε ἀνοῖξαι. Fundamentum hujus opinionis in superioribus jecisse Homerus ipse videtur in principio *Odyss.* φ. 46. ita disserens:

D
> Αὐτίκ' ἄρ' ἥγ' ἱμάντα θοῶς ἀπέλυσε κορώνης,
> Ἐν δὲ κληῗδ' ἧκε, θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας.

Hoc est,

> *Statim hæc* (Penelope) *lorum velociter absolvit ab annulo;*
> *In autem clavem immisit; januarum autem repulit seras,*

ex Editione Giphanii. Ad hos posteriores versus Eustathius p. m. 747. Veterum de hoc vinculo
E diversas adfert sententias, quas utpote prolixiores, atque ab instituto magis alienas omittendas duxi, de quibus hanc denique subjicit ἐπίκρισιν, καὶ λαλεῖται μὲν οὕτω ταῦτα καὶ κατανοεῖται, οὐ μὲν δὲ νοεῖται σαφῶς. An autem istis meliora ipse invenerit, cuique liberum esto judicium. Fuit equidem hæc, nisi adeò opinione deludor, antiquissima clavium ratio, sed quæ Eustathii temporibus ita obsolevit, ut ipsi unius certi auctoritate præ cæteris niti non satis tutum videatur; refert tamen, quod ita dicant, παλαιὸν δὲ φασιν ἔθος ἦν, &c. Idque nemini mirum videatur, quum non solùm
F Eustathii, sed & ipsius Homeri Scriptoris antiquissimi ante tempora diu alius serarum modus sit adinventus, quod ex plurimis Poëtæ locis cernere pronum est, & suprà indicatum. Penelopes tamen tempore, & per sequens aliquod spatium, utrumque obserandi modum promiscuè adhibuisse videntur homines, usque dum firmior infirmiori succedens per omnia & omnibus sese paulatim probare cœpisset. Hæc ita de vinculis & catenis dicta sufficiant; & quamvis eorum de clavibus multa dici & supponi possent, quum tamen non nisi conjecturis niti necessum habeamus, itaque illam operam, ut minus utilitatis afferentem, omittere consultius duxi, ad alia animum calamumque vertens, quæ fortassis manifestiora sui reliquerint vestigia.

VIII. Istas post seraturas, sicuti non absque ratione repagibus ligneis seu τοῖς ξυλίνοις μοχλοῖς, qui ferreis orbiculis, (*marlor*) vel instrumentis quibusdam ligneis natura vel arte incurvatis seu manu efformatis, ita foribus, ut clave hinc inde duci ac reduci queant, connectuntur, primùm decernendum esse locum existimaverim: ita quoque claves isti obserationi accommodatissimas, quâ materiam opinor fuisse ligneas, & quidem ramum quendam arboreum arte vel natura ita incurvatum, ut tenue quoddam per foramen vel infra vel supra pessulum in janua relictum, forinsecus immitti, ac eundem illum pessulum clavulis ligneis dentatum, qualis est qui in Talmud Kelim cap. 11. פין audit, obducere, ac denique re ita exigente reducere posset. Ad hujusmodi quandam respexisse clavem mihi videtur August. in *de doctr. Christ.* 4. 11. ubi, *quid prodest*, inquit, *clavis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest?* Processu verò temporis ex metallo ad eundem planè modum efformatas esse alias inficiari nemo potest, cujus rei exempla non adeò rara hodieque occurrunt; suntque & illæ incurvati viminis instar, nulla planè arte nulloque ingenii acumine fabricatæ, solùm observato, quòd graciles, teretes, lævesque cudantur, ac falcis in modum incurventur. Hujus indolis fuit ista Penelopes, cujus mentionem facit in principio *Odyss.* φ. v. 6. Homerus,

> Εἵλετο δὲ κληῗδ' εὐκαμπέα χειρὶ παχείῃ,
> *Accepit autem clavem benè flexam manu forti;*

monstrante accurato Interprete Eustathio, qui ait illam falcis cujusdam retulisse faciem: Δρεπανοειδὴς ἦν, inquit, καὶ διὰ τοῦτο εὐκαμπὴς ῥηθεῖσα, ἐπεὶ καὶ δρέπανον τοῦ περὶ τοῦτον εὐκαμπὲς ἔφη ὁ Ποιητής. Hanc verò clavis faciem non tantùm antiquitus receptam fuisse, verùm suo quoque obtinuisse tempore in sequentibus innuit: Καὶ ἐν τῷ εἵλετο δὲ κληῗδ' εὐκαμπέα χειρὶ παχείῃ, ἀρχαϊκὸν εἶδος κληῗδος φράζει, καὶ οὐ κατὰ τὸ ὕστερον τετυπωμένην εἰς τὰς πολλὰς ὀπάς· ἔστι δὲ καὶ τοιούτων κληΐδων μέχρι καὶ νῦν χρῆσις δι' ὀπῆς ἐνειρομένων καὶ μεταγουσῶν τὴν ἔνδον στερεὰν ἐπὶ ἄνοιξιν τῆς θύρας. Utriusque verò figuram & modò mihi & Eustathio memoratæ clavis subministrabit Lit. A. Præter hasce claves nota est quoque hodiernis ejusdem generis alia, in qua bacillus altera sui extremitate ita excavatur & finditur, ut isti fissuræ inseri queat alius, sive potiùs linguula quædam lignea, ut ita adpellare liceat, quæ forinsecus januæ ad eundem modum, quo prior ista clavis immissa, sponte sua in infrà affixum pessulum, qui ejus ope trahi retrahique potest, cadat. Istius formæ plurimas in rudi vulgo, præcipuè apud Dalecarlos, qui priscæ Hyperboreorum sinceritatis simplicitatisque rudera hucusque tenacissimè servant, ipse expertus sum claves, easque delineatas dedi Lit. B. Hosce clavium modos, ut maximam redolentes simplicitatem, ita etiam remotissimæ antiquitati receptissimos fuisse jure suspicor. Si tamen poterit quis adhuc vel alios vel antiquiores demonstrare, ac communicare non gravatus fuerit, rem gratissimam se facturum sciet. Hic firmandarum forium modus quum hodie nimis habeatur rudis, velim nemo sibi persuadeat tam accuratum serarum claviumque usum novisse Veteres, & quidem primorum temporum homines, quum adhuc ars ipsa repertu novo oriebatur, quam nos nunc novimus, quum hujusmodi instrumentorum fabri-

bricationes adhuc hodie insigniora, & planè sensibus obvia de die in diem capiant incrementa, ingeniosisque ab opificibus magis magisque excolantur: *Nec enim est quidquam omnium, quod possit in primordio suo perfici: sed omne in omnibus fermè ante est spei rudimentum, quàm rei experimentum*, quod de multiforatili tibia Apulejus *Florid.* I. Quamvis autem obserationes hæ non adeò magnæ essent securitatis, manet tamen firmum ratumque illud Eustathii, quod τὸ κλειδίον qualecunque ἀσφαλέστερον ἦν δεσμοῦ ποικίλου, siquidem improbis maleficisque manibus minùs obvium obnoxiumque, quippe ab interiori parte valvarum affixum.

IX. Quum jam procedente ulteriùs tempore, incrementa in dies hominum caperet perversitas, eidem quo potissimùm modo obviam esset eundum, auxiliante Deo, humana prospexit sagacitas, itidemque

——— *duris urgens in rebus egestas.*

Inde factum est, ut pristinarum illarum, tanquam rudiorum in locum succederet denique alia majoris artificii ingeniique clavis, quam Λακωνικὴν dixere Græci, Laconicam Latini, cujus etiam mentionem utrorumque Scriptores faciunt satis frequentem. Stephanus quidem περὶ Πολ. in Λακεδαίμων, ἔστι δὲ, inquit, καὶ εἶδος κλειδὸς Λακωνικῆς: huic jungatur Menander Μισουμένοις,

Λακωνικὴ κλείς ἐστιν, ὥς ἔοικέ μοι.

Suidas quoque Λακωνικαὶ κλεῖδες, περιβόητοι δέ εἰσιν αὗται, aliique passim, qui adducuntur. In rudiorum autem locum hasce successisse probare videntur suo exemplo αἱ παρὰ τῷ Κωμικῷ Ἀριστοφάνῃ ἐν Θεσμοφ. δυσπνολόχοι γυναῖκες, ut verba usurpem Eustathii, quæ vehementer in Euripidis cujusdam astutiam contumeliamque invehuntur, quòd is maritos earundem de fraudibus, quibus iis imponere consueverunt, instruxerit, artemque signandi docuerit partim, partim etiam claves ferre Laconicas. His verò inventis contemtui haberi cœpere vulgares clavium obserationumque modi, quibus viros fallere non adeò magnæ fuit solertiæ ac difficultatis, quum

Πρὸ τοῦ μὲν οὖν ἦν ἀλλ' ὑποῖξαι τὴν θύραν
Ποιησαμέναισι δακτύλιον τριωβόλου,

hoc est, interprete Andrea Divo,

Priùs quidem certè liceret aperire fores
Facientibus annulum triobolo, vel *vili pretio.*

Fortè rectiùs tamen Salmasius δακτύλιον per *digitulum* reddidit. Nunc verò, ajunt, οἱ ἄνδρες κλειδία αὐτοὶ φέρουσι κρυπτὰ κακοηθέστατα Λακωνικά. Hæ, ut suspicor, sunt claves, quas νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημα Eustathius pronunciat, licèt ipsi persuasum sit quamcunque clavem primam eorundem esse inventum, ut satis luculentum ea de re reliquit testimonium *ad Odyss.* θ. p. m. 319. Παλαιὸν δέ φασιν ἔθος ἦν καπασφαλίζεσθαι δεσμοῖς· ἡ κλεὶς γὰρ νεωτέρων καὶ Λακώνων εὕρημά ἐστι, καί ἐστιν ἀσφαλέστερον δεσμοῦ ποικίλου τὸ κλειδίον, καὶ μάλιστα τὸ κακοηθέστατον. Ex hisce sanè non potest esse obscurum, quam clavium de origine foverit ille opinionem, duo videlicet fuisse clavium genera, κλειδίον vulgare aliud, aliud verò exquisitius τὸ κακοηθὲς, de quo dixisse opinor *ad Iliad.* β. p. m. 222. ἔστι δὲ κλεὶς Λακωνικὴ καινοτέρα τις, utrumque tamen Λακώνων εὕρημα εἶναι: verùm tamen mihi ambiguum non est, quin mul-

A tum fallat & fallatur, quum ejus memoria ipsis ferè Laconibus antiquior exstet, ut superiora docent.

X. Posset fortè non absque ratione in dubium vocari ipsa appellatio, an videl. ideo potiùs Λακωνικαὶ dicendæ sint hæ claves, quòd Laconibus originem debeant, an verò aliunde accersenda veniat etymologia. Mihi quidem hoc à vero proximè abesse videtur: siquidem Veteribus Laconicum fuit, quicquid ingenii Laconici saperet acumen calliditatemque. Fuit autem Laconum ista indoles & natura, ut adeò cautè, circumspectè, imò callidè & occultè omnia peragerent, ut ne ullus quidem cujuscunque esset sagacitatis ac perspica-
B ciæ, eorum in notitiam, antequam eventum sortirentur, omnibusque palam esse cœpissent, pervenire posset. Hujus rei documentum nobis abundè subministrat in *Pace* v. 1061. Aristophanes, ubi Athenienses fœdera cum Lacedæmoniis pangentes ita alloquitur Hierocles quidam:

Καὶ κηπφοὶ τρήρωνες ἀλωπεκιδέοσι πέπεισθε,
Ὧν δόλιαι ψυχαί, δόλιαι φρένες.

Ad quæ verba subjicit Scholiastes: Ἀεὶ Λακεδαι-
C μονίους εἰς τοῦτο κωμῳδοῦσιν· καὶ Εὐριπίδης, Σπάρτης ἔνοικοι δόλια βουλευτήρια. Hoc ipsum autem Euripides in *Andromacha* pluribus exsequitur exaggeratque v. 446. seqq. ubi tamen in vulgaribus pro βουλευτήρια βουλεύματα invenio: neutrum malè. Hinc ab Aristide Orat. *Leuctrica* 4. κρυψίνοι, quasi κρυψίνοοι, hoc est, mentem suam dolosè celantes audiunt Lacones: conf. Jo. Meursius *miscell. Lac.* 3. 2. p. m. 199. Quoniam verò ταῦτα τὰ κλειδία κακοηθέστατα ejusdem ferè viderentur indolis, quòd κρυπτὰ essent & καλυπτὰ, ac tam occultæ structuræ, ut nec absque legitimæ clavis ope earum reserari posse putarentur claustra, nec quisquam, ut
D omnes ingenii in illis expiscandis intenderit vires, eorum interiorem in cognitionem pervenire: hinc & illa Λακωνικαὶ audire cœperunt. Vel etiam, quòd aliquo tempore apud Lacones frequentiori essent in usu, quàm alioquin apud alios, quod hujusmodi in denominationibus insuetum omnino non est. Alterutrum horum certè Avieno videtur fuisse in causa, ut hanc eandem clavem Caricam diceret. Neque enim fieri potuit, ut & Caricum simul & Laconicum esset inventum, quum Cares Populi sint Asiatici, Lacones verò Europæi, ut ex Geographicis notum est. Neque etiam levia
E sunt, quæ suadent neque in Laconia, neque Peloponneso hujus clavis quærendum inventorem; sed vel in Lemno, in quam Insulam dejectum fabulæ narrant Vulcanum, ibique unà cum Cyclopibus ministris officinam instituisse: vel etiam Siculorum in Insulis, de quibus Thucyd. 3. p. m. 112. Νομίζουσι, ait, δὲ οἱ ἐκείνῃ ἄνθρωποι ἐν τῇ ἱερᾷ, ὡς ὁ Ἥφαιστος χαλκεύει, ὅτι τὴν νύκτα φαίνεται πῦρ ἀναδιδοῦσα πολὺ, καὶ τὴν ἡμέραν καπνόν· κεῖνται δὲ αἱ νῆσοι αὗται κατὰ τὴν Σικελῶν καὶ Μεσσηνίων γῆν. Vel, quod mihi ceteris est potius, in Ægypto, quòd οἱ ἱρέες ἔλεγον τὸν Μῆνα
F πρῶτον βασιλεύσαντα Αἰγύπτου, τὸ τοῦ Ἡφαίστου ἱρὸν Μέμφι ἱδρύσασθαι ἐὸν μέγα τε καὶ ἀξιαπηγητότατον, uti verba Herodoto 2. p. m. 79. habentur. Conf. Tzetzes *Chil. Hist.* 10. 335. qui ait, quòd

Ἥφαιστός τις Αἰγύπτιος ἐν χρόνοις τοῖς τοῦ Νῶε,
Ὃς Νῶε καὶ Διόνυσος καὶ Ὄσιρις καλεῖται.
Ἐφεῦρε πῦρ, καὶ τέχνας δὲ τὰς ἐκ πυρὸς ὁπόσας.
Ἕλληνες σφετερίζονται τὸν Ἥφαιστον ἐκεῖνον
Σὺν ἄλλαις πάσαις κλήσεσιν ἀνθρώπων
Αἰγυπτίων, &c.

quem

quem ſi ſequeremur, fruſtra eſſet Natalis Comes, hoſce omnes qui diverſos facit, *Mythol.* 2.6. p.m. 40. Parenti autem Jovi θάλαμον ἔτευξεν

> Ἥφαιστος, πυκινὰς δὲ θύρας σταθμοῖσιν ἐπῆρσε
> Κληῗδι κρυπτῇ,

ut Junonem ipſam loquentem introducit Homerus *Iliad.* ξ. v. 166. Hæc κλεὶς κρυπτὴ eadem eſt, quæ poſtea Λακωνικὴ dicebatur, ut Euſtathius optimè monet.

XI. Alii, & quidem vulgò ad Lycurgi animadvertiſſe videntur ſtatutum, quo pueris alimoniam, quotieſcunque fame premerentur, præbere interdixit, quo rapere ac furari cibos diſcerent, eoque ingenium acuerent, callidioreſque evaderent, quod eſt in Xenoph. *de Repub. Lac.* p. m. 662. Conf. Plutarch. in *Lycurgo* p. m. 17. Heraclides *de Politia Laced.* p. m. 506. Gellius *N. A.* 11. 18. qui furta omnia apud Lacedæmonios ideo licita exiſtimavit, Suidas in Κλέπτης, Jo. Lud. Gothofred. *Archontol.* P. 1. p. m. 673. Nic. Cragius *de Repub. Laced.* 3. 1. tab. 8. inſtit. 12. p. m. 306. Joh. Heidfeld. in *Sphinge* c. 23. p. m. 813. Hinc illis occaſio opinionis de luſciniolis ſive clavibus adulterinis, quaſi claves Laconicæ tales eſſent, qualibus fures aliique peſſimæ notæ homines in aperiendis foribus uti conſuevere, eſſentque unum & idem cum iis, quas Clemens Alexandr. *Strom.* 7. ἀντικλεῖδας dixit, quæ Joh. Urſino in *Analect. ſacris* 5. 35. p. m. 296. *adulterinæ furinæque & ad imaginem veræ alicujus clavis expreſſæ* veniunt, eæque nobis vulgariter audiunt *dyrkar oc tiufnycklar*, ſicut Germanis *dieterich und diebzſchluſſel.* Videatur Lambinus, ex quo ſua Taubmannus *ad Plaut. Moſtell.* 2. 1. 57. Sed illi quum aliter ſuum defendere errorem non poſſent, convicti videlicet clariſſimis Scriptorum, qua partem, delineationibus, eorum temporum clauſtra ab hodiernis toto diſcrepare cælo dixerunt, ideoque ſe non ejuſmodi intellectas velle claves, cujuſmodi hoc tempore in uſu ſunt, ſed pro diverſitate clauſtrorum eaſdem quoque differre. Hanc vulgi opinionem, quæ neque Lambino, neque accuratioribus aliis ſeſe probare potuit, ut minùs veritati conſentaneam, rejiciendam ſuadent Auctores, ejus qui accuratiora reliquere veſtigia, qualia ſunt apud Ariſtophanem de tribus illis dentibus, quos habuiſſe clavis dicitur Laconica, quum tamen luſciniolis vel unus ſufficiat. Fuere & clauſtra harum clavium tam artificioſè confecta, ut mulierum pariter & virorum quaſvis deludere ducerentur fraudes, quod fruſtra tamen luſciniolis attribuitur, quippe qui potiùs faciliora requirunt clauſtra & εὐεπιβούλευτα, ſive quibus haud difficulter inſidiæ ſtrui poſſunt: quum verſa vice Λακωνικὰ κλεῖθρα δυσεπιβούλευτα eſſent, teſte Euſtathio *ad Iliad.* ϑ. p. m. 319. Vnde & κλειδίον τοῦτο ipſi audit ἀσφαλέστερον τοῦ δεσμοῦ ποικίλου non tantùm, ſed & οὔτινος κλειδίου ἄλλου, ὃ μισοῦσιν αἱ παρὰ τῷ Κωμικῷ δειπνολόχοι γυναῖκες: quod argumentum omnium fortiſſimè eandem vulgi contra opinionem militat: niſi etiam ejuſmodi fuiſſet, neque mulierum conatibus objicem facilè ponere potuiſſet. Quod ſi autem per luſciniolos eſſent exponendæ hæ claves, tum profectò ſequeretur non aliam mulieribus iſtis quiritandi fuiſſe cauſam, quàm quòd maritorum contra fraudes, quum ejuſmodi claves, quibus omnes earum laxare valerent ſeraturas, excogitaſſent, nihil quicquam munitum abſconditumque habere poſſent. Contrà tamen nunc queruntur per τούτων τῶν κλειδίων geſtationem prorſus omnem clependi copiam ſibi abſciſſam, ut clara ſunt verba:

> —— λαβεῖν —— οὐδὲ ταῦτ' ἔτι
> Ἔξεστιν· οἱ γὰρ ἄνδρες ἤδη κλειδία
> Αὐτοὶ φοροῦσι κρυπτὰ, &c.

XII. Hujus opinionis quum tantam deprehenderent difficultatem abſurditatemque alii, aliam clavis iſtius deſcribendæ ingreſſi ſunt viam: verùm ſucceſſu parùm feliciori quidam. Lambinus certè loco antè allato, licèt ſatis ſit prolixus in docendo, qualis iſta fuerit clavis, & quis ejus uſus, illam tamen Taubmanni criminationem evitare non potuit, *quòd vix ac ne vix quidem iſta perdoceat:* idque verum. Et pace tanti viri dicere audeo, potiùs rem iiſdem implicatam quàm explicatam eſſe. Suſpicatus autem eſt Auctorem Moreti, ſive is Virgilius ſit, ſive alius, Catalectico clauſtro claves vocare, quæ intus aperiebant, aut forinſecus claudebant, atque ejuſmodi fuiſſe claves Laconicas, quòd Arati ad Caſſiepeam dicat Theo, ὅτι οὐχ' ὡς νῦν ἐκτὸς ἦσαν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Λάκωσι, eaſque hanc ob cauſam κρυπτὰς dici κλεῖδας Ariſtophani & καλυπτὰς aliis, quod clauſtris impactæ vix apparerent. Hujus ſententiæ in confirmationem teſtem ulteriùs adducit Apulejum, apud quem lib. 9. p. m. 746. Myrmex cauſatus eſt nocturnas ſibi obſiſtere tenebras, *quin clavem curioſè abſconditam reperiret. Ergo*, inquit, *clauſa clavis &* κρυπτὴ *& abſcondita fuit ea*, quæ intus aperiebat, nam contraria eſt ὀπτὴ κλεὶς: innuens iſtis verbis ad aperiendum duas ſerviiſſe claves, alteram ὀπτὴν, quæ ἔξωθεν, alteram κρυπτὴν ſive καλυπτὴν, quæ ἔσωθεν reſerabat, & hanc Laconicam, Lambini mentem uberiùs ut explicat Joh. Vrſinus in *Analect.* l. c. Hæc eadem & Martinius in *Lex. Etymol.* voce *Laconica* tranſtulit. Verùm ad iſta Theonis quod attinet, illa huc prorſus non faciunt, nec facilè dixerim, an plus præſidii in Apulejo habeatur: ille enim non de clave, ſed clauſtro egit, ut ſup. pag. 803. patet: hic verò de βαλανάγρα, id quod pariter ſuo loco exponendum relinquitur. Quando autem Myrmex, Domino pulſante fores, nocturnas ſibi cauſabatur obſiſtere tenebras, *quo minus clavem curioſè abſconditam* reperiret, non profectò de vecte, neque de βαλάνῳ ipſi ſermo fuit, ſed ea de clave, quæ peſſulis ſubjecta fores repanderet. Fuit autem hæc abſcondita quidem, non tamen, ut Lambino placet, in clauſtro ſeu poſte, verùm alio aliquo in loco, unde deſumenda, atque in clauſtrum ad eruendam βάλανον immittenda erat. Hoc verò in facto tantò majorem ſuam declarare voluit diligentiam Myrmex, quantò curioſiùs abſconditam haberet clavem, ne domeſticorum præter ipſum quiſpiam illâ inventâ pro lubitu fores aperiret, quum non niſi ſoli ipſi omnis domus cura à Domino proficiſcente eſſet demandata, maximè autem uxoris. Fuit igitur τῶν κρυπτῶν κλείδων apud Ariſtophanem denominationis ratio, quod τὰ κλεῖθρα eſſent κρυπτὰ καὶ καλυπτὰ, ut legitima genuinaque abſque clave in reſerando fruſtra haberetur omnis conatus, unde & appellationem nactæ ſunt, non ſecus ac λόγοι κρυπτοὶ Pindaro κρυπταὶ κλαῖδες in *Pyth.* od. 9. audiunt. Quod præterea ex Plauto in *Moſtell.* atque ex Theone conantur evincere Urſinus pariter & Lambinus, atque itidem Jo. Meurſius *Miſcell.* 2. 17. p.m. 182. tantùm intus aperuiſſe claves Laconicas, illud omni prorſus fundamento deſtitui vel inde liquet, quod claves iſtas, quocunque abirent, viri ſecum geſtare ſolerent, ut Comicus jam ſæpius laudatus abundè fidem facit. Hac de re inſuper conſulendus eſt Euſtathius *ad Iliad.* ξ. p. m. 961. ad fabulam de ἡφαιστοτεύκτῳ θαλάμῳ: Ἰστέον δὲ, ait, ὡς κλεῖδα κρυπτὴν λέγει ἢ τὴν ἔνδοθεν κλείσουσαν τὰς θύρας, καὶ οὕτω κρυπτομένην

τοῖς ἔξωθεν, (quæ ex Ariſtophane refelluntur) ἢ τὴν δυσεπιχείρητον τοῖς ἐπιβουλεύουσιν, ὁποῖα καὶ τὰ παρὰ τῷ Κωμικῷ κακοηθέστατα κλειδία· διὸ καὶ ἐπάγει τὸ, τὴν οὐ Θεὸς ἄλλος ἀνοίγειν, ἵνα λέγῃ κρυπτὴν κλεῖδα, τὴν οὐ δύναταί τις ἄλλος ἀνοίγειν, atque *ad Iliad.* ε. p. m. 1145. κακοηθέστατα κλειδία τὰ κρυπτὰ, καὶ δυσεπιβούλευτα, hoc eſt, quæ inſidiis peti circumvenirique difficulter poſſunt, vel quibus inſidiari haud facile eſt, obſervantibus & annotantibus ex Xenophonte, Budæo & H. Stephano.

XIII. Quod jam ad ipſam hujus clavis ſtructuram pertinet, fateor plus difficultatis illam habere, ac plus negotii curatiùs inſpicienti faceſſere, quàm prima fronte pollicetur; & vereri ſubit, ne illa in cognoſcenda omnis pereat opera, niſi aliquo modo obſerationis nobis conſtiterit ratio. Apulejana à reſeratione, quam amplexus eſt Lambinus, hanc eſſe diverſam, indicatum eſt. Salmaſius verò eundem hîc atque in clavi Homerica ſuperiùs §. 8. deſcripta agnoſcit modum, idque conſilio ſatis probo, niſi quòd Homericæ longè alium atque à veritate quàm remotiſſimum obtrudere conatus ſit. Pluribus enim ſeſe torquet, ut evincat non hodiernarum clavium in modum removiſſe intus verucla & peſſulos, ſed ſurſum ſuccuſſiſſe ac repuliſſe τοὺς ὀχῆας, *usque dum uncinis, quibus injecta eſſent, exirent.* Opinionis anſam Aratus & Homerus dedere, quorum huic clavis ſeu κλεὶς τοὺς θυρέων ἀνέκοπτεν ὀχῆας, illi verò, ὀχῆες τὴν δικλίδα ἀνακρούουσιν, quaſi ἀπὸ τοῦ ἄνω, ſurſum, καὶ κόπτειν ἢ κρούειν pellere, quas voces ratione etymologiæ alio non accipi poſſe ſenſu autumat, quàm ut ſurſum repellere & quatere ſignificent, unde & ἀνακρουσικῶν appellationem illis vindicandam eſſe cenſet, non ſecus ac ἀνακρουστικὰ ὑφάσματα Græcis fuere, quæ ſurſum impulſo pectine à ſtantibus percutiebantur & texebantur, de quibus *ad Hiſt. Auguſt.* pluribus egit. Specioſè hæc quidem proferuntur, & vix eſt ambiguum, quin primo intuitu fidem apud Lectorem pariant: verùm curatiùs ſub examen revocata, an per omnia ſibi conſtent, alii judicent. Non equidem negandum illo ſenſu utrumque horum verborum occurrere, an tamen ideo tam præciſè ei inhærendum, ut alios induere poſſe inficiemur, dubito. Ad Homerum quod ſpectat, ille certè hiſce ſuppoſitionibus minimè ſuffragatur, quippe cujus κλεὶς δρεπανοειδὴς, ut Euſtathio rectè obſervatum, ſuccuſſioni inhabilis ineptaque τὰ μάγγανα ἢ τοὺς ὀχῆας ſurſum quatere non potuit, ſed revera hodiernarum clavium in modum ſeram oſtio obduxit, ac iterum reduxit. Non tamen defuere, qui alium aperiendi modum Homericæ affingere clavi aggrederentur, de quibus Euſtathium audire lubet, qui poſtquam Veterum de vinculis varias variorum attuliſſet opiniones ita profatus eſt: Καὶ γὰρ τὰ ἐφεξῆς τῶν παλαιῶν ἔχουσί τινα δυσχέρειαν τὸ γοῦν, κληῖδα ἐνῆκεν θυρέων δ' ἀνέκοπτεν ὀχῆας· οὕτω πως καθιστῶσιν, ὀχῆας δέ φασιν, οὐ τοὺς ἔνδον μοχλοὺς, ἢ δύο τυχὸν ὄντας, ἢ ἕνα μὲν ἐσχηματισμένον δὲ πληθυντικῶς κατὰ σχῆμα ποιητικὸν, ἀλλὰ τὰς λεγομένας βαλάνους τὰς ἐν τῷ χελωνίῳ, καταντικρὺ τῆς κλειδός· αἳ περιάγονταί φασιν καὶ ἀνοίγονται· δοκοῦσι δὲ εἶναι αὗται, ἃς νῦν διαδρόμους φαμέν· διὸ καὶ ἄντα τιτύσκετο, δηλαδὴ κατεστοχάζετο τῶν βαλάνων ἐν τῷ ἀνοίγειν· ὡς ἂν αἱ βάλανοί φασιν ἀντίαι γίνωνται τοῖς γόμφοις τῆς κλειδός· ἵνα λέγῃ, ὅτι ἐνῆκεν ἡ Πηνελόπη τὴν κλεῖδα, καὶ ἀνέκοπτεν ἤγουν ἀνέκρουεν, ἀνώθει τὰς βαλάνους, τιτυσκομένη ὡς εἴρηται). Hiſce quidem partim Salmaſio ſuffragari videntur, quòd ἀνέκοπτεν

A per ἀνώθει cenſeant explicandum, quaſi ſurſum truderet τὴν βάλανον, partim longè alia de clave agere, videlicet de βαλανάγρᾳ, quum dicant ὀχῆας οὐ τοὺς ἔνδον μοχλοὺς εἶναι, ἀλλὰ τὰς λεγομένας βαλάνους τὰς ἐν τῷ χελωνίῳ: hoc nomine vectem Euſtathio dici opinor, per quem βάλανος demittebatur, ut eundem poſtibus affixum teneret; vel etiam ipſum poſtem, cui per τὴν βάλανον vectis affigebatur, qui χελωνὶς Heſychio eſt: βαλάνους vero iſtas ſuo ævo διαδρόμους dictas aſſerit Commentator, idque, ut videtur, eandem ob cauſam, quòd per vectem eſſent tranſmiſſæ ex διὰ & δρόμος.
B Verùm à modo βαλανάγρας longè diverſus eſt, quem & iſti finxere modum, quum illius fuerit ἀνασπᾷν, hujus verò imaginariæ clavis, ἀνωθεῖν. Quando autem plures huic clavi affingunt γομφίους; ſatis oſtendunt ſe Poëtæ mentem vix aſſecutos eſſe, nec ſe ipſos intellexiſſe, unde & Euſtathius ulteriùs exſequitur: Καὶ τοῦτο μὲν φράζεται οὕτως εἰ καὶ γλαφυρῶς, ἀλλ' οὐ πάνυ σαφῶς· ἔχει δέ τι καὶ προσιστάμενον ὁ λόγος, ἐπεὶ οὐ φαίνεται γόμφους ἔχειν ἡ κλεὶς, ὡς ἀνακρούειν τὰς βαλάνους, δρεπανοειδὴς δὲ μᾶλλον ἦν, ὡς προείρηται. Ad ſequentia quoque non
C inutiliter attendi poteſt, quæ alium aperiendi tradunt modum potiùs illi accommodandum, quam quem iſti finxerunt: Δυνατὸν οὖν καὶ ἄλλως εἰπεῖν ἀμαθέστερον κατὰ τὸν Κωμικὸν καὶ σαφέστερον, ὅτι πρῶτα μὲν ἱμάντα προσδεδεμένον τῇ κορώνῃ, ὁποία τις ἂν καὶ εἴη αὕτη, εἴτε κόραξ, εἴτε κρίκος ἀπέλυσεν -- καὶ τὸν ἱμάντα οὕτω λύσασα, ἐνῆκεν τὴν προῤῥηθεῖσαν εὐκαμπέα κληῖδα διά τινος κατὰ τὰς θύρας ὀπῆς, καὶ ἅμα τοὺς τε ἔσω ἀνέκοπτε μοχλοὺς τῶν θυρῶν διὰ τῆς κληιδὸς, καὶ τὰς θύρας δὲ αὐτίκα συγκόψασα κατὰ τὸ σκοπούμενον, ἤνοιξεν, ὡς δηλοῖ τὸ, τὰ δ' ἀνέβραχεν, & quæ ſequun-
D tur. Quod autem τὸ ἀνακόπτειν hic loci nihil aliud ſit, quam ſimpliciter ad modum noſtrarum clavium μετάγειν ſatis manifeſte ad initium *Odyſſ.* ejuſdem docuit. Nec majoris ponderis eſt, quod ἀπὸ τοῦ

— τὰ δ' ἀνέβραχε καλὰ θύρετρα
Πληγέντα κληῖδι,

in ſententiæ confirmationem adducit argumentum, quum τὸ πληγέντα κληῖδι, dicente Euſtathio, ὅμοιον ὡς εἰ καὶ ἀνακοπέντα εἶπε, κατὰ τὸ ἀνακόπτειν ὀχῆας, ἐπεὶ καὶ ταυτόν ἐστι κόπτειν καὶ πλήττειν. Vereor etiam, ut plus præſidii ipſi ſit ab Arato
E ſuppeditatum, ubi οἱ πεπληγόντες ὀχῆες ἀνακρούουσι τὴν δικλίδα, quum & hæc vox non tantùm ſurſum pellere, ſed & ſimpliciter retrahere ſignificet, unde & pro ἀνασπᾷν Æneæ uſurpata eſt, quum βάλανος, cujus tantùm eſt attrahi, ἀνακρουσθεῖσα dicatur. Fortiſſimè autem omnium, quæ magno ſatis numero, niſi propoſita diſſuaderet brevitas, adferri poſſent, contra ταύτας τὰς ἀνακρουσικὰς pugnat militatque, quòd omnem fugiat conceptum, qui fieri potuerit, ut ὀχῆες ab interiori ædium
F parte valvis offixi foriſecus ſurſum ſuccutiendo reſerarentur, ubi tamen neque in poſtibus, neque ipſis in foribus ullius foraminis appareat veſtigium præter unum illud κλειδώσεως, per quod clavis in ſeram πρὸς τὸ ἀνοίγειν ἢ κλείειν immittenda fuit, quod tamen omnino ad inſerendum brachium, quemadmodum in βαλανάγρᾳ factitatum, ut ſuo monſtrabitur loco, requireretur. Neque etiam Salmaſius ipſe ejuſmodi quidpiam videtur velle agnoſcere. Ex hiſce jam conſtare poterit, quàm fortiter pro ἀνακρουσικαῖς Salmaſii clavibus militet argumentum ab ἀνακρούειν καὶ ἀνακόπτειν tranſſumtum. Eſt & prorſus ἀναντίῤῥητον quòd clauſtra τῆς Λακωνικῆς κλειδὸς ab interiore valvarum parte offixa

A offixa fuerint, notante non tantùm ex illo eodem, in quem Scholia reliquit, auctore Theone Alexandrino, qui τὸ ἔνδοθεν, ait, ἡρμοσμένην εἶναι τ̓ κλεῖν, ἀρχαικόν ἐστιν· οὐ γὰρ ὡς νῦν ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, ἀλλ' ἔνδον τὸ παλαιὸν παρ' Αἰγυπτίοις καὶ Λάκωσι, καὶ Ὅμηρος οἶδε τοῦτο, ὅτι ἔσωθεν θυρώματα ἀνακρουόμενα κληῖδι θύρην ἔντοσθεν ἀραρυῖαν: ſed & Plauto in *Moſtell.* 2. 1. 57. 77. & 2. 2. 15. uterque de antiquis benè & ipſi conſentiens Arato, qui pariter κληῖδι θύρην ἔντοσθεν ἀραρυῖαν dixit. Sed dubius hæret Salmaſius in expoſitione vocis τῆς κλειδὸς apud Scholiaſten, an videl. clau- B ſtrum intellectum voluerit, an verò clavem, quum bis antea hoc ſenſu ita uſurparit, utpote quum dixit Κασσιεπείας ἀστερισμὸν κλειδὸς ἀρχαίας καὶ κλειδὸς Λακωνικῆς ἔχειν σχῆμα. Verùm tamen ſatis eſt manifeſtus ipſe Scholiaſtes, νῦν ἐκτός εἰσιν αἱ κλεῖδες, τοῦτ' ἐστι μάγγανα τῆς κλειδώσεως, non aliter ac Aratus ipſe eadem uſus eſt vocula, non pro clave, ſed repagulo, unde nec vitio caret verſio, quæ vulgo eſt recepta, *Non uti hodie extus erant claves*, quum non de clavibus, ſed de clauſtris Scholiaſtæ ſit ſermo. Quòd ſi autem eidem fuerit perſuaſum τὸ κλεὶς eodem uſurpatum C ſenſu apud Homerum, quo apud Aratum, quod & Lambino perſuaſit, quin fallat plurimum, ipſeque fallatur, dubium non eſt. Vtrinque autem reſerare potuiſſe hanc clavem Scriptor non elegantia ſermonis quàm antiquitatum monumentis clarior Plautus abundè conteſtatur, apud quem in modò *cit. l.* Tranio ſibi tradi clavem Laconicam, quâ oſtium foris occludat, jubet,

—— Clavem, ait, *mihi haruncce ædium Laconicam*
Jam jube efferri intus, haſce ego ædes occludam hinc foris.

D Et v. 77.

Clavim cedo, atque abi intro atque occlude oſtium;
Et ego hinc foris occludam.

Intus quoque reſeraſſe docet ſcenæ ſequenti Theuropides quidam his verbis,

—— —— notus nemo in ædibus
Servat, neque qui recludat.

E XIV. Ad ipſam ſtructuram jam propiùs eſt accedendum, quæ hactenus quidem inventu fuit difficillima, nec, quod ſciam, à quoquam ad unguem deducta. Ex Ariſtophane ſæpius jam laudato manifeſtum eſt, τὰ Λακωνικὰ κλειδία τρεῖς γομφίους ἔχειν: quales verò iſti fuerint, & quomodo ſcapo adhæſerint, tantum abeſt, ut ex eodem Comico conſtet, ut illud ipſum ne verbo quidem minimo indicetur, ex quo factum eſt, ut in forma huic clavi adſignanda tantus exſtaret Eruditorum diſſenſus, ut inter plurimos vix duos, inter quos per omnia conveniat, cernere liceat. Qui F eandem Λακωνικῆς κλειδὸς faciem, quæ Homericæ *Odyſſ.* φ. fuiſſe contendunt, à vero tramite quàm longiſſimè abeſſe videntur, longiùs tamen, ſi quis cum βαλανάγρᾳ eandem fuiſſe communem defenderet: illa enim εὐκαμπὴς καὶ δρεπανοειδὴς, hæc ſtriata fuit & recta, utraque non niſi unum habens dentem: clavis verò Laconica uno non contenta tres habuit dentes à ſe invicem diſtinctos. Horum autem dentium collocatio quo faciliùs innoteſcat, in ſubſidium accerſatur locus quidam ex Arati *Phænomenis* p. m. 63. ubi Caſſiepeæ conſtellatio huic aſſimilatur clavi, ſive ipſius dentibus, ut volunt alii. Illo verò de aſteriſmo verſus ſubjecti Aratea ex ſuppoſitione ita nos certiores faciunt:

Τῷ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται οὐ μάλα πολλὴ
Νυκτὶ φαεινομένη παμμήνιδι Κασσιέπεια.
Οὐ γάρ μιν πολλοὶ, καὶ ἀπημοιβοὶ γανόωσιν
Ἀστέρες, οἵ μιν πᾶσαν ἐπιρρήδην στιχόωσιν.
Οἵην δὲ κληῖδι θύρην ἔντοσθ' ἀραρυῖαν
Δικλίδ' ἐπιπλήσσοντες ἀνακρούουσιν ὀχῆες,
Τοῖοί οἱ μουνὰξ ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται
Ἀστέρες.

Ita in vulgaribus, quotquot vidi, hæc ipſa leguntur, verùm plus quàm difficile eſt genuinum iſtorum venari ſenſum, unde etiam tantum Interpretum ſubortum eſt divortium. Ceporino quidem & vulgari Interpreti, ſive is ſit Ceporinus ſive alius, viſus eſt Aratus non clavi, ſed januæ Laconicæ, quæ intus binis claudeſetur valvis, cujus mentionem apud Homerum quoque factam arbitratur, hunc conferre aſteriſmum: quod ejus indicant ad Aratum *Notæ* p. m. 168. idcirco ita redduntur:

Ante hunc (Draconem) *infelix volvitur, non adeo modum multa*
Nocte lucens plenilunari, Caſſiepea:
Neque enim ipſam multæ & frequentes illuſtrant
Stellæ, quæ eam totam ſparſim componunt.
Qualem *verò ſera* januam *intus munitam*
Biforibus concurrentes reverberant vectes;
Tales ſingulatim ſubjectæ figurant
Stellæ.

Ab hiſce prima fronte non videtur digredi in *Notis* Grotius, qui, *valvam*, inquit, *Laconicam deſcribit, qualis & Ægyptiis uſitata & Homero deſcripta, citante Scholiaſta.* Jo. Meurſius verò ne in ullam impingeret partem, quum clavi aſſimilent alii, *& clavem & januam* deſignare Aratum ait. Sed neque in Homero ullum ejuſmodi valvarum comparet veſtigium, neque januæ Laconicæ ſive etiam Ægyptiæ, quantum quidem mihi in hunc uſque diem compertum eſt; alio modo unquam vel poſtibus adaptatæ, quàm fuere ſuntque adhuc hodie communes, intelliguntur: quare nihil obſtat, quominus pari jure cuicunque adſimilari januæ potuiſſet. Seipſum autem refellit Meurſius, quum fieri non poſſit, ut una eademque res & januæ ſimilis ſit & clavi, quarum facies longiſſimè à ſe invicem diſtant. Hujuſmodi abſurditatem cernentes Eruditi alii in vulgarem iſtam lectionem calamum ſtringere cenſorium ſunt coacti, ita ut v. 5. loco τῷ οἵην ſubſtituerent οἵη, ut Grotius, qui etiam clavi comparatas & vidit & docuit; vel οἷον cum Salmaſio, quod ſequatur ejus redditivum τοῖον; alii iterum aliter. Quod ad Hugejanam attinet correctionem, illa ſibi conſtare non poteſt, ſiquidem τὸ κληῖδι, ad quod referendum cenſet, non clavem, ſed repagulum denotat, in quo pariter & Meurſius lapſus eſt. Pro δικλίδ' ἐπιπλήσσοντες ſcribunt πεπληγοντες, vid. Salmaſius, ut hunc iſti verſus pariant ſenſum: *Quales ſunt ferrei dentes & quali ſitu diſpoſiti in clave Laconica, tali modo poſitæ viſuntur ſtellæ in aſteriſmo Caſſiepeæ.* Si unquam ab Antiquis, certè non niſi pauciſſimis, dubitatum eſt hunc Arati locum de clave Laconica, cujus dentes ſtellarum in Caſſiepea diſpoſitionem repræſentarent, interpretandum eſſe. Docet hoc ipſum ſuo exemplo Germanicus Cæſar metricè ita reddens, p. m. 107.

Qualis ferratos subicit clavicula dentes,
Succutit & foribus prædueti (præducit al.) vincula claustri;
Talis dispositis stellis ipsa horrida vultu, &c.

Nec aliter Fest. Avienus p. m. 35.

—— *vix (sic al.) qualem Caria quondam*
Noverat intrantem per claustra tenacia clavem;
Formatur stellis distantibus.

Laborant quoque obscuritate quadam versus Germanici, quam efficit τὸ *subicit.* Scaliger *ubici* scribendum putat pro *obici*, sed absque necessitate, monstrante ex Ennio Gellio *N. A.* 4. 16. Invenit *obicit* in MScr. Grotius, itaque *obici* scribendum putat. Barthius autem *ad Claudian. obicis* legit. Sed hæc me non morantur, cui sufficit Cassiepeam clavi non januæ assimilatam monstrasse.

XV. Quum τῆς κλειδὸς Λακωνικῆς μορφὴν sileant Auctores alii, eamque Cassiepeæ effigiasse constellationem scribat Aratus, Eudoxum, ut Petavius ait, quum ipse ἀστρονομίας esset rudis, sequutus, sequitur non aliunde illam esse quærendam, quàm hujus ex asterismi, quæ versa vice illam repræsentat, curatiori consideratione. Verùm quum & plures sint in Cassiepea stellæ, quàm quæ clavem effingunt, & Poëta non in totum hæc duo inter se contulisse videatur, sed tantùm innuisse tot esse illo in asterismo nocte plenilunari stellas lucidas, sive φαεινὰς καὶ μεταξὺ ἐπιτεκμαίρεσθαι, quot ad clavem hanc repræsentandam sufficiant, ceterasque obscuriores esse, quàm ut in considerationem venire queant, οὐ γάρ μιν πολλοὶ, &c. dispiciendum itaque nobis est, quomodo stellæ hæ inter se invicem componantur, Poëta ipse ait φαεινὰς istas, quæ πᾶσαν ἐπιῤῥήδην στιχόωσιν, ita à se invicem distare, ut clavis Laconicæ & τοὺς γομφίους & reliquam structuram aliquatenus referant; quod ita intellexit Scholiastes: Οἷοί εἰσιν οἱ ὄχῆες θύρῃ κλῃῖδι ἔντοσθεν δικλιδίᾳ ἡρμοσμένην, τοῖοι οἱ ἀστέρες τὸ τῆς Κασσιεπείας σῶμα μορφοῦντες, οὓς καθ' ἕνα ὑποκείμενοι ἰνδάλλονται: quibus verbis videtur Salmasio indicatum in στίχῳ dispositas fuisse καὶ μεταξὺ ἀποκειμένας, id est, *aliam post aliam* veluti in linea subjectas, idque secundùm μόρφωσιν ἀστερισμοῦ ab Hygino 3. 9. *de Signis cœlest.* p. 293. descriptam, ut sit *una in capite Cassiepeæ, in papilla dextra clara una, in lumbis magna una, in genu sinistro una, ac in pede dextro una*; has verò omnes sic ordinatas, & aliam post aliam digestas, καὶ μεταξὺ ἀποκειμένας ἰνδάλλεσθαι, ut rectam efficiant lineam, talique situ ac dispositione dentes quoque in clave Laconica collocatos, ut alii alius subjiciatur. Ita ejus mentem explicat Salmasius. Quomodo autem hæc cum tribus istis dentibus Aristophani notatis conveniant nec ipse exponit, nec mihi adeò facile patet. Concedatur tamen ad solam stellarum distantiam esse hoc in loco attendendum, secundùm Avieni interpretationem, & hæcce in Aratum Scholia: Ἡ Κασσιέπεια ἀστέρας ἔχει ἐπὶ τοῦ σώματος ἐκ διαστήματος ἀλλήλων κατ' εὐθεῖαν ὡς ἔγγιστα κειμένους. Sufficienter tamen sequentia docent non solam rectam lineam ejus μόρφωσιν efficere, sed paulò aliter rem sese habere; ὧν (puta ἀστέρων) ὁ μὲν βορειότατος ἐπὶ τῆς καθέδρας ἐστὶν, ὁ δὲ νοτιώτατος ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, οἱ δὲ τούτου μεταξὺ δύο τὸ τῆς Λακωνικῆς δικλίδος σχῆμα ποιοῦντες, ὧν ἡ μὲν πρώτη γραμμὴ τὸ σῶμά ἐστιν, ἡ δὲ πλαγία τὰ γόνατα: mens est secundùm Salmasium: *Ex claris istis stel-*

A *lis, quibus ait sidus Cassiepeæ constare, quæque clavis Laconicæ efficiunt figuram, unam esse in capite maximè australem, aliam verò in cathedra maximè borealem, atque inter illas esse in utroque genu alias duas collocatas, quæ quatuor stellæ sic ordinatæ faciem clavis Laconicæ efficiunt*, (loco τοῦ πρώτη substituit ὀρθὴ ut respondeat τῷ πλαγία) *rectam verò lineam seu ὀρθὴν, quæ à capitis ducitur stella seu australi, adusque borealem in cathedra corpus* τῆς κλειδὸς *sive scapum constituere opinatur:* τὴν πλαγίαν *verò seu transversam, quæ ab uno genu ad alterum porrigitur, dentes.* Ex hisce σχῆμα

B quoddam crucis in modum exstruit Salmasius, cujusmodi Lit. C. delineatum est; in quo (*a*) ἀστὴρ νοτιώτατος, scil. ὁ ἐν κεφαλῇ; (*b*) verò βορειότατος, scil. ὁ ἐν καθέδρᾳ (*cc*) οἱ ἐν γόνασι. Hanc ipsam Cassiepeæ μόρφωσιν Hygino quoque respondere arbitratur, secundùm quem *ejus in capite ostenditur una; in utroque humero una, in papilla dextera una, in lumbis magna una, in sinistro femore duæ, in genu una, in pede dextero una.* Hoc tamen inter eos intercedere differentiæ, ut stella (*b*) constituatur Hygino in dextro pede, (*d*) verò in papilla, atque (*e*) in lumbis. Hæc si mens fuerit Scholiastæ, certo

C certius id mihi polliceri habeo; eum neque Aratum intellexisse, neque ἀστερισμὸν τῆς Κασσιεπείας, neque clavem Laconicam unquam novisse. Frustra quoque conatur eundem cum Hygino conferre, qui potiùs planè obversam ejus nobis exhibet figuram, potiúsque sequentibus suffragatur Scholiis: Ἔστιν ἡ Κασσιέπεια ἐν σχήματι οὐχὶ πλαγία ὡς γέγραπται, ἀλλ' ὀρθῶς κλειδὸς ἔχουσα δεξιῆς σχῆμα, καὶ ὀρθοὶ ἀστέρες τὸ σῶμα ἐπιπλέουσιν, οἱ δὲ πλάγιοι τὰς χεῖρας ἐκπεταμένας. Hæc à priori in eo tantùm differt, quòd stellarum invertatur ordo, & manus expansæ genuum loco statuan-

D tur, ut est σχῆμα (CC) qua ἀστερισμοῦ in descriptione Scholiasten inter & Hyginum longè meliùs convenit, quippe qui utroque in humero unam ponit (*cc*). Has juxta suppositiones ἡ δεξιὴ καὶ Λακωνικὴ κλεὶς instar crucis fuit, cujus tria cornua τρεῖς γομφίους constituerunt. Est & hoc ipsum, ut opinor, quod occasionem dedit appellationis, ut δικλίδα vocitarent, quasi duplicem & geminam clavem. Possent quidem & hæc ita sese habere, si modò ipsi ἀστερισμῷ, prout in firmamento comparet, & ab Astronomiæ peritis ostenditur, atque olim Arati & Eudoxi temporibus

E conspectus est, responderet: verùm quum illud ipsum meritò desideretur, vereri subit, ne hi tàm genuinam Cassiepeæ μορφὴν, quàm clavis Laconicæ figuram ignorarint. Nec facilè scio, an de solido plus habeant, aut de quo glorientur & illi, qui lineam quandam stellarum rectam ducunt, quæ Cassiepeæ constituat corpus & aliam supernè, quæ rectam illam ex transverso secet, brachiorumque stellas designet, ac denique adhuc aliam æquè transversariam infrà decussantem, quâ stellæ genuum & cathedræ notentur, unde ejusmodi quandam clavis Laconicæ faciem sibi imaginati

F videntur, cujusmodi exhibet illam Lit. D. Rectè visi sunt hi Salmasio aliquam, minimè verò rectam & genuinam institisse viam. Nec feliciores quidquam in hoc expediendo fuisse videntur illi, quibus placuit clavem Laconicam solo constitisse scapo, eoque prorsus recto, quam virgula vel in supremo brachiorum expansorum stellas signans, vel in infimo genuum ἀστέρας demonstrans decussatim stringeret, qua positione illa faciem referret τοῦ T recti, hæc verò τοῦ ⊥ inversi, modò ulteriùs paulò producatur scapus. Sed quum omnes per τὸ δικλίδα in Arato censeant intelligendam esse

se clavem satis se produnt, quod à Poëtæ mente in hoc discesserint.

XVI. Relictis hisce omnibus ex hodierna istius constellationis μορφώσει Laconicam describendam esse clavem arbitror, siquidem illa vetustissima ejus cum descriptione ac demonstratione per omnia prorsus convenit. Ad Hyginum & Arati Scholiasten quod attinet, illi vix exquisitam ejus habuisse notitiam mihi videntur; quandoquidem ab iis non parùm in diversum abit celeberr. ille Mathematicus & Astronomus Hipparchus Bithynus seu Nicæus, summis à Plinio laudibus elatus, qui non parùm propior est Arato, quàm unquam fuit Hyginus; sive is Augusti sit Libertus, ut multis placet, atque in iis B. mem. Jo. Scheffero; sive ut Monckero in *Dissertat.* visum, alius multò adhuc temporibus nostris propior, ac alterius nominis; imò quàm fuit & Scholiastes, γέγονε γὰρ ὁ Ἵππαρχος ἐπὶ τῶν ὑπάτων, ut de illo Suidæ exstat testimonium, & quidem minimè νεωτέρων; quippe cujus crebram faciunt mentionem veteres Græci pariter & Latini, idque non nisi magna tanti viri cum celebratione & laude, ut de eodem Petr. Victorius in *Præfat.* ad Edit. à se adornatam, γέγονε δὲ ὁ Ἄρατος; ut Anonymus quidam ejus in *Vita* scriptum reliquit, κατὰ τὸν Ἀντίγονον, τὸν τῆς Μακεδονίας βασιλέα, ὃς ἐπικαλεῖται Γονατᾶς, γέγονε δὲ Ἀντίγονος κατὰ τὴν ρκε ὀλυμπιάδα, καθ' ὃν χρόνον ἤκμασε ὁ Ἄρατος. Paulò antiquiorem hunc facit alius & quidem viginti olympiadibus, cujus scriptum pariter Arati *Phænomenis* præmissum vide. Ut ut sit, planum tamen est non adeò amplum temporis intervallum inter ambos hosce intercessisse, unde & Dionys. Petavius *variar. Diss.* 6. 9. p. m. 243. uno ferè & eodem floruisse seculo statuit Aratum &, qui in illum Scholia reliquit, Hipparchum. Hic verò τῷ τῆς Κασσιεπείας ἀστερισμῷ attribuit ἀστέρας; τὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; τὸν ἐν τῷ στήθει, τὸν βορειότερον αὐτῶν καὶ ἐπὶ τῆς ζώνης, τὸν ὑπὲρ τῆς καθέδρας κατὰ τῶν μηρῶν, τὸν ἐπὶ τῆς κνήμης, τὸν ἐπ' ἄκρου τοῦ ποδὸς, & quæ sequuntur in libro de ἀστερισμοῖς p. m. 59. Edit. Florent. 1567. quæ omnia tam accuratè hodiernis respondent globis, ut ne in minimo quidem puncto ab invicem abeant, tantùm observato, quod ὁ ἐν γόνασι; καὶ ὁ ἐπὶ τῆς κνήμης sint hodiernis οἱ ἐν γόνασι; quippe qui fingunt genuum alterum alteri superimpositum esse; ita tamen, ut hæ duæ stellæ cum illa, quæ est in pede, rectam describant lineam. Isthanc autem Hipparchi descriptionem cum Aratea optimè convenire vidit, docuitque in *Notis ad imagines Signorum cœlestium* p. m. 47. Grotius, ubi de verbo ad verbum illa Nicæi redduntur. Quod si autem à vero aberrasset Aratus, non est dubium, quin illud indicasset Hipparchus, qui tam serium ac diligentem se ejus præbuit Scholiasten. Quod autem sibi persuasit Hugejanus ille Grotius & Hipparchi & Ptolemæi atque istorum asseclarum Arabum observationes ad veras & aptissimas se retulisse designationes, id sibi vix constat, quum τὸν ἐν τῷ στήθει, καὶ τὸν ἐπὶ τῆς ζώνης non multùm à se invicem distare faciat, quum tamen ζώνη non subhumerale cingulum omnino, sed & corporis partem, quæ cingitur, denotet, estque hæc non necessariò prope humeros quærenda, sed potiùs infra umbilicum, ubi est γαστὴρ sive uterus, quod abundè satis in *Odyss.* λ. v. 244. de Neptuno docet Homerus,

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην,

quando Tyronis vitiaret natam; hinc Polluci quoque in Ὀνομαστ. est τὸ ὑπὸ τὰς πλευρὰς

A ὀστέον, quod & ζώνη καὶ κενεὼν est in lumbis, unde Vallæ est *locus ossibus vacuus*, *ubi cingimur*. Subeat ergo Grotius idem judicium, quod de Hygino & alio quodam Anonymo ipse reliquit, quod licèt cum ipsis XIII. numeret stellas, diversò tamen & à Veteribus & à nobis situ easdam collocarit. Quod ad informes attinet & minùs claras, quas posterior addidit ex observationibus suis ætas, de quibus Gestrin. *Uran.* 2. 19. p. 253. illæ hoc in negotio nemini moræ sint, quum clariores tantùm veniant considerandæ, earumque ex situ clavis Laconica eruenda.

B XVII. Posito autem ac stante, quòd eadem fuerit μόρφωσις hujus asterismi Antiquis adeòque Arato descripta, quæ est hodiernis observata, non parùm faciliori negotio inventum iri quod quærimus, spero. Ex Arato enim, ut antea quoque dictum, constat in Cassiepea non adeò multas esse stellas lucidas; sed tantùm quot Laconicam clavem effigiare queunt, quod & Scholia manifestum faciunt: Ἔστιν ἡ Κασσιέπεια οὐ πᾶσα φανερὰ, ἀλλ' ὡς κλειδὸς Λακωνικῆς ἔχουσα σχῆμα; absque ulla mentione distinctionis totam inter clavem & ejus dentes, quod quibusdam perperam persuasit Avieni Germanicique interpretatio. Clariores ve-
C rò istæ stellæ ostenduntur hodie duæ quidem in genibus, & una in pede, quæ tres respondentes Hipparchi τῷ ἐν γόνασι, τῷ ἐπὶ τῆς κνήμης; καὶ τῷ ἐπ' ἄκρου τοῦ ποδὸς; & rectam ὡς ἔγγιστα conficientes lineam, Λακωνικῆς κλειδὸς τρεῖς γομφίους referre mihi videntur: reliquæ verò stellæ in lumbis, pectore & capite, vel secundùm Hipparchum ὁ βορειότερος καὶ ἐπὶ τῆς ζώνης, ὁ ἐν τῷ στήθει; καὶ ὁ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἀστέρες itidem quàm proximè rectam describentes lineam, scapum repræsentant. Quod si etiam ἀπὸ τοῦ ἐπὶ τοῦ ἀριστεροῦ
D βραχίονος πρὸς τὸν ἐπὶ τοῦ δεξιοῦ πήχεως, quæ ceteris est minor, recta per τὸν ἐν τῷ στήθει ducatur linea; manubrium quoque clavis habebitur, atque ejusmodi conficietur σχῆμα, prout lit. E. delineatum est, si modò à capitis stella (*a*) per illam in pectore (*b*) ad (*c*) in lumbis descripta linea, usque dum attingat punctum (*f*) stellæ pedis (*e*) oppositum, producatur, quod hujusmodi in μορφώσεσι describendis satis frequens esse consuevit Astronomis. Et profectò, si quæ facies huic conveniens videatur asterismo, hanc maximè talem esse suspicor. Hoc quoque modo explicatu facilli-
E mum videtur, quod Scholia & Interpretes situm stellarum ex collocatione dentium in clave Laconica dimetiendum dicant, sive, quod eodem recidit, ex situ stellarum in asterismo Cassiepeæ depingendos esse dentes eadem in clave, ut εἷς ὑφ' ἑνὶ disponatur.

XVIII. Quandoquidem hoc ordine dispositi fuere in antiqua illa clave Laconica dentes, jure merito suspicari licet, omnes clavium, quas posterior unquam habuit ætas, à βαλανάγρᾳ, atque quibus in externis nonnullis claustrorum generibus reserandis uti cœperunt recentiores, distin-
F ctas, & modos & formas deductas. Nec aliter Salmasio fuit persuasum, qui, licèt hanc faciem & Cassiepeæ constellationi conformem, & claustris maximè convenientem viderit, nihilo tamen secius, illa relicta, nescio quibus de ἀναχρυστικαῖς adductus impressionibus, aliam arripuerit, quæ scapum rectum, & supernè virgulam transversariam tribus dentibus distinctam adinstar tridentis, ut Lit. F. conspicitur, habens, quàm accuratè cœlo respondeat firmamentique dispositioni, ipsi prospiciendum esto. Quod si tantùm tres rectam describentes lineam stellæ faciem hujus clavis referrent, ut certè Salmasius existimasse videtur, tum cer-

certè nemo inficias ire poſſet, quin quodcunque ferè in firmamento ſidus clavem iſtam aliquo modo repræſentaret. Hac de clave pluribus licèt adhuc agi poſſet, monet tamen propoſita brevitas hiſce contentum eſſe, & ad τ̃ βαλανάγρας conſiderationem feſtinare.

DE ΒΑΛΑΝΑΓΡΑ.

XIX. Antiquos apud Scriptores non minùs frequens τῆς βαλανάγρας quàm τῆς Λακωνικῆς κλειδὸς occurrit mentio, quin & argumentis ſat idoneis nititur opinio, ſuadens antiquiorem illius quàm hujus inveniri memoriam, unde & dubium cuipiam ſuboriri facilè poſſet de clavibus hiſce, utra illarum prior uſui humano cognita frequentataque fuerit? Qui nodus ſolutu tantò eſt difficilior, quantò majus utriuſque de auctore, quantùm mihi quidem cernere licuit, apud omnes Scriptores, quibus ad noſtra pervenire tempora contigit, eſt ſilentium: de illo autem ſolvendo hoc minùs jubeor eſſe ſollicitus, quò ſciam certiùs eum, qui ultra id, quod ſcripta antiqua probant, hujuſmodi in rebus ſapere atque adſtruere tentat, vix ac ne vix quidem fidem mereri. Sole tamen eſt meridiano clarius, viam monſtrante ipſius rei Etymologia, in Græcia potiùs quàm Latio ejus incunabula eſſe quærenda. An autem Græci primi fuerint inventores, an verò & illi aliunde ejus mutuati ſint ſcientiam, diſpectu eſt difficile, quò minùs tamen dubitare liceat ejus memoriam apud Ebræos primam exſtare facit in ſeqq. penſitandus locus *Judic.* 3. qui liber procul omni dubio antiquitate ſua quæcunque Græciæ monumenta longo ſuperat intervallo. Incertum quoque eſt, ad quæ referendus ſit tempora Cinyra ille Agiropæ filius, quem fabulantur primum vectem clauſtris adaptaſſe, teſte D. Cajetano *ad Senec. Thyeſt. act.* 3. fol. 31. Ad ſtructuram quod ſpectat, auctoritate graviſſimorum Scriptorum evictum eſt, illi cum clavibus aliis, ſive Laconicis, ſive aliàs communibus prorſus nihil fuiſſe commune: ſicuti enim utriuſque generis clauſtra obſerationiſque rationes quàm longiſſimè à ſe invicem in diverſum abivere, ita quoque fieri non potuit, quin & claves eodem modo inter ſe differrent, ut ſerarum ſive τ̃ μοχλῶν pro diverſitate & ipſæ quoque diverſæ eſſent. Quo obſeraret reſeraretque modo κλεὶς Λακωνικὴ, & quales haberet objices, quibus hîc locus eſſe nequiret, antea eſt expoſitum. Fuit autem hiſce in clauſtris vectis, non qui ab uno valvarum latere tantùm obſiſteret, ſed qui tranſverſus fores firmaret, Græciſque, ut infinita Scriptorum evincunt teſtimonia, τῆς θύρας μοχλὸς audiret: vid. Salmaſ. *ad Solin.* Caſaubonus verò vectem dicere veritus, potiùs vecti quoddam ſimile lignum illud pronunciat ἀσφάλισμα, quod Græci μοχλὸν appellant & Latinis objicis nomine expreſſum eſt: vid. G. Bernardin. Marmita *ad Senec. Herc. Fur. act.* 2. fol. m. 9. & Jod. Bad. Aſcenſius *ad act.* 4. fol. m. 31. Verùm nihil intereſt, quo veniat nomine, modò ipſa in re non fuerit diſcrepantia. Fuit autem vectis iſte potiſſimùm ligneus, ut ex Ænea conſtat, & Euſtathio, qui *ad Odyſſ.* ψ. p. 810. μοχλὸς, ait, οὐ μόνον μηχανῆς ξύλον τί ἐστιν, ἀλλὰ καὶ θύρας ὀχεὺς, ὁ καὶ ἐπιβλὴς ἐν Ἰλιάδι, videl. ultima v. 453.

—— —— θύρην δ' ἔχε μοῦνος ἐπιβλὴς
Εἰλάτινος,

ubi rurſum Euſtathius, Ἐπιβλὴς δὲ ξύλον συνέχον ἐπικεκλεισμένας τὰς θύρας. Caſaubonus tamen ferreos vel æreos putavit ſacrorum monumentorum ductus interpretatione, videl. 1. *Reg.* 4. 13. *Eſa.* 45. 2. *Pſal.* 147. 13. &c. quæ mentionem faciunt τ̃ μοχλῶν χαλκῶν καὶ σιδηρῶν: conf. Buchanan. *ad eundem hunc Pſalmum* p. m. 384. Mihi autem perſuaſum eſt ferro & ære cruſtatas fuiſſe, quales Piriſaboræ portæ Marcellino 24. p. m. 288. & æratæ fores Tibullo memorantur, unde & Conſtantinopolitani objices illi eidem ferrati audiunt, 21. p. m. 208. cujuſmodi habendos Æneas etiam ſuadet, quò ſint firmiores. Conf. Euripid. in *Phæniſſ.* v. 115. & Scholia per Arſenium Monembaſiæ Archiepiſcopum collecta p. m. 148. Herodot. 1. p. m. 46. Eſt præterea eidem Caſaubono notatum, quòd poſtibus non eſſent affixi, ſed exemtiles vectes, non tantùm ex Varrone, cui lib. 6. *L. L.* p. m. 1093. ſerare à ſerrare, quaſi eximere, ſed & Plutarch. *Pelopida* θεράποντος μοχλὸν ἀφαιροῦντος: item Chryſoſtomo in *Beren. & Proſdoc.* Homil. εἰ μὴ συνέθλασε τ̃ μοχλὸν σιδηροῦν, οὐκ ἂν αἱ παρθένοι ἴσχυσαν αὐτὸν ἀφελέσθαι. Omnia benè ſeſe habere probat ulteriùs in *ſatyrico ſcripto* Petronius p. m. 51. *dum loquimur*, ait, *ſera ſua ſponte delapſa cecidit, recluſæque ſubitò fores admiſere intrantem.* Niſi enim exemtile illud fuiſſet repagulum, quî delabi potuiſſet, non facilè percipitur: conf. Ovid. *Faſt.* 1. 265. & 280. Petr. Danielis *ad Petron.* p. m. 304. Nec mirum de iis, quæ ab una valvarum extremitate ad alteram in firmandis foribus ducuntur, quale quid fuiſſe apud Ebræos בריח, quod eſt à Rad. ברח *tranſcurrere*, & Ebræorum Magiſtris נגר & נגרא, notante Jo. Buxtorf. ex Baal Aruch, cui jungatur Euſtathius *ad Iliad. ult.* p. m. 1495. Ὁ ἐπιβλὴς δὲ ξύλον συνέχον ἐπικεκλεισμένας τὰς θύρας, ἐν ᾧ ἀπὸ τοίχου εἰς τοῖχον, ἢ ἀπὸ φύλου εἰς φύλον τῇ θύρᾳ ἢ ταῖς θύραις ἐπιβάλλεται. Vix etiam diſpicere poſſum, annon ejuſmodi quoque fuerint apud Euripid. *Phæniſſ.* 115.

Χαλκόδετά τ' ἔμβολα
Λαϊνέοις Ἀμφίονος ὀργάνοις
Τείχεος,

quæ ἠρμοσμένα leguntur, licèt diverſo modo immitterentur. Ἄλλοι tamen, notante Scholiaſta, ἔμβολά φασι τὰς καθέτους τοῦ νῦν, de ſuo ævo loquitur, χαλκώματα πτερὰ, ἅπερ ἐστὶ τῇ κατασκευῇ τοιάδε. Camerario verò, ut teſtatur H. Stephanus, *ſunt vectes revincti ære, & trabes æratæ, quæ ſolebant de muro ante portas demitti*, quam interpretationem ut amplexus eſt Budæus, ita laudata firmant Scholia: Ἐσπέρας δ' ἠρχοῦντο τῷ ἐμβόλῳ, διά τινος μηχανήματος αὐτὸ καθιέντες καὶ ἀνέλκοντες. ἔμβολον δὲ καλεῖ ἐκ τοῦ ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ τείχους ἐμβάλλεσθαι ἔξωθεν τ̃ πυλῶν. Χαλκόδετον δὲ διὰ τὸ δεδέσθαι καὶ ἠσφαλίσθαι χαλκῷ. Quid autem in navibus ſit ἔμβολον conſtat ex *Scholiis* Pindari, Gyraldo *de re nautica* c. 11. Petronii *Satyric.* p. m. 60. & ibi Jo. à Wouwer *Animadverſ.* p. m. 642. Fr. Pithœi *Collect.* p. m. 382. Georg. Erhard. *Symbol.* p. m. 810. Bayfio *de re navali.* Hæc verò ſcribens album calculum addere Turnebo tamen non poſſum, qui *Adverſ.* 19. 7. ex iſtis Petronii conatus eſt probare omnes ſeras olim ſic occluſiſſe fores, ut exemtiles eſſent, & quoties reſerarentur ſeræ, removerentur liberarenturque è catena pendentes: conf. Georg. Erhard. *Symbol.* p. 778. Verùm aliud ſuadet ratio clavis Homericæ, aliud quoque Laconicæ: nec de catena pependiſſe, quod de exterioribus clauſtris intellexiſſe videtur, mihi perſuadeo, quum de internis loquatur clauſtris Satyricus, ut ex ipſo contextu perſpicuum eſſe poterit.

XX. Fuit

XX. Fuit autem objicis hujus munus valvas portasque occlusas tenere, sed ne à quovis dimoveri posset, pro illo firmando rursum aliud requirebatur instrumentum, docente vel ipso Apulejo *Metam.* 1. p. m. 56. ubi primùm adduxisse dicitur fores Aristemenes, & postea pessulos firmasse: *adducta*, inquit, *fore*, *pessulisque firmatis*: atque adhuc clariùs: *januis sub media nocte deseratis*, *iterumque ad pristinum statum resurgentibus*, *postes ad repagula redierunt*, & *pessuli ad claustra recurrerunt.* Ibi per pessulos intellexit repagula, hîc verò repagibus contradistinguuntur, & τὰς βαλάνους denotant, quæ quum postes καθ' ὑπάλλαγὴν ad repagula εἰς τὴν βαλανοδόκην recurrerunt. Ita in Euripidis modo allato πύλας κλεῖθροις χαλκόδετα τ' ἔμβολα λαΐνεοις Ἀμφίονος ὀργάνοις τείχους ἡρμοσμένα leguntur, ὁ δὲ νοῦς, in Schol. ἄρα αἱ πύλαι τοῖς κλεῖθροις ἡρμοσμέναι εἰσί· καὶ τὰ χαλκόδετα ἥρμοσται τοῖς Ἀμφίονος λαΐνεοις τοῦ τείχους ὀργάνοις. Sic & apud Claudianum *de Raptu Proserp.* 1. v. 238.

> ——— *Immensaque nectit*
> *Claustra chalybs.*

Eodem modo vetustæ Sueo-Gothorum fabulæ repagula & pessulos à se invicem distinguunt, vel ut est in Gothrici *Hist.* c. 4. pag. 24. *So ad fra gengu lokor oc slagbrandar*, hoc est, interprete B. Verelio, *Sa at stanglar oc slagbrandar ruko ifran.* Hac de re evidentiora exspectari certè non possunt. Id quod repagula sive vectes firmavit Græcis dicitur βάλανος, Latinis pessulus. Fuit autem illud ad plurima translatum vocabulum, inque iis non raro breve illud ferrum διὰ τοῦ μοχλοῦ ἢ ἐπιβλῆτος τῇ θύρᾳ ἐπιβαλλομένου trajectum ipsumque postibus affigens, vel ut Scholiastæ *ad Vespas Aristophan.* v. 154. utar verbis: βάλανός ἐστι κυρίως τὸ εἰς μοχλὸν σιδήριον, ὃ καλοῦμεν μάγγανον, καὶ βάλανοι τὰ μάγγανα τῆς κλειδώσεως, quæ totidem ferè verbis in *Scholiis* Thucydidis occurrunt, nisi quòd paulò clariùs, βάλανος δέ ἐστι τὸ βαλλόμενον εἰς τὸν μοχλόν, &c. ad init. l. 2. p. m. 49. ex quibus apparet μάγγανον quoque dici: vid. Phavorinus in *Lexico*. Existimo enim è poste quidpiam prominuisse, idque ut ei inseri vel injici posset altera τοῦ ὀχῆος extremitas, quæ perforata, bifidum, cujus superior pars pervia βάλανον διὰ τὸ ὀχῆα εἰς τὸ ὑποκείμενον, quod βαλανοδόκης fundum habuisse opinor, transmisit, ut transmissa τὸ ὀχῆα firmaret. Bifidum autem illud fabulæ Sueo-Gothicæ, in quibus antiquorum rituum vestigia satis evidentia comparent, quantumvis aliàs in quibusdam habeantur ineptæ, appellant *Klofa*, quod seram interpretatus est Nob. Jac. Renhielm in Explic. voc. ad *Thorstens Wijkingz Saga*: occurrit autem in Rholfonis & Gothrici *Hist.* c. 30. p. 179. *Sidan rac han hurdina i klofa. Wikingsons Saga* c. 15. p. 76. *hurd war kommin ad klofa*, id quod cap. seq. p. 81. dicitur, *Læst war hurd*, id est, obserata fuit janua seu foris; & in carmine Sighvati Poëtæ, *hurd war aptr*, adductæ erant fores: vid. Not. cl. D. Verelii *ad Hist. Gothric.* p. 56. atque in ipsa *Histor.* c. 29. p. 170. *hurd war da aptur luct.* Ex quanam autem materia hic ipse μοχλὸς, ut ita hanc prominentiam appellare nunc liceat, potissimùm sollicitus non sum: ex ære tamen aliquando fuisse illud χαλκόδετον Euripidis suadere videtur, siquidem χαλκὸς *æs* & δετὸς *vinctus* originem ipsi dedere. In hoc ipso πήγματι fuit βαλανοδόκη, quæ & τρύπημα & τρῆμα ab Æneà non uno loco audit, cui immittebatur βάλανος, ut ex Aristophanis *Vespis* v. 199. perspicuum est:

> Ὦθει σὺ πολλοὺς τῶν λίθων πρὸς τὴν θύραν,
> Καὶ τὴν βάλανον ἔμβαλε πάλιν εἰς τὸν μοχλόν.

Schol. τὴν εἰς τὸν μοχλὸν βάλανον ἔμβαλε εἰς τὸ πῆγμα, δηλονότι, κλεῖσον τῷ κλειδίῳ, sive jam τὸ κλειδίον usurpatum sit Scholiastæ ἀντὶ τῆς βαλάνου, seu velit ostendere τὴν βάλανον τῷ κλειδίῳ εἰς τὸν μοχλὸν immittendam esse, parum refert, add. Æneas sæpius: hinc etiam nacta est βάλανος illud nomen posterioribus temporibus, ut διαδρόμος diceretur, teste Eustathio *ad Odyss.* φ. l. cit. Hujus locutionis non exsortes fuisse Latinos docet inter alios Marcell. Empiricus c. 17. p. m. 319. *In eo loco vel foramine, in quo januæ pessuli descendunt, quicquid sordium repereris, collige.* Hoc ipsum in foramen ita immittebatur βάλανος, ut tota intra illud lateret, ostendente Scholiasta Thucydidis, qui contra eos, quibus στυράκιον, quod postea explicabitur, hastile lignum fuisse visum est, acriter pugnans demonstrat, illam vocis interpretationem plurimum non tantùm incommoditatis secum adferre, sed & absurditatis: si enim hastile fuisset lignum, πᾶν οὐκ ἠδύνατο ἐν τῷ μοχλῷ κατακρυφθῆναι, εἰ δὲ ὑπερεῖχεν, ἀνεσπάσθη ἂν ὑπό τινος τῶν Θηβαίων. Hoc tamen argumentum planè nulli fuisset præsidio, nisi claustrum intra tota latitaret βάλανος: unde & Apulejus *Metam.* 3. *Et cùm dicto pessulis injectis & uncino firmiter immisso ad me est reversa.* Sic & *slagbrandar* veteribus Gothis dicti videntur hi pessuli, quòd fortiori cum impetu intruderentur. Βάλανος verò ipsa, ut ipsum nomen indicio esse possit, quod cujusvis arborei fructus genera denotat, glandis facie ficut breve, ita etiam cavum, quod Thucydidis ex *Histor.* 2. p. m. 49. evincere non infeliciter adorti sunt Eruditi, inque iis Pollux Ὀνομαστ. 10. 4. περὶ σκευῶν τῆς θυρωροῦ. Historicus autem ita: Τῶν δὲ Πλαταιέων τις τὰς πύλας, ᾗ ἐσῆλθον, καὶ αἵπερ ἦσαν ἀνεῳγμέναι, ἔκλεισε, στυρακίῳ ἀκοντίου ἀντὶ βαλάνου χρησάμενος ἐς τὸν μοχλὸν, ὥστε μηδὲ ταύτῃ ἔτι ἔξοδον εἶναι. Scholiastes verò, στυράκιον λαβών τις, φησί, τῶν Πλαταιέων, ἐν τῷ μοχλῷ τῆς θύρας ἐνέβαλε. Fuit verò στυράκιον, quo pessuli usus est loco, ferrum cuspidis, quod transversum in posteriori sui parte hastæ rectæ incumbentes in terram defigere consueverunt, non verò τὸ τοῦ ἀκοντίου ξύλον, ut perperam quibusdam persuasum fuit, testibus Scholiis. Neque etiam desunt, qui non σαυρωτῆρα ἢ οὐράχιον, sed cum Valla, quem sequi Budæus mihi videtur, spiculum ipsum fuisse maluerunt: quo tamen ego non moveor scrupulo, quum constet hoc, non minùs atque illud, altera sui parte cavum fuisse: neque etiam aliàs hastili induendo aptum. Hesychio tamen, & memorato Scholiastæ visum est τὸν σαυρωτῆρα τῶν δοράτων εἶναι, quæ opinio H. Stephano quoque se probavit, inque ejus modum sese habuit βάλανος, id quod Æneæ Tactica benè considerata non semel evincunt. Neque etiam ἡ βάλανος cavitate ista carere potuit, in quam, quum intra τὴν βαλανοδόκην adeò immersa lateret, ut instrumenti cujusdam absque ope evelli nequiret, ἡ βαλανάγρα immittenda fuit & circumagenda, usque dum & cum βαλάνῳ conveniret, & eandem secum extrahere posset. Hoc ipsum est, quod in Apul. *Metam.* 1. p. m. 70. dicit Aristomenes se *subdita clave pessulos* reduxisse sive retraxisse, ut notat Beroaldus: id verò

dam Thrasyleonte, qui quum intra januas portasque esset constitutus, quippe sub pelle & specie ursi proximè præcedenti vespera in domum Democharis introductus, fores tamen antea repandere non potuit, quàm janitore gladio confecto claves primùm subtraheret, non obstante, quod intus affixa essent repagula, id quod Aristomenis histor. *lib.* 1. p. 70. probat. Hinc & apud Petronium p. m. 84. nata est querela super Eumolpi cujusdam factum, non tàm quòd limen egressus ostium obduxerit cellæ, alterumque incluserit, quàm quòd claves exemerit, quo omnis reserandi copia incluso esset præcisa. Ut autem hac clave utrinque tàm extrà quàm intrà una eademque posset reserari sera, necessum fuit satis grande vel in ostio vel in valvis relinqui foramen, quod à βαλανοδόκη longè fuit diversissimum, per quod inserto brachio ἡ βαλανάγρα πρὸς τὸ ἐμβάλλειν, ἢ πρὸς τὸ ἀνασπᾷν τὴν βάλανον transmitti posset. Hujus rei vestigia non sanè pauca apud Scriptores occurrunt. Apulejus quidem Scriptor de antiquitate haud parùm meritus in sæpius laudato opere *Metam.* 4. p. m. 189. ejus evidentissimum reliquit documentum, quum latronem quendam latronumque ducem & vexillarium Lamachum fingit *per foramen clavi immittendæ factum, manu sensim immissa claustrum evellere gestiisse*, atque Chryserontem, hoc animadverso, paulatim, latrone non sentiente, adrepsisse, grandique clavo manum ejus ad ostii tabulam offixisse, quæ omnia intra domum contigisse, licèt latro in domum irrumpere cupiens foris degeret, circumstantiæ evincunt. Est ergo notatu dignum, hìc plenis & expressis verbis memorari, & quòd illud *foramen immittendæ clavis* ergo factum fuerit, & quòd totum brachium inseruerit, ita enim fieri necessitas jussit, antequam εἰς τὸ τρύπημα seu τρῆμα τῦ μοχλῦ ἡ βαλανάγρα ingeri posset, id quod sequentia adhuc clariùs exponunt, pag. videl. 291. ubi latrones *antesignani sui partem, quà manus humerum subit, ictu per articulum medium temperato, prorsus abscidisse* leguntur. Evincunt quoque hoc ipsum fraudes, quæ Ænea ab externis circa βάλανον absque ope βαλανάγρας in plerisque urbium portis, eruendam ac dolo evellendam commissæ memorantur, quas in aprico est frustra attentatas, nisi ejusmodi quoddam per foramen in ostio vel porta relictum factas supponatur, siquidem non nisi per illud tantùm janua intus obserata deforis reserabatur. Suspicor etiam, quòd ad hujusmodi quoddam foramen supra pessulum in ostio vel fore factum alluserit Spiritus S. de Ecclesia ejusque Sponso in *Canticis* c. 5. duorum amicorum ex personis loquens, quarum altera quasi pultans ostium manum de foramine immisit, altera verò intus existens repagula amovit. Clarissimè Suecus Interpres: *Min wan stack sin hand in genom & hòl*, non incommodè: in textu enim originali ita leguntur, דודי שלח מן החור ידו, hoc est, *amicus meus misit de foramine manum suam*, neque aliter LXX. ἀδελφιδός μυ ἀπέςειλε χεῖρα αὐτῦ ἀπὸ τῆς ὀπῆς. Aliter autem interpretatos esse hunc *Cantici* locum alios, quos videre contigit, Interpretes, minimè miror, quum hujus obserationis ignari, omnia ad hodiernos serarum exigere modos fategerint: ideoque hoc foramen neque ad τὴν ὀπὴν τῆς θύρας, neque ad τὸ τῆς βαλάνυ τρῆμα, sed ad ὀπὴν seu τρύπημα τῦ μοχλῦ, uti videre est apud Carolum Mariam de Veil Scriptorem Anglicum in explicatione litterali p. m. 61. Hoc tamen ineptiùs longè Nicolaus Lyra, qui manum per fenestram immissam arbitratus est. Isti quum intelligant τὴν τῦ μοχλῦ

A ὀπὴν, seu quà clavem per assulas seræ ad removendos vectes immitti moris est, minorem esse, quàm ut manui inserendæ sufficiat, illud coacti sunt quærere effugium, quasi τὸ *manus* pro digito scriptum esset, ut abundè Carolus Maria docet. Verùm hoc accuratiùs divina oracula scrutantibus sese vix ac ne vix quidem probaturum reor. Textus enim reclamat perspicuitas, ubi τὸ יד apertè distinguitur à voce אצבעות, quæ *digitos* denotans in sequentibus occurrit. Fuit itaque חור seu חר foramen non aliud, quàm per quod manus transmitti ad eruendam è claustro βάλανον consuevit. De hac ipsa manu per foramen inserta
B posset fortè myrrhinum illud, cujus mentio fit v. 5. videri destillasse, quòd pultans dicat *caput suum rore oppletum & capillos adspersionibus noctis*. Sed quoniam aliter aliis placeat, itaque hanc controversiam ne faciam meam, ad Theologos devolvo: vid. Petr. Damianus. Quale præterea pessuli hujus fuerit manubrium, βαλανάγρα ne, an quod ejus vicem sustineret aliud quidpiam, Eruditis relinquo dispiciendum. Allegoriæ hujus fundamentum alius Scripturæ locus, & quidem isto qua consignationem antiquior positus mihi videtur *Judic.* 3. 23. qui locus ejusmodi quo-
C que est, ut haud leve negotium Interpretibus facessat. In illo enim exponendo diu multumque sese torsit fatigavitque Joh. Piscator, sed frustra, unde & ingenuè fassus est percipere se non posse, qua ratione fores primùm occluserit Ehud, & denique pessulo vel sera obserarit, id quod necessariò infert vox ista נעל, quæ originem quoque dedit τῷ מנעול *Cantic.* 5. 5. Conatus equidem est isti occurrere difficultati Petrus Martyr, suspicatus *fuisse quoddam serarum genus ita comparatum, ut absque clave, si quis ostium post se traheret, è vestigio clauderetur*, quâ tamen, ut ingenuâ, explicatione nodo Gordiano satis-
D facere vix potuit, imò nec Piscatori, quòd distinctè dicat textus, Ehud primùm exiisse, ac fores cœnaculi occlusisse, & tandem pessulo obserasse: verba textus adponere non pœnitebit: ויצא אהוד המסדרונה ויסגר דלתות העליה בעדו ונעל, hoc est, *& exivit Ehud ex ipso procœtone, & occlusit fores cœnaculi circum illum & pessulo obseravit.* LXX. Καὶ ἐξῆλθεν Α'ὼδ τὰς διατεταγμένας, καὶ ἀπέκλεισε τὰς θύρας τῦ ὑπερῴυ ἐπ' αὐτὸν καὶ ἐσφήνωσεν. Et cum emphasi quidem ultimum hocce ἐσφήνωσεν, quasi adacto cuneo quodam, quale quid est βάλανος, obserasset,
E quod omnium sufficientissimè docet interpretatio eorundem *Nehem.* 7. 3. κλεισθήτωσαν αἱ θύραι καὶ σφηνέσθωσαν: sicut enim hodie nonnunquam, *quum repagulum per transversum obditur, solet foramini, cui repagulum immittitur, utrinque cuneus injici, ne amoveri ipsum queat*, dicente Henr. Stephano tom. 3. *Thesaur.* p. 1179. ita etiam nuper reparatæ urbis portas obfirmatas existimavit, quod ignoraret hunc per βαλανάγραν obserandi modum, qui tamen omnino adhibitus videtur, quum non possent non sibi tàm ab insidiis occultisque proditoribus, quàm ab hostibus manifestis timere, quorum in conatibus frustrandis istiusF
F modi cuneus minimè sufficisset. Utrobique eundem agnovisse obserationis modum LXX. sermonis arguit identitas. Notandum tamen quasdam Editiones ἀσφαλίσθωσαν habere, quod eòdem tamen recidit, quò prius illud σφηνέσθωσαν. Manet itaque Ehud primùm cœnaculo egressum fores adduxisse, & manum postea per foramen quoddam ostii τὴν βάλανον, quæ fortè vel vecti adhæsit, vel aliàs præsto fuit, εἰς βαλανοδόκην εἰσβαλῦντα immisisse. Est hoc loquendi genus Paganicis quoque usurpatum, quemadmodum documento est Apulejus *Metam.* 1. p. m. 56. *adduxu-*

ducta fore pessulisque firmatis, ubi pari ratione Aristomenes primùm fores adduxit, & postea pessulos seu vectes τῇ βαλάνῳ firmavit. Nec à vero abesse arbitror, hujusmodi claustrum isti adaptatum fuisse januæ, sive προκοιτὼν, ut Buxtorf. sive ὑπερῷον, ut LXX. sit reddendum, utrumque enim magnum quoddam & amplum indicat fuisse domicilium sive palatium. Quemadmodum enim in interioribus ædificiorum receptaculis claudendis obfirmandisque locum habuere claves Laconicæ ceteræque communes; ita majoribus in claustris, portarum puta & januarum majorum, τῆς βαλανάγρας usus fuit maximus, annotante Salmasio. Hanc βάλανον, quam inserta per foramen manu immisisse videtur Ehud, demum allata clave retrahunt & evellunt Ministri regii, & vectibus remotis introeunt.

XXIV. Fuere hæc, nisi fallor, antiquissima clavium genera, an verò alia exstiterint unquam, adhuc deprehendere non potui: quæ enim κλειδία κατὰ τὸ ὕστερον εἰς πολλὰς ὀπὰς τετρυπημένα memorat celebratissimo illo loco Eustathius *ad Odyss.* Φ. nihil vel adeò parùm à βαλανάγρᾳ differentia fuisse reor. Quid verò sibi velint septem ista foramina, in quibus pessulos januæ recondi consuesse ex Schobbas fol. 67. 1. annotat Buxtorf. *Lexic. Talmud.* p. 1479. prorsus determinare non possum. Mihi tamen non adeò alienum videtur, ad claustra & repagula τῶν βαλαναγρῶν esse referenda. Nec etiam dubium est, quin ex antiquitate Ebraïca hoc ipsum argumentum declarantia afferri plurima possent; verùm, quum vires illa superent, eorum peritioribus lubet relinquere. Quum autem jam omnia hoc modo videntur expedita, subodorari nequeo, quasnam sibi imaginatus sit claves, quas & Antiquitati receptas pronunciat, & nobis obtrudere conatur in *Advers.* 53. 9. p. m. 2495. Barthius, qui plurimus in eo est, ut evincat aliam Veteribus fuisse clavem, quâ occluderetur, ac vicissim aliam, quâ una eademque recluderetur sera, quasi una clavis utrumque præstare non valeret. Diffiteri equidem non possum longè aliam hodiernarum clavium esse structuram, atque etiam longè aliam esse vetustissimarum, quod superiora abundè commonstrant: an verò alia adhuc, & ab iisdem diversa fuerit, ambiguum est. Sed detur olim alia exstitisse clavium genera, vix tamen à quoquam percipi potest, quòd illis in actibus, qui quidem respectu finis sunt diversi, verùm operationis & usus tantùm non per omnia iidem, diverso opus esset instrumento. Eadem clavis, quæ βάλανον in suam ingessit βαλανοδόκην, si modò adhibita est, eam inde eduxit, & vice versa. Clavis quoque Laconica pariter & Homerica pessulum non minùs removit, quàm admovit. Nec unquam aliter factum percipere possum, nisi fingam duplicem quoque uni eidemque januæ adhibitam esse seram, aliam videl. obserantem ostium, aliam denique reserantem; quod qua laboret absurditate nemini obscurum esse potest. Quoniam verò opinionis suæ ipse nulla adfert fundamenta, sed solùm Eucherii, vel quemcunque alium *Homiliarum* Eusebio Nyssæo adscriptarum dicamus Auctorem, verbis innixus hoc statuit, itaque illa curatiùs sub examen revocanda sunt: *Agnoscamus*, inquit ille, *carissimi, veras regni cælorum claves meritorum esse virtutes: quantùm autem arbitror, omnes in nobis habere possumus claves regni cælorum, & quidem duplicem vim gerentes, duplicem*

A *habentes effectum: Fides, humilitas, patientia, castitas, quasi bonæ claves aperiunt DEI portam, sed superbiam, iracundiam, cupiditatem, non immeritò claves dixerim, nam claudunt regnum cælorum.* Ita ejus verba Barthio ibidem citantur, ex quibus infert quasi vitio quodam laboret & morbo ipsa comparatio, nisi diversa aperiendi claudendique fuissent instrumenta, quandoquidem vitia ista & virtutes sibi invicem è regione opposita æstimantur. Sed *claudicat omne simile.* Sufficit enim duplicem illam vim, duplicemque effectum, uti expressè scripsit Eucherius, uni eidemque inesse clavi, ut & occludere B & recludere queat, in quo comparationis volvitur tertium. Quamquam de virtutibus istis rectiùs diceretur, quòd facerent, ut aperiretur & recluderetur regnum, quàm ut ipsæ aperire aut recludere quirent. Hac tamen de re disceptent Theologi, quibus quid salutis in negotio, adeóque in regni cælorum reseratione, ponderis habeant operum merita, inquirere incumbit. Vereor etiam, ne sui ipsius oblitus sit Barthius, quippe qui in *Animadvers. ad Claudian. bell. Gild.* v. 11. p. m. 367. Germanici versus ita explicat: *Non aliter atque una eademque clavicu-* C *la ostium valvasque & claudit & recludit.*

DE CLAVE ANNULATA.

XXV. Recentiora nunc sequuntur discutienda clavium genera, quæ quum minùs difficultatis habeant, breviori sunt expositione contenta. In his verò primùm sese offerunt claves annulatæ, quas, nisi eædem cum Laconicis fuerint, earum tamen in locum successisse & facies & usus conveniens evincit: utrobique enim dentes scapo seu tubulo ad eundem modum intelliguntur adglutinati, ut per fores liminisque D tabellas, ut est apud Catullum *epigr.* 33. claustris immissi verucla sive parva ista repagula vel qualiacunque alia obstacula removere possint. Has ipsas inter & nostras, quibus vulgariter utimur, prorsus nihil intercedit differentiæ, excepto quòd longior sit utplurimum hodie scapus, quàm alioquin est, quem ex Veteribus ad nos transmissæ repræsentant delineationes. Testatur quoque Salmasius quàm plurimas earum è tellure erutas oculis suis se usurpasse, inter quas tamen omnes id convenit, quod eis tantæ brevitatis esset scapus, ut præter dentes, qui claustrum intrarent, & annulum, sive, quum is de- E ficeret, crucem, quibus circumagerentur, prorsus nihil habuisse viderentur; nec aliter se habere ait illas, quas talium rerum curiosi remotissima ab antiquitate servant transmissas. Harum autem clavium de usu Salmasium inter & Lipsium satis gravis agitatur controversia: huic enim signatorios seu sigillaricios cum adjuncta clavi fuisse annulos, ad duplicem scil. usum, obsignandi & reserandi, persuasum est: ille verò hæc ἀνοήτως dici autumat, quòd nullum in iis sigillum ad signandum aptum conspiciatur, ideoque meras esse claves cum annulo, F qualis in nostris clavibus esse consuevit; annulos autem istos, quos observat interdum formâ fuisse minutissimi etiam digiti, ideo appositos, ut iisdem instar annuli signatorii insereretur digitus, quo commodiùs intra claustra verti possent: defuit enim, quo tenerentur ac circumagerentur, scapus, qui manubrii loco esse posset: & hinc sortitas esse nomen, ut καλυπτῆρες καὶ κρυπτῆρες dicerentur, quòd excepto annulo totæ intra claustra absconditæ mergerentur; περὶ καλυπτήρων autem & κρυπτήρων sufficien-

ter,

ter, ut opinor, suprà; μορφὴν autem harum clavium exhibent Lipsius in *Excurs. ad Tacit. Annal.* lib. 2. lit. B. Salmasius *ad Solin.* Petr. Scriverius in *Antiquit. Batav.* talem, qualem litt. K. L. expressam dedi.

XXVI. Quicquid istis de clavibus sit, dicatque Salmasius, fundamento tamen non caret suspicio Lipsii: neque enim epistolas ultrò citróque missitandas solùm signabant Veteres, verùm ipsis moris quoque fuit omnem supellectilem omnemque pecuniam annulo signare, ne quid negligentia aut furto periret. Obsignabant autem non tantùm lagenas & amphoras, ut apud Persium *sat.* 6. 17. Horat. *epist.* 2. 2. 134. quod & suam fecisse matrem Q. Cicero *ad Tironem* 16. 26. *ad Famil.* est testatus, aliaque, (Juvenalis 14. 132.) ut vasa thesaurosque præcipuos, ceu Combabum fecisse in *de Dea Syriæ* tom. 3. p. m. 768. Lucianus prodidit: is enim σφραγῖδι ἐσημαίνετο τὸ ἀγγεῖον, in quo αἰδοῖα abscissa servarat. Et de Diffidente Theophrastus *Charact.* cap. 19. Καὶ τὴν γυναῖκα τὴν αὐτοῦ ἐρωτᾷ, εἰ κέκλεικε τὴν κιβωτὸν, καὶ εἰ σεσήμανται τὸ κυλιούχιον, &c. Sed & ipsas domos aliaque repositoria majora, quemadmodum adhuc hodie fieri assolet, ubi vel peregrè abeundum est, vel bona aliorum custodiæ committenda, sigillo muniebant. Hoc factitatum suo exemplo docent apud Comicum querulæ uxores, quarum fraudes quæcunque omnino irritæ sunt factæ, postquam viros signandi docuisset artem Euripides,

> Νῦν δ', ajunt, οὗτος αὐτοὺς ὠκότριψ' Εὐριπίδης
> Ἐδίδαξε θριπήδεστ' ἔχειν σφραγίδια
> Ἐξαψαμένους.

Et suprà,

> Εἶτα διὰ τοῦτο ταῖς γυναικωνίτισιν
> Σφραγῖδας ἐπιβάλλουσιν ἤδη καὶ μοχλοὺς,
> Τηροῦντες ἡμᾶς.

Ex quibus satis luculentum est & perspicuum, sigilla etiam γυναικωνίτισιν appendi consuesse. De aliis autem domibus ædibusque idem testatus est Lycophron *Cassand.* 508.

> Τὰ δ' ἄλλα θριπόβρωτος ἄψαυστος δόμων
> Σφραγὶς δοκεύσει.

Ad quem locum videri potest Gulielm. Canterus in *Notis* p. m. 182. Idque ipsum ulteriùs evincere potest historia victoriæ, quam de Belo reportavit Daniel, ubi sacerdotes Regii: *Tu occlusam portam annulo tuo obsigna. Et postea egressi clauserunt portas obsignaruntque annulo Regis*: ita Statius Papin. in de Abascantii in Priscillam pietate v. 163. *signat fores*: conf. Dan. 6. 17. de specu Leonum obsignato, Matth. 27. 66. de sepulcro Christi; ante omnes verò Adr. Junii *Adag.* cent. 4. 39. pag. m. 376. Neque tamen existimandum solo sigillo custoditas semper fuisse fores, sed utplurimùm primùm sera munitas & pessulo, atque insuper illis additum esse sigillum, sicut Maimonides c. 2. *Hilk. Schekalim*, in quo sicli collecti servabantur: *Foribus ejus probè communitis & per claves occlusis certum insuper sigillum subimprimebatur*, ut Latinè reddita leguntur in Comment. Joh. Wulferi *in Schekalim* cap. 3. Sect. 1. p. m. 66. Inde

A factum est, ut Horatius hæc duo inter sese jungeret *epist.* 1. 20. 3.

> *Odisti claves & grata sigilla pudico*:

quæ vetus Scholiastes ita interpretatus est, *odisti clavibus includi, & sub sigillo esse*, non obstante, quod Cruquius ibi dicat per *claves* signa & sigilla intelligi, quasi hæc ipsa essent idem epistolis, libris, aliisque rebus, quod claustra januis: conf. Porphyrio, Pet. Gualt. Chabotius tom. 3. *in Horat.* p. m. 137. sic *pa-* B *ter pluribus filiis heredibus institutis* moriens claves & annulum *custodiæ causa majori natu filiæ tradidit*, ut est in *Pandect. Juris tit. de Legat.* 2. l. *Quum pater* 77. §. *pater pluribus*; non obstante, quòd Flavius Vopiscus sub finem *Hist. Aurel. Cæs.* dicat, *uxori & filiæ annulum sigillaricium, quasi privatis instituit*, quum unum vel præsupponat alterum, vel minimum non excludat. Clarissimè tamen omnium Aristophanes τὸν μοχλὸν καὶ τὴν σφραγῖδα simul unam eandemque asservasse forem testatur. Aristophani verò addatur Menander apud Stobæum,

C

> Ὅστις δὲ μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
> Σώζει.

Conf. præterea Kirkman. *de Annulis* c. 10. p. m. 82. De annulis autem hujusmodi videri possunt Tacitus 2. *Ann.* atque ibi Lipsius, Plin. *Hist. nat.* 33. Alexander ab Al. *Gen. dier.* 2. 19. ad quem edecumata multa Tiraquellus, Petr. Faber *Semest.* Salmas. in *Exercit. Plin.* Canterus *ad Lycophr.* Pet. Scriverius in *de Antiq. Batav.* p. m. 190. 191. atque imprimis annulorum de origine variisque eorum generibus & D usu apud Priscos Præloquium in Abr. Gorlæi *Dactyliothecam*, & in luculento Opere *de Annulis* laudatus Kirkmannus. Quoniam verò tam conjunctus horum instrumentorum fuit usus, fieri etiam potuit, ut nonnunquam unà invicem cohærerent. Movit tamen magnum nostrum Salmasium, quòd nullas unquam oculis suis subjecerit claves, in quibus ullum adpareret impressum sigillum, vel saltem aliquod ejus vestigium, sed omnes esse videret tales, quales sunt delineatæ. Contrà verò satis est sufficiens in monstrando Scriverius, quòd ejusmodi quoque exstiterint claves, quibus revera sigillum E adhæsit. In fidem autem assertionis adducit ex modò laudato ad Gorlæum Præloquio quandam longioris scapi clavem, eamque æream, cujus scapo ab altera extremitate affixi fuere dentes, ab altera verò annulus, non tamen, ut in aliis rectâ scapo insistens, sed in alteram partem ita inflexus, ut annulo induto clavis & scapus rectâ digito incumberet; & præterea inclusam habens Onychen, cui incisus fuit character & imago quædam, quam desideravit Salmasius, non alium, ut videtur, in finem, quàm ut obsignationi inserviret. Character autem ipse gubernaculum repræsentavit navis cum duabus F spicis, fortè in agriculturæ & navigationis, divitiarumque exinde provenientium symbolum, ut Scriverio placet. Sistitur autem ejus σχῆμα Lit. M. Affertur & alia clavis facies à Scriverio p. 189. qualem repræsentat Lit. N. quam clavem in ruinis Arcis cujusdam Britannicæ inventam ait Anno 1520. septenos pollices longam, ponderosaque mole prægravem. Esse quoque, qui eam ipsius Armamentarii clavem palam affirment, quod tamen ipse ut incertum in medio relinquere maluit.

XXVII.

XXVII. Hæ claves satis evidenter ostendunt nihil aut parùm differentiæ claustra antiqua inter & hodierna intercessisse, siquidem tam accuratè earum inter facies convenit: quare istas qui novit claves, hodiernarum quoque habere notitiam æstimatur, ideoque supervacuam reor esse operam, si ulteriùs in illis describendis hæream. Omnes enim in seram immissæ vel verucla vel alia quæcunque obstacula pro serarum diversitate removerunt removentque. De Carthusianorum verò clavibus, quibus istæ Familiæ suis in conclavibus utuntur, quod dicam, habeo nihil. Illos tamen adhuc hodie ipsis esse in usu Joh. Hoffmannus in *Continuat. Lex. univ.* superiori anno publici juris facta, affirmat, usum autem earundem ille pariter ac Salmasius silent; quod non possum non mirari, aliquam ejus si habuerint notitiam. Hoc de illis certum polliceri habeo, prorsus nihil cum Laconicis, in quam tamen sententiam propendere videtur Salmasius pro ἀνακρουστικαῖς disputans, nec cum Homerica aut etiam βαλανάγρᾳ his fuisse commune; verùm in illam potiùs suspicionem adducor, quòd ab hodiernis clavibus, quarum operâ externas quasdam laxamus seras, quòd ad referandi spectat modum, parùm discrepent. Dicuntur nobis ejusmodi seræ *holkar oc holklas* ab ampliore, quo constant, tubulo. Hisce in seris clavis lato utplurimum, rotundo interdum, constans ferro, velut Lit. I. conspicitur, sursum trudit βάλανον quandam ferream, quæ interdum solida, interdum bifida, trifida, vel quadrifida ferreis quibusdam retinetur impedimentis, quò minùs nuda manu, vel quovis per foramen clavis immisso clavo aliove instrumento succutiatur, itaque in fissuras τῆς βαλάνης ingressa clavis retinacula comprimit, ut βάλανον (*kolfwen*) protrudat. Hujusmodi claves multas pro ratione βαλάνης induunt formas, in eo tamen omnes conveniunt, quòd sursum quatiant βάλανον. Tales seræ & claves quum frequentiùs sese offerant, in iis describendis ulteriorem impendere operam supervacaneum duxi. Carthusianam clavem ex Petavii monumentis ita descripsit Salmasius, ut Lit. Q. videre est. Rusticis quoque aliud clavium, sed lignearum, genus in usu est, ubi clavis non ipsum vectem aut objicem adducit & reducit, sed tantùm in claustrum immissa elevando quosdam pistillos, qui subtracta clave in objicis incidunt cæsuras, eumque retinent, liberat, quo possit manu pro lubitu trahi ac retrahi. Faciem seræ interiorem sistit Lit. O. ubi (*a*) est clavis, (*oooo*) sunt dentes ejus, qui pistillos (*cccc*) in (*bbbb*) usque elevant, ut liberetur pessulus (*d*) & pro lubitu vel obseret vel reseret januam: utrobique enim necesse est adhibere clavem. Ingeritur autem hæc clavis, ut βαλανάγρα, non nisi ea valvarum à fronte, cui seræ affixæ hærent, nec possunt ab altera reserari fronte, quum necessariò utriusque manus requiratur opera, ubi tamen in βαλανάγρᾳ, suffecerit unam πρὸς τὸ ἀνασπᾶν τὴν βάλανον immisisse. Reliqua quæ sunt clavium genera, quæ vel in usu esse vel effingi possunt, vix tanti sunt, ut consideratione digna videantur.

XXVIII. Claves adulterinæ, ut Sallustio *Jugurth.* c. 11. p. m. 158. sive adulteræ, ut Ovid. *Amor.* 3. audiunt, & ἀντικλεῖδες Clem. Alex. *Strom.* 7. sub fin. cujusmodi utuntur, qui clam aliorum relaxant claustra, variæ rimanti deprehenduntur. Fabris tamen & claustrariis, quibus talia habere concessum, non ut

A clam aliis quasvis solvant portas & fores, sed ut iis subveniant, qui fortè fortuna legitimas perdidere claves, adulterinarum loco inservit utplurimum uncinus quidam ferreus, seu clavus ab altera sui extremitate inflexus, quod notius est, quàm ut pluribus probari egeat. Pessimis verò & perditissimis hominibus aliis, quibus volupe est quodcunque alteri damnum detrimentumque adferre, earum supplent vicem res aliæ, vel qualis dicitur esse lapis, quem ex Insula quadam Maris Rubri afferre memoratur corvus, quo ova sua clam ipso cocta, ut recrudescant, tangat, *qui lapis in annulo quoque sup-* B *ponendo suppositus tangendo vinctum catenis solvere, & januam clausam aperire* fertur, Albert. Magnus *de virtut. animal.* s. *de corvo* p. m. 164. Ejusdem farinæ est quoque herba, quam pro solvendis in nido ligatis pullis afferre traditur pica, de qua idem Albert. M. in *de mirab. mundi* p. m. 205. Hujusmodi herbæ solutivæ nobis dicuntur *lasgras*. Hisce pejora adhuc hominibus Satanæ suggessit calliditas, quorum è numero est apud Plinium 26. 4. herba Æthiopis, cujus tactu clausa omnia aperiri feruntur, admurmuratis quibusdam simul cantilenis. Ita Venetiis C damnatus quidam ad laqueum omnes patefecit fores, dejecitque seras una tantùm admota herba signaculis quibusdam decantata, referente Viero *Dæm. de præstig.* 5. 11. p. m. 497. Hîc quoque *ut claustra aperiantur*, ait, *in particula ceræ baptismo designatæ flores volubilis imprimuntur, liganturque in anteriore indusii parte, ac ubi reserare voles, ter inflato, dicesque hæc verba*, Arato hoc Partiko hoc Maratarikim, *tuo nomine aperio, quemadmodum inferna confringis* (sequentia referens horresco) *in nomine P. F. & S. S. Amen.* Hujusmodi quidpiam perpetrasse *Sindri Dwerg* fabulæ Sueo-Goth. memorant, qui D ad *Torsten Wykingzson* vinculis, catenis, compedibusque ligatum accedens flatu seras solvit: *Torstens Saga* c. ult. p. 136. *Pasa Porstein, huar Sindre for epter skipenu og ad hanum, bann blies upp lasenn, sidan bio han af banum boga streyngen.* Neque ejusmodi exempla alia Veterum scripta ignorant, quæ tamen divino quodam beneficio facinora talia adscribunt, ut Euripides *Bacch.* 446. famulus de Bacchis,

> Σκιρτῶσι, Βρόμιον ἀνακαλούμεναι θεόν.
> Αὐτόματα δ' αὐταῖς δεσμὰ διελύθη ποδῶν,
> E Κλῇδές τ' ἀνῆκαν θύρετρ' ἄνευ θνητῆς χερός.

Quæ tamen aliter evenisse vix evincitur, quàm arte quadam diabolica, quum istiusmodi artificiis magicis auctoritatem sibi conciliare fategisse Veteres constet. Neque aliam subit considerationem Sagæ & veneficæ Quartillæ factum apud Petronium, cujus ad incantationes sera sponte delapsa censetur: vid. Georg. Erhard. in *Symbol. ad Petron. Satyr.* p. m. 778. cui persuasum est ejusdem esse indolis illud Virgilii,

> *Sponte sua patuere fores,*

F atque illud Homeri ex *Iliad.*

> Αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ,

& plura hujus generis alia. Adulterinis etiam clavibus non immeritò annumerandum venit aurum, quo claustrorum non rarò corrumpuntur custodes, unde & adamantinas, hoc est, firmissimas perfringere fores Apulejus *Metam.* 9. p. m. 740. dixit: ea de re videri possunt Beroaldus *ad istum Apuleji locum*, Demosthenes *pro Ctesiphon-*

phonte, & Horat. 3. 16. 14. *Carm.* de Philippo Macedone, & Tibullus 2. 4. 33. cujus facera, vera tamen adſcribere verba lubet,

Sed pretium ſi grande feras, cuſtodia victa eſt,
Nec prohibent claves, & canis ipſe tacet.

XXIX. Exigere quidem argumenti videtur ratio, ut Tractationi huic de Clavibus, quæ earundem de uſu in traditionibus ritibuſque quibuſcunque aliis, antiquos pariter & recen- A tiores apud Auctores occurrant, ſubjungantur: verùm quum paucis iſta comprehendi nequeant, & prolixiùs eadem exſequi alia diſſuadeant, illo labore in præſens ſuperſedere jubeor. TE precor, qui cæli terræque claves TIBI ſoli ſervas, Regem noſtrum Clementiſſimum, Reginas, Regiamque ſobolem protegas cuſtodiaſque: Regios item Miniſtros & Patriam univerſam tuteris, Tuo nomini in gloriam ac laudem perpetuam, nobis verò omnibus in privatam ac publicam, temporalem ac æternam ſalutem!

F I N I S.

INCERTI SCRIPTORIS
INTERPRETATIO
INSCRIPTIONUM
ET
EPITAPHIORUM,
QUAE
ANTIQUARIAE,
Quæ Urbs est Bæticæ in Hispania,
REPERIUNTUR.

Opusculum scriptum Anno Christi MDLXXXV.
sed antea nusquam editum.

SCRIPTORIS

In hoc Opuſculum, Ad perilluſtrem Senatum Antiquarienſem,

PRAEFATIO.

PEr tres atque viginti annos, quibus publicè adoleſcentes hujus civitatis ſuſcepi inſtituendos, id mihi dari muneris exiſtimans tantùm, ut, pro virili mea, Scholaſticorum animos litteris inſtruerem, & moribus ornarem, ſatis ſuperque habebam (contra quam Horatianus inquit Catius) una hac in re *totam conſumere curam.* Idque adeò magis quòd ſermones detrahentium, omniumque operas in invidiam vocantium, plus æquo formidarem, imparem me calumniis eorum & diris latratibus judicans; qui vel ipſa cujuſque illuſtris diſciplinæ lumina fulgentiſſima maledicentiæ nebulis velle audent obſcurare, ac penè exſtinguere, & inculpatiſſimos Theonino dente corrodere, dum id ſibi ſperant acceſſurum forſitan, quòd egregiis aliorum meritis detraxerint. At verò qui vulgi opinionem ad hunc captant modum totâ certè errant viâ, ipſi namque plura accipiunt, quàm inferunt, vulnera: &, permittente Deo, quem adversùs operas aliorum ſecuris meditantur ictum, propriis infligunt cruribus. Attamen ne iis me ridiculum exhiberem, dum ingenioli mei culpâ quæ dicenda inveniſſem, ea inventa tractare non poſſem, aut tractata detriviſſem, perpetuum mihi ſilentium imperaveram. Hoc vos, P. C. juſſiſtis ut ſolverem, & jubentes coegiſtis: impium enim vobis non parere judicarem, quibus tam multis ſum adſtrictus beneficiis & addictus nominibus. Famæ igitur periculum adeatur, ſannis vellicer atque concerpar ardelionum, Momi perſonas qui gerunt, & in alienis laboribus Critici ſunt ſeveriores; quia dum vobis hoc Opuſculum, aut ſaltem animum meum eſſe gratum exiſtimem, in evolvendis ſaxis fuiſſe me tandiu luctatum haud pigebit unquam, atque eorum & duriciem & ſcabritiem pertractaſſe, mollium erit quiddam roſarum inſtar. Et quoniam in ſaxorum mentionem incidi, rationem explicare, quam fuerim ſequutus in ipſorum interpretandis atque legendis ſcriptis, per vos dum mihi liceat, non erit indecens, ſi nunc enarravero; operis namque inchoandi cauſas diruendique veteris muri, & in novo ſtatuas cum epitaphiis collocandi, ad Opuſculi primordia Lector inveniet. Cùm ergo ſederet antiquorum animis debita ſuorum caritati aut viventium, aut mortuorum ita poſſe perſolvi, ſi quo eos amore proſequebantur, & eorum merita, non tantùm præſentibus, ſed futuris ſæculis innoteſcerent, ſignis cùm æneis, tùm marmoreis & columnis exſectis ex firmiſſima materia ſe poſſe id conſequi ſperarunt: dum in his, aut illorum baſibus diligendi cauſas, merita, virtutiſque ſculperent inſignia; magiſtratus, ſcilicet, & honores quos geſſerant. Sed hi fuerunt pervarii, & qui appellatione & re cum his noſtris conſentiunt parùm, propterea minùs eſt facile vocibus Hiſpanicis eos convertere. Sed non equidem hac difficultate retardatus à multorum explanatione refugi adeò, quàm ne ſcriptis commentarios dicerer miſcuiſſe: & quòd ſperem (id etiam ſi vobis fuerit gratum) ad codicis hujus calcem, aliquot paginis, quæ in Inſcriptionibus difficiliùs intelligenda ſe offerunt, quaſi

ſcholiis elucidare: non enim mihi decere viſum eſt, ut in *P. Magnii* explicatione Hiſpana (ſit ille reliquorum exemplum) immorarer diutiùs: volens diſſerere Quirites unde fuerint dicti, quibus nomen & jus Quiritium fuerit datum, & quantum hoc fuerit: quale Tribunorum munus exſtiterit, quantus numerus, tum ipſorum varia cognomina; Auguſti Procuratores quàm eſſent potentes, & quàm illorum in Provinciis decreta perinde rata ſolerent haberi, atque ſi Imperator ipſe ſtatuiſſet: vigeſimam, trigeſimam, & ducenteſimam eſſe quaſdam exactiones, & tributa, quæ ab hereditatibus, & auctionibus, ſummis Principibus debebantur. Denique de his, deque iſtis ſimilibus in unoquoque lapidum agere ſingilatim & ut res fuerat dicenda mollibus Lectorum auribus, quarum eſt ſenſus faſtidioſiſſimus ad ultima ſemper properantium, quàm eſſet diſpliciturum videtis. Eidem præterea ſtudens brevitati, Imperatorum elogia, fidus interpres tantùm non verbum ex verbo reddidi; neque ſum Hiſpanum adhortatus Lectorem, in ſcripturæ principio nomen Imperatoris de eo prædicari, qui rerum potiretur; at verò ſi aliquis numerus eidem voci fuiſſet adjunctus, (quod fit in relatione Magiſtratuum, quos geſſit aliquis) illum eſſe intelligendum, quem vernaculo *Generalem* ſermone nuncupamus. Quid? quod occaſione oblata, cùm partes aliquas urbis noſtræ percurriſſem, non retuli civium id fuiſſe meritis aſſequutam, Regum ut beneficentiam Hiſpanorum obtineret; quibus ex numero placuit ærariarum exemtam: neque quantum in ea ab expugnatore Ferdinando fuerit nobilitatis relictum, & quantum paulò pòſt convenerit. Qui omnes quia in annonæ maxima caritate, reique frumentariæ difficultate, ubertate ſoli non valentes perfrui, propter aſſiduos undique urgentium Barbarorum incurſus, cùm à Rege juberentur, opi ferendæ impari, dirutis mœnibus abſcedere, omnia duxerunt potiora, quàm virtutis fortitudiniſque ſuæ teſtatam virtutem, quâ generoſi illi ſpiritus abundabant, non etiam patientiæ, conſtantiæ, ac perſeverantiæ fulgoribus eluceſcere. Sed ſciens præterivi, cum aliis permultis narratione digniſſimis: quia non erat in animo, turpem metuenti adulationis notam, veſtrorum Majorum recenſere claritatem; ſed tantùm aliqua referre, quibus urbis noſtræ pateret antiquitas. Retuli tamen veſtri conſilii rationem, quâ voluiſtis in diſpoſitione ſcriptorum marmorum, alia aut priora aut poſteriora aliis collacari: quod inſuper ſenſiſtis his, quàm illis, magis ſtatuas tribuentes, ne in tanta civitate viderentur aliqua, non tantùm à ratione, quantùm ab aliqua libidine profecta. Quòd ſi propenſus animus hic meus ad obſequendum vobis, & in ſcribendo ſedulitas arriſerit, digito mihi fortunatus cælum videbor attigiſſe.

INDEX CAPITUM

CAP. I. *Situs Antiquariæ.*
—— II. *Antiquæ Portæ deſcriptio.*
—— III. *Antiquæ Portæ diruendæ cauſa.*
—— IV. *Novæ Portæ conſtructio quibus demandata.*
—— V. *Scriptos lapides quærendi conſtitutio & cauſa.*
—— VI. *Novi parietis & Portæ deſcriptio.*
—— VII. *Neſcania ubi fuerit?*
—— VIII. *De Singilia.*
—— XI. *De Colle Leone, & Portu Plano.*
—— X. *Inſignia Antiquariæ.*

INCERTI SCRIPTORIS OPVSCVLVM INSCRIPTIONVM ET EPITAPHIORVM, QVAE ANTIQVARIAE REPERIVNTVR.

Caput I.

Situs Antiquariæ.

VRbem Antiquariam, magnâ sui parte naturâ munitam, duplex etiam murus ab Austro, ad eam usque partem ambiens quâ Aquilonem spectat, reddit firmiorem. Id tamen spacii, quod ex Arce ad prima usque mœnia protenditur, Hispano vocabulo *villam* appellamus: ad hanc portis quatuor potissimùm ingressus patebat; inter quas, ad omnes civitatis usus cùm præstaret, per quam à mercatu ad judiciale forum ibatur, quæ ex adverso Boream recipiebat, *villæ Portam* placuit appellari.

Cap. II.

Antiquæ Portæ descriptio.

HUjus talis fuit status ac forma, ut primùm introeuntibus muralem parietem objiceret: quem priori muro lateritia testudo connectebat. Ad hujus lævum angulum alia erat interior porta ad Meridiem; per quam in areolam brevissimam, muro sic circumquaque redimitam, ut irrumpentibus hostibus telorum, lapidumque contortu posset obsisti, ingressio dabatur. In ultima hac, quam diximus, areola, ad Orientem versùs, alia fornicata porta & adscensum in Arcem, & litigatorium forum conspiciebat.

Cap. III.

Antiquæ Portæ diruendæ causa.

CUm esset igitur ad hunc sinuosa modum, ut neque civi ab hoste tutus esset transitus, & lenibus amatorum colloquiis idoneos satis præberet abscessus; ad hæc quia nares, oculosque prætereuntium cùm odor lotii, tùm etiam egestorum deformitas graviter offendebant; quodque nimis molestum habebatur, quia neque supplicationes solemnes indictasve, propter angustias loci, crebrosque amfractus, ducere, neque reducere commodè licebat; passim ab his interruptâ pompâ, qui de transitu pugnantes se atque alios ad invi-
A cem retardabant; plerisque Conscriptorum Patrum ut demoliretur fuit consilium. Qui autem in contraria scindebantur studia, sententiam per hæc verba suam comprobabant: non oportere dirui turrim firmissimam, sua etiam antiquitate commendabilem. Multorum tamen valuit auctoritas, cùm præsertim ferretur ad id propensior *Alphonsi sancti Isidori*, qui nobis tunc moderabatur, constans & perpetua voluntas. Hujus strenuâ solertiâ, non dici potest, quàm citò moles illa tota conciderit. Neque eamdem, sicuti statuerat, valuit construere, cùm ipsi jam successor intervenisset
B *D. Joannes Porcellus Peralta*, vir perquam illustris, idemque ob suum splendorem atque merita S. Jacobi militiæ insigniis decoratus. Verùm aliis aliò vocantibus, exhausto penè ærario, cùm aliis operibus, tùm litibus quàm plurimis, de civitatis privilegio, immunitatibusque servandis, per tempus aliquod hoc opus mansit interruptum. At tandem sic expedire cùm videretur, idque vellet *Porcellus* & probaret, S. C. quod Non. Majis in ejus sententiam factum est, Anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quinto ita cautum fuit, ut in demolitæ locum, qua nunc parte visitur, recidivus murus utrumque forum dividens, qui
C portam, & rectam & capacem satis, mediam complecteretur, erigeretur denuo.

Cap. IV.

Novæ Portæ constructio quibus demandata.

ID negotii, in rebus obeundis provido, solertique viro, *Antonio Ordassio* Idubedensi, utriusque Juris Licentiato meritissimo, qui æquitate magna, hoc temporis, propræturâ hujus civitatis fungebatur, datum fuit: datum & *Francisco Acuriolæ* callido architecto, cujus acer ac præsens judi-
D cium, in aliis permultis ædificiis, fuerat & perspectum & probatum.

Cap. V.

Scriptos lapides quærendi constitutio & causa.

IIdemque Patres Conscripti, cùm haberetur pro comperto intra hanc urbem ejusque fines multa Romanorum exstare monimenta saxis marmoreis incisa, unde videre esset facile quanta hæc
E urbs nobilitate, quantaque esset antiquitate commendabilis, statuas, scriptas columnas, atque id ge-

nus alia colligere in unum, & collecta prædicto in pariete ut utrimque disponerent, quo ordine magis videretur expedire, curare voluerunt. Voluerunt præterea ut quæcunque elogia, sive epitaphia temporum injuriâ ita essent attrita, ut eorum esset lectio difficilior, quæque sine magno ædificiorum intertrimento, vel impensa nimis magna, nequirent extrahi, notatis locis, ubi fuerunt adinventa & collocata, in alia marmora transcriberentur: ut sic novo muro insita, negotio minore deprehendi ac legi possent. Hæc se curaturum, postquam *Ordassius* suscepit, vix dici potest quâ solertiâ, quàm sibi nihil parcens, quàm prorsus nulli se labori subducens, injunctum sibi munus obiret. Studio & amore suscepti negotii flagrans, dum latomos, cementarios, statuarios adit, alacrioresque ad laborem reddit, cibi, somnique prorsus oblitus, summo mane forum adiens, ad multam noctem domum persæpe repetebat. Hac assiduitate & perseverantia, quod mirum magis est, nulli gravis operariorum, paucorum mensium curriculo, annorum multorum opus absolvit. Hoc qua ratione fuerit structum, superest ut jam nunc dicatur.

Cap. VI.

Novi parietis & Portæ descriptio.

Firmissimum parietem, qui ex altera parte supremæ Arcis mœniis innititur, ex altera publico tribunali est contiguus, medium intersecat fornicata porta operis pulvinati, cujus hypothyri limen intra quatuor & viginti pedes altitudine, latitudine verò quatuordecim, continentur. Hæc venientibus à foro nundinario litigiosum versùs ad dextram objectat togati cujusdam signum P. Magnio Tribuno militum inscriptum: inventum autem in Colle (ut nostrates dicunt) *Leone* intra Donni *Ferdinandi Xaconi* agros capite & brachiis truncum: quod, pristinæ integritati restitutum, æneum baculum in manu gestat, sui magistratus insigne. Illi stylobatæ pedibus innititur, quem *Alphonsus Segura Doconius*, civitatis hujus Senator, eidem est largitus. In eo stylobata est quædam Inscriptio, ad hunc modum:

* *Inscriptio* I.

P. MAGNIO Q. F. QVIR. RVFO MAGOMIAMO TR. MIL. IIII. PROC. AVG. XX. ET TR. PER HISP. BAET. ET LVSITAN. ITEM PROC. AVG. PER BAET. AD FAL. VEGET. ITEM PROC. AVG. PROV. BAET. AD DVCEN. ACIL. PLEC. AMICO OPTIMO ET BENE DE PROVINCIA SEMPER MERITO D.D.

Publio Magnio Quinti filio Quiriti Rufo Magomiamo Tribuno militum quater, Procuratori Augusti vicesimæ & tricesimæ per Hispanias, Bæticam, & Lusitaniam: item Procuratori Augusti per Bæticam ad Falcidiam Vegetam: item Procuratori Augusti Provinciæ Bæticæ ad ducentesimam, Acilius Plector amico optimo & benè de Provincia semper merito dono dedit.

Sic Hispanicè.

„Al hijo de Quinto Magnio Publio Magnio Quirite Rufo Magomiamo quatro vezes Maestre de Campo, y Procurador o Factor d'Augusto para cobrar la veintena y treintena por las Españas Andaluzia y Portugal: item Factor d'Augusto en el Andaluzia para confirmar la ley Falcidia: item Procurador d'Augusto en la Provincia del Andaluzia para la cobrança de la ducentesima Acilio Plector porq'le fue buen amigo y hizo mucho bien a la dicha Provincia, le endono esta estatua.

Ad sinistram verò aliud, quod intra cavum parietis cujusdam fuit repertum, in ædibus Licenciati *Balthasaris Aquilarii*, quæ in ea sunt urbis parte, quæ *callis Amplus* à nostris vocitatur. In hoc etiam brachia atque caput desiderabantur, quibus postquam fuit apprimè instructum, Imperatori Nervæ Trajano consulsò dedicatur. In qua re sensisse plurimùm video nostrum Senatum, qui optimi Principis imaginem, & in forum, & in Curiam venientibus dederit in conspectum: non ideo, quia sibi ducat gloriosum, virum & talem & tantum hanc genuisse Provinciam, id quamvis gloriosum sit nimis, sed ut nos, æquitatis & justitiæ illius habita ratione, quandocunque de privatis, deque publicis rebus simus tractaturi, neque nos, neque nostra nimio plus amantes, quod deceat magis, quàm quod liceat, amplectamur; cùm illud præsertim facere laus sit, hoc dedecus interdum. Placuit igitur ad hunc formari modum; ut dextram ipsius manum premeret orbis terrarum globus, cujus aptè moderandi tantam obtinuit peritiam, & tanto semper studio flagravit; sceptrum verò sinistrâ regale sustinet; capite, triumphantium Imperatorum in morem, laureâ coronâ redimito. Stantem vetustatis gratæ alius stylobata sustinet: qui ab utroque latere media sui parte, quasi umbilicis, corollis triumphalibus est incisus. Atque hic, ab illa Antiquariensis agri parte, quæ à nostris *Casa Bermexa* dicitur, non sine magno negotio in urbem allatus, Romanis litteris scriptum elogium C. Marii in fronte continebat: quo abraso (quod sic operis symmetria videbatur exigere) in alioque lapide inciso, Trajani elogium istud recepit, quo saxum marmoreum ad Abdulazizium montem, intra *Francisci Lucæ* domum, unde sine totius ædificii periculo nequivit divelli, in hæc verba scriptum erat:

* *Inscriptio* II.

IMP. CAESARI DIVI NERVAE F. INVIC. TRAIANO AVG. GER. DACICO, ARMENICO PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. VI. COS. VI. P. P. OPTVMO MAXVMOQVE PRINCIPI NESCANIENSES DD.

Quæ sic videntur legenda: *Imperatori Cæsari Divi Nervæ filio, invicto Trajano Augusto, Germanico, Dacico, Armenico, Pontifici maximo, Tribunitiæ Potestatis tredecies, Imperatori sexies, Consuli sexies, patri patriæ, optumo maxumoque Principi, Nescanienses dedicaverunt.*

Quæ, si juxta nostram vernaculam interpretentur Linguam, erunt sic legenda:

„Los de Nescania dedicaron esta estatua al hijo del Nerva, el invicto Emperador Trajano Cæsar Augusto, Germanico, Dacico, Armenico, 13. vezes con Tribunicia Potestad, o personero del Pueblo Romano, y seis vezes Capitan general del Romano exercito, seis vezes Consul, padre de su patria el mejor y mayor de los Principes.

Sed antea quàm inceptum opus persequar, ne legentium cuipiam hæc oppidorum nomina, multis

* *Quæ exstat apud Gruterum* p. CCCCXXXIV. 3.

* *Quæ est apud Gruterum* p. CCXLVII. *sed hic addita voce* Armenico.

tis jam inde seculis diruta & deleta, negotium facessant, quæ intra nostræ civitatis terminos continentur, operæ mihi precium videor esse facturus, si, ad corollarii speciem, illorum priùs situs delibaro.

Cap. VII.

Nescania ubi fuerit?

NEscania (quam fors nobis primam obtulit) ad illius montis radices sita fuit, qui nunc *Abdulaziz* vocatur, in gratiam (ut opinor) *Abdulaziz Muzæ* filii, quem, post *Roderici* miserandum interitum, *Muza* Ducum barbarorum princeps ditioni Hispanæ præfecit. Qui præfectus, Hispali regni sui figens sedem, Egilonem ejusdem *Roderici* Gothorum Regis uxorem in matrimonium accepisse fertur. Sed Nescaniam fuisse nobile municipium, & Romanis amicissimum, in ipsius ruinis inventa Romanis litteris notata marmora facillimè declarant. Distat ab Antiquaria septem aut octo circiter milliaribus.

Cap. VIII.

De Singilia.

FUit aliud multò propius nostræ urbi, (ut quod duobus vix passuum absit millibus) *Singilia* à Veteribus appellatum; cujus in *Historiæ naturalis* tertio libro, ac primo capite Plinius meminit. Hoc etiam fuisse maximum, is sibi facilè persuaserit, qui ipsius oppidi mœnium vestigia, longè, latéque protensa, aliasque maximorum ædificiorum reliquias propriis fuerit oculis contemplatus.

Cap. IX.

De Colle Leone, & Portu Plano.

REstat & alia duo oppida fuisse ostendam, in quibus ipsa cementorum residua, lapideæ effigies, scriptæ columnæ multos habitasse divites, & honestos viros, palam indicabunt. Tale unum fuit in ea territorii nostri parte, quam appellat nostra vernacula *Sierram Leonem:* alterum in illa, quæ Aloram petentibus, à Priscis, ut fertur; dictitatum Illurum, ipsa in via nostratibus se ostendit: cui *Portum Planum* nomen indidere. His, quasi per transennam prætereuntes, strictim adnotatis, ad institutum jam opus revertamur.

In eo, quem diximus, pariete, ab utroque portæ latere admodum prominens corniculæ, linea ex topho ducitur lapide, cui bipartito ordine viginti insident Inscriptiones, facilè quæ à prætereuntibus legi possint: quarum prima ad forum Divi Sebastiani, intra Didaci Ferdinandez Rico ædes inventa; atque ibidem propter extrahendi molestiam, & parietis, cui est coagmentata, periculum, &, quod præcipuum fuit, propter lapidis vilitatem relicta, exemplaris fide servatâ, sic in ea tabula marmorea, quæ nunc publicè cernitur, iisdem caracteribus scriptum fuit:

[1] *Inscriptio* III.

L. POMPEIVS
RVFVS LIMI.
AN. XXX. H. S. E. S. T. T. L.
CALPVRNIVS VEGETVS
LIMICVS. AN. XVI.
H. S. E. S. T. T. L.

1 *Quam nec apud Gruterum, nec apud Reinesium invenio.*

A *Lucius Pompejus Rufus Limicus annorum triginta hîc situs est. Sit tibi terra levis. Calpurnius Vegetus Limicus annorum sexdecim hîc situs est. Sit tibi terra levis.* Hæc sic Hispanùs:

„Lucio Pompeyo Rufo Limico que aqui fuiste enterrado siendo de treinta años. Seate la tierra liviana. Calpurnio Vegeto Limico que a los diez y seis años de tu edad fuiste aqui enterrado. Seate la tierra liviana.

[1] *Inscriptio* IV.

B Hanc secundam, in accolatu divi Joannis, figuli cujusdam ædes nomine Salazaris, quæ ultra portam illam incitis adsunt, quà Malacam habemus iter, ad hunc nobis modum servant incorruptam:

G. MVMIO G. F.
QVIR. HISPANO
PONT. CIVES ET INCOLAE
M. M. FLAVII LIB. SING.
EX AERE CONLATO
OB MERITA DEDERVNT.

C *Gajo Mumio Gaji filio Quiriti, Hispano, Pontifici cives & incolæ magni Municipii Flavii Libertinorum Singiliensium ex ære conlato ob merita dederunt.*

Hispanicè.

„A Gayo Mumio Quirino, Pontifice de España hiso de Gayo Mumio, los vezinos, y moradores del gran Municipio Flavio libertino de la ciudad de Singilia, contribayendo cada qual con parte del dinero necesario, ledicron por sus merecimientos esta estatua.

In vetere Divi Joannis templò columna quædam hanc continebat Inscriptionem:

D

[2] *Inscriptio* V.

FABIA L. F. FELICVLA. FILIO
HESPANIANO PONI IVSSIT.
FABIA EIVS SOROR ET HERES
DEDICAVIT.

Fabia Lucii filia Felicula filio Hespaniano poni jussit. Fabia ejus soror & heres dedicavit.

„Fabia Felicula hija de Lucio Fabio mando se levantase esta columna en memoria de su hijo Hispaniano. Y Fabia su ermana y credera se la dedico.

E In hac Inscriptionum serie, quartum occupat locum anguli quæ exterioris habet partem, in sacrario divæ Mariæ, quam Ecclesiam Majorem appellamus, cujus verba hæc sunt:

[3] *Inscriptio* VI.

GENIO
MVNICIPI ANTIK.
IVLIA M. F. CORNELI
MATERNA MATER
TESTAMENTO PONI
IVSSIT.

F *Genio Municipii Anticarii Julia Marci filia Corneli Materna mater testamento poni jussit.*

„Al Genio della ciudad de Anticaria Julia Materna hija de Marco Cornelio mando en su testamento se le pusiese esta estatua.

Quinta ex vicinia, quæ nunc est, ad Abdulazizium montem fuit deportata, ubi diu jacuerat intra torrentem, sed non his plura in se continebat:

Hhh 3 In-

1 *Quam nec apud Gruterum, nec apud Reinesium invenio.*
2 *Quam nec apud eosdem invenio.* 3 *Quæ apud Gruterum p. cx. 5.*

[1] *Inscriptio* VII.

POSTHVMIVS ASTRENSIS
APOLLINI ET AESCVLAPIO
AVG. DD.

Posthumius Astrensis Apollini & Æsculapio auguribus dedicavit.

„Posthumio Astrense dedico esta ara a los ago-„reros Apollo y Æ sculapio.

Sextam ab Aloræ vinetis sumus mutuati scriptam ad hunc modum:

[2] *Inscriptio* VIII.

STATVAM QVAM
TESTAMENTO
SVO C. FABIVS
VIBIANVS ILVR.
FIERI IVSSIT VIBI-
AE LVCANAE MAT-
RI FABIA FIRMA
HERES DEDICAVIT.

Statuam, quam testamento suo Cajus Fabius Vibianus Ilurensis fieri jussit Vibiæ Lucanæ matri, Fabia Firma heres dedicavit.

„La estatua que en memoria de Vibia Lucana „su madre avia mandado por su testamento se hi-„zuse Fabio Vibiano natural de Illura, se la dedi-„co despues Fabia Firma su heredera.

Jam hæc, quæ sequitur, ordine septima, ad Septentrionem versùs illi turri inhærebat, cui domus est adjuncta, ad quam ferunt pistores examinanda tritici & farinæ pondera in illa angusta platea, quæ ad Carmelitanos ducit Monachos:

[3] *Inscriptio* IX.

LIVIAE DRVSI. DIVI F. MATRI
TIB. CAESARIS AVG. PRINCIPIS ET
CONSERVATORIS ET DRVSI GER-
MANICI GENIALIS ORBIS
M. CORNELIVS PROCVLVS
PONTVFEX CAESARVM.

Liviæ Drusillæ, divi filiæ, matri Tiberii Cæsaris Augusti, Principis & conservatoris, & Drusi Germanici genialis orbis Marcus Cornelius Proculus Pontifex Cæsarum.

„Marco Cornelio Proculo Pontifice de los Cæ-„sares puso esta estatua a Livia Drusilla hisa del „sancto Druso, y madre de Tiberio Cæsar Au-„gusto Principe y conservador, y de Druso Ger-„manico, que era el deleite del mundo.

Non valuit oblivio, alta terra defossam, octavam, ut cœperat, nobis prorsus eripere. Quæ non ita pridem Ecclesiæ collegiatæ proxima, in angulo qui primus occurrebat, viam illam, quam *Amplam* dicimus, ingressuris, sui legendi antiquitatis amatoribus copiam haud malignam faciebat. Hac quippe solertiâ proprætoriâ extracta, & alto situ, quo jacebat, absterla, pristino atque nitori restituta, ubi nunc est, sic nobis legendam exhibuit:

[4] *Inscriptio* X.

IMP. CAES. DIVI TRAIANI PARTHICI
F. DIVI NERVAE N. TRAIANO
HADRIANO. AVG. P. M. TRIB. P. VI.
IMP. VI. COS. III. P. P.
M. ACILIVS CL. Q. VIR AVG. A SING.
DE SVA P. D. D.

A *Imperatori Cæsari divi Trajani Parthici filio, divi Nervæ nepoti, Trajano Hadriano Augusto, Pontifici maximo, Tribunitiæ potestatis sextum, Imperatori sextum, Consuli tertium, patri patriæ, Marcus Acilius Clarus Quinquevir Augustalis à Singilia de sua pecunia dono dedit.*

„Marco Acilio Claro Quinqueviro Augusto ve-„zino de Singilia a su costa mando hazer esta esta-„tua en honrra del Emperador Cæsar Trajano Ha-„driano Augusto, Pontifice maximo, seis vezes „con tribunicia potestad, y seis vezes Emperador, „tres vezes Consul, padre de su patria, y hiso del san-„cto Trajano Parthico, y nieto del sancto Nerva.

B Tantopere consentiunt inter se & rei argumento, & nominum similitudine, decima & nona, simul ut viderentur perscribendæ; sed quoniam institutus ordo de singulis sigillatim postulat ut dicatur, decimâ, quâ clauditur inferior linea, ad suum locum relictâ, nona mihi sic legenda esse videtur:

[1] *Inscriptio* XI.

P. QVINTIO P. F.
HOSPITI ANTIAE
HOSPITALIS F.
P. QVINTIVS HOSPITAL
D. S. P. D. D.

C *Publio Quintio Publii filio Hospiti Antiæ Hospitalis filio, Publius Quintius Hospitalis de sua pecunia dono dedit.*

„En memoria de Publio Quintio Huesped hijo „de Publio Quintio, Publio Quintio Hospital hijo „de Antia Hospital a su costa mando hazer este le-„trero.

D Turri quæ affixa fuit illi, quam, ab scalis ipsi admotis, quo tempore per expugnaturos urbem Orthodoxos fiebant assultus adversùs Agarenos, *Turrim* appellamus *scalarum*. Atque Turris hæc in illa parte est inferioris muri, juxta quam est porta, vernaculo nostro sermone dicta *de las Bastidas*: quod machinis, turribusque ligneis quæ propè sitæ fuere, in urbis obsidione, à quibus ipsa denominata fuit, nomen hoc indunt Hispani. Sed jam prodeat decima, suique nobis copiam faciat, quæ in angustiis pomœrii delitescens post macellum, editamque turrim Arcis supremæ tenens, nullorum ad se oculis antea præbebat accessus: nunc æquiore, illustriorique loco constituta, usuque videndi, ad hunc modum jam sese legendam exhibet:

E [2] *Inscriptio* XII.

QVINTIAE P. F. GALLAE
ANTIAE HOSPITALI
P. QVINTIVS HOSPITALIS
D. S. P. D. D.

Quintiæ Publii filiæ Gallæ; Antiæ Hospitali; Publius Quintius Hospitalis de sua pecunia dono dedit.

„Publio Quintio Hospital a su costa hizo poner „esta piedra escripta en memoria de la hisa de Pu-„blio Quintio, Quintia Galla, y de Antia Hospital.

F Sed jam esse repedandum video, ut eodem, unde exieram, revolutus, ad lineæ superioris scripta minore mihi clivo fiat accessus. In qua tu, licèt G. Valli locum obtineas principem, si cum Pompejo Limico fueris comparatus, nequaquam ibis inficias, gradibus esse te decem ab illo superatum. Te, inquam, qui unius Medici Joannis Gomezii Ursonensis contentus ædibus, publico tandiu, ut ægrotus, abstinuisti: nunc viribus duplicatis & tui domum benefactoris sustentas, & in

1 *Alibi non exstat.* 2 *Apud Gruterum p.* CCCCVIII: 2. 3 *Apud eundem p.* CCXXXIV. 2. *sed hic plenior.* 4 *Quæ alibi non exstat.*

1 *Quæ alibi non exstat.* 2 *Quæ alibi non exstat.*

in foro ordinis tui primus assistens, quem fueris optimè de Singiliensibus promeritus, ab iisdem tibi honorem habitum elogio hoc sequenti declaras:

[1] *Inscriptio* XIII.

G. VALIO MAXVMIANO
PROC. AVGG. EV.
ORDO SING. BARB.
OB MVNICIPIVM
DIVTINA OBSIDIONE
ET BELLO MAVRORVM
LIBERATVM PATRONO.
CVRANTIBVS
G. FAB. RVSTICO ET
L. AEMILIO PONTIANO

Gajo Valio Maxumiano Procuratori Augustalium evocatorum ordo Singiliensium barbarorum ob municipium diutina obsidione, & bello Maurorum liberatum patrono. Curantibus Gajo Fabio Rustico & Lucio Æmilio Pontiano.

„El consejo de los barbaros de la ciudad de „Singilia mando levantar esta columna en memo„ria de su patrono Gajo Vallio Maxumiano Pro„curador de los evocados Augustales por el be„neficio que les hizo in libertar su ciudad del lar„go cerco y guerra de los Moros. Fueron Co„missarios Gajo Fabio Rustico y Lucio Æmilio „Ponciano.

Lucius etiam Calpurnius illi proximus offirmate adeò Divo Joanni Baptistæ se addixit, ex quo templum ipsius intravit, inde ut extrahi non passus, sui tantùm exprimendi effingendique copiam fecerit: ut quòd ipse, in officio mansurus, non potest, suum tale pro se exemplum, gratificaturum antiquitatum amatoribus, exsequatur:

[2] *Inscriptio* XIV.

L. CALPVRNIO QVIR. MACRI
NO ORDO NESC. STATV
AM PVBLIC. DECREVIT.
L. CALPVRNIVS MACER PA
TER HONORE ACCEPTO
IMPENSAM REMISIT.

Lucio Calpurnio Quiriti Macrino Ordo Nescaniensium statuam publicè decrevit. Lucius Calpurnius Macer pater honore accepto impensam remisit.

„El consejo de Nescania acordo que por ciudad „se levantase estatua a Lucio Calpurnio Macrino „Quirite. Lucio Calpurnio Macer su padre acce„ptando la honrra que se hazia a su hijo les remi„tio el gasto.

Quâ fuerit curâ Marcus Sempronius in his quæ ad suum, suorumque sepelienda corpora spectabant, in ea via, quæ est à publica descendentibus custodia, intra antiquam Francisci Fursadi Salzedi domum, viri admodum honesti, nigrum olim indicarat marmor, sed temporum injuriâ, cementariorumque temeritate in duas divisum partes, benignè alteram, sibi donatam, Franciscus Castellus collocarat in exteriori angulo suarum ædium: quæ ad sinistram visuntur in ultima platea euntibus ad Divæ Virginis Carmelitanæ Cœnobium, altera ibidem manente. Illud indicium tamen in se depositum, fidè sic reddit rubrum illud marmor, quod à primo inferioris carminis numeratum, decimam tertiam occupat sedem:

1 *Quæ exstat apud Gruterum* p. MCI. 6.
2 *Quæ est apud eundem* p. CCCCLXXXIV. I. nisi, quòd pro MACRINO legitur illic QUIRINO.

A

[1] *Inscriptio* XV.

M. SEMPRONIVS CANTNEC
ÆMILIA L. F. CORNELIA P. F.
M. SEMPRONIVS MONVMENTVM
SIBI, PATRI, MATRI, VXSORI
VIVOS AEDIFICANDVM
CVRAVIT.

Marcus Sempronius Cantnec, Æmilia Lucii filia, Cornelia Publii filia, Marcus Sempronius monumentum sibi, patri, matri, uxori, vivus ædificandum curavit.

B

„Marco Sempronio Cantnec en salud mando ha„zer este sepulcro en que se enterrasen el y su „madre Æmilia hija de Lucio Æmilio, y su mu„ger Cornelia hija de Publio Cornelio, y su padre „Marco Sempronio.

Jam quemadmodum & statuas, ita decimum quartum, atque sextum, quem suprà memoravimus, Leoninus Collis elogia nobis remisit. Divo alterum Tito Vespasiano, Sentiæ alterum Lucii filiæ dicatum: utrumque tamen malè affectum, (ut quòd diuturnitati temporis & cæli inclementiis fuerit obnoxium) sed non adeò, vera ut ipsius lectio, alicui mediocriter erudito, venire possit in dubium: præsertim in Vespasiano, quæ talis est:

C

[2] *Inscriptio* XVI.

DIVO TITO VESPAS. AVG. IMP. ET
CAES. DELIT. GENER. HVMANI. COS.
VII. P. P. OPTVMO. MAXVMOQVE.
ET HIEROSOLYMIT. VRB. EXPV-
GNAT. VERVS POLLIO COS. D. S. P.
D. D.

D

Divo Tito Vespasiano Augusto Imperatori & Cæsari deliciis generis humani, Consuli septies, patri patriæ, optumo, maximoque, Hierosolymitanæ urbis expugnatori, Verus Pollio Consul de sua pecunia dono dedit.

„Al sancto Tito Vespasiano Augusto Emperador „y Cæsar, deleite del genero humano, siete vezes „Consul, padre de su patria el mayor y el mejor, „y expugnador de la ciudad de Hierusalem, Vero „Pollio Consul a su costa le sirvio con esta statua.

E

Namque in Sentia (detur mihi transgressionis facultas, ne stylus scribentis disjungat, quos locus idem junctos remisit) litteris admodum attritis difficilior lectio exstitit: atque ideo quales in exemplari litteræ videbantur, tales sunt incisæ in alio saxo, quæ ad hunc se habent modum:

[3] *Inscriptio* XVII.

SENTIA L. F. MATER SVO
TESTAMENTO FIERI PORTIA
PR. AVGV. PORTIVS
L. F. D. VIR. CL. FL. POS.

Sentia Luciæ filiæ mater suo testamento fieri Portia. Præfectus Augustalis Portius Lucii filius dicavit, vir Clarus Flavius posuit.

F

„Por su testamento mando Sentia Portia como „madre se le hizuse statua a su hija Lucia Sentia „Portio Adelantado Augustal hijo de Lucio Por„tio la dedico, y su marido Claro Flavio la pu„so.

Vt autem ad quintam decimam revertamur, illius ad exemplum fuit exarata, quæ in vegrandi quadam basi visitur ad hunc modum in angulo domus

1 *Quæ alibi non exstat.* 2 *Alibi non exstat.* 3 *Quæ alibi non legitur.*

domus Petri Gomezii Ognatii, quæ in ultimo illius viæ est, quam *callem amplum* diximus vocitari: nec ipsum exemplum inde licuit evelli, quòd tota in illum domus inclinata recumbebat:

[1] *Inscriptio* XVIII.

LIBERTATIS
AVG.
SIGNVM CVM
SVA BASI
C. FABIVS C. F. QVIR.
FABIANVS
PECVNIA SVA
D. D.

Libertatis Augustæ Signum cum sua basi Cajus Fabius, Caji filius, Quiris Fabianus pecunia sua dono dedit.

„Cajo Fabio Fabiano Quirite hijo de Cajo Fa„bio a su costa dedico esta estatua y basa de la li„bertad Augusta.

Jam ad te revertor, Gai Valli: nam id adeò tam mirum fuit, si ab artis medicæ batallarii Joannis Gomezii Ursonensis sedibus non fueris passus extrahi, cùm intra eosdem parietes, imò & proximè assistat Rutilia Fructuosa? in qua si rebus nomina sunt consona, decoris & virtutis rutilans splendor (quod in difficillimis solet poni) cum fructu atque utilitate conjunguntur. Hujus fœminæ amore quantùm illius vir flagrarit, hinc certè conjectari licet, quòd erumpentium ejus laudum multitudine retardatus, intra verborum primordia constiterit, exhibentis sui, ac recipientis conjugis, ad hanc quam videtis formam nominibus solùm pronuntiatis:

[2] *Inscriptio* XIX.

RVTILIAE FRVCTVOSAE
L. IVNIVS NOT. EIVS
VXORI

Rutiliæ Fructuosæ Lucius Junius Nothus ejus uxori.

„Lucio Junio Notho a Rutilia Fructuosa su „muger.

Vt suum officium, memoremque in benè merentes animum præstarent, non fuisse minorem in fœminis quàm in viris curam, octavus hic decimus (qui ad illius effigiem fuit scriptus, quem Ædes Dominici Præcursoris, Dei ipsius encomiis illustrati, ut qui inter natos mulierum maximus surrexisse fuerit dictus, nunc in se continet) aliique ex prædictis lapidibus optimè testantur: in multis siquidem earum erga suos tanta caritas illuxit, ut quam ipsæ vivam illorum memoriam tenebant, hanc immortalem reddere scriptorum marmorum, & signorum beneficio tentarint. Sed loquatur jam ipse lapis:

[3] *Inscriptio* XX.

L. CALPVRNIANO NESCANIENSI
TERENTIA L. LIB. F. ET CORNELIA
TESTAMENTO PONI IVSSIT.
FABIA L. F. FABVLA SOROR
ET HERES DEDICAVIT.

Lucio Calpurniano Nescaniensi Terentia Lucii Libonis filia & Cornelia testamento poni jussit. Fabia Lucii filia Fabula soror & heres dedicavit.

„En memoria de Lucio Calpurnio ciudadano „de Nescania mandaron por sus testamentos Te„rentia y Cornelia hijas de Lucio Libon se pusiese „esta estatua y su ermana y heredera Fabia Fabu„la hija del mismo Lucio Libon se la dedico.

1 *Quæ alibi non exstat.* 2 *Quæ alibi non exstat.* 3 *Quæ alibi non exstat.*

Ad prædicti etiam Joannis supremi Regis purpurati, ejusdem neque obscuri indicis, neque incerti vetustum ædificium erat alia columna, novo quæ jam est operi coagmentata, in qua undevicesimum hoc verbis totidem fuit scriptum:

[1] *Inscriptio* XXI.

IMP. CAESARI
VESPASIANO AVGVS.
PONT. MAX. TRIB.
POT. VIIII. IMP. XIIX.
COS. VIIII P. P.
PORTIVS SABELLIVS IIVIR
PECVNIA SVA D. D. D.

Imperatori Cæsari Vespasiano Augusto, Pontifici maximo, Tribuno populi novies, Imperatori duodevicies, Consuli novies, patri patriæ, Portius Sabellius Duumvir pecunia sua decreto Decurionum dicavit.

„Con acuerdo del regimiento dedico Portio Sa„bellio Duumviro o Ivez esta estatua al Empera„dor Cæsar Vespasiano Augusto, Pontifice maxi„mo, Tribuno del pueblo Romano nueve vezes, „Emperador o Capitan general diez y ocho vezes, „Consul nueve vezes, y padre de su patria.

Tempore licèt, atque vetustate, & claritate familiæ præcedas longè, Cai Cæsar, scriptorum ordine post Vespasianum eris legendus: à quo splendore virtutum, honorum, laudis, & gloriæ magnitudine multùm prægravaris. Nos quippe Cæsarum adoptiones, regios nataleis, consulatus, atque id genus alia virtutum ornamenta, quibus posses gloriari, in bonis non ducimus, quòd sine virtute multos ea vidimus consequutos: illos verè nobiles credentes, qui secundùm animi rectam viventes affectionem, se laudabiles efficiunt. Nec esse tecum malè factum existimes, quod ultima tibi sedes fuerit assignata: habeto satis quòd illustri loco te fecimus conspicuum; quem majores nostri scelerum & flagitiorum criminibus pessundatum Divi Isidori, unde vasa ænea crebris ictibus sonantia suis curialibus tempora significant divinis assistendi, celsa turri subesse voluerunt. Habeto, inquam, satis quòd te truncum antiquæ formæ, pristinæque restituimus sanitati; quamvis præstaret, meâ quidem sententiâ, te improbum atque inhonestum virum memoriæ prorsus eximi, quàm per dedecus atque ignominiam ita posteris innotescere. Sed tuos jam Bassus exprimat majores, degener ut in majore sis probro:

[2] *Inscriptio* XXII.

IMP. C. CAES. DIVI TIBER. F. DIVI
AVG. N. DIVI IVLII PRON. TRIBV-
NITIA POTESTATE
T. COS. III. PONTVFEX CORNELIVS
BASSVS
PONTVFEX CAESARVM D. S. P. D. D.

Imperatori Cajo Cæsari Divi Tiberii filio, Divi Augusti nepoti, Divi Julii pronepoti, tribunitia potestate tertium, Consuli tertium, Pontufex Cornelius Bassus, Pontufex Cæsarum de sua pecunia dono dedit.

„El Pontifice Cornelio Basso, Pontifice de los „Cæsares dio de su dinero esta estatua al Empera„dor Cajo Cæsar hijo del sancto Tiberio, nieto „del sancto Augusto, visnieto del sancto Julio, tres „vezes Tribuno del pueblo Romano, y tres vezes „Consul.

1 *Quæ alibi non exstat.* 2 *Quæ alibi non exstat.*

CAP.

Cap. X.

Insignia Antiquariæ.

UT verò, relicto Caligula, cœptum prosequamur opus: portæ, hac etiam, de qua agimus, parte, claudit summum arcum candens lapis, ex Petrariæ pagi, qui à nobis duo de viginti, aut plus paulò, distat milliaribus, lapicidinis excisus, & in ampullæ formam eminet amphotidis arte summa elaboratæ: hujùs ore argentea surgunt lilia, quæ modico hiatu sese in calathum effundunt. Ad vasis hujus latus dextrum adest ejusdem materiæ castellum fabrè sanè factum: leo ad sinistrum coloris cineritji ex marmore, & quidem firmissimo: quamvis non propterea annorum incursibus sic valuit obsistere, ne mancus ad nos anterioribus posterioribusque pedibus, & malè affecto portaretur capite, competentia membrorum & integritate donandus. Multis siquidem cubarat sæculis intra Donni Fernandi Xaconii limites prædiorum: ideò collis ille, toties, sed necessariò tamen repetitus, ab hac leonis effigie Mons Leo est nuncupatus.

Hæc tria prædicto ordine collocata, nostræ urbis Infanti Ferdinando Aragonio, (Infantes namque reliquos à Principe filios Regum Hispani nominamus) quam pugnando sexto decimo Calendas Octobres Anno Christianæ salutis decimo & quadringentesimo receperat à Mauris, insignia esse placuit. Sed quoniam hujus rei nos tempus admonuit, ego quidem mirarer hunc tantum, tam providum ac circumspectum Principem, aliis urbibus abjectis, Antiquariam adeò cogitasse, ut, post expeditionem in Mauros paratam, contra Legatorum & regni procerum sententias aliò suadentium, huc potiùs suas duxerit copias: nisi penitiore mentis indagatu nostri oppidi naturam & eximia commoda perpendissem. Quibus volens Ferdinandus suos perfrui, magnæ spei, bonæque fiduciæ plenus, relictis aulicis, atque domesticis oblectamentis, metatis castris oppidum obsidere munitissimum, & æstivorum, atque adeò salutis suæ oblitus inter tentoria, & papiliones totos æstivos menses à sexto Calendas Majas ad Septembrem exactum rei consensit dare militari. Quid? interea quot & quantas sustinuit finitimorum incursiones? Quid non succensus & inflammatus hilari vultu pertulit, ac repressit? Quid Rex Granatensis, sub cujus fide ac tutela tunc erat Antiquaria, ne rei tantæ tamque insignis faceret jacturam, ingenti cura ac timore perculsus, cùm orando profecisset parum ut urbem obsidione eximeret, non ad vim & ferrum animum convertit, nihil certus linquere intentatum? Ad se convocat Infantes duos fratres sibi carissimos, quorum fidem ac virtutem in dubiis magnisque rebus sæpiùs fuerat expertus, hisque præcipit atque imperat, nulli se neque labori, neque periculo subducentes dura populum obsidione liberarent. Opinione citius illi manum facere, copias parare, multitudinem hominum cogere, armare, instruere. Quibus ex sententia paratis, & peditum octuaginta, equitum quinque millibus recensitis, Os asinæ, montem, qui à nostris distabat tribus passuum millibus, tertio Nonas Majas castris locum elegerunt. Post aliquot verò levis armaturæ excursiones, relictis qui ad castrorum custodiam esse videbantur satis, cum reliquo & equitatu & peditatu proficiscuntur adversùs nostros aperto jam Marte pugnaturi: quos Ferdinandus, licèt animis & copiis paratos, ea ad se mente cognovit adventare, ut vincerent, aut certè occumberent: nulla ratione alia sui Regis voluntati & monitis facturi satis, vir intrepidus maximique animi omnia duxit potiora quàm ab incepto opere desistere. Itaque, quod ordine ac recta mente se confidebat amplexum, suæ constantiæ ratus interesse tueri acriter & ad optatum exitum perducere, sine ulla cunctatione gravis armaturæ militibus in medio collocatis, equitibus in cornua dispositis, hostem pugnandi cupidum aggreditur, aggressus superat, superatum cogit retro ad perfugium cedere castrorum. Hæc demum experti non satis esse firma ad Christianorum impetus sustinendos, qui alacres summa vi instabant, vallo ac propugnaculis derelictis, quà quisque poterat terga vertebat. Ferdinandi verò manus ponè victrix inhærens, ita magnam ipsorum edebat stragem, plura, quàm dumi in montibus, ut cadavera viserentur. Nec priùs receptui signum, aut revocationem à cæde militem audire contigit, quàm Agarenorum millia quindecim (ut postea compertum fuit) cæsa sunt: tantùm ex Christianis centum & viginti cum forent desiderati. Dignam profectò tanto duce victoriam! triumphum nullis Romanorum posthabendum! Verùm si præmium atque gloria labores & pericula reddunt leviora, quid hoc tam mirum fuit cùm pro obtinenda Antiquaria dimicaret? in quam (præter ipsius antiquitatem, quo nomine urbes aliæ solent commendari, fuisse siquidem antiquissimam Antiquariæ nomen facilè declarat) commoda plurima, quæ sigillatim aliis fuere oppidis concessa, divino beneficio uberrimè videas confluxisse. Sed quia patriæ amor eò me trahit propensum, id precor mihi juris cum venia detur, ut civis meæ civitatis aliquot commoda & situm percurram: quæ quisquis diligenter perpenderit, comperiet certè veritatis limites me nequaquam transiliisse, & Ferdinandi constantiam de ea obtinenda non immeritò laborasse. Primùm excelso in loco sita est, & ex ea parte, quà mœnibus cingitur, æquinoctialem ortum adspicit: sortita cælum adeò clemens & temperatum, ut neque penetrabili frigoris rigiditate torporem, neque flagranti calore languoris plurimum sentiatur: ad hæc purum est adeò atque nitidum, totus ut vix unquam effluat dies in eo, quin aliqua Solis luce perfruamur. Nullam habemus conjunctionem cum paludibus vicinitatem insidentibus, quarum putridi, gravesque humores nebulis immixti, ad exortus Solis corpora habitatorum fœtido spargentes flatu, efficiant locum pestilentem. Observatum est siquidem, intra centum septuaginta sex annos, ex quo victus Christianorum cessit imperiis, tertio tantùm pestifero morbo laborasse: nec quem ipse contraxerit, sed qui, ab hospitalitate languentium advenarum ad nostros profectus, latiùs emanarit.

Nec diu tamen hæc tanti vis mali debacchata est, sed intra paucorum mensium spacium adeò se nostri cæli clementiæ ac bonitati summisit, ut sui nullum ultrà reliquerit vestigium. Nonne hoc existimabimus saluberrimæ regionis certissimum indicium? Si verò spectes illius ubertatem; habet frugum longè ac latè patentes campos feracissimos; loca montana, quæ feruntur, adeò pinguia ac cer-

certæ fidei, nunquam ut non cupiditati agricolarum benignè respondeant; prata ridentia, compascuos agros, inter quos præcipuè, & qui orientem Solem, (qui, ab edita rupe cognominatus, dicitur Hispanicè *la debesa de la peña*) & qui occidentem spectat, *Antequera la vieja*, dictus à vetere Antiquaria. Sed longè tamen præstat propter soli magnitudinem, arborum opacitatem, tum etiam collium densissimos vestitus, quem Singulis alluit nostri agri terminus, Beldæ antra nominatus: saltus, silvas, nemora, inter quæ tenet primatum, quod Ilicetum appellamus. Hoc tribus ab urbe nostra milliaribus Hispalim petentes multis jugeribus distractum ad dextram intuentur: & quod à suberibus dicitur Suberetum, multis partibus Iliceto majus. Hoc via regia abeuntes Malacæ negotiaturi pertranseunt, utramque fidissimam pecudum & armentorum stationem ad æstivos & brumales cæli perferendos rigores. Sunt & multæ aliæ non pœnitendæ, inter quas posset meritò recenseri illud Ilicetum, cui ab scaturientibus purissimis aquarum fonticulis, quos multos illa habet silva, majoribus nostris hoc nomen *Ojos* visum est imponere. Sciens prætereo dumosos colles, & valles herbiferas, non taciturus ipsarum herbas tum esse salubres, tum etiam maximi alimenti: & utriusque rei indicium esse, quòd perrarò in animantibus indigenis lanii vitiata, lividave offendunt jecinora: ipsorum carnes ita solidas, succique plenas, bubula ut benè cocta cultrorum aciei nonnihil obsistat. Sapiunt præterea & conducunt adeò, ut expertos sæpe audierim aprugnam nostram, locorum aliorum vervecinâ esse potiorem. Quid aquas commemorem montanas? quid riguos hortos, tum suburbanos, tum quos Fœderatorum fluminis habet ripa, (quod à frugum ubertate *Guadalhobiz* Arabes, hoc est, *panis flumen* Linguâ Arabicâ dixere) quia hæc notiora sunt, quàm ut longa indigeant narratione; rhythmis enim Hispanisque numeris, quoquò terrarum abieris, ad quas urbis hujus nomen advenit, viridem Antiquariæ ripam multos audias personare; ideoque ad alia progrediar. At revocari mihi videor, neque enim, ô fons Villa, dignitas permittit tua malignâ me prosequi relatione, quantum huic civitati utilitatis semper attuleris; nec promiscuo aquarum nomine argenteas tuas undas aliis miscere fontibus, divino Homeri prosequendas stylo & voce plus quàm Stentorea publicandas. Non me igitur tædebit immersum fluctibus tuis diutiùs immorari; qui sesquimilliario effluens à nostris mœnibus, jugi tuo flumine, cum eisdem adlaberis, molendinorum sexdecim (liceat mihi cum aliis sic appellare) conduplicatas molas, & batuarium unum versatus, non ultra multis passibus alterum, & præterea sex aquaria pistrina totidem armata rotis exerces. Quod si magnum hoc videtur, quantò videbitur majus, si te divisum postea in septem incilia tria millia jugerum, & præterea ducenta agri dixerim irrigare. Nec hoc mensuræ genus exiguum est: quod si ad pedes referatur, ducentos quadraginta, si verò ad cubitos centum sexaginta in fronte, & in agrum quadratò in se continet. Perpendens ergo segetes, oliveta, vineta, viridantes pomiferosque hortos, quæ largo tuo fluctu imbuta, intra dicti soli spacium, quotannis uberrimo nos exhilarant proventu, abs te abire non me juvabat quidem; sed in Alcazarium fon-

A tem venire libet: qui pari à nobis distans intercapedine, suppeditato quantum perdulcis ac saluberrimæ aquæ affatim esse possit ad lacus & salientes octodecim, quos publicè nostra urbs continet; implendos; superantibus reliquiis segetes, vineas, hortos, atque olivis loca consita jugerum quingentorum benè fœcundat. Hæc de his fontibus. Jam ad flumina & torrentes ut deveniam, non est merito suo honore, quòd sit advena, Fœderatorum fluvius defraudandus; cùm pariter conducat. Nostros siquidem agros pertransiens mille quin-

B gentis quà proximè ab urbe passibus, ex quo intrat hos fines, non intermittit ad liberalitatem propensior opes suas magnificè diffundere: nam (præterquàm quòd in quinque batuariis rudes abluit ac densat pannos; duas molendi officinas interfluens, & earum molas torquens, quarum altera tribus instructa saxis, noctis & diei unius spacio ducentos supra mille tritici modios frangit ad farinam) pomorum feraces hortos, & eos plurimos, optimosque, sata, vineas ad bis mille, & præterea quingenta rigat jugera. Rigat idem, quamvis multo minore numero, quem Nerviorum tor-

C rentem appellamus, non enim ultra mille procedit actus, tribus duntaxat stadiis à nostris suburbiis interfluens. Nam quid commemorem Turrim Arboream fluvium, agros publicos interfluentem, gratissima caprarum & cujusque pecoris pascua? Quid Alveariolum, Alaxuelam, Abdulazizium, Xobarem, Sanctilamum, Parrosium (quo etiam duæ farinaceæ volvuntur molæ, sicut torrente Burriana, & illo qui ab Oculis Huecaris decurrit) & permultos alios torrentes atque fontes, quibus prædiorum multum irrigatur? Tantùm referam esse duos præstantis naturæ, fluentem al-

D terum è mediis vinetis, quos nos fontes vocamus, nomine sancti Michaelis, qui mirè adjuvat cruditatem: alterum, non solùm finitimis, sed longo regionum intervallo semotis aut notum, aut certè auditum, qui à morbo calculari nominatur: ut qui potus non patiatur aut renibus, aut intra vesicam arenas in calculos concrescere. Jam ut una eademque opera quod est aquarum absolvam, prope hunc fontem, quà longus in stadia plus septem patet lacus; quà verò latus non ampliùs quinque, & est modicæ alioqui altitudinis, ut qui staturam hominis vix excedat. Hic totus æstivis

E Solibus in salem abit, sed adeò candidum atque nitidum, ut proximè ad nives accedat. Minutus est, minusque habens amaritudinis & qui facilè liquescat: quod in eo tamen videtur mirandum magis, fit ex aquis dulcissimis ac tenuissimis, in ipsum lacum influentibus, (quos modò memoravi) ipsa natura loci ad id tantùm adjuvante. Quæret forsitan aliquis (quod de aquis agente à me fuit prætermissum, cùm aliò sermo properaret) rigua quantum præstent siccaneis: ut de aliis non possum regionibus affirmare, sic de nostra valeo testificari indubi-

F tanter, siccitatibus multò minùs bonos atque magnos esse proventus. In vinetis siquidem accidit sæpius, singula ut jugera benè colenti, postquam semel, bisve rivos biberint, quadringentos & plures vini modios domino reddant annuos. Neque hornotinum ferè pluris venit didrachmo plebejum vinum, nisi cùm à vicinis populis exportatur; qui sapore illius & probitate allecti ad nos frequentes confluunt. Neque hæc tamen vilitas aliunde magis, quàm ab ipsa proficiscitur copia. Est & hæc

satis

satis magna patritio (ut ita dicam) & generoso vino, nostri vinitores *Torrontesium* nominant; fert ætatem, & quo annosius, pretiosius habetur; eo inveterato utuntur nostri optimates, & viri pecuniosi, cum œnophilis popularibus, quibus esse solet in delitiis. Adit etiam urbes vicinas, regiorum Auditorum, Marchionum, & ejusmodi heroum mensis gratissimum. Huic est bonitate proximum, longo licèt intervallo, *Petroximenium* quod dicitur nostratibus, sed multò est tamen ubertate superius. Quod verò reddunt colles austerum vinum, in nonnullis etiam lene & non ingrati rancoris, intra minorem multò continetur numerum, vixque annuum tempus excedit. Quid? Bacchico munere adeò magnificè donati, Palladis beneficio fortè destituimur? Donat & hæc tantum huic populo ut ad usus necessarios desit nunquam: & hanc exhibendi modestiam doni bonitate compensat: nam pingui adeò in cibis omnibus & gustui amico utimur oleo, cum laudatissimo, jure optimo, ut possis comparare. Riguo par siccaneum, sed dimensu cultori suo oppidò quàm minore respondet. Mel autem, ut dulcia utilibus misceantur, neque Hyblensi, aut Hymettio decedet: tantus est ipsius candor, tanta densitas, & tam suave gustatui respondet. Caseum, lac & lanas quorsum collaudem, siquidem, ex collatione ad pecudes, esse optima nullus dubitabit? nam in pomis hæc urbs secum ipsa certat, ac se vincit. Vel sola profectò propinquis & remotis populis copiosè satis omnis generis fructus suppeditet; & facit, agasonum catervis ac mulionum, & rhedariis multis, ab æstatis primordio ad multam hiemem, ipsam exhaurire non valentibus. Age verò, si benè habitare non in postremis ducitur, & cujusque dignitas domo est ornanda, (quamvis Ciceroni non sit ex domo dignitas tota quærenda) quid est quod requiri aut desiderari possit ad ædificandum in tanta rerum omnium copia? Tantùm non intra nostra domicilia habemus latomias tophici lapidis, & varii quidem generis; firmissima marmora rubicundi coloris; calcem ex albis durissimis ac siliceis coctam lapidibus; gypsum candentem ex vulgari, tum speculare ad tectoria & incrustationes; argillam candidam atque rubeam ad lateres compingendos & ad alia quæcunque artis figlinæ commodissimam; arenam ex fossitia canam, & ex fluviatili fuscam & benè asperam; & præterea quæcunque alia necessaria sunt, ut unum tantùm ædificaturo sit timendum, ne copia nummorum competenti destituatur ad structuram. Sed opus institutum, sentio, jam me revocat; quocirca de re hac sermonem claudam, si priùs dixero, divino munere concessam huic urbi omnium rerum, quas natura desiderat, abundantiam & copiam: & hujus rei evidens esse argumentum, quòd ejus semel ubertate gustata, in ea consenescant, ut innati, sic & advenæ (velut qui de Circes poculo) ad patrias nunquam ampliùs redituri: & est censendum priscos illos homines condendarum urbium institutores solertissimos, cùm esset locus electioni, talem hunc prætermissuros? Id certè ut non probarim, ita fuisse antiquissimum multa me cogunt ut credam. Sed nunc ad propositum. Supra ampullam & flores sedet stylobata, quoquoversùm conspicuus operis Corinthiaci projectis tæniis & eminentibus imagunculis cælata. Quà nundinarium forum & salientem adspicit, tres cir-
A cum altare ostentat, quasi divis immolantes: ad latus dextrum, duas masculum & fœminam vehentes tauro: sed fœmina corollis apprehensis sursum versùs dextram erigit, velut socium coronatura: totidem in sinistra visuntur figuræ humanæ: ponè verò, & quà ad divæ Virginis sacellum patet ingressus, tres quasi restim ducentes alteris apprehensis ad invicem manibus, sublatis alteris concutientes sonalia, in numerum propè dixeris saltitare. Neque non dedit & hanc Mons Leo multo pulvere defossam ac penè coopertam; cui proximè columella aderat Latialibus notata litteris:
B de qua mox. Dedit insuper ἀκέφαλον statuam καὶ ἄποδα, καὶ ἀβραχίονα, figurâ humanâ aliquanto celsiorem, media tamen sui parte divisam: ipsam proximè dictus nunc stylobata sustinet, sed callida statuarii opera sarctam, & desideratis membris juxta decentes commensus exactè restitutis. Herculi consecrata fuit, neque id tantùm propter magnitudinem, & nuditatem, quâ ubique visitur formata, neque quòd hunc heroem vendicent sibi Græci, quorum fuit proprium in suis nihil velare simulacris; sed in eo exemplum ut statuatur; quòd
C magnanimus hic heros prudentia & virtute pro defendendis bonis, & auferendis malis (unde Alexicacos meruit cognominari) difficillimis laboribus, quos & adiit sapienter, & pertulit constanter, fortissimè exantlatis, æternum nomen & gloriam insignem fuit consequutus. Supremum in ædificio, quòd loci debentur his eminentiores, his præfecturæ, supremique magistratus, communium atque rerum gubernacula, qui ad simile se exemplar componentes, propria commoda, privatasque inimicitias Reipublicæ donantes (de qua benè mereri, nihil ex omnibus rebus humanis est
D præclarius, aut præstantius) non tantùm sibi, sed in commune consultant. Hi sunt, (quod & de Hercule prædicatur) quos ex Deo natos, & in Divorum numerum credimus referendos. Quibus igitur, nisi his talibus regia competunt gestamina? Sapienter ergo nostri Patres huic invicto, invincibilis Philippi optimi pariter ac maximi scutum exhibuere: idem ut custodiret, quo vigilantissimus hic Rex tot populos, tot regna, tot nationes, quot ipsius scuti indicant insignia, ab incursibus hostium, inimicorum, & iniquorum injuriis, pro sua singulari sapientia, prudenter defen-
E dit ac protegit. Sed ad modum hunc nostri Herculis minacem cernere est statum: sinistrum illius crus, cui, eadem manu comprehensum, admovet scutum à dextro nonnihil antè vertitur: fortique sublato brachio, humero dextro, dextra manu victricem clavam tenet insidentem: insurgentes contrà lethali velut occupaturus ictu. Basin, quam premit ab utroque latere, mediam amplectuntur hæ litteræ rubei coloris quadratis incisæ saxis, quibus S. P. Q. Antiquariensis Philippi II. regiæ Majestati, per hæc verba, totum Opus dedi-
F cat:

PHILIPPO HISPANIARVM ATQVE INDIARVM ORIENTALIVM ATQVE OCCIDENTALIVM
ET VTRIVSQVE SICILIAE INVICTISS. REGI SVMMO FIDEI ET CHRISTIANAE RELLIGIONIS
PROTECTORI, SENATVS ANTIQVARIENSIS EX RELLIQUIIS OPPIDORVM SINGILIAE, ILLVRAE,
ANTIAE, NESCANIAE STATVAS, ET EPITAPHIA, QVAE HVIVS CIVITATIS ANTIQVITATEM
ET NOBILITATEM DEMONSTRANT, HIC SITA. D. PRAET. DN. IOANNE PORCELLO DE PERALTA
GRANATENSI MILITE DIVI IACOBI ANN. NATIVITATIS DOMINICAE 1585.
PONTIFICATVS DN. NOSTRI SIXTI QVINTI ANNO I.

Ab eo angulo, quo novæ Curiæ desinebat porticus, cementitius paries operis imbricati ad transversum Inscriptionum parietem ductus, triangulum reliquit cavum: quod terrâ calce immixtâ & nonnullis lapidibus plenum, & optimè pavitum, terrâ plenum appellamus. In illius parietis corona æquis interstitiis tres sitæ sunt teretes columnæ, Singiliâ etiam allatæ, duobus cubitis & semisse non multò celsiores: ex his prima ad hunc modum sequentem ostendit scripturam:

[1] *Inscriptio* XXIII.

L. IVNIO NOTHO
ORDO SINGILIENSIVM
STATVAM ET HONORES
QVOS CVIQVE PLVRIMOS
LIBERTINO DECREVIT.

Lucio Junio Notho Ordo Singiliensium statuam & honores quos cuique plurimos Libertino decrevit.

„El consejo de la ciudad de Singilia mando „por su acuerdo se le hiziese a Lucio Junio „Notho estatua, y tantas honrras como al Li„bertino que mas se uviessen hecho.

Quamquam rerum exigebat ordo, primæ ut secundam adderemus in referendo, hac ad tempus aliud relicta, tertiam (est namque ejusdem argumenti cum prima) legam priùs: si priùs tamen objecero pensitandum, quàm penè hominum mentes ad se rapiant probi & æqui Magistratus; qui uni Reipubl. studentes, neque facilitate nimiâ ansam improbis peccandi exhibent, vel bonos ipsos à tranquillo vitæ tramite cogunt ire transversos: quique in neutram partium istarum incidisse in fraudem videantur, ita gratiam ordinum demereri omnium, ut sibi hanc, non solùm præsentibus, referre voluisse cives cognoscant, sed saxis & marmoribus relinquendo testatam, ipsosmet exstinctos immortalitati studeant consecrare: & quàm ad æmulationem usque facta, dictaque eorum, quos in civitate habemus primos, quisque sibi proponat imitanda. Plerunque enim accidit ut, neglectâ ratione, clari hominis auctoritate simus contenti: nec quæramus adeò cur factum sit, sed à quo fuerit factum, ut quod exemplo fiat, sicut in quadam epistola Cicero est auctor, id jure factum existimetur. Quam ob rem iis cavendum imprimis erit, in quos mentes & oculi totius vulgi sunt conjecti, ne se illi aut rebus aut verbis in scandalum opponant; (detur hîc mihi Eloquii sacri voces adscribere) cùm, ex Oraculi superni testimonio, hæc in se admittentibus levissimum esset malum; si molis asinariis collo dependentibus demergerentur in mare, væ illud æternæ damnationis procul dubio perpessuri; tanti, tamque diri criminis est, sceleris, aut alicujus flagitii nos aliis exemplar exhibere. Id adeò hinc mihi dicendum se obtulit, quòd, plebejos homines, ut sequens hoc marmor declarat, quæ fecisse primi ordinis & classis videre, propere crediderim imitatos:

[1] *Inscriptio* XXIV.

L. IVNIO NOTHO
VI. VIR. AVG. PERPETVO
CIVES. SINGILIENSES, ET
INCOLAE EX AERE CONLATO.

Lucio Junio Notho Sextumviro Augustali perpetuo cives Singilienses & incolæ ex ære conlato.

„Los vezinos y moradores de la ciudad de „Singilia dedicaron esta estatua a Lucio Junio „Notho Sextumviro Augustal perpetuo con„tribuyendo por cabeças para la costa della.

Secunda jam prodeat, themate non utique à superioribus aliena: ut quæ non tantùm effectoribus rerum, sed etiam illis, quorum auspiciis & auctoritate res ipsæ factæ sunt, memores nos, gratosque subindicat futuros. Sed cùm auctor rectè factorum omnium, prosequutor, perfectorque sit Deus, illi quicquid felicitatis accidat meritò gratulamur: gloriosaque admodum hæc est illis gratulatio, quorum nomine suscipitur. Non hoc ignoravit Lucius Junius, qui sibi Cæsaris favorem promereri studens, non ipsi donum obtulit, quinimo Vltori Marti, cujus auxilio tot, tamque insignes victorias incolumis Cæsar reportaverat. Quis adeò non admiretur, magnique illum pendat, clari quem alicujus operis comitem sibi viderit Regem elegisse? Quid si Regem Regum? Quid si armipotentem Deum? attamen ne, quàm volumus, aliis ex aliis incidentibus, longiùs fluat oratio, jam ipsius columnæ verba proponam:

[2] *Inscriptio* XXV.

MARTI AVGVSTO
L. IVNIVS MAVRVS LA-
RVM AVG. MAGISTER
DEDIT. L. IVNIA MAVRINA
F. DEDICAVIT.

Marti Augusto Lucius Junius Maurus Larum Augustalium magister dedit, Lucia Junia Maurina filia dedicavit.

„Al Marte Augusto dio esta imagen Lucio „Junio Maestre de los Lares o dioses domesti„cos Augustales, y su hija Lucia Junia Mauri„na se la dedico.

Ne

1 *Quæ & apud Gruterum* p. CCCCXXVI. 8.

1 *Quæ & apud Gruterum* p. CCCCXXVI. 7.
2 *Quæ & apud eundem* p. MLXVIII. 8.

Ne id quidem mihi relinquatur intactum, Exteris singula sciendi cupidis animum (si possim) expleturo: cur uncus ille ferreus crassus & oblongus adeò, priùs ab scalarum turri, deinde ab illa muri parte, quæ summæ viæ marmorum imminet, dependerit; & nunc honestiore loco, domûs publici Consilii cernatur affixus angulo: quæ à Majoribus accepi, dabo sanè perpaucis. Cùm fuisset diu ac multùm in oppugnatione hujus urbis frustra laboratum, acriter à mœnibus hostes propellentibus Agarenis, sic rem posse geri Christianis visum est, si mobilis & ambulatoria turris Barbarorum admoveretur propugnaculis: ex qua exostra pons sublicius repente productus in murum, bellatoribus ad oppidum ingressuris transitum aperiret. Id cùm prosperè cessisset, ferrum illud incurvum, pontis quòd trabibus affixum erat; (ut inhæreret tenaciùs pergamis, neque aut refringi, aut repelli posset facilè) ad eventus tam fausti memoriam, placuit in civium & advenarum oculis constitui: ideoque per temporum intervalla, à frequentioribus, ad magis frequentia fuit loca translatus. Tantùm de re hoc habeo dicendum. Nunc ad interiorem portam venio. In forum pecuarium exituris & suburbia, ad dextram hæc ostenditur scriptura[1], quam in Leone Monte dicunt fuisse inventam exesis aliquantulum litteris, & propterea ad saxum, in quo nunc cernitur, traductam: ubi videre est quis Romanorum Jovi Vltori Deorum omnium (quos cæca illa gens habuit innumeros) primus erexerit templum; & per quos vetustati succumbens fuerit restitutus:

[1] *Inscriptio* XXVI.

M. AGRIPPA L. F. COS. III.
FECIT.
IMP. CAES. SEPTIMIVS SEVE
RVS PERTINAX
ARABICVS PARTHICVS PON
TIF. MAX.
TRIB. POT. XI. COS. III. P. P.
PROCOS. ET IMP. CAES. MARCVS
AVRELIVS
ANTONINVS PIVS FELIX AVG.
TRIB. POT. V. COS. PROCOS. PAN
THEVM
VEVSTATE CVM OMNI CVLTV
RESTITVERVNT.

Marcus Agrippa Lucii filius, Consul tertium fecit, Imperator Cæsar Septimius Severus Pertinax, Arabicus, Parthicus, Pontifex maximus; Tribunitia potestate undecies, Consul ter, pater patriæ, Proconsul & Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Pius Felix Augustus, Tribunitia potestate quinquies, Consul; Proconsul Pantheum vetustate cum omni cultu restituerunt.

„El templo dedicado a todos los dioses llamado Pantheon fundo Marco Agrippa hijo de Lucio Agrippa, y el Emperador Cæsar Sepetimio Severo Pertinax, que vencio a los Arabes y Parthos, Pontifice maximo, onze vezes con poteстad de personero Romano, tres vezes Consul, y padre de su patria. Y el Proconsul y Emperador Cæsar Marco Aurelio Antonino Pio, Felice Augusto, cinco vezes con Tribunicia potestad, Consul, y Proconsul lo reedificaron estando muy viejo. Y juntamente dieron las cosas necesarias al servicio y culto del.

1 *Quæ Romæ est, non in Hispania.*

Quod, si id quoque novisse alicui gratum est, à Phoca Cæsare (hoc nomine tantùm laudando, quòd Romanum Pontificem Principem omnium jure declaravit) Pantheum Bonifacius quartus à Gregorio Romanus Episcopus donum accipiens, in templum omnium transtulit Sanctorum. Neque suo scripto vacua est sinistra, quòd gratitudinis specimen in animo muliebri ostendat enituisse magnum, ut in tuo, Restituta, quæ filio honorem, quàm potes benignè, habitum compensasti clari certè sanguinis, &, qualis fuit in Fabiis, evidens indicium. Id inter villas agri (ut nos dicimus) Casæ *Bermexæ* sic vidimus testatum:

[1] *Inscriptio* XXVII.

C. MARIO QVIRIT. CIP. MENII
NESCANIENSIS F.
ORDO NESCANIENSIVM STATVAM
IVSSIT
CIV. DECREVIT. FABIA RESTITV-
TA MATER
HONORE ACCEPTO IMPENSAM
REMISIT
EPVLO DATO DECVRIONIBVS ET
FILIIS
EORVM NESCANIENSIVM SINGV-
LIS X.
BINOS CIVIBVS ATQVE INCOLIS
ITEM
SERVIS STATIONARIIS SINGV-
LIS X.
SINGVLOS DEDICAVIT.

Cajo Mario Quiriti Cipionis Menii Nescaniensis filio Ordo Nescaniensium statuam jussit, civitas decrevit. Fabia Restituta mater honore accepto impensam remisit, epulo dato Decurionibus & filiis eorum Nescaniensium singulis denarios binos, civibus atque incolis, item servis stationariis singulis denarios singulos dedicavit.

„A Cayo Mario Quirite hijo de Cipion Menio natural de Nescania los ciudadanos della con acuerdo del regimiento mandaron se le levantase estatua su madre Fabia Restituta aceptando la honrra que a su hijo se hazia les remitio el gasto, y haziendo general banquete a los regidores y juntamente a sus hijos mando se diesen a dos reales acada uno de los vezinos y moradores de la dicha ciudad, y a real a los siervos de guardia o a compañamiento.

Sed cùm membrorum operis commensibus magis quadraret, (quod suprà dictum est) ut hæc basis Trajanum sustineret suo Mario destituta, ne simul cum ipso evanesceret scriptura, translata fuit in lapidem illum album, quem ab scalarum extraximus turri, effigiunculis adeò confusis & deletis incisum, ut quid fuissent, ne divinandi quidem ullus daretur locus: excisis igitur & abrasis, receptus Marius Agrippæ è conspectu fuit positus. Supra portæ ipsius prothyridem, quæ ad sigmæ Latinæ normam è medio arcu projicitur (eam Architecti *mensullam* appellant) virginea quædam facies, & quidem hone-

1 *Quæ alibi non legitur.*

honesta, collo tenus apparet ex lapide Gemuensi albo: civitati, quam Donnus Jacobus Narbaez, sancti Joannis Hierosolymitani, merito conspicuus, insigni in colle repertam Moreno fratris sui Roderici Diaz Roxensis agris frugiferis, dono dedit. Illam, ut hemisphærium, fucata cæruleo lapidis arenosi capsa circumducit. Superiùs verò est capitulum ex Pario marmore, quod Singiliâ allatum, & in calathi effigiem ab angustia paulatim in latitudinem assurgens opus Corinthium, acanthi folia, helices aliique flores vestiunt. Munere hoc Joannes Trillius Doconius, Ordinis Senatorii, affecit civitatem, ut rubentem basim sustineret, in villa Michaëlis Ruizii de Dios inventam, quod prædium est ad regionem Mollinam intra metas hujus urbis: & qua nunc parte muro conjuncta est, trinodem ostendit clavam, sinistrorsum scyphus cernitur, ut dextrorsum specularis forma, Herculis notissima gestamina: at verò est in fronte oleagina corolla, quæ suo circulari ambitu SACRVM HERCVLI comprehendit, desuper scriptum est, C. F. SEVERVS: læva corollæ parte S. L. dextra M. solum est videre: & sic crediderim legendum, *Caji filius Severus sacrorum Ludorum magister sacrum Herculi.*

„ El hijo de Cajo Severo llamado a si mesmo Cajo Severo maestro des los sagrados juegos consagro estos blasones o insignias a Hercules.

Basis cimatium bicubitali signo teritur, à Jacobo Roderico pileorum assutore, in acclivi via, ad quam est Xenodochium Charitatis, convenarum pauperum & languentium domicilium, accepto: ita tamen ut in eo cum pedibus manibusque caput desideraretur. Sed mira quadam metamorphosi pristinæ integritati restituto, geminæ accesserunt alæ, sitque Fama, utraque suum æneum manu gestans lituum, boni ac mali nominis cuncta sonatura. Attamen cùm pulchrioris famæ constet omnes ferè homines, etiam scelerosos, amore transversos agi, ne fortè errent, hanc non sine studio atque labore parari posse, quæ supra & circa ipsam sunt litteræ persuadent:

FAMAE S. ANTIQVARIENSIS PRAET. D.
IOANNE PORCELLO PERALTA PROPRAET.
LICENCIATO ANTONIO ORDAS VIRIS
MERITISS. STATVAM HANC INSIGNI
FORMA VT QVIB. EIVS DECOR ARRISERIT TALES ESSE CVRENT QVALES
VOLVNT HABERI D. D.

Famæ Senatus Antiquariensis, Prætore Donno Joanne Porcello Peralta, Proprætore Licenciato Antonio Ordaz, viris meritissimis, statuam hanc insigni forma, ut quibus ejus decor arriserit, tales esse curent, quales volunt haberi, dedicavit.

„ Siendo Corregidor Don Juan Porcel de Peralta y su Alcalde mayor el Licenciado Antonio de Ordaz, varones muy dignos de los officios que administran. La ciudad de Antequera intitulo a la Fama esta hermosa estatua, para que los que de su hermosura se pagaren procuren para obtenella hazer obras de tales quales quieren ser reputados.

Pone ejusdem Famæ simulacrum parieti larva compacta est lapidis silicei, deformi admodum adspectu, rure Ferdinandi Gundi Salvi Parexi, quod est ad Leonem montem allata, inque modum jaspidis illita pigmentis: ut ex hujus deformitate, alterius pulchritudini conjuncta, duplex esse fama deprehendatur, & huic quantum illa præstet nemo possit ambigere. Nonnulla de re hac carmina fuêre condita, quæ ideo non sunt parieti adscripta, quòd loci angustia repugnarit, ad hujus libelli calcem postmodum exaranda. Dicatam Herculi, quæ tamen Famam sustinet, mediam cingunt stylobatulam Joannis Vilchii defuncti carmina, qui Sacerdos Christi, & Musis deditus humanioribus, multos annos Grammaticam hîc est professus. Cùm itaque nonnullas ex Inscriptionibus, quæ per nostram urbem visebantur sejunctæ, codicem in unum ille traduxisset, ad ipsarum, prooemiatus ab his versibus, lectionem adhortatur: fore enim ut ex eis sedulò perpensis, antiquitas cum fortunis & nobilitate civitatis hujus facilè deprehendantur. Hæc adhortatio cadebat peropportuna in nostram structuram; ideo juxta fidem exemplaris in rubida marmora translata prædictum habent locum ad modum hunc legenda:

Si te delectant urbis monumenta vetustæ,
Quæ nunquam potuit carpere tempus edax,
Hæc lege: quæ servat nostra Antiquaria saxis
Marmoreis, Latii plurima scripta notis.
His tibi nosse datur, fuerit quàm nobilis, & quàm
Dives opum, & claris urbs habitata viris;
Quàm populis fuerit pollens Hispania quondam,
Omnia quæ à sævo Marte sepulta jacent.

Hactenus Vilchius. Pars muri suprema, loricis, id est, angustis utrinque parietibus, & qui orthostatis lapidibus non assurgunt ampliùs quàm ut stantes possimus in cubitos proni decumbere, duobus simul adeuntibus ad sacram usque cellam hypæthram exhibet ambulatiunculam. Ad ipsius caput Marcus Cornelius à triangulari marmore punicei coloris, quod revulsum est ex turri, quæ ad nostrum incile supra Malacitam Xerini stat, destructas molas, amicas prætereuntibus manus videtur injicere suum gavisuris gaudium. Fecissetque idem antequam huc ab scapulo veniret traducendus, quem humanis imagunculis insculpto, stylobatæ suprà memoravimus adjunctum: nisi ruricolas illos omnes, inter quos permansit tamdiu, inalphabethos, ferosque admodum persensisset. Verùm ad ipsius jam verba devenire tempus est:

[1] *Inscriptio* XXVIII.

M. CORNELIVS OPTATVS
ANCIPITI MORBO RECREATVS
VOTVM
A. L. S.

Marcus Cornelius Optatus ancipiti morbo recreatus votum altare Laribus sacravit.

Mar-

1 *Quæ alibi non legitur.*

„Marco Cornelio Optato escapandose de una „peligrosa en fermedad consagro altar a los dio- „ses Lares el qual les avia prometido si tu viese „salud.

Operis ultima est sacrosancta quædam ædicula, publici tribunalis angulo conjuncta, quæ in demolitæ locum excitata est. Fuerat enim in ipsa turri antiqua, quam, ad opus novum ædificandum, à sancto Isidoro Prætore fuisse jussam disjici, circa libelli hujus initia memoratur. Nova tamen ædes, quæ veluti quadrata surgit turricula, tectum habet in hemisphærium interiore parte cameratum, ab exteriori, quasi meta quadrangularis, erigitur, Malacensibus laterculis variè adaptatis pulcrè adversùs stillicidia munitum. Et præter januam, quæ Solem adspicit meridianum, fenestrata est ad orientem & solstitialem occasum: sed fenestris ita magnis nequicquam ex interioribus occultetur, sed ab utroque foro divinis liceat assistere, quandocunque celebrentur. Supra ipsum altare adsunt in delubro duæ venustissimæ effigies, altera nostræ Dominæ cognomento Antiquæ, altera divæ virginis Euphemiæ hujus urbis patronæ, ut cujus anniversario sacro superatis Agarenis in Christianorum cesserit ditionem. Per eam itaque cùm certo nos credamus certius à Deo tantum obtinuisse muneris, & tutelarem huic oppido Deam esse concessam, cùm aliàs frequenter, tùm ex voto sexto decimo Calendas Octobres indicto festo his, similibus hymnis populus illi supplicat:

Antiquariensis populi ad divam Euphemiam hymnus.

Diva, cui proles moderantis orbem
Æthera, ac terras, mare cum silentum
Pallidis umbris dedit esse sponsum
Ter sibi charam,

Quam suæ matri libuit potenti
Esse conjunctam, colierque eodem
Virginem tecto, comitemque tantæ
Virginis esse:

Cujus assurgit chorus Angelorum
Numini, & læti venerantur omnes
Quisquis in cælo residet locatus
Sorte beata:

Supplices te, Euphemia, deprecamur
Quod sonat nomen, tribuens favorem,
Hoc tuum, poscas dominum benignè
(Cujus amore

Posthabens quicquid caro concupiscit,
Nec timens quicquid fragilis pavescit,
Fortis & constans lanios, rotasque
Sustinuisti,

Et minas Prisci: neque virga sæva
Non equus tortor, nec avarus ignis
Mente propellunt solida, nec atrox
Ira leonum)

Donet huic pacem populo & salutem,
Criminis donet maculas cavere,
Det suæ matris prece mitigatus
Regna polorum.
Amen.

A Ut verò repetamus intermissum opus. Medium fasciæ, quæ super forium arcum prima extenditur, alia tenet quædam facies ex marmore candenti, in Cæsarexi agris apud fundum Jacobi Ferdinandi Petrosæ adinventa, sed cujus venustas formæ cum honestis valeat contendere. Hinc ad ipsius tecti coronam quadratum fuit relictum tympanum, quod, juxta architectorum placita benè trullisatum, in udo tectorio scripturam accepit, quam ad sacelli, totiusque operis dedicationem magister Alvarus Pissanius de Palatios, juvenis emunctissimæ naris, divi-
B nis, humanioribusque litteris apprimè instructus, & ob merita collegiatæ Antiquariensis Ecclesiæ magistralis Canonicus, inibi dictaverat scribendam:

ANTIQVIT. MONVMENT. NON JOVI,
SED DEO OPTIMO PERINDE AC MAXIMO RESTIT. ALTARE ALMAE
DEIPARAE, ET DIVAE EVPHEMIÆ
C HVIVS CIVIT. PATRONAE, ANTI QVAR. VRB. SENAT. EX VOTO CONSECRAVIT. NOB. JOAN. POR CELLO A PERALTA HISPANIARVM PATRONI INSIGNIIS PERILLVSTRI VRBIS MODERAT. ET LICENCIATO
ANTONIO ORDAS EIVS VICEM GERENTI IVD. INTEG. ANNO 1585.

D Deberet ibi sanè referendi finis consistere, ubi & desinebat opus. Sed quoniam ex nostris quidam ligata & soluta oratione aliqua conscripserunt in eodem pariete depingenda, quæ (ut dictum est) ipsius commodè non capiebant spacia, placuit Senatui ut in hoc libello scriberentur, ipsorum Auctoribus declaratis; & præterea quod Latinè sonant ad voces Hispanas traducto. Inter quæ occurrunt primùm ii versus, quos Joannes Mora Grammaticus quidam Præ-
E ceptor eadem quà Vilchius mente, directosque ad eundem scopum, clausit his pedibus:

Omnia, quod perdit, quod conficit omnia tempus,
Hæc conservavit marmora scripta libens.
Hæc tu, qui nostram securus tendis ad urbem,
Perlege, si Veterum te monumenta juvant.
Nam tibi Prætoris Joannis sedula cura
Porcelli idcirco fecit adesse simul.
F *Ex his cognosces fuerit quàm clara, potensque,*
Dives, & egregiis urbs habitata viris.

Bueltos en Castellano suenan a si.

El tiempo, que destruye acaba y gasta
Quanto la humana industria siempre a obrado,
Aquestos epitaphios a guardado
E marmores y letras de esta casta.

Pues

Pues tu que con quietud quanta te basta.
Anro insigne pueblo eres llegado,
Si aver antiguas obras eres dado
Lee los pues ocio onesto bien se gasta.

Que el buen Corregidor Don Juan, curioso
Porcel en uno aqui los a juntado
Porque se puedan ver con mas reposo.

De do conosceras quan encimado
Fue, y claro de varones, poderoso
Este lugar quan rico y fortunado.

Magister quoque Alvarus Pislanius (de quo paulò antè) novam structuram, urbem, ejusque ornandæ adeò studiosum Prætorem, heroïcis numeris ita commendat:

Moribus antiquis generosam dum regit urbem,
Dum nobis lapsam portis & mœnibus ornat
Qui genere & vita præstat Porcellius heros,
Celsior ut cunctis positu Antiquaria surgit
Vrbibus, officio sic gentis & urbe renata
Altior insurgens, jam cælum vertice tangit.

Quieren dezir en Lengua Castellana.

„Siendo Corregidor onesta generosa ciudad de „buenas y antiguas costumbres y adornando la „de puertas y murallas el buen cavallero Don „Juan Porcel a si a crecentado en vida justa, „como en generoso linage. Antequera que en „su sitio es mas levantada que otras ciudades, „aventasando se les tan bien en la manera de buen „bivir y en nuevos edificios obtiene y a la cum-„bre de toda felicidad.

Hoc etiam hexasticon, in quo Fama loquitur, Mora prædictus lusit:

Fama ego, quid quæris? sto jam, non orbe pererro:
Exsequor Ordazi seria jussa mei.
Sic me Proprætor cautus perpendere jubet,
Quid dicat, faciat judiciale forum.
Vt mea dum pravus metuit præconia, fraudes
Deserat, officium sed bonus usque colat.

Bolviose a si en Castellano.

„Mi nombre es Fama di que estas mirando?
„De a siento estoy aqui ya no ando derra-
„mada
„Ni vaga por el mundo, que agradando
„A mi querido Ordaz aqui parada
„Estoy. Que el cauto Alcalde atalayando
„Me manda este la plaça frequentada
„De astutos litigantes y que cuente
„Los dichos, y los hechos desta gente.
„Y el que en este juzgado se hallare
„Perverso, fraudolento, cauteloso,
„Si por servir a dios no se emmendare
„Demi pregon se emmiende temeroso

A „Y el que a lo justo y bueno se inclinare
„De mis honrrosas vozes cudicioso
„En el officio honesto que se emplea
„A qual quier occasion constante sea.

Loquentem præterea Famam, ipsa sua multò major, quamvis ludibundus, aliud quid agens, depinxit tamen appositè animæ dimidium meæ magister meus Petrus Narbaez Salzedus Ecclesiæ Antiquariensis Portionarius; dignissimus profectò qui ad celsiores dignitatum fuisset gradus evocatus: ut enim ingenii maturitate, & morum habet integritate, sic omnimoda bo-
B narum litterarum cognitione omnes numeros foret habiturus, si in aliqua ex insignibus Academiis annos, licèt non multos, ipsi versari contigisset. Atque ut jam appareat de meo addidisse nihil, hæc disticha Lector perpendat, illius acutæ mentis exemplum, ut vægrandis acervi pugilus tritici, futura:

Fama mali dorsum lingua ruptura flagello
Molliter in sinu isto positura bonum.

C

Declaracion en vulgar de el mesmo.

„La Fama soy mi officio es y mi gusto
„Crudamente tratar al que es malvado
„Por consiguiente al sabio, fuerte o justo
„Tener lo entre mis braços regalado.

Hoc ipsum aliis verbis idem cecinit:

D *Nomen Fama mihi est, occulta est prodere munus,*
Garrula sum, justis grata, cruenta malis.

A carminum molli contactu ah sentio me rursus ad lapidum abstrahi rigiditatem, inque evolvendis, proximè jam ad Sisyphum accedere. Verùm quid simile? cum uno luctatur ille tantùm, mihi durior contigit provincia, cum tam multis pugnaturo. Quid ergo? enitendum adversùs difficilia; quæ si non superaveris, vel in eo quod sustinueris, operis te quantum feceris
E non poterit pœnitere. Ad rem igitur. Præter antiquas marmorum Inscriptiones, hactenus quas in novo retuli muro fuisse compactas, duæ, tresve aliæ reperiuntur: una ex Abdulazizii Montis vico deportata (Nescania qui olim fuit, ubi patrum ad usque tempora nostrorum in hortis Gilsi Roderici Pueble prope fontem aquæ perennis jacuerat prostrata) ut beatiore forte in brephotrophii ostio conceptionis Mariæ Virginis ac dominæ nostræ ex antepagmentis esset una. Hæc fanum introeuntibus ad sinistram ita se offert legendam:

F

[1] *Inscriptio* XXIX.

FONTI. DIVI
NO. ARAM
L. POSTVMIVS. SA
TVLIVS. EX. VOTO
D. D. D.

Fonti

1 *Quæ est etiam apud Gruterum* p. xcIV. c.

Fonti Divino aram Lucius Posthumius Satulius ex voto dedicavit decreto Decurionum.

„A la fuente divina Lucio Postumio Satulio „por voto que hizo dedico este altar con acuer„do del Regimiento.

Naturam passim nostratium exponens fontium, hunc neque retuli, neque memini, sicuti nec alios permultos; quorum in nostris finibus dignitas, atque probitas meritò sibi divinitatis eamdem vendicarent appellationem. Quis enim tam multos posset meminisse, cùm præsertim mens narrationis nostræ directa ad alium esset scopum? At Satulius hujus aquæ beneficio, cæcitate fortè, immedicabili morbo levatus, id illius divinitati tribuens, non gelidum, pellucidum, illimemve dixit, aut alio ex tanta epithetorum usus turba, quibus Poëtæ solent fontes commendare, sed ex more imponens *cognata vocabula rebus* (ut cum Horatio loquar) illum prædicat divinum: neque id immeritò, cùm valetudinis nostræ meritum, vel Divis patrocinantibus, vel ipsi auctori Deo referri debeat acceptum. Itaque æquus hic vir, quam habebat gratiam animi gratâ significatione, hoc est, relatione, civium oculis libuit subjicere, & approbantibus sui municipii Decurionibus, votum aræ, quo se æger obstrinxerat, sanitati restitutus absolvere. Hanc pia, *Conceptionis* titulo, Laïcorum confraternitas non corporis modò, sed mentis etiam per Mariam Virginem, bonorum Dei dispensatricem, obtinere se, obtenturamque indubitanter sperans, quò mereretur magis, non tantùm illi aram, sed & templum erexit. Et devotionis hujus, ut alios æmulatio sancta provocaret, ad dextram ejusdem ostii, auctores operis (ut & res esset testatior) & tempus, quo fuerit peractum, Romanis characteribus jussit incidi:

DIVAE MARIAE
VIRGINI MATRI
FONTI MISERICORDIAE
EIVSDEM CONCEPTIONIS
IMMACVLATAE DEVOTI
CONFRATRES
TEMPLVM
ANN. 1546. D. DD.

Divæ Mariæ Virgini matri fonti misericodiæ ejusdem Conceptionis immaculatæ devoti Confratres templum, Anno 1546. *dono dederunt.*

En vulgar.

„A la Virgen sancta Maria madre de Dios „fuente de misericordia, los Confrades devotos „de su limpia conception sirvieron con este „templo que se acabo en el año de 1546. dono „dederunt.

Ventum est tandem ad finem, quem faciet sermoni nostro Basis Cornelia, hoc fœlix prædicanda, quòd in sacra æde illius angularis facta sit, qui multò ante lucis hujus adspectum, ipsius lucis cognoscens auctorem venerabundus exsultat, & quod verbum postea vox erat indicaturus, ante vocis usum hilari motus significatione declarat. Ipsius testimonio veritatis nulli virorum aut sanctitate secundus aut meritis, incontaminatum, incontaminabilemque Dei Filium vivo Jordanis flumine lavit, Patrem audivit æternum, Spiritum vidit consolatorium. Huic igitur omnis criminis nescio, spiritu Eliaco, virtuteque crimina persequenti noxia, devotus, (ut cui muneris idem à Deo sit commissum) vigilantissimusque sui gregis Episcopus Malacitanus, Donnus Franciscus Patiecus sanctitate ac religione insignis, & cui clarissima Cordubensium familia, tam multis proavorum imaginibus conspicua, fecit cognomen, templum erigere novis saxis exorsus, antiquum hunc rubentem à Singilia stylobatam placuit ab exteriori parte duorum parietum extrema conjungere. Sed quà *Realem* (sic namque nomen illi est) viam pertingit, affectus paternos, & dilectionem popularem erga merentem Blandinam indiciis talibus ostendit:

[1] *Inscriptio* XXX.

CORNELIAE
BLANDINAE
SINGILIENSI
L. CORNELIVS THEMISON
PATER ET
CORNELIA BLANDA MATER
POSVERVNT.
HVIC ORDO MM. LIB. SING.
IMPENSAM FVNERIS ET
LOCVM SEPVLTVRAE DECREVIT.

Corneliæ Blandinæ Singiliensi Lucius Cornelius Themison pater, & Cornelia Blanda mater posuerunt.

Huic Ordo Municipum liberorum Singiliensium impensam funeris & locum sepulturæ decrevit.

„En memoria de Cornelia Blandina natural „de la ciudad de Singilia pusieron esta statua „Lucio Cornelio Themison, y Cornelia Blan„da sus padres. Y el Orden de los liberos de la „dicha ciudad mando por su acuerdo que de pro„pios se pagase el gasto de su entierro y el lu„gar donde fuese sepultada.

Facies tamen altera, quâ vergimus ad lacum, templi reficiendi auctorem indicat, tempus, & qui florebant in eo Christianorum Principes:

BASILICAM DI-
VO PRAECVRSO-
RI DICATAM, E-
RIGENDAM CV-
RAVIT CLARISS.
DO. FRAN. PATIE-
CVS. A CORDVBA
EPISC. MALACITA.
GREGORII XIII.
ET PHILIPPI HIS-
PANIARVM RE-
GIS AVSPICIIS
ANNO 1584.

Basilicam divo Præcursori dicatam, erigendam curavit clarissimus Dominus Franciscus Patiecus à Corduba Episcopus Malacitanus, Gregorii decimi tertii, & Philippi Hispaniarum Regis auspiciis, Anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto.

* * Hhh „Este

1 *Qua & apud Gruterum, pag.* CCCXCV. 7.

„Este templo dedicado al glorioso Baptista, A
„Guion de Jesu Christo nostro Salvador, mando
„edificar el illustrissimo Don Francisco Pacheco
„de Gordova Obispo de Malaga con la felice
„autoridad de Gregorio decimo tercio, y de
„Philippo segundo Rei de las Españas. En el año
„de 1584. del nacimiento de nostro Señor Jesu
„Christo; cui honor & gloria.

F I N I S.

PHILIPPI A TVRRE
EPISCOPI ADRIENSIS
EXPLICATIO
INSCRIPTIONIS
TAVROBOLII
LVGDVNENSIS.

PHILIPPI A TVRRE
EPISCOPI ADRIENSIS
INSCRIPTIONIS EXPLICATIO TAUROBOLII LUGDUNENSIS.

TAVROBOLIO MATRIS D. M. I. D.
QVOD FACTVM EST EX IMPERIO MATRIS D.
DEVM
PRO SALVTE IMPERATORIS CAES. T. AELI.
HADRIANI ANTONINI AVG. PII P. P.
LIBERORVMQVE EIVS.
ET STATVS COLONIAE LVGVDVN.
L. AEMILIVS CARPVS IIIIII VIR AVG. ITEM
DENDROPHORVS
VIRES EXCEPIT. ET A VATICANO TRANS
TVLIT ARAM ET BVCRANIVM
SVO INPENDIO CONSACRAVIT.
SACERDOTE
Q. SAMMIO SECVNDO AB XV. VIRIS
OCCABO ET CORONA EXORNATO
CVI SANCTISSIMVS ORDO LVGVDVNENS.
PERPETVITATEM SACERDOTII DECREVIT
APP. ANNIO. ATILIO. BRADVA. T. CLOD. VIBIO
VARO COS.
L. D. D. D.
CVIVS MESONYCTIVM
FACTVM EST V. ID. DEC.

TAVROBOLIO MATRIS *Deûm Magnae* I D*aeae*.

Post factum Romæ Taurobolium, hanc aram, in qua sculpta est Inscriptio, L. Æmilius Carpus Lugduni erexit & dedicavit. Taurobolium verò suscepit Æmilius in honorem Cybeles, seu *Magnæ Deûm Matris*, cui Idææ cognomen à loco, in quo præcipuè colebatur; nam Cybelæ omnia Taurobolia dicabantur, quod aliæ Inscriptiones docent. Porrò nullum erat insanius sacrificium apud Gentiles; etenim perfusi sanguine Tauri immolati, eo ritu, quem graphicè describit *Prudentius*, Hymno de S. Romano, in æternum renasci se credebant. Fiebat quoque ariete quod *Criobolium*, & capra quod *Ægobolium* vocabant. Sed plura dicere supersedeo; nam Eruditi argumentum satis versarunt & præcipuè *Antonius van Dale*, quem nuper edidisse Dissertationem de Tauroboliis didici ex Diariis Trevoltiensibus, mensis Augusti MDCIII.

QUOD. FACTVM. EST. EX. IMPERIO. MATRIS. *Deae* DEVM.

A Litteram singularem D adpositè explicavi DEAE, fultus auctoritate *Arnobii* lib. v. *Pinus illa sollemniter, quæ* Matris *infertur Sanctum* Deæ; nisi quis additam putaverit ex errore Marmorarii, ita ut idem significet ac vocabulum proximum DEVM, ut in primo versu. Formula illa EX. IMPERIO. in aliis etiam Inscriptionibus reperitur, quæ eadem est ac alibi IVSSV. DEI. Significat, ut equidem arbitror, *imperium* factum à Deo quopiam, per somnium. Nam quod non una inscriptio solitariè habet EX. MONITV. DEI. B idemque est ac EX. IMPERIO. in aliis clariùs explicatum legimus SOMNIO. MONITVS. & IN. SOMNO. ADMONITVS. Illusus itaque per quietem Æmilius credidit sibi à Cybele imperatum Taurobolium, quod suscepit.

PRO. SALVTE. IMPERATORIS. CAESARIS. T. AELII. HADRIANI. ANTONINI. AVGVSTI. PII. P. P. LIBERORVMQVE. EIVS. ET. STATVS. COLONIAE. LVGVDVNENSIS.

Nulla hæc egent explicatione. Scrupulum tantùm tibi eximam. Petis abs me quî fieri possit, ut Romæ, ubi hoc Taurobolium factum fuisse tecum existimo, aliquis de Colonia Lugdunensi cogitaverit? Scito L. Æmilium, ut statim ostendam, civem Lugdunensem fuisse; quare nihil mirum, quòd pro patria civitate, etiam absens, Deorum præsidium advocaverit. Ceterùm pro salute domûs Divinæ & Coloniæ Lugdunensis, aliud Taurobolium susceptum invenies in collectione Inscriptionum *Fleet-Woodii* pag. 13. ubi vocatur *Colonia Copia Claudia Augusta*, & pag. eadem: *pro salute Imp. Antonini Gordiani, proque statu civitatis Lactoratensis.*

L. AEMILIVS. CARPVS. IIIIII. AVG.

Sevir Augustalis erat Æmilius, non sanè Romæ, ubi Taurobolium fecit; quia Collegium Sevirûm Augustalium Romæ fuisse nusquam legitur; quamquam Sodales Augustales erant sub Tiberio instituti. Igitur non alibi, quàm in Colonia Lugdunensi, ubi Ara fuit dicata; si enim in alia civitate, Inscriptio id signasset, ut fieri videmus in aliis. Lapis est apud nostrates Forojulienses: Q. CAEDIVS. P. F. PVP. SEX. VIR. TERGEST. Patavinus: L. MAGIVS. PHILEAS. VI. VIR. AQVIL*eiae*. Concordiensis: M. ARMONIO. M. L. ASTVRAE. PATRONO. SEX. VIRO. FORO. CORNELI. De Seviris Augustalibus non est cur verba faciam, cùm doctissimi viri argumentum exhauserint; præsertim *Reinesius*, Card. *Norisius* & *Fabrettus*. *Carpus* cognomen erat etiam Pinariæ familiæ, ut in ejus Nummis, apud *Ursinum*; in quibus *manus* depicta cernitur, nam *carpus* Græcè est junctura brachii, quâ cum manu committitur.

ITEM. DENDROPHORVS.

Quotannis, statis diebus, in templum, seu Sanctuarium Cybeles Matris Deorum deferebatur arbor pinus, velleribus lanatis circumvoluta & violaceis coronis redimita; de quo ritu semel atque iterum meminit *Arnobius* lib. v. Festum hoc in veteri Calendario, apud *Herwartum* & *Lambecium*, signatur his verbis, *arbor intrat*. Itaque à deferenda arbore nomen sumsit *Collegium Dendrophororum*, ex quibus unus erat, in Colonia Lugdunensi, Æmilius. *Dendrophori Matris Deûm* memorantur in lapide Romano apud *Reinesium* Classis I. num 40. Exinde Æmilium nobilitate conspicuum fuisse infero, nam Dendrophoros Cybeles procerum appellatione honestat, quamvis deridens, *Commodianus*, hisce versibus:

Egregios proceres currum servare Cybellæ,
Quem traheret conducta manus, Megalensibus actis,
Arboris exscissæ truncum portare per urbem.

Alii Dendrophori memorantur in saxis vetustis, qui *Collegio Centonariorum* & *Fabrûm* plerumque conjunguntur, eosque lignorum venditores putant Eruditi. Sed inter hos ne accenseam Æmilium, ipsa eorum vilis conditio dehortatur.

VIRES. EXCEPIT. ET. A. VATICANO. TRANSTVLIT.

Vocabulum hoc *vires* duæ aliæ Inscriptiones præferunt. *Salmasius* ad Lampridium in Elagabalo, cap. VII. putat *vires Tauri* esse cornua Tauri, nam vires in cornibus. *Sponius* significare ait *testes Tauri*, qui, ad imitationem sacerdotum Cybeles & Attidis, Tauro abscindebantur. Nominis explicationem probo, sed altiùs repeto imitationem abscissionis; ab ipso scilicet Attide. Quæ paucis illustrabo, cùm Librum celeberrimi Antiquarii ad manum non habeam, nec sciam an quid præterea eam in rem adferat. Itaque vocabulum *vires*, pro *virilibus* esse positum facilè censeo. Ita verò detortum, ne res turpicula proprio nomine legentium oculis exponeretur, imò etiam ne obscœna mysteria, quæ mox exponam, vulgarentur. Nam hujusmodi propudiosas cærimonias prodere Gentiles cùm erubescerent, tenebris, vel secreto loco recondebant, aut alienis nominibus & confictis Symbolis velabant. Exempla non profero, cùm Eruditis satis sint nota; quo statim sententia *Salmasii* convellitur. Quid enim opus erat novo & minùs proprio vocabulo uti, cùm caput & cornua Tauri nihil turpe, nihil occultandum præ se ferant? Ne verò quis dubitet an virilia, quæ propriè sunt hominis, de brutis etiam dici possint, auctorem habeo *Plinium* lib. XXIII. c. I. *Utiliter etiam fovetur vino calido* virilitas *jumentis*. Consentit etiam *Arnobius*, qui eodem lib. V. loquens de testibus arietinis ait: Virilitate *pignoris visâ* &c. Quid? nonne ipse *Virgilius* ecloga VII. dixit Vir *gregis ipse caper*? Quòd si *vires*, cum *Salmasio*, à viribus esse velimus, nusquam vires magis sunt, quàm in testibus; quibus natura ita robur & vim masculam indidit, ut animalia, sine testibus, statim flaccescant & langueant, homoque non vir ampliùs, sed *semivir* & eviratus dicatur: quia scilicet caret viribus, unde *vir* nomen sumsit, si credimus *Lactantio* de Opificio Dei, c. XII. Nec aliter quàm pro testibus Tauri, accipiendæ sunt *vires*, in Taurobolicis Inscriptionibus, quod liquebit si, nostram cum aliis comparando, animadverterimus Gentiles in Sacris Magnæ Matris, seu Cybeles, imitari voluisse casus Attidis & imaginem *tristium redintegrare gestorum*, ut eam in rem loquitur *Arnobius*. Ita pinus inferebatur in Templum, quia sub tali arbore Attis sibi virilia amputaverat; ad cujus exemplum, Galli Sacerdotes Cybeles seipsos evirabant. Ita arbor inlata in Sanctuarium laneis colligabatur velleribus, quia Cybele deficientem Attidem lanis contexit. Alias omitto comparationes, quas idem Auctor persequitur. Taurobolia autem cùm fierent in honorem Cybeles & Attidis, ut docent lapides Taurobolici; si dicamus vires esse genitalia Tauri, omnia cum utriusque fatis mirè congruent; non verò si vires sint cornua Tauri, ut putavit *Salmasius*. Itaque Tauri, in Taurobolio mactati, *vires* abscissas noster Æmilius *excepit*, sicut Attidis virilia *desecta Deûm Mater cum floribus collegit*, ut memorat *Arnobius* loco laudato. In alia Inscriptione apud *Fleetwoodium* pag. XV. 2. dicuntur LOCO VIRES CONDITAE; hoc est, ut quidem omnino puto, in terram defossæ, eo in loco forsitan, ubi Ara erat ponenda & dedicanda. Id verò ad exemplum Cybeles, quæ collecta genitalia *abscondenda mandavit terræ*, ut pergit narrare *Arnobius*; sed priùs, quàm terrâ tegeret, *lavit utique balsamis atque unxit*. Quo ritu, ut puto, fiebat consecratio, cujus meminit lapis Lactoratensis, apud eumdem Collectorem p. XIII. 3. *Viator Sabini fil.* VIRES TAVRI, *quo propriè per Taurobolium publicè factum fecit*, CONSECRAVIT. Igitur qui Taurobolium fecerat exsecta Tauri genitalia excipiebat, consecrabat & terræ mandabat. Quæ in omnibus Taurobo-

liis

liis peracta arbitror, licèt in omnibus Inscriptionibus non memorentur, quia ritus hujusmodi prodere, vel supervacaneum, quia satis vulgò noti; vel nefas, quòd turpes essent, ut suprà monui, existimabant Gentiles. Itaque *Æmilius*, facto Taurobolio, excepit *vires*, hoc est, genitalia Tauri, & à Vaticano transtulit in urbem Lugdunensem, ob eam causam de qua postea; iisque terrâ conditis, aram inibi consecravit. Nam Romæ factum hoc Taurobolium pro certo habeo; nisi quis me doceat Lugduni locum aliquem fuisse, qui *Vaticanus* appellaretur, sicuti & Capitolium in plerisque urbibus erat, ad exemplum Romani.

ARAM. ET. BVCRANIVM. SVO. INPENDIO. CONSACRAVIT.

Ita legendum, quamvis in lapide scriptum sit ARA, quod non semel in aliis Inscriptionibus occurrit; nam, apud Veteres, M. *finale omitti solebat in scribendo, quia in pronunciando quodam modo non profertur*, inquit *Quintilianus* lib. IX. c. 4. Sollemne erat, in hisce sacris, ut qui Taurobolium percepisset, aram etiam consecraret, ut plures Inscriptiones docent. In nostra hac Lugdunensi, simul cum ara dicitur *Bucranium* consecratum, quæ vox est Græca & *bovis*, seu tauri *caput* significat. Veteres mactatorum animalium capita exponebant, in signum facti sacrificii, quorum exinde sculptis imaginibus aram exornabant; quod præsertim observatum in aris taurobolicis, ut in nostra, in cujus fronte caput taurinum sculptum apparet. Hoc verò consecratum puto ab Æmilio, simul cum ara; non ipsummet caput tauri, quod Româ Lugdunum translatum fuisse nequaquam fit vero simile.

SACERDOTE. Q. SAMMIO. SECVNDO.

Consecrationi aræ præfuit Sacerdos Q. Sammius. Legimus Taurobolium factum & aram positam, *permittente Sacerdote Valerio Pancarpo*, pag. XI. 5. Fleet-woodii, *Sacerdote Trajano Nondinio*, XIII. 3. *adsistentibus Sacerdotibus*, XV. 2. in sacris Mithræ *aram positam*, *adstante Sacerdote*, XIX. 4. & 5. *præsidentibus Bictorino Patre & Januario*.

AB. XV. VIRIS. OCCABO. ET. CORONA. EXORNATO. CVI SANCTISSIMVS. ORDO. LVGVDVNENSIS. PERPETVITATEM. SACERDOTI. DECREVIT.

In nulla ex recitatis Inscriptionibus, nec alibi legimus Sacerdotem præsidentem seu Taurobolio, seu consecrationi aræ, honoribus fuisse decoratum, ut Q. Sammius, in hac nostra Lugdunensi. Quare in Q. Sammio causam aliquam peculiarem intervenisse credendum est. Suspicor tunc primùm in urbem Lugdunensem L. Æmilium ritus & mysteria taurobolica invexisse, quod indicat translatio *virium*. Quæ nova sacra cùm Q. Sammius, qui tunc sacerdotio fungebatur, auctoritate sua adprobasset, & decreto sancivisset; ideo *Quindecimviri* sacris faciundis & *Decuriones Lugdunenses*, in grati animi testimonium, ob novam Religionem susceptam, in eum hujusmodi honores contulerunt. Sanè nullum Taurobolium hoc antiquius invenimus, factum enim fuit Anno Christi CLX. quare tunc primùm inlatum Lugdunum facile est credere. Porrò quod dixi Decuriones Lugdunenses Sammio perpetuitatem sacerdotii decrevisse, non verò XV. Viros, ut tu quidem, epitheto illo *sanctissimus* fortasse suadente, arbitraris, omnino certum puto. Quamquam enim Collegium Sacerdotum aliquando *ordo* vocatur, ut in lapide Gruteriano pag. CCCXIII. 3. sanè ubi nomen Coloniæ, seu Civitatis est adjectum, semper *ordo* Decuriones significat. Infinita propemodum exempla possem adducere. Præterea & sensus orationis rem diversam demonstrat. Nec moror epitheton *sanctissimus*, illud enim personis, etiam non sacris, convenit, ex propria significatione vocabuli. Si verò exemplum in rem quæras, dabit idem *Gruterus* pag. CCCXCIII. 5. ORDO. SANCTISSIMVS. DECVRIONVM. & *Cicero* 1. Catilinariâ, Senatum Romanum vocat *sanctissimum concilium*. Ceterùm jus erat penes Decuriones decernendi perpetuitatem sacerdotii, uti & Sacerdotes creandi; nam Coloniæ legibus Romanis utebantur, Romæ autem Comitiis tributis creari solitos Pontifices novimus. De Flaminico Sacerdote, *consensu Decurionum* creato, lapis est apud *Gruterum* p. CCCCXXXVIII. 7. & *Cicero* in Miloniana memorat profectum Lanuvium, *ad Flaminem prodendum*, *quòd erat Dictator Lanuvii Milo*. Nominatos à Decurionibus prodebat is magistratus, ait Card. *Norisius*, in Cenotaphia Pisana diss. 1. cap. V. in fine.

De OCCABO, quo exornatum Q. Sammium à XV. Viris refert nostra Inscriptio, pauca remanent dicenda. Latio ignotum est hoc vocabulum. Græcis significat *armillas circa brachium*, ut docet *Hesychius*. Ad luxum quidem & pompam tàm viri quàm mulieres, armillis aureis, argenteis & gemmatis ornabantur; sed cùm armillæ donatæ ab alio, semper id factum in honoris argumentum. Armillis donatos milites ab Imperatoribus, in præmium virtutis, frequentèr in saxis eruditis cernimus & apud veteres Scriptores legimus. Reges Persarum Legatis armillas dabant, ut intelligere est ex *Æliano* Var. Hist. lib. 1. cap. 22. *Occabo* igitur sive armillis, fortasse aureis & pretiosis, donatus fuit Q. Sammius, ob peculiarem aliquam causam & meritum; quod sanè non aliud nisi ob admissa & adprobata mysteria taurobolica, tunc ab Æmilio Lugdunum inlata. Idem de corona dicendum. Quamvis enim Sacerdotes coronati sacris operarentur, Sammium tamen coronam, honorarii instar, accepisse res ipsa demonstrat. Datas verò coronas, in præmium & ob merita, nemo est qui nesciat.

Putavit Amicus eruditus *Occabum* esse cultrum, quo Taurus in sacrificio immolabatur, illumque ipsum, qui sculptus cernitur in latere dextro nostri lapidis donatum Sammio, in signum facti Taurobolii: nam apud *Ducangium*, in Glossario Latinitatis, *occare* est sacrificare, quòd qui immolant animalia, ea *occent*, id est, secent ac scindant. Sed cùm apud *Hesychium*, veram ac germanam *occabi* significationem habeamus, nequaquam ea deducenda est à vocabulo sequioris sæculi & è longinquo per derivationem petito; & Auctor quidem Inscriptionis græcissare amavit, ut ex aliis Græcanicis vocibus apparet. In Galliis verò plura Græca vocabula fuisse usurpata aliunde constat. Ceterùm non ambigo cultrum inscriptum aræ illius figuram designare, quo fuerat mactatus Taurus. *Venabulum* appellat *Prudentius**:

Hic ut statuta est immolanda belua,
Pectus sacrata dividunt venabula.

APP.

* *Vers.* 1029. *Hymni* X. *ubi Passio* Romani.

APP. ANNIO. ATILIO. BRADVA. T. CLOD. VIBIO. VARO. Omnia hæc gesta sub his Consulibus, scilicet anno U. C. 913. Æræ Vulgaris CLX. Antiquissima Inscriptio Taurobolica, quæ quidem nota esset, signata fuerat Coss. Pollione II. & Appio II. hoc est, anno CLXXV. quam hæc nostra quindecim annorum ætate superat; atque hoc etiam titulo pretium ejus elucet. Præterea raritatem auget nota Consulum, quâ Fasti vulgares corriguntur & supplentur; præferunt enim APP. ANNIVM. BRADVAM. & T. VIBIVM. BARVM.

A

L. D. D. D. Passim in Saxis hæc formula occurrit, quæ legenda est, *locus datus Decurionum decreto*; locus scilicet statuendi aram.

B

CVIVS. MESONYCTIVM FACTVM. EST. V. EID. DEC. Verba hæc sintne referenda ad tempus mediæ noctis, quo factum fuit Taurobolium; vel potiùs quo significatum imperium Deûm Matris, per somnium, haud facile est divinatu. Sanè in Taurobolicis Inscriptionibus, non tantùm annum, sed diem quoque suscepti Taurobolii adnotatum observamus. At nocte peracta fuisse sacrificia taurobolica, nec usquam invenimus, nec credibile est, nam Diis Inferis sacrificia quidem noctu fiebant, de superis me legisse non memini; quidquid sit de mysteriis quibusdam, ut putà Bachanalibus, Eleusiniis, & Bonæ Deæ. Præterea *Prudentius* qui minutim Sacra Taurobolica describit, nihil habet de tempore nocturno, quod certè non tacuisset, ut horrorem nefarii sacrificii augeret. Imò de die factum manifestò indicat; nam Pontificem, suscepto Taurobolio, sanguine Tauri undequaque perfusum & inquinatum processisse narrat, ostentantem udum verticem & barbam & vittas madentes, quem omnes salutarent & adorarent eminus. Quæ nonnisi interdiu posse contingere facilè intelligimus. Versus Christiani Poëtæ apud ipsum legere poteris. Insuper in Saxo Lactoratensi, quod suprà produxi, Taurobolium dicitur * *publicè factum*, non ergo inter profundæ noctis tenebras. Quare *mesonyctium* aptiùs omnino refero ad tempus, quo Mater Deûm Æmilio Taurobolium imperavit; siquidem sub mediam noctem à Diis somnia mitti credebantur, ut de Romulo, se per visum, ne Græcos versus faceret, admonente narrat *Horatius* lib. I. sat. 10.

C

— — vetuit me tali voce Quirinus,
Post mediam noctem visus, cùm somnia vera.

Ovidius itidem tunc somnia vera esse testatur:

D

—— mediæ sub temporis noctis,
Tempore, quo cerni somnia vera solent.

Sensus igitur inscriptionis erit, *cujus* Matris Deûm *mesonyctium*, hoc est, apparitio, seu visio medinoctiana, ut ita dicam, *facta est* V. *Id. Decembres*. Cùm videamus in Saxis taurobolicis aliquando consignatum tempus suscepti Taurobolii, aliquando etiam consecrationis aræ; placuit Æmilio neutrum memoriæ tradere, sed tempus imperati per somnium Taurobolii. Caussam verò alii quærant.

Hæc habebam, quæ tibi offerrem, Vir ornatissime. Plura fortasse & meliora à me exspectabas. Sed præter ingenium, quoque defuit, quo possem argumentum & spem tuam cum dignitate implere. Scis me in eo munere esse, quod jure suo sibi bonas horas postulat, & jam diu me ab hisce studiis discessionem facere coëgit. Præterea & librorum inopia, quâ hîc præcipuè laboramus, penitiores eruditionis aditus ingredi prohibuit. Et sanè ob has difficultates, parùm abfuit quin lapidem è manibus abjicerem. Sed vicit humanitas tua, quæ me ad opus suscipiendum ita omni officiorum genere illexit, ut etiam insperata tentare compulerit. Quare si res malè cessit & præter opinionem, quam de me liberaliorem ex amore concepisti, in te unum culpa est referenda. Quæcumque verò hæc sint, boni consulas, & conantem utcumque grato animo prosequaris. Vale.

* Potest etiam notare, *sumtibus*, aut *jussu Reipubl.*

FINIS.

P. D. PURPURINI A FAVENTIA,

CÆLESTINORUM ORDINIS S. BENEDICTI SECRETARII,

AD

KALENDARIUM ROMANUM

AMITERNI EFFOSSUM

MINUSCULA COMMENTARIA.

LUDICRUM GENIALE

EMINENT. ET REVEREND. PRINCIPI, ET DOM.

CAROLO

CARDINALI BARBERINO,

URBINI LEGATO, AC EORUNDEM CÆLESTINORUM VIGILANTISSIMO PROTECTORI.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub 5. Februarii 1680. fuit dictum, quòd R. P. Carolus Lombardus Congregationis Oratorii revideat, & in scriptis referat ejusdem Congregationis.

Stephanus Menatto Vic. Gen.

Joseph Imperialis Soc. Jes. Theol. Eminent.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOM.

OPusculum, cujus titulus, *Ad Kalendarium Amiterninum* &c. *Commentaria*, *Auctore A. R. P. D. Purpurino à Faventia Congregationis Cælestinorum*, Te jubente à me perlectum, cùm nil habeat, quod Catholicæ veritati aut bonis moribus adversetur, imprimi posse censeo, si Eminentiæ Tuæ placuerit. 28. Februarii 1680.

Eminentiæ Tuæ Reverendissimæ

Humillimus atque addictissimus servus

Carolus Lombardus Congregationis Oratorii Deputatus.

IN Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 21. Martii 1680. fuit dictum, quòd stante relatione Revisoris imprimatur.

Stephanus Menatto Vic. Gen.

Joseph Imperialis Soc. Jes. Theol. Eminent.

EXCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. D. Purpurino di Faenza Monaco di S. Benedetto della Congregatione Celestina supplicando dice à Vostra Eccellenza, come desidera dare alle Stampe un Operetta, intitolata, *Ad Kalendarium Romanum Amiterni nunc S. Vittorino in Vestinis effossum minuscula Commentaria.* Per tanto supplica l'Eccellenza Vostra ordinare la revisione à chi meglio le parerà, che l'haverà à gratia, ut Deus.

Reverendus Pater D. Thomas Caracciolus ejusdem Ordinis videat, & in scriptis referat.

Galeota Reg. Carillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Provisum per S. E. Neap. die 11. Decembris 1679.

Comus.

EXCELLENTISS. DOMINE.

ERuditum Opusculum, cui titulus, *Ad Kalendarium Romanum Amiterni nunc S. Vittorino in Vestinis effossum minuscula Commentaria*, admodum Reverendo Patri D. Purpurino à Faventia Congregationis Cælestinorum plausibili in hastria lucubratum ex commissione Excellentiæ Tuæ à me accuratè revisum, utpote undique commendabile, ac in nullo Regiæ Jurisdictioni adversum repertum, Typis dignissimum censeo. Ex Monasterio SS. Severino, & Sossii die prima Januarii 1680.

Excellentissimæ Dominationis Tuæ

Addictissimus Servus

D. Thomas Caracciolus Cassinensis.

Visa supradicta relatione, imprimatur, & in publicatione servetur Regia Pragmat.

Galeota Reg. Carillo Reg. Calà Reg. Soria Reg.

Provisum per S. E. Neap. die 18. Januarii 1680.

Comus.

D. Abundius Gutius à Faventia Abbas S. Spiritus de Murrone, ac Præsidens Generalis totius Congregationis Cælestinorum Sancti Benedicti.

CUm librum à R. P. D. Purpurino Baroncino nostro à Secretis compositum, & inscriptum, *Ad Kalendarium Romanum Amiterni*, &c. duo ejusdem nostræ Congregationis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus ut Typis mandetur, si iis ad quos spectat ita videbitur. In quorum fidem has litteras nostra manu subscriptas, sigillo nostro munitas dedimus. Datum in nostra venerabili ac Regia Abbatia S. Spiritus de Murrone prope Sulmonem. Die 4. Novembris 1679.

D. Abundius Gutius à Faventia Abbas Generalis Cælestinorum.

Loco Sigilli.

D. Carolus Ciccarelli Abbas de mandato.

Reg. fol. 77.

E M I-

EMINENTILSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS.

Ex antiquis Amiterni ruderibus obſervantiæ meæ erga Té Principem Eminentiſſimum erupit materia. Semikalendarii Romani Tabula eſt, quam ſequens oſtendit pagella, quamque ego inter aſſiduas mei muneris curas, pro geniali levamine, auſus ſum minuſculis illuſtrare Commentariis. Qualecunque ſit opus, Eminentiæ Tuæ litatur. Datur Fortunæ Cæleſtinorum à minimo inter Cæleſtinos oblatio. Sanè munus tantillum Maximo Principi. Verùm ne tibi ſit ſtomacho, Oceanus, & Maximus, parvulos excipit rivos. Vale. Ex Regali Murronenſi Abbatia 9. Decembris 1679.

Eminentiæ Tuæ

Humillimus Servus,

D. Purpurinus à Faventia Cæleſtinorum Secretarius.

P. D. PURPURINI A FAVENTIA,

CÆLESTINORUM ORDINIS S. BENEDICTI SECRETARII,

AD

KALENDARIUM ROMANUM AMITERNI,

NUNC VULGO *S. VITTORINO IN VESTINIS, EFFOSSUM*

Minuſcula Commentaria.

Antequam ad *Kalendarium hoc Amiterninum* Commentariorum aggrediamur Provinciam, operæ pretium eſſet, quid ſecum ferant *litteræ laterales ſcilicet*, A. B. C. D. E. F. G. H. quæ tonſis caracteribus in ipſo ſpectantur, animadvertere. Verùm hoc agentes, non ne eſſet iterum, jam ſat tritum iter ab viris maximis, ignobili tramite recalcare, auresque Eruditorum anilibus quaſi implere dicteriis? Non hic ego, quæ ab aliis luculenti calamo ſcripta, exſcribo; neque ut paginas impleam, aliorum laboribus illas ditare contendo. Hæc prima Kalendariorum elementa neſcientes, ab Magiſtris antiquitatum diſcant, ut dicant. Adeant Joannis Stoffler, Gyraldique locupletiſſima *Kalendaria*, Joſephum Scaligerum *de emendatione temporum* libro primo, titulo *de menſibus*, & lib. 5. titulo *de biſexto ab Auguſto correcto*, attentè conſiderent: & ſi quid, pro Hieroglyphico ſenſu, illis in litteris A. B. C. D. E. F. G. H. (A) ulteriùs exoptant, Bongii aureum ſanè * opus *de myſteriis numerorum* conſulere ſtudeant. Fontes habebunt, quibus ſitis erudita depereat; Gymnaſiaque ingredientur, à quibus ignavia pulſetur. Super hoc ego, ſcribendo, reſudare dedignor. His, ob monitum, prægustatis, ad alias *Notas*, quæ ibidem, prout præcedens Tabula oſtendit, à Lectoribus obſervantur, optumum eſt, quòd explanatiunculâ progrediamur. Notæ ſunt quas hîc vides N. NP. C. F.P. EN. EID. quomodo hæ legi debeant Paullus Diaconus in ſuo de *Romanorum Notis* libello, Eques Sertorius Urſatus itidem in locupletiſſimo de (B) iiſdem *Notis* volumine, Aldus Manutius in tractatu de *dierum veterum ratione*, Goltzius in *Kalendario*, demumque ſuper cæteros, anteſignanus rerum antiquarum Macrobius lib. primo cap. 16. *Saturnal.* ſat ac ſuper abundè viam aperuere curio-

* Poſtrema editio prodiit Pariſiis 1618. 4o. ſub hoc titulo, PETRI BUNGI *Bergomatis Numerorum myſteria ex abditis plurimarum diſciplinarum fontibus hauſta*, &c.

curiosis. Ne tamen & super hoc correpto calamo decurramus, aliquid ex ipsis Scriptoribus non incongruum erit legenti deposcere. Macrobium scribentem hæc ibidem audiamus: „ Sed quia nos ad commemorationem dierum ordo deduxit: de hoc quoque, quod Hori nostri consultatio continet, pauca dicenda sunt. Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit, diesque omnes aut Festos, aut Profestos, aut Intercisos vocavit. Festi Dis dicati sunt; Profesti hominibus ob administrandam rem privatam publicamque concessi; Intercisi Deorum hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ; Profestis Fasti, Comitiales, Comperendini, Stati, Præliares: Intercisi inter se non in alia dividuntur: illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est jus dicere; nam cùm hostia cæditur, fari nefas est: inter cæsa & porrecta fari licet. Rursus cùm adoletur non licet. Sacra celebritas est, vel cùm sacrificia Dîs offeruntur; vel cùm dies divinis epulationibus celebratur, vel cùm ludi in honorem aguntur Deorum, vel cùm feriæ observantur. Feriarum autem publicarum genera sunt quatuor: Aut enim stativæ sunt, aut conceptivæ, aut imperativæ, aut nundinæ; & sunt stativæ universi Populi communes certis & constitutis diebus ac mensibus; & in Fastis statis observationibus annotatæ; in quibus præcipuè servantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ sunt, quæ quotannis à Magistratibus vel à Sacerdotibus concipiuntur in dies certos, vel etiam incertos: ut sunt Latinæ, Sementivæ, Paganalia, Compitalia. Imperativæ sunt, quas Consules vel Prætores pro arbitrio potestatis indicunt. Nundinæ sunt Paganorum, itemque Rusticorum; quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, ut familiæ Claudiæ, vel Æmiliæ, seu Juliæ, sive Corneliæ; & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observat. Sunt singulorum, ut natalium, fulgurumque susceptiones, item funerum, atque expiationum: apud Veteres quoque qui nominasset Salutem, Semoniam, Sejam, Segetiam, Tutilinam, ferias observabat. Item Flaminica quotiens tonitrua audisset, feriata erat, donec placasset Deos. “ Et paullò pòst: „ Hæc de Festis, & quæ inde nascuntur, qui etiam Nefasti vocantur; nunc de profestis, & qui ex his procedunt, loquemur, id est; Fastis, Comitialibus, Comperendinis, Statis, Præliaribus. Fasti sunt; quibus licet fari Prætori tria verba solemnia, DO. DICO. ADDICO. His contrarii sunt Nefasti. Comitiales sunt, quibus cum Populo agi licet; & Fastis quidem Lege agi potest, cum Populo non potest; Comitialibus utrumque potest. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui judicii causâ cum peregrino instituuntur. Hæc Macrobius.

Ex hac lectione, facile jam erit intelligere, quid præfatæ Notæ, scilicet

N. NP. C. F. P. EN. EID.

præ se ferant; quarum si quis clariorem faciem exquirit, à nobis præcitatum Aldum Manutium adeat, *de dierum veterum ratione*, à quo sat erudietur. Hoc igitur prægustato, *Notæ* sic leguntur:

N. NEFASTUS.

NP. NEFASTUS PRIMO, sive NEFAS PRÆTORI, ex Aldo, & benè nempe, *Nefas Prætori dicere tria verba*, de quibus superiùs.

C. COMITIALIS.
F. FASTUS.

EN. INTERCISUS. legebatur namque E. antiquitus pro I. idemque fuit, ac dicere ENDOTERCISUS pro INTERCISO. Vide Goltzium in *Thesauro rerum antiquarum*.

EID. IDIBUS. juxta lectionem antiquam EI. pro I. ferentem, sicut & *Endo* pro *In*, ut optimè notant antiquitatis degustatores; hinc Cicero libro 2. *de Legibus*, *Quos endo cælum merita receperunt*, pro *in cælum*. Et Varro libro 3. *de Re Rustica*, *Endo suam domum*; pro *In suam domum*.

Restant postremò duæ aliæ litteræ PR; quæ die sexta Julii, decima quarta ejusdem, & si per ordinem in Kalendario hoc aliisque leguntur, quarum sensus est PR. *Pridie*. Hoc præmisso, Kalendarii cetera Commentariis jam aggrediamur; sitque ordo, qualis quolibet in Mense ordo ipse deducit.

J U L I U S.

DE *Ara* hac *Pacis* nullus adhuc, quem legerim, agit. Non *Tacitus*, non *Suetonius*, non *Panvinus*, non *Bellengerius* *, non *Dempsterus*, nullus tandem. Fælicioribus nihilominus in hujus *Aræ* adinventione veritatem cùm adinvenerint, sileo. Certum est Kalendaria omnia de hac *Ara Pacis* silere. Unus Rosinus; lib. 2. cap. 18. *Antiquitatum Romanarum*; apertè scribit, quòd *fuit & Ara Pacis Romæ*. Sed quo in loco, silet. Veritatem investigaturi, pro viribus, figamus ligonem.

Aras solitos fuisse Antiquos pro qualibet seu fortuna, seu Principis salute, vel reditu, vel Reipublicæ adepto bono, vel exercitus expeditione excitare, sat clarum est Priscorum historias legentibus: unde hîc scita repetere non opus. Pætonione, lecturi Aræ unius Inscriptionem, sistamus gressum. En:

PRÆPOSITO. JOVI. S. TRIB. COH. X.
PRÆT. CVLTOR. NUMINIS. IPSIVS
PROFICISCENS. AD. OPPRIMENDAM
FACTIONEM. GALLICANAM. IVSSV
PRINCIPIS. SVI. ARAM. ISTAM
POSVIT.

Alteramque in Bavaria, referente Wolfgango Lazio *Commentariorum Reip. Romanæ* lib. 6. cap. 1.

NVNC. R. ET MINERV. SAC. CENO
COH. III. BRIT. ARAM. ET. FL. FELIX
PRÆF. EX. VOTO. POSVIT. L. M. DEDICA
VIT. KALEND. DEC. GENTIANO. ET
BASSO. COSS.

Hoc est, *Nunc Romæ & Minervæ Censor*, (puto enim mendum CENO, posito O pro S) *Cohortis* III. *Britannicæ*, *Aram*, *& Flavius Felix Præfectus ex voto posuit loco monumenti dedicavit.*

Kalen-

1 FER. EX. S. C. QUOD. ARA. PACIS. AUG. IN. CAMP. MAR. CONSTITU. FAX. SI. NERONE. ET. VARO. COS.

Hujus notulæ lectio talis est, Feriæ ex Senatu Consulto, quod Ara Pacis Augustæ in Campo Martio constituta fax sit, Nerone & Varo Consulibus.

* Rep. *Bulengerus.*

Kalendis Decembris, Gentiano & Basso Consulibus. Longiora de *Ararum* excitatione qui cupit, Rosinum adeat lib. 1. *de Rom. Antiq.* Panvinum, Alex. Neap. aliosque. Hic importuna narratio. *Aræ* nomen ab *ardendo*, quòd in ea victimæ incensæ ardeant. Verba dedicationis *Ararum* recitantur à Georgio Fabritio lib. 1. *Antiquit.* hoc modo: *Juppiter. optime. maxime. quandoque. hodie. tibi. hanc. Aram. dabo. dedicabo. que. solis. legibus. ollisque. Regionibus. dabo. dedicabo. quas. hic. hodie. palam. dixero. uti. infimum. solum. hujus. Aræ. est. Si. quis. hic. hostia. sacrum. faxit. quod. in. augmentum. ne. protollat. Idcirco. tamen. probe. factum. esto. Cæteræ. leges. hujus. Aræ. eædem. sunto. quæ. Aræ. Dianæ. sunto. in. Monte. Aventino. dedicatæ. Hisce. legibus. Hisce. regionibus. sicuti. dixi. Hanc. tibi. Aram. Juppiter. optime. maxime. dico. dedicoque. uti. sis. volens. propitius. mihi. Collegisque. meis. Decurionibus. Colonis. Incolis. Coloniæ. Martiæ. Juliæ. Saloniæ. conjugibusque. liberisque. nostris.* Hoc sit ad Curiosorum edulium. Nunc ad *Aram* nostram *in Campo Martio excitatam.*

Quod hîc demiror; est; *in Campo Martio Aram Pacis* exstructam, ubi bellica exercitia agebantur, dicente Dionysio lib. 5. *Hist. Roman.* Is nempe Campus Martius; *jam antè Marti sacer erat, pratum equis, & juventuti in armis exercendæ accommodatum.* An-ne ut manifestum faceret Roma, se æquè ad certamina pacemque paratam? Non * hic; quoniam messis deficit, conjecturæ serviamus: in rebus enim antiquis aliquando per densam caliginem, *Conjecturarum* face est utendum.

In Campo Martio; pro se suisque tumulandis, ab Augusto Mausoleum fuisse constructum, non rudera tantùm, verùm & pars grandis in *Fioravantum Domo* pro testimonio sese peregrinorum exhibet oculis. Ego inter alios lustravi; humanique fastus illachrymatus sum funera; quòd dum æterna cineribus nostris receptacula procuramus, in opere tempus virtutemque laxemus. Sepulchrum Augusti à Strabone, de sepulchris in *Martio Campo* excitatis, ita describitur: „ Quorum omnium præclarissimum est „ Mausoleum, agger ad amnem supra sublimem albi lapidis fornicem congestus, & ad „ verticem usque semper virentibus arboribus „ coopertus. In fastigio Statua Augusti Cæsaris; sub aggere loculi ejus, & cognatorum, „ ac familiarium. A tergo Lucus magnus ambulationes habens admirabiles. „ Inter cætera; quæ Augusti munificentia ad suum Mausoleum in Martio Campo insigniùs ornandum erexit; obeliscus enumeratur his verbis à Plinio *lib. 9. cap. 10.* „ Ei qui est in Campo Martio „ Divus Augustus addidit mirabilem usum ad „ deprehendendas Solis umbras, dierumque ac „ noctium magnitudines strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die sexta hora, paulatimque per „ regulas (quæ sunt ex ære inclusæ) singulis „ diebus decresceret, ac rursus augesceret, digna „ cognitu res & ingenio fæcundo. Manlius „ Mathematicus auratam pilam addidit, cujus „ vertice umbra colligeretur in semetipsam. Pro basi autem tanti obelisci, Marliano adserente, hæc legebatur Inscriptio:

CAESAR. DIVI. F. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAXIMVS. IMP
XII. COS. XI. TRIB. POT
XIV. AEGYPTO. IN. POTESTATEM
POPVLI
ROMANI REDACT
SOLI. DONVM. DEDIT

* Videtur leg. *Nos*,

A Si ergo Augustus, post devictum Antonium; totumque Orbem in pace pacatum; victoriarum suarum Soli monumenta in Campo Martio sacravit; an-ne absonum ab vero videbitur; & ibidem PACIS ab illo Orbi reductæ; quòd Senatus *Aram* neglexerit excitare, de qua nostrum *Amiterninum Kalendarium*? Neque hæc prima *Pacis* monumenta in Campo Martio fuere. Scribit enim T. Livius *lib.* 10. *decadis* 4. *Idem*, nempe M. Æmilius Lepidus Censor, *dedicavit ædem Larium Permarinum in Campo. Voverat enim annis* XL. *antè L. Æmilius Regillus navali prælio adversus Præfectos Regis Antiochi;*
B *supra valvas Templi tabula cum titulo hoc fixa est: Duello magno Regibus dirimendo caput subigendis, patrandæ Pacis hæc, pugna exeunti, L. Æmilius.* Apertè loquor; *Ara Pacis* in *Campo Martio* excitata, post Victoriam Antonianam; Parthosque pacatos, locum habuit.

Meæ opinioni ridet illud (AUGUSTÆ) in *Kalendario* notatum: Aulum Gellium audiamus *lib.* 14. *cap.* 7. *In Curia Hostilia, & in Pompeja, & in Julia cùm profana ea loca fuissent; Templa esse per Augustum constituta; inde derivatum, ut Templa Sancta, Augustaque, id est, Augurio consecrata dicerentur.* Ovidiumque lib. 4. *Fastorum*:
C

Sancta vocant Augusta Patres; Augusta vocantur
Templa; Sacerdotum ritè dicata manu.

Si ergo ab Augusto, *Augusta Templa*, ac quælibet res augurio dicatæ, mehercle *Ara Pacis* in *Campo Martio* ex Senatusconsulto excitata est, posteaquam Augustus, antea *Octavianus*; tali cognomine est insignitus. Hoc autem accidit post devictum Antonium, Ægyptumque in Provinciam redactam. Plaudenti itaque in *Augusti Nomen* universo Orbi, suos ipse Senatus Consultus adjunxit, & plausus: scilicet *Aram Pacis*, sub
D *Augustæ* nomine consecrans: quod non fecisset antea, (bellis undique fervescentibus) nec Octaviano *Augusto* nomini nondum adscripto.

Patet insuper ex tempore; quo *Kalendarium Amiterninum* excisum est: siquidem inter *Augusti Tiberiique* tempora in actum, ut cognoscere est ex ipsiusmet *Kalendarii* fastis nefastisque diebus.

Neque inusitata *Ararum* excitatio in *Augusti* nomine, consultante Senatu. Ipsemet Augustus; dum adhuc ageret inter vivos, admisit; Virg. *Ecloga* 1.

Namque erit ille mihi semper Deus: illius Aram
E *Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.*

Ad hoc Servius: *Semper, id est, post mortem, & dum vivit. Alii Imperatores post mortem in numerum referuntur Deorum, Augustus Templa vivus emeruit.* Immo & voluit, scribente Tac. lib. 1. *Annal. Nihil Deorum honoribus relictum, cùm se templis & effigie Numinum per Flamines & Sacerdotes coli vellet.* Hinc Prudentius lib. 1. *contra Symmachum*:

——— ——— ——— *Flamine, & Aris*
Augustum coluit, vitulo placavit & agno.
F *Testantur tituli, produnt Consulta Senatus,*
Cæsareum, Jovis ad speciem, statuentia templum.

Et Horatius lib. 3. *Carmin.* od. 5.

Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare, præsens divus habebitur
AUGUSTUS, *adjectis Britannis*
Imperio, gravibusque Persis.

Unde

Unde postea derivatus mos cæteris Cæsaribus, ut & vivi Dii dicerentur. Hinc Seneca lib. *de Tranquillitate Animi* cap. 4. *de Caligula* loquens: *Nec jam procul erat tumultu, in quo Cæsari Deo nostro fiebat quotidianum Sacrum.* Restet igitur conclusioni; *Aram* PACIS AUGUSTÆ, ob *Augusti Victorias*, à quibus reddita Pax Orbi Romano; erectam fuisse ex S. C. Quapropter, aliorum fœdissimas sequutus adulationes idem, qui suprà, Horatius *lib. 2. epist. 1.* cecinit:

Præsenti tibi maturos largimur honores
Jurandasque tuum per Nomen ponimus ARAS.

Super has historicas conjecturas conveniunt, ut visum est, tempora; finita bella ab Augusto; pax Orbi reddita; mosque dicandarum eidem Ararum, quarum unam Narbonensem hîc adfero Lectorum curiositati:

T. STATILIO. TAVRO
L. CASSIO. LONGINO
COSS. X. KAL. OCTOBR.

NVMINI. AVGVSTI. VOTVM.
SVSCEPTVM.

A. PLEBE. NARBONENSIVM. IN. PERPETVVM. QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIXQVE. SIT. IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO P. P. PONTIFICI. MAXIMO. TRIB. POTESTATE. XXXIV. CONIVGI. LIBERIS. GENTIQVE. EJVS. SENATVI. POPVLOQVE. ROMANO. ET. COLONIS. INCOLISQVE. C. I. P. N. M. QVI. SE. NVMINI. EJVS. IN. PERPETVVM. COLENDO. OBLIGAVERVNT. PLEBES. NARBON. ARAM. NARBONE. IN. FORO. POSVIT. AD. QVAM. QVOTANNIS. VIII. CAL. OCTOB. QVA. DIE. EVM. SECVLI. FELICITAS. ORBI. TERRARVM. RECTOREM. EDIDIT. TRES. EQVITES. ROMANI. A. PLEBE. ET. TRES. LIBERTINI. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. COLONIS. ET. INCOLIS. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EJVS. THVS. ET. VINVM. DE SVO. EA. DIE. PRÆSTENT. ET. VIII. KAL. OCTOBR. THVS. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. ITEM. PRÆSTENT. KAL. QVIQVE. JANVAR. THVS. ET. VINVM. COLONIS. ET. INCOLIS. PRÆSTENT. VII. IDVS. JANVAR. QVA. DIE. PRIMVM. IMPERIVM. ORBIS TERRARVM. AVSPICATVS. EST. THVRE. VINO. SVPPLICENT. ET. HOSTIAS. SINGVL. IMMOLENT. ET. COLONIS. INCOLISQVE. THVS. VINVM. EA. DIE. PRÆSTENT.

ET. PRIDIE. KAL. IVNIAS. QVOD. EA. DIE. T. STATILIO. TAVRO. M. ÆMILIO. LEPIDO. COSS. IVDICIA. PLEBIS. DECVRIONIBVS. CONIVNXIT. HOSTIAS. SINGVLAS. IMMOLENT. ET. THVS. ET. VINVM. AD. SVPPLICANDVM. NVMINI. EJVS. COLONIS. ET. INCOLIS. PRÆSTENT.

EXQVE. IIS. TRIBVS. EQVITIBVS. ROMA. LIBERTINIS. VNVS..........

Cæterùm, quoad *Pacis Aras*, mos itidem inolevit, & Principum Domus PACI *Aras* exstruere. Indicat hæc Romæ Farnesiana Inscriptio:

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG.
LIBERORVMQ. EIVS
SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR

Immò & ipsiusmet Augusti altera PACI Inscriptio; & quis scit an illius *Aræ*, de qua nostrum Amiterninum Kalendarium? Ego dicerem quòd sic. Romæ visitur in adscensu Capitolino quadam in Domo. Legatur: recitat illam Aldus Manutius in sua *Orthographia* pag. 586.

PACI. AVGVSTI
SACRVM
L. CAECILIVS. TAVRIFERVS.
TARQVINES
C. PORTVMIVS. PHOEBVS. II.
L. SILIVS CARPVS
L. STATIVS. PATROCLVS. II.
D. NOVIVS. PRISCVS
P. SVILLIVS. CELER
TI. CLAVDIVS. HERMETIS. L. HELIVS
P. AGRASIVS. P. F. MARCELLVS
CVRATORES. TRIB. SVC. IVNIOR.
S. P. DD.
PERMISSV. MARECINI. CLEMENTIS

Ex alio latere:

PONEND. CVRAVIT
L. FAENIVS. EVANTHES. IVNIOR

Interim qui majora his habet, proferat. Hæc ego pro viribus.

NP. [1] De Poplifugio hæc Varro l. 5. *de Lingua Latina*: „ Poplifugium videtur nominatum, quòd eo die repentè tumultu fugerit „ Populus. Non multò enim pòst hic dies, „ quàm decessus Gallorum ex Urbe, & qui tum „ sub Urbe Populi, ut Ficulneates, ac Fidenates, „ & finitimi alii contra nos conjurarunt. Rem clariùs, sacrificiumque in *Poplifugio* solitum Macrobius enarrat lib. 3. cap. 2. *Saturnaliorum*, occasione explicandi Verbum *Vitulari*: „ Hyllus, *inquit*, libro, quem de Dîs composuit, ait Vitulam vocari Deam, quæ lætitiæ „ præest. Piso ait Vitulam victoriam nominari: cujus rei hoc argumentum profert; quòd „ postridie Nonas Julias, re benè gesta, cùm „ pridie Populus à Thuscis in fugam versus sit, „ unde & Populifugia vocantur, post Victoriam certis sacrificiis fiat Vitulatio. „ Qui his majora desiderat, consulat Plutarchum in *Romulo*, ubi de *fuga Populi* aliquid aliud.

[2] Apud multos hujus Mensis prima dies Jovi agebatur, ac Junoni. *Amiterninis* tamen *Jovi* tantùm sub 4. mensis, Festus. Rationem exposcas à ritu cujuslibet civitatis: sicuti nostris in Kalendariis de uno Sancto una in civitate, de quo in altera nec commemoratio. Clariorem explanationem qui habet adferat. Exspecto, ut discam. Sumus in antiquis. Caligant oculi.

[3] Macrobius lib. 1. *Saturnal.* cap. 12. hæc habet: „ Sequitur Julius: qui cùm secundùm „ Romuli ordinationem, Martio omne * tenente principium, Quintilis à numero voca„ retur.

1 B. III. POPLIF. id est, Poplifugium. 2. GPR. N. FERIÆ. IOVI. LVDI AD OLL. IN COMIT. 3 A IV. NP. LVDI. FER. QVOD EO. DIE. C. CÆS. EST NATVS.

* Leg. *anni.*

retur. Nihilominus tamen etiam post præpositos à Numa Januarium ac Februarium, retinuit nomen; cùm non videretur jam quintus esse, sed septimus. Sed postea in honorem Julii Cæsaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Cos. Julius appellatus est: quòd hoc mense ad IV. Idus Quintiles Julius procreatus sit. „ Ob hanc igitur caussam hîc FERIÆ.

[1] De Ludis Circensibus nimium hic esset agere: consule Bellengerium *, Panvinum, aliosque. Teximus Commentaria, non docemus ad antiqua. Hoc unum sciendum, quòd ex Velabro per Forum ad Circum Pompæ ducebantur Circenses: Ovid. lib. 6. *Fast.*

Qua Velabra solent in Circum ducere pompas,
Nil, præter salices, crassaque canna fuit.

[2] In aliis Kalendariis sub Idibus hujus mensis MERK. ponuntur; hîc verò sub hac die. Actum hoc ritu Amiternino. Notæ illæ à variis variè leguntur, *Merkatalia*, *Merkurialia*, *Merkedonia*, & *Merkedina*. Joseph Scaliger *de Emend. temporum* lib. 2. tit. *de veteri anno Romanorum* pag. 177. „ Scribitur autem antiquitus Merkedonius, & Merkedinus per K. Neque mensem tantùm Merkedonium, aut Merkedinum, sed & dies Merkedinos fuisse constat ex Festo. Ii dies in veteri Kalendario Romano signati sunt MERK. ut prid. Eid. Julii, & aliquot sequentibus diebus: item XII. Kalend. Octob. & sequentibus diebus: denique XIIII. Kalend. Decemb. & sequenti biduo. Dicti à DEA MERKEDONA, quæ præerat mercedibus & pensionibus solvendis: ut apparet in mense Julio, in quo inquilini † pendebant & migrabant ex ædibus in alias. Similiter in Teutonismo Zinstag, dies Mercedonius, dies census. In veteribus Glossis: Mercedonius, qui solvit mercedem. „ Scribit Rosinus lib. 4. *Rom. Antiq.* cap. XI. quòd durabant hi sive Merkatus, sive Merkurialia usque ad XIV. Kal. Sept. Apud Romanos credo. Secus in *nostro Amiternino Kalendario*, ut videre est. Quod autem spectat ad

Dies Allienses. Dies ii, *Atri Romæ*. Dicti *Allienses*, quòd in illa Tribuni Militum Legiones ad Alliam fluvium educentes, à Gallis victi sunt, Urbemque amiserunt. Vide Livium *lib.* 5. Macrob. lib. 1. *Saturnal.* cap. 6. De hac die scripsit Cic. *ad Atticum* lib. 19. epist. 4. Diodorus Siculus *lib.* 14. qui tamen falsò hanc pugnam *Alliensem* trans Tiberim factam refert in Etrusco solo, cùm ex Livio ‡. De *Allia* hæc Virgilius *Æneid.* 7.

Quosque secans infaustum interluit Allia nomen.

Super hoc Servius: *Allia fluvius haud longè ab Urbe est: juxta quem Galli, Brenno Duce, decimo quinto Cal. Augustarum die deleto exercitu, post triduum deleverunt etiam Urbem excepto Capitolio.* An scribendus duplici LL. sequitur idem: *Sanè Allia additum est* L. *propter metrum.* Hic fluvius modò dicitur *Rio di Mosso*; ita Cluverius lib. 2. cap. 9. *Italiæ Antiq.*

[3] Nempe, *Lucaria.* Nectitur hæc notula, hicque dies cum superiori *Alliensi*: nam, ut inquit Sextus Pompejus, *in luco colebant Romani,*

1 B. III. C. LUDI. IN. Circo: 2 E. XVII. C. MERK. DIES ALLIENSIS. 3 H. XIV. Lucar. NP.

* Rescr. *Bulengerum.* † Rep. *τὸ ἐνοίκιον* quod omissum.

‡ Hîc videtur aliquid deesse.

A (diem hunc) *qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit; pro eo, quòd victi à Gallis, fugientes è prælio, ibi se occultaverunt.* Huic tamen lectioni contrarius est Varro lib. 5. *de Lingua Latina*, adserens, *Lucaria*, à luce dicta: scilicet *quòd propter lucem* (libertatis gloriæque amissam) is cultus institutus. A *Lucaribus* autem *Lucar*; pretium nempe, ut ait Festus, *quod ex lucis captatur.*

[1] Comitialis hic dies, Ludisque insignis ob victoriam *Cæsaris.* Sed cujusnam *Cæsaris*? *Augusti*, an *Julii*? Videtur potius, quòd *Augusti*: nam si ob victoriam Julii id actum est, in Ka-
B lendario scriberetur ob *Victoriam Divi Julii Cæsaris*; non autem ob *Victoriam Cæsaris Divi Julii*: nunquam enim hoc invenies. Quum enim de *Julio* agebatur, antea *Julius*, inde *Cæsar* scriptum legimus: hoc est, post *gentilitium nomen Juliorum, cognomen Cæsaris adpositum.* Legenda ergo Notula Kalendarii sic: Ob *Victoriam Cæsaris*, scilicet, *Augusti*, *Filii Divi Julii Cæsaris.* Hæc germana lectio. Adde quòd de *victoria* C. Cæsaris agebatur memoria sub XI. Kalend. Maji, dicente Dione lib. 43. *Romanarum Historiarum*, quòd, *C. Julio Cæsare ex bello Hispaniensi Romam revertenti decretum inter alios honores à Senatu etiam*
C *hunc esse, ut Parilibus Diis immortalibus sacra fierent non ob eam causam, quòd is dies Natalis Urbis esset; sed quòd nuncium de victoria Cæsaris pridie ejus diei sub vesperam allatus esset.* Igitur, *Ob Victoriam Cæsaris*, qui postea fuit Augustus, *Divi Julii filii de M. Antonio hi Ludi instituti.*

[2] De *Lucaribus* sat dictum: durabant etenim adhuc. Vide Alex. Neapolitanum in *Diebus Genialibus.* Sat in Julio. Majora his non dat nostrum *Amiterninum Kalendarium.*

D

AUGUSTUS.

[3] A Quo periculo? sanè sedata oppressaque seditione ab Lepido Messanæ excitata, post devictum Sex. Pomp. Magni Pomp. F. ob quam, nisi sollicitè fuisset oppressa, magnum periculum Reipublicæ parabatur. Lege luculentam hujus rei enarrationem apud Appianum Alex. lib. 5. *de Bello Civili*, & Macrobium lib. 1. cap. 13. *Saturnal.* hæc scribentem: „ Sed cùm sæpe eveniret ut nundinæ modò in anni principem diem, modò in Nonas caderent, (utrumque autem perniciosum Reipub. putabatur) remedium quo hoc averteretur exco-
E gitatum est, quod aperiemus; si priùs ostenderimus cur nundinæ, vel primis Kalendis, vel Nonis omnibus cavebantur; nam quotiens incipiente anno dies cœpit, qui addictus est nundinis, omnis ille annus infaustis casibus luctuosus fuit; maximéque Lepidiano tumultu opinio ista firmata est.

[4] Lege *Quirinali.* Templum hoc, sive Ædes, asserentibus Romanarum Antiquitatum Indagatoribus, ubi nunc Pontificale Palatium; nam Rufo & Victore scribentibus, *Summum collem occupabat Salutis Ædes.* Erat & ibi Civitatis Por-
F ta, *Salutis* dicta, ab *Æde Salutis*, ut ait Festus, *quòd ei proxima fuit.* De hujus Templi fundatione Livius in 10. *Ædem Salutis, quam Consul voverat*, nempe Junius Bubulus, *Censor locaverat,*

1 A. XIII. C Ludi Victor. Cæsar. Divi Jul. Comit.

2 B. XII. Lucar. NP. 3 E. K. AVG. NP. Feriæ EX. S. C. QVED IMP. CÆSAR. MR. I. F. REMPVBLICAM TRISTISSIMO PERICVLO LIBERAT.

4 A. NON F. Saluti in Colle.

verat, *Dictator dedicavit.* Picturis illustratum hoc Templum ab Fabio Pictore fuisse, scribit Plinius *lib.* 35. *cap.* 4. *Ipse Ædem Salutis* pinxit anno Urbis conditæ CCCCL. quæ pictura duravit ad nostram memoriam, *Æde Claudii Principatu exstructa.* Ait Livius *lib.* 8. *dec.* 3. quòd *Ædes Cereris*, *Salutis*, *Quirini de cælo tactæ.* De Feriis, quibus Dea *Salus* colebatur, consule Macrobium lib. 5. *Saturn.* cap. 15.

Dicebantur antiquitus *Dii Indigetes*, secundùm Lucretium, quòd nullius rei indigerent,

Nil indiga curæ.

Verùm hoc nimis latum; nam nullus ex Diis indiget. Hesiodus autem ait Indigetes esse ex hominibus Dii facti. Hæc apud Macrobium lib. 1. cap. 9. *de Somnio Scipionis*:

Indigetes Divi fato summi Jovis hi sunt:
Quondam homines, modò cum Superis humana tenentes,
Largi ac munifici, jus Regum nunc quoque nacti.

Verùm, quod mihi magis ridet, est Festi locus *lib.* 9. *Indigetes*, *quorum vulgari nomen non licet.* Ex his ergo *Sol*, cui *Indigetis* cognomen.

Ast cur nomen vulgari vetitum? Varii varia: Plutarchum audiamus; hæc ille in *Problematibus* 61 Problemate: „ Cur Deum illum, cujus in tutela Urbem esse dicunt, sive masculus is est, seu fœmina, & quærere, & nominare nefas esset? Hoc enim ita esse, religione confirmant, Valerium Soranum malè periisse, dicentes, quòd numinis nomen efferre ausus est. An quòd Latinorum quidam monumentis tradiderunt, evocationes quasdam, ac Deorum veneficia esse putaverunt: quibus quoniam ipsi hostium Deos evocare & ad se traducere consuevissent, ne idem ipsi paterentur, magnopere verebantur? Quemadmodum igitur Tyrii vincula statuis injiciunt, alii verò sponsores petere dicuntur, si quem ad lavacrum aut purgationem aliquam deducunt, sic Romani, quod arcanum & incognitum esset, firmissimam ac tutissimam Dei custodiam esse crediderunt. “ Hæc Plutarchus ad cognomen *Indigetis.* Templum hoc Solis ubi fuerit, varia inter Antiquarios disceptatio. Ex Quintiliano aliquid certi quæratur: ait *lib.* 1. *cap.* 5. *Ut in pulvinari Solis, qui colitur juxta Ædem Quirini, vesperum, quod vesperagionem dicimus.* Quid autem *pulvinar*? videbimus infrà.

Quod autem attinet ad *Ferias ob Cæsaris Victoriam Pharsalicam*; hoc non de C. Julio Cæsare, sed de Octaviano, postea Augusto, sentiendum. Dicitur C. Cæsar C. filius, ob adoptionem, ob quam ab *Octavia Gente* ad Juliam transitum fecit. Super hoc videatur meum Opusculum typis editum Faventiæ sub Anno 1672. inscriptumque *Galeria Cesarea aperta à gl' occhi eruditi*: ibi enim multa super hoc. *Victoria* autem Pharsalica acta reportataque contra Sex. Pompeium. Vide Appianum Alexandrinum lib. 3. *Belli Civilis*, Plutarchum in *Augusti Vita*, Lucanumque *de Bello Pharsalico*, quem semel ac iterum legisse non sat ob leporem.

[1] Nempe *Aræ* sitæ in Vico Jugario, qui ad pedes Capitolini excurrebat inter Portam Carmentalem, Forumque, ut Marlianus observat. Dictus fuit & *Thurarius*, his verbis scribente Varrone: *Vicus Jugarius, item & Thurarius, ubi sunt Aræ Opis & Cereris cum signo Vertumni.* Quid autem sub illo verbo *Aug*? nempe *Augustæ*: non quòd imaginem aliquam repræsentaret alicujus Augustæ Principis, sed ex reverentia, ut apud Gellium legimus *lib.* 4. *cap.* 7. „ In Curia Hostilia, & in Pompeia, & in Julia, cùm profana ea loca fuissent, Templa esse per Augustum constituta: inde derivatum, ut Templa Sancta, Augustaque, id est, augurio consecrata dicerentur. “ Et Ovidius lib. 4. *Fastorum*:

Sancta vocant Augusta Patres, Augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicanda manu.

Idem ergo *Augustum*, quod & *Magnificum*: quapropter Virgilius *lib.* 8. *Æneid.*

—— —— —— Augusta ad mœnia Regis
Ire jubet.

Et Corippus Africanus *lib.* 3. n. 11.

—— Augusti limina tecti.

Sacra *Cereris* ante Cannensem cladem Romæ agebantur. Hinc adserente Livio *lib.* 3. *dec.* 2. „ Quum ob cladem Cannensem Roma ita esset consternata, ut Sacra Cereris intermitterentur; ultra triginta dies luctus est vetitus, & sic minutus. “ Inter cætera autem, quæ litabant *Opi*, cui frater & conjux Saturnus, scribit Fulgentius lib. 1. *Mythologicor.* cap. 3. hoc præ aliis erat: „ Ut hi, qui ope indigerent, ad Asylum Cereris panem darent, quibus nunquam templum claudebatur. “ Vide Alex. Neap. lib. 6. cap. 8. *Genial. Dierum* cum Tiraquello: *Cereri autem lacte, vino, & melle sine victima sæpe litatum.* Consule eundem *lib.* 2. *cap.* 22. Sed quomodo *vino*? si hoc rigidè vetitum. Audiamus eundem ab Alexandro Alexandrum: *Vinum in sacris Cereris adhibere nefas est*, lib. 3. cap. 13. Verùm cape sententiam à Tiraquello ibidem: *Aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare, in quibus revera vinum adhibere nefas.* De *voto suscepto*, hoc est, facto, consule Cuspinianum *ad Consulatum Longini & Cretici.*

[2] Dicitur *Invictus*, quia de omnibus triumphavit, non tamen de seipso. Vide Opusculum nostrum inscriptum *Dissertationes Variarum* ad verbum ONPHALON: ibi multa Eruditorum super hoc curiositati. De *Ara ad Circum Maximum*, latè omnes Antiquarii; ipsos adeat curiosus, Virgilium præcipuè *Æneid.* 8. Hinc Ovidius lib. 6. *Fastorum*:

Altera pars Circi custode sub Hercule tuta est.

Et Victor: *Ædes Herculis Magno Custodi Circi Flaminii.* De Hercule invicto Variæ Inscriptiones. In Basilica Lateranensi:

HERCVLI. INVICTO
N. IVNIVS. CAESONIVS
NICOMACHVS. ANICIVS
FAVSTVS. PAVLLINVS

1 F. IV. NP. FERIÆ quod EO DIE ARæ Cereri MATRI, ET OPI AVGVSTÆ EX VOTO SVSCEPTO CONSTITVTÆ SVNT CRETICO, LONG. COSS.

2 HPR. C HERCVLI INVICTO AD CIRCVM MAXIM.

[1] In Hortisque Julii Galli: A

HERCVLI. SANCTISS
INVICTO. SACER
P. APVLEIVS. P. F. VOL
PATERNVS. MIL. COH. V. VIGIL
D. D.
DEDIC. V. ID. AVG
SEX. POMPEIO. ET
SEX. APVLEIO. COS

[2] Post celeberrimum ad se constructum Theatrum, Pompejus, inquit Tertullianus lib. *de Spectaculis*, „ veritus quandoque memoriæ suæ „ censoriam animadversionem, Veneris Ædem „ superposuit, & ad dedicationem edicto Po- B
„ pulum vocans, non Theatrum, sed Veneris „ Templum nuncupavit, cui subjecimus, in- „ quit, gradus spectaculorum.“ Dicta fuit *Venus Victrix*, ob Victoriæ Templum, quod ibidem sibi conjunctum: quapropter Gellius *l.* 10. *cap.* 1. „ Cùm Pompejus ædem Victoriæ de- „ dicaturus foret, cujus gradus vice Theatri „ essent.

[3] Hoc Templum à Vitruvio lib. 3. cap. 1. *Archit.* statuitur, „ ad Mariana Honoris & Vir- „ tutis sine postico à Mutio facta.

[4] Ad Circum Marmoreum, nempe ad Theatrum Pompeji fuisse Templum *Felicitatis* sat lo- C
quitur hîc *Kalendarium.* S. Augustinus tamen lib. 4. cap. 9. *de Civit. Dei*, nullum aliud Templum Romæ fuisse inquit, nisi in Exquiliis. Quid ergo dicemus? Hoc sanè, *in Theatro marmoreo* Ædiculam, non Templum *Felicitatis*, fuisse. Certum est, præter Exquilinum, à Dione *lib.* 44. aliud *Felicitatis* Templum statutum fuisse ubi postea Curia: „ Ut novam Curiam ædifi- „ caret; nam Curia Hostilia, licèt refecta fue- „ rit, denuo destructa erat sub prætextu, quod „ ibi Templum Felicitatis ædificare instituis- „ set, quod Lepidus Magister equitum absolvit. „ Sed ea re ipsa, ne in eo loco nomen Sillæ D
„ servaretur, & nova Curia, Julia vocaretur.

[5] Macrobius *lib.* 1. *cap.* 15. „ Iduum porro „ nomen à Thuscis, apud quos is dies ITIS „ vocatur, sumtum est. ITEM autem illi in- „ terpretabantur IOVIS FIDVCIAM, cùm „ Jovem accipiamus lucis auctorem. Et paulò „ infrà: Jure hic dies Jovis fiducia vocatur, cu- „ jus lux non finitur cum Solis occasu, sed „ splendorem diei & noctis continuat, illustran- „ te Luna: quod semper in plenilunio, id est, „ medio mense, fieri solet. Diem igitur, qui „ vel nocturnis caret tenebris, IOVIS FIDV- E
„ CIAM Thusco nomine vocaverunt, unde & „ omnes Idus, Jovis Ferias observandas sanxit „ Antiquitas. „ Hac die ergo, in nostro *Kalendario Amiternino, Jovi Feriæ*: namque à Thuscis sacri ritus Romæ olim.

[6] Sanè: *Dianæ in Aventino* Templum antiquitatis ab Servio Tullio excitatum ibidem. Dionysius loquens de congregatione Populorum Latinorum ad exstruendum Templum, pro annuali sacrificio expiationeque publica: „ Col- „ lectis deinde oppidatim pecuniis, Dianæ „ Templum ædificavit in Aventino eminentis- „ simo Urbis tumulo, & fœderis leges con- F
„ scripsit civitatibus, ritusque celebrandi festi „ atque Fori constituit. Et Martialis *lib.* 12. *epist.* 68.

1 Sequitur Kalendariis dies sub HOR. C ut suprà. 2 VENERI VICTRICI. 3 Sequitur dies HPA. HONORIS, ET VIRTVTIS. 4 Sequitur ET FELICITATI IN THEATRO MARMOREO. 5 A EID. NP. FERIÆ IOVI. 6 B. XIX. F. DIANÆ VORTVMNO IN AVENTINO CASTORI POLLVCI IN CIRCO FLAMINIO.

Majæ Mercurium creastis Idus:
Augustis redit Idibus Diana.

Hac die mulieres voti damnatæ & compotes, ab Urbe ardentes faces in Aricinum nemus, ubi & religiosissimè colebatur Diana, ferebant. Hinc Ovid. in *Fastis*:

Sed potens voti frontem redimita coronis
Fœmina, lucentes portat ab Urbe faces.

Cur verò Templum Dianæ viris Romæ esset inaccessibile? Vide Plut. lib. 4. *Prob.* problem. 4. verò apud eundem scies, cur in cæteris Dianæ Templis cervorum cornua affigerentur, in Aventino autem boum tantummodo.

[4] Festus itidem in hac die *Vortumno*, vel Vertumno, ut alii. Dicebatur verò *Vertumnus*, eo quia credebatur mentes hominum & cogitationes in rebus emendis ac vendendis vertere, immutare, ac variè efficere. Itaque adagio locus, ut homines mobili ingenio & inconstantes, *Iratis Vortumnis natos dicebant.* Super hoc consule Horatium *l.* 2. *Sat.* 7. Multi *Vortumnum* Thuscorum Regem dixere, à quo illi edocti de vineis serendis, animi gratitudine postea inter Numina locavere. Hinc Propertius *lib.* 4.

Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vortumni signa paterna Dei.
Thusco ego, Thuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volsinos deseruisse focos.
Nec mea turba juvat, nec Templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre Forum.

Quàm autem variè Festis coleretur Romæ & Amiterni, disce ex Kalendario hoc. Amiterni siquidem in mense Augusti, Romæ verò in Octobri. De Romano Vortumno hæc Alex. Neap. lib. 6. cap. 8. *Gen. Dier. Vertumnalia verò dies festos Vertumno dicatos habuère Octobri mense.* Ast hîc difficultas insurgit. In *Aventino* fuisse Templum, vel Aram, vel Ædem nostrum adserit *Kalendarium Amiterninum.* Quomodo igitur ex Ovidio Vortumni Templum in *Thusco Vico*? Responderem, aliud fuisse *signum Vertumni*, de quo Ovidius suprà,

Accipe Vertumni signa paterna Dei;

aliud Ædes: *Signum* enim nil aliud fuit quàm quoddam insigne, quod, quum Vertumnalia facienda, ferebatur, ad hoc ut Populis dies solemnitatis innotesceret Vertumnaliorum; qui sanè mos pluribus in Italiæ locis servatur: nempe cùm, ut vulgò dicunt, *la Fiera* agenda est, vexillum figitur, explicaturque. Hoc autem signum fuit in Vico Thusco, nempe inter Palatium Capitolinamque Vallem ultra Forum, ut ex Dionysii textu in 5. *Historiarum suarum* libro clarè monstratur: „ Senatus locum in Urbe ad „ ædificandum dedit Vallem Palatinam inter & „ Capitolinum Collem, quatuor fermè stadiis „ protensam, qui usque ad nostram ætatem „ Thuscus Vicus Romanâ Linguâ vocatur, qua „ transitur à Foro in Circum Maximum.“ De Castore autem in Circo Flaminio hæc Vitruvius *lib.* 4. *cap.* 7. *Itidem generibus aliis constituuntur Ædes, ut est Castoris in Circo Flaminio.*

[5] Hoc est *Portumnalia.* Varro lib. 5. *de Lingua Lat. dicta à Portuno, cui eo die Ædes in Portu Tibe-*

4 Sequitur B. XIX. F. VORTVMNO. 5 E. XVI. PORT. NP. PORTVNO AD PONTEM ÆMILIVM.

Tiberino facta, & *Feriæ*. Adrianus autem Tornelus * clariori voce, *Rem divinam fieri consuevisse ad Pontem Æmilium, ubi ejus ædes fuit*. Dicebantur à *Portuno Portunalia*, eo quia deus ipse Portuum. *Palemon* itidem vocabatur: Hinc Ovidius *lib. 6. Fast.*

Quem vos Portumnum, sua lingua Palemona dicat.
Esse precor nostris equus uterque locis.

Huic Numini, dicto itidem *Melicerta*, nautæ pia vota pro navigatione, vel suscipienda, vel exantlata, & solvebant. Quapropter Virg. lib. 1. *Georg.*

Votaque servati solvent in littore nautæ,
Glauco, & Panopeæ, & Inoo Melicertæ.

De sacrificiis autem Portuno, seu Palemoni, Statius hæc lib. 6. *Thebaidum*:

Mox circum tristes servata Palemonis aras
Nigra superstitio; quotiens animosa resumit
Leucothæ gemitus: & amica ad littora festa
Tempestate venit; planctu conclamat uterque
Isthmos; Echioniæ responsant flebile Thebæ.

Sed quid *planctus* in sacrificiis Portumni? *Ad exprimendos scilicet clamores nautis solitos in tempestatibus.* Ego hæc. Dicant alii.

[1] Hoc est *Divo Cajo Julio Cæsari*, à quo omnes Imperatores usque adhuc *Cæsares*. In Foro autem Ædes Cæsaris. Dio *lib. 47.* „ Et „ ulteriùs in honorem Cæsaris Templum heroï- „ cum in Foro struxerant in loco, ubi ipse „ combustus fuit. " Consule Erizzii Numismata, templique hujus respicies faciem.

[2] Duo hîc sese tradunt examini. Et *Vinf.* & *Dies Tristissimi*. Ad illud *Vinf.* idem ac *Vinalia*. Hæc duplicis generis. *Altera in vinis* degustandis duodecimo Kalendas Martias, quo die vinum Jovi libabatur. Altera quando Flamen Dialis vindemiam auspicabatur. De his nunc solemnitas. Majora cupienti adeundus Alex. Neap. lib. 6. cap. 1. *Dierum Genial.* Veneri autem hæc dies festusque. Hinc Ovid. *Fastor. 4.*

Cur igitur festum Veneris Vinalia dicant
Quæritis? & quare sit Jovis ista dies?
Nosti ea Tyrrheno vota est vindemia Regi.
Juppiter è Latio palmite dona feres.
Vota valent meliora; cadit Mazentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcandis sordibus uvis,
Redduntur merito debita vina Jovi:
Dicta dies hinc est Vinalia. Juppiter illa
Vindicat, & Festis gaudet inesse suis.

Dies autem *Tristissimi* ob Varanam Cladem in Germania. Suet. in *Augusto*: „ Hac nunciata, „ excubias per Urbes indixit, ne quis tumultus „ exsisteret. Vovit & magnos Ludos Jovi Optimo Max. si Remp. in meliorem statum vertisset: quod factum Cimbrio Marsicoque bello erat. Adeo namque consternatum ferunt, „ ut per continuos menses, barba, capilloque „ summisso caput interdum foribus illideret, vociferans; Quintili Vare legiones redde, diemque cladis quotannis mœstum habuerit ac lugubrem. " Hinc ergo in *Kalendario*, Dies Tristissimi.

1 F xv. C. DIVO IvLIO AD FORVM.
2 G. VINF. P. DIES TRISTISSIMI.

* Rescr. *Turnebus.*

SEPTEMBER.

[1] Suetonius in *Aug.* cap. 29. „ Tonanti Jovi „ Ædem consecravit, liberatus periculo, „ quum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset „ servumque prælucentem exanimasset. " Ædes hæc, ait Victor, *in Clivo Capitolino.*

[2] Ante omnia corrigendus Cassiodorus, Panvinus, & Cuspinianus in *Fastis*, à quibus ponitur cum Augusto Cos. *M. Messalla*; dignius enim fide *Kalendarium* hoc, quàm ipsi sint digni. Vel dicendum quòd *M. Messalla*, *Titius*, non *Marcus Messalla* vocaretur.

De Victoria Actiaca, quando scilicet ab Octaviano, postea Augusto, M. Antonius subactus. De hac Victoria Suetonius, Dio, omnesque de Augusto scribentes; illos igitur adeat Lector.

[3] Quem in Sicilia devicit? *Lepidum*, de quo suprà. Vide Appian. Alex. lib. 5. *Belli Civ.* Quid autem *Pulvinaria*? Acronius *in Horat. lib. 1. Carm. 17.* „ Pulvinaria dicebantur lecti Deo- „ rum, aut tabulata, in quibus stabant Numi- „ na, ut eminentiora viderentur. Solebant Ro- „ mani, vel devictis hostibus, vel quovis alio „ modo re publica benè gesta, & periculo „ propulsato, ad omnia pulvinaria Deorum sup- „ plicationem decernere, atque aliquot dies fes- „ tos lætitiâ publicâ celebrandos indicere. " Sedato ergo Lepidi in Sicilia tumultu ad pulvinaria volatur.

[4] De Ludis Magnis, & cur sic dicti, longa apud Antiquitatum Scriptores. Cic. *in Verrem 2.* sed non placet meliùs Festus Pomp. lib. 2. *Magnos Ludos* appellat, quòd in honorem Jovis Deorum Principis fiebant: *Magni* enim *Dii* non *Lares*, sed *Juppiter*, *Minerva*, *Mercurius*, qui Romæ præcipuè colebantur, quapropter Servius ad illud. Virg. 3. *Æneïd.*

Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis Diis.

„ Varro, inquit, unum dicit esse Penates & „ Magnos Deos, nam sic in Basi scribebatur „ Magnis Diis. Potest tamen hoc pro honore „ dici: nam Dii Magni sunt Juppiter, Miner- „ va, & Mercurius. " Ast de hoc fusiùs Eruditi. Ast quid Notæ illæ in *Kalendario* C. C. M. MIL? Refertur hoc ad usum projiciendorum missilium, id est, nummorum ad Populum, post acta spectacula & ludos. Super hoc adeat Lector Bullengerium * *de Spectaculis*, Alex. Neapolitanum *de Ludis*, aliosque. Hoc supposito, illæ duplices Notæ CC. *Ducenta*. MIL. *Millia*, illud M. Missilium. Si quid clarius habent alii, quod referant, referant. Audiam, ut discam.

[5] Hic agitur de Libonis contra Tiberium Cæsarem Augustum conjuratione, de qua fusiùs Tac. 2. *Ann.* ubi & mortem ipsius Libonis describit. Quòd facit in nostra ab ipsomet Tacito desu-

1 DK SEPTEN IOVI TONANTI IN CAPITOLIO.
2 E IV. NP FER. EX S. C. QVED EO DIE IMP. CÆ. DIVI F. AVGVSTVS APVD ACIVM VICIT SE ET TITIO COS. 3 F. III. NP. FER. ET SVPPLIC. SALVT. OMNIA PVLVINARIA, QVORVM EO DIE CÆS. DIVI F. VICI IN SICILIA CENSORIN. ET CALVIS. COSS. hoc est CENSORINO ET CALVISIO.
4 GPR. C LVDI ROMANI MAGNI C. C. M. MIL.
5 H EID. NP. FER. EX S. C. E. D. NEFARIA CONSILIA, QVÆ DE SALVTE TI. CÆS. LIBERORVMQVE EIVS, ET ALIORVM PRINCIPVM CIVITATIS, DEQ. PR........

* Leg. *Bulengerum.*

desumamus: „ Accusatio tamen apud PP. ad„ severatione eadem peracta, juravitque Ti. pe„ titurum se vitam, quamvis nocenti, nisi vo„ luntariam mortem properavisset. Bona inter „ accusatores dividuntur, & Præturæ extra or„ dinem datæ iis, qui Senatorii Ordinis erant. „ Tunc Cotta Messalinus, ne imago Libonis „ exsequias posterum comitaretur censuit. Gn. „ Lentulus ne quis Scribonius cognomen tunc „ Drusi adsumeret. Supplicationum Dies Pom„ peji Flacci sententia constituti, ut dona Jovi, „ Marti, Concordiæ, utque Iduum Septem„ brium dies, quo se Libo interfecerat, dies „ festus haberetur." Ob hoc ergo nostro in *Kalendario* sub Idibus septem; ponitur quod in margine. Ad hoc periculum evasum à Tiberio non dubito quin Inscriptiones multæ respiciant. Hæc una prima Interamnæ ad Cathedralem Ecclesiam:

SALVTI PERPETVAE AVGVSTAE
LIBERTATIQVE PVBLICAE
POPVLI ROMANI

GENIO MVNICIPI ANNO POST IN-
TERAMNVM CONDITAM DCCIIII. AD
CN. DOMITIVM AHENOBARBVM IIIIII.
COS.

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI.
NATI. AD. AETERNITATEM. ROMANI.
NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PER-
NICIOSISSIMO. P. R. FAVSTVS.
TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR.
AVG. ITER.
P. S. F. C.

[1] His Ludis additum nomen à Circe, quod illos patri Soli dicaverit, agebanturque in gyrum, ob Solis rotunditatem, unde & ob *Inventricis* nomen, & ob ipsum modum, quo agebantur, *Ludi Circenses* dicti. Super hoc vide Hysidorum * Hispalensem lib. 18. *Etymol.* cap. 28. Cassiod. *lib.* 3. *epist.* 61. Bulenger. *de Ludis* &c.

[2] Ante omnia corrigendus hic textus, ubi habentur Consules sex AD. malè siquidem ac mendosè positus, non enim *Sex.* AD. sed Sex Apulejus scribendum. Vide Fastos Capitolinos.

De honoribus cœlestibus Augusto statutis, sat Suetonius, Dio, aliique, præcipuè Lipsius in Tac. consulat illos Lector, ac Numismata Imperatorum.

O C T O B E R.

[3] SAnè in Capitolio *Fidei* AEDES; namque post Jovem Tonantem in Capitolio *Fidei Ædes.* De hac Cic. 3. *Offic. Fidem in Capitolio vicinam Jovi Opt. Max. in Catonis oratione est.* Et Plin. *lib.* 35. *Spectata est in Æde Fidei in Capitolio imago Senis cum lyra puerum docentis*, &c.

[4] Rosinus *lib.* 5. *cap.* 14. hæc habet: „ Ut„ que in sacris Cereris ante noctem epuletur ne„ mo: atque à vino inprimis & Venere absti„ neant: utque quinto quoque anno ex Sibylli„ nis Carminibus prodigiorum causa, jejunium „ fiat, inter quæ præcipuum fuit, ut in sacris „ initiatos calidâ abluerent primùm, quod casti„ tati prodesse ducerent." Hoc autem *Jejunium* institutum fuit ad colendam memoriam Cereris, quæ, fingentibus Poëtis, jejuna quæsivit usque ad mediam noctem Proserpinam filiam. Veritatem theologiamque hujus fabulæ desiderantibus adeundum est Natalis Comitis Opusculum Mythologicum.

[5] Hic olim mos Antiquis, redeuntibus è bello vel itinere Principibus, Fortunæ Reduci litare. Hinc Claudianus *de* VI. *Honorii Consulatu*:

Aurea Fortunæ reduci si templa Priores
Ob reditum vovere ducum, non digniùs unquam
Hæc Dea pro meritis amplas tibi posceret Ædes.

Romæ in Foro Romano hanc legas Inscriptionem:

FORTVNAE. REDVCI
DOMVS AVGVST.
SACRVM
TRIB. SVC. CORP. FOEDER.
M. ALLIVS. TYRANNVS. C. FVRINVS.
FAVSTVS. P. FVLVIVS. PHOEBVS.
AVRAR. L. VENNONIVS
ZOSIMVS
C. AVRELIVS. PRIMVS
IMMVNES. PERPETVO. D. D.
DEDICATVM. III. IDVS. OCTOBR.

Alias hujuscemodi videas apud Gruterum.

De Geniis hic agere nimia lectio; Natalem Comitem, Alex. Neap. Rosinum *de Rom. Antiq.* consulant Curiosi; Janique Gruteri Inscriptiones sanè de Geniis bellas non aufugiat.

[6] Quod attinet ad Faustam felicitatem, legatur apud *eruditissimum Jo. Petrum Bellori venerabilis antiquitatis præclarissimum lumen, mihi inter præcipuos necessitudine conjunctum, in aureo sanè de Numo Antonini libello. Fausta, Felicitas*, itidem dicta, id est, quæ alios faustos felicesque facit, juxta illud Virg. 1. *Æneid.*

Sis felix, nostrumque leves quæcunque laborem.

Ubi Æneas Venerem invocans alloquensque apparenter idem dicit, ac si ei felicitatem deprecaretur; & tamen Dii ex se felices. Ad hoc Servius: *Sis felix*, id est, *propitia. Felix enim dicitur, & qui habet felicitatem, & qui facit esse felicem.* Hinc idem Virg. *Æneid.* 3.

Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.

Id est, sequitur Servius, *propitiis zephyris.* De his omnibus Diis Cic. in *Orat.* progressurus in exsilium: „ Hunc ego si Juppiter Opt. Max. „ Juno, Minerva, cæterique Dii, Deæque „ immortales, qui excellenti tumulo Civitatis „ sedem Capitolii in saxo incolis constitutum.

[7] Nempe *Meditrinalia*, à quibus, & *Meditrina Dea*; de his Festus, *Meditrinalia*, dicta hac de causa: „ erat Latinis Populis quo die „ qui primum gustaret mustum, diceret, omi„ nis gratiâ, Vetus novum vinum bibo, veteri „ novo medeor." Degustabatur autem *novum vinum* medicaminis gratiâ; sed quale hoc medicamentum? Dicant Ebrii. Dicant Vinosi. Ego non dicam. Si non abstemius, saltem à vino non ducor.

[8] Id est, *Augustalia.* De his Dio *lib.* 54. *ob reditum*

1 C. XVI. C LVDI IN CIRCO. 2 D. XV. NP LVDI IN CIRCO FER. DIVO AVG. EX S. C. Q. E. DIE HONORES CAELESTES A SENATV DECRETI SEX AD SEX POM. COS.
3 B K. OCT. N. FIDEI IN CAPITOLIO.
4 E. IV. C IEIVNIVM CERERIS.

5 F. III. C LVDI D. AVGVSTO, ET FORTVNÆ REDVCI COMITI. 6 B. VII. C GENIO. PVBLICO. FAVSTÆ. FELICITATI. MINERVÆ. VICTRICI IN CAPITOLIO APOL.
7 D. V. MED. NP LVDI FER. IOVI.
8 E. IV. AVG. LVDI IN CIRCO.

* Rep. *Isidorum.*

reditum Augusti, scilicet ex Sicilia, Græcia, Asia, Syria, & Parthia: „ Ac propterea quæ „ absens egisset, multa ac varia in honorem „ ejus decreta sunt, quorum ille nihil accepit, „ nisi quòd Fortunæ reduci (*de qua nos superiùs*) „ Aram consecrari, diemque sui reditus inter „ Ferias referri, & Augustalia dici passus est." De his Ludis vide Plin. *lib.* 7. *cap.* 25. A

[1] *Fontinalia* scilicet, Varro lib. 5. *de Lingua Lat.* A Fonte, quòd is dies Feriæ ejus: ab *eo autem tum*, & *in fonte coronas jaciunt*, & *puteos coronant*. Cur hoc? ob frigidam aquam in æstate præbitam.

[2] De hoc *Marcelli Theatro* Suet. in *Aug.* cap. 29. „ Quædam etiam opera sub nomine alieno, „ nepotum scilicet, & uxoris, sororisque, fecit: „ ut Porticum, Basilicamque Lucii, & Caji. „ Item Porticum Liviæ & Octaviæ, Marcellique Theatrum. De *Jani* autem *Æde*, Festus vult, quod prope Theatrum. B

[3] Id est Armilustrium. Paulus Diaconus: „ Armilustrium festum erat apud Romanos, quo „ res divina armati faciebant, ac dum sacrificarent tubis canebant.

N O V E M B E R.

[4] SAt de hoc paulò antè. Hîc *Fontinalia* agebantur, ob aquam novam pluvia venturam.

Currebant equi hac die, dexterque illorum Marti mactabatur. Vide super hoc Plut. *Quæst. Rom.* 97.

D E C E M B E R.

[5] LIvius *lib.* 18. *dec.* 3. de hoc Templo nullam mentionem, sed de ARA inquit: *Ara Neptuni multa sudore manasse in Circo Flaminio dicebatur.*

Apud Marlianum tamen lapis, non de *Ara*, sed de *Æde* agit. Legatur.

FER. EX. S. C. Q. E. D. IMP. CÆS. Aug. ex TRAMARINIS PROVIN. VRBEM INTRAVIT ARaMQ. FORTVNAE REDVCI CoNSTIT. 1 F. III. FoNT. NP. FERIÆ FoNTI. C. XV. C 2 Iano ad THEATRVM MARCELLI. 3 D. XIV. AR. NP. 4 F. III. FoNT. NP. FERIÆ FONTI. F. XIIX. F. EQVORVM PROBATIO. 5 G. K. DEC. N. NEPTVNO. PIETATI Ad CIRCVM.

ABASCANTIO. AVG. AEDITVO. AEDIS. NEPTVNI. QVAEST. IN. CIRCO. FLAMINIO. FLAVIVS. ASCANIVS. ET. PALLANS CAES. N. SER. ADIVTOR. A. RATIONIBVS. PATRI PIISSIMO.

Ast quid *Pietati hic cum Neptuno*? Prope Circum, & *Pietatis* Ædes, ea de causa ibidem erecta, ut ex Plinio *lib.* 7. *cap.* 36. „ Pietatis exempla infinita quidem toto Orbe exstitere; sed „ Romæ unum, cui comparari cuncta non pos„ sint. Ignobilis puerpera, supplicii causâ, car„ cere ad inclusam matrem cùm impetrasset „ aditum, à Janitore semper excussa, ne quid „ inferret cibi: deprehensa est uberibus suis „ alens eam: quo miraculo, matri salus donata „ filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimen„ tis. Et locus ille eidem consecratus est Deæ „ (nempe Pietati) C. Quinto M. Attilio Coss. „ Templo Poëtis exstructo in illius carceris se„ de, ubi nunc Marcelli Theatrum est.

Asconius: [6] *Tiberinus Deus*, *qui Tiberi præest*. Insula autem, quæ nunc vulgò *di S. Bartholomeo*, antiquitus verò Lycaonia.

Consus, *Consiliorum Deus*; Neptunum scilicet intelligunt Antiqui non pauci. C

Colebantur unà simul hæc duo Numina,[7] *Consus scilicet*, & *Fortuna Judex*, eo quia, ubi benè interveniunt consilia in opere, omnia ad bonum exitum reducuntur.

De [8] Saturnalibus erubescit hîc scribere calamus. Nimis fœda ac luxuriæ cœnosa. Silentium. Exiit ab his præstantissimus Cato, ne oculos macularet & animum. Alii videant.

Opis, idem ac Terra, Saturni uxoris. Huic Sacerdotes inter vota concipienda solebant; terramque tangentes de industria, innuere volentes, ipsam Matrem Terram, opem scilicet esse mortalibus appetendam. Durante autem hoc Festo, à gladiis otiabatur; nempe non exercebantur ad arma. Ubi nostrum hîc Kalendarium habet [9] CALADIORUM, legendum est *Gladiorum*. Mendum est. Atque hæc ad *Amiterninum Kalendarium* nostra minuscula Commentaria. D

6 F. IV. C TIBERINO IN INSVLA. B. PR. ET CONSO IN AVENTINO. 7 F. XIIX. CONS. NP. FER. CoNSO. ARA FORTVNÆ REDVCI M. DIE. 8 G. XIV. SAT. NP FER. SATVRNO SATVRNALIOR. 9 A. XIV. OPAL. NP. OTIA CALADIORVM.

F I N I S.

DOMI-

DOMINICI AULISII
DE
GYMNASII CONSTRUCTIONE
ET
MAUSOLEI ARCHITECTURA
OPUSCULA DUO.

ALOISIUS DE LEON

LECTORI S.

Viri ingenio, & doctrina praestantes, & Auctoris nostri studiosi, cùm Opusculum de Gymnasii constructione, sibi pro amicitia missum, legissent, libere simpliciterque, ut viros optimos decet, haesitationes suas, alii alias, proposuerunt. Amavit Auctor ipsorum curam, & solicitudinem, egitque eis, ita ut meriti erant, gratias, quantas potuit maximas: iterumque ipse ejus nomine ago: petoque vicissim, & oro, ut ne moleste ferant, si ex earum numero nonnullas, quae graviores visae sunt, hìc ex fide recitare, parique modestia extricare adnitar. Fecit id quidem Auctor privatim, sed tribus pene verbis, ut qui cum viris, quibus ob consuetudinem facile ipsius mens sensusque perspecti fierent, rem sibi esse sciebat. Faciam in praesens id ipsum ego publice, paulò uberiùs, planiusque; auguror enim fore, ut eaedem difficultates aliis quoque occurrant, quibus semel satisfaciendum est. Causantur de Stadio dici, nihil ferme habere, quod Architectum remoretur; non enim id omnino convenire cum eo videri, quod alibi affirmatur, habere gradus amphitheatri gradibus non dissimiles. Evanescet quàm facillime dubium, si quae invicem separanda sunt, confundere caveamus. Stadium non est, nisi spatium illud, ubi in publicis solemnitatibus Athletae omni certaminis genere contendebant: non ὁ τόπος, ἐν ᾧ ἔτρεχον, ut quidam definiunt; nam σταδιεὺς Pindaro Olympionica XIII. est, qui certat δρόμῳ, καὶ πεντάθλῳ, cursu, & quinquertio. Et verum est, in eo vix quidquam reperiri, quod Architectum possit habere solicitum: certe minus, quàm in Spina Circi. Aliud est de mole illa, quae Stadium in ovi speciem circumibat, ubi gradus spectatoribus structi. Haec majoris artificii res est: nec de ea Vitruvius in Gymnasii structura egit; vel quia non multam ei res operam, curamve Graeci insumebant: vel ratus satis esse, quae jam de Theatro Latino, & Graeco disputaverat; nullo quippe negotio praecepta de gradibus, scalis, praecinctione, cuneis, porticibus, & si quae alia incurrunt, a circulo transferuntur in ἔλλειψιν, ut ex Amphitheatro Veronensi apud Serlium intelligere licet. In Inscriptione Austrunii, qui cùm Medicus Ludi Gallici esset, Porticum, & Exedram Silvano Romae dedicavit; pro Porticu notatum est capi oportere Xystum tectam, pro Exedra Ephebeum. Aiunt, sibi non liquere, de Gymnasio, an de Ludo gladiatorio haec sentire debeant; nec id distincte enunciari. At nostro Auctori supervacuum visum est ea persequi, quae ex ipso marmore patere possunt; praesertim cùm de his non eo loco ageret. Prodam tamen ego non invitus, quod ipse siluit, multisque verbis ejus taciturnitati medebor. Gymnasii nomen generatim usurpare si libeat, abunde est scire, de Gymnasio sermonem haberi, quando passim Graecis Ludus gladiatorius γυμνάσιον τῶν μονομάχων audit, ut Lanista, γυμναστὴς & ἐπιστάτης, & batualia, γυμνασίαι. nam Lipsium, qui locum ipsum exercitationis batualiorum nomine censeri putat, auctores ab eo ipso producti confutant. Sin pro Gymnasio Athletarum, ut frequentissime occurrit, maxime sine addito positum, certe Inscriptionem Austrunii de eo capi nec posse, nec debere, ratio temporum, quae saepe magnas difficultates expedivit, demonstrat. Quò id certiùs cognoscatur, Inscriptionem integram apponam, cujus eam tantummodo partem Auctor exscripsit, quae tum ad rem faciebat. Ea verò ita habet.

SILVANO. SANCTO
AVSTRVNIVS. MEDI
CVS. LVD. GALLIC
PORTIC. ET EXEDR
ET. SIGN. AEN
VOTO. SVSCEP
L. M
DEDIC. KAL. MAI
L. MARCIO. ET
SEX. JVLIO. COS

Istuc par Consulum Reip. moderatum est anno Urbis 659, vel paulò seriùs; non enim inter se Fastorum concinnatores consentiunt. Per ea tempora Romae Gymnasium nullum: quod Nero demum excitavit. Quare non de eo sermo erit, sed de Ludo gladiatorio, cui ita Romani indulgebant, ut Graeci Gymnasio. Et multa in his paria. Tangam solùm, quae ex ipsa Inscriptione colligantur. Discimus ex ea, in Ludo Medicos extitisse: ab istis nec Gymnasium inops fuit: &, ut de Jatraliptis taceam, ita docent, quae de Herodico

rodico narrat Plato lib. III. *Reip.* & *de Ægimio Galenus* II. ὑγιεινῶν. *Erant Gymnasia Diis dicata,* & *quodque præsidis Dei signum habebat, ut Atheniense Apollinis Lycii, teste Luciano in Anacharsi:* & *Austrunius in Ludo Gallico Silvani æneum signum collocavit, ex privata religione,* voto suscepto; *quamvis aliàs Marti, aut Saturno consecratos Ludos non ignorem. Quid mirum? nam* & *Chalcidenses T. Flaminio Gymnasium dicarunt. Demum in utroque visebantur Xystus tecta,* & *Ephebeum. Xystus in Inscriptione dicta est* Porticus; *nam est* στοὰ ξυστός. *Qui dicit* Xystum, *mutilat primam vocem: qui* Porticum, *ultimam. At Ephebeum appellatum est* Exedra, *ut etiam à Vitruvio in illis,* Exedra amplissima cum sedibus. *Hæc satis notatu digna sunt, vel ex eo, quòd Lipsius in Saturnalibus post variam inquisitionem, in Ludo gladiatorio nil nisi multiplices, minutasque cellas observare potuit. Certe infelici sorte usus. An aliud nihil in Ludo fuisse credam? Cellulas quidem gladiatores inhabitabant: ast ubi exercebantur? Nempe tirones in Ephebeo, veterani in Xysto, in qua rasa humus fuit, arena inspersa, eadem de causa, qua in Amphitheatro. Et hæc loca proprie Ludus gladiatorius, non cellæ illæ, si Ludus est, ubi gladiatores usum armorum edíscunt. Itaque Cujacio non accedo, qui illud* EXEDR, *in Inscriptione numero multitudinis* Exedras *exponit. Insimulant alii, quòd non reddita causa affirmetur,* δρόμους *in Gymnasio denotare Xysta, longe a sententia Budæi, qui Xystum esse voluit. Et tamen, si attendamus, nihil clariùs demonstratum comperiemus. Xystus pro porticu sequioris generis cùm sit, nullus dixerit,* δρόμος ξυστὸς, *ut ad Pallium Tertulliani perperam a Salmasio factum; nam est, ut proxime notatum,* στοὰ ξυστός. *Ex quo* & *illud existit,* δρόμον ξυστὸν *esse necessariò, quæ Latinis* Xysta, & *quandoque masculino genere,* Xystus. *Hæc, quamvis exilia videantur, tamen ea nisi probe teneamus, in intelligendis bonis auctoribus, multis nos erroribus implicare possunt: eademque jam non insinuaverat modò, sed diserte monuerat Auctor:* & *eò scire se dixit,* δρόμους *ad Xysta referri; veteremque lectionem in voce* παραδρομίδες *Vitruvio asseruit. An posthac de probatione expostulabunt? Nunc demum recte capimus verba Pollucis.* καὶ δρόμοι δὲ ξυστοὶ ἐν οἷς αἱ ἀσκήσεις. *Hæc viris doctis fraudi fuerunt: at is non de Xysto tecta loquutus est, sed de Xystis subdivalibus.* Δρόμους *etiam subintelligemus, cùm hypæthras ambulationes in hortis, ubi se veteres deambulando exercebant, appellatas* Xystos ἀρσενικῶς *reperimus, ut apud Plinium juniorem passim. Uno, aut altero loco contentus ero. De villa apud Thuscos:* Ante porticum Xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo. *De Laurentino:* Ante cryptoporticum Xystus violis odoratus. *Hæc, Lector humanissime, excusando, vel potiùs purgando Auctori nostro in medium allata volui, raptim,* & *incondite ad te scripta, operis pro editione urgentibus. At quæcunque ea tandem sint, æqui bonique consulas velim. Si quid omnino, hoc certe sine alicujus injuria a me factum est; nam viros doctissimos, qui hæc objectarunt,* & *amo effusissime,* & *colo. Vale.*

DOMI-

DOMINICI AULISI
DE GYMNASII CONSTRUCTIONE
COMMENTARIUM.

Multa in Vitruvio egregia vetustatis monumenta extare, quæ alibi invenire non est, norunt quicunque bonarum artium studio tenentur: quos tamen ipse non minus delectat, quàm exercet; ita in plurimis lucem desiderat, cujus non sua, sed temporis culpa indiget, quod omnia sursum deorsum versando, tenebras veluti quasdam priscis inventis offundit. Varia in medium exempla possent afferri: sed quæ de Gymnasio habet, sint satis. Egit quidem de eo Vitruvius diligentissime: sed hactenus nemo unus, quod sciam, ejus inde ædificii designationem, nisi multis partibus mendosam, potuit exhibere. Quo factum, ut pulcherrima

A notitia careamus, quæ nisi ab optimo Scriptore, hauriri aliunde non potest; ut pretium operæ sit, post Mercurialis, Barbari, Perraultii, aliorumque conatus, istum lapidem de integro volvendum suscipere. Experiemur nos, si quid boni ad hanc vetustatis partem illustrandam excogitare valemus. Quod si præstiterimus, non ingenii (scimus enim tenuitatem nostram) sed industriæ fructus fuerit. Utemur pro explica-
B tione non aliis verbis, quàm Vitruvianis, ut tanto certius de veritate constet; interstitis solùm de nostro literis, seu notis, quæ indicent, ubi in Ichnographia, quam damus, quodque ædificii membrum quærendum sit. Præterea adnotatiunculas quasdam brevissimas pro faciliori captu adscribere non pigebit.





DESCRIPTIO PALÆSTRÆ.

Vitruvius. NUNC MIHI VIDETUR, TAMETSI NON SINT ITALICÆ CONSUETUDINIS, PALÆSTRARUM ÆDIFICATIONES TRADERE EXPLICATE, ET QUEMADMODUM APUD GRÆCOS CONSTITUANTUR, MONSTRARE.

Palæstrarum nomine Gymnasia intelligi docent, sed falsò. Gymnasium in tria membra dividitur, quorum unum Palæstra, alterum Xysta, tertium Stadium. Gymnasium totum, Palæstra pars, a qua, ut præcipua, sermo fuit ordiendus. Vitruvii dictum, qui sub Augusto floruit, cùm Palæstras Italicæ consuetudinis esse negat, ad eas urbes non pertinet, quæ etsi in Italico solo positæ, a Græcis tamen, a quibus ortæ, incolebantur. Testis ei rei satis locuples una Neapolis, Græca urbs, quæ ex Græcorum instituto Gymnasium a vetustissimis temporibus conditum habuit, excoluitque, ut ex Strabone, qui & ipse sub Augusto scripsit, notum lib. 5. Ita quoque ad subsequentia post Augustum tempora, de quibus Vitruvius divinare nequibat, non pertinet; nam qui sequuti sunt Principes, Græcorum instituto delectati, Gymnasia Romæ excitarunt. Primus id Nero fecit, teste Suetonio. Nec est, cur obnitatur vir doctus ex Plauti verbis in Bacchidibus.

Ante Solem exorientem nisi in Palæstram veneras, Gymnasii Præfecto haud mediocreis pœnas penderes.

Scilicet non meminit, Græcam eam esse fabulam, ex Philemone versam, Athenis actam, non Romæ. De aliis nihil disputare necesse est, cùm hæc nostræ præsenti scriptioni sint abunde. Cæterùm nil mirum, si hìc Vitruvii inscriptio est, DE PALÆSTRARUM ÆDIFICATIONE, ET XYSTIS, prætermissa Stadiorum mentione: quippe Stadia nihil fere habent, quod Architectum remorari possit. Satis itaque putavit, in fine Capitis hujus paucula verba de ipsis subnectere.

IN PALÆSTRIS PERISTYLIA QUADRATA A, SIVE OBLONGA ITA SUNT FACIENDA, UTI DUORUM STADIORUM HABEANT AMBULATIONIS CIRCUITIONEM: QUOD GRÆCI VOCANT ΔΙΑΥΛΟΝ.

Peristylium in Ichnographia quadratum selegimus, ex quo certiores totius Palæstræ mensuræ deducuntur, quàm ex Peristyliis oblongis: Hæc enim multiplicis generis sunt: quadrata unius. Horum tamen ratione recte percepta, facile ubi Peristylium oblongum sit, quid variari debeat, cognoscimus. Area Acolumnis cincta, quaquaversum habet pedes 300, ut sint in ambitu Stadia duo.

E QUIBUS TRES PORTICUS SIMPLICES B, B, B, DISPONUNTUR.

Lata quæque pedes 42. cujus mensuræ ratio in Xysto reddetur.

QUARTAQUE C, QUÆ AD MERIDIANAS REGIONES EST CONVERSA, DUPLEX, UTI CUM TEMPESTATES VENTOSÆ SUNT, NON POSSIT ASPERGO IN INTERIOREM PARTEM PERVENIRE.

Hoc est, Porticum istam esse oportere duplicem, ne Ephebeum, Coryceum, & alia pro-

A xima membra, quorum lumina, & ostia ad eam vergunt, imbrium injuriis pateant. Quod non nisi magno adolescentium, aliorumque, qui in eis se exercent, incommodo fieret. At cùm hæc ipsa membra ex altera parte porticum simplicem habeant adnexam, ut dicemus, constat nulla ibi ostia extitisse, nisi forte unum, aut alterum in Ephebeo, & Coryceo, unde brevi itinere egredi athletæ in Xystum possent: quæ & ipsa in tempestatibus ventosis occludi poterant: quippe patentibus interim ostiis, & fenestris in opposito latere, Ephebeum, & Coryceum multa satis luce clarescebant. Hæc Porticus, quia

B duplex, lata erit pedes 84.

CONSTITUUNTUR AUTEM IN TRIBUS PORTICIBUS EXEDRÆ SPATIOSÆ D, D, HABENTES SEDES, IN QUIBUS PHILOSOPHI, RHETORES, RELIQUIQUE, QUI STUDIIS DELECTANTUR, SEDENTES DISPUTARE POSSINT.

Novitium inventum fuit literarum Professoribus designare in Gymnasio Scholas, & ἀκουστήρια, ut hæc Ciceronis in 2. de Oratore ostendunt. *Nam & seculis multis ante Gymnasia inventa sunt, quàm in his Philosophi garrire cæperunt.*

C Negat vir eruditus, in Gymnasio Neapolitano literarum studia unquam fuisse: negat ullo idoneo auctore probari. Quid faciet D. Augustino? cujus hæc sunt è libro 3. contra Academicos. *Quid si tam clarum est, ut frustra inficiere? Persuadebis nimirum tanquam in Cumano Gymnasio, atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imò etiam nec errasse quidem.* An satis idoneus auctor est, qui omnem evictionem præstet? Latæ Exedræ sunt pedes 108. uti postea demonstrabitur, cùm de Porticu Septentrionali Stadiata sermonem instituemus.

D IN DUPLICI AUTEM PORTICU COLLOCENTUR HÆC MEMBRA, EPHEBEUM E IN MEDIO, HOC AUTEM EST EXEDRA AMPLISSIMA CUM SEDIBUS, QUÆ TERTIA PARTE LONGIOR SIT, QUAM LATA.

Athletæ, tametsi majore parte Palæstræ literarum Professoribus cesserint, tamen præstantiorem sibi sepofuerunt, Meridiei obversam, ut per hiemem plurimo Sole, & clementiori cœlo fruerentur; nam hæc maxime hiemi parata mansio est, cùm per æstatem athletæ in Xysta progrederentur. In hoc Gymnasii tractu medium spatium sibi Ephebeum poscit, quod *Exe-*

E *dram amplissimam* Vitruvius appellat. Quare non unæ modò Scholæ sedilibus erant instructæ, & *Exedræ* dicebantur, sed & Ephebeum. Quod notari velim; nam Ephebeum intelligit etiam Dio Chrysostomus, ubi adolescentulum athletam, Jatroclen nomine, in Exedra Herculis, quæ erat in Gymnasio Neapolitano, sese exercuisse memorat: ὁρῶ μὲν οὖν πάνυ πολλοὺς ἑστικότας πρὸς τῇ ἐξέδρᾳ τοῦ Ἡρακλέους. Et quæ sequuntur. Hoc est, *stantes ad Ephebeum*, quod hìc Herculi erat dicatum. Dicit ἑστικότας, quia magna spectatorum pars, quam sedes non caperent, stare cogebatur. *Exedra* pariter Ephebeum est in veteri Lapide Romano, sicuti *Porticus* est Xys-

F tus.

SILVANO SANCTO
C. AUSTRUNIUS
MEDICUS LUDI GALLIC.
PORTIC. ET EXEDR.
ET SIGN. AEN.
VOTO SUSCEPT.
L. M. D.

Vi-

Visum est Vitruvio addere, *cum sedibus*, non sine causa. Nam alioqui cellas omnes, quæ in Peristylio, utut sedibus destitutas, Exedras vocabat. Varro Ornithona Exedram dicit lib. 3. de Re Rust. cap. 5. *Qui Brundusii hospes noster primus in Perystilio habuit Exedra conclusas aves, quas pasceret objecto rete.* Imò Strabo lib. 13. Exedram vocat quandam σκοπήν. Hoc fortasse verius, quàm quod opinatur Cujacius ad C. de operibus publicis, speculam eam ita fuisse exædificatam, ut haberet sedes complures in Exedræ formam.

Erant ergo in Ephebeo sedes circùm ad parietem spectatoribus positæ, in mediis spatiis se puberes exercebant; non enim aut nomen ipsum, aut Dio loco proxime dicto, dubitare nos sinit, Ephebeum adolescentulis fuisse destinatum: scilicet, ut seorsum essent a viris, qui suas exercitationes in Xysto, & Xystis peragebant. Illis præerat Pædotriba, his Xystarcha.

Hæc cella tertia parte longior est, quàm lata. Patet in latitudinem pedes 108. in longitudinem pedes 144.

Sub dextro Coryceum I.

Duæ omnino in toto Gymnasio cellæ erant exercitationibus destinatæ, Ephebeum, & Sphæristerium, ubi non una modò pila ludebatur, sed etiam coryco. Inde cella hæc, quæ aliis *Sphæristerium*, Vitruvio *Coryceum* dicta est; quippe corycum e Gymnasii tecto suspendi testis est Antylus apud Oribasium, qui & Corycum pro imbecillioribus compleri olivarum officulis, aut farina, & pro validioribus arena ait. Tum subdit: τὸ δὲ μέγεθος αὐτοῦ πρός τε δύναμιν, καὶ ἡλικίαν συναρμοζέσθω. κρεμάννυται ἐν τοῖς γυμνασίοις ἄνωθεν ἐξ ὀροφῆς. *Sit ejus moles ad vires, & ætatem accommodata. In Gymnasiis superne è tecto pendet.* Vide cetera; nam κορυκομαχίας rationem docent. Certe hic ludus, quo viri maxime exercebantur, omnino abs re institueretur in Ephebeo: nec alius pro eo occurrit in tota Palæstra locus, nisi Sphæristerium. Quid igitur dubitamus, a Coryco dici Coryceum, & hoc idem esse cum Sphæristerio? in quo plura ludorum genera exerceri consuevisse, docet Plinius lib. 5. epist. 6. *Sphæristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit.* Quærit vir doctus, si cella hæc Coryco tribuitur, ubi erit Apodyterium? Locum nos statim indicabimus. Est Coryceum latum pedes 60.

Locat Vitruvius Coryceum sub dextro Ephebei. Hoc non est ad Occidentem, ut rentur: sed ad Orientem, versus Gymnasii frontem; quandoquidem Vitruvius Laconicum, & Caldam Lavationem ad sinistram Ephebei statuit, quæ membra non nisi ad partem occiduam Palæstræ recte collocari ostendemus.

DEINDE PROXIME CONISTERIUM K.

Quæ sequuntur Cellæ exercitationibus assignatæ non sunt: sed vel sunt ἀποθῆκαι, ut Conisterium pulveris, & Elæothesium olei: vel ad lavacri, & balneorum usum comparatæ. Quod attinet ad Apodyteria, de his nihil meminit Vitruvius, quòd nullæ privatim in hunc usum Cellæ in Gymnasio excitarentur. Nec præterea athletæ omnes uno commode loco poterant denudari, ob Frigidæ Lavationis, & Thermarum distantiam. Putem, duo omnino fuisse Apodyteria. Unum, quod esset pars Co-

A nisterii, ubi se exuebant, qui frigida essent loturi; proxime enim adjacet Frigida Lavatio. Alterum in Concamerata Sudatione, cui cohæret Frigidarium.

Conisterium in totidem patescit pedes, in quot Coryceum.

A CONISTERIO IN VERSURA PORTICUS FRIGIDA LAVATIO L, QUAM GRÆCI ΛΟΥΤΡΟΝ VOCITANT.

Contraria sunt λοῦτρον, & λουτρόν. Istud Galeno proprie Calda Lavatio, illud Vitruvio Frigida. Et claudit dextrum latus Ephebei, ut quæ in versura; seu in angulo Porticus duplicis
B posita est. Hinc fit, Cellam Frigidæ Lavationis quadratam esse oportere, numerantem in circuitu pedes 432.

At verò Labrum a b f g, quod in ea inest, se extendit in oblongum: quippe ex uno latere cohæret parieti Meridiano Palæstræ, qui paries in Labrum per insertum tubum aquam, ex fonte, aut flumine corrivatam, eructat. Esto, si placet, longum pedes 88. latum 68. quare in tribus lateribus habebit obambulationem latam
C pedes 20. In eo Labro se abluebant, immergebantque. Hujusmodi unum habemus Neapoli, in regione Thermensi, unicum, si credimus, nostri Gymnasii vestigium. Sed jam alterum Ephebei latus lustremus.

AD SINISTRAM EPHEBEI ELÆOTHESIUM F.

In eo non modò olei, & ceromatis conditoria erant, sed etiam athletæ ungebantur, antequam membra pulvere conspergerent. Inde ἀλειπτήριον, seu *Unctuarium.* Latum, ut ceteræ intermediæ Cellæ, Ephebeo excepto, pedes 60.
D
Illud turbat, quod Conisterium, in quod pulvis Palæstricus condebatur, longe in altero Ephebei latere positum est; interferuntur enim Ephebeum, & Coryceum. Ungi, & pulvere conspergi, conjunctæ res sunt. Cur Cellæ, quæ his deinceps usibus destinatæ sunt, loco distabunt? Mihi omnino videntur verba Vitruvii luxata, & debere Coryceum, & Elæothesium Cellas inter sese commutare, ut Coryceum migret in sinistrum latus Ephebei, Elæothesium in dextrum: ita Conisterio hærebit. Trajectio-
E nes hujusmodi plures in Vitruvio extant: quarum nonnullas viri magni jam substulerunt; de quibus hìc dicere, nihil est necesse.

PROXIME AUTEM FRIGIDARIUM G, AB EOQUE ITER IN PROPNIGEUM IN VERSURA PORTICUS.

Frigidarium est Thermarum portio, in latitudinem se extendens pedes 60. Galenus in lib. 11. Methodi partes λουτροῦ enumerat quatuor. Primò enim athletæ adibant Cellam ad sudandum comparatam. Tum, ubi aquæ calidæ lavacrum erat. Et hoc proprie appellari λουτρόν ait. Tertiò transibant in lavacrum aquæ frigidæ. Ultimò in Cellam, ubi sudores detergebantur; sudare enim corpus pergebat etiam post frigidæ lotionem. μετὰ τὴν τοῦ ψυχροῦ χρῆσιν ἱδροῦσιν ἔτι. Hæc omnia brevi verborum ambitu idem Galenus libro 10. complexus fuerat. εἰσελθόντες μὲν γὰρ ὁμιλοῦσιν ἀέρι θερμῷ, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὕδωρ εἰσιᾶσι θερμὸν, εἶτ' ἐξελθόντες εἰς

ψυχρὸν, εἶτ' ἀπομάττονται τὸν ἱδρῶτα. *Ingredientes enim versantur in aëre calido: postea intrant in aquam calidam: egredientes deinde in frigidam: tandem detergunt sudorem.* Hæc magnam facem Vitruvio allucent. Palàm est, quatuor designari diversas Thermarum Cellas, hoc ordine, Laconicum, Caldam Lavationem, Frigidarium, Concameratam Sudationem.

Has omnes apte describit hìc Vitruvius. Ordinem tamen non eundem servat, quem Galenus. Iste enim, quid primò, quid tum fieret, enarrando, attendit. Vitruvius, prout quæque pars oculis ingredientium occurreret, describit. Itaque sermonem orditur a Frigidario, quod est Galeno Thermarum tertia pars. Id nominis denotat aliquando Vas aquæ frigidæ, aliquando Cellam, ubi tale Vas sit. Nec alia significatione usquam occurrit. Unde longe a vero avius fertur vir eruditus, qui in Frigidario Palæstræ ullas fuisse aquas negat, satis esse reputans eas, quæ erant in λόυτρῳ. Scilicet, non vidit in λόυτρῳ, non nisi eos versari solitos, qui tantùm frigida uti voluissent, lavando, natando. Nec eò commodum erat pergere eos, qui post calidi balnei usum in frigidam transibant; longe enim aberant, ab angulo Occidentali Palæstræ ad Orientalem. Propterea istis aliam Cellam balneo calido proximam parare opus fuit. Et hoc est Frigidarium, ubi Baptisterium, seu Piscina aquæ frigidæ surgebat, non absimilis labro τῦ λόυτρυ. quare *Piscinalis Cella* Palladio dicta. De eo, qui Frigidarium idem cum Apodyterio facit, nihil attinet dicere; manifesta enim allucinatio est. Esto, si videtur, Piscina lata pedes 44. longa 100. ut in ambitu ambulationem descriptam habeat latam pedes 8.

Peculiare fuit, quod de Villa Laurentina junior Plinius narrat, duo in eadem Balnei cella extitisse Baptisteria, ex adverso posita, quorum quodque tribus rectis constaret lateribus, quarto se in arcum curvante. *Inde*, inquit, *balinei Cella Frigidaria, spatiosa, & effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur.*

Cella Frigidaria Plinii cum duobus baptisteriis.



Ex Frigidario aqua derivabatur per fistulas, ut soliis Caldæ Lavationis defunderetur, uti mox dicendum erit.

Est quoque ex Frigidario iter in versura porticus ad Propnigeum, quod Vitruvius alibi *Præfurnium* vocat: id autem est ostium furni. Latine proprie *Fornacem* dixeris. Saltem ita Palladius loquitur, qui de area furni, sub pavimento balnei, hæc habet: *Aream primò bipedis sternis, inclinata sic tamen structura ad fornacem, ut si pilam miseris, intrò stare non possit, sed ad fornacem recurrat.* Semel, iterumque *fornacem* appellat πϱοπνίγειον. Confer cum Vitruvio lib. 5. cap. 10.

Erat autem Furnus balnei cella subterranea. Fuerit propterea opus est in pavimento Frigidarii hiatus, per quem fornacarius se demittebat, ut ad Propnigeum iret. Hiatus iste est n, qui Vitruvio *Iter*. Cæterùm Propnigeum, quia sub terra latet, in Ichnographia non exprimitur.

PROXIME AUTEM INTRORSUS E REGIONE FRIGIDARII COLLOCETUR CONCAMERATA SUDATIO O, LONGITUDINE DUPLEX, QUAM LATITUDINE.

Silent hìc viri docti; nam quid hæc Sudatio esset, quidve a Laconico distaret, nullus dum cepit. Ea est quarta, & ultima pars Thermarum, Galeno memorata, in quam post frigidum balneum se athletæ recipiebant, ut exsudarent, & sudorem abstergerent. Ab hoc usu *Sudatio*, sicuti a testudineata forma dicta est *Concamerata.* Absterso sudore, vestes athletæ induebant, & digrediebantur; quare hìc alterum Apodyterium fuerit, necesse est. Proinde *Apodyterium balinei* dicitur Plinio juniori; quod ipse Cellæ Frigidariæ conjungit, ut Vitruvius Concameratam Sudationem Frigidario.

Hinc etiam Plinius *laxum* facit Apodyterium; scilicet, ut huic duplici usui commode inserviret. Vitruvius item Concameratam Sudationem longitudine duplicem statuit, quàm latitudine. Verba Plinii de Villa apud Thuscos sunt. *Inde Apodyterium balinei, laxum, & hilare, excipit Cella Frigidaria, in qua baptisterium amplum, atque opacum.* Nec mirum, eandem cellam diversa nomina à diversis usibus esse sortitam; nam eadem quoque cella est Coryceum, & Sphæristerium: item Elæothesium, & Alipterium.

Longa est pedes 108. lata 54.

QUÆ HABEAT IN VERSURIS EX UNA PARTE LACONICUM H, AD EUNDEM MODUM, UTI SUPRA SCRIPTUM EST, COMPOSITUM: EX ADVERSO LACONICI CALDAM LAVATIONEM M.

Dicit *in versuris.* Nam una est versura exterior Palæstræ, & in ea est Laconicum: altera est versura interior Porticus duplicis, & in ea est Calda Lavatio; relicto tamen introrsus spatio pro Concamerata Sudatione collocanda. Exacte hæc omnia in Ichnographia habes expressa.

Et ecce tibi primam, secundamque Thermarum partem a Galeno designatas. Prima est Laconicum, cujus cella in exteriori ambitu quadrata est: at intrà lateribus longe pluribus distincta, non rectis, sed sinuatis, ut in quoque eorum loculus in apside fornicatus imprimi possit, quò quisque athletarum se ad sudandum reciperet. Cognoscimus hæc ex Laconico Pisano, & in nostro signavimus m.

Sub pavimento Laconici Furnus erat, ὑπόκαυστον propterea dictus, ad quem superne hiabant tubuli quadrati in Laconici pariete inserti, qui haustum ex Furno vaporem in Laconicum per superiora oscula diffundebant ad ciendum, prolectandumque sudorem. Nullæ enim ibi aquæ: & recte Galeno Laconicum est ξηρὸν βαλανεῖον, *balneum siccum.*

Cæterùm Furnus ita amplus erat, & diffusus, ut ad Caldam quoque Lavationem, quæ propterea Laconico conjuncta, pertineret, ipsiusque etiam pavimentum suspenderet. Hæc est secunda Thermarum pars, & ipsa quadrata, circùm pluribus Soliis distincta, p.

Ex succenso itaque hypocausti igni incalescebat Caldarium, aut miliarium in balneo positum: ex quo per fistulas aqua quæ satis, in balnei solia derivabatur, moderante τρόφιγγι. Vitruvii enim tempore tria erant in Thermis vasa ærea: pri-

primum erat Frigidarium in Cella cognomine, ex quo aqua influebat in Tepidarium, supra Propnigeum: ex hoc decurrebat in Caldarium, quod Furno superextabat. Illud demum sufficiebat soliis.

At non ita Palladii tempestate, cùm miliarium plumbeum in Propnigeo positum, rectà diffundebat in solia aquam ex Frigidario haustam; tepidis enim per ea tempora magis, quàm calidis lavacris capiebantur; quippe miliarium, si fornaci, id est præfurnio imminet, necesse est, ut Tepidarium sit, non Caldarium, quod ipsi Furno imponebatur; minus enim caloris sufficitur ex Propnigeo, plus ex Furno. Ejus hæc verba sunt. *Miliarium verò plumbeum, cui ærea patina subest, inter soliorum spatia forinsecus statuemus, fornace subjecta: ad quod miliarium fistula frigidaria dirigatur, & ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quæ tantum calidæ ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit.* Vides apertum discrimen inter tempora Palladii, & Vitruvii, quæ sine magno errore confundi non possunt. Vides etiam loca, ubi vasa hæc debeant collocari, in quibus investigandis viri docti se, aliosque torserunt.

Constat ex his, a Furno non unum modò Laconicum, sed & Balneum concameratione fuisse suspensum. Et hæc est *suspensura balnearum*, quam memorat Seneca ad Lucilium: *Balnearum suspensura inventa est, ne quid ad lautitiam deesset.* Ideo *ad lautitiam*, quia incalescebat ipsum etiam balnei pavimentum concamerationi superstructum; & blando eo calore plantæ pedum nudæ veluti titillabantur. In plano enim offendunt, qui hæc non intelligentes, labra quædam comminiscuntur, ad lectulorum pensilium imitationem, e laquearibus suspensa. Cui bono? Suspendi eo, quo diximus, modo per furnum balnea, antiquissimum Græciæ inventum est: apud Romanos Sergius Orata ætate L. Crassi Oratoris introduxit primus. Et ita capiendus Plinius, ubi de eo scribit: *Primus pensiles invenit balineas, ita mangonizatas villas subinde vendendo.* Id si capiamus, ut isti volunt, de balneis e tecto pendentibus, nimis inepti fuerint, qui carius Villas ab Orata propterea emebant; nam promptum erat, & similia construere, & constructa transferre. Nec demum Villæ pars esse poterant.

Latus quodque Balnei est pedes 54. ut etiam Laconici, cùm utraque cella in quadrum exeat.

Et hæ Thermæ sunt, per singulas partes explicatæ: & non sine ratione a Vitruvio in hunc Palæstræ angulum rejectæ, ut ex una parte Meridiem respiciant, ex altera Africo sint obversa. Nam de balneo ita Palladius. *Lumina ei dabimus à parte Meridiana, & Occidentis Hyberni, ut tota die Solis juvetur, & illustretur aspectu.* Paria his habet Vitruvius lib. 5. cap. 10.

Porrò fusoria, per quæ balneorum eluvies decurrat, in postico sint, Occidenti opposita.

Palæstra hactenus descripta ob inæqualitatem, vitio non caret; nam a centro Peristylii A, si quis Meridiem versus progrediendo, latus dextrum mensuret, comperiet pedes 342. cùm interim sinistrum latus ab eodem centro pedes 300 non excedat. Æqualitati Porticus duplex C obstat. Quæ tamen latera mox Vitruvius æquabit. Itaque membra exteriora persequamur.

IN PALÆSTRA PERISTYLIA, QUEMADMODUM SUPRA SCRIPTUM EST, ITA DEBENT ESSE PERFECTE DISTRIBUTA. EXTRA AUTEM DISPONANTUR PORTICUS TRES. UNA P EX PERISTYLIO EXEUNTIBUS.

Ornat Vitruvius Palæstræ aditum Porticu, quæ, ut inter membra justa commensus ratio sit, excurret in longum pedes 300, ut Peristylii latus exæquet: at lata erit pedes 42, uti reliquæ Porticus omnes, duplicibus exceptis.

Porticum istam extra Palæstram disponi ait, ut mirum sit, virum magnum, cui Galli Architecti plurimum debent, eam intra Palæstram statuisse, in Prothyro: oblitum etiam, in ædificiis potius privatis, quàm publicis fores Prothyro communiri.

DUÆ, DEXTRA, ATQUE SINISTRA, STADIATÆ. EX QUIBUS UNA Q, QUÆ SPECTAVERIT AD SEPTENTRIONEM, PERFICIATUR DUPLEX, AMPLISSIMA LATITUDINE.

Duæ Porticus istæ (de quarum una in præsens, mox de altera sumus dicturi) indicio sunt, Palæstræ latitudinem in stadium porrigi; quando ipsæ, quæ cetero ædificio haud dubie æquales, stadiatæ sunt, id est stadium longæ. Jam cùm latus Peristylii sit pedes 300, & duæ Porticus, hinc inde ad Orientem, & Occidentem adnexæ, conficiant simul pedes 84; fit; quæ statim sequuntur, explere pedes 108 singulas. Istæ enim mensuræ omnes, in unum computatæ, stadium faciunt.

Itaque Porticus exterior Septentrionalis stadiata est, seu longa pedes 600. At quia duplex, lata pedes 84 Aditus ad eam per N, N, singuli lati pedes 42. In ea discipuli, aut spatiabantur, aut λέσχας habebant. Λέσχας cum Hierocle voco conventiunculas, quas discipuli, qui ideo λεσχηνῶται dicti, de sapientia habent. Erant hæ *Leschæ* Apollini λεσχηνορίῳ sacræ. Harpocratio ex Cleanthe: ἀπονενεμῆσθαι τῷ ἀπόλλωνι τὰς λέσχας.

ALTERA SIMPLEX R, ITA FACTA, UTI IN PARTIBUS, QUÆ FUERINT CIRCA PARIETES, ET QUÆ ERUNT AD COLUMNAS, MARGINES HABEAT (circa parietes c, c, c: ad columnas, o) UTI SEMITAS, NON MINUS PEDUM DENUM, MEDIUMQUE e EXCAVATUM, UTI GRADUS BINI d d SINT IN DESCENSU SESQUIPEDALI A MARGINIBUS ccc, o, AD PLANITIEM e e. QUÆ PLANITIES SIT NON MINUS LATA PEDUM DUODECIM. ITA QUI VESTITI AMBULAVERINT IN MARGINIBUS, NON IMPEDIENTUR AB UNCTIS SE EXERCENTIBUS. HÆC AUTEM PORTICUS ΞΥΣΤΟΣ APUD GRÆCOS VOCITATUR, QUOD ATHLETÆ PER HYBERNA TEMPORA IN TECTIS STADIIS EXERCENTUR.

Hactenus de Porticu stadiata Septentrionali, id est sinistra. Nunc de Meridionali, quam *dextram* suprà Vitruvius dixit. Est ergo Palæstræ conjuncta, longa & ipsa, ut Septentrionalis, pedes 600. lata, quia simplex, pedes solùm 42. Jam vides æquata hic à Vitruvio latera Palæstræ, si a centro Peristylii computationem ineas; hinc enim in Septentrionem numerantur pedes 384. illinc ad Meridianas plagas, totidem.

De ea multa docet, quæ ad duo summa capita reducuntur. Primò, ut a postremis ordiar, tradit usum; extrui eam, ut athletæ per hyberna tempora, cœlo præsertim pluvio, ibi se exercerent, sub tecto: & ad hoc rasa humus erat, a qua rasura Porticus *Xystus* dicitur. Sudo cœlo, & per æstatem athletæ prodibant in Xysta, ubi sub divo exercitationibus vacabant, de qua re loco dicemus.

 Dein-

Deinde partes, quæ tres omnino ſunt, & ſingularum dimenſiones oſtendit. Primam faciunt Margines, qui juxta tres parietes Porticus, & juxta columnas, quæ in latere Meridionali ſurgunt, velut ſemitæ diſcurrunt. Horum cujusque latitudo eſt minimùm pedes 10. Alteram conſtituit Medium excavatum, id eſt planities in media Porticu depreſſa, humo raſa. Id Græci σκάμμα vocant: quod Vitruvius hic exprimere conatus eſt, dum *Excavatum* appellat; id enim Græce eſt σκάμμα. Et ſicut in marginibus conſiſtebant ſpectatores, ita in ſcammate ſe exercebant athletæ: propterea Tertullianus athletas ab Epiſtate ungi, & in ſcamma deduci ait, lib. ad Martyres, cap. 3. Latum eſt non minus pedes 12. Ultimam efficiunt Gradus bini, qui ſunt in deſcenſu a marginibus ad ſcamma. Ita fiet, ut ſpectatores, qui morantur in marginibus, infici ab athletis nequeant, qui uncti ſe exercent in ſcammate. Cujusque gradus retractio ſesquipedem explet.

Jam ſi has omnes menſuras conferamus in unum, colligentur pedes 38. quibus ſi addideris pedes quatuor, quot ſibi vindicant ſtylobatæ, comperies Porticum eam in latum extendi pedes minimùm 42; quando latitudines marginum, & ſcammatis, quas hic Vitruvius exhibet, minores ſine vitio eſſe nequeunt: nihil tamen obſtat, quin in majus ſpatium diffundi queant.

Et hæc Porticus poſita a Vitruvio eſt pro regula latitudinis Porticuum cæterarum, quas propterea nos pedum 42 ſingulas fecimus. De lateribus ſtylobatarum tacuit Vitruvius, quia incerta ſunt, & variari ferme pro arbitrio poſſunt. Nos pedes quaternos gratia exempli dedimus. Si cui libet, plus minusve ſumat.

Ecce, ut Vitruvius more magnorum virorum, non omnes, ſed paucas hujus ædificii menſuras exhibet, eas ſcilicet, quæ reliquarum omnium regulæ ſunt, & ex quibus facile ceteras, de quibus ipſe ſilet, poſſumus venari. Nos tamen, ut interpretis munere fungeremur, ſingulas expresſimus.

Menſuræ Vitruvianæ ſunt.

Periſtylii ambitus pedum 1200.

Longitudo Xyſti pedum 600.

Ejusdem latitudo per partes expreſſa pedum 38, cui addendum latus ſtylobatæ.

Et ex his totius Palæſtræ, & membrorum principum menſuræ patent omnes. At in Cellis athletarum ita procedit.

Ephebeum tertia parte longius, quàm latum.

Frigida Lavatio, & tres cellæ Thermarum in verſuris Porticus.

Concamerata Sudatio duplò longior, quàm lata. Ex quibus reliquarum cellarum menſuras facile eſt colligere: quod & fecimus. Et de Palæſtra hactenus.

DESCRIPTIO XYSTORUM.

FACIENDA AUTEM XYSTA SIC VIDENTUR, UT SINT INTER DUAS PORTICUS S, T, SILVÆ, AUT PLATANONES ββββ. ET IN HIS PERFICIANTUR INTER ARBORES AMBULATIONES VV. IBIQUE EX OPERE SIGNINO STATIONES ∂∂∂∂.

Alteram Gymnaſii partem faciunt Xyſta in poſtico Palæſtræ ſub dio explicata, ab ea tamen disjuncta. Ea concludit Vitruvius Porticibus tectis duabus, S, T, quarum altera ad Septentrionem ſpectat, altera ad Meridiem, lata quæque pedes 42, ut cetera diſtantia a columnis ad columnas æquet ſtadium, id eſt pedes 600.

Longitudo Xyſtorum eſt pedum 642. Hæc ita diſtribuitur, ut pedes 600 occupent ſilvæ, ambulationes, ſtationes, ut in Ichnographia: at qui ſuperſunt pedes 42 prope Palæſtram, deſtinentur Hypæthræ Ambulationi, ut dicam.

PROXIME AUTEM XYSTUM R, ET DUPLICEM PORTICUM Q DESIGNENTUR HYPÆTHRÆ AMBULATIONES X, QUAS GRÆCI ΠΕΡΙΔΡΟΜΙΔΑΣ, NOSTRI XYSTA APPELLANT: IN QUAS PER HIEMEM EX XYSTO R SERENO COELO ATHLETÆ PRODEUNTES EXERCENTUR.

Docet Vitruvius diſtingui apud Latinos Xyſtum, & Xyſta; ut Xyſtus ſit Porticus, ubi ſub tecto athletæ per hiemem pluvio tempore exercebantur: Xyſta verò ſint ſubdivalis ambulatio, quò per æſtatem, & cœlo ſereno commigrabant ad conſuetas exercitationes. Græce tamen uterque locus præciſe ξυςὸς dicitur. Plena oratio in ſubdivali eſſet ξυςὸς δρόμος, in tecto ςοὰ ξυςὸς, Attice. Inde σύμπας ξυςὸς in Inſcriptione Romana.

M. Αυρηλίȣ Δημητρίȣ ἀρχιερέως τȣ̃
σύμπαντος
ξυςȣ̃ διὰ βίȣ ξυςάρχȣ.

Hoc eſt, *Xyſtarchæ utriusque ſimul Xyſti*, & tectæ & ſubdivalis. Hæc enim, miſſis aliorum nugis, ita capienda ſunt. Et athletæ σύνοδος ξυςικὴ dicuntur ab Imperatore Antonino in alia Inſcriptione.

συνόδῳ
ξυςικῇ τῶν περὶ τὸν ἡρακλέα ἀθλητῶν
ἱερονείκων
ςεφανείτων χαίρειν.

Quin nec Latini ſemper eo discrimine, quod notat Vitruvius, uſi ſunt: & Hypæthram Ambulationem quandoque *Xyſtum* dixerunt. Quod quidam reperiri perperam negant. Conſtat id ex verbis Valentiniani in Codice Theodoſiano: *Exceptis Porticus, Xyſti, Virginumque Veſtalium, quot Regiones Urbis ſunt, totidem conſtituantur Archiatri.* Ubi *Porticus* eſt, quæ Vitruvio Xyſtus: at *Xyſtus*, quæ eidem Xyſta, & περιδρομίδες. Budæus vir egregie doctus, legit παραδρομίδες, quòd eſſent juxta δρόμȣς, ceterosque in aſſenſum traxit. Sed non ego credulus illi, qui ſciam ipſa hæc Xyſta eſſe δρόμȣς. Quare nihil mutandum. Vitruvius περιδρομίδας vertit *Ambulationes.* Quod utriusque linguæ ſtudioſi non negligent.

Erant Hypæthræ Ambulationes proxime Xyſtum, & Porticum duplicem, ſtadiatam ſcilicet. Quod ſtare non poteſt, niſi collocentur in poſtica parte Palæſtræ: a qua tamen proxime diſtabant, pedes, ſi libet, 21, id eſt dimidia Porticuum latitudine, ut athletæ brevi itinere ex proxima Xyſto prodeuntes, pervenirent ad Xyſta. Horum longitudo ſtadium æquat, quantum inter ſe diſtant laterales Porticus, S, T, quibus concluduntur. Latitudo pedes 42.

DE STADIO.

POST XYSTUM AUTEM R, STADIUM Z ITA FIGURATUM, UT POSSINT HOMINUM COPIÆ CUM LAXAMENTO ATHLETAS CERTANTES SPECTARE.

Partes Gymnaſii ultimo loco deſcriptæ, id eſt Xyſtus, & Xyſta, privatis athletarum exercitationibus erant deſtinatæ, ad quas tamen ſpectandas

das non minima hominum vis confluebat. Stadium A verò adibant athletæ ad decertandum in publicis ſolemnitatibus, tanquam ab umbra prodeuntes in Solem, & pulverem; ut a totius Græciæ oculis ſpectarentur. Propterea circa Stadium Vitruvius gradus pro ſpectatoribus exigit; gradibus Amphitheatri non diſſimiles, qui ingenti hominum multitudini capiendæ ſint pares.

Longitudo Stadii neminem latet. Latitudo erat, opinor, pedes 42; nam etſi hic nulli ſtylobatæ, extabant tamen in medio cippi κ, κ, κ, e lapide quadrato ſinguli. Primus, qui ſtabat in principio Stadii, inſcriptum in uno latere habebat, ΑΡΙΣΤΕΥΕ, *Vir eſto.* Alter, qui in medio curſu, eodem modo ΣΠΕΥΔΕ, *Feſtina.* Tertius, qui in fine pro meta erat, ΚΑΜΨΟΝ, *Volve.* Hæc eadem in altero latere erant ἐπιγράμματα.

Quicunque harum rerum ſenſum habent, & Vitruvium intelligunt, quin recte a nobis Gymnaſium deſcriptum ſit, dubitare non poſſunt. Aliorum hac in re errores, qui multi, & maximi ſunt, quisque jam per ſe deprehendere poteſt; nec enim noſtri moris eſt imitari eos, qui in viros doctiſſimos juveniliter inſultant.

CARO,

CAROLUS PONARUS

LECTORI S.

Superioribus diebus, cùm dissertatiuncula hæc de Mausolei Architectura esset jam formis excudenda, accidit, ut Auctori sermo oriretur cum V. Cl. Didaco a Vidania, quem officii causa convenerat, de Nummo, qui frequens apud Antiquarios, & ex una parte Artemisiæ προτομὴν *effingit, ex altera Mausoleum. Is statim, ut est eruditissimus, eum a Gisberto Cupero adnotationibus illustratum ostendit, de quo noster Auctor antea inaudierat nihil; quare pro indicio egit viro præstantissimo gratias, quando hæc nosse sua vel maxime intererat. De eo Nummo quid sentiat, quæris? Eum quidem cum Cupero fictitium, & malæ notæ agnoscit: at artificem fuisse ingeniosum, & qui mentem Plinii optime perceperit, ut Cuperus contendit, id verò negat. Causas, quibus adductus ita statuat, hic tibi in limine notas facere, non alienum puto. Circa columnas non uno modo artifex allucinatur; nam & decem numero in fronte Mausolei exhibet, duas scilicet minùs vero: & in ædificio Periptero angulares omittit; ut de gradibus Pyramidis taceam, quos ob summam negligentiam quinque tantùm exprimit. An hoc sit Plinii mentem assequi, tui judicii esto. Auriga in summo conspicitur, tanquam Hieronica, in curru sedens, cui a tergo Victoriola coronam imponit. Verius tamen est, repræsentasse Agitatorem erectum, instar auriganti in Hippodromo. Sed ne quid dissimulem, inter tot errores illud rectè habet, quòd Mausoleum* τριζώνιον *sit, & quòd Scalæ subjectæ cernantur. Quæ sane duo, cùm ad Plinium intelligendum maxime faciant, Cuperus tamen aut non vidit, aut neglexit. In ea quo casu artifex Nummi inciderit, nescio. Certe casu, ut argumento sunt reliqua, quæ habet, falsa, inepta; nam qui hæc e Plinio certa ratione elicit, in ceteris errare non potest. Extat & alter Artemisiæ Nummus in nobili Museo Francisci Picchetti, adulterinus & ipse, sed inventu rarior, nec Cupero visus, in quo quædam meliora sunt, quædam deteriora, nonnulla paria. Scalas exhibet, & quidem expressius. Columnæ pariter decem in fronte visuntur, sed saniori consilio extremæ duæ angulis insident. At verò perperam altitudo inferior una constat Zona, quam efficiunt Columnæ cum trabeatione, quas podium finit. Tum surgit Pyramis multiplicibus distincta gradibus, ubi, quod mireris, latus quodque est per medium, a summo ad imum, profundiori semita intercisum. Unde hoc artifex hausit? sine dubio, ex vano; alioqui commendandus in Quadriga, quæ tanquam in cursu est, etsi Agitator attritu obliteratus, non appareat. Ita sese Nummi isti invicem refellunt, falsique arguunt. Nec te pluribus morer: ad ipsam dissertationem adi. Vale.*

DE

DOMINICI AULISI
DE MAUSOLEI
ARCHITECTURA
COMMENTARIUM.

Pulchre sibi consuluerunt viri de Plinio optime meriti, qui licet omnem operam in eo auctore illustrando posuerint, tamen quæ ab ipso de Mausolei structura produntur, pœne intentata reliquerunt. Illos sane absterruit laboris difficultas, dubiusque exitus; rem enim undique involutam satius est omnino non attingere, quàm fatigando nectere magis: aut certe re nihilo minus inconfecta discedere. Id consilium imitari tutum erat; nisi contrà revocassent alii, quos animi impetus eò impellit, ut quæ a ceteris omnibus desperata vident, ad ea B promptius aggrediantur. Quos ut hìc sequar, facit non laudis aut cupido, aut spes: sed facilis in lapsu culpæ deprecatio. Ecquis enim non ei libenti animo parcat, qui in iis offendit, & labitur, quæ sibi quoque impervia fateatur?

Verba Plinii de Mausoleo hæc sunt: *Patet ab Austro in Septentrionem* (alii Codices, *ab Austro, & Septentrione*) *sexagenos ternos pedes: brevius a frontibus: toto circuitu pedes* CCCCXI. *Attollitur in altitudinem* XXV. *cubitis. Cingitur columnis* XXXVI. Quidam addunt, *Pteron vocavere.* Et mox. *Supra Pteron Pyramis altitudinem* (vel, *altitudine*) C *inferiorem æquavit,* XXIIII. *gradibus, in metæ cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta* CXL *pedum altitudine totum opus includit.* Hæc ipse.

Palàm est, a Plinio quæstionem Architectis explicandam proponi, his membris ædificii, his mensuris, quæ ipse prodit, universam Mausolei formam, dispositionemque pervestigare. Eam nos, quà fieri potest, solvere conabimur; si modò prius insigne ex verbis Plinii mendum, quod euntes nos remorari posset, amoveamus; nam cùm totum opus quatuor lateribus fuerit conclusum, quæ non omnia æquali proportione inter se convenirent, sed opposita duo longius excur- D rerent; Plinius ait, latera fuisse porrectiora, frontes breviores. Quod stare nullo modo potest; nam si latera explent singula 63 pedes, & totus ambitus pedes colligit 411; qua demum ratione frontes breviores erunt? Certe emendandum, *Longius a frontibus*: vel, *brevius quàm a frontibus*, Quanquam de hoc ambitu quid statuendum sit, porrò dicemus.

Illud primò pro *Ichnographia* occurrit; in eo, quem posuimus, ambitu quæ fuerint intervalla columnarum a centro ad centrum, quotque earundem singulis lateribus tributæ. Res, ut omnia conere, exitum nullum habitura est, nisi E sciamus, præteritas a Plinio esse partes quasdam minus principales, quas nobis scrutandas mensuris a se prolatis reliquit, ut haberemus in quo industriam nostram exercere possimus. Sunt hæ partes, Aditus duo, unus in fronte, alter in postico: & Scalæ, quæ ædificia a plano erigentes, iisdem non minimam dignitatem, majestatemque conciliant. Ita omnia pulchre inter se apta congruent, ut demonstrandum est.

Ichnographia Mausolei sit B. In latere AC extabant sine dubio columnæ octo, abeuntes invicem pari intervallo pedum novenum, si computationem a centro ad centrum ineamus; ita enim habebimus pedes 63, quot Plinius lateri adscribit. *Ab Austro ad Septentrionem*, latus AC ad Occidentem verget, ut expressimus in Ichnographia. At si placet altera lectio, *Ab Austro, & Septentrione*, Meridiem spectabit.

Hoc, veluti Herma quodam in trivio, statuto, cetera in prono erunt, & facile investiganti sese obvia ferent; inde enim fit, ut in fronte AD fuerint dispositæ columnæ duodecim, computatis angularibus, A, D: quæ & ipsæ novenos pedes distent singulæ, excepto medio spatio EG, quod laxius est, ut facilem aditum petentibus cellam præbeat: qui aditus latitudinem habet, quæ Scalarum erit, pedum decem semis. Itaque frons AD excurret ad pedes $100\frac{1}{2}$.

Necdum tamen res confecta est; nam si col-



ligantur in summam unam omnia quatuor latera, comperiemus integrum ambitum ADFC conficere pedes 327: & deficient a calculo Pliniano 84. Nihil tamen id nos turbat, nec de gradu movet; quin aditum ad cetera investiganda aperit. Sane ambitus, quem metitus est Plinius, non progreditur per lineas, quæ columnarum centra percurrunt, ut a nobis hactenus factum: sed extimam radit Scalarum oram HILK, ut ipse rerum omnium inter se nexus, & consensus ostendit. Quæ probandi ratio omnium firmissima est.

Itaque pro Scalis extruendis, partiemur reliquos pedes 84. in octo exteriora latera Quadratorum MN, TS, RQ, PO. Et cuique lateri contingent pedes decem semis. Numerant ergo Scalæ in latere pedes 84, in fronte pedes $121\frac{1}{2}$. Qui si duplicentur, exhibent, ne uno quidem minus, summam Plinianam 411.

Hæc vel invitis fidem facient, nos εὐστόχως ſenſiſſe; tamen ſi quæ dubitatio reliqua eſſe poteſt, eam eximent Scalæ ipſæ, quæ non caſu, aut pro arbitrio, ſed certa ratione hoc ſpatium nactæ ſunt. Primò enim Scalarum latitudo maximam concinnitatem habet ex ipſo membrorum commenſu; æquat enim aditum Mauſolei E G, cùm utrobique numerentur pedes deni cum ſemiſſe. Deinde graduum impar numerus eſt; quia enim retractio gradus cujusque minimùm ſesquipedalis eſt, aſcenſus ad Mauſoleum erit per gradus ſeptem, quot capit latitudo pedum $10\frac{1}{2}$. Quem imparem graduum numerum olim in Scalis ſolicite perquiſitum, nemo neſcit, ob ſuperſtitionem ingrediendi dextro pede; nam qui eo primum gradum aſcendit, eodem in ædes, aut in templum perveniet.

Ex his conſtat & illud, baſis Plinthum in columnis expleſſe pedes tres, quoquo verſus; nam ſupremus Scalarum gradus ſesquipedalis ſub columnas excurrens, deſinit in ipſarum centris. Nec projectura baſis procedere extra ſolidum gradus ultimi poteſt.

Sed abs re non fuerit, antequam progrediar ulterius, hìc quo alio exemplo oſtendere, in ædificiorum membris, menſurisque tradendis quædam præteriri, quæ indidem ſupplenda peritis permittuntur. Exemplum eſto ex Plinio ipſo, qui de Templo Epheſiæ Dianæ hæc habet. *Univerſo Templo longitudo eſt* CCCCXXV *pedum. Latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti ſeptem a ſingulis Regibus factæ*, LX *pedum altitudine.* Ex quibus nunquam te expedies, niſi in fronte ſint columnæ 22, diſtantes intervallo denum pedum a centro ad centrum; relicto medio ſpatio 20 pedum pro aditu, ſeu



A oſtio. In poſtico columnæ 23, oſtio nullo. At in quoque latere extent columnæ 43, computatis angularibus, inter quas pateant aditus bini, pedum duodenum cum ſemiſſe ſinguli. Ita ambitus cum numero columnarum recte congruet. Aditus quisque lateralis extabat, opinor, inter columnam 14, & 15, ordiendo ſemper hinc inde ab angularibus, ut medium inter aditus ſpatium occupaverint columnæ quindecim. Alia de hac æde Architectis ſcitu digna habes apud eundem Plinium lib. 36. cap. 23.

Sed ut revertar ad rem, poſtrema verba, quæ in quibusdam libris Turnebus legit, *Pteron vo-*
B *cavere*, quin hìc perperam aſſuta ſint ob ſequentia illa, *ſupra Pteron*, vix eſt, ut dubitemus; quod & ex his, quæ dicturi ſumus, clare conſtabit.

Progrediamur modò ad erectam frontis imaginem, quæ *Orthographia* nuncupatur.

Prima Mauſolei altitudo ſurgebat ad cubitos 25. Putant a Plinio cubiti nomine intelligi pedis unius, & dimidii menſuram; quem tamen errorem facile extorquebit computatio, quam Plinius de totius Operis altitudine inſtituit. Ea eſt pedum 140, quorum 25 cubitos tribuit inferiori altitudini, totidem ſuperiori: quod reliquum
C eſt, occupatum a Ptero, & Quadriga ait. Quocirca ſi cubitus hìc ſit ſesquipedalis, ſurgent Pteron, & Quadriga ad pedes 65. Quod facile recipiet nemo. Certe omnia reſpondent melius, ſi capimus de Cubito *Hiſtorico* pedum duorum; ſic enim appellatur, ut prior ille cubitus *Regius*, aut *Juſtus*. Hero de menſuris: ὁ πῆχυς εὐθυμετρικὸς ἢ βασιλικὸς καλούμενος πόδα φιλεταιρικὸν αϛ΄. ὁ πῆχυς ὁ ἰσομικὸς δακτύλους λβ΄, πόδας δύο. Quam dimenſionem ſi ſequamur, altitudo Pteri, & Quadrigæ explebit pedes non amplius 40. Quod verius eſt.

Erit ergo prima altitudo pedum 50, non a
D ſummis ſcalis, ſed a plano. Septem ſcalarum gradus alti ſunt pedes 5. uncias 10; cùm ſinguli, ut mollis ſit aſcenſus, non ſint craſſiores dextante. Subductis his, reliqui fient pedes 44 cum ſextante, quos partim vindicabunt columnæ, partim mediæ Zonæ paries.

Ad inveniendam columnarum altitudinem nos veluti manu ducere poteſt ſpiræ Plinthus, quæ trium pedum quoquo verſus eſt, ut jam obſervavimus. At quod columnarum genus ſeligemus? Cùm plura tentando experti eſſemus, nihil comperimus, quod æque calculo, & rationi
E reſpondeat, quam genus Corinthium; quod etiam ob altitudinem, qua reliqua genera ſuperat, apte huc venit. Hæc præſertim in cauſa fuere, cur rejecerimus columnam Doricam, quæ alioquin, ut ſeverioris ſtructuræ, ſatis Heroibus conveniebat. Nolui hæc ſilentio præterire, ne forte quod judicium fuit, oblivio videretur.

Projectura baſis ab uno latere eſto quadrans craſſitudinis, ſeu diametri columnæ in imo ſcapo: quæ eſt ἐκφορὰ baſis in genere Dorico, ſed & generi Corinthio uſui eſt, ubi nimirum co-
F lumna a ſolo ſurgit, id eſt baſim habet, ſed non ſtylobatam. Ergo craſſitudo columnæ erit pedum 2: integram projecturam baſis faciet pes unus, hinc inde ſemis. Hæc omnia ſimul juncta efficiunt pedes tres, quot Plinthi latus habet. Et quia in genere Corinthio altitudo columnæ cum baſi, & capitulo novies ſuperat dimetientem imi ſcapi, hinc ea erit pedum 18, in hunc modum; Capitulum altum p. 2: ſpira p. 1: ſcapus p. 15.

Pro Epiſtylio, Zophoro, & Corona capiemus

A mus quadrantem pedum 18: qui tributus in partes decem, tres cedent Epistylio, totidem Zophoro, reliquæ quatuor Coronæ. Ita unà cum trabeatione columna evadet alta pedes 22 semis. Interim, si minima quæque nimis curiose consectatus videor, excusabit, opinor, nos, quòd ita singula lucem sibi mutuò dant, & recipiunt. Ex Templo Ephesio vir doctus conjectat, columnis altitudinem fuisse pedum minimùm 60. Qua divinatione quid levius? Quid verbis Plinii magis contrarium, qui palàm columnas intra altitudinem 25 cubitorum concludit?

Hinc est, intercolumnium patere pedes septem, B in quod spatium columnæ tres cum dimidia inseri possunt. Quocirca est ædificium speciei Aræostyli, quam damnant Architecti, quòd epistylia ob intervallorum laxitatem frangi facile possunt. At damnant, ubi grave onus ferre debet; nam si summæ trabeationi paries nullus superstruatur, non repugnant. Vitruvius lib. 6. c. 4. de impluvio: *Peristyliorum intercolumnia ne minus trium, ne plus quatuor columnarum crassitudine inter se distent.* Ea laxitas in Mausoleo videtur electa, ne signa, quæ sine dubio ad parietem Cellæ sub apsidibus erant, & a quibus ædificio huic maxima commendatio accessit, C columnarum objectu, & frequentia obscurarentur.

Paries ergo non incubuit columnis, quæ certe ei ferendo non sunt. Mihi omnino videtur, intra septum columnarum ADFC stetisse parietem *abdc*, qui distaret a columnarum basibus, quantum ipsæ bases inter se distant, id est pedes sex; ut ambulatio fuerit circa Mausolei Cellam sub Porticu; neque enim adhærere columnis paries recte potest, quando anguli A, D, F, C, a columnis obsidentur.

Quod si columnis podium placeat imponere, quod summam trabeationem finiat, non repugno. D Id ratio exigit, licet non sit verbis Plinii comprehensum.

Et hæc Plinio est inferior Mausolei altitudo, cubitorum 25. cui primam Zonam Porticus facit, secundam interior paries superextans ad pedes 21 cum besse. Et hìc desinunt fornices Cellæ.

Sequitur deinde Pteron pro tertia Zona. Falluntur quicunque Pteron prima altitudine concludi putant: quos manifeste Plinii calculus rejicit; cùm enim prima ædificii altitudo fuerit pedum 50. Pyramidisque par elevatio, reliqui 40 erunt tribuendi soli Quadrigæ. Quod est E ineptum. Præterea hæc omnia Plinius satis aperte distinguit, qui ubi primæ altitudini tribuisset 25 cubitos, tum de Ptero meminit, nulla prodita mensura: progreditur deinde ad Pyramidem; quam pariter 25 cubitorum facit: mentionem tandem injicit Quadrigæ, nulla etiam dimensione apposita. Sed quæ & Pteri, & Quadrigæ altitudo fuerit, docet, ubi totum ædificium pedes 140 æquasse testatur. Stet ergo pedes reliquos 40 inter duo hæc membra tribui debere. Quadriga sibi 20 vindicat, ut dicam: quare totidem relinquentur Ptero. Id & symmetria poscit, ut ex quatuor partibus, sicut est F æqualis prima tertiæ, ita sit secunda quartæ. Quod in his rebus magnum est argumentum, si non maximum.

Hæc ultima Mausolei Zona, undique patens, & pervia, solis columnis erat distincta; nam *Pteri* nomen ad columnas refertur, ut argumento esse possunt verba Architectorum illa, *Monopteros*, *Dipteros*, & hujus generis alia. Non in unis modò lateribus, sed per totam areæ capacitatem surgebant columnæ, quæ multiplici discursu varias Porticus efficientes, opere fornicato Pyramidem sustinebant, ut extorquent hæc veteris Poëtæ carmina:

Aëre nec vacuo pendentia Mausolea
Laudibus immodicis Cares in astra ferant.

Hìc *Mausolea* sunt, ut quisque videt, suprema Mausolei pars, idest Pyramis. Eam *pendere* ait. Quod verbum Architectonicum est. Dicitur de ædificiis, quæ concameratione sustinentur, ut *balneæ pensiles*, *urbs pensilis* Plinii. Ita ipsi fornices *suspendere* dicuntur ea, quæ superstructa sunt. *Suspensuras caldariorum* habes apud Vitruvium. *Suspensuras cellarum*, & *cuniculis pavimenta suspendere* apud Palladium.

Pteri nomen huic Zonæ etiam ex eo convenit, quòd suprema sit; nam quidquid extremum est, *Pteron* quandoque dicitur: quare moles ædificiorum extra murum Ægyptii Labyrinthi, *Pteron* Alexandrini vocabant, ut Plinius memorat. Sed prior explicatio longe aptior, & verior.

Dispositionem, & numerum columnarum in lateribus Pteri, quanquam id nihil conducat ad Plinium intelligendum, qui de illis privatim non meminit, quia tamen inde totius ædificii ratio magis, magisque inclarescit, hìc ne quid intentatum relinquamus, investigare alienum non est.

In Ichnographia B, area Cellæ *a b d c* ad altitudinem pedum 50. ubi Pteron incipit, ob acclivitatem, & contracturam parietum decrescit. Apte decrescet quoquoversus sesquipedem, ut latus *a b* evadat pedum 45: frons *b d* pedum 82 semis.

Jam si libeat, in his columnas collocare ad Pteron efformandum, valde laborandum non est; nam latus capiet columnas 8, quarum centra distent spatio pedum senum. Ita colliges pedes 42. relicto pro angularibus columnis forinsecus hinc inde sesquipede, ne bases extra solidum procurrant.

Pari ratione tres pedes eximemus e longitudine frontis, in qua ita disponentur columnæ 14. ut ad latera senæ sint, in medio spatio duæ.

Ex his pronum est intelligere, Pteron fuisse in genere ædificii Pycnostyli, ut superimpositum Pyramidis onus excipere, & ferre posset: ob quam etiam causam electæ fuere columnæ iis breviores, quæ erant in Porticu primæ Zonæ; non enim excedunt cum fornicibus altitudinem pedum 20.

Supra Pteron ergo quiescebat Pyramis, quæ Mausoli sepulcro imposita est more Ægyptio; in eo enim opere excitando Artemisia cum Ægyptiis magnificentia certavit, vicit elegantia, & subtilitate artis. Surgebat & ipsa, ut inferior altitudo, ad cubitos 25. gradibus 24 distincta, ut cujusque gradus crassitudini cesserint supra unciam, pedes duo. Et id ad imitationem Pyramidum Ægyptiarum, in quibus lapides ita commissi sunt, & apti, ut ascensum usque ad summam planitiem præbeant: durum tamen illum, & difficilem, ob nimiam graduum crassitiem, & retractionem ita brevem, ut vix consisti vestigio possit. Exemplum exhibet Serlius.

Commentum viri docti, qui nuper Plinium illustravit, de duplici Pyramide, quarum una inferior, 25 cubitos alta, inclusa columnis surgentibus ad pedes minimum 60: altera superior his columnis innixa, æqualis primæ; nihil moror. Nec eò ducunt verba Plinii, *Pyramis altitudine inferiorem æquavit*, quæ aliud omnino sibi volunt; sunt

sunt enim referenda non ad ullam Pyramidem, cujus nulla in antecedentibus mentio: sed ad altitudinem inferiorem, expressam in illis: *Attollitur in altitudinem 25 cubitis.* Alii Codices clarius habent: *Pyramis altitudinem inferiorem æquavit.* Denique nihil certius, quam a Plinio non nisi exteriorem operis faciem describi.

Pyramis paulatim sursum versum decrescens in summo velut abrupta, diffundebatur, & patescebat in campum. Non enim desinebat in fastigium A, sed tollens se a centro B usque ad O pedes 50, secta erat parallelogrammo altera parte longiore EI, quod undique æquè distabat a basi Pyramidis TC. Latera EF, FI hujusce plani quàm facillima investigatu sunt.

Esto perpendiculum AB æquale lateri majori basis TD, idest pedum 81 semis, seu duplum ipsius BS. Et ab ipso AB auferatur BO pedum 50, remanebit AO duplum OG, seu æquale EF, pedum 31 semis.

Rursus ut AB pedum 81 semis ad BK 22,



dimidium lateris minoris DC, ita AO $31\frac{1}{2}$ ad OH, ideft FG, pedum $8\frac{1}{2}$, & quod excurrit. Quocirca totum latus FI erit pedes 17.

Hanc aream, ut oblongam, decenter occupabat Quadriga, qua agitatores in Stadio Olympico decurrebant. Erat, opinor, tanquam in cursu, ut speciem exhiberet humanæ vitæ continuò properantis ad metam. Ecquod aptius sepulcro symbolum? Alexis:

— τὸν γὰρ ὕστατον
τρέχων δίαυλον τοῦ βίου, ζῆν βούλομαι.

Eò etiam pertinent naves, quas aliquando sepulcris appositas scimus. Ecce Simeon Thassi in Mausoleo, ad omnem memoriam illustri, quod prope a Diospoli excitavit, navem singulis Pyramidibus adjecit. Describitur a Josepho. Trimalcio apud Petronium: *Te rogo, ut naves etiam monumenti mei facias plenis velis euntes.* Quasi non alius nos portus excipiat, quàm sepulcrum.

Ipsa areæ latitudo pedum 17, argumento est, membra Quadrigæ in duplum fuisse aucta, ut longo intervallo extenuata, justam magnitudi-

A nem oculis spectantium objicerent. Equi cursoris crassitudo cùm sit pedibus duobus minor, constat pedes $8\frac{1}{2}$ apte tribui quatuor equis, relicto justo spatio tam pro mediis equis jugalibus, quàm pro extremis funariis. Ergo qui assignat ipsis pedes 17. auget in duplum.

At areæ longitudinem pedum 31 semis, non totam equi, & currus explebant; nam concertantium currus brevissimus erat, duabus tantùm rotis delatus, cui duplicato non nisi pedes quinque deberi possunt, ut alii 15 cum semisse equis, & ipsis in duplum auctis. Et ita ante, & pone relicti in area quini pedes cum semisse puri

B ad Stadii longitudinem designandam, tanquam Quadriga in medio spatio esset, relictis hinc carceribus, illinc provolans ad metas.

Sed jam ad se nos vocat Agitator, qui in curru erectus, & imminens equis animos addebat, ut repræsentatur in nummis Neronis, & Severi, & in eo, quem Crotoniatæ in Trajani honorem cuderunt. Is, si eandem proportionem servamus, ingrandescebat ad pedes 12, quando sex pedum justa hominis magnitudo est, Vegetio teste. Cui si octo pedes currus altitudo duplicata addidit, jam tota Mausolei moles fuerit alta pedes 140, ut Plinius habet. Nihil est er-

C go causæ, cur Dalecampius numeros Plinianos corruptos causetur.

In hac tota Mausolei structura nihil esse arbitror, quod Architecti non commendent; nisi forte aliquem offendat ostium in majori latere situm. Quod, opinor, in causa fuit, ut in Plinio hodie legatur, *brevius a frontibus.* Huic difficultati certius respondere possemus, si nobis auctores membra, & opera, quæ intus in Cella extabant, nota facere voluissent. Certe causam aliquam inveniremus non dissimilem ei, quæ veteres Architectos impulit, ut & in Gymnasio ostium in latere majori aperirent. Nunc in tan-

D to eorum silentio difficilis divinatio est. Quid, si per Cellæ spatia duo sepulcra disposita credamus, unum Mausolo, alterum Artemisiæ? quando & viventes sibi monumenta extruebant, heredum officia præsumentes. Unde in veteribus sepulcrorum lapidibus frequenter illa occurrunt, V. S. ideſt, *vivus sibi.* Et in Oriente de Asa, Sobna, & Josepho Arimathæensi notum est, ut de aliis sileam. Si ita, inquam, credamus, quid aptius, quàm ostium in majori latere collocare, ut ingredientes Cellam, statim alterum ad dexteram, alterum ad sinistram haberent? Artemisiæ etiam amor persuadet, ut non alibi quiescere

E voluerit, quàm ubi mariti sepulcrum spectaretur. Sed hæc diffinire periculosum est; nec eò dico, ut quidquam affirmem, sed ut intelligamus non deesse causas, ob quas ostium a latere minori in majus transferri non modò decens, sed propemodum necessarium sit.

Et hæc pro Plinii quæstione dissolvenda, dicere habuimus de Mausoleo, quod omnium artificum oculos tenuit, & de cujus symmetriis commentaria reliquere Architecti in primis no-

F biles, Satyrus, & Pytheus, ut Vitruvius libri 7. procemio memorat: quæ si extarent, nostra hac dissertatione nihil fuisset opus. Cetera de Mausoleo in tanta notitia ingerere, & inculcare vanum esset.

DE

DOMINICI AULISI
DE
COLO MAYERANO
EPISTOLA

Ad Illustriss. & Præstantiss. Virum

D. D. DIDACUM
VINCENTIUM
A VIDANIA,

Regii Sacelli Præsulem, & Gymnasii Neapolitani Præfectum.

Theophilus Instit. de Testam.

Κἂν ἡ τούτων ἄγνοια οὐδένα φέρει κίνδυνον, ἀλλ' οὖν πρὸς ἱστορίαν, καὶ τὸ μαθεῖν πῶς κατὰ μικρὸν προϊόντος ἠμείφθη τοῦ χρόνου, εἰπεῖν οὐκ ἄτοπον.

DOMINICI AULISI

DE

COLO MAYERANO

EPISTOLA.

Nuper cùm apud te essem, ut sæpe soleo, V. Cl., visendum antiquitatis monumentum ostendisti, non multis abhinc annis proxime Romam repertum. Ejus, inquam, ectypon: quod Marcus Mayer, vir in primis diligens, & bonarum artium studiosus, formis non ita pridem excudit, evulgavitque, & eruditis viris explicandum proposuit. Id verò est instrumentum ex ære, rotundum, quod ita cortinæ ritu cavum est, ut simul mamillæ speciem æmuletur: multiplicibus foraminulis certo, & eleganti discursu totum pertusum, ut si liquorem infundas, nequeat continere, sed ad guttam transmittat. Quocirca statim oculis, & menti Coli cujusdam imaginem objicit. Est manubrio instructum, lato, planoque, quatuor omnino spatiis distincto, in quibus singulis variæ cernuntur figuræ arte toreutica extantes, argento exornatæ. Hortatus es, ut si quid ad egregium istuc monumentum illustrandum haberem, literis consignarem. Quamvis satis intelligam, hæc a nullo aut melius, aut promptius, quàm a te, posse explicari, qui omnem antiquitatem tenes; tamen, ne tibi minus audiens videar, cui, ob eum, quo me prosequeris, affectum, plurimùm debeo, non defugiam laborem, & pro viribus desiderio tuo satisfacere conabor non invitus; eò præsertim, quod iis, quæ dicturus sum, ipse viam consiliis tuis struxisti. Visum tibi est, quatuor spatiorum figuras non ad diversa tendere, sed simul omnes inter se esse connexas, simulque ad Medicinam referri, quando Cola inter Medicorum maxime, & Seplasiorum instrumenta computabantur. Quod tuum judicium & acutum est, &, nisi fallor, verum. Ejus ductum sequutus, sine metu erroris, viam ingrediar.

In summo manubrii spatio, cùm variæ extent variarum rerum figuræ, arboris loti, studiosorum sellæ, aræ cum primitiis ficuum, & baculo: ea tamen, quæ omnium princeps est, & ad quam ceteræ referuntur, Herma est. Quidni? Stat pube tenus ducta, vultu juvenili, sine brachiis. Hermæ ita ἄκωλοι, & trunci conspiciebantur plurimi Athenis, ut ex Thucydide lib. VI. Plutarcho in Alcibiade, & Cimone, aliisque notum est. Erant etiam Romæ in Circo: quod, si recte memini, unus monet, vetus Juvenalis Interpres Satyra VIII. *Hermæ*, inquit, *effigies æneæ, aut marmoreæ, sine manibus, quales videmus in Circo.* Tales pariter statuebantur ubique in Gymnasiis. Xenocrates:

ἑρμῆς ὠκὺς ἐγὼ κικλήσκημαι. ἀλλὰ παλαίςρῃ
μὴ κολοβὸν χειρῶν ἵςατε, μήδ' ἄποδα.

Hermes ipse feror pernix. Cur ergo palæstræ
Et manibus truncum ponitis, & pedibus?

Effingebantur Hermæ pectore ferme quadrato, & tandem in pyramidem inversam desinebant: imò quandoque in cippum ad speciem cubi. Nimirum Aristophanis Interpreti Herma est λίθος τετράγωνος, καὶ κυβοειδής. *Lapis quadratus, & cubiformis.* Ubi *Lapis quadratus* est quadrata pyramis, πυραμὶς τετράγωνος, ut loquitur Strabo lib. XVI. Lapis verò *cubiformis* est prisma oblongum, planis æqualiter distantibus. At non semper ita factum esse testes sunt veteres Nummi, in quibus sæpe Herma thoracem rotundo proximum habet: &, ut partes apte inter se consentiant, super cono inverso quiescit. Hunc responsum symmetria exigit: & Hero male apud Architectos audit, dum in Automatis semel iterumque πίνακι κιονίσκον, ideæ rotunda quadratis subjicit. Noster Herma, cùm teres & ipse sit, insidet tamen non cono, sed cylindro, aut columellæ. Quod notabunt studiosi; non enim alibi obvium.

Hæc ita efformata est, ut vetustissimam columnarum speciem ante oculos ponat; est enim sine capitulo, & sine toro: quanquam ei basim inæquales plinthides duæ faciant, minor majori superimposita. Rudi enim, & adhuc, ut ita dicam, vagiente Architectura, nullum majus studium columnis impendebatur, quàm ut in puros cylindros evaderent. Et primùm in Ephesiæ Dianæ æde columnis capitella addita, subditasque spiras Plinius auctor est.

Posset hanc de Herma interpretationem labefactare lorica squamis conserta, qua nostra hæc effigies induta est: posset hasta, quam ad dexteram partem habet, oblique positam, tanquam si manu teneretur. Quid hæc cum Herma? Non est ignotum tibi, Vir doctissime, veteres sæpe ex pluribus Diis, varias ob causas, unum signum confecisse. De omnibus non est hìc dicendi locus: quædam de Herma produxisse sit satis. Jungebant ei aliquando, & veluti inserebant Venerem ita, ut duo in unum abirent: & hanc *Hermaphroditēn* nuncupare possumus. Interdum Herculem: quod signum *Hermeraclam* Tullius vocat. Nonnunquam immiscebant Minervam, & dicta fuit *Hermathena*, ut hæc nostra est; nam corporis truncus dimidiatus, sine lacertis, Hermam effingit: lorica, & hasta, Minervam: vultus juventa decorus, satis utrique aptus.

Visum veteribus est, hæc duo numina mistis corporibus jungere, non sine gravi de causa. Nempe, ut monitos nos facerent, sapientiam, cui Minerva præsidet, & eloquentiam, cujus auctor Mercurius habetur, alteram ab altera vim & ornamentum capere, nec nisi invitas segregari. Eloquentissimum fuisse Democritum constat. Platonis in dicendo elegantia, cui non nota? Aristoteles aureum orationis flumen fundere dictus est. Et nominatim de Academicorum philosophia

phia testatur Cicero, cujus hæc verba: *Nam cum hoc genere philosophiæ, quod nos sequimur, magnam habet Orator societatem: subtilitatem enim ab Academia mutuatur, & ei vicissim reddit ubertatem orationis, & ornamenta dicendi.* Locus est in libro de Fato, statim initio. Quocirca ipse Cicero inter cetera Academiæ suæ ornamenta, quam non ita procul a Bajis erexit, Hermathenam dedicavit. Nam ita ad Atticum: *Quod ad me de Hermathena scribis, per mihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium meæ; quòd & Hermes commune omnibus, & Minerva singulare insigne ejus Gymnasii.* Et ut Cicero in Gymnasio, ita alii in Bibliothecis Hermathenam dicabant; nam ea est *Media Minerva*, cujus meminit Juvenalis Satyra III.

Hic libros dabit, & forulos, mediamque Minervam.

Nec tamen inficias eo, non Hermathenam semper, sed interdum Athenam in Bibliothecis, & Gymnasiis positam. Plinius lib. VII. cap. LIIX. *Indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio, dono Principum Minervæ dicata in Bibliotheca.* Salvianus lib. VIII. *Colitur & honoratur Minerva in Gymnasiis.*

Similem huic nostræ imaginem exhibet ex veteri Nummo Jacobus Sponius in Miscellaneis eruditæ antiquitatis. Ea est προτομὴ adolescentis, brachiis trunca, turbini inverso innixa, cum hasta ad dextram. Hanc ipse Hermam esse docet. Minus recte; nam cum ea nihil commune hasta potest habere, nisi Hermathena sit. Duobus discernuntur: quòd nostra loricam habet: hæc cùm ea careat, caput floribus coronatum gerit. Sed discrimina hæc alicujus momenti non sunt; nam hasta ipsa per se ad Minervam indicandam satis est: & corona pro colentium arbitrio signa aut ornat, aut ab iisdem abest.

Quædam de Hermis omnifariam ex Nummis, Gemmisque discimus, quæ in libris frustra quæras. ut illud est, non semper hæc signa brachiis defecisse; nam Hermathena interdum ea habet, ut in Nummo Hadriani, quem Ful. Ursinus produxit. Visitur in eo Virgo mammis sororiantibus, desinens in metam inversam: galeam capite gestat, brachio sinistro clypeum sustinet, dextra manu hastam. Ita Hermeraclas sine brachiis est in Gemma Leonardi Augustini: apud Sponium iisdem non destituitur. Herma ipse, qui passim ab auctoribus brachiis abscissis describitur: quare Strabo lib. XV. in Indorum dona ad Cæsarem, hominem lacertis a natura truncum, *Hermam* appellat: ἑρμᾶν ἀπὸ τῶν ὤμων ἀφῃρημένον ἐκ νηπίου τοὺς βραχίονας. Quæ ita explicat Dio Cassius lib. LIV. μειράκιον ἄνευ ὤμων, οἵους τοὺς ἑρμᾶς ὁρῶμεν. Ipse, inquam, apud eundem Augustinum Tom. II. Gemma XIII. sinistra caduceum gestat: dextram sub pallio latentem pectori applicat.

Sed de his plus satis: jam ceteras, quæ circa Hermathenam, figuras persequemur. Ante eam stat Ara. Earum aliæ ex cylindro constant, quæ frequenter in Nummis occurrunt. Quædam ex prismate quadrangulo, quaque ex tribus dimensionibus inæquali, ut erant aræ vetustiores, & maxime Jonicæ, de quibus Nicomachus lib. II. ἀριθμητικῆς. Nonnullæ cubicæ sunt, ceu hæc nostra: habetque suam βάσιν, & κορυφήν. Hæc dicta volui, ne quin ara sit, dubitemus. Omitto aras rusticas, idest lapidem quemcunque ex destinatione sacrificantis electum. Super ea sunt tres, ut videntur, ficus: juxtà jacet baculus. Hæc quid sibi velint, anxie quærendum ne sit, facit Suidas, qui maxima ex parte interpretatur in voce ἑρμαῖον. Docet, fructuum primitias Hermis offerri solitas, quæ prædæ viatoribus cedebant. ἑρμαῖον. τὸ ἀπροσδόκητον κέρδος, ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς τιθεμένων ἀπαρχῶν, ἃς οἱ ὁδιπόροι κατεσθίουσιν. *Hermæum est insperatum lucrum, ab illis primitiis, quæ Hermis apponuntur in viis, quas viatores edunt.* Et viatores indicat positus juxta aram baculus, quem longam viam ingressuri, ut procedendi laborem minuant, secum habere solent.

Nec est, cur miretur quis, Hermathenam in viis collocatam, eique primitias oblatas; nam quæ simplici Hermæ, eadem & Hermæ cum altero Deo confuso tributa fuere: quippe Hermeraclam quoque in viis positum, primitiisque cultum ex veteri Epigrammate discimus. Carmina, quæ huc faciunt, ita habent:

ἄμμες ὅρων φύλακές δισσοὶ θεοὶ, ὧν ὁ μὲν ἑρμᾶς,
οἷον ὁρῇς μ᾽, ὅτερος δ᾽ ἅτερος ἡρακλέης.
ἄμφω μὲν θνατοῖς εὐάκοοι, ἀλλὰ ποθ᾽ αὐτοὺς
αἴτ᾽ ὠμὰς παραθῇς ἀχράδας, ἐγκέκαφεν.

Idest: *Duo nos Dii finium custodes sumus, quorum alter Hermes, qualem me vides, alter Hercules: ambo mortalibus faciles præbemus aures. Sed si acerba nobis apposueris sylvestria pyra, devoravit.* Ita emendat Salmasius ad Inscriptionem Herodis Attici: at de Hermeracla nihil cogitas, de Diis συμβώμοις accepit, quales in viis, & finibus statutos non legimus. Illa certe admonitio, se duos esse Deos, satis unum signum extitisse demonstrat.

At cur primitiæ ex ficubus? Ex his, quæ in manubrio sculpta sunt, quædam ad ambos hos Deos pertinent, ut arbor loti, sella: alia privatim ad Minervam, ut cerva, sues, de quibus deinceps dicemus: nonnulla solum Mercurium respiciunt, ut primitiæ. Hæ non sine causa ex ficubus; nam Mercurius palæstræ auctor fuit, qua feros hominum cultus formavit, ut apud omnes contestatum est. Palæstritæ verò olim ficubus vescebantur, sed siccis, quæ panisque simul & obsonii vices implerent; carices enim, ut concoctu difficiles, ita corpus viresque adjuvant: diuque saturos athletas tenebant, ne quando inter concertandum esurirent, ut Plinius, & Rufus apud Oribasium auctores sunt. Emendandus Suidas in voce ἰσχάς. πρὶν ἢ δοθῆναι τὴν κρεωφαγίαν τοῖς ἀθληταῖς, ἔχρωντο τῇ ἰσχάδι. Ita legendum, non τοῖς ἀθηναίοις. *Athletæ*, inquit, *antequam eis carnes concederentur, caricis utebantur.* Nam Pythagoras Phliasius Gymnasta, seu, ut quidam rentur, Alipta, primus Eurameni Samio carnes apposuit. Et apud Rufum πυθαγόρας legendum, non γόρας. Quod Mercurialem decepit. Quin credimus, his de causis Mercurio ficus oblatas? Nec contrà facit, quòd virides cernantur; nam cùm primitiæ sint, utique siccæ esse non possunt.

Hæc est nostra conjectura, cujus adhuc me non pœnitet. Si cui tamen arrideat, allusum ad ficus ab Ægyptiis in die festo Mercurii esitatas, non repugno. Hi enim quotannis, XIX die mensis Thoth, sacra ei Deo celebrantes, mel & ficum edebant, ea voce addita, γλυκὺ ἡ ἀλήθεια, *dulcis veritas est.* Narrat Plutarchus in libello de Iside, & Osiride.

Aliud sibi vult arbor, quæ pone Hermathenam surgit. Nempe eos, qui semel sapientiæ, & eloquentiæ studia degustarunt, ea dulcedine illectos, illis perinde adhærere, ceterarum rerum oblitos, atque Ulyssis socios loto. Nam, si recte attendamus, non alia a loto ea arbor est. Ita fateri

fateri cogunt ſpectanda arboris proceritas, & poma parva, rotunda, e longioribus pediculis dependentia; nam loti fructus eſt ἡλίκ☉ κύαμ☉, *quantus faba*, ut Theophraſtus loquitur: & capiendus eſt de faba Græcorum, puſilla, in orbem ducta: quod explicat Dioſcorides, inquiens: καρπὸν δὲ φέρει (ὁ λωτὸς) μείζονα πεπέρεως: *Fructum fert lotus pipere majorem.* At hæc poma in noſtra arbore rara ſunt, nec gemina; ut fatendum omnino ſit, eam non effingere lotum Libycam, in qua fructus denſus eſt, &, myrtarum ritu, pari ſerie a ramis dependet. Theophraſtus, φύεται δὲ καθάπερ τὰ μύρτα, παράλληλα. πυκνὸς ἐπὶ τῶν βλαστῶν. Hæc longe abſunt a noſtra: quæ ea propter erit lotus Italica, cujus fructus habent ceraſorum inſtar. Plinius: *Naſcitur* (fructus) *denſus in ramis, myrtorum modo, non ut in Italia ceraſi.* Ita frequenter pro cæli, ſolique ingenio plantæ non ſemper eædem ſunt, ſed variant. Cogunt etiam fateri folia, in quibus ut ut varie ſculptor luſerit, quædam tamen ad imitationem naturæ repræſentavit, ideſt ilici ſimilia fecit. Libuit hæc quàm breviſſime percurrere, non ſine operæ pretio; jam enim ſenſus dicti Pliniani de Italica loto inclareſcit. Hoc Plinius monet, fructus in ea non pendere ab alis geminos, pareſque, ut in myrto, & loto Libyca: ſed nullum ſervare ordinem, ut in ceraſo. Ita noſtræ ſculpturæ lotus evincit, quæ evincit & illud, a vero non aberrare, quicunque Italicam lotum eam eſſe plantam cenſent, quæ vulgi ſermone a baccis, baccarumque forma, *Perlaro*, & *Bagolaro* appellatur; nam ſi hujus noſtræ εἰκόνα cum illa conferas, ſtatim eandem plantam eſſe deprehendes. Si non aliunde, certe ex hoc uno præclarum iſtud vetuſtatis monumentum ſalvum ad nos perveniſſe jure merito gratulamur.

Demum ante Hermathenam cernere quoque eſt inſtrumentum exprimens minuſculam aſpirationis literam. Putem, ſellam eſſe, cui inſidentes ſtudioſi, in Gymnaſiis, & Bibliothecis coram Hermathena literis, & lectioni vacabant. Affirmat hanc ſententiam vel maxime Spondii Nummus, quem diximus, ubi Hermathenæ coronatæ aſſidet vir, habitu philoſophico, intentis oculis percurrens tabulas, quas utraque manu ſubſtinet.

Recte hactenus, inquies. Sed pertinetne Hermathena ad Medicinam, cujus uſui Cola inſerviebant? Pertinet ſane: & ita, ut nihil magis. Quippe Mercurius medicinam fecit, eamque multis inventis promovit, ut Ægyptii, Græcique pariter teſtantur. Ægyptii complures a Mercurio editos de Medicina libros habebant, quorum alii Pharmaceam tradebant, alii Chirurgiam: in quibusdam de Anatome, & de Morbis agebatur. Hos *Sacerdotales* dictos ſoli Paſtophori ediſcebant, ut fuſe Clemens Alexandrinus perſequitur. Græci eum Saluti contubernalem fecerunt. τὴν ὑγείαν αὐτῷ συνῴκισαν, ut Phornuti verba ſunt. Neſcius non ſum, hæc ab ipſo non ad medicinam, ſed ad ſermonem trahi, nobis impertitum, ut omnibus proſimus. Sed hæc ratio & coacta eſt, & friget. Certe nihil hac tanta ſubtilitate opus erat, quando id ſimplicius, & verius de Mercurii medicina accipi & poteſt, & debet. An de ea nihil Phornuto inauditum? Meminiſſet ſaltem ab eo inventum moly, quæ ruta ſilveſtris eſt, linozoſtin, crocum, aloën. Præterea Meleager Syriacam nardum a Mercurio mortalibus commonſtratam prodit in Corona Pancarpia:

> Ναὶ μὴν καὶ συρίην σταχυότριχα θήκατο νάρδον,
> Ὑμνοθέταν ἑρμοῦ δῶρον ἀειδόμενον.
>
> *Et Syriam nardum ſpicis intexe comantem:*
> *Penniger hanc nobis donat habere Deus.*

Orpheus etiam, ſeu quiſquis ille eſt, qui de Lapidibus ſcripſit, vetuſtus ſane auctor: is lapidum medicinam Mercurio tribuit: & nominatim Coralii vires ejus beneficio innotuiſſe canit:

> Κοράλλιον θνητοῖσι φέρων πόρεν ἀργειφόντης.

Hujus ſcientia medicinæ enituiſſe pariter Minervam memorat, quæ in ea Herculem erudiverit. Romæ in V. Regione templum Minervæ Medicæ dedicatum ex P. Victore cognoſcimus: ita a medendo dictæ, non a Medis. Quod Panciroli ſomnium eſt, aliud nihil. Ad eam ſine dubio alluſit Ovidius, cùm Medicos hortatur, ut de ſuis muneribus etiam Minervæ offerant, Faſt. III.

> *Vos quoque Phœbea morbos qui pellitis arte,*
> *Munera de veſtris pauca referte Deæ.*

Ita apud Atticos colebatur Ἀθηνᾶ ὑγίεια, & Ἀθηνᾶ παιωνία, de quibus Pauſanias. Et hæc pauca veluti extremo digito attigiſſe ſit ſatis: fuſius enim de his in libris de Origine, & progreſſu Medicinæ a nobis diſputatum eſt, quos, ſi Deus dabit, propediem edemus.

Proxime in manubrio Coli ſequuntur duo alia ſpatia, in quorum primo cælata eſt cerva, a partu humi procumbens, & hinnulus, qui a tergo deſcendens, ſe dirigit ad mammas: in altero ſtant duo ſues, qui diverſi abeunt. Suſpicor, hæc omnia ad Minervæ medicinam referri. Ei acceptam ferimus herbam argemonem, ita ſilveſtri papaveri ſimilem, ut qui alteram viderit, ambas ſe noſſe credere poſſit. Ea fertur uſa, ut ſuibus opitularetur. Plinius lib. XXIV. cap. XIX. Quocirca inter evellendum Herbarii quidam dici mandabant: *Hæc eſt herba argemone, quam Minerva reperit, ſuibus remedium, qui de illa guſtaverint.* At a quo tandem morbo ſues hac herba convaleſcunt? Non id explicat Plinius. Sed omnino de angina capi debet: quo maxime morbo ſues tentantur, & cujus Plinius paulò ante meminerat.

Non omiſerim, ſupra ſues neſcio quæ conſpici, figura ovata. De glandibus ſuſpicionem movere poſſent, niſi ineptum eſſet, eas ita in aëre pendentes facere. Quid igitur? Potius eſt, ut ſint capitula argemones, quæ, ut rhœadis, oblonga ſunt. Poſſent etiam videri argemones calyces, qui antequam aperiantur, & ipſi ad ovi ſpeciem vergunt. Interim cauliculis, a quibus dependebant, vel ob vetuſtatem attritis, vel ob exilitatem non ſatis conſpicuis.

Cerva enixa appoſita eſt ob munus obſtetricis, quo delectabatur Minerva; nam ipſa eſt, quæ Latonæ enitenti aſſedit, ut proditum ab Ariſtide oratione ad Minervam. Et ei rei indicandæ electa præ ceteris brutis cerva eſt, quæ poſt partum medicinis ſibi conſulit: nam ſeſelim edit. Haud me latet, hæc aliter a Cicerone tradi libro de Natura Deorum ſecundo: *Cervæ*, inquit, *paulò ante partum perpurgant ſe quadam herbula, quæ ſeſelis dicitur.* Hæc tamen ſtare non poſſunt; nam ante partum omnis purgatio ob abortionis periculum noxia eſt. Exhibent quidem paſtores in potu capris, ceteriſque pecudibus ante partum ſeſelim, ſed non ut ipſæ purgent ſe, imò ut ita facilius ſuos fœtus enitantur. Dioſcorides de ſeſeli Maſſilitano. δίδοται δὲ καὶ αἰξὶ καὶ τοῖς λοιποῖς κτήνεσι πρὸς εὐτοκίαν ποτόν. Sed dicere ſi licet, quod ſentio, credere par eſt, Ciceronem ſcripſiſſe, aut certe ſcribere voluiſſe, *Paulò poſt partum*: ut qui ſine dubio ante oculos habebat, quæ de cervis Ariſtoteles narrat, eas poſt partum ſeſelim eſſe. Hoc enim faciunt, ut ſe perpurgent.

Verba e libro IX. Histor. anim. hæc sunt: ὅταν τέκῃ ἐσθίει τὸ χορίον πρῶτον. καὶ ἐπὶ τὴν σέσελιν δὲ τρέχουσιν. *Ubi peperit, fœtus involucrum edit primùm: tum ad seselim currunt.* His Plinius neglectis, & Ciceronis scriptura deceptus, rei falsæ falsam causam reddidit lib. VIII. *Feminæ autem ante partum purgantur herba quadam, quæ seselis dicitur, faciliore ita utentes utero.* Aliò eum vocare debebat facilis, & aperta ratio. Nam seselim si ederent cervæ ante partum, constaret abunde non ad εὐφορίαν, ideſt ad uterum facile gerendum: sed ad edendos feliciter fœtus ea vesci, sive πρὸς εὐτοκίαν. Ita facile error ex errore propagatur; nam illud potissimùm attendere opus erat, quod caput rei est, cervas ante partum ad seselim non ire, quamvis ea parturientibus prosit, ut celerius pariant. Nullusdum enim id observavit: neque Ciceronis festinationi, si modò is ità scripsit, credendum est, sed Aristotele teste standum, cujus ille historiam referre in animo habebat. Et hactenus de hac controversia, quæ Dalecampium, Bodæum, Salmasium, Bochartum tantopere exercuit.

Manet nos ultimum spatium, quod est ad Manubrii calcem. In eo extat Pan arbori pomiferæ innixus, vultu tristi, qui dextra manu post tergus rejecta, sinistram porrigit hirco, qui in pedes posteriores erectus, fronte coniscat. In medio jacet humi fusa syringa septem disparibus calamis compacta, cui incumbit Copiæ cornu fructibus onustum. Aperta in speciem omnia; ecquis enim hæc prima facie statim se non interpretaturum recipiat? Aggressis tamen non ita facile singula ex voto procedent. Saltem, nisi conjectura assequi tentemus, frustra alias omnes rationes inibimus. Mihi ea animo sedet sententia, hæc non sine aliquo ad Mercurium respectu, qui in hircum mutatus Pana genuit, συμβολικῶς debere accipi, & morbos, præcipue febrim, demonstrare, quibus æque homines & bruta appetuntur, maxime per Autumnum: unde opis medicæ necessitatem colligere liceat. Hircus enim febrem designat, qua cum toto caprarum genere, ut veteribus traditum, perpetuò tenetur. Plinius lib. VIII. cap. X. *Auribus eas spirare, non naribus, nec unquam febri carere, Archelaus auctor est.* Vereor, ne Plinius memoriæ lapsu erret, dum de caprarum febre Archelaum scripsisse tradit, qui de spiratione sola per aures loquutus est, ut ex Varrone intelligimus lib. II. de R. R. Alcmæo quoque Crotoniata capras spirare κατὰ τὰ ὦτα voluit. Quod Aristoteles verum negat de Hist. anim. lib. I. Hæc differere subtilius hujus loci non est. Nec quod de febre dicitur, facile concesserim. Decepit nimirum veteres capris uberior insitus naturalis calor, qui pulsu venarum celeri, ac frequenti febris speciem exhibet. Eam ob rem Cajus quoque Mœcenas continenter febre vexari putabatur. Non id morbus erat, sed naturalis quidam corporis habitus: in Mœcenate singularis: in capris totius generis. Et immeritò Varro venditores reprehendit, quòd sanas capras præstare auderent: *De emptione aliter dico, atque sit, quòd capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febri sunt.* Quidvis ut sit, ex hoc factum est, ut capra Æsculapio sacrificaretur. Servius in Georg. II. *Capra Æsculapio* (immolatur) *qui est Deus salutis, cùm capra nunquam sine febre sit.* Factum quoque est, ut hircus febrim hìc demonstret, qui videtur cornibus minitari, & impetum facere in Pana, id est in homines, ferasque quos Deus ille διζῶος, & duplicis naturæ particeps, repræsentat: & quibus, ut veterum quidam contendunt, sine febre mori non contingit. Pan velut periculi securus, dextra in tergus rejecta, sinistram extendit deliniturus hircum: Quæ est mortalium negligentia non minus in vitandis, quàm in depellendis morbis. Et quidem se morbo implicitum esse, Pan duobus ostendit: primò vultu tristi, contra quàm ejus natura ferat, quem semper hilarem vetustas fecit. Homerus in Hymnis ἡδυγέλωτα, *suave ridentem*, appellat: deinde syringa abjecta, quasi innuat; procul a se corporis harmoniam habere: nam sanitas harmonia est; & soluta in animantibus harmonia, ipsam simul naturam dissolvi, Plato in Philebo testatur: λέγω τοίνυν τῆς ἁρμονίας μὲν λυομένης ἡμῖν ἐν τοῖς ζώοις, ἅμα λύσιν τῆς φύσεως γίγνεσθαι. Arbor demum pomifera juxta Pana surgens, & Copiæ cornu, quod syringam premit; Autumnum indicant: quo anni tempore morbi ferocius, & frequentius ingruunt, & regnant, cùm ob intemperiem, & repentinas aëris mutationes, tum etiam præ copia fructuum. Febres maxime quartanas, & erraticas hominum vitam per id tempus invadere, notat Hippocrates lib. III. aph. XXII. Uno verbo, mortes frequentes sunt. Juvenalis Sat. X.

Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

Dextrum Panis brachium post tergus revolutum in memoriam revocat nobile illud Musivum, quod Lugduni repertum anno CIↃIↃCLXX. evulgavit Spondius; nam & in eo expressus est Pan, qui sinistram manum post tergus abscondit, dextram verò ad alatum puerulum extendit, eum prensurus in humero: qui contrà in ipsum utramque dirigit: ambo alter ad alterum inclinati. Multa vir doctus pro explicatione conatur: tandem lectorem magna expectatione erectum, deserit. At non difficile erat videre, ob oculos poni Panis & Amoris luctam, ad quam ipsi eo gestu se accingunt. De ea lucta meminit Servius ad Eclog. II. *A poëtis fingitur* (Pan) *cum Amore Deo luctatus, & ab eo victus.* Et eò respicere Virgilii illa opinatur, *omnia vincit Amor*; nam πᾶν, cui proxime accedit πάν, est *omne*. Stat Pan vultu irrisoris, ut qui pro nihilo habet Amorem, puerum, ad id pugnæ genus rudem: in tantum, ut cum eo solum dextra manu se luctaturum spondeat, dum alteram in tergus rejicit. Momentum non leve huic conjecturæ addit adstans vir, qui dextra manu extenta cohortatur colluctantes, ipsisque animos facit: sinistra palmæ ramum habet, præmium victori. Est enim βραβεύς. Spectatrix assistit ex altera parte Hermaphrodite, ideſt Venus trunca, sine lacertis, instar Hermæ, turbini inverso imposita, oculis ad pugnam conversis. Ubera habet extantia, caputque variis redimiculis, vittisque ornatum. Illustre sane vetustatis monumentum, dignum quod hìc a nobis explicaretur.

Et hæc de Coli Manubrio, quantum conjectura assequi potuimus, ubi nihil est, quod omissum a nobis quis queri possit. Proximum est, ut aliqua de ipso instrumento dicamus; nam Cola varii usus cùm fuerint, inspiciendum est ad quem potissimùm nostrum istuc fuerit delectum.

Erant Cola in œcis, & cœnaculis pro vino refrigerando. In deliciis olim fuit, vinum cum nive, glacieve mistum ebibere. Interdum enim nivis fragmina, in cyathum immisisse, argumento sunt hæc Callistrati in Symmictis: Τῶν οἰνοχόων τοῖς ἄλλοις μισγόντων εἰς τὸ ποτὸν χιόνα. *Qui erant a poculis nivem ceteris in potum miscentibus.* Quod videns Simonides poëta, unus ex convivis, sibi non ita ministrari ex tempore conquestus est:

ἔν

ἔν τις ἐμοί γ' αὐτῆς χεέτω μέρ⊙, ἐ γὸ ἔεικε
θερμὴν βασάζειν ἀνδρὶ φίλῳ πρόποσιν.

Et mihi ſis cyatho glaciei infundito micam;
Non ſatis ex merito pocula calda dabis.

Et id *vinum cum nive miſtum* vocat Strattis in ψυχασαῖς. οἶνον χιόνι μεμιγμένον. Habes apud Athenæum lib. III. Uſurparunt etiam Arabes, & meminit Aben Sina I. Fen. II. cap. XVI. Hodie Perſas glaciei fruſtula cum vino, aut aqua in phialam indere Petrus Vallenſis teſtis oculatus eſt.

Interdum vinum per mediam nivem tranſire cogebant: ad eamque rem paratum habebant Colum nive oppletum. Itaque affuſum vinum per nivem ſibi viam faciens, ex Coli foraminulis unà cum nivis tabe exiliebat, ceſſurum in potum ſitientibus. Vinum utro vis modo paratum ægrotantibus quandoque præbebant. Nam ita accipiendus Cœlius Aurelianus, ubi de vinis cardiaco dandis: *Mediocriter* (inquit) *miſta cum aqua frigida, recenti, vel nivium liquore.* Raſis quoque, & Aben Sina aliis in morbis potandam nivium tabem præcipiunt.

Non diffiteor, nivem aliquando in lintea immiſſam: at his non *Coli*, ſed *Sacci nivarii* nomen erat; etſi enim *colandi* verbum generale ſit, *Coli* tamen nomen a *Linteo* diſtinguitur*: & confundi niſi magno errore non poſſunt. Martialis in Apophoretis diſt. CII. cui lemma, *Saccus nivarius.*

Attenuare nives norunt & lintea noſtra:
Frigidior colo non ſalit unda tuo.

Duo nos docet, & ſaccum nivarium fuiſſe ex linteis, non ex aluta, aut vimine, cùm ait, *lintea noſtra*: & ei non impertitum nomen Coli, a quo ſegregat in illis, *frigidior colo.* Erat enim Colum nivarium ex ære, aut argento in ditiorum tricliniis, ut idem Poëta monet diſticho præcedenti; ubi *Colum nivarium* ita loquitur:

Setinos, moneo, noſtra nive frange trientes;
Pauperiore mero tingere lina potes.

Hæc ferme nota; illud fortaſſe hactenus ignoratum, Cola crateri, aut cyatho fuiſſe impoſita, ut vinum per nivem ἀμέσως in poculum, quo bibebant, exiliret; ita enim amoto Colo frigidius ſorbebatur. Quare parabantur Cola ejus magnitudinis, ut calici per interiorem oram poſſent committi. Apud Pollucem hæc leguntur lib. VI. cap. II. ἐν μέν τοι δημιοπράτοις καὶ ἠθμός τις ἐπὶ κρατῆρ⊙ πέπραται. *In publicis auctionibus etiam Colum ſuper cratere venditum fuit.* Colum nempe nivarium, non Colum prælorum, ut abſurde explicat Henr. Stephanus. Colum prælorum eſt corbis. Quì verò corbis ſuper cratere? Huc etiam faciunt illa Hellanici in Ægyptiacis: Αἰγυπτίων ἐν τοῖς οἴκοις κεῖται φιάλη χαλκῆ, καὶ κύαθ⊙ χαλκῦς, καὶ ἠθάνιον χάλκεον. *In Ægyptiorum ædis eſt phiala, cyathus, & colum* (ſeu mavis, *exiguum colum*) *ex ære omnia.* Fluctum in ſimpulo movet Caſaubonus ad Athenæum lib. XI. cap. VI. cùm dubitat, an hìc ἠθάνιον colum ſit. Cur ita? nempe, quia inter pocula ab Hellanico computatur. Fac ita eſſe; quid tum? an non Colum nivarium in poculorum cenſu eſt? Pomponius in L. in argento. D. de auro, & argento legato. *In argento potorio utrum id dumtaxat ſit, in quo bibi poſſit: an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatum eſt, veluti Co-*

A *lum * nivarium, & urceoli, dubitari poteſt. Sed propius eſt, ut hæc quoque inſint.* Viſum eſt JCto Colum nivarium in numero poculorum eſſe: cur idem Græco Hiſtorico videri non potuit? qui illud cyatho conjungit, cui imponi moris erat: ut & phialæ, ex qua vinum diffundebatur, ut per Colum nive plenum in cyathum ſpargeretur.

Et ecce metalla, ex quibus Cola nivaria fundebantur; nam alii ex argento habuerunt, ex ære alii. Hoc cognoſcimus ex Hellanico, illud ex Pomponio. Hodie lautiores calicem duplicem ex uno argento ductum ſibi parant, mediamque interſerunt nivem, tum affuſum vinum
B ſine ulla nivis tabe bibunt.

An ad hunc uſum comparatum credimus Colum noſtrum, ut & ipſum inter Cola nivaria ſit? Multa ſunt, quæ ab hac ſententia revocant. Primò nimia ejus magnitudo, quæ facile poculum quodcunque excedit; eſt enim ſeptunce latum, altum triente: ſcilicet utraque menſura ab ora inferiori accepta. Quod poculum huic Colo excipiendo eſt? niſi forte Cyclopis κισσύβιον ſit. Deinde, quòd in manubrii ſculptura nihil omnino cernere ſit, quod ad vinum, & convivia trahere poſſis. Simili de cauſa nec pertinebit ad Cola culinaria, quæ memorat Chryſippus Tya-
C neus in Artocopico. Is deſcribens placentæ genus, quod *Catillum ornatum* Romani vocabant, ait: καὶ ἕψε εἰς ἔλαιον θερμότατον, εἰς ἠθμὸν βαλὼν τὰ κατακεκομμένα. *Et coquito in oleo ferventiſſimo, fruſtulis in Colum conjectis.* Ita nec pertinebit ad Cola ruſtica, quæ non erant, niſi corbes, per quos vinum liquabatur, ut Grammatici explicant illa Virgilii Georg. II.

—— Tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.

In quo etiam genere erat *Saccus vinarius*; quan-
D quam hunc in cœnaculis quoque fuiſſe pro vino caſtrando indicat Martialis libro II. ubi de apparatu cœnæ pro Tongilio ægrotante, hæc habet:

Cæcuba ſaccentur, quæque annus coxit Opimi;
Condantur parco fuſca Falerna vitro.

Recte omnino, Vir Clariſſime, exiſtimas, noſtrum Colum in Medicorum ſupellectili fuiſſe. Colabant enim Medici non modò per linteum, ſed etiam per Colum: utrumque duplicem ob cauſam, vel ut ſuccus liquidus legeretur, recre-
E mento in fundo ſubſidente abjecto: vel contrà, ut materia exucca poſſet reponi, humore inutili expreſſo. Quæ & per ſe clara, & in veterum Medicorum libris obvia, teſtem non deſiderant. Linteorum maxime erat uſus, ubi ſucci liquidiſſimi expetebantur. Marcellus Empiricus cap. VIII. de xerocollyriis: *Ut liquidius facias, deinde per linteolum delicatum colabis.* Fuit, cùm nihil penſi habuerunt, per linteum ne, an per colum eliquaretur. Scribonius Comp. ult. *Colantur per linteum, vel ex junco factum de induſtria colum.*

Habes jam Colum Medicum ex junco. Et quidem, quod meminerim, nusquam apud Me-
F dicos Coli metallici expreſſa mentio occurrit, ſed ex junco, & palma. Quin verò pro eo poſſit ex ære, ut noſtrum eſt, vel ex argento, ut apud

* J. Gutherius *de officiis Domus Auguſtæ* Lib. 3. cap. 16. legendum cenſet *Colum vinarium*, quia Juriſconſulti inter vaſa ab iis enumerata, communia tantùm recenſent, quibus non comprehendunt ea, quæ rarò Gulæ intemperantiæ ſerviunt.

apud quosdam diligentissimos Seplasiarios vidimus, substitui, vix est ut dubitem. Scilicet, si Colum prælo subjiciendum non sit: ad quam rem vase textili opus est. Ita Columella ex olivis in fiscinam conjectis oleum elicit. Ægyptii semina ricini in sportulam inclusa torculari premebant, ut apud Dioscoridem, & Actuarium extat.

Erat apud Medicos Colum in usu ad plura, sed præsertim ad vina medicata, quæ Plinius *factitia* appellat, & ad unguenta. De vinis hisce sermonem instituens Dioscorides, sæpe τοῦ διυλίζειν, & ἀπηθεῖν mentionem injicit: at de vasis genere, quo hæc percolatio fieret, nobis divinandum reliquisset, nisi aliorum scripta, quod ipse tacuit, declararent. Hi sunt Palladius, & Columella, qui hæc Medicorum vina patrensfamilias etiam sibi parata habere voluerunt. Palladius ergo in Februario cap. XXVII. de vino Myrtite hæc habet: *Palmea sporta colabis.* Et de eodem Columella lib. XII. *Et per colum junceum liquatum succum lagunculis bene picatis condunt.* Ejus etiam conditionis erant Cola, quibus transmittebantur unguenta: & hæc ignorare nos Dioscorides noluit; nam in unguento Elatino, & Cyprino nominat σπυρίδα, *sportulam*: in Ocimino, & Susino κυρτίδα, & κυρτίδιον, *qualum*, & *quasillum*. Κυρτίδα Nicandri interpres in Alexipharmacis vas esse ex tenui junco, & ab unguentariis, qui eo unguenta exprimebant, ὑλιστήριον, & ὑλίστριον appellari testatur.

At recepta deinde a Græcis Arabum medicina, Colorum usus in Drosatis, & Catharticis frequens esse cœpit. Δρόσατον Græci recentiores vocarunt, quod Arabes *scerap*. Ea Nicolaus Alexandrinus σακκίζειν, seu per saccum transmittere jubet in Drosato absinthite, ex iride, & alibi sæpe Sectione VIII. Nec tamen *sacci* nomen materiam explicat, cùm saccus ex lino, pelle, & vimine fuerit: explicat solùm formam, quæ metæ inversæ similis erat, ut alicubi Columella monet. Cathartica verò Actuarius non unis modò sacculis, sed aliquando etiam fiscis transfundit, ut in Ruellii versione legitur; Græcus enim liber nunc ad manus non est.

Meminit etiam Herbarius Græcus de Colo laxiori, quo utebantur, qui Styracem vermicularem conficiebant, lib. I. cap. LXVIII. καὶ δι' ἠθμοῦ εὐρυτρήτου ἐκθλίβουσιν εἰς ὕδωρ ψυχρὸν, ποιοῦντες σκωλήκια. *Per Colum, quod latioribus foraminibus sit, in frigidam aquam veluti vermiculos exprimunt.* Nam ἠθμὸς hìc *Colum* est, non *incerniculum*, ut minus recte viri doctissimi volunt. Mirum quid eos moverit: nam Colum cur eis displiceret, causæ non erat. Et *Colum* jam Hermolaus fuerat interpretatus. Et, ut plane dicam, quod sentio; auguror, huic potissimùm usui nostrum Colum fuisse destinatum. Suadet id, quòd foramina grandiuscula sunt, ut Dioscorides exigit: suadet etiam, quòd ad hos vermiculos parandos inepta sunt Cola ex junco, aut palma: & omnino ex metallo expetuntur. Potissimùm dico; nam ad unguenta, & vina medicata, & id genus alia aptari potuisse melius, quàm sportas, & qualos, manifestum est.

Vides interim artificis ingenium, dum eo instrumento mammæ formam imitatus est, quæ per papillæ foramina lac ejaculatur. Et proxime

A ad consuetam Coli formam accessit, quæ infundibulo, vel sacco vinario similis erat. Docet id Cratinus in Nomis, ubi camum vocat ἠθμὸν, *Colum*, ob figuram scilicet utrique communem. Camus est vas, coni inversi instar habens, in imo pertusum, per quod in Attico foro judices calculos sinebant in subjectum cadiscum dilabi. Extat de eo elegans Eubuli griphus. Inde fit, & Colum simile coni esse, a quo nostrum non longe abit. Verba Cratini apud Interpretem Aristophanis in Equitibus ita leguntur, χοίνιον ἠθμόν. Emendant ex Hesychio, σχοίνινον ἠθμὸν, *Colum junceum.*
B Quod probare non possum; nam Colum, junceum cùm fuerit ut plurimùm, nihil Cratinus apposuisset, quod de camo nos admoneret. Lego χοιρινῶν ἠθμὸν, *Colum suffragiorum*; nam χοιρίναι erant conchæ marinæ, quibus olim judices suffragia ferebant. Quod acute dictum esse quis neget? Prius illud friget. Χοιρίνας Græci satis habent dixisse, κόγχας τινὰς θαλασσίας. Nec præterea quidquam addunt. Sunt tamen conchulæ μονόθυροι, testa una tectæ, eaque lævi, & in se ipsum revoluta, oblongæ, ac veluti gibbæ, quas ut Græci, ita & nostri a *porculis* appellant.
C Aliæ majores, glandem æquant, parte supina colore gilvo, prona albo: minores aliæ, ut nuclei pinei, sed breviores, candidæ, aut fuscæ. His Athenienses in ferendis sententiis usi. Candidæ Romanorum A, fuscæ C valebant.

Et hæc sunt, Vir Illustrissime, quæ hortatu tuo, quantum per multiplices occupationes curasque meas licuit, deproperavi; quæque non aliter probaturus sum, quàm si tibi non displicere intelligam; soleo enim meæ sententiæ diffidere, ubi tuæ plane non congruere sentio. Et quamvis quæ disputavi, longe abeant a sententia
D P. Claudii Francisci Menestrier, nihil tamen his literis detractum velim viro omni laudis genere præstanti, quem honoris causa nomino, qui viam, & quidem primus, diligentia sua ad hujus Instrumenti explicationem aperuit. Sunt enim hæ ex verisimili ductæ conjecturæ: & non ut verum, ita & verisimile unum est. Sæpe de eadem re plura probabilia excogitantur, quorum ita alterum probes, ut non propterea alterum despicias. Unum veluti pro corollario addam. Notat ipse erudite, olim Christianos vinum in Calicem colis infudisse, quæ essent tenuissimis
E foraminulis pervia. Adjiciamus, si placet, Hebræos, ne culicem, vel quam aliam bestiolam lege immundam, sorbendo, deglutirent incauti, vinum & ipsos percolasse. Ad quem ritum alludit Hebræorum proverbium apud Matthæum cap. XXIII. οἱ διυλίζοντες τὸν κώνωπα, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες: *qui culicem excolant, camelum autem glutiunt.* Nam id adagium fuisse monet doctissimus A Lapide. Hoc interest, quod Christiani eliquabant Colo, & quidem argenteo, ut ex Anastasio Bibliothecario discimus, cujus hìc verba recitem necesse est. In Sergio II. *Colato-*
F *rium de argento deauratum unum, quo in sacro utuntur officio.* Et in Benedicto III. *Fecit Calices de argento purissimo duos, & Patenam unam, Colatorium unum, Cantharum unum, Thymiamaterium unum, pensantia simul libras quatuordecim.* Non sic Hebræi, qui linteis utebantur; nam in Talmud de Sabbatho cap. X. legitur: *Qui percolant vinum* (besudarin) *in sudariis.* Vale.

FINIS.

CLAU-

CLAUDII FRANCISCI MENESTRIER
E SOCIETATE JESU
DE
COLO ANTIQUO
EPISTOLA,
AD
CL. V. MAYERUM.

CLAUDII FRANCISCI MENESTRIER
DE
COLO ANTIQUO
EPISTOLA,
AD CL. V. MAYERUM.

CLARISSIME VIR,

Postquam pensiculatè examinavi *Colum* istud *antiquum*, proximè Romam repertum, & quod, figurâ æneâ exprimi, curasti, hunc, maximè, in finem, ut curiositatem Antiquariorum, in indagandis ejus usibus, & in explicandis, enodandisque, figurarum, Manubrium exornantium, Mysteriis, occupares & excitares; Mihi quidem videtur, nihil esse aliud, quàm *Instrumentum*, quod, Festis Diebus, BACCHO, Sacris celebrandis, inserviebat; quos, (dies festos) succinctè describit *Herodotus* in *Euterpe*, Musâ secundâ, sive, in L. II. Histor. suæ: Sacrificia Porcorum *Baccho* dicata, Ficus, Pithecium, Hircus, Mactra, Hastile, & Lambda Græcum, sunt satis evidentia Symbola, quæ usum hujus Instrumenti nobis possunt indicare. *Græci*, & *Ægyptii*, si *Herodoto* fidem adhibemus, duo celebrabant Festa Baccho sacra: In uno eorum, quilibet paterfamiliâs scrofam, in limine Domûs, tempore Cœnæ, in Sacrificium offerebat; In altero; Feminæ, solenni pompâ, Imaginem *Priapi*, sub perpetuo clangore Instrumentorum musicorum, per omnes vicos & plateas, portabant, & Bacchantium more, in Elogia *Bacchi*, cantilenis publicis, diffluebant: Et hæc quidem est ipsissima illa Figura, quæ machinæ insidet; de quâ certè aliter differere nequeo, quàm, secundum mentem *Herodoti* in similibus Figuris explicandis; Non enim decet, in causas harum sordidarum Ceremoniarum, curiosiùs inquirere; ὅτευ δ' εἵνεκα τοιοῦτο γράφουσι, αὐτὸν, ait *Herodotus*, οὔ μοι ἥδιόν ἐστι λέγειν. Ex quibus causis tales forment figuras, (Bacchantes) id ipsum non decet dicere, ac indicare.

Referente eodem Historico, *Herodoto*, *Bacchiades*, Magistratum Urbis Corinthi componentes, reliquosque Civitatis Incolas, divitiarum splendore, superantes, nonnisi suæ gentis hominibus, connubiorum fœdere, sese addicebant, ne Regiminis Decus in Peregrinorum deveniret potestatem: *Amphion* quidam, Bacchiadum Dux, filiâ gaudebat claudicante; hanc nominabant omnes, (*Labdam*) propter inæqualitatem cruris, figuram Lambda, quæ litera est Alphabeti Græci, referentis: Hanc Virginem, propter hanc deformitatem, Juvenes Bacchiades, ad unum omnes, respuebant, nemoque eorum Amores istius puellæ solicitabat: Tandem in matrimonium fuit expetita ab *Eetione* filio *Echecratis*, è Tribu *Petræ*, eidem-

A que elocata: Cùm autem uxor, per aliquot annos, fuisset sterilis, Maritus Oraculum Delphicum sciscitabatur, an sibi spes prolis superesset? Ex oraculo hoc tulit responsum *Eetion*: *Labda pariet ingentem lapidem, qui, Viros, Clavum Reipublicæ Corinthiacæ tenentes, morte delebit, Civitatique novam planè dabit faciem.*

> Λάβδα κύει, τέξει δ' ὀλοίτροχον, ἐν δὲ πεσεῖται
> Ἀνδράσι μουνάρχοισι δικαιώσει δὲ Κόρινθον.*

Bacchiades, certiores facti de Oraculi Responso, metuentesque, ne fortè, si filium videret
B Eetion ex Uxore, hic ipse Neo-Natus, regiminis clavum aliquandò căpesset, mutataque Regiminis formâ, omnes Bacchiades internecioni traderet, dùm intelligerent, *Labdam*, Masculum peperisse, Decem Viros sui Ordinis; ad Labdam ablegant, Morti Infantem destinantes: Domum *Eetionis*; Petræ, intrantibus, *Labda*, (omnium rerum ignara,) simulantibus, se aspectu Infantis delectari, tradit innocentem puerulum: In viâ consilium ineunt, eum, qui, primùm, possit tenere Infantem, pressis manibus, debere eundem statim in terram, summo impetu, projicere, & hoc mo-
C do enecare: Puerulus autem, blando, & ad jocum risumque composito, vultu, hunc ipsum, hominem intuebatur, qui (Infantem, in terram projiciendum) jàmjàm crudeli premebat manu: Homo, blanditiis & suavitate puerili victus, & perterritus, non audebat tàm horrendum perpetrare facinus; sed Vicino tradebat Infantem: Sed enimverò, nec hic, nec tertius, nec omnes decem, audebant, tàm barbarum committere scelus: Reddiderunt igitur Infantem Matri, ac sunt domum reversi: Sed in limine Domus remanentes, sibi invicem, timiditatis opprobrium, Patriæque periculum,
D objicientes, redierunt in domum Matris, animo, necandi puerum, communi æqualique opere, ac manu: *Labda*, consilium eorum, (non procul à portâ stans,) satis penetrans, sine morâ, puerulum, in farinæ mactram abdidit: Decem Corinthii, domum Eetionis solicitè perquirentes, de mactrâ visitandâ nullatenus cogitarunt: Reduces igitur, Bacchiadibus indicabant, se, eorum Mandata, ad amussim, explevisse.

Hinc Infanti nomen inditum *Cypseli*, quod est mactra, sive certa mensura frumenti. Et hæc
E est illa ipsa *Mactra quadrata*, in manubrio *Coli*, expressa, & *Lambda* antiquo more notatum, indi-

indicium Matris *Cypseli*, sive Lampsacenorum qui *Priapum* adorabant, eique Sacra Solennia parabant. Hi ipsi (Lampsaceni) in Vexillis utebantur literâ *Lambda*, prout nativo charactere nominis: Ex arbore *Fici* fabricabant istas statuas, & Imagines obscœnæ illius Divinitatis, (Priapeæ) teste *Horatio* 1. Serm. Sat. 8.

Olim Truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Et hæc est illa *Arbor ficulnea*; quæ, in summâ areâ Manubrii, Coli, repræsentatur.

Satyrus, arbori innixus, coràm hirco exsiliente & in pedes erecto, est significatque aliud mysterium, Usum hujus *Instrumenti* indicans: Notat nempè Tempus Vindemiæ; ubi Rustici, more antiquo diuque usitato, lætitiæ argumentis omnibus, diffluebant, Satyroque, in plaustris, vindemiæ destinatis, repræsentantes, *perunƈti fæcibus ora*, vino sese ingurgitabant: Qui primas ducebat lineas in istiusmodi jucundis vociferationibus, & in jocis recitandis, huic, præmii loco, *Hircus* destinabatur; secundum illud *Horatii*; (in Arte suâ Poëticâ,) Thespidem, primum, istarum Repræsentationum authorem esse, asseverantis:

Ignotum Tragicæ genus invenisse Camœnæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis:
Quæ canerent agerent-ve, perunƈti fæcibus ora.

Utebantur in istis ceremoniis solennibus; vino recenti, musto tortivo, plenis labris spumante; hoc offerebant Baccho, prægustabantque: Tale Vinum vocabatur à Julio Polluce πρότροπος οἶνος, promanabat enim, antequam Uvæ prelo premerentur, ὁ πρὶν ἀποθλίσεσθαι ἐκρυείς. Vinum autem, prelo liberatum, aut, cupæ, postquàm calcaveris uvas, inclusum, vocatur οἶνος δευτερίας: Vinum quasi secundarium.

Suidas etiam mentionem facit, Vini, ex uvarum acinis, roratione, defluentis, vocat id ipsum, Σακκίας, & Eupolis σάκλος; Pollux injicit quoque mentionem talis vini, dum ait, οἶνος σακκίας ὁ διυλισμένος, καὶ σάκλος παρ' εὐπόλιδι. L. 6. t. 3.

Usus Coli, ejusmodi formæ, in primævâ Ecclesiâ, in transfundendo vino, inprimis, *ratione Vini calicis*, fuit usitatus. Ita legimus in Antiquo Rituali Ecclesiastico: *Archidiaconus sumit Amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit super Colum in Calicem.* In alio loco idem Rituale dicit; *super Colatorium*; idque sequenti describit modo: *Quod utique Vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio sui plurima quasi acûs foramina ad excolandum vinum ostendit, & illud, Archidiaconus, per totum Missæ Officium, in sinistrâ manu, auriculari digito, annulo suspensum portaturus est.*

Chronicon Moguntinum p. 314. Ex argento & auro Vas illud fuisse, indicat: *Erant Colæ argenteæ novem, per quas Vinum poterat colari, si necesse fuisset, præter eam, quæ attinebat calici aureo, & hæc aurea erant.*

In Inventario supellectilis, Sacelli Regum Franciæ, d. 13. Dec. a. 1420., in Basilicâ S. Pauli, facto, inveni duo ejusmodi *Instrumenta*, hâc ratione descripta: *Item: Duo Cola in Usum Prælati, gemmis minutioribus ornata*, septendecim (lapidibus pretiosis) duplicatis, octodecim lapillis, *encaustico* pigmento, & argento deaurato, distinctis. Circumsepta (ista Cola) habebant etiam fila bombycina, cum duabus margaritis rotundis, in inferiori parte.

A Ista Cola adhuc in usu sunt in Ceremoniâ Benedictionis cereæ agni effigiei, quæ vulgò *Agnus Dei* dicitur: Ista amuleta cerea hâc ratione per Cardinales extrahuntur ex aquâ benedictâ, in quam ea projicit summus Pontifex (O. M.) Extrahuntur etiam per alios Assistentes & Ministros hujus Ceremoniæ: Exponuntur posteà in tabulis magnis, in quibus siccantur. Possent etiam ista Cola usum obtinere in iis locis, in quibus, singulis annis, primitiæ *Uvarum mitium in Die Transfigurationis* benedictione sacerdotali beantur; ex quibus, dein, preli beneficio, Vinum, officio S. Missæ, dicatum, exprimitur.

B *Apulejus*, in *pompâ Isidis*, depingit speciem vasis concavi, & rotundi, (in formam mamillæ,) usuique Libationis Lactis, destinati: *Vasculum in modum papillæ rotundatum, de quo Lacte libabant: (Lib. II. Metam.)* Colum, (de quo sermo noster est,) est similis formæ.

Julius Pollux, qui, decem integris Voluminibus, terminos Linguæ Græcæ proprios, studiosè collegit, *Colis*, Vino purificando, destinatis, *duo diversa* imponit *nomina*: Unum eorum nominum est, ὑλιστήρ, significatque, propriè, vimineas cistas, Vinum è cupâ & prelo promanans, recipientes; & retinentes fæces,
C uvas, & vinacea, solo *Vino purissimo* (in dolia præparata) emanante.

Alterum, vocatur, τρύγοιπος; quod, rectiùs, usum coli, exprimit ὅτι δε οἶνος διηθεῖται, ὑλιστήρ, καὶ τρύγοιπος. (L. 6. c. 2.) Ex istis Vinaceis occasio Nominis *Tragœdiarum* apud Græcos coorta est, quas Τρυγῳδίας cognominant, id est, *Cantilenas musti*, referente enim *Hesychio*, τρὺξ est vocaturque *mustum*, vinum recens, quod nondum deferbuit; nondumque fuit purificatum, ὁ νέος οἶνος καὶ γλεῦκος ἀδιήθητον. Posteà, cùm, *Hircus*, in præmium, ex consuetudine, cessisset, in ejusmodi Cantilenis, industriam
D suam exercentibus, *Tragœdia* cognominabatur τραγῳδία, *Cantilena Hirci*, id quod, benè, observavit, *Horatius*, inquiens: (L. de Arte Poët.)

Carmine qui Tragico vilem certavit ob Hircum.

Athenæus etiam rectè commentatur, tempore Vindemiæ ejusmodi Repræsentationes & Cantilenas primam suam sumsisse originem *in Attico*: (Athen. L. 2.) κατὰ τὸν τῆς τρύγης καιρόν.

Intuitu istarum Circumstantiarum, ritè expendo omnia, firmiterque, vir Clarissime, concludo, *Quatuor anni Tempestates*, in quatuor in-
E tervallis Manubrii Coli vestri, (de quo noster agitur sermo,) repræsentari.

Ver indicatur per Ficum, quæ, fructibus gaudet, antequàm appareant folia, &, antequàm floreat, fructu abundat: Ver etiam notatur per Figuram istam inhonestam in Colo vestro apparentem: Per istam enim figuram Veteres exprimebant Fœcunditatem Terræ, quæ, cum mense Aprili, incipit, ideò à Latinis vocatur *Aprilis*, cùm *aperit sinum Terræ*, &, cùm, *Cypselus*, filius *Labdæ*, & *Eetionis*, repræsentet, Granum frumenti, quod sub initium Aprilis
F *primas quasi* erigit *cristas*, in sinu terræ, diu anteà, reconditum: *Mercurius* & *Priapus*, non solùm, sed ferè omnes Dii Veterum Ethnicorum, sub formâ *lapidum terminalium*, fuerunt exhibiti in Imaginibus, Nummis, & in Lucernis Sepulchralibus Veterum.

Hasta, fuit Indicium Autoritatis, quâ *Cypselus* apud Corinthios præcelluit.

Cerva cum Hinnulo suo Symbolum fuit *Æstatis*. *Duo Porci* Hiemem designant: hoc enim tem-

tempore, Sacrificia porcorum offerebantur, sicut adhuc solemus, in hunc usque diem, porcos, *biemali tempestate*, mactare, eorumque carnes multo obruere sale.

Autumnus est tempus *Vindemiæ* & *Messis*; Hoc tempus repræsentatur per *Satyrum*, per *Hircum*, & per *Cornu-copiæ*, pomis refertum: Similiter indicatur per *Ulmum*, Vineæ ferè ubique affinem: Heic Satyrum videmus, & hâc forsan ratione, quòd, *Ampelos*, filius Satyri cujusdam, & Nymphæ, amicissimus fuerit *Bacchi* socius, &, post obitum, in *stellam*, sub nomine *Vindemitor*, transmutatus, sicut id *Ovidius*, in III. L. Fastor. prudenter annotavit:

Ampelon intonsum, Satyro Nymphâque creatum,
Fertur, in Ismariis, Bacchus, amâsse, Jugis.
Tradidit huic Vitem pendentem è frondibus Ulmi,
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.
Dum legit in ramo pictas temerarius uvas,
Decidit; amissum Liber in astra vehit.

Firmiter igitur & indubitantissimè teneo, Colum hoc vestrum, Libationibus, quæ tempore Vindemiæ, recepto more, fiebant publicè, inserviisse: Occupati, enim, in Vindemiâ, antequàm Vinum è cupis extraxissent, ope similis Instrumenti, (*Coli*) aliquid Vini, exinde, hauserunt, idque, solenni ritu *Baccho* obtulerunt, &, (præ effusi gaudii amplitudine) Vinum in terram effuderunt, aut etiam è calice primitias Vini degustârunt.

Tales Festi Dies, non solùm, multo & largiter effuso vino, Honori *Bacchi*, sed etiam *Jovi* & *Veneri*, parabantur: *Ovidius* (L. IV. Fastor.) mentionem utriusque hujus Cultûs facit:

Cur igitur Festum Veneris Vinalia dicant,
Quæritis, & quare sit Jovis ista Dies?

Festus meminit quoque horum festivalium Dierum, & Vini Libationum: L. 3. *Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur, sacrificii causâ, antequàm gustetur. Jovi enim prius sua Vina libabant, quæ appellabant festa vinalia.*

Colum istud forsan adhuc alium habuit usum: Forsan in istis Festis solennibus Vino miscebantur alii Liquores, variæ Compositiones herbarum, florum, mellis, & gummi, quæ *Composita* (apud *Athenæum* L. XI. c. 3.) Ῥοδιακαὶ χυτρίδες: Cortinæ Rhodi vocantur: Antequàm enim Vinum misceres istis mixturis & compositis, Sacco linteo, sicut vinum aromatites, ista sunt percolanda, aut *in Colis* ejusdem formæ quæ in extypo nostro repræsentatur.

Hæ sunt, Vir Clarissime, Conjecturæ meæ circa usum hujus Instrumenti, & circa Figuras in eodem expressas.

CLAUDIUS FRANCISCUS MENESTRIER
è SOC. JESU.

FINIS.

RAPHAE-

RAPHAELIS VOLATERRANI

DE

MAGISTRATIBUS

ET

SACERDOTIIS ROMANORUM

COMMENTARIUS.

CUM NOTIS

PETRI SCRIVERII.

RAPHAELIS VOLATERRANI DE MAGISTRATIBUS ET SACERDOTIIS ROMANORUM, COMMENTARIUS.

DE Romanorum Magistratibus, hæc comperimus: Primum *Dictator* pluribus de causis dicebatur. Aut rei gerendæ, id est belli causa gravioris. Primusque fuit T. Largius, cum LX. populi Latinorum adversus Romanos conjurassent: auctor Dionysius Halicarnasseus. Deinde clavi figendi causa, quum gravi morbo pestilentiæ civitas affecta esset, Senatus L. Manlium Imperiosum Dictatorem, clavi figendi causa dici jussit. Isque clavus in æde Jovis in Capitolio in dextro latere fixus est: auctor Livius. Sed & ob aliquam aliam calamitatem clavus affigi etiam solitus, Comitiorum item consularium causa, ut Consul Dictatorem diceret, si contingeret utrunque, aut per bellum, aut aliam necessitatem ab Urbe abesse. Aut quæstionis exercendæ, quando Q. Cincinnatus Dictator factus, ut Sp. Melii, regnum affectantis, temeritati resisteret. Aut legendi senatus, numero deficiente, ut M. Fabius Buteo. Modus autem hic fuerat: Consul Dictatorem dicebat, Dictator Magistrum equitum: noctuque tantum dicebatur, & in solo Romano, quod Italia terminabatur. Sexque tantum menses durabat. Et ex Patriciis C. Martius Rutilius tantum de plebe in bello Faliscorum dictus, qui & ipse de plebe hominem L. Plaucium Magistrum equitum dixit. Procedebat cum lictoribus XXIV, ac totidem securibus; à quo provocatio non erat. Magistratum hunc Romani ab Albanis acceperant, apud quos Metius Suffetius Dictator invenitur prius fuisse.

Tribunorum plebis creandorum causa, secessus plebis fuit in montem Sacrum à Senatu gravatæ. Inde per Menenium Agrippam reducta, dato exemplo ventris ad membra. Tribuni duo primum creati: deinde per aliam secessionem tres, mox quinque alii, fuereque tandem numero X. Sacrosancta vocabatur potestas, nec sicuti aliæ, per Dictatorem unquam cessabat. Absque judicii discussione in exilium carceremque mittebat. Curiam non ingrediebatur, sed in sella ante vestibulum permanebat, dum S. C. fieret: quod si probaret, T. litera annotabat; si minus, intercedebat. Ab Urbe nec per unum diem abesse licebat. Domus ejus die, noctuque apertis foribus patebat, ut auxilio plebi omnibus horis (si quando opus) foret. Præterea de plebe tantum fuerat, & qui patrem vivum non haberet: ex quo Servilius tribunatum falso gessisse creditus: quod pater ejus, quem decessisse opinio erat, vivere ferebatur. Inter se quoque si diffidebant, plus poterat unus, qui prohibuisset, quam reliqui, qui rem aliquam probassent: auctor Plutarchus in Catone. Capitis etiam diem & Dictatori, & Consuli post Magistratum dicere poterant. Nec purpuram, nec sellam, nec lictores, ut Consules & Prætores, habebant, sed tantum unum viatorem.

A Per aliam plebis discordiam, quæ delectum pati non poterat, necesse fuit *Tribunos consulari potestate* creare: creatique sunt ex Patribus, A. Sempronius Atratinus, L. Atilius & Cæcilius: auctor Livius. Hi duorum generum erant: comitiarii, qui in comitiis fiebant; & Rutilii seu Rufi, qui in castris: Nam Rutilius Rufus legem tulit de eis in exercitu creandis: ut auctor Festus.

Prætores numero XVIII. fuere: habebant sellam curulem, & lictores sex, trabeam item, reliquaque Consularia insignia. Ab initio unus tantum Prætor Urbanus fuit, qui in Urbe jus
B diceret, omnemque publici ac privati juris potestatem habebat: equis item albis utebatur. Alius deinde Prætor Peregrinus factus, qui inter peregrinos jus dicebat. Deinde adauctus paulatim numerus, qui & urbanis & provincialibus rebus adessent: Sylla quatuor, Augustus duos, Claudius totidem adjecit. Inter minores magistratus etiam jus dicebant. Absentibus Consulibus, Prætor Urbanus senatum & comitia habere poterat. In provinciis non solum jus dicebant, sed res gerebant. Quæstores sub se habebant, qui vice eorum fungerentur, cum opus esset, sicuti Dictator Magistrum equitum, &
C Consul Legatum.

Proprætores prætoria potestate provincias etiam administrabant.

Quæstores vetustus magistratus. Gratianus Jurisconsultus, in eo libro, quem de Potestatibus scripsit, ipsum etiam Romulum & Numam duos habuisse Quæstores, quos non sua voce, sed populi suffragio, creatos, scriptum reliquit. Deinde Tullum Hostilium sine dubio Quæstores etiam habuisse. Dictos autem à quærendo: quorum officium, partim ærarii & urbanæ pecuniæ curam agere, partim provincias exigendis vectiga-

tigalibus sortiri, quandoque in senatu occupari: & hos *Candidatos Principis* esse dictos: nonnullos in exercendis quæstionibus versari: alios *Quæstores parricidii* dictos, qui, ut capitalibus rebus præessent, à populo constituebantur. Hæc ex libris Digestorum. Reperio quoque apud Valerium, Quæstorum fuisse curam, legatos, regesve Romam venientes, pro dignitate populi Rom. excipere, ac honorare, obviamque proficisci. Nam legati primum ædem Saturni petebant, ubi ærarium erat, ibique mos erat, ut à Præfectis ærarii scriberentur eorum nomina, traderenturque Quæstoribus, qui & eos donis prosequi, & ægrotos curare, ac demum mortuos sumptu publico sepelire solebant. Ærarium enim apud Saturni prius ædem fuit: Hic libri elephantini servabantur, in quo XXXV. tribus conscriptæ, tum senatusconsulta omnia fuerunt: Libros autem linteos Pontifices retinebant, in quibus annales conscribebant. In ipso quoque ærario locus erat secretior, ubi vigesima vectigalium servabatur: Livius XXXVII. Cætera expedientibus, quæ ad bellum opus erant, Consulibus: aurum vigesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi visum est; prompta ad III. mil. pondo auri. Fiscus deinde ærarium appellari cœptus, à fiscella, id est crumena, ubi servabantur pecuniæ, ut ait Varro. Primum *Fisci advocatum* instituit Hadrianus princeps, ut testatur Spartianus. Vectigal Pop. Rom. inter alia fuit vigesima reddituum omnium rei frumentariæ in Italia: præterea sal à singulis exigendum Salinatoris commentum. Qui vectigalia redimebant, *Publicani* appellati, & *mancipes* publicanorum principes, ut ait Pedianus.

Senatores primum à Romulo centum instituti, *Patres* appellati: ex his geniti, *Patricii* dicti: qui vero postea per Reges ac alios additi fuere, *Patres conscripti*, & *minorum gentium* vocati apud Gellium: Fuereque usque ad mille. quem numerum Augustus postea minuit. Qui non, uti nunc mercedem aut stipendium aliquod à Republ. sumebant, sed gratuitam exhibebant operam, quod sane ex nonnullorum Senatorum paupertate maxime declaratur. Liberalitas tamen Principum multis providit. Augustus item, teste Tranquillo, Senatus censum ampliavit, ac pro DCCC. duodecies LLS. taxavit, supplevitque non habentibus. Et in Vespasiano scribitur: Explevit censum senatorum, Consulares inopes quingentis sestertiis annuis sustentavit. Senatores libertinos in senatum, Commodus, teste Lampridio, adscivit: Cæsar etiam Gallos: Heliogabalus Senatulum mulierum in Colle Quirinali instituit. Augusti quoque constitutione Senatores, priusquam considerent, vino & farre sacrificabant ei Deo, in cujus ædem convenerant: nec ultra, quam bis in mense plerunque cogebantur. Ante ortum aut post occasum solis, Senatusconsultum irritum erat: Ante annos XXV. in curiam ingredi non licebat, post casum Papirii Prætextati. Senatores ex lege post annos LX. non citantur, ut auctor Seneca ad Paulinum. Citatis vero ex lege, non venientibus pignora auferebantur, ut videre licet apud Ciceronem de Oratore lib. III. Duobus tantum exceptis casibus: cum supplicatio videlicet, aut triumphus alicui decernendus. Nam tunc uti placerent, libenter omnes sponte, minimeque coacti properabant: Cicero Philippica prima. De supplicationibus referebatur, quo genere Senatores deesse non solent. Senatusconsultum tribus modis fiebat; sententia, verbo, discessione: de quibus testatur Livius XXXVI. Livium Salinatorem, inquit, olim damnatum in Senatum venire, & tondere, squaloremque ponere Censores jusserunt: Sed tum quoque aut verbo adsentiebatur, aut pedibus in sententiam ibant, quos modos sane deprehendimus fuisse ignobilium Senatorum; præcipuorum vero sententiam dicere. Pedibus ibant movendo se in locum illius, cujus sententiam probabant: Unde *Pedarii Senatores* dicti sunt. Gellius vero etymi causam dicit, quod pedibus in senatum irent; ad eorum differentiam, qui curru vehebantur: in quo sella erat, quod curulem jam dignitatem obtinuissent. In sententia vero dicenda, is ordo erat, ut ait Gellius, ante legem de Senatu habendo. Princeps Senatus primum à Consule rogabatur, deinde Consules designati, deinde reliqui præcipuæ existimationis. Cæsar consul Catonem rogavit, dicentemque non placita, in carcerem duci jussit, sequenteque eum senatu, pudore motus prohibuit. Quem vero ordinem, ut ait Tranquillus in Cæsare, Calendis Januariis Consul servasset, toto anno servabant. Sententia insuper, si quando non tota placeret, dividebatur. Cicero in epistola ad Lentulum: Postulatum, ut sententia Bibuli divideretur. Pedianus in oratione pro Milone: Cum aliquis dixit, quod non probaretur, postulabant, ut divideretur, & de singulis referretur. Seneca in epistolis. Quod fieri in Senatu solet, jubeo illud dividere, & sententiam sequor. Et hæc quidem de senatu.

Consules primi post exactos reges L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, quibus dati XII. fasces, ac totidem secures, cum lictoribus; ita, ut apud unum tantum essent, ne timor duplicaretur, isque major Consul appellaretur. Val. Publicola, eis secures ademit, dum provocandi potestatem à Consulibus dedit. T. Largius Dictator restituit, ita tamen, ut minime in caput Romani injussu populi valerent. Addita his, sella curulis, purpurea trabea, prætexta: quæ omnia ab Hetruscis, teste Livio, accersita sunt. Plebs deinde per seditionem, alterum de suis obtinuit; alterum item Campani superbi per Annium petierunt Consulem Campanum, quem Torquatus paulo minus, quin è curiæ gradibus præcipitem dejecerit: Prima hæc post Dictatorem potestas: Cives in carcerem mittendi, non tamen necandi auctoritatem habebat.

Proconsules autem (ut narratur in libris Digestorum) sex lictores, ac tantum in provincia jus habuere, ingressi urbis portas amittebant, legatos & ipsi constituebant, qui accepta ab eis facultate, administrabant.

Candidati & honores petituri, in campum ad Comitia descendebant, in Septis, Ovilibusque, locis, videlicet, eorum similitudine factis.

Comitia consularia, calata, tributa, centuriata, curiata. *Calata* à calando, id est, vocando per lictorem: *Curiata* tantum ex curiis civium, quæ XXX. fuerant, constabant: *Centuriata* frequentissima, per cornicinem ex censu & ætate accersebantur: *Tributa* vero ex omnibus regionibus urbis, & tribubus.

Accedebant prærogativæ juniorum, seu veteranorum: hoc est, ex omnibus, qui militarent juvenibus & veteranis. Centuriæ ad *suffragia* deligebantur. Consul vero sortiebatur; quæ pro uno quoque candidato prærogativa juniorum

niorum prius ad suffragia mitteretur, quam & præco citabat in montem citatorum dimissa. Classes vero in centurias distributæ fuerant: Dabantur suffragia duobus modis: Primo, mos fuit, sententiis ab utraque parte dictis. Deinde tabellis, ut deprehenditur in Cicerone Legum II. In ea, inquit, sum sententia, qua te semper fuisse scio, nihil ut fuerit in suffragiis voce utilius. Quis autem non sentit autoritatem optimatum Tabellariam legem abstulisse? quam populo libero nunquam desideravit, in oppressis dominatio & potentia principum flagitavit.

A

Quandoque non in comitiis Consules, sed per Interregem ad hoc factum, legebantur, ob candidatorum tumultum, & arma, Livius IV. Per Interregem creati Coss. ac pronunciati, L. Valerius & M. Horatius: acta res in Flaminiis pratis. Pompeium quoque solum creatum Consulem per Sulpitium Interregem legimus apud Plutarchum in Pompeio, Collegæque potestatem ei attributam fuisse.

B

Candidati veste induti alba, sine toga, ut ait Plutarchus, ne munera ad corruptionem absconderent: cives rogabant, prensabantque, merita commemorabant. Nasica vir sanctissimus bis candidatus repulsam habuit. Cæ. Metellus semel in Consulatu, qui postea Macedoniam patriæ subjecit. Cato quoque semel & Q. Ælius Tubero vir Stoicus in Prætura, ob mensas pellibus hœdinis Pop. Rom. paratas.

C

Censores primi L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus: anno Urbis CCCX. per quinquennium ab initio facti: deinde ob eorum insolentiam per Mamercum Æmilium Dictatorem ad annum & sex menses redacti: ut auctor Livius IV. Alteroque defuncto se etiam alter magistratu abrogabat, totidemque fiebant. Censum agebant civium Rom. lustrumque condebant: quem prius Servius Tullius instituit, rem saluberrimam: ex quo belli pacisque munia, non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Censu perfecto edixit, ut in campo Martio omnes cives quisque cum suis centuriis prima luce adessent: ibi instructum exercitum omnes, sue, ove, taurisque lustravit: idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est: milia LXXX, eo lustro civium censa dicuntur. Bello II. Punico censa fuere civium capita CXXVII. milia, & CVIII. ex quo numero apparuit quantum hominum Pœnus abstulisset: Livius XXVII. Idem lib. XIX. dicit sub Q. Pompeio, & Q. Metello Cens. statim post III. bellum Punicum censa fuisse capita CCC. XIX. milia, & DCCCXXXIII. præter pupillos, & viduas; quo nunquam major numerus. Præterea disciplinam ordinum, morumve curam habebant: Senatum legebant, ab eoque indignos amovebant. Quorum tanta severitas fuit, ut oscitantem paulo altius civem Rom. in publico ignominia adfecerint: & equiti Romano, qui equum strigosiorem haberet, se autem pinguem, mollius ut curaret equum, admonuerint: auctor Gellius.

D

E

De *Præfecto urbi*, sic scribitur in librum Digestorum: Omnia crimina, quæ per totam Italiam admittebantur (ut in Epistola Divi Severi ad Fabium Cilonem cautum est) Præfectura urbi sibi vendicat. Initio vero ejus Epistolæ, sic scribitur: Quum Urbem nostram fidei tuæ commiserimus, &c. Quicquid igitur intra Urbem admittitur, ad Præfectum urbi videtur pertinere. Sed & si quid intra centesimum lapidem admissum sit, Præfecti urbi ad cognitionem pertinet. Si ultra, Præfecti urbi notio non erit. Curam præterea habet tutorum, curatorum non proborum; sed & numulariorum, ut ab illicitis abstineant. Macellum quoque, ac forum boarium, suarium, piscarium, olitorium curat, ut justo veneant res pretio.

F

Præfecti annonæ frumentum providere urbi habebant, emereque à civibus quod victui superesset.

Præfectos vigilum, ut scribitur in Digestis, Augustus primum constituit, ad incendia reprimenda, quod erat antea officium *Triumvirorum*: nam cohortes opportunis urbis locis disposuit, quibus Præfectos constituit, qui furum, incendiariorum, raptorum, receptatorum crimina vindicabant.

Præfectus prætorio, ut in eisdem scribitur libris, erat apud Imperatorem qualis Magister equitum apud Dictatorem: Nam disciplinæ publicæ præerat, à quo ex Cæsarum privilegio provocare non licebat: secundum, post Imperatorem, locum obtinebat.

Ædiles plebeii, & *Curules* satis nomine ipso distinguuntur. His ludos curabant, aquas, cloacas, publicaque ædificia. Quicquid etiam rerum vitiosarum pro sincero, fractumque pro integro venisset, Ædilitio edicto redhiberi solet.

Petitis per legatos, & allatis Atticis legibus, ad eas proponendas *Decemviri*: inter quos Appius Claudius, & T. Genutius principes fuere, pro Consulibus sine ullis aliis Magistratibus creati, à quibus non esset provocatio: anno ab Urbe condita CCCI. Hi descriptis legibus, quum modeste se gessissent, in alterum quoque annum eundem esse Magistratum placuit. Quo tempore, quum plura impotenter fecissent, Magistratum deponere nolentes, in tertium annum detinuerunt: donec invicto eorum imperio, finem attulit Appii in Virginiam libido: ad quem summa rerum referebatur; quo facto, plebs incitata, occupat Aventinum, Decemviros se magistratu abdicare coëgit: ex quibus Appius, & unus collegarum, qui præcipue pœnam merebantur, in carcerem conjecti, cæteri in exilium acti. Instante igitur Virginii accusatione, & ex altera parte Claudiorum omnium deprecatione, Virginii lachrimæ justiores visæ fuerunt. Itaque antequam dies adesset, Appius sibi necem conscivit: Livius lib. III.

Triumviri capitales, causas criminum capitalium cognoscebant: ab initio duo fuerant, jam inde concreati ad judicandum Horatium illum, qui sororem interfecerat, rediens à Victoria Curatiorum.

Triumviri coloniæ deducendæ: ad hos pertinebat, ut agros, novis deductis colonis, dividerent; urbes designarent ædificare volentibus, areas partirentur: commodis regionibus civitatem distinguerent, legibus magistratibusque sisterent, & ad speciem optimæ gubernationis Rempublicam effingerent.

Triumviri Reipublicæ constituendæ hi fuere: M. Antonius, Octavianus & M. Lepidus.

Quum autem magistratibus horis vespertinis in publicum convenire, fas non esset, ut habetur in libris Digestorum, creati Quinqueviri cis-Tiberim, & totidem ultra, qui possent pro magistratibus fungi.

Erant & Quinqueviri, qui minuendis publicis sumptibus judicio Senatus constituti erant: auctor Plinius Cæcilius lib. 2. Epistolarum. Et item Quinqueviri Mensarii.

DE SACERDOTIIS.

Pontifex Maximus supra omneis Pontifices, omniaque sacra erat; penes quem libri rituales, lintei, elephantinique erant, ubi annales scribebant: Tantaque pollebant autoritate, ut Metellus Cæcus Pontifex Maximus A. Posthumium Cos. ad bellum properantem (quod is Flamen Martialis esset) non sit passus à sacris recedere: ut Livius XIX. testatur.

Duûmviri sacrorum, sacris libris legendis, carminibusque Sibyllæ, fatisque populi interpretandis præerant: ut si quid in Urbe portenti accidisset, lectisterniis ad pulvinaria Deorum factis, eorum minas averruncarent: præterea templa dedicarent.

Septemviratus Epulonum, genus erat Sacerdotii, additum Pontificibus, qui epularum, conviviorumque sacrorum & pontificalium cæremonias curarent.

Rex Sacrificulus (aliàs *Rex sacrorum*) exactis Regibus creari cæptus, ad obeunda quædam sacra solis Regibus fieri consueta, quod populus ægre ferebat, diminutam propterea religionem, & numerum sacrificiorum.

Junio Bruto & Marco Valerio Coss. *Flamines* Numa instituit, id est, sacerdotes, quasi filamines, quod lanam in capite quandam gestarent: unum Marti, unum Quirino, & alium Jovi, qui Flamen Dialis diceretur, omnibus superiorem.

Idem & *Salios* XII. Marti, quod saltando per urbem irent dictos: Mamuriumque vocabant, fabrum videlicet ancilium, ad similitudinem illius, quod à cælo delapsum fuit: Quæ institutio discrepare non videtur à modo veteris legis: David enim legimus ante arcam fœderis saltando processisse.

Potitii & *Pinarii*, Herculis sacerdotes, ab Evandro instituti: quæ familiæ tunc nobiles ea loca tenebant. Potitii diutius remanserunt. Sublati tandem utrique ab Appio Claudio Censore, his infenso familiis: ob id creditur ira Deorum luminibus orbatus: auctor Livius.

Fœcialis sacerdotium, & *Patris patrati*, idem fere & in iisdem rebus fuerat, in feriendo cum hoste fœdere, & bello indicendo, jam usque à tempore Tulli Hostilii: Formula autem fœderis feriendi hujuscemodi à Livio ponitur: Fœcialis, inquit, Tullum ita rogavit: Jubesne me Rex cum Patre patrato populi Albani fœdus ferire? Jubente Rege: sagmina, inquit, te Rex posco: Rex ait, pura tollito. Fœcialis graminis herbam puram adfert, postea Regem ita rogat: Rex, facisne tu me regium nuncium populique Romani Quiritium? Rex respondet: quod sine fraude mea, Quiritiumque fiat, facio. Fit ergo tunc fœdus, multisque id verbis peragit, legibus deinde recitatis. Audi, inquit, Jupiter, audi Pater patrate populi Albani, audi populus Albanus, audi ut illa palam prima, postrema, ex illis tabulis, cærave, recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hîc hodie rectissime intellecta sunt: Illis legibus populus Romanus prior non deficiet, si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tum me Diespiter ita populum Romanum ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percutit. Eodem modo pars altera, per suos Sacerdotes, suumque Dictatorem peragit: Cum autem bellum per Fœciales indicunt, hoc more utuntur: Fœcialis hastam ferratam aut sanguineam præustam ad fines eorum, quibus bellum indicit, defert; nec minus puberibus tribus præsentibus, hæc adjicit: Quod populi priscorum Latinorum, hominesque prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, quod populo Romano bellum cum priscis Latinis jussit esse, Senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populo priscorum Latinorum hominibusque priscis Latinis bellum indico, facioque. Id ubi dixit, hastam in fines eorum mittit, ex quo bellum justum esse intelligitur.

Virgines Vestales Numa instituit. Quæ sacra in Italiam per Æneam adducta fuerunt. Virgilius:

Et manibus vittas, Vestamque potentem:
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Antistius Labeo scripsit, minorem quam annis VI. majorem quam X. natam, negaverunt capi fas esse: præterea, quæ ex servis nata sit, aut corpore sensuve diminuto. Neque illa hæres cuiquam intestato, neque intestatæ illi quisquam est, sed bona in publicum redigebantur. Carpento vehebantur, Magistratusque illis assurgebant, magnusque apud hos illarum respectus fuerat: si quando pro reis, aut damnatis precabantur. Julius Cæsar, Tranquillo teste, per Vestales apud Syllam meruit veniam impetrare. Ignem perpetuum servabant, quæ autem per negligentiam extingui fineret, flagris à Pontifice Maximo, cui suberant, cædebatur. In stupro deprehensa, viva defodiebatur: eoque die in Urbe publici nihil fiebat. Nuper sub radice Palatini, è regione Cosmi & Damiani templi, multa Vestalium monumenta refossa, in quibus statuæ olim fuerunt. Ex his duo tantum ponam.

I.

Coeliae. Claudiae. V. V.
Maximae. sanctissimaeque
cui. egregiam. sanctitatem
et. in. Deos infatigabilem
operationem. meritis. suis
laudis. aeternam. adhibita
gravitate. Numen. quoque
Vestae. comprobavit
Sacerdotes. sacri. Vrbis.

In dextro latere:

Dedicata. cal. Mart.
M. Iunio. Max. II. et
Vellio. Aquilio. coS.
curante. Fla. Martiano
et. B. Fictore. V. V.

II.

Et in altera:

Fla. Maniliae. V. V. Max.
cujus. egregiam. sanctimo
niam. et. venerabilem
morum. disciplinam
in. Deosque. pervigilem
administrationem
Senatus. laudando
comprobavit

Aemi-

Aemilius. Rufinus. frater. et
Flavii Silvinus. et. Irenaeus
sororis. filii. ob. eximiam. ejus
erga. se. pietatem
praestantiamque

In latere dextro :

Collocata. XII. cal. April
C. Veraio. Attico. et.
A. Asinio. Praetextato *coS*

AD PRÆCEDENTES INSCRIPTIONES NOTÆ PETRI SCRIVERII.

I.

COeliae Claudiae.] Inscriptio hæc Volaterrano, inter alia Vestalium monumenta, sub radice Palatini effossa dicitur. Non memini tamen me eam uspiam legisse apud Antiquarios. Non Panvinius in Fastis, aut alibi; non Lipsius in Syntagmate de Vesta & Vestalibus; non Smetius, non Gruterus in collectaneis Inscriptionum repræsentant. Non admodum dissimiles inibi, sed diversæ tamen. Eccillas.

Romæ, in basi statuæ, reperta in via Sacra ad radices Palatii, è regione SS. Cosmæ & Damiani.

Coeliae. Claudianae
V. V. Maximae
a. Diis. electae. merito
sibi. talem. antistitem
Numen. Vestae. reservare
voluit
Coelia. Numeriana. soror. una
cum. Pierio. conjuge. ac. liberis
suis. stantes. ut. per. * *tot. secula*
facere. Dii. permittant.

Item Romæ.

† *Cloeliae. Claudianae*
V. V. Max.
religiosissimae. benignissi
maeque. cujus. ritus. et. plenam
sacrorum. erga. Deos
administrationem
Vrbis. aeternæ. laudibus
‡ *S. S. comprobat. Octavia*
Honorata. V. V. divinis
ejus. admonitionibus
semper. provocata.
Collocata. XII. Kal. April.
C. Aufidio. Attico
C. Asinio. Prætextato *coS.*

Ex Panvinio Fastorum lib. II. ad Annum c. ∞ XCV. Gruterus, pag. CCCIX, 7.

A *V. V. Max.*] Valent notæ, *Virgini Vestali Maximæ*. Sic non semel aliàs.

Cui. egregiam.] Apparet legendum, *Cujus.*

Et. in. Deos. infatigabilem. operationem.] In alia Inscriptione Romana, superius laudata: *Plenam. sacrorum. erga. Deos. administrationem.* Iterumque in aliis: *In. Deos. quoque. pervigilem. administrationem.* Item: *Religiosam. curam. sacrorum.* Quæ eadem sunt. Quid in sacris *operari* sit, pervulgatum jam est. *Operari superstitionibus*, Livius lib. X. dixit. Ovidius Fastorum VI.

Vesta fave, tibi nunc operata resolvimus ora.

B Tibullus lib. II. eleg. I.

Omnia sunt operata Deo ——

Propertius lib. II. eleg. XXXIV.

Tristia jam redeunt rerum solennia nobis
Cynthia jam noctes est operata decem.

Tacitus lib. II. *Nox eadem lætam Germanico quietem tulit, viditque se operatum.* Nonius Marcellus: OPERARI, *est Deos religiose & cum* C *summa veneratione sacrificiis litare, vel convivari.* Deinde exempla ex auctoribus antiquis profert. Ex quîs hæc potissimum huc faciunt. Afranius Excepto:

Ut operatum illum Dianæ degerem sanctum diem.

Lucillius lib. XXX:

Aut operata aliquo celebri cum æqualibu' fano.

Hæc, & plura, ille. Juvenalis Sat. XII.

D *Et matutinis operatur festa lucernis.*

Verbale *operatio* Plauto, quemadmodum hîc, sacrificatio est:

Ut isthæc operatio crimen expiet.

Meritis. suis. laudis. æternam.] Corruptum. Forsitan restituendum: *Meritis. suæ. laudis. æternam.* vel, *Merito. sua. laude. æterna.* vel, *Suis. laudibus. æternum.* Posset &, *Meritissimis. laudibus. æternæ. Ur.* id est, *Urbis.*

Sacerdotes. sacri. urbis.] Legendumne, *Sacræ.* E an quid aliud comminiscendum?

M. Junio. Max. II. et. Vellio. Aquilio. coS.] Secundi Consulis nomen corrige, *M. Junio Maximo II. & Vettio Aquilino.* Fuêre Consules anno Urbis ∞ XXXVIII.

Dedicata. cal. Mart. M. Junio. Max. II. et. Vellio. Aquilio coS.] Inscriptio quidem ipsa ad eum modum nusquam, quod sciam, legitur, præterquam apud Volaterranum. Panvinius tamen in Fastis hunc indicem dedicationis profert alteri monumento, quanquam de eadem Vestali virgine, nisi fallor, subditam; lib. II. ad An- F num ∞ XXXVIII.

*

Cloeliae. Claudianae. V. V. Max.
sanctissimae. ac. super. omnes. retro. maxi
mas. religiosissimae. cujus. sanctimonia
a. cunctis. praedicatur. nunc. certe
pertinet. esse. te. talem. cujus. laudem
Numen.

* Quot nempe ipsi cum liberis essent. Egregia, inquit Lipsius, adulatio. Apud Smetium, qui vidit, est *Coelia Nerviana*, non *Numeriana*. Sic quoque apud Gruterum pag. CCCX, 2. Stephanum Pighium Annotationibus in Valerium Maximum, ad lib. I. cap. I. & Onuphrium Panvinium in civitate Romana. Hic quoque legit, *Merito. quam. sibi. talem. Antistitem.*

† supra *Coeliae*; Si tamen eadem.

‡ *S. S.* id est, *Sanctus Senatus.*

A *Numen. quoque. Veſtae. honoravit. Fl.*
Euchariſtus. ſeptem. Epictetus. et
Aurelius. Optatus. ſac. ſanctae. Veſtae
V. S. S. L. S. D. exprim.
Dedicata. K. Martiis. M. Junio
Maximo. II. et. Vettio. Aquillino
COSS. curante. Fl. Marciano

Ex Panvinio Gruterus pag. CCCIX, 8.

Apud Volaterranum amplius eſt in fine, *et. B. fictore. V. V.* Sed caſtigatior in nominibus Conſulum eſt Panvinius. Pro *Vellio Aquilio*, ſcribendum *Vettio Aquilino*, uti jam monuimus. B Mentio autem *Fictoris* fit etiam in alia Veſtalis inſcriptione:

Romæ, in baſi reperta in via Sacra, ad radices Palatii:

Fl. Publiciae. V. V. Max.
ſanctiſſimae. et. piiſſimae
ac. ſuper. omnes. retro
religioſiſſimae. puriſſimae.
caſtiſſimaeque ⌽
cujus. religioſam. curam
ſacrorum. et. morum. praedi
C *cabilem. diſciplinam*
Numen. quoque. Veſtæ. comprobavit
Q. Veturius. Memenius. V. E.
Fictor. V. V. dignationis. erga. ſe.
honoriſque. cauſa. plurimis
in. ſe. conlatis. beneficiis.

In latere ſiniſtro:

Coll. V. Idus. Mart.
Imp. Caeſ.: : : : : Pio. Felic. II. et.
: : : : nobiliſſimo. Caeſ. coS.

D Vidit deſcripſitque Smetius. ex quo Gruterus pag. CCCXI.

Fictoris nomen inter officia divina. Alibi in lapidibus *Fictores Pontificum* legimus: non notione illa vulgari; qua Latinis *Fictor*, Græcis Plaſter. Quid fuerint, Iſidorus in Originib. explicat. *Fictor*, inquit, *à componendo & fingendo, velut qui capillos mulierum linit & pertrectat, ungit & nitidat.* Qui locus forte mendo non vacat; & videtur emendandus: *qui capillos mulierum leniter pertrectat, ungit, & nitidat.* Apud Auguſtinum ſexto de civitate Dei, Seneca inſigni Fragmento de ſuperſtitione veterum: *In* E *Capitolium perveni, pudebit publicatæ dementiæ, quod ſibi vanus furor attribuit officii. Alius nomina Deo ſubjicit, alius horas Jovi nunciat, alius lictor eſt,* (Lipſius emendat, *fictor eſt,*) *alius unctor, qui vano motu brachiorum imitatur ungentem.*

Vettii autem *Aquilini* Conſulis Panvinius in Faſtis meminit ex antiqua figulina, Romæ:

P. Corn. Aſiatico. II. / *T. Vettio. Aquil.* *coS.*

Exhibetque Gruterus pag. MLXXXII, 17. F Apud quem præcedenti pag. MLXXXI, 1. mentio *Aureli. Prumiani. Fictoris. Pontificum*, in elegantiſſima inſcriptione tabellæ marmoreæ, quam Grutero Pighius communicavit è m. ſ. ſcheda Nicolai Florentii. De *Statilio Dionyſio Diſcipulo Fictorum Pontificum*, habes ex Smetio pag. CCLXX, 6. Meminitque ſummus vir Juſtus Lipſius Electorum lib. II. cap. XVIII.

II.

Fla. Maniliæ.] Hanc habet ex Panvinio Gruterus, Inſcriptionum pag. CCCX, 5. *Fl. Maniliæ.*

In Deoſque.] Ibi eſt, *In. Deos. quoque. pervigilem.*

Æmilius. Rufinus. frater. &c.] Hæc illi ad hunc modum perſcribunt:

Aemilius. frater. et
Rufinus. frater. et
Flavii. Silvanus. et
Eireneus. ſororis. filii
a. militiis. ob. eximiam. erga. &c.

Silvanus, non *Silvinus.*

Collocata.] Hæc, quæ in latere dextro legi teſtatur Volaterranus, deſunt aliis. Tamen eadem exhibet Panvinius, & ſubſcribit alteri monumento; *Clœliæ* nempe *Claudianæ V. V. Max.* quod dedimus ſupra. Sed ibi pro *C. Verato Attico*, legitur *C. Aufidio Attico.* Videtur in noſtra Inſcriptione reponendum, *C. Vettio Attico.* Nam illud par Conſulum initio Tabulæ æneæ habetur. ubi diſerte,

C. Vettio. Attico. et / *C. Aſinio. Praetextato* *coS.*

Apud Gruterum. ex Urſino & Lipſio, pag. CCCCXLIII, 6. Inventa ea Tabula fuit in Hiſpaniis; extititque olim apud Antonium Auguſtinum, Archiepiſcopum Tarraconenſem, virum longe doctiſſimum & clariſſimum.

Sed ex Memoriis priſcis adſcribam hîc Veſtalium aliquot Elogia & laudes, an adulationes?

Romæ, ad campum Floræ, in baſi.

Fl. Publiciae. V. V. Max.
merito. ſanctiſſimae. ac piiſſi
mae. quae. rite. et. pervili. adminis
tratione. omnes. gradus. laude
cumulata. ſacra. ſua. venerata. vi
vit. ut ſeculari. aetate. et. miniſterio
adſit. et. in. futoro. perſeveret
Q. Terentius. Rufus. et. Caenia
Veriſſima. parentes
Terentiæ. Rufillae. V. V.
cujus. multi. temporis. bonitatem
et. humanitatem. ejus. circa. ſe
in. brevi. ſenſerunt.

Ex altero latere;

Dedica : : : :
DD. NN. Vale : : : :
Gallien : : : :

Apud Gruterum pag. CCCXI, 2. ex Smetio; qui vidit.

Ibidem, in hortis Frederici Cæſii:

Coeliae. Concordiae. Virgini
Veſtali. Maximae. Fabia. Paulina. C. F. Statuam. faciendam. conlocandamque
curavit. cum. propter
egregiam. ejus. pudicitiam. inſignemque

circa.

circa. cultum. divinum
sanctitatem. tum. quod
haec. prior. ejus. viro
Vettio. Agorio. Praetexta-
to. V. C. omnia. singulari
dignoque. ejus. ab. hujus-
modi. Virginibus. et. Sa-
cerdotibus. coli. statu-
am. collocarat.

E Baronii Annalibus, & Gutenstenii scholiis, Gruterus pag. CCCX, 1.

Item Romæ.

Tarpeiae. Valerianae
Vir. Vest. Maximae
dignissimae. et. sanctissi
mae purissimae. venerabilem
disciplinam. in. Deos
quoque. pervigil. admi-
nistrationem. S. L.
comprobavit. Senatus. et
populus. L. Egrilius. Strator
. . . . . pietatem. praes-
tantiamque. caussa. D. D
collocata. V. Kal
Iun. Scipione. Orfi
to. Q. Nonio. Prisco
coS.

Ex Panvinio Fastorum lib. II. & Manutio Gruterus pag. CCCXI, 4.

Notæ *S. L.* valent *sua laude*. Desideratur autem versu quarto, *cujus* ante *venerabilem*. Sic, *cujus venerabilem disciplinam*.

Plura ex lapidibus recitat Gruterus, pag. CCCIX, X, XI, & XII. atque hanc præterea pag. MLXXXVIII, 3.

Romæ, in hortis Mediceis:

Sauffeae. Alexandriae
V. V. Tiburtium
caplatores. Tiburtes
mirae. ejus. innocentiae
quam. viba. decreverant
post. obitum. posuerunt
L. D. S. C.

Vidit, descripsitque Grutero Sirmondus. *viba*, id est, *viva*. Sic alibi non semel: itemque in alia Inscriptione Romana: *Aelia. Nice. Sacerdos. Bonae. Deae. se biba. comparavit.* &c. id est, *se viva*. Gruterus è Mazochio & Manutio pag. CCCXIII, 2. Singulares literas *V. V.* jam exposuimus, *Virgini Vestali*. De *Caplatoribus*, aut *Calpatoribus*, alius erit aliquando, faciente Deo, dicendi locus, & latior campus.

Sed Lapidum atque Inscriptionum antiquarum plus satis coacervavimus; cum Volaterrano pergamus.

Augurum disciplinam ab Accio Navio, ubi de eo diximus, (*lib.* XIII,) processisse narravi: unde Collegium institutum: cui tanta fuit auctoritas, ut nihil magni in Republica fieret inaugurato, inauspicatove. Reges, Consules, aut Dictatores, qui vitio creati per augures censebantur, redeuntes retractabantur: in monte consistebat Augur, manum supra caput ejus, qui inaugurabatur, tenebat, cum lituo in altera manu, id est, recurvo baculo, Septentrionem à sinistra, Meridiemque à dextra statuens, oculis regionem præfiniebat; verbaque quædam ad Jovem dicebat: atque ita inauguratus discedebat.

Quæ de Accio tradit lib. XIII. Comment. Urbanorum, hæc sunt:

Accius Navius, de quo Cicero primo de Divinatione, sic ait: Quum hic olim ob paupertatem sues puer pasceret: una ex his amissa vovisse dicitur, si recuperasset, uvam se Deo daturum, quæ maxima esset in vinea. Itaque sue inventa, ad Meridiem spectans, in vinea diu dicitur constitisse. Cumque in quatuor partes vineam divisisset, trisque partes aves abdixissent, quarta parte, quæ erat reliqua regione distributa, mirabili magnitudine uvam invenit. Qua re celebrata, cum vicini omnes ad eum de rebus suis referrent, erat in magno nomine: ex quo factum est, ut eum ad se Rex Priscus accerseret. Cujus cum tentaret scientiam, accuratius dixit ei cogitare se quiddam, id possetne fieri consuluit: ille augurio acto posse respondit. Tarquinius autem dixit, se cogitasse cotem novacula posse præcidi. Tum Accium jussisse experiri: ita cotem in comitium allatam, inspectante & rege & populo, novacula esse discissam. Ex eo evenit, ut & Tarquinius augure Accio Navio uteretur; & populus de suis rebus ad eum referret: cotem autem illam & novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal, accepimus.

Huc etiam pertinent ea, quæ libro XXIX, cap. de Celebritatibus Sacrorum *annotavit.*

Lupercalia Evandrus instituit, ex more Arcadico, Pani Lycæo, sive Sylvano, seni nemorum pastorumque Deo. Luperci nudi per urbem incedebant, ac larvati, flagellis obvios cædentes; putabanturque ex eo steriles matronæ fœcundari. Rei causa Ovidius (Fastorum 2.) fabulam adfert. Pana spolio leonis noctu ab Herculis uxore fuisse deceptum, quum illa vestem cum viro commutasset: quare vestem deinde abominatus est. Nostri hodie pœnitentes, (felicius quam Luperci, non pellibus quidem, sed sagis linoque ora contecti,) non alios, sed sese flagello converberant, nudum ac lacerum tergum ferentes.

Cornelius (Tacitus) lib. XVIII. *Sodales* sacerdotes Romulum, cum (Tito) Tatio inita societate, fecisse scribit: unde *Titii Sodales* dicti. Et apud Tranquillum legimus, *Sodales Augustales*: apud Julium Capitolinum, *Sodales Antonianos*: Tibure quoque in marmore vetusto, *Sodales Hadrianales*. Cajus (*Digestorum lib.* 47. *tit.* 22. *l.* 4.) in titulo de collegis, dicit Sodales esse, qui ejusdem collegii sunt. (*Ibidem Marcianus lib.* 1:) Mandatis Principalibus præcipitur Præsidibus provinciarum, ne patiantur esse Sodalitia; veluti inhonesta collegia. Et Augustinus ait, Sodales quasi edales.

Plinius scribit Romulum instituisse *Collegium Arvalium*, seque duodecimum fratrem appellari voluit. Nos *Fraternitatem* & *Confraternitatem* dicimus, qua sanctiore instituto quidam inter sese hodie, mutua charitate ac pudico ritu, certaque vivendi formula, conveniunt.

Veris initio, stato solennique die, quem *Megalesia* vocant, Romani pompam Matri Deûm cele-

celebrant (*Gallos sacerdotes Matris Deûm* innuit) prælata divitiarum magna pompa: permissumque cuique personas eo die induere quas cuique libitum, cujusve magistratus aut hominis imaginem effingere, ante simulachrum ejus Deæ ludere. Id simulachrum dicitur apud Pessinuntem Phrygiæ de cœlo descendisse. Romani, responso accepto, non duraturum imperium sine eo, legatos pro eo miserunt: quod concessum & advectum, in ripa Tiberis quum conse- A disset navis, sola Claudia Vestalis, quæ incesti accusata fuerat, eam trahens se virginem probavit. Videre igitur licet has esse personas, quas nostri seculi pestilentia, non uno die, nec Sacrorum, aut comœdiæ tantum causa, sed duos continuos menses per ferias stultorum permittit: sub quibus inveterata passim licentia cuique licet scelerato esse, omnique libidinis exemplo uti. Res quidem nova, & tantum inter Christianos hæc immodestia visa.

FINIS.

JANI

JANI GULIELMI LUBECENSIS,

DE

MAGISTRATIBUS REIPUBLICÆ ROMANÆ,

DUM IN LIBERTATE URBS FUIT,

LIBELLUS.

TRACTATUUM CONSPECTUS.

I. *Brevis Collatio Græcæ & Romanæ Historiæ.*
II. *De Magistratibus Rom.*
III. *De Senatoribus.*
IV. Magistratus Patricii.
V. *Dictator.*
VI. *Magister Equitum.*
VII. *Consules.*
VIII. *Interrex.*
IX. *Censores.*
X. *Prætor.*
XI. *Ædiles Plebeii, & Curules.*
XII. *Quæstores.*
XIII. Magistratus Plebeii et Minores.
XIV. *Tribuni plebis.*
XV. *Triumviri capitales.*
XVI. *Triumviri nocturni.*
XVII. *Triumviri Monetales, & Mensarii.*
XVIII. *Magistri vicorum.*
XIX. Magistratus Extraordinarii, *& Decemviri Legibus scribendis.*
XX. *Tribuni militum, Consulares.*
XXI. *Triumviri coloniis deducendis.*
XXII. *Præfectus Urbis.*
XXIII. *Præfectus Annonæ.*
XXIV. Magistratus Militares. *Imperator. Proconsul. Proprætor.*
XXV. *Duumviri Navales.*
XXVI. *Tribuni Militum.*
XXVII. *Centurio.*
XXVIII. Magistratuum Ministri.
XXIX. *Scribæ.*
XXX. *Lictores.*
XXXI. *Viatores.*
XXXII. *Accensi.*
XXXIII. *Statores.*

JANI GULIELMI
DE
MAGISTRATIBUS
REIPUBLICÆ ROMANÆ
LIBERÆ.

I.

Collatio Græcæ & Romanæ Historiæ.

Græcæne an Romanæ Historiæ principatus sit deferendus, qui sibi non liquere pronunciarunt, prudenter inprimis fecisse, & considerate videntur. Adeo multa sunt, vel alteri peculiaria, vel utrique communia; quæ palmam aut alterutri vendicent, aut ambiguam faciant. Antiquior Græca, sed fabularum involucris obscurior: Romana recentior, sed rerum gestarum veritate certior: illa rerum, quas narrat, multitudine copiosior; hæc magnitudine admirabilior. Unde varietate altera, altera æqualitate magis commendatur. Ex illa doctrinæ, ex hac virtutis exempla illustriora petas; quod altera plurimarum artium inventoris, altera maximarum gentium victoris populi res gestas celebret. Scriptores illa eloquentiores, & proinde dulciores; hæc graviores, ideoque veraciores habet. Denique cum in omni historia τὸ ἠθικὸν ϗ πολιτικὸν inesse debeat; illo Græci, hoc Romani præstitisse videntur: quod alteri morum præcepta frequentiora habeant; alteri principum virorum ideas complures, & Reipublicæ bene constitutæ quasi A formam quandam ob oculos ponant. Quod cum reliquis in partibus, tum in Magistratibus maxime apparet: de quibus permulta ex veterum Historicorum monumentis viri eruditi collegêre. Atque ut taceam de antiquis illis, M. Varrone, Pomponio Attico, M. Messala, Gabio Basso, aliisque, quorum scripta, præter pauca admodum fragmenta, perierunt; versantur hodie inter manus hominum, quos ego quidem legi, Fenestellæ, (*is est And. Dominicus Floccus,*) Pomponii Læti, & Raphaëlis Volaterrani de Magistratibus Romanis commentarii. Quæ scripta doctissimorum hominum ego non B neglexi, sed & ipse ad meam utilitatem annotavi, si quid se obtulisset ab iis vel omissum, vel parum perspicue traditum; in iis præcipue Magistratibus qui Rempublicam Romanam, dum urbs in libertate fuit, administrassent: partim, quod horum cognitionem magis necessariam arbitrarer; partim, quod sub Regibus paucos; sub Imperatoribus varie pro libitu Principum auctos, imminutos, mutatos fuisse scirem. Dedi verò operam, ut singulorum descriptiones, notationes, munia, tempus quoque, quo vel instituti, vel è civitate sublati essent, accurate, & ipsis Auctorum veterum verbis, indicarem. C Quod utrum sim assecutus, Lectorum esto judicium. Scribebam Rostochii, Anno ∞ DLXXVII.

II. *De*

II.

De Magistratibus Reipublicæ Romanæ.

MAgistratuum nomen à *Magistro* deducunt; vel, quod Dictatore, quem Magistrum populi nominabant, minores; vel, quod per imperia privatis potentiores essent. quorum illud M. Varroni; hoc Pompeio Festo placuisse video. Eos M. Tullius, *legem loquentem*: *legem, mutum magistrum*, definit. Idem in Orationibus, *senatus auctoritate uti, & quasi ministros gravissimi consilii esse*, scribit: primo de Officiis libro, *gerere personam civitatis*, ait, *debereque ejus dignitatem ac decus sustinere, servare leges, jura describere, ac fidei suæ commissa meminisse.* Dividitur varie, in Patricios & Plebeios; Majores & Minores, Urbanos & Provinciales. Patricii initio solis Patribus patebant; postea tribuniciis legibus etiam cum plebe communes facti fuère, excepto interregno. Plebeios Patricii nulli adire poterant; sed aut è plebe homines, aut à patribus ad plebem adoptione transgressi. Majores erant, qui auspiciis majoribus rogabantur, ut Consules, Censores, Prætores. Minores, qui minoribus, hoc est, ut Agellius explicat, minus ratis. illi centuriatis comitiis; hi tributis fiebant. Urbanum Magistratum nomino, quicunque in Urbe potestatem exercet: Provincialem, qui in provinciis. illum inire nemini licet, nisi qui decem stipendia annua fecerit; ut Polybius & Plutarchus tradiderunt: hunc Militarem quoque dicimus, si ob bellum gerendum capitur: & vel suo auspicio militiæ præest; ut Duumvir navalis; vel rem militarem cum dignitate comitatur, ut Tribunus militum. Extat Urbanorum Magistratuum alia divisio apud Agellium, quam ille ex Varrone in suas Noctes transtulit, (lib. 13. cap. 12.) his verbis: *In Magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum. Vocationem, ut Consules, & cæteri, qui habent imperium. Prehensionem, ut tribuni plebis, & alii, qui habent viatorem. Neque vocationem, neque prehensionem; ut Quæstores, & cæteri, qui neque viatorem habent neque lictorem. Qui vocationem habent, ii prehendere, tenere, abducere possunt: & hæc omnia, sive adsunt quos vocant, sive acciri jusserunt.* Florus quoque, seu quis alius singulorum librorum T. Livii argumenta perscripsit, *Sacros Magistratus Sacerdotes* appellare videtur. Sed eos ego in honore fuisse, non inficior; in magistratu fuisse, id vero pernego. nam & perpetui fere omnes fuerunt; & magistratus adierunt: (duos autem simul unus magistratus, præsertim curules, neque capere potest, neque gerere:) & *privati* compluribus auctorum locis nominantur. Insignia magistratuum ab Etruscis pleraque translata esse Sallustius & alii prodidêre. Ea fere comprehendit hoc carmine Ovidius:

Jamque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.

Fasces Dictator habebat XXIV, Consul & Proconsul XII, Magister Equitum, Prætor, Proprætor VI. Quare autem illigatæ virgis secures fuerint, Plutarchus ἐν καταγραφαῖς indicat: *Quid est, quod Imperatorum virgis secures alligatæ præferantur? an signum est, Magistratum præcipitem ad iram & dissolutum esse non debere? an virgarum dissolutio, mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur? Verum, cum scelerum alia me-*

A *dicabilia, alia incurabilia sint; illa, quæ mutari possunt, virgæ emendant; hæc quæ corrigi non possunt, secures abscindunt.* Minores magistratus fasces non habebant: neque sella curuli eorum quisquam, præter Ædiles curules, sedebat. Erat autem Curulis, sella eburnea; ut hîc ex Nasone videre est, & Horatio:

— eripietque curule,
Cui volet, importunus ebur. —

Imposita erat *currui*, unde *curulis* dicta: supra quam considentes Magistratus & jus dicebant,
B & in curiam vehebantur. Quo honore Senatores etiam curuli magistratu functos priscis temporibus usos ex G. Bassi Commentariis Agellius (lib. 3. cap. 18.) retulit. Ii autem imagines sui quoque ponere, & posteris tradere soli poterant. *Prætextæ* Cicero meminit ad Atticum VI, 1: *Literas daturus pridie Kal. Jan. suavem habui recordationem clarissimi jurisjurandi, quod ego non eram oblitus. magnus enim prætextatus illo die fui.* Idem Tibullus, lib. 4.

Nam modo fulgentem Tyrio sub tegmine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni.

C Illam Livius *Togam purpura prætextam*: Macrobius *Magistratuum gestamen* nominat: quod ea omnes magistratus, exceptis Tribunis plebis, utebantur. Gestarunt tamen eandem & pueri ingenui, & sacerdotes publici. Magistratus Provinciales instruebantur argenteis vasis, & annulis aureis publice præbitis: item mulis, tabernaculis, & omni instrumento militari ornabantur. ad quas res deinde divus Augustus certam illis pecuniam constituit. Magistratum ineuntes in leges jurabant. neque ullus plus quinque diebus, nisi id fecisset, potestatem retine-
D re poterat. Abeuntes quoque Magistratu, concionem habebant, atque recte à se Rempublicam administratam jurabant. Leges Annales, Sempronias, Antias, Horatias, Julias, & quæ aliæ de Magistratibus latæ sunt, ne longior hîc sim, omittam: & de Senatoribus primum; tum de Magistratibus Patriciis, Plebeiis, Extraordinariis, Militaribus; postremo de Magistratuum ministris; ordine dicam.

III.

De Senatoribus.

E

QUemadmodum Magistratuum descriptione omnis Respublica continetur: ita unum liberæ civitatis consilium est Senatus. Eum Romæ, idem qui urbem condidit, Romulus instituit, creatis centum viris; quos ab ætate, Senatores: à curæ similitudine, Patres nominavit. ad hos Tatius in urbem acceptus ex Sabinis centum; itemque centum alios Tarquinius Priscus adjecit; & sic trecenti facti. quem numerum, continuis cædibus à Rege postremo diminutum, iterum explevit L. Junius Brutus Cos. ut Livius, ut vero Festus prodidit, P. Va-
F lerius Bruti collega, adscriptis ex Equestri ordine Senatoribus; quos ideo Conscriptos appellarunt. traditumque inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui Patres, quique Conscripti essent. Postea Censorum peculiare munus erat, Senatum singulis lustris legere. Bello tamen Punico secundo M. Fabius Buteo Dictator ex SC. ordinem senatorium supplevit. Livius lib. XXIII: *Recitato vetere senatu, inde primum in*

demor-

demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium & C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti essent, ut quisque eorum primus creatus erat: tum legit, qui Ædiles, Tribuni pl. Quæstoresve fuerant: tum ex iis qui Magistratus non cepissent, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita CLXXVII. *cum ingenti approbatione omnium in senatum lectis, extemplo se magistratu abdicavit.* Quæ verba huc eo libentius apposui, quod perspicue doceant quos in senatum adlegi moris fuerit. Præterea senatum L. Cornelius Sulla, & post eum C. Cæsar, supplevere. Divus Augustus affluentem numerum Senatorum ad modum pristinum redegit: atque Triumviros senatui legendo, Magistratum novum, instituit. Fuerunt initio soli centum: post exactos Reges trecenti. M. Tullius in Epistolis, CCCCXV. uno tempore adfuisse in senatu, indicare videtur. Idem tamen ad Q. Fratrem: *Fuimus*, inquit, *sane frequentes, ut sub dies festos, ad ducentos.* Tempore D. Augusti supra mille fuisse, Suetonius auctor est: ex iisque indignissimos quosdam, quos abortivos vulgo nominaverint. Principem senatus singulis lustris Censor is, cui lectio sorte obvenerat, legebat, vel eum, qui auctoritatem & gloriam maximis rebus gestis esset consecutus, ut Plutarchus; vel qui primus Censor ex iis qui viverent fuisset, ut Livius indicavit. Sequebantur tamen fere priorum judicium posteriores, neque, nisi eo qui superioribus lustris Princeps Senatus fuerat, aut extincto, aut senatu moto, alium sublegebant. Eum aliquando primo loco sententiam rogabat Consul. Sed de ordine rogandarum sententiarum, loco item, & tempore senatus habendi, complura ab Agellio lib. IV. cap. X. & XIV. lib. VII. cap. III. & XVIII. annotata, in sua collectanea transtulit Fenestella. [*is est And. Dominicus Floccus.*] Præterea illud observandum, quod ex eodem Agellio Carolus Sigonius annotavit, ante de divinis rebus quam de humanis relatum fuisse, quoties senatus haberetur. Itaque Cicero ait ad Quirites post reditum: *P. Lentulus Consul simul atque de solenni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum judicavit.* Extat locus Plutarchi in Problematibus de Senatoribus, his verbis: *διότι τῶν συγκλητικῶν τὺς μὲν πατέρας συγγεγραμμένυς, τὺς δὲ ἁπλῶς πατέρας προσηγόρευον· ἢ τὺς μὲν ἀπ' ἀρχῆς κατανεμηθέντας ὑπὸ τῦ Ρωμύλυ, πατέρας ἐκάλυν καὶ πατρικίυς, οἷον εὐπατρίδας ὄντας, πατέρας αὐτῶν ἔχοντας ἀποδεῖξαι, τὺς δὲ ὕστερον ἐπιγραφέντας ἐκ τῶν δημοτικῶν συγγεγραμμένυς πατέρας ὠνόμασαν.* Unde intelligitur, id quod supra attigimus, alios Patres, alios Conscriptos fuisse. Patres, à Romulo cæterisque Regibus creati; eorumque proles *Patricii*, quod *patrem ciere* possent, quemadmodum à Livio bis, & hic à Plutarcho definiuntur. Conscripti, ex plebe in senatum lecti. quorum & Festus lib. XV. meminit, sed mendose: legendum autem ex Sigonii sententia: *Qui Patres, quique Conscripti vocati sunt in curiam, quo tempore Regibus expulsis P. Valerius Consul, propter inopiam Patriciorum, ex plebe adlegit in numerum senatorum centum sexaginta & quatuor, ut expleret numerum trecentorum. sic duo genera appellavêre.* Erant & hi Patricii, si in patricias familias, Senatusconsulto, aut Plebiscito allecti essent, sed Minorum gentium. Nam Majorum gentium ii duntaxat videntur fuisse, qui genere Patricii, hoc est, à Romuli & Tatii senatu pro-

A pagati essent. Quod ut evidentius appareat, P. Pithœi JC. verba ex adversariis subsecivis (lib. 2. cap. 7.) integra apponam: Livius lib. I. *Priscus non minus regni sui, quam augendæ Reipublicæ memor, centum in Patres legit, qui deinde Minorum gentium sunt appellati. Factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerant.* Ait, *deinde*, id est, ut ego quidem interpretor, à L. Bruto. Tacitus lib. XI, *Iisdem diebus in numerum Patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus Majorum, & L. Brutus Minorum gen-*

B *tium appellaverant: exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Princeps Augustus lege Senia sublegêre.* Majorum gentium sunt genere & sanguine Patricii, i.e. Patrum à Romulo lectorum progenies: Minorum vero cooptatione in Patres postea Patricii facti. Inde, & translatione quadam, eleganter quidam *Dii majorum gentium* à M. Tullio dicuntur. *Minorum* verò *gentium* appellatio corrupta est apud Suetonium in Augusto: (*cap.* 2.) cujus locum, uti in veteri & optimo exemplari conceptus est, ita referam. *Ea gens* (inquit, de Octavia loquens) *à Tarquinio Prisco rege, inter minores gentes allecta*

C *in Senatum, mox à Servio Tullio in Patricias traducta, procedente tempore ad plebem se contulit.* Vulgo tamen scriptum est, *inter Romanas gentes*: quod erroris ansam quibusdam præbuit. At *minores gentes*, reponentem quis non ferat? quod & Philippum Beroaldum annotasse postea monitus sum. Ex his autem intelligi potest, eos qui à Prisco in senatum allecti Patresque facti sunt, non omnes primum ex Patriciis gentibus fuisse, sed ex iis quorundam gentes à Ser. Tullio aliisque deinceps Regibus in patricias traductas, ut Octaviam: alias à Bruto jussu populi, ut Livius lib. IV. significat, qui & eis

D fortasse, cum senatum supplevit, Minorum gentium nomen dedit. Hactenus Pithœus. Erant præter hos Senatores quoque Pedarii, quos Varro existimavit esse eos, qui in senatum nondum allecti, sententiæ tamen jus habebant. Festus lib. XIV, sic dictos scribit, *quod taciti transeundo ad eum, cujus sententiam probant, quid sentiant indicant.* hinc *agipedes* à Lucilio nominantur: *Agipes vocem mittere cœpit.* Talis M. Livius videtur fuisse, de quo Livius lib. XXVII: *Tum quoque aut verbo assentiebatur, aut pedibus in sententiam ibat.* ille erat judicio populi ex consulatu condemnatus. Ii autem quos populus

E damnasset, quibusque imperium abrogasset, in senatu non erant, lege Cassia, quam tamen posterioribus temporibus latam fuisse, non ignoro. *Sententiæ* illorum *pedariæ* dicuntur. Laberius Mimographus:

Caput sine lingua, pedaria sententia est.

Omnino sententiæ, aut verbo, aut pedibus, aut manu ferebantur. quod ex Vopisco in Aureliani Imperatoris vita docemur: *Deinde aliis manus porrigentibus; aliis pedibus in sententias euntibus; plerisque verbo consentientibus, conditum est*

F *Senatus-consultum.* Mos assentiendi manibus, ab Atheniensibus videtur translatus, apud quos populus manum extendendo suffragia inibat. Unde *χειροτονεῖν καὶ χειροτονία*, pro *sciscere*, & *plebiscito*: & Xenophon de dimissa concione, *τότε γὰρ*, inquit, *ὀψὲ ἦν, καὶ τὰς χεῖρας οὐκ ἂν καθεώρων.*

Senatorium ordinem ab Equestri distinguebat latus

latus clavus, & jus ſpectandi in orcheſtra, atque epulandi publice; item lunatus calceus. quo tamen & alii nobiles videntur uſi. *Latus clavus* veſtis genus erat, aureis clavis diſtinctum, & à Tullo Hoſtilio rege Romano primum introductum, ut Plinius auctor eſt: à quo *Senatores laticlavii* Suetonio dicuntur. In *orcheſtra ut ſpectarent*, primo inſtitutum eſt anno U. C. DLX, cum Sex. Ælius Pætus & C. Cornelius Cethegus Cenſores Ædilibus Curulibus imperaſſent, ut loca ſenatoria ſecernerent à populo. De *calceis lunatis* locus Ciceronis intelligendus eſt, Philippica XIII. *Eſt etiam Aſinius quidam ſenator voluntarius, lectus ipſe à ſe: apertam curiam vidit poſt Cæſaris mortem. mutavit calceos, pater conſcriptus repente factus eſt.*

IV.

MAGISTRATUS PATRICII.

IN Magiſtratibus primo loco poſuimus Patricios. ex iis præcipui ſunt *honorum gradus* (quos vocant) annui: Quæſtura, Ædilitas major, Prætura, Conſulatus. His Dictatorem, Cenſorem, Interregem adjecimus: tum quia patricii eſſent; tum ſecuti locum Livii, qui eſt lib. XLI: *Ad legem & edictum Conſulum S. C. adjectum eſt, ut Dictator, Conſul, Interrex, Cenſor, Prætor, qui nunc eſſet apud forum, darent operam*, &c. Dictatori Magiſtrum Equitum, Ædili curuli plebeium ſubjecimus. illud haud malè; quod Rempublicam ſimul adminiſtrent, & veluti in eodem collegio ſint: hoc fortaſſe non recte; quod Magiſtratus plebeius inter Patricios referri non debuerit: Sed, quod multa inter eos officia communia eſſent, & ego, quæ de Ædilibus plebis ſeparatim dicerem, pauca haberem, facere aliter vix potui.

V.

Dictator.

DIctator, vel quod diceretur, neque, uti cæteri Magiſtratus, populi ſuffragio crearetur, à dicendo; vel quod ejus dicto omnes audientes eſſent, à dictandis quaſi mandatis, hoc nomen accepit. Eum Lex antiqua *Prætorem maximum*; M. Tullius & Terentius Varro *Magiſtrum populi*; T. Livius modo *Rectorem Reipublicæ*, modo *moderatorem atque magiſtrum Conſulum* nominat. Dictatura eidem jam *regimen rerum*; jam *maximum imperium in civitate*, jam *ultimum in trepidis rebus conſilium* dicitur. Erat hic Magiſtratus omnium ſummus, nec ab eo provocare licebat ad populum: ſed jus animadvertendi in caput civis Romani ſummum habebat. Poſterioribus tamen temporibus provocationem à Dictatore fuiſſe, Livius indicare videtur lib. VIII. *Quandoquidem* (inquit M. Fabius ad L. Papirium Dictatorem) *apud te nec auctoritas ſenatus, nec ætas mea, cui orbitatem paras, nec virtus nobilitasque Magiſtri Equitum à te ipſo nominati valet; nec preces, quæ ſæpe hoſtem mitigavere, quæ Deorum iras placant: Tribunos plebis appello, & provoco ad populum: eumque tibi fugienti exercitus tui, fugienti ſenatus judicium, judicem fero, qui certe unus plus quam tua dictatura poteſt polletque. videro ceſſurusne provocationi ſis, cui rex Romanus Tullius Hoſtilius ceſſit.* Idem Feſtus docet lib. XIII. OPTIMA LEX, *cum nominabatur in Magiſtro populi faciendo, qui vulgo Dictator appellatur, quam pleniſſimum poſſet jus eſſe ſignificabatur. Ut fuit M. Valerii M. F. Voluſi nepotis, qui primus Magiſter populi creatus eſt. Poſtquam vero provocatio ab eo magiſtratu ad populum data eſt, deſitum eſt dici, ut* OPTIMA LEGE, *utpote minuto jure poſteriorum* (vulgo, *priorum*) *magiſtrorum.*

Inſignia quoque, quæ Regum antea fuerant, omnia uſurpabat. Fasces cum ſecuribus XXIV. Dictatori antelatos, Plutarchus & Polybius aperte teſtantur. à quibus diſſentiens Livius, primum L. Sullam Dictatorem, quod nemo unquam antea fecerat, cum XXIV. faſcibus proceſſiſſe ſcribit. Dicebatur vel à Conſule, vel à Tribuno militum conſulari poteſtate; idque non niſi nocte intempeſta, & in ſolo Romano: quod Italia terminari, & ex Livii aliquot locis facile colligitur, & Raphaël Volaterranus jam olim annotavit. Ab Interrege ſolus L. Cornelius Sulla; quemadmodum à Prætore C. Cæſar dictus eſt. quod utrumque contra jus factum eſſe, Cicero in epiſtolis indicare videtur. L. Fabium Maximum, quem à populo Dictatorem novo exemplo factum Cælius & Plutarchus ſcribunt, pro Dictatore tantum fuiſſe, Livius luculentior auctor oſtendit. Legebatur autem vel rei gerundæ, vel comitiorum conſularium. vel quæſtionum exercendarum, vel clavi, ob peſtilentiam aut alienatas hominum mentes, figendi cauſa. Signo quadrigis mittendis dando, & ſenatui ſupplendo, Dictatorem dictum, ſemel omnino in Hiſtoria Romana legimus. Conſularem legere Lex de Dictatore creando lata jubebat. Eo lecto, reliqui Magiſtratus omnes ſuam poteſtatem amittebant: præter Tribunos plebis. Nam ut Plutarchus ait, *μόνη ἡ δημαρχία δικτάτωρος αἱρεθέντος, τὸ κράτος οὐκ ἀπόλλυσιν, ἀλλὰ μένει, τῶν ἄλλων καταλυθεισῶν.* Si rei gerendæ cauſa creatus eſſet, imperium in ſex menſes obtinebat. Equo apud exercitum non utebatur, more majorum, *εἴτε τῆς ἀλκῆς τὸ πλεῖστον ἐν τῷ πεζῷ τιθεμένων, καὶ διὰ τοῦτο τὸν στρατηγὸν οἰομένων δεῖν παραμένειν τῇ φάλαγγι, καὶ μὴ προλείπειν· εἶθ' ὅτι τυραννικὸν εἰς ἅπαντα τ' ἄλλα καὶ μέγα τὸ τῆς ἀρχῆς κράτος ἐστὶν, ἔν γε τούτῳ βουλομένων τὸν δικτάτωρα τοῦ δήμου φαίνεσθαι δεόμενον.* Quod quia magnis in expeditionibus ſervari vix poterat; antequam ab urbe exiret, ferebat ad populum, ut equum aſcendere liceret. quod Livius lib. XXIII. ſignificat. Primus Dictator Romæ creatus eſt, ut Feſtus exiſtimat, M. Valerius; ut Livius, T. Lartius. quo anno & quibus Conſulibus, parum conſtat.

Sublatum autem ejus Magiſtratus nomen funditus è Republica eſt lege Antonia, quam tulit M. Antonius, ſe & P. Cornelio Dolabella Conſulibus, an. U. C. DCCX, ob recentem memoriam perpetuæ dictaturæ C. Cæſaris. cui poſt Hiſpanienſem triumphum maximi honores à Senatu decreti ſunt; inter quos, ut *Pater patriæ* appellaretur, & *ſacroſanctus*, ac Dictator in perpetuum eſſet. Ex quo manifeſtus error deprehenditur nonnullorum, Græcorum præſertim, qui Divum Auguſtum Dictatorem perpetuum fuiſſe tradiderunt. cum & Suetonius Dictaturam, offerente populo, pertinaciſſime recuſaſſe; & Tacitus non regno neque dictatura, ſed Principis nomine contentum conſtituiſſe Rempublicam ſcribant.

VI. *Ma-*

VI.

Magister Equitum.

Magister Equitum dicebatur à Dictatore: quemadmodum Dictator à Consule. Is summam potestatem habebat in milites & accensos. Si Dictator Reip. causa abesset, ejus locum tenebat in exercitu. Unde Silius Punicorum lib. VII:

Alloquitur juvenem, cui mos transmittere signa,
Et belli summam, primasque jubebat habenas.

Sin adesset, equestribus copiis, quemadmodum ille pedestribus, præerat. Dicto audiens Dictatori, non minus quam reliqui Magistratus, erat: neque aut injussu; aut contra edictum ejus, cum hoste confligere audebat. Nam auctore Plutarcho, τὸν ἵππαρχον εἶρξαι τῷ δικτάτωρι καὶ θανατῶσαι περὶ δίκης ἔξεσι. Imperium Magistri Equitum minus quam Consulare esse, Livius alicubi innuere videtur. nos Dictatori subjecimus: & quod Consularis potestatis eum esse idem alibi scribat; & quod hi Magistratus perpetuo conjungerentur, neque fere unquam alter absque altero in Republica Romana fuerit. Unde & Juvenalis recte utrumque conjungit: (*Sat.* 8.)

Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Corvinum? posthac virga deducere multa
Fumosos Equitum cum Dictatore Magistros.

Quorum versuum secundum, quemadmodum posui, ita ex veteri libro interserit vir doctissimus Justus Lipsius, & velut explicans addit: *Multam virgam* vocat multos lictores: nam Dictator XXIV. fascibus utebatur; Magister equitum VI. quorum illud nos quoque ex Polybio & Plutarcho paulo ante docuimus: hoc, ne quid dissimulemus, in antiquis auctoribus nondum legimus. Bello tamen Punico secundo, M. Fabius Buteo, senatui legendo Dictator absque Magistro Equitum dictus est. Sed ille, cum neque duos Dictatores eodem tempore, neque Dictatorem sine Magistro equitum probare se dixisset, perfecto ad quos creatus erat munere, eodem die se magistratu abdicavit.

VII.

Consules.

Consulatus M. Tullio *regium imperium* & *bonorum populi finis* appellatur: quod & in omnia jura Regum successisset, & ex annuis Magistratibus summus esset. Eum qui gerebant, à *præeundo, judicando, consulendo*; *Prætores, Judices, Consules* dicebantur. quæ posterior appellatio reliquis in alia transeuntibus valuit, ab eo quod civibus suis, vel *consulerent*; quasi πρόβουλοι: Unde *Consularis lex* apud M. Tullium: OLLIS. SALVS. POPVLI. SVPREMA. LEX. ESTO. vel jus dicere antiquitus consuevissent, à *judicando*. Nam & hoc *consulendi* verbo significatum fuisse, indeque adhuc remanere illud: *Rogat boni consulas*, id est, bonum judices, Quintilianus admonet. Nonius sic dictos existimat, quod *consulant Senatui*. Ubi quidam vir doctus ex ingenio emendat, *senatum*. Verum ad prius illud, nisi fallor, respiciens in Bruto Cicero, *Consulem*, ait, *senatorii*

A *ordinis quasi parentem bonum, aut tutorem fidelem esse debere.* Eosdem Salustius *binos Imperatores*, Livius *principes civitatis*, & *regiam potestatem* nominat. erantque iidem Romanis, qui Pœnis *Suffetes*, Campanis *Medixtutichi*, Æduis *Vergobreti* fui. Creabantur, ut reliqui Magistratus Patricii, comitiis centuriatis, & initio quidem Patricii soli; deinde ex plebe alter; demum Plebeii promiscue & Patricii.

Designati Consules gratias agebant, dum in libertate Urbs erat, populo Romano, postea Imperatoribus. Quo die magistratum inibant, singuli Jovi singulos boves injuges immolabant.
B Principio omnia, quæ Prætorum postea fuerunt, officia exercebant: deinde iis omissis, summæ imperii præerant, omniumque publicorum negotiorum curam gerebant. Senatum per præcones coactum de Republica consulebant, quemque ordinem interrogandi sententias semel instituerant, toto anno servabant. In caput civis Romani, injussu populi, animadvertendi, potestatem, lege Sempronia, non habebant. Exterarum gentium legatos in senatum inducebant, unde apud Tacitum Nero: *Consulum tribunalibus Italia & publicæ provinciæ assisterent.*
C *Illi patrum aditum præberent.* In urbe duodecim fasces absque securibus, alternis mensibus habebant: sic ut à seniori, licet minus honorato, ordo inciperet. Qui fasces non habebat, ante eum accensus ibat, lictores pone sequebantur. Quem morem obsoletum à C. Cæsare relatum Suetonius scribit. Extra urbem fasces cum securibus præ se ferebant. Militiæ summum imperium; & absque provocatione habebant. Nam provocatio non longius erat ab urbe mille passuum, ut Livius locuples auctor est. *Annus consularis*, quo hunc magistratum capere licebat, lege Annali, erat quadra-
D gesimus tertius. Unde Cicero in Philippicis: (*Philip.* 5.) *Quid Alexander Macedo cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tricesimo tertio anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor, quam Consularis.* Eundem magistratum intra decennium iterum capere jus non erat. Quam legem perantiquam, sed ambitione neglectam, L. Cornelius Sulla Dictator iterum pertulit. nam primum ejus latorem non hunc, (ut quidam viri docti falso arbitrantur) sed multo vetustiorem fuisse ex Livio videre est: qui de Q. Fabio Maximo
E Cunctatoris avo, quem populus recusantem consulem facere conabatur, loquens, *Acuebat*, inquit, *hac moderatione tam justa studia: quæ verecundia legum restinguenda ratus, legem recitari jussit qua intra decem annos eundem Consulem refici non liceret. Vix præ strepitu audita lex est, Tribunique plebis nihil id impedimento futurum aiebant, se ad populum laturos uti legibus solveretur.* Videtur autem lata, C. Martio Rutilo, Q. Servilio Coss. anno U. C. CDXII, ut idem scribit libro septimo extremo. Quo anno quoque latum ad populum est, uti liceret Consules ambos plebeios creari. Quod jus tamen post plurimos annos
F demum cœptum est usurpari bello Punico secundo. Primi *Consules* Regibus exactis creati, L. Junius Brutus, L. Tarquinius Collatinus, ex commentariis Servii Tullii Regis Romani, qui primus de civium suorum libertate cogitasse fertur. Pro iis Rempublicam complures annos *Tribuni militum consulari potestate*; biennium *Decemviri scribendarum legum* administrarunt. Verum cito horum magistratuum pertæsum est, atque ad Consules reditum: in eoque magistratu

A etiam sub Imperatoribus usque ad occasum Imperii & captam à Gothis Romam perseveratum. Itaque & anni Consulum nomine signabantur, unde Lucanus:

At vos qui Latios signatis nomine fastos.

VIII.

Interrex.

INterregnum Festus esse dicit spatium temporis, quousque in regis demortui locum alius B ordinatur. quo intervallo qui summæ rerum præerat, *Interrex* dicebatur. Is magistratus statim à morte Romuli est institutus. Nam cum in metu omnes essent, ne civitatem sine imperio vis aliqua externa adoriretur; rem inter se centum Patres consociant, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent. decem imperitabant; unus cum insignibus Imperii & lictoribus erat: quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in ordinem ibat. Id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, Interregnum ap-C pellatum. Hæc fere Livius. à quo non longe discedit Plutarchus; nisi quod vix unius diei imperium uni Interregi tribuere videtur. Scribit autem ille his verbis: ἔταξαν οἱ πατρίκιοι πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν ὄντων αὐτῶν ἐν μέρει ἕκαστον τοῖς βασιλικοῖς παρασήμοις κοσμούμενον, θύειν τε τοῖς θεοῖς τὰ νενομισμένα καὶ χρηματίζειν, ἓξ μὲν ὥρας τῆς νυκτὸς, ἓξ δὲ τῆς ἡμέρας κυρίαν. καὶ γὰρ ἡ διανομὴ τῶν καιρῶν ἑκατέροις, πρὸς ἰσότητα καλῶς ἔχειν ἐδόκει, καὶ πρὸς τὸν δῆμον ἡ μεταβολὴ τῆς ἐξουσίας ἀφαιρεῖν τὸν φθόνον, ὁρῶντα τῆς αὐτῆς ἡμέρας καὶ νυκτὸς τὸν αὐτὸν ἰδιώτην ἐκ βασιλέως γινόμενον. τὸ δὲ σχῆμα τοῦτο τῆς ἀρχῆς D μεσοβασιλείαν ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Postea exactis etiam Regibus, quoties comitia à Consulibus, aut morbo, aut bello, aut seditione impeditis, haberi non poterant, si Dictatorem dici non placuisset, Interrex prodebatur, qui cum quinque dies magistratum obtinuisset, (nam hoc Interregni tempus fuisse, satis constat) alteri imperium tradebat. ille, nisi quid impediret, Senatusconsulto de comitiis Consularibus facto, Consules creabat. Ab eo qui primus interrex proditus erat, comitia haberi non solebant, si Pedianus verus auctor est. Solus hic Patricius magistratus cum plebe communis factus non est. E neque enim populi suffragio creabatur, sed à Patriciis coëuntibus auspicato prodebatur. Unde Ap. Claudius apud Livium: *Plebeius quidem Magistratus* (inquit) *nullus auspicato creatur. nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat Patricios magistratus, non aliter quam auspicato creet, sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato Interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent.* Creabatur autem, ut idem Pedianus docet, ad III. Calend. Februar.

Ejus officium erat, omnia ea obire, quæ vel Regum vel Consulum fuissent. Itaque jus dice-F bat, senatum vocabat, rempublicam quoque turbulentis temporibus sub extremi atque ultimi Senatusconsulti formula sæpe accipiebat; surrogandisque magistratibus comitia habebat.

IX.

Censores.

CEnsores M. Tullius *magistros morum*; *censuram, pudoris & modestiæ veterem magistram* definit. quam eandem, Ciceronem secuti, Valerius Maximus *pacis magistram atque custodem*, Suetonius *morum legumque regimen* nominant. Livius à parva origine ortam esse scribit, deinde tanto incremento auctam ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ditione ejus magistratus, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent. Instituta est anno Urb. Cond. CCXI. cum Consulibus operæ non esset populum censere, ideoque duobus viris L. Sempronio Atratino, L. Papirio Mugilano hujus rei procurationem demandassent. jus suum à Mamerco Æmilio Dictatore imminutum (is lege lata ex quinquennali annuam ac semestrem eam fecerat) brevi recepit. Ideoque administrationem Censorum per lustrum, hoc est, quinquennium, tendere Pedianus ait. Censum populi Romani agebant, & publicæ recensionis tabulas in æde Nympharum custodiebant. Itaque quod unusquisque civium tanti rem suam æstimare sit solitus, quantam illi eam sua censione, id est, arbitrio censuissent, Censores dictos Varro & Festus volunt. In senatum quos allegerint, quemque Senatus principem creaverint, alibi tradimus. Indignos Senatores & vitiis deditos è senatu movebant: motis notas antiquitus ascribebant. Unde *Censoria notatio*, pro animadversione, usitata Scriptoribus loquendi formula. De equitum recensione extat insignis locus apud Plutarchum, quem huc ascribere, quam ipse rem obscure narrare malui. Ἔθος ἐστὶ ῥωμαίων τοῖς ἱππεῦσιν ὅταν στρατεύσωνται τὸν νόμιμον χρόνον ἄγειν εἰς ἀγορὰν τὸν ἵππον, ἐπὶ τοὺς δύο ἄνδρας οὓς τιμητὰς καλοῦσι. καὶ καταριθμησαμένους τῶν στρατηγῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἕκαστον ὑφ᾽ οἷς ἐστρατεύσαντο, καὶ διδόντας εὐθύνας τῆς στρατείας ἀφίεσθαι. νέμεται δὲ καὶ τιμὴ καὶ ἀτιμία προσήκουσα τοῖς βίοις ἑκάστων. τότε δὲ προεκάθηντο μὲν οἱ τιμηταὶ, Γέλλιος καὶ Λέντλος ἐν κόσμῳ, καὶ πάροδος ἦν τῶν ἱππέων ἐξεταζομένων. ὤφθη δὲ Πομπήϊος ἄνωθεν εἰς ἀγορὰν κατερχόμενος, τὰ μὲν ἄλλα παράσημα τῆς ἀρχῆς ἔχων, αὐτὸς δὲ διὰ χειρὸς ἄγων τὸν ἵππον. ὡς δ᾽ ἐγγὺς ἦν καὶ καταφανὴς ἐγεγόνει, κελεύσας διασχεῖν τοὺς ῥαβδοφόρους τῷ βήματι προσήγαγε τὸν ἵππον. ἦν δὲ τῷ δήμῳ θαῦμα καὶ σιωπὴ πᾶσα, τοὺς δ᾽ ἄρχοντας αἰδὼς ἅμα καὶ χαρὰ πρὸς τὴν ὄψιν ἔσχεν. εἶτα ὁ πρεσβύτερος ἠρώτησε· Πυνθάνομαί σου ὦ Πομπήϊε μάγνε εἰ πάσας ἐστράτευσαι τὰς κατὰ νόμον στρατείας. Πομπήϊος δὲ μεγάλῃ φωνῇ, Πάσας, εἶπεν, ἐστράτευμαι, καὶ πάσας ὑπ᾽ ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι. τοῦτο ἀκούσας ὁ δῆμος ἐξέκραγε καὶ κατασχεῖν οὐκέτι τὴν βοὴν ὑπὸ χαρᾶς ἦν. ἀλλ᾽ ἀναστάντες οἱ τιμηταὶ προέπεμπον αὐτὸν οἴκαδε, χαριζόμενοι τοῖς πολίταις ἑπομένοις καὶ κροτοῦσιν. Hæc ille. Equitibus vero infamibus aut parum strenuis equum ex descriptione Servii Tullii assignatum adimebant. Plebeios in Cæritum tabulas referebant, & ærarios faciebant: ac per hoc non esse in albo centuriæ suæ denotabantur, ut cives; sed duntaxat, ut pro capite suo tributi nomine æra penderent. Appellatæ autem eæ *Tabulæ Cæritum* à Cæritibus, qui primi municipes sine suffragii jure facti sunt. Horatius: (*lib.* I. *epist.* 6.)

Quid

Quid deceat, quid non, obliti: Cerite cerâ
Digni, remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei.

Quinquennio completo, sacrificiis solitaurilibus de sue, ove, tauro factis urbem lustrabant: idque *conditum lustrum* appellabant, quod tum in censendo finis fieret. In lustro condendo solenni carmine precabantur Deos, primum quidem, ut res populi Romani meliores amplioresque facerent; sed postea, auctore P. Africano posteriore, ut easdem perpetuo incolumes servarent. Præterea sarta tecta sacris publicis exigebant, & monumenta vel tuebantur vetera, vel nova ipsi exædificabant. Itaque pecuniam publicam, qua in substructiones & opera publica uterentur, sibi attributam habebant. portoria etiam fruenda publicanis locabant. Hæc omnia faciunt, ut Cicero hujus Magistratus *officia maximi animi summique consilii* esse existimet: ut Valer. Maximus *honores censuræ gravitate consummari* dicat: ut denique Plutarchus de ea ita edisserat: Κορυφὴ δέ τις ἐστὶ τιμῆς ἁπάσης ἡ ἀρχὴ καὶ τρόπον τινὰ τῆς πολιτείας ἁπάσης ἐπιτελείωσις, ἄλλην τε πολλὴν ἐξουσίαν ἔχουσα, καὶ τὴν περὶ τὰ ἤθη καὶ τοὺς βίους ἐξέτασιν. Et mox: ᾑροῦντο τῶν καλουμένων πατρικίων ἕνα, καὶ τῶν δημοτικῶν ἕνα. τιμητὰς δὲ τούτους προσηγόρευον ἐξουσίαν ἔχοντας ἀφελέσθαι μὲν ἵππον, ἐκβαλεῖν δὲ συγκλήτου τὸν ἀκολάστως βιοῦντα καὶ ἀτάκτως. οὗτοι δὲ καὶ τὰ τιμήματα τῶν θυσιῶν λαμβάνοντες ἐπεσκόπουν, καὶ ταῖς ἀπογραφαῖς τὰ γένη καὶ τὰς πολιτείας διέκρινον. ἄλλας τε μεγάλας ἔχει δυνάμεις ἡ ἀρχή. Porro religioni erat Romanis in Censoris demortui locum alium sufficere; quod eo lustro, quo in C. Julii locum M. Cornelius suffectus fuit, Roma à Gallis capta est. Hujus Magistratus jus per quadringentos prope annos retentum, à P. Clodio Tribuno pleb. sublatum, M. Tullius conqueritur. Tulerat ille, ut Pedianus tradidit, legem, Ne quem Censores in senatu legendo præterirent, neve quem ignominia afficerent, nisi quis apud eos accusatus, & utriusque Censoris judicio damnatus esset. cum ante hanc legem, ut interim Juvenalis (*Sat.* 11.) versu utar;

— *severos*
Censoris mores etiam Collega timeret.

X.

Prætor.

PRætorem à *præeundo* & M. Tullius (3. *De Legib.*) deducit, & apud Varronem (4. *de L.L.*) Lucilius:

— *Ergo Prætorum est ante praire.*

Eo verbo veteres, auctore Pediano, omnem magistratum significabant, cui pareret exercitus: postea peculiare nomen fuit ejus magistratus, qui juri dicundo præerat; & juris civilis custos atque disceptator à Cicerone definitur. Is primum unus creatus est anno Urb. Cond. CCCLXXXVIII, quo anno & Ædilitas Curulis instituta, & primus de plebe Consul L. Sextius Lateranus factus est. Huic deinde bello Punico primo Prætor alter additus: quorum hic Peregrinus; ille Urbanus dictus: quod alter sociis & peregrinis per Italiam; alter civibus in Urbe jus diceret: quæ posterior præturæ functio honoratissima habita fuit. ad hos post bel-

A lum Punicum primum duo adjecti, qui in Provinciis jurisdictionem obtinerent. inde *Provinciales* appellati. Ii latius patescente Imperio pro numero Provinciarum aucti. Sic bello primo Macedonico Prætores sex facti; à Cæsare Dictatore octo; à Divo Augusto decem; & mox duodecim instituti. quem numerum neque Tiberium excessisse memoriæ prodidit Cornelius Tacitus, locupletior haud dubio auctor, quam Pomponius JC. qui à C. Cæsare duodecim, ab Augusto sexdecim Prætores factos scribit, l. 2. §. *Deinde Corn. Sulla.* ff. De orig. Jur.

Eorum officium fuit, de controverso jure
B respondere; bonorum possessionem dare; hæredes in defunctorum bona admittere; jus atque judices constituere; dolo vel metu lapsis, vel vi dejectis succurrere. Præterea ludis præsidere, & in Circensibus signum mittendis quadrigis dare; ferias item solennibus verbis concipere. quæ verba extant apud Macrobium ejusmodi: DIE. NONI. POST. KALEND. JANUARII. QUIRITIBUS. COMPITALIA. ERUNT. Ludis præsidebant triumphali habitu: quo respexit Juvenalis his versibus: (*Sat.* 10.)

C *Quid si vidisset Prætorem in curribus altis*
Exstantem, & medio sublimem in pulvere Circi
In tunica Jovis, & pictæ Sarrana ferentem
Ex humeris aulæa togæ, magnæque coronæ
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla?
Quippe tenet sudans hanc publicus, & sibi Consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem:
Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno,
Illinc cornicines, hinc præcedentia longi
Agminis officia, & niveos ad frena Quirites.

Omnia hic triumphantium insignia exprimuntur: currus triumphalis, tunica palmata sive picD ta, corona aurea, quam servus à tergo sustinebat: (quod Plinius quoque in Historia naturali indicat:) scipio eburneus habens in summitate aquilam, & denique clientes in albis vestibus comites. Insignia Consulum prope omnia habebant, summum quoque in Provinciis imperium: nisi quod sex Prætori fasces duntaxat anteferrentur, cum Consul duodecim haberet. Unde *Prætorem*, & ob hæc & quod iisdem auspiciis crearetur, *collegam consulum* Livius nominat. Cicero *Præturam*, ob multitudinem (opinor) eam gerentium, *magistratum levissimum & divulgatissimum* in Epistolis vocat. Manifestum
E tamen est, dignitatem permagnam ejus fuisse: & quod Consulares atque Censorii sæpe iterum gerere voluerunt; & quod, absentibus Consulibus, Prætor Urbis, more majorum, Consulare munus sustinebat. Idem literas publice scriptas in senatu, &, si id Patres decrevissent, ad populum recitabat. quod postea sub Imperatoribus Quæstorum munus fuit: quemadmodum vicissim cura Ærarii ab his ad Prætores transiit, jussu Divi Augusti. auctor est Suetonius in ejus vita.

X I.

F

Ædiles plebeii & curules.

ÆDiles Varro ab *ædibus* procurandis; Festus ab eo, quod facilis ad eos plebi *aditus* esset, dictos existimat. Iis ludorum celebratio, annonæ, sacrarum ædium procuratio, & sarta tecta in urbe tuenda commissa erant. Itaque *curatores*

res urbis, *annonæ ludorumque solennium* à M. Tullio definiuntur. Annonæ inprimis curam gerebant. ideo illis Imperatores in urbem reversi frumentum; quemadmodum captivos Prætori; stipendium Quæstori tradebant. Frumentarios & pecuarios, qui annonam dolo malo auxisse videbantur, item fœneratores, ad populum accusatos damnabant: ex eorum bonis mulctaticiis vel ludos, vel dona Deûm, vel opera publica faciebant. Præterea animadvertebant; ne qui nisi Romani Dii, neu quo alio more quam patrio, colerentur.

Ædilium duo erant genera, *Plebeii* alii, alii *Curules* dicebantur.

Ædiles Plebeii ex ordine horum magistratuum non erant; sed Tribunorum plebis veluti ministri quidam, cum quibus eodem etiam tempore sunt creati. Ideo quemadmodum illis, ita & his noceri fas non erat. Ludos plebeios pro salute populi Romani faciebant. Ad eos senatusconsulta in ædem Cereris, lege Valeria, referebantur.

Ædiles Curules. id nomen acceperunt ἀπὸ τῶν δίφρων τῶν ἀγκυλοπόδων ἐφ' ὧν καθεζόμενοι ἐχρημάτιζον, inquit Plutarchus. Hi ludos Scenicos, Florales, & Cereales, & Megalesios faciebant, forumque cum tensæ ducerentur ornabant. Hæc & *Ædilitas major* dicitur, estque Polybio *illustrissimus juventutis principatus*; Ciceroni *ad honoris amplioris gradum primus ascensus*. Ornamenta ejus à M. Tullio septimo accusationum libro referuntur, antiquior in senatu dicendi locus, toga prætexta: sella curulis, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam.

Ædilium numerum C. Cæsar Dictator auxit duosque addidit, quos à cura frumentariæ rei *Cereales* vulgus nominavit.

Hunc Magistratum, & eum qui sequitur, (*Quæstores*) neque vocationem, neque prehensionem (al. prensionem) habuisse, ex Varrone Agellius (*lib.* 13. *cap.* 12.) admonet. Plutarchus tamen prehensum ab Ædilibus plebeiis Cn. Martium Coriolanum scribit: quod factum esse non proprio jure, sed majoris potestatis jussu, existimare debemus.

XII.

Quæstores.

QUæsturam prope ante omnes Magistratus fuisse, & à Tullio Hostilio Rege Romano institutam esse, Ulpianus JC. auctor est, (*libro singulari De officio Quæstoris, ff. lib. I. tit.* 13. *l. un.*) Gratianus (*scribendum*, Gracchanus) hoc amplius ad Numam atque ipsum Romulum originem ejus refert. Plutarchus exactis demum Regibus, à P. Valerio Consule Quæstores duos creatos, & ærarium Saturni institutum narrat. Tacitus priorum sententiæ accedere videtur. Annali XI: *Quæstores*, inquit, *Regibus etiam tum imperantibus, instituti sunt, quod lex Curiata ostendit, ab L. Bruto repetita. Mansitque potestas Consulibus deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius Potitus, Æmilius Mamercus*, LXIII. *anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis, duo additi qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus, stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Post, lege Sullæ, viginti creati supplendo senatui, cui judicia tradiderat.* Quo in loco Justus Lipsius legit, XXIII. *anno*, ut congruat numerus cum Livio, apud quem anno ab U. C. CCLXVII, hoc est, post ejectos Reges, XXIII, prima mentio Quæstorum extat, & quidem uno duntaxat mutato: nam pro Æmilio Cæsonem Fabium nominat.

Erant autem *duo Quæstorum genera*; alii pecuniæ publicæ, alii quæstionibus capitalibus præerant. Unde Varro (4. *de L. L.*) à *quærendo* dictos putat, *qui conquirerent publicas pecunias & maleficia.*

Primi generis qui erant, si in Urbe magistratum gererent, Ærarium curabant, ejusque pecunias expensas & acceptas in tabulas publicas referebant; tributa exigebant; signa exercitui ex ærario depromebant; stipendium à vectigalibus populis, captivam pecuniam ab Imperatoribus accipiebant: eosdem triumphaturos jurare cogebant, recte senatui de numero hostium occisorum, & amissorum civium esse perscriptum. Præterea legatis exterarum gentium lautia præbebant, eosdem ægrotos curabant, defunctos publico sumptu sepeliebant. Cæsarum temporibus, literas quoque publice scriptas in senatu legebant; iique *Candidati Principis* appellabantur. In provinciis Consulibus & Prætoribus ad ministeria belli præsto erant: pecuniam ex ærario sibi numeratam in diversos usus erogabant: prædam custodiebant, manubiasque ex ejus venditione redactas ærario inferebant: obsidum quoque curam nonnunquam gerebant. Mansio Provincialis Quæstori lege determinata erat annua; deinde Romam ipsi redire licebat. Hinc factum, ut C. Verri, qui Siciliam provinciam prætor obtinuit triennium, singulis tamen annis quæstores permutati sint, ut Pedianus docet. Erat autem ea quæstoris cum consule vel prætore conjunctio, more majorum, liberorum necessitudini proxima: itaque hi illis liberûm loco habebantur; illi ab his ut parentes colebantur.

Alterius generis Quæstores de capite civium Romanorum judicabant: quod munus postea ad Triumviros capitales translatum est. ab his criminalium quæstionum judices Quæsitores dicti.

Gerebant *Quæsturam* fere adolescentuli, ut ex Epistolis Ciceronis patet. Itaque eam idem *primum honoris gradum*; Ulpianus *ingressum & quasi primordium gerendorum honorum sententiæque in senatu dicendæ*; Pedianus *primam Senatoris administrationem* nominat.

XIII.

MAGISTRATUS PLEBEII,

ET MINORES.

SEquuntur *Magistratus Plebeii*, qui plebeiis solis patebant, ut *Tribuni pleb.* nam de Ædilibus plebis supra diximus: & *Minores*, ut Triumviri Capitales, Nocturni, Monetales seu Mensarii, & Magistri vicorum. quos ut affirmare non ausim Patriciis omnino non patuisse: ita non ab iis solum, sed & paulo clarioribus è plebe ob humilitatem spretos, constanter asseverare possum; quod magis necessarias, quam speciosi ministerii procurationes arbitrarentur.

XIV. *Tri-*

XIV.

Tribuni plebis.

TRibunos *plebis* Cicero *Custodes defensoresque juris & libertatis*; Livius *Magistratus sacrosanctos, quibus auxilii latio est contra Consules*, definit. *Tribunatum* idem modo *arcem libertatis tuendæ*, modo *potestatem sacrosanctam ad auxilium libertatis creatam*; Sallustius *telum à majoribus libertati paratum* nominat. Creati sunt anno, post Reges exactos, XVI. ab U.C. CCLX. & initio quidem duo; quibus tres collegæ additi, si Livio credimus, statim; sin Pisoni, post annos demum viginti & unum, cum lege Voleronis Publilii tributis comitiis primum crearentur. Anno Urbis CCXCV. decem facti, bini ex singulis classibus: itaque cautum est, ut postea crearentur. Sic dictos, quod primi ex tribunatu militari magistratum inierint, Varro (4. *de L. L.*) innuit. omnino *Tribuni* vocabulum à *tribubus* videtur deductum; tribus vel à tributo dando, vel quod primum tres populi partes factæ sint.

Officium eorum erat commoda plebis adversus Patricios tueri, & injuriam omnem intercessione sua prohibere. Itaque januas tam noctu, quam interdiu, ceu profugia & asyla miserorum, patentes habebant. Plus tamen ad vetandum, quam ad jubendum valebant: nam uno intercedente, reliqui, licet complures, aut etiam omnes, efficere nihil poterant. Unde Scriptores Latini sæpe & recte testantur, per collegarum intercessionem tribuniciam potestatem dissolvi. Dignitas autem tribunorum plebis ex eo maxime Plutarchi loco apparet, qui in Antonio legitur his verbis: *ἐστὶ δ᾽ ἡ ἀρχὴ (δημαρχία) δευτέρα τοῦ δικτάτορος παρόντος. ἂν δὲ μὴ παρῇ, πρώτη καὶ μόνη σχεδόν. ἡ γὰρ δημαρχία διαμένει, τὰς δὲ ἄλλας καταλύουσι πάσας δικτάτορος αἱρεθέντος.* Præterea & sacrosancti erant, & à nemine in ordinem cogi poterant. cuicunque volebant, silentium imponebant: ipsos vero interfari nefas erat. denique assurgere tribunis, & loco cedere omnes oportebat, ut libro Epistolarum primo C. Plinius commemorat. Prætextæ jus non habebant: nec lictores, sed viatorem unum: neque sellis curulibus, sed tribunalibus sedebant. Antiquitus curiam non intrabant, sed ante valvas positis subselliis decreta patrum perpendebant; & si quæ ex iis improbassent, rata esse non sinebant. Itaque veteribus SCtis T. litera asscribi solebat, quo significabatur, illa tribunos quoque censuisse. auctor est Val. Maximus. Huic consuetudini derogatum videtur plebiscito Atinio, quo tribuni pl. primum senatores facti sunt. Neque fas erat integrum diem illos Roma abesse. Diem autem Romani à media nocte ad mediam noctem sequentem numerant, ut Varronem secuti Agellius & Macrobius tradidere. Ita cum post mediam noctem proficiscebantur, & post primam facem ante mediam sequentem redibant, abfuisse unum diem non dicebantur. Quo magis miror, quod Livius scripsit, tribunos pl. ad P. Scipionem, cui postea Africano cognomen fuit, è Sicilia retrahendum, esse missos: quod lege hac fieri non potuit, nisi forte aut eam nondum latam, aut illos legibus solutos, id quod verius puto, existimemus. Præterea prehensionis jus tantum habebant, ita ut consules quoque prehendi atque in vincula duci sæpius jusserint. Vocatio-

A nem ideo eos non habuisse Agellius (*lib.* 13. *c.* 12.) sibi videri ait: *quod antiquitus creati sint; non juri dicundo: nec causis querelisque de absentibus cognoscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. Ac propterea jus ad se vocandi* (meliores libri habent, *jus abnoctandi*) *ademptum; quoniam ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum & præsentium oculis opus erat.*

Patriciorum neminem Tribunum plebis fieri licebat. cooptatos tamen aliquot legimus, idque ex antiquo rogationis carmine fuisse defensum. SI. TRIBVNOS. PLEBIS. DE-B CEM. ROGABO. SI. QVOS. MINVS. HODIE. DECEM. TRIBVNOS. PLEBIS. FECERINT. HITVM. QUOS. SIBI. COLLEGAS. COOPTASSINT. ITA. ILLI. LEGITIME. EADEM. LEGE. TRIBVNI. PLEBEII. SINT. VT. ILLI. QVOS. HODIE. TRIBVNOS. PLEBEI. FECERITIS. Quod ne postea quoque fieret, Trebonia lege sancitum est, qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos plebi faceret.

C Vim Tribuniciam L. Sulla Dictator imminuit, ultimo tamen intercessionis jure relicto, ut C. Cæsar in Commentariis indicat: adempta autem omni & ferendarum legum, & aliorum magistratuum capiendorum potestate: quorum illud à Cn. Pompeio & M. Crasso Coss. hoc Aurelia lege, quam C. Cotta Tribunus plebis tulit, brevi receperunt.

Verum quoniam actionibus tribuniciis plurimæ & gravissimæ seditiones excitatæ sunt, non immerito, apud Sallustium, L. Philippus *ex tribunicia potestate omnes discordias accensas*; apud Livium, Appius Claudius *concordiam ordinum* D *maxime esse dissolvendæ tribuniciæ potestatis*; *tribunos* Tacitus *turbulentos*; Lucanus *turbantes jura*, dixisse videntur.

Plutarchus ex opinione quorundam, Tribunos in magistratu non fuisse scribit *ἐν καταγραφαῖς*, his verbis, ut interpretatur Sigonius: *Cur cum purpura alii Magistratus utantur, Tribunus plebis non utitur? an quia Trib. pl. magistratus non est? neque enim ex sella curuli jus dicunt; neque principio anni, ut reliqui magistratus, ineunt; neque creato Dictatore se abdicant. Verum omni translato ad Dictatorem imperio, ipsi tamen potestatem suam retinent, tanquam magistratus non sint. Quemad-* E *modum autem translationem judicium esse rhetores quidem negant, sic tribunatus impedimento potius est magistratui quam magistratus. Etenim resistere potentiæ magistratus, & nimiam ejus licentiam coercere, ad ejus auctoritatem pertinet.* Huc, nisi fallor, apud Livium quoque respicit Consul Appius, privatum esse clamitans tribunum, sine imperio, sine magistratu. Imperatorum temporibus Tribunicia potestas summi fastigii vocabulum erat: quod à Divo Augusto repertum Tacitus tradit, ne Regis aut Dictatoris nomen assumeret, & tamen appellatione aliqua cætera F imperia præemineret.

XV.

Triumviri Capitales.

TRiumviros Capitales Sallustius *rerum capitalium judices* nominat: Livius in Minoribus Magistratibus numerat, & quidem infra Ædiles collocat lib. XXV. Hi maleficii suspectos conquirebant, & comprehendebant; carceris latomiarum custodes erant, & à Prætore damnatos carnifici in carcere necandos tradebant. Unde Pomponius JC. (*ff. lib.* 1. *tit.* 11. *De orig. Jur. lib.* 2.) carceris custodiam habuisse tradit, ut cum animadverti oporteret, eorum interventu fieret. Ipsi quoque de furibus, homicidis, servis nequam judicabant, & facinoris convictos puniebant; unde & nomen accepere. Nam *capital*, auctore Nonio, *capitis est periculum.* Plautus *Mænechmis*: (*act.* 1. *Scen.* 1.)

Nunquam hercle effugiet, tametsi capital fecerit.

Ea judicia in foro Romano ad Mæniam columnam exercebant. Hinc Cicero in Divinatione, de oratoribus ineptis & quasi proletariis: *Vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos à columna Mænia vestri ordinis reos reperiatis.* Idem in Cluentiana, de Q. Manilio triumviro: *Ex petulanti* (inquit) *atque improbo scurra in discordiis civitatis ad eam columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, cum suffragiis populi pervenerat.*

Creati sunt primum, quantum ex XI. Livii libro videre est, M. Curio Dentato, P. Cornelio Rufino Consulibus, ab Urb. Cond. CD. LXIV. Fenestella (*is Floccus est*,) & eum secutus Raphaël Volaterranus successisse eos existimant in locum Duumvirûm capitalium, quos à Tullo Hostilio in Horatii parricidii rei judicio institutos, postea res capitales judicasse, notum est. Verum hos M. quoque Tullii temporibus majestatis judicia exercuisse nemo ignorat, qui ejus Orationem pro C. Rabirio perduellionis reo legerit, ex qua cognoscimus eum à Duumviris condemnatum, provocatione ad populum certavisse: quod Lege perantiqua, quæ apud Livium extat, fieri licebat. Diversos autem fuisse, ex eo quoque intelligitur, quod Duumviri sorte ducebantur; Triumviri suffragiis populi creabantur: illud ex Suet. colligere licet; hoc supra Ciceronis verbis planum fecimus. Rarum tamen fuisse Duûmvirale judicium, nec nisi in tristissimis causis usurpatum, in eadem Oratione ostenditur, eo loco, quo *verba solennia, quæ horrendi carminis fuere, non solum tenebris vetustatis, sed quoque luce libertatis oppressa esse*, ait.

XVI.

Triumviri nocturni.

TRiumviri nocturni vigilias noctu in Urbe circumibant, & ad incendia orta concurrebant. Erant dignitatis minimæ; ideo si parum strenue suo munere fungerentur, puniebantur. Sic Tacitus, quod incendio restinguendo; Val. Maximus, quod excubiis obeundis parum diligentes fuissent, à populo damnatos referunt. Labor, ut *Compitales* eos quoque dictos fuisse existimem, idque ex Pediani verbis, qui ser-

A vum Milonis dormientem in taberna deprehensum, & ad *Triumvirum Compitalem* perductum scribit. nisi forte magisterio vicorum *Tres viros* functos, & *Compitales* quoque nominatos, quod compitalicios ludos ederent, arbitrabimur. Sed prior opinio magis mihi arridet. In illorum locum à Divo Augusto nocturnæ excubiæ vigilesque ad incendia instituti sunt: fuitque Præfecti vigilum magna, & secunda ab Urbis Præfecto dignitas.

XVII.

B

Triumviri Monetales & Mensarii.

TRiumviri Monetales omnis generis monetæ, & formæ cusoribus præerant. Itaque *æris, argenti, atque auri flatores* à Pomponio JC. (*l.* 2. *ff. De Orig. Jur.*) nominantur. Iidem qui hi, aut certe non multum diversi, videntur fuisse *Triumviri Mensarii*, quos propter penuriam argenti bello Punico secundo creatos invenio. Sic dicti fuerunt, quod *mensis* cum ære in foro positis, vel acciperent Reipublicæ nomine, vel expenderent pecuniam. quales apud Tennitas quoque fuerunt Quatuorviri Mensarii, sine quibus nummum nullum Tenni publice moveri

C posse, Cicero pro Flacco auctor est. In angustiis ærarii pecuniam mutuam à privatis accipiebant, postea que reddebant. rationes accepti & expensi in tabulas publicas Scribæ referebant. Livius lib. XXVI: *Senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum, & æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse, ut nec Triumviri accipiendo, nec Scribæ referendo sufficerent.* Fuerunt & *Quinque viri mensarii*, extraordinarius Magistratus, & cujus una omnino, quod sciam, in Historia Romana multo ante Triumviros creatos extat mentio, apud Livium lib.

D VII. rem fœnebrem levavere, impeditioribus nominibus aut ex ærario dissolutis, aut æqua rerum æstimatione liberatis. [*P. Valerio Publicola & C. Marcio Rutilio Coss. Anno U. C.* CDI.]

XVIII.

Magistri vicorum.

MAgistri vicorum è plebe cujusque viciniæ legebantur, qui tuerentur vicos in quos urbem antiquitus descripserant. Ludos quoque

E compitalicios, quibus per compita tota urbe supplicabatur, faciebant. quos ludos pestilentiæ causa bello Punico secundo primum factos, & deinde lege lata ut in perpetuum in statam diem voverentur, quotannis celebratos Livius lib. XXVII. memoriæ prodidit. Infimum hoc genus Magistratuum Urbanorum fuisse idem alibi scribit: prætextæ tamen jus illis fuisse permissum, nec ut vivi solum haberent tantum insigne, sed etiam ut in eo cremarentur mortui.

XIX.

F

MAGISTRATUS EXTRAORDINARII.

Decemviri legibus scribendis.

DEinceps eos Magistratus trademus, qui aut cito è Republica sublati fuêre, cum annui essent; aut non, nisi re cogente, creari sole-

solebant. In illis *Decemviri* & *Tribuni militum Consulares*, in his *Triumviri coloniis deducendis*, *Præfectus urbis atque annonæ* præcipue numerantur.

Ad Decemviros à Consulibus; quemadmodum ab Regibus ante ad Consules venerat, translatum fuit imperium. Mutationis causam lex Terentia, de creandis Quinqueviris legibus consulari imperio scribendis lata, præbuit. Ea primum à C. Terentio Arsa Tribuno plebis promulgata, ac deinde per annos decem varie jactata, tandem effecit, ut missis legatis Athenas, qui leges Solonis describerent, & aliarum Græciæ civitatum instituta, mores, juraque noscerent, iisque reversis, referente P. Sestio Consule, Decemviri legibus scribendis in annum unum crearentur, absque provocatione, neve quis alius eo anno magistratus esset. Ii decimo die jus populo singuli dicebant. eo die penes Præfectum juris fasces duodecim erant; collegis novem singuli accensi apparebant. Dein propositis decem Tabulis, cum duæ adhuc deesse viderentur; quibus adjectis absolvi posset velut corpus omnis juris Romani, iterum in annum insequentem alii creati: qui cum multa nefaria commisissent; &, nulla comitiorum mentione habita, continuare potestatem, & tyrannidem occupare conarentur; tandem ob vindicias Virginii cujusdam filiæ secundum servitutem datas ab Appio Claudio, qui seipsum Decemvirum refecerat; consensu populi magistratu abire coacti sunt. Fuit hæc Reipublicæ mutatio minus insignis; quia non diuturna. nam intra triennium Decemviri & instituti sunt; & sublati. Primi & Patricii & Consulares omnes fuere: ex posterioribus tres plebeii. Creatos eos primum anno Urb. Cond. CCCII. Livius & Solinus scribunt; M. Varro, CCCIII. Leges duodecim Tabularum promulgarunt; quas *finem æqui juris*, *accitis quæ usquam egregia*, Tacitus nominat: *quod leges secutæ aut per vim; aut iniquis de causis, latæ sint* Livius *in immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo fontem omnis publici privatique juris esse* testatur.

X X.

Tribuni militum Consulares.

TRibuni militum consulari potestate Rempublicam pro Consulibus complures annos administrarunt. Creati primum sunt anno Urb. Cond. CCCX. cum, promulgata lege, ut Consul alter ex plebe fieret; Patres; veriti ne ea lex se invitis perferretur; concessissent, ut Tribuni militum consulari potestate promiscue ex patribus & plebe crearentur. quod jus sero demum plebes usurpavit; contenta eo, quod sui habitu ratio esset. Initio tres, deinde quatuor, mox sex; demum octo facti sunt. Pomponius J. C. (*lib.* 2. *ff. De origine Juris*) interdum vicenos fuisse, interdum plures, unus omnium veterum Scriptorum prodidit. nisi tamen ibi, pro *viceni*; *seni* erit reponendum: quod jam olim G. Budæus præclare annotavit. Quæ collegarum multitudo fecit, ut quamvis omnia & jura & insignia Consulum haberent; tamen neque potentia, neque dignitate pari præditi viderentur. Ideo *Proconsularem imaginem* eos, Tribunus plebis apud Livium, veluti contemnens, nominat: & P. Manilius Dictator negat Magistri equitum majus, quam Tribuni Consularis imperium esse, cum vellet ostendere, eum à Consule dignitate superari. Creari desiere anno Urb. Cond. CCCLXXXVIII. quo anno primus è plebe Consul factus est L. Sextius.

X X I.

Triumviri coloniis deducendis.

TRiumvirûm, qui *coloniis deducendis* fiebant, primum apud Livium mentio extat lib. IV. isque Magistratus fere semper postea fiebat, quoties Romani plebem urbanam; aut veteranos milites, vel augendæ sobolis, vel præsidii causa, in colonias mitterent. Creabantur modo à Consule, modo à Prætore: & potissimum ii, qui ab integritate & justitia maxime commendabantur.

Officium eorum erat locum urbi condendæ deligere, operi maturando præesse, colonis jura describere; & agrum publicum equiti, & pediti; simplum huic; illi duplum, æquis portionibus dividere: ad quæ perficienda in triennium imperium habebant. Et erat ea administratio initium quoddam dignitatis; firmamentum potentiæ, atque veluti gradus ad ampliores honores petendos. Ab his non dissimilis fuit *Quinquevirûm* & *Decemvirûm* functio, quos *ad agros publicos dimetiendos atque militibus veteranis dividendos creatos*; semel atque iterum legimus.

X X I I.

Præfectus Urbis.

QUos *Præfectos Urbis* Historiæ Romanæ Scriptores Latini omnes; Græcorum nonnulli *Urbis custodes* nominant. Et Juvenalis Satyra XIII.

> —— *quæ custos Gallicus urbis,*
> *Usque à lucifero donec lux occidat, audit.*

Statius Papinius; & C. Pedo Albinovanus, ejus nominis rationem quoque reddunt. Ille sic:

> *Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.*

Hic ita, de C. Cilnio Mæcenate:

> *Num minus Urbis erat custos, & Cæsaris hospes?*
> *Num tibi non tutas fecit in urbe vias?*

Eos sub Regibus; & Consulibus quoque, quoties abessent, ad præsidium urbis relictos, notum est; qui, dum ipsi abessent, imperium summum haberent: præsidia ad tuendam urbem disponerent: senatum vocarent: jura civibus redderent. Sub Imperatoribus in perpetua fere potestate erant; neque magistratum, nisi offenso Principe, deponebant. Sed præstat, (opinor) ipsis C. Taciti verbis, quæ in Annali VI. leguntur, altius & originem & officia hujus Magistratus repetere: *Antea* (inquit) *profectis domo Regibus, ac mox Magistratibus, ne urbs sine imperio foret; in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. Feruntque ab Romulo Dentrem Romulium; post ab Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos. dein Consules mandabant; duratque simulacrum, quoties ob ferias Latinas præficitur; qui Consulare munus usurpet. Cæterum Augustus bellis civilibus; Cilnium Mæcenatem equestris ordinis, cunctis apud Romam atque Italiam præposuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem populi, & tarda legum*

legum auxilia, sumsit è Consularibus qui coerceret servitia, & quod civium audacia turbidum, nisi vim metuat. Primusque Messalla Corvinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius, quanquam provecta ætate, egregie toleravit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus, publico funere ex decreto senatus celebratus est. Ex quo Taciti loco & illud elicitur, Cæsarum temporibus duos Præfectos urbi fuisse: alterum Latinarum causa relictum, quem dignitate vix Senatoria fuisse præditum Agellius tradidit; alterum qui Urbis custodiæ præerat. quæ potestas, continua, sicuti diximus, plerumque erat, & prope secundum à Principe locum obtinebat.

XXIII.

Præfectus Annonæ.

PRæfectus Annonæ quo munere functus fuerit, ex ipso nomine satis apparet. Eum primum Romæ L. Minutium factum Livius scribit. Neque postea is Magistratus, nisi fame cogente, & in incertum quo ad res posceret, creatus est. Frumentum missis circa finitimos populos legationibus coëmebat, emptum populo vendebat: frumentarios ob compressam annonam ad populum accusabat, damnabatque. quæ alias ad Ædilium curationem prope omnia pertinebant.

XXIV.

MAGISTRATUS MILITARES.

Dux. Imperator. Proconsul. Proprætor.

DEinceps de Militaribus dignitatibus dicendum. in quibus principem locum obtinet is, cujus ductu bellum administratur, quem ducem Romani nominabant. Livius lib. IV: *Ea rite opima spolia habentur, quæ Dux Duci detraxerit: nec Ducem novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur.* Iidem, si bene Rempublicam gessissent, *Imperatores* à legionibus salutabantur. quem priscum erga duces honorem fuisse Tacitus ait, ut gaudio & impetu victoris exercitus conclamarentur. *Imperatoris* autem *nomen maximum Romæ esse* apud Livium Scipio dicit. In ejus verba milites jurabant, jussu se illius conventuros, nec injussu abituros. Victoriam adepti, literas laureatas, rei bene gestæ indices, ad senatum mittebant. Fasces quoque laureatos præ se ferebant; eosque demum Romæ in Capitolio acto honore deponebant. Deligebantur Duces à populo Romano, aut Consules & Prætores; aut ex consulatu & prætura; aut pro consulibus & prætoribus; aut peculiari cum magistratu. De consulibus & prætoribus supra diximus. Proconsules erant, qui in provincias consulari cum imperio mittebantur: quemadmodum Proprætores; qui prætorio. Itaque illi consularia; hi prætoria ornamenta omnia habebant. Fasces quoque proconsules XII. habuisse ex Plutarcho videre est, licet illis solos VI. Fenestella attribuat. Creabantur vel ex consulatu & prætura; quod patescentibus provinciis observatum est; ut quo quique anno Consules fuissent, sequenti Proconsules remanerent: vel ex inferioribus magistratibus, aut etiam privatis. Sallustius in Catil. Piso in citeriorem Hispa-

A niam quæstor pro prætore missus est. Sic P. Scipio, & Cn. Pompeius privati, ille acta ædilitate curuli; hic ætate nondum senatoria, in Hispanias cum consulari imperio missi. Denique L. Martius eques Romanus; qui magnis rebus gestis, Proprætor; senatui scripserat, non propterea offendit homines, quod eum titulum honoris usurpasset: sed quod rem mali exempli esse arbitrarentur; imperatores legi ab exercitibus; & solenne auspicatorum comitiorum in castra & provincias, procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri. In magistratu autem neque Proconsules neque

B Proprætores esse dicuntur; sed in imperio tantum. Cicero de Divinat. II. Bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicato noluerunt. quam multi anni sunt, cum bella à Proprætoribus, & Proconsulibus administrantur; qui auspicia non habent? Neque enim nisi magistratus habent auspicia, vel majora, si majores; vel minora, si minores essent. Ideo P. Scipio, tota Hispania sub ditionem populi Romani redacta, triumphum pertinaciter non petiit, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Quod intelligendum est de iis, qui extraordinario

C cum imperio Procoss. res gessissent: qualis primo fuit T. Quinctius anno Urb. conditæ CCLXXXIIX. Nam ex iis qui prorogatum ex Consulatu imperium obtinuissent primus Q. Publius Philo diu ante triumphaverat. Livius VIII: *Actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut cum Publius Philo consulatu abisset, pro consule rem gereret quoad debellatum cum Græcis esset.* Et paulo infra: *Duo singularia hæc ei viro primum contigêre prorogatio imperii ante in nullo facta, &, acto honore, triumphus.*

XXV.

D

Duumviri Navales.

DUumviros Navales classis ornandæ reficiendæque causa aliquoties creatos legimus. Imperium maritimum habebant, ut maria, maritimaque loca tuerentur, & à piratarum atque hostium incursionibus defenderent. Primum instituti sunt an. U. C. CDXLIII, ex rogatione M. Decii Tribuni plebis. Livius XLI: *Adversus Illyriorum classem creati Duumviri Navales erant, qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconem velut cardinem haberent. inde L.*

E *Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquileiam tueretur.*

XXVI.

Tribuni Militum.

TRibunorum Militum prima mentio apud Livium fit libro tertio, in secessione plebis ob Decemvirûm tyrannidem: quæ ne sine capite esset, auctore L. Virginio, placuit decem creari, qui summæ rei præessent, militarique honore Tribunos militum appellari. Eorum deinde

F duo facta sunt genera. Rufuli alii dicti, qui in exercitu creari solebant; alii comitiati, qui Romæ comitiis curiatis suffragio populi designabantur. Initio & hos Imperatores faciebant: sed postea à populo id imperium dari cœptum est anno Urb. cond. CDXLIII. idque post annos quadraginta novem plebes iterum scivit, ut Tribuni militum senideni in quatuor legiones à populo

pulo crearentur. Demum viginti quatuor eligebantur, auctore Polybio: primo quatuordecim, ex iis, qui annua stipendia quinque fecissent: decem ex iis, qui decem; equites quidem quatuor, pedites sex. Ac quoniam quatuor legionibus Romana res gerebatur, quadrifariam in singulas legiones dividuntur, attribuunturque è junioribus quatuor primum lecti, primæ legioni; tres proximi, secundæ; quatuor sequentes, tertiæ; tres postremi, quartæ. At è decem majoribus natu primi duo, primæ legioni; tres secundi, secundæ; duo proximi, tertiæ; tres ultimi, quartæ.

Officium ipsorum erat, centurionibus quid facto opus sit imperare, *milites in castris continere, ad exercitationem producere, claves portarum suscipere, vigilias interdum circumire, frumentationibus commilitonum interesse, frumentum probare, mensuræ* [*in ff. est*, mensorum] *fraudes coercere, delicti castigare, principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire, valetudinarios inspicere.* [*Hactenus Macer J. C. ff. lib.* 49. *tit.* 16. *l.* 12. *ex ejusdem libro primo*; *De re militari.*]

Græci χιλιάρχας nominant; vel ad militum etymon; quos à mille quidam deducunt, respicientes; vel quod mille viris & decem centurionibus præfecti essent.

Quoniam vero viros fortes esse, qui hunc honorem caperent, oportebat, & multitudo in eligendo sæpe errabat; difficilioribus Reipublicæ temporibus ex SC. ad populum ferebatur, ne Tribuni militum eo anno suffragiis crearentur: sed Consulum Prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset.

XXVII.

Centuriones.

CEnturiones à militum numero, cui in militia præerant, dictos Nonius scribit. ii militum quasi magistri quidam & judices erant. Nam & exercebant eos in armis, & litigantium causas dijudicabant: quod Lex antiqua Camilli non permitteret, militem vocari ad judicium extra vallum, neque ad alium judicem, quam centurionem. Juvenalis Sat. XVI:

> *Bardiacus judex datur hæc punire volenti*
> *Calceus, & grandes magna ad subsellia suræ,*
> *Legibus antiquis castrorum, & more Camilli*
> *Servato, miles ne vallum litiget extra,*
> *Et procul à signis. Justissima centurionum*
> *Cognitio est igitur de milite.* ——

Gestabant in castris bardocucullum, vestem Gallicam & militarem: item caligas; hoc est, calceos multis atque acutis clavis suffixos. Verum hæc ipsis cum reliquis militibus erant communia. Peculiare habebant insigne, Vitis gestamen, ad milites in officio continendos. Silius Punicorum III:

> —— *Levinus ab alto*
> *Priverno, Latiæ vitis præsignis honore.*

Milites ob leviora delicta vitibus cædebant. Tacitus Annali primo: *Centurio Lucilius interficitur, cui militaribus facetiis vocabulum*, CEDO ALTERAM, *indiderant; quia fracta vite in tergo militis, alteram clara voce, ac rursus aliam poscebat.* Non erat autem ea pœna ignominiosa, si Plinio credimus, qui lib. XIV. cap. 1. de vi-

A tibus loquens, *Insertæ*, inquit, *castris summam rerum imperiumque continent. centurionum in manu vitis & opimo præmio tardos ordines ad lentas perducit aquilas: atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat.* Livius lib. LVII, de Scipione: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustibus cecidit. Si miles vitem tenuit, militiam mutat; si ex industria fregit, vel manum centurioni intulit, capite punitur*; auctore Marciano J. C. in Digestis. [*Immo non* Marciano *auctore, sed* Macro *J. C. lib.* 11. *De re militari, ff. lib.* 49. *tit.* 16. *l.* 13. §. 3.]

B De centurionatus agendi, hoc est, centurionum eligendorum atque probandorum consuetudine, Tacitus his verbis scribit: *Centurionatum inde egit. citatus ab Imperatore nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum quæ strenue in præliis fecisset; & cui erant donaria militaria, edebat.* Si tribuni, si legio industriam innocentiamque approbaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia. Eligebatur autem robustus inprimis, unde Juvenalis (*supra ex Sat.* 16.) *grandes suras*; tum horridus & incultus, unde Persius (*Sat.* 3.) *hircosam gentem centurionum* dixit: denique talis, qualem M. Cato mi-

C litem optabat, qui non manu tantum strenuus, verum & vocis sono & aspectu hosti terribilis esset.

XXVIII.

MAGISTRATUUM MINISTRI.

MInistri Magistratuum communi omnes nomine *Apparitores* dicti videntur: quod magistratibus præsto essent, eorumque jussa ac nutus exspectarent. Nam hoc *apparendi* verbo

D significatur, etiam apud Virgilium Æneid. XII:

> *Hæ Jovis ad solium, sævique in limine regis*
> *Apparent.* ——

Livius II: *Viginti quatuor lictores apparere Consulibus, & eos ipsos plebis homines.* Item Valer. Maximus lib. II, cap. I: *Quod cum filius sensisset, proximo lictori, ut sibi appareret, imperavit*; hoc est, ut Livius explicat, animadverteret, vel suo officio fungeretur. Hinc *apparituram facere*; apud Suetonium in Orbilio Grammatico, est Magistratibus ministrare: quod primo ingenui è plebe homines, mox servi publici aut li-

E berti factitabant. Erant autem complures, nec unius omnis generis: præcipui, quorum scriptores meminere, fuerunt *Scribæ*, *Lictores*, *Viatores*, *Accensi*, *Statores*: de quibus deinceps ordine dicemus.

XXIX.

Scribæ.

SCribæ Magistratuum acta & rationes in tabulas publicas referebant: legis promulgandæ verba recitanti præconi subjiciebant: Censori-

F bus in lustro condendo solenni precationis carmine præibant. quæ officia dum præstarent, *scriptum facere*; cum deponerent, *scriptu se abdicare* dicebantur. Ordinem scribarum honestum fuisse, quinto accusationum libro Cicero ait: quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committerentur. Idem annulis aureis ab Imperatoribus in con-

 cione

cione sæpe donatos scribit. Plutarchus auctor est, leges omnes & monumenta publica ita habuisse cognita, ut homines adolescentes, rerumque imperitos, magistratum adeptos, ipsi plane gubernarent; atque suo arbitrio regerent. C. Flavius ex Scriba Ædilis curulis factus est. quod tamen adeo indigne & Patricii & Equestris plebs tulere, ut insignia ordinis abjicerent. Faciebant autem scriptum non solum ingenui & liberti, sed & servi, ut ex Cicerone patet, Epist. Famil. V, XX. *Accepi librum à servo meo scriba.* Itaque idem, *apparitores parva populi mercede conductos* nominat. Et Æmilius Probus (*aut potius* Cornelius Nepos) in Eumene: *Itaque cum habuit*, inquit, *ad manum scribæ loco: quod multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur. at apud illos è contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita.*

A

B

XXX.

Lictores.

Lictorum collegia Romæ fuisse Pedianus prodidit; ex quibus deligebantur, qui cum fascibus Magistratus antecederent, & illorum jussu plagas delinquentibus ingererent. Sic dictos Tiro Tullius existimavit à licio vel lino. Licio enim transverso, inquit, quod linum appellabatur, qui magistratibus præministrabant, cincti erant. cæteri à ligando derivant: quod cum magistratus populi Romani virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus & manus ligari vincirique a viatore solita sint, isque qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus. hinc apud Ciceronem, & Livium: *Lictor colliga manus.* Nonius carnificis officio functos antiquitus retulit: & Cicero Accusationum septimo: *Janitor carceris, carnifex prætoris, mors terrorque sociorum & civium, lictor Sextius.* Ita ne cives quidem fuerunt. nam carnificem Censoriæ leges non modo foro, sed etiam urbis domicilio carere voluerunt.

C

D

XXXI.

Viatores.

Viatores, auctore Festo, sic dicti, quod initio omnium tribuum, cum agri in propinquo erant urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via quam urbe, quod ex agris plerumque homines vocabantur à Magistratibus, & frequens eorum erat ab agris ad urbem via. Cum quo consentiens Cicero, à *villa*, inquit, *in senatum accersebantur & Curius, & cæteri senes:* ex quo, qui eos quoque accersebant, viatores nominati sunt. Plinius lib. XIIX. cap. III: *Aranti quatuor sua jugera in Vaticano Cincinnato viator attulit Dictaturam, ut tradit Norbanus, nudo plenoque pulveris etiamnum ore. cui viator, Vela corpus, inquit, ut proferam senatus populique Romani mandata.* Tales tum etiam viatores erant: quibus id ipsum nomen inditum est, subinde ex agro senatum ducesque accersentibus. Ex quibus locis manifestum fit, viatores eosdem initio, quos accensos & præcones, fuisse: postea id nomen minorum magistratuum ut Tribunorum plebis & Ædilium apparitoribus est attributum. Livius II: *Ardens igitur ira Tribunus viatorem mittit ad Consulem; Consul lictorem ad Tribunum.* Idem lib. XXX: *Pecuniam ex ærario scribæ viatoresque ædilitii clam egessisse per indicem comperti, damnati sunt.*

XXXII.

Accensi.

Accensi ab acciendo sic nominati, quod ad res necessarias sæpe accirentur. Hi, quemadmodum & præcones, populum ad comitia convocabant. Erant & alterius generis Accensi in exercitu, adjutores centurionum & decurionum, qui illis impeditis vicariam operam præstarent. quos Optiones postea, quod Centurionum arbitrio cooptarentur, & honorem ipsum, Optionatum dixere. Allusit huc Plautus in Asinaria: (*Act. I. Sc. I.*)

Tibi optionem sumito Leonidam.

XXXIII.

Statores.

Statores à sistendis reis Budæus deducit. ii erant Consulum atque aliorum jura reddentium nuncii quidam: Proconsulum quoque veluti tabellarii. Cicero Epist. Famil. II, XV: *Literas à te mihi stator tuus reddidit Tarsi.* Ibidem XVII: *Existimavi tamen faciendum esse, ut ad te statores meos & lictores cum literis mitterem.*

FINIS.

Ritus

RITUS ALIQUOT CONSULARES

EX

P. OVIDII NASONIS

EPISTOLAR. PONT. LIB. IV.

A

ELEGIA IV.

Ad Sextum Pompeium, Consulem Designatum.

Consule Pompeio, quo non tibi charior alter,
Candidus & fœlix proximus annus erit.
Dixit: & ut læto Pontum rumore replevit,
Ad gentes alias hinc Dea vertit iter.
At mihi, dilapsis inter nova gaudia curis,
Excidit asperitas hujus iniqua loci.
B *Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum,*
Pulsus & à sacro mense December erit:
Purpura Pompeium summi velabit honoris;
Ne titulis quicquam debeat ille suis.
Cernere jam videor rumpi penetralia turba,
Et populum lædi deficiente loco:
Templaque Tarpeiæ primum tibi sedis adiri;
Et fieri faciles in tua vota Deos:
Colla boves niveos certæ præbere securi,
Quot aluit campis herba Falisca suis.
Cumque Deos omnes, tum quos impensius æquos
Esse tibi cupias, cum Jove Cæsar erit;
Curia te excipiet, Patresque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
C *Hos ubi facundo tua vox hilaraverit ore,*
Utque solet, tulerit prospera verba dies;
Egeris & meritas Superis cum Cæsare grates;
Qui causam, facias cur ita sæpe, dabit.
Inde domum repetes toto comitante Senatu,
Officium populi vix capiente domo.
Me miserum! turba quod non ego cernor in illa,
Nec poterunt istis lumina nostra frui!
Quod licet absentem, qua possum mente videbo:
Adspiciet vultus Consulis illa sui.

D

ELEG. V.

Ad Sex. Pompeium, Cos.

Aut reget ille suos dicendo jura Quirites,
Conspicuum signis cum premet altus ebur.
Aut populi reditus positam componet ad hastam;
Et minui magnæ non sinet urbis opes.
Aut, ubi erunt Patres in Julia templa vocati,
De tanto dignis Consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam natoque salutem;
Deque parum noto consulet officio.

ELEG. IX.

Ad Græcinum Consulem Designatum.

Unde licet, non unde juvat; Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis:
Missáque Dî faciant auroram occurrat ad illam,
Bis senos fasces quæ tibi prima dabit.
Ut, quoniam sine me tanges Capitolia Consul,
Et fiam turbæ pars ego nulla tuæ: &c.
Dumque latus sancti cinget tibi turba Senatus,
Consulis ante pedes ire viderer eques. &c.
Quoque magis nôris quàm me vulgaria tangant,
Spectarem qualis purpura te tegeret.
Signa quoque in sella nossem formata curuli,
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.
At cum Tarpeias esses deductus in arces,
Dum caderet jussu victima sacra tuo:
Me quoque secreto grates sibi magnus agentem
Audisset, media qui sedet æde; Deus.
Thuraque mente magis plena, quàm lance, dedissem;
Ter quater imperii lætus honore tui. &c.
Mente tamen, quæ sola loco non exsulat, utar:
Prætextam, fasces aspiciamque tuos.
Hæc modo te populo reddentem jura videbit;
Et se secretis finget adesse locis.
Nunc longi reditus hastæ supponere lustri
Cernet, & exacta cuncta locare fide:
Nunc facere in medio facundum verba Senatu,
Publica quærentem quid petat utilitas.
Nunc, pro Cæsaribus, Superis decernere grates,
Albave opimorum colla ferire boum.
Atque utinam, cum jam fueris potiora precatus,
Ut mihi placetur Principis ira, roges.
Surgat ad hanc vocem plena pius ignis ab ara,
Detque bonum voto lucidus omen apex.
Interea, qua parte licet, ne cuncta queramur,
Hic quoque te festum Consule tempus agam.
Altera lætitiæ est, nec cedens causa priori:
Successor tanti frater honoris erit.
Nam tibi finitimum summo, Græcine, Decembri,
Imperium Jani suscipit ille die.
Quæque est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia, tu fratris fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris Consul, bis Consul & ille,
Inque domo binus conspicietur honor.
Qui quamquam est ingens, & nullum Martia summo
Altius imperium Consule Roma videt:
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem;
Et majestatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccoque tibique,
Talibus Augusti tempus in omne frui.

Consulem designare Imperator, sed scipionem & fasces dare Senatus solet.

Fl. Vopiscus in Vita Aureliani.

VAlerianus Augustus dixit: *Gratias tibi agit, Aureliane, Respublica, quod eam Gotthorum potestate liberasti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & in omnibus quibus Romana felicitas crescit. Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis coronas murales quatuor, coronas vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas, hastas puras decem, vexilla bicolora quatuor, tunicas ducales russas quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te Consulem hodie designo: scripturus ad Senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu, quando fit Consul, accipere.* Aurelianus dixit: *Et ego, Domine Valeriane Imperator Auguste, ideo cuncta feci, ideo vulnera patienter accepi, ideo & equos & cantherios meos lassavi, ut mihi gratias ageret Resp. & conscientia mea. At tu plus fecisti: ago ergo gratias bonitati tuæ, & accipio Consulatum quem das. Dii faciant & Deus certus Sol, ut & Senatus de me sic judicet.*

F I N I S.

GEOR.

GEORGII VAUCHOPII
S C O T I
DE
MAGISTRATIBUS
VETERIS POPULI ROMANI
T R A C T A T U S.

GEORGII VAUCHOPII SCOTI DE MAGISTRATIBUS VETERIS POPULI ROMANI TRACTATUS.

CONTENTA HOC LIBELLO.

Præfatio de Reipubl. Rom. præstantia.

Sectio I. *DE conditu Urbis Romæ, & Pop. Rom. divisione prima. Celeres.*
Sect. II. *Senatus à Romulo institutus. Senatores, & eorundem variæ appellationes. Patronorum & clientium officia. Civiles seditiones.*
III. *Comparatio status Optimatum & Plebeiorum.*
IV. *Rex Romanus.*
V. *Patricii genere & sanguine. Eorum calcei. Alii è Plebe: & Quiritium jure donati.*
VI. *Patricii per adoptionem.*
VII. *Patricii degeneres, & plebeii.*
VIII. *Vicus Patricius, & Palatina patriciorum habitatio.*
IX. *Plebeii.*
X. *Senatores.*
XI. *Quomodo primum creati Senatores.*
XII. *Ætas legitima. Census Equestris, & opes. Insignia. Patricius plebeii ordinis, &c. Pedarii Senatores.*
XIII. *Senatorum numerus.*
XIV. *Senatus auctoritas, & munera.*
XV. *Quando Senatus dignitas imminuta, & restituta denuo.*
XVI. *Senaculum, & Senatorum locus auguratus.*
XVII. *Quando Senatus convocari solitus.*
XVIII. *Quomodo Senatus, & per quos convocatus. Déque honore Consulis priore loco designati.*
XIX. *Ritus in sententiis colligendis, & ferendis.*
XX. *Quibus Senatum ingredi non licebat. De Papirio Prætextato nobilis & perlepida historia.*
XXI. *Solennia in scribendis Senatusconsultis observata. Differentia inter Senatus Decretum, & Consultum.*
XXII. *Senatorum ornamenta, sive insignia, & dignitas.*
XXIII. *Census Senatorum. Pauperes etiam in Senatum ob virtutem & continentiam à Censoribus lecti. Censorum munus. Præteriti Senatores.*
XXIV. *Equester Ordo quando institutus, & Magistratui admotus. Publicani.*
XXV. *Instituta Equitum Rom. solennia, & ornamenta.*
XXVI. *Plebs Rom. & misera ejus conditio. Ad sedandam eam, novis rebus studentem, cautela.*
XXVII. *Potestas plebeii ordinis, adepti Decemviratum, Consulatum, Dictaturam, Auguratum, cæterosque magistratus, & sacerdotia.*
XXVIII. *Qui olim vere Nobiles in Rep. Rom. deque majorum imaginibus.*
XXIX. *De Novis hominibus, & obscuris.*

PRÆ-

PRÆFATIO

AD

GEORGIUM DUGLASSIUM,

ELINHELI,

Apud Scotos Equitem illustrissimum.

Quatuor Respublicas præ cæteris maxime celebres, ac moribus, inclytisque institutis insignes fuisse accepimus; utpote Cretensium, Atheniensium, Lacedæmoniorum, & Romanorum. Priores tres ante Romanam Rempublicam floruerunt. Cretensis Respublica omnium antiquissima dicitur, nobilitata legibus Radamanthi & Minois. Sed hic bene instituisse eam fertur. Nam faciendis judiciis, & ferendis legibus assiduus atque integer, per novennium legibus emendandis operam navavit. Atheniensis Respublica primum Draconis legibus, non atramento sed sanguine scriptis, instituta est: deinde his propter nimiam asperitatem obliteratis, Solon multo mitiores humanioresque dedit, & constituto Areopagitarum concilio, cives bonos mores edocuit. Lacedæmoniorum Rempublicam Lycurgus inclitus legislator, senatum ex trecentis componens, regi, magistratibus, & populo peculiaria officia imponens, ita instituit, ut Spartani legibus moribusque ab eo introductis utentes, annis fere DC. in Græcia floruerint; cum æquitate, tum gloria: ubi vero ejus institutis neglectis, ad luxum, delicias, & pecuniarum aviditatem desciverunt, gloriam simul cum libertate amiserunt. Romanam autem Rempublicam superioribus pacis bellique legibus, ac disciplina longe præstantiorem, primus instituit Romulus urbis conditor: eam deinceps præclaris institutis auxerunt Reges & Magistratus, æquitatis, honestatis, ac virtutis amantes. Qui ad se hæc magnopere pertinere semper existimabant; primum utilitatem civium tueri, & ad eam quicquid agerent referre, obliti commodorum suorum: deinde totum Reipublicæ corpus curare, utpote senatum & plebem, pauperes juxta divites; ne partem aliquam corporis tuendo curandoque, reliquas desererent, neve parti civium consulendo, partem negligendo, seditiones & secessiones, discordiasque civiles nunquam non pestiferas moverent: Præterea, domi militiæque cives ad virtutem cohortari, eis justa, honesta, utilia, & quid oporteret facere, præcipere; præceptis non audientes, virgis aut securi punire; & quod his efficacius est, integræ vitæ & virtutis specimen in ipsis exhibere, id est labore, sapientia, modestia, justitia, continentia, frugalitate, ac fortitudine eos quibus præerant anteire. Nam magistratuum, principum, & regum vita, mores factaque in omnium ita sunt oculis, ut quam facillime ab iis bona aut

A mala hauriantur. Quales enim summi in Republica, tales cæteri cives esse solent: Itaque meliores quidem cives leges scriptæ efficiunt; sed magistratus, principis, & regis vita, moresque, illos magis flectere, quam edicta valent. Siquidem bonum magistratum, principem, & regem, dicimus esse βλέποντα νόμον, quod videat, moderetur, puniatque delinquentes, nec sinat civem, quamvis nobilissimum, concivis, quamvis infimi, sanguinem haurire; vel eum injuria gravi afficere. Itaque cum fuerint boni Rom. reges, Romulus, Numa, Hostilius, Servius, Priscus; magistratus, ut Bruti, Horatii, B Publicolæ, Agrippæ, Fabii, Cincinnati, aliique innumerabiles: boni quoque fuerunt prisci illi Romanæ civitatis cives. Quorum hæc erant: famem, sitim, frigus, calorem, laborem omnem, & militiæ duritiem tolerare: in prælio aut vincere, aut occumbere: domi militiæque bene parere magistratibus: alienam virtutem, quam vitia imitari, & virtutum omnium exempla imitatione quam dignissima edere. Quæ profecto nusquam plura majoraque, quam in Romanæ civitatis monumentis reperientur. An fortitudinem, justitiam, fidem, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, divi- C tiarum humanarumque rerum, melius alii docebunt; quam Horatii, Mutii, Cincinnati, Fabii, Camilli, Catones, Scipiones, Reguli, Fabricii, Curii, Decii, aliique innumerabiles? Quantum enim Græci præceptis valent, tantum Romani (quod est majus) exemplis. Siquidem Athenienses sciebant crebris disputationibus, ac Philosophorum monitis, quæ recta essent & honesta, sed facere nequibant; ut dixit legatus ille Lacedæmoniorum, qui seni cuidam Atheniensi defesso suum in theatro locum concesserat, cum Atheniensium nemo ei assurgeret, aut senectuti reverentiam exhiberet. Nota est D cæterorum Græcorum luxuria, atque desidia; quibus Lacedæmonios etiam adjungo, postea quam contemptis Lycurgi legibus cæterorum similes effecti sunt, qui antea cum Atheniensibus sæpius quam Græcorum reliqui præclara facinora edidisse traduntur. Priscos autem Romanos illos voco, qui ante Numantiæ ac Carthaginis excidium fuere. Quibus vita fuit sæpius in negotio, quam otio; qui maluere hostem ferire, quam civem; magistratibus inermes parere, quam armati resistere; magistratus sine fuco ac fallaciis secundum leges petere, quam vi aut corruptelis contra leges occupare; sobrie ac E continenter, quam luxuriose ac insolenter vivere; de paupertate, quam cumulatis opibus gloriari.

riari. Ubi vero Pœnorum ac Numantinorum timor ſublatus eſt, atque Græcorum luxuria, Macedonum gaza, Aſiaticorum deliciæ civitatem invaſere, tum Romani militiæ aſperitatem averſari, domi otium quærere, & luxuriari; optimates tenuiorum commoda non defendere, ſed divellere; magiſtratus ad ſuum quam publicum commodum cuncta agere, cives non æquitate ſed vi continere, judicia pretio addicere, luxuriam tota urbe graſſantem non diſſuadere, ſed alterius Reipublicæ partis, videlicet plebis favorem corruptelis multifariis conciliare, ad poteſtatem ipſorum vel continuandam, vel augendam, vel tuendam; inter magiſtratus quoque ipſos & cives, exiſtere graves controverſiæ, naſci multæ injuriæ, fierique magnæ contentiones ob principatum cœperunt. Adhuc tamen uſque ad Imperatorum ætatem priſtinæ virtutis morumque veſtigia aliqua nonnulli retinuerunt. Nam cum civium proſcriptorum bona occupanda (bona malis artibus & ſcelere nefando capta) prædia amœna poſſidenda, locupletes domos diripiendas Romanæ plebi Marius dediſſet & Cinna, vulgi etiam rudes animi ac humana ſoliti reſpectare, alienis laboribus partis adeo pepercerunt, ut nullus egens reperiretur, aut infimus qui de civili luctu fructum contrectare pateretur ſibi conceſſum. Denique Imperatorum ſeculo in quos mores delapſus ſit populus Romanus, qui

Quondam armis terras, ratibusque ſubegerat undas,
Atque iidem fines Orbis & Urbis erant,

declarant monumenta eorum, qui Cæſarum vitas deſcriptas poſteritati reliquerunt. Certe quales ſceleſtiſſimi ac impuriſſimi illi Imperatores; tales fuerunt & cives majorum diſciplinæ prorſus immemores. Unde merito tunc dicere potuere & ipſi cives:

Hei mihi quo Latiæ vires, Urbisque poteſtas
Decidit? in qualem paulatim fluximus umbram?
Moribus antiquis ſtat res Romana virisque:

& ipſa Roma:

Armatis quondam populis, patrumque vigebam
Conſiliis: domui terras, hominesque revinxi
Legibus: ad ſolem victrix utrumque cucurri.
Poſtquam jura ferox in ſe communia Cæſar
Tranſtulit: elapſi mores, deſuetaque priſcis
Artibus, in gremium pacis ſervile receſſi.

Quare GEORGI DUGLASSI, Elinheli Eques illuſtriſſime, non de Romanis, qui ſub Imperatoribus jugo ſervitutis, ac tyrannide preſſi fuerunt, quorum mores non tantum legere me tæduit, verum & exſcribere puduit; ſed de ſtatu illius Populi Romani, qui ante deletam Carthaginem, ſaltem ad tyrannicum Cæſarum dominatum vixiſſe dicitur, Tractatum inſtitui: quem in lucem jam primum editum, tuoque nomini dicatum ad te mitto. De tuis rebus geſtis alias dicam. Nec hic in ſingularem tuam prudentiam ac rerum experientiam, vitæ integritatem, pietatem, fidem in Principes, humanitatem in omneis, excurram; ut facere ſolent plerique in ſuis nuncupatoriis ſcriptis, laudes eorum quibus aliquid dedicant, limato orationis ſtilo complectentes. Cæterum hoc unum abs te magnopere peto, ut qua hilaritate præſentem me amplexari ſis ſolitus, eadem abſentis

A libellum accipias; eumque vindices à calumniis illorum, qui ſæpenumero me & theonino dente lacerare, & ob ætatem nondum legitimam contemnere, & ſupra, eam quaſi excelſa quædam agentem temeritatis inſimulare haud deſinunt. Ex Muſæo, XII. Auguſt. anno Domini CIↃ IↃ. VC.

SECTIO I. Romulus natus annos XIX, vel, ut alii volunt, XVIII, Urbis Romæ fundamenta jecit, anno Mundi ſecundum LXX. Interpretum ſupputationem, 4580: ſecundum Hebræorum, 3214: ſecundum vero Origenis & Euſebii, 4450. ſeptimæ Olympiadis anno B primo, utpote poſt quatuor & viginti annos quam prima conſtituta fuerat. circa quod tempus Athenis principes, quos Archontas ſeu Medontidas vocarunt, non pro toto vitæ tempore, ut antea, ſed decennio regnare cœperunt; quorum primus fuit Charops. Poſt Trojanam ruinam, CDXXXIII. ante Chriſti nativitatem DCCLI. Fundamenta, inquam, jecit, XI. Kal. Maii, hoc eſt, XX. Aprilis inter ſecundam & tertiam horam ejus diei. quo die, quia Natalis patriæ habebatur, ſine ſanguine ſacrificabant, atque à paſtoribus in agris Palilia cebrabantur;

C

Urbi feſtus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus eſſe dies.

Ubi autem Urbem in Palatino monte cœptam abſolviſſet, duo jugera viritim, non majorem modum, primincolis attribuit. Ii haud multo plures erant bis mille peditibus, & pauciores trecentis equites. Porro eos qui militari ætate erant, in legiones (inde dictas, quod pugnaces belloque apti ex omni multitudine legerentur) diſtribuit. Reliqui populi nomine cenſebantur, & demotici ſive plebeii vocabantur. D Univerſam multitudinem in triginta curias diſtribuit, quo per curiarum ſententias Reip. curam expediret: quibus qui præerant, Curiones dicebantur: easque virginum Sabinarum raptarum nomine nominavit. Similiter apud Græcos plebs in phratrias ſive lochos dividebatur, & præfectos ſuos habebat phratriarchos ſive lochagos. Ex ſingulis XXX. curiis denos armatos, ad cuſtodiam corporis, cum in pace tum bello, Romulus elegit, quos vel à celeritate opis ferendæ, vel à Celere eorum tribuno, Celeres appellatos eſſe fama eſt, quorum alii equites, alii pedites fuerunt, ſi Dionyſio creden- E dum, quique per urbem haſtati Regem comitabantur, & juſſi mandata obibant: in militia vero ante ſigna veluti protectores collocati, prælium primi inibant & poſtremi ſe recipiebant. Hunc morem Romulus à Lacedæmoniis accepiſſe videtur: quandoquidem apud illos fortiſſimi ac generoſiſſimi quique juvenum erant in cuſtodia regia, quibus in pugna Reges utebantur protectoribus, equeſtri atque pedeſtri prælio idoneis.

SECTIO II. Romulus populo in curias diſtributo, centum, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat; quique F genere, prudentia, inſtituto vitæ, virtute, atque divitiis excellebant, Reipublicæ cauſa delegit. quos vel ab ætate Senes, (unde Senatores) vel honore, vel curæ ſimilitudine, vel à patrocinio & ope ferenda, vel quod patres ſuos demonſtrare poſſent, nobili quisque ortus genere, vel à comite quondam Evandri, qui Patroni nomen meruerat, quod imbecillorum curam geſſiſſet, eisque præſidio fuiſſet, Patres appellavit:

Propterea variis nominibus à Scriptoribus vocantur: ut Senatores, Patres, Patroni, Patricii, Consiliarii, Conscripti, Allecti. Senatores à senectute: Patres quod paterno studio Reipublicæ curam susciperent, tenuioribusque agrorum partes ceu liberis propriis attribuerent: Patroni, quod præsidium ac opem inferioribus ferrent: Patricii, quod Patribus essent orti: Consiliarii, quod civibus & Reipublicæ consulerent: Conscripti, quod scriptis essent adnotati: Allecti vero, quod propter inopiam senatorii ordinis, ex equestri ordine in Senatorum ordinem adsumpti essent. Ovidius ab ætate & senio Senatores, Patresque dictos putat:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros;
Nomen & ætatis mite Senatus habet.
Romulus hoc vidit, selectaque corpora Patres
Dixit: ad hos Urbis summa relata novæ est.

Dionysius arbitratur Patres dictos, propter & ætatem, & generis nobilitatem, & quod haberent liberos: unde illorum filii (Atheniensium more, qui summo loco natos eupatridas, obscuro agroicos vocarunt) Patricii dicebantur. Athenienses enim bifariam distincta multitudine, patricios nuncupabant ex claris ortos familiis & potentes opibus, penes quos fuit Reipublicæ gubernaculum: cæteros vero cives, rusticos & agresteis, quibus nullum erat in civitate suffragium. Id intelligi debet de Atheniensium Reip. statu, qui Romuli tempore florebat. Siquidem post, non penes optimates & illustres, sed plebem, obscuros & infimos quosque, fuerant suffragia & civitatis regimen. Verum ex Plutarchi & Zonaræ sententia, is probabilius sentire, ac proxime ad Romuli mentem accedere, videri queat, qui eum nomine Patriciorum & Patrum significare voluisse crediderit, principibus & potentissimis civitatis, humiliores patria cura complectendos esse, simulque plebem eo perducere studuisse, ne superiorum ac primatum honoribus invideret, sed faveret potius iis, quos Patres & putaret, & appellaret. Sic Plutarchus: Illud mihi probabilius videtur, si quis opinetur Romulum decrevisse, primores & potentes oportere paterno officio & indulgentia, humiliorum causam in fidem suam curamque suscipere: simulque quo cæteros edoceret, ut tutiorem sibi vitam in eorum præsidio vivendam statuerent, neque quibus virtute cederent, eorum honoribus angerentur, sed benevolo & amico animo in eos forent, Patresque illos honoris gratia appellarent, & esse opinarentur, idcirco eo nomine appellasse. Hinc Festus Patres senatores ideo appellatos ait, quia agrorum partes, tenuioribus ut liberis propriis attribuebant. & omni fere Reipublicæ Romanæ tempestate, exteræ nationes devictæ, aut societate conjunctæ, ex senatorio ordine patronos sibi solebant adoptare, & duces eos, & salutis bonorumque defensores, nominare. Romulus certe ne qua invidia inter proceres & inferiores oriretur, commendavit Patriciis plebeios, optione cuique & vulgo data, ut quem vellet patronum sibi legeret: atque tutelam pauperum ac humilium patronatum nominans, commoda utrisque officia addidit. Quæ hujusmodi fuisse cum Plutarcho Dionysius tradit: Patronos oportebat clientibus respondere de jure, cujus illi rudes essent, & absentium æque ac præsentium curam gerere, facientes quicquid pro filiis parentes solent facere. Quod ad pecunias & contractus pertinet, & lites pro affectis injuria

A clientibus suscipere, si quis præter pacta detrimentum acciperet, & sustinere accusatoris impetum: & ut compendio dicam, quietem eis, qua maxime opus haberent, parare à privatis, publicisve negotiis. Vicissim clientum erat, patronos juvare elocantes filias, si his parum esset pecuniæ, & ab hoste captivos redimere, vel ipsos, vel eorum filios: privatarum quoque litium perditarum æstimationes, & mulctas publicas pecuniarias pro eis solvere, idque sumptu proprio, non quasi fœnoris loco, sed ad referendam gratiam: publicorum quoque impendiorum, quæ magistratuum honorumve causa fiunt, esse participes, non secus quam conjunctos genere.
B Commune autem utrisque erat, ne fas esset alteris accusare alteros, aut adversum dicere testimonium, ferreve suffragium, aut censeri inter inimicos. Quod si quis deprehensus fuisset aliquid horum facere, tenebatur lege De proditoribus, quam sanxit Romulus, convictumque ejus criminis, cuivis licebat ut Diti sacrum interficere. mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, præcipue Diis inferis, quod fecit Romulus. Quapropter per multas ætates permanserunt mutua patronorum & clien-
C tium officia, haud secus quam cognatæ necessitudines, posteris per manus tradita: Et maxima laus erat nobilium, habere clientes quamplurimos, tam hæreditariarum tutelarum quam partarum industria virtuteque propria; ingensque certamen erat utrisque, ne vincerentur mutua gratia & benevolentia, dum clientes nullum patronis negant ministerium, vicissim patroni nullo corrumpi possunt pretio, ut clientes molestari sinerent. Tanta illis erat in omni vita temperantia, & felicitatem virtute, non fortuna metiebantur. Nec tantum in ipsa Urbe plebs tuta erat Patriciorum patrocinio, sed
D & coloniarum, & sociarum ac amicarum civitatum, & bello subactarum, quæque suos habebat in Urbe patronos, quoscunque vellet è Patribus & Romanis civibus: & sæpenumero Senatus, controversias civitatum ac gentium ad earum patronos remisit, eorumque judicia rata habuit. Siquidem prisci Romani magistratus Imperatoresque ex una hac re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios æquitate & fide defendissent: id quod patrocinium orbis terræ verius, quam Imperium poterat nominari. Postremo, quo vinculo patroni ac clientes connectebantur, eorumque mutua offi-
E cia quanti habebantur, ex eo intelligere possumus; quod prisci Romani sanctius habuerint defendi clientem, quam cognatum aut affinem non fallere: adversus cognatos pro cliente testari, quam adversus clientem pro cognatis: quod existimarint patrem primum, postea patronum proximum nomen habere, atque post pupillos omnibus officiorum modis esse juvandos. Post pupillos defendendos esse dico, quia constat ex moribus Pop. Rom. primum juxta parentes locum tenere pupillos debere, fidei tutelæque nostræ creditos: secundum eos proximum lo-
F cum clientes habere, qui sese in fidem patrociniumque nostrorum dederunt: tum in tertio loco esse hospites: postea esse cognatos & affines, quamquam apud Gellium Masurius Sabinus lib. Juris civilis III. & C. Cæsar, tribuant antiquiorem locum hospiti, quam clienti. Ab his initiis ex auctoritate Romuli, firma Romana adeo coaluit concordia, ut per sexcentos & triginta annos nunquam inventum sit, clientes & patronos cum armis per urbem & comitia voli-

volitasse, aut honores & magistratus adhibita violentia petiisse: nunquam ventum sit ad cædem & sanguinem, multæ licet ac magnæ inter plebem & senatum exortæ controversiæ de Republica & seditiones, factæ extiterint: sed Patricii ac Plebeii parentes, & monentes mutuum, & partim concedentes, partim impetrantes à volentibus, per expostulationes civiles componebant negotia, tollebant controversias, sedabant seditiones, mitigabant factiosos. Ex quo autem Tiberius & Caius Gracchi post Carthaginis excidium tribunatum plebis adepti, perturbarunt civitatis concordiam perniciosis suis actionibus, abalienarunt plebem à Senatu, stimularunt pauperes in divites, effecerunt humiles absque reverentia optimatum imperium & jussa detrectare: ex quo (inquam) hæc evenerunt; præclara illa Romuli instituta cum bono & tranquillo Reipublicæ statu ceciderunt, cives urbe in viscera sua armatâ absque satietate se invicem occiderunt, ex urbe alii alios ejecerunt, ejectorum bona proscripserunt, nullum nefas non patrantes modo inimicos vicissent.

SECTIO III. Romulus cum populum novum in XXX. curias disposuisset, ac C. Patres quo publicum consilium institueret, selegisset, & Plebi & Patribus sua munia addidit. His; sacra; auspicia, judicia, honores & magistratus, curiam & totius Reipublicæ curam commisit. Plebeios autem dignitatibus vacuos, à muneribus publicis exclusos, quæstuosas artes exercere atque agros colere; voluit. Hi exercitus ducebant, illi sub eorum ductu militiæ labores & discrimina subibant: hi gentes habebant, illi sine gentibus erant: hi post exactos Reges; Dictaturam & Consulatum, id est Regium imperium, divina, opes, decus, gloriam, & (quod omnium injustissimum est) in plebem vitæ necisque potestatem, donec ejus sacrosancti defensores crearentur, habebant: illi vero à sacris exclusi; honorum omnium expertes, egestate laborantes, ære alieno oppressi, vitam inhonestam agebant, nihilque præter miseram animam & eam Patriciorum dominationi obnoxiam, possidebant. denique Patricios, si deliquissent, nobilitas, majorum præclara facta, & imagines, divitiæ, præsidia clientum, cognatorum, affinium, & gentilium (soli namque gentem habuerunt) vires & opes, duriori animadversioni subtrahebant: Plebeii vero omnibus his destituti, si in ære non habuissent, corpore perferebant.

SECTIO IV. Sed populi Romani conditionem, quia operis institutio postulat, apertius & copiosius perstringam, & cujusmodi illa Romuli, & deinceps Regum ac mutatæ Reipublicæ tempore fuerit, demonstrabo. Ego omnem Romanorum civium statum tribus Divisionibus perpensis, quam facillime intelligi posse autumo. Quarum una ad genus & sanguinem; altera ad ordinem & censum; tertia ad honores pertinet. Siquidem omnes cives Romani vel Patricii aut Plebeii sunt: vel Senatores, Equites, aut de plebe, vel Nobiles, aut Novi. Quid de Rege? Rex nec erat senator, eques, plebeius, nec ullo ordine esse censetur, verum cum Patriciis & Plebi, cunctisque populi ordinibus præsideret, cum tributa, honores, dignitates, atque magistratus in manu sua haberet, ordinum ac magistratuum culmen habetur: sicut Pontificatus sive Papatus sacerdotium non est, sed sacerdotiorum omnium culmen & fastigium, ut volunt Canonistæ. Regis eximia munia hæc esse voluit Romulus. Primum ut sacra curaret atque sacrificia, & ageret quicquid ad placandos Deos attinebat. Deinde ut legum ac morum patriorum haberet custodiam, & juris, sive naturalis, sive quod scripta & pacta continet: Utque de injuriis gravissimas causas ipse decerneret, leviores permitteret senatoribus, providendo interim ne quid peccetur in judiciis: utque senatum cogeret per præconem; populum cornibus bubulis in concionem convocaret: primus ipse sententiam diceret; quod pluribus placuisset, ratum haberet: ejus præterea summum imperium in bello esset. Auctor Dionysius.

SECTIO V. Patricii dicuntur, qui à priscis senatoribus sunt oriundi. Prisci autem senatores fuerunt centum illi primi, quos Romulus ob curam Reipublicæ selegit, qui majorum gentium: & centum illi quos Tarquinius Priscus addidit (Livium hîc sequimur) qui minorum gentium: & centum illi quos liberata Republica Brutus delegit, qui Patres-conscripti sunt appellati. Hic trecentorum numerus mansit in Republica usque ad tribunatum C. Gracchi, perniciosissimi civis. Illi, quotquot in curiam electi erant, gentes & familias similiter Patricias appellatas constituerunt. Patricii itaque proprie nominantur, qui primis patribus & adscriptis sunt geniti. Quamobrem Patricii calceos urbanos (in hoc à plebe differentes) gestarunt & corrigiarum implexione & forma literæ adornatos; ut à primis patribus & senatoribus orti esse viderentur. Literam autem fuisse tradunt R, sive quod ea apud Græcos centenarium numerum significet, sive quod prima nominis Romani & Romuli sit litera. Alii dicunt, Romulum tales calceos patricios quatuor corrigiarum, quibus insuta erat luna, reperisse; lunam autem in eis non sideris formam, sed notam centenarii numeri significasse: quod initio patricii senatores centum fuerint: alii ferunt eos calceis mulleis allucinatis usos fuisse, cum cæteri perones induerent. Nonnulli quoque non patrum sanguine prognati patricii habebantur; ut ii qui in patrum & patriciorum album cum suis familiis traducti, patriciatum, id est, jus sacra peragendi, magistratus ineundi, Reipublicæ rationes subeundi, singulari ejus beneficio penes quem summa rerum & potestas & administratio fuerat, consequebantur. Traducebantur vero, vel à Regibus, vel à populo, vel ab Imperatore. Nulli enim non genere nec sanguine Patricii, hanc dignitatem obtinebant, nisi nominatim Regum, Populi, aut Imperatorum cooptatione & meritis allecti essent. Livius lib. IV. Romulum Sabinos & subactas à se gentes novæ urbis civitate donasse accepimus. Patricios enim ex iis quosdam fecit ac in senatorum numerum legit. Tullus Hostilius, eversa Alba, familias Albanas, Juliam, Geganiam, Meteliam, Quintiliam Romam traduxit, & inter patricias constituit. Ancus Martius Lucumonem Etruscum in senatum adscripsit. Priscus Tarquinius Servium Tullium Corniculanum in Patriciorum numerum ascivit, eum sibi quoque generum assumpsit: qui postea Rex Octaviam familiam in patricias transtulit.

Liberata autem regio dominatu Republica, L. Junius Brutus, P. Valerius Publicola Consules, summo omnium consensu, præcipuos ex plebe allegerunt in Patriciorum ordinem ac familias, & ex his senatum suppleverunt ad trecentorum numerum. Ante Brutum & collegam ejus, fueruntne trecenti patricii? Fuerunt

runt equidem sub Tarquinio Prisco Romanorum Rege quinto. Nam is statim ut principatum accepit, ad conciliandum sibi plebis favorem, selectos ex omni plebeiorum numero viros centum, spectatæ vel fortitudinis vel prudentiæ, in Patriciorum primo allectos ordinem, Patrum etiam adscripsit numero: ac tum primum Roma trecentos Patricios habuit, qui ducenti ante fuerant. Auctor Dionysius. Ante Priscum Tarquinium quis ducentos constituit? Romulus ipse: nam ante virginum raptum, ex multitudine illa, quam secum habebat, ad perficiendam Reipublicæ formam centum elegit; qui senatum constituerent; deinde ex Sabinis in civitatis societatem acceptis centum in Patricios legit. Sic centum erant Patricii Romani nominis, totidem Sabini: Reges tamen Romulus & Tatius, non statim communiter de Republica; sed cum suis uterque centum Patribus seorsum deliberarunt: deinde in locum unum omnes convenere. Auctor Zonaras. Actium Clausium (qui deinde Appius Claudius dictus est) jussu populi & senatus Patricium factum Dionysius his verbis reliquit. Ap. Claudius Regillum oppidum Sabinorum tunc inhabitans, vir opulentus & nobilis, transfugit ad eos cum tota cognatione, comitatus insuper multis amicorum & clientium familiis, in quibus erant circiter millia quinque, militaris ætatis armis ferendis idonei: & exposita migrationis causa eum populus inter Patricios adscripsit. Sic Livius lib. x. Sabinum advenam principem nobilitatis vestræ, seu Appium Claudium mavultis, illi antiqui patricii in suum numerum acceperunt. Quibus verbis innuit, eum receptum non suffragiis populi, sed cooptatione senatorum. Ap. Claudius ille prudentia gerendæ Reipublicæ in principum dignitatem pervenit, ac gentem Claudiam reliquit, quæ tempore longissimo floruit summam adepta auctoritatem.

Redacta Republica ad Imperatoriam ac nomine mutato Regiam potestatem, primus C. Cæsar, mox Octavius Augustus tum Senatum supplevere, tum patriciorum numerum & familias sublegere. Denique Claudius Imperator consumptis fere familiis, quas Romulus, Tarquinius Priscus, & Junius Brutus constituere, exhaustis simul quas Dictator Cæsar lege Cassia, & Augustus lege Senia substituere, vetustissimum quemque e Senatu in Patriciorum ordinem allegit. Itaque Romani, Reges, Consules populi jussu, Imperatores, consueverunt & plebeios cum familiis inter patricios referre, & exterarum nationum partim armis subactarum, partim sociarum, nonnullos in Patriciorum numerum assumere, alios civitate ac Quiritium jure donare; volentes permultos Imperii defensores habere, & urbem civibus reddere frequentem; recedentes in hoc quam longissime à Græcorum moribus, Atheniensium, Corinthiorum, Lacedæmoniorum, Thebanorum, qui ob retinendam nobilitatem generis, vel nullos, vel raros, in jus civitatis admittebant. Maximum enim illi præmium existimabant, civitatis suæ jus & honores peregrinis tribuere. Corinthii Alexandro Magno per legatos jus suæ civitatis: Item & Athenienses T. Pomponio Attico, detulerunt. Alexander primum spreto munere legatos risit, mox cum illi dicerent, se nulli civitatem unquam donasse præterquam ipsi & Herculi, lubens accepit oblatum honorem, cum propter raritatem, tum ob societatem cum Hercule. At Pomponius & Athenienses statuam sibi ponere noluit, & urbis Athenarum jus ac honores oblatos recusavit, ne Quiritium jura perderet; quod civitas Romana alia ascita amitteretur. Supradictus Romanorum mos à Romulo fluxit, qui bello captos vetuit necari, aut sub hasta venundari: sed eos in societatem urbis introduxit, aut alio modo sibi obnoxios ac fidos reddidit. & extraneorum in civium Romanorum numerum adoptatio gratuita, permansit ad Claudii Imperatoris dominatum: sub quo primum Romana civitas emi ab exteris cœpit.

SECTIO VI. Nonnulli præterea à Patriciis in liberorum locum assumpti in patricios per adoptionem transiere. Nam cum in adoptantium familiis esse cœpissent, adsumptis patrum adoptantium nominibus, familiæ Patriciatum, dignitatis videlicet jura & privilegia, sibi adscripsere. Adoptatus enim adoptantis conditionem sequi necesse habuit. Testis nobis sit M. Brutus plebeius, à Q. Cœpione patricio adoptatus, & Q. Cœpio Brutus dictus. Nam adoptatus retento suo gentilitio nomine, nomina illius vel duo plurave, vel omnia, à quo adoptabatur, sumere consuevit. Quinimo qui adoptabantur, vere patricii meo judicio vocari non possunt. Quippe nulli non patricii sunt gentiles, & omnes gentiles sunt patricii, quod ipsi soli gentem haberent, (auctor Livius lib. x) unde majorum & minorum gentium sunt dicti. Gentiles vero dicuntur (auctore Scævola) qui inter se eodem sunt nomine & ab ingenuis oriundi, quorum majorum nemo servitutem servivit, & qui capite diminuti non sunt. Sicut igitur nec liberti, manumissione assecuti dominorum prænomen & nomen gentilitium (conditionem patronorum ac familiæ jura non sumebant) in alienam gentem transeuntes, Gentiles: ita nec adoptione in alienam gentem ac familiam migrantes, apte Gentiles ac consequenter Patricii dici possunt: Illi quod servitutem servissent, isti quod capite essent diminuti. Adoptio enim est quædam capitis diminutio. Liberti non tantum, sed ne libertini quidem inter Gentiles sive Patricios asciri poterant; tum quia eorum parentes servitutis jugum sustinuerunt, tum etiam quia Sabinus, libertinos ab ingenuis adoptari jure posse, scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse unquam censuit: ut homines libertini ordinis in jura ingenuorum seu patriciorum invaderent. alioqui si juris ista antiquitas servata esset, etiam servus à domino per prætorem dari in adoptionem posset.

SECTIO VII. Nos porro latere non debet, plerosque ut acceptos inter patricios fuisse; ita aliquos è patriciis exivisse, & ad plebem se contulisse. Confirmet hoc primum gens Octavia, quam Julius cum ad plebem se transtulisset, in patriciatum reduxerat. Deinde L. Minutius Augurinus & P. Cornelius Dolabella patricii, qui ad plebem se contulerunt. Quemadmodum adoptione patricii fieri, sic & desinere esse patricii, solebant: P. Scipio patricius Q. Metello plebeio, & P. Claudius M. Fronteio similiter plebeio se tradiderunt, familiasque suas plebeias reddiderunt. Hujusmodi tamen ego quodammodo è patriciis non exire arbitror. Patricio enim sanguine natum, patricium non esse, dicere est adynaton. fortuna non mutat genus; nisi eorum originali considerationi omnino adversati (namque Reipublicæ patre genitus patricius dicebatur) aut adoptione ac jure civili sanguinis jura tolli, asseverare velimus.

limus. Quid igitur aufert transitio in familiam inferiorem? Patriciatum; id est, jus, honores ac magistratus adipiscendi, curiam adeundi, (tempora Reipublicæ prima respicio) pristinæ dignitatis, etiam in omni florescentis Reipublicæ statu, splendorem. Quippe alteri inferiori se adoptandum dando, juri dignitatis & eminentiæ, sanguinis privilegiis à Romulo introductis, à reliquis deinceps Regibus confirmatis, à populo & Imperatoribus receptis, renuntiasse videtur. Quid aliud P. Clodius M. Fronteio plebeio se tradendo cogitavit, quam decus & familiæ excellentiam Ciceronis ulciscendi gratia cum dedecore repudiare, ad tribunatum plebis aspirare, cum nemo lege, plebis defensionem tutelamque, præter plebeium, suscipere auderet? Tribunatum ut assecutus est, omnem bilem in Ciceronem evomuit, nauseam & virus omne nauseavit, & quicquid potuerat, fas an nefas esset sine discrimine considerando, in eum quam inhumanissime exercuit. Quocirca isti Patricii id est sanguine patrum & patricio ordine geniti remanentes, curiam & magistratus primis Reip. temporibus, mediis etiam patriciorum ordinem, & familiæ prærogativam, amittebant: illi vero genere plebeio orti, plebeii residentes, per eos adoptione amissa, adoptione acquirebant: posterioribus autem Reipubl. temporibus, patricius inferioris dignitatis homini veluti plebeio in adoptionem datus, nec amittebat familiæ dignitatem, nec honores, nec jus adipiscendi magistratus (ut scribit Paulus Jurisconf. lib. Digestorum 2. Tit. De adoptionibus) nec jus originis, in honoribus obeundis ac muneribus suscipiendis, ut tradit Papinianus Jurisc. lib. Digestorum 1. Tit. ad Municip. quod per adoptionem illa tempestate dignitas augeri, non minui soleret.

SECTIO VIII. Patricii, ut ante posui, curiam & senatum soli constituebant. assumebant soli magistratus & honores, quoad annum U. C. CCLX. quo demagogos & demarchos, ductores atque contra patriciorum potentiam sævitatemque defensores, sibi plebs constituerat. Quorum ductu ad curiam ac Reipublicæ curam plebeii aspirarunt, ad commoda, honores, dignitates, ordines pervenerunt: cum patribus connubia, familias, gentes, magistratus, auspicia, sacerdotia, imperia & triumphos, consecuti sunt, & patriciis in omni fere re adæquati. De plebis & optimatum potestate, postea in sequenti Divisione: nunc ut primæ Divisionis pars prior, videlicet de patriciis, absolvatur, pauca dicam de loco ubi Patricii habitare consueverunt. Priorum quinque Regum Romanorum tempore ubi Patricii habitaverint, certo affirmare non ausim: prope tamen Regem eos in Palatino monte domicilia habuisse puto: at certum est, Servium Tullium, sextum Romanorum Regem, coegisse illos in Vico, qui inde Patricius dictus est, habitare: ut si quid molirentur adversus ipsum, ex locis superioribus (auctor Festus) opprimerentur. Nam Patricii jamdudum Servium, quasi serva natum, dominari ægre ferebant, eique maxime succensebant, quod ad plebis animos conciliandos pecuniam distribuisset, agros singulis assignasset, servos manumittendos & in tribus referendos curasset. post cum Imperatoribus patricios & principes civitatis habitasse, Ovidius his versibus declarat:

Regalemque domum, dextra lævaque Deorum,
Atria nobilium valvis celebrantur apertis,
Plebs habitat diversa locis: à fronte potentes
Cœlicolæ, clarique suos posuere penates:
Hic locus est, quem (si verbis audacia detur)
Haud timeam magni dixisse palatia cœli.

SECTIO IX. Prima Divisio respicit genus & sanguinem: ita Romani omnes vel Patricii, vel Plebeii. De Patriciis hactenus; de Plebeiis nunc pauca dabimus. Plebeii dicuntur, qui de plebe, multitudine sine gente, & vili illa populi parte sunt, nec à Patriciis familiis oriuntur. Quibus Romulus pacis bellique arbitrium, in renuntiandis magistratibus, in sanciendis legibus consensum & suffragia viritim declaranda reliquit: ut administrationem Reip. suscipientibus patriciis consentirent, & rei quasi publicæ curam illis delegarent. Nam cum Scipio Africanus minor, Ædilitatem curulem petiturus in campum Martium candidatus descendisset, plebs in eum solum cogitationem suam convertit, ac non Ædilem, sed Consulem ante legitimam ætatem creare voluit; cum etiam Patres adversum niterentur, proferentes legem qua cuique ad singulos magistratus capiendos anni sunt constituti, populus rogare, instare, postremo reclamare cœpit; ac dicere, tum ex Romuli, tum ex Tullii legibus, penes se comitiorum esse jus, ita ut cui vellet, per suffragia sua mandare, cui nollet, abrogare magistratum suo jure posset. Ferebat autem suffragia non universus populus, sed Romuli tempore per curias: Tullii vero diviso populo in classeis, per centurias; & quicquid visum fuisset pluribus curiis vel centuriis, id ad senatum referebatur. Auctor Dionysius. Qui mos postea mutatus est: non enim senatus plebiscita, sed plebs senatusconsulta suo assensu comprobabat. Et Imperatorum tempore, populi potestas, jus, comitiaque ad senatum, mox ipsum Imperatorem translata sunt. Itaque in bello aliquo decernendo, in magistratibus creandis & honoribus deferendis, in comitiis habendis & legibus ferendis, necessaria populi & cognitio & authoritas & consensus fuit. Lycurgum sanctissimum legislatorem idem fecisse legimus. Is divinis legibus Laconum Rempublicam ita instituit, Regibus militiæ administrationem & bellorum potestatem, principibus civitatis magistratus, magistratibus judicia & annuas successiones, senatui custodiam legum, populo sublegendi senatum, creandique quos vellet magistratus, potestatem permisit.

SECTIO X. Altera Divisio respicit ordinem & censum quæ post exactos Reges maxime inveteravit crescente Imperio. Ita cives Romani aut senatores, aut equites, aut de plebe. Singula Divisionis hujus membra persequamur, & verba priori loco faciamus de senatoribus, videlicet qui sunt senatores, unde dicti quando & quomodo primum instituti, ex quibus constaret senatus, quis eorum esset numerus, quæ eorum potestas & auctoritas, ubi & quibus diebus more Romanorum senatus haberi, qui senatum cogere, qui in senatu sententias rogare & dicere, qui senatum ingredi possent, quæ in senatu procedendi forma observata, quæ ornamenta, quis senatorum esset census. Denique alia collectu laboriosa, scitu digna, memoratu jucunda, & ad antiquitatum ac historiarum cognitionem conducentia, proferamus.

Senatores sunt, qui prudentia & consilio, cives Remque publicam haud secus ac senex juvenem, aut pater filium, gubernant. Quamobrem eorum consilium consultumque à consu-

sulendo & tractando est dictum: quod sic fit, ut consulat, & nocere non possit: atque senatusconsultum habetur, quod tantum senatores populis consulendo decernunt. Senatores dicti sunt ab ætate ad senium vergente, quod senes in principio à Romulo in senatum electi fuerint: vel à sinendo, (ut visum aliis apud Isidorum Orig. lib. IX. C. IV.) quod nihil in Rep. sine eorum jussu fierent, & magistratibus faciendi potestatem darent. Hinc illa passim in Historiarum monumentis: Fit SC. ut provideant Consules, Prætores, cæterique magistratus, ne quid Respubl. detrimenti capiat: Si modo patres auctores sint: id est sinant. populus enim omnia patribus auctoribus & permittentibus consciscere solebat: & quisque magistratus legem laturus, prius ad senatum de rogatione nisi seditiosus esset, referebat. Quocirca curæ publicæ senatores invigilabant, & adeo vigiles atque assidui esse tenebantur, ut nemini eorum ab Urbe abesse liceret, nisi impetrata venia & legatione libera: id Numa instituisse videtur. Lucanus;

Rus vacuum, quod non habitet nisi nocte coacta
Invitus, questusque Numam jussisse senator.

Cujus tempus indefinitum erat, & quamdiu vellent, abesse poterant ante consulatum Ciceronis, in quo ille statuit annuum tempus liberæ legationis. Augustus summam rerum nactus etiam cavit, ne senatores ex Italia nisi jussu aut permissu suo proficiscerentur: id quod post sub reliquis Imperatoribus obtinuit. Non enim jus erat senatoribus proficisci extra Italiam, nisi in Siciliam aut provinciam Narbonensem. Poterant namque in has provincias abire non habita discedendi licentia, quod proximæ esset, & quod eas incolerent homines inermes.

SECTIO XI. Romulus primus omnium Senatores instituit, ut essent quos curæ participes haberet, & quibuscum Rempublicam gereret. Instituit autem hoc modo; ex omnibus unum præcipuum ipse declaravit, (auctor Dionysius) cui rerum urbanarum regimen committeret, quoties ipse foras duceret exercitum. Præterea tribum unamquamque (tres tum erant) jussit tres viros seligere, qui per ætatem maxime saperent, & genere præcellerent: post hos novem, mandavit singulis curiis (quæ tunc triginta erant) ut è patriciis ternos (sic Patricii ante Senatores instituti) eligerent maxime idoneos: adjectisque ad illos novem quos tribus legerant, his XC. promotis curiarum suffragiis, & omnibus præfecto duce, quem ipse secreverat, centenarium explevit Senatorum numerum. Hoc consistorium Græco more Senatum appellare licet, sicque usque in præsens tempus Romani vocitant.

Romulum primo decem curias Senatorum elegisse, deinde eos in tabulas aureas relatos curiarum consensu confirmasse, Isidorus literarum monumentis mandavit. *Patres Conscripti* (inquit) *dicti, quia dum Romulus decem curias senatorum elegisset, nomina eorum præsente populo in tabulas aureas contulit, atque inde Patres conscripti vocati.* [*Origin. l.* IX. *cap.* IV.] *Hæc unde sint, quærendum: & consulendus Dionysius. Neque tamen sic satis placere possunt, neque si tabulas aureas in areas commutes, adducemur, ut hæc non adulterina sint.*]

SECTIO XII. Senatus primum ex solis patriciis adultis, postea etiam ex plebeiis constabat, postquam plebi curia & magistratus patuerint. Ita ab initio vere dicere potuisses, est senator, ergo patricius; non autem, est patricius, ergo senator. Siquidem non omnibus patriciis in curiam aditus, sed solis consilio pollentibus patebat: & quamvis senatoria quisque origine essent, tamen usque ad legitimum annum, utpote trigesimum, quo senatores legi in senatum consueverant, extra summum illum ordinem remanebant: deinde accipiebant senatoriæ dignitatis honorem. Temporibus autem inde subsecutis nequaquam vere dixisses, est senator, ergo patricius: est patricius, ergo senator: cum senatus ex viris patricii sanguinis & plebeii conficeretur. Quare patricii, alii senatores, alii equites, alii de plebe fuerant. Nam si nondum in senatum essent lecti, equestris ordinis dicebantur, modo quisque equestri censu esset, H. S. scilicet quadringenta millia possideret: alioquin de plebe: Horatius:

Si quadringentis sex septem millia desint;
Plebs eris ——

Unde Catilina patricio genere natus, apud socios suos ac conspirationis nefariæ participes, questus est, se cæterosque nobiles ob rei familiaris angustiam juxta ignobiles, vulgus fuisse. Sin ex equestri ordine in senatoriam dignitatem asciti essent, tum & ordinis senatorii dicebantur, & inter eos quidem censebantur, ut si quid summo hoc ordinis gradu indignum commisissent, senatu moverentur: qui deinde cum equitum centuriæ recenserentur, inter equites, quoniam equum publicum haberent, citabantur; ut si ullum facinus equite Romano minus dignum perpetrassent, equum publicum, annulum aureum & equestria insignia amitterent. Testes, Claudius Nero, Livius Salinator, ambo Censores, ambo Romani Imperii clarissima lumina, & secundi belli Punici temporibus firmissima latera: sed æmulatione & simulatione diffidentes, qui cum equites recognoscerent, alter alteri equum ademit, quos tamen ante inter senatores censos fuisse dubitari non potest. Præterea iis nondum in senatorium ordinem à censoribus electis, honores gerebant aut gesserant: in curiam aditus dabatur. Senatores tamen non fuisse Festus & Gellius tradunt. Quandoquidem non quicunque jus adeundi curiam, & dicendi in senatu sententiam habebant, senatores erant: quia illi post lustrum conditum ex minoribus magistratum ceperunt, & in senatu sententiam dicebant, & non vocabantur senatores, antequam inter seniores essent censi. At Attinius plebiscito suo non plebis modo libertatem defendit, Trib. pl. in curiam ingressum patefecit, verum etiam potestatis tribunitiæ dignitatem auxit, scivitque, ut quem tribunum plebis creasset, hoc ipso in posterum senator esset. M. Pupio Pisone & M. Val. Messala Coss. anno U. C. DCXCII, omnes eos, qui magistratus gesserant, in senatum censores provexerunt. Pompeius magnus Ponticis gentibus & Bithynicis subactis, Romanæ civitatis instituta secutus, legem dedit, ne quis annis XXX minor magistratum iniret, neve in curia esset: sin vero magistratum cepisset, & in senatu esse liceret. Etenim moris erat, ut Romani magistratus secundum Romanæ civitatis instituta, leges darent nationibus devictis, vel sociis amicisque eas petentibus; quæ leges sociis amicisque datæ ab eo, qui haberet imperium à pop. Rom., auctori-

toritatem legum dandarum à senatu, solebant & populi Romani & senatus existimari. Senatus ex libertinis & servis aliquando conflatus est. Nam C. Cæsar firmandæ suæ potestatis gratia, libertinos: & Triumviri, Antonius, Octavius, Lepidus servos in senatorum numerum cooptarunt. Et quod majus est, Eutropium servum Theodosii tempore Consulem factum certum est. Cæterum eorum, ex quibus senatus constabat, alii erant honorati; id est, curuli magistratu defuncti: alii nondum aliquo magistratu functi. Itaque ex Gab. Basso apud Gellium didicimus, senatores in veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent, quæ ob eam causam curulis appellaretur. Sed eos senatores qui magistratum curulem nondum ceperant, itavisse pedibus in curiam. Propterea Senatores nondum majoribus, ut Censura, Ædilitate, Consulatu, & Dictatura functos, pedarios quodammodo nominatos.

SECTIO XIII. Patrum numerus varius fuit; sub Romulo senatores centum numero fuerunt: aucti deinde à Prisco & Bruto ad trecentos: Ciceronis tempestate, CCCCXV erant: C. vero Cæsaris, DCCCC. Deinceps post Rempublicam ab eodem occupatam supra mille, qui senatores obortivi dicebantur. Mox Octavius Augustus affluentem senatorum numerum, ad splendorem, modum, & pristinum numerum non primum & antiquiorem, sed medium, utpote pene sexcentos, redegit: & eorum nomina scripta in albo proposuit (quod ex eo tempore quotannis fieri consuevit) iisque qui sine causa desiissent in senatum venire, mulctam dixit: post vero, quoniam jam solebant impune relinqui, propter magnam multitudinem eorum qui in pœnam inciderent, jussit, quoties multi deliquissent, ut inter eos sortes ducerentur, quibus ductis, quintus quisque pœnas persolveret.

SECTIO XIV. Senatus magna & potestas & auctoritas fuit. Nam hujus erat provincias Consulibus & Prætoribus, Proconsulibus & Proprætoribus, lege Sempronia decernere: subrogare Provincialibus magistratibus successores: delegare ad militiam Imperatores; tamen Licinius Lucullus sine SC. bellum intulit, & die dicta, quod gessisset ejus ordinis injussu, absolutus est: mittere exercitibus supplementa, frumentum, vestitus, stipendia: Imperatorum acta, consilia, proposita, confirmare vel irrita reddere: de ærario erogare in usus publicos, ut ludos, tecta publica, opera publica, templa, & loca fluviorum, stagnorum, hortorum, metallorum. Nam Quæstoribus Tribunisque ærariis, ne ad particulares quidem usus, integrum erat aliquid expendere sine Senatorum decreto, nisi in Consules tantum, quibus potestas fuerat sumptus ex ærario publico, quantum ipsis videbatur, sumere, Quæstore ad hoc ipsos consequente, & imperata incunctanter faciente. Hæc præterea ad Senatum pertinebant; publicas controversias dirimere, judices dare plurimarum tam publicarum quam privatarum conciliationum, & criminum sceleris magnitudinem habentium: punire quæcunque commissa flagitia, utpote proditionis, conjurationis, veneficii, & cædis dolo malo perpetratæ: Civitates quoque in fide fluctuantes aut confirmare, aut objurgare: auxilium aut præsidium sociis civitatibus & provinciis decer-

A nere: diffidentes Reges, populos, provincias, per legatos conciliare atque diffidia componere: Subactis nationibus leges dare, aut ducis exercitus arbitrio committere: ad ducum & imperatorum postulata respondere, actaque eorum audire; victoribus solennia triumphi vel concedere vel negare; respondere exterarum legatis gentium, mittere ad exteras gentes legatos, qui vel bellum indicerent, vel res abactas repeterent, vel cum eis de rupta fide expostularent, vel cum eis amicitiam & societatem jungerent, vel res & controversias componerent, vel cum eis fœdus facerent, aut in fœ-

B dere & fide confirmarent.

SECTIO XV. Sed hæc Senatorum ampla auctoritas, partim contempta, partim invidorum ac seditiosorum civium legibus debilitata est, non sine ingenti ordinum contentione, & Reipublicæ procella. Quandoquidem Publilia & Mænia, quibuscunque de rebus comitiis centuriatis ferendis consentire, & ante inita centuriarum suffragia, in incertum comitiorum eventum auctores fieri, patres tenebantur. Verum Sulla hac in parte diminutam senatus potentiam in comitiis restituit, sanciendo, ne quid ad populum referretur, nisi quod

C antea à senatu confirmatum fuisset. Lege Publilia, Hortensia, Horatia, senatorii viri plebiscitis astringebantur, cum antea soli plebeii plebis decretis tenerentur. Vatinius sua rogatione eripuit Senatui provinciæ decernendæ potestatem, Imperatoris deligendi judicium, ærarii dispensationem, quæ nunquam sibi populus Romanus appetiverat, quæque nunquam à summi consilii gubernatione auferre est conatus. Quinetiam leges Agrariæ, judiciariæ, & permultæ aliæ (de quibus alias dicemus) Senatorum vires maxime fregerunt. Cæterum occupata à Julio Republica prisca, cum Senatus auctori-

D tas interiit, tum Reipublicæ forma mutata est.

—— *Non tunc regnare pudebat,*
Nec color Imperii, nec frons erat ulla Senatus.

Sub Augusto tamen popularis imperii, atque senatoriæ auctoritatis umbra relicta. Is multas leges condebat, non suo consilio, sed eas ad populum ferebat, atque omnibus iis (more antiquo) qui possent, emendandi potestatem faciebat; consultabat quoque de multis rebus cum Consulibus & optimatibus. Nam & for-

E te quindecim Senatores adhibebat in consilium in sex menses, cum quibus nonnunquam jus reddebat. Quinetiam Senatus per se judicabat ut antea, dabat responsa legatis quorumdam Regum & populorum, Senatorésque absente Cæsare consultabant, atque eorum scribebatur sententia; quanquam sine effectu erat, quod rata non esset sine Cæsaris auctoritate: videlicet, nisi certa ejus ac manifesta accessisset voluntas. Sub reliquis vero Imperatoribus, usque ad Theodosii imperium, aut raro aut nunquam Senatus & Reipublicæ umbra fuit. Pseudantoninus Senatum nonnunquam ita contempsit, ut Se-

F natores mancipia togata appellaret (siquidem pone Imperatoris currum sequebantur) populum vero Romanum unius fundi cultorem, equestrem ordinem in nullo loco habens. Sed merito eum omnes omnium ordinum Romani contempserunt, ejusque cadaveri illuserunt, quod per pontem Æmilium annexo pondere, ne fluitaret, neve unquam sepeliri posset, in Tiberim abjectum est. Theodosii denique tem-

tempestate, opera Stiliconis; Senatus auctoritas restituta est. Claudianus:

Neglectum Stilico tot jam per secula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia patres,
Decretoque togæ fœlix legionibus iret
Tessera: Romuleas leges remeasse fatemur,
Cum procerum jussu famulantia cernimus arma.

SECTIO XVI. Senatores Rempublicam administrabant; & quicquid ad civium commoda pertineret, convocato senatu ab eo qui vocandi jus haberet, suis sententiis, rogante eo qui vocaverat, si alius magistratus in eo concilio dignitate non præiret; expediebant. Senatus habebatur vel in Urbe, vel extra Urbem: extra Urbem, in æde Bellonæ dabatur senatus præsertim triumphum postulantibus, & exterarum gentium legatis, quos Urbem ingredi nolebant: in Urbe, modo in templo Apollinis, modo in delubro Concordiæ, modo in hoc, modo in illo templo; plerumque in Capitolium convenire solebant, si de bello alicui populo inferendo deliberandum esset. Nefas autem erat senatum alibi haberi, quam in loco augurato, proinde in curia Hostilia, in Pompeia, in Julia: & per augures dicato, quod Templum appellaretur. Locus in quo senatores considebant dictus est Senaculum, Græce βελδυτήριον: prope quod senatores habitare sueverunt, ut vocati ocyus in curiam properarent. Senacula Romæ tria fuisse, me docuit Festus; unum ubi erat ædes Concordiæ, in quo cum senioribus magistratus solebant deliberare; alterum ad portam Capenam; tertium intra ædem Bellonæ. Posui paulo ante, nefas fuisse alibi senatum haberi, quam in loco augurato dicatoque: At anno U. C. CCXCIX & CCCX, dum plebs secessiones minitaretur, atque seditiones agitaret, Consules intra privatos parietes cœtum patrum habuisse proditum est.

SECTIO XVII. Senatus omnibus diebus haberi poterat, quibus lex vel consuetudo minime repugnaret. Nefas fuit senatum haberi ante solem exortum aut occasum. Tullus tamen Hostilius ante mediam noctem senatores convocavit, ut Metii Suffetii & cæterorum Albanorum proditionem narraret. A. Postumius Consul anno U. C. CCXC. Æquis & Volscis Romanos bello urgentibus, patres per præcones domibus excitos noctu in curiam convocavit, factumque est Senatusconsultum, antequam clara illuxisset dies. Noctu etiam in Dictatoris renuntiatione Senatores quandoque conveniebant; dixi quandoque, quia plerumque sine Senatorum præsentia vel in castris Dictator à Consule dicebatur. Augustus statuit ne sæpius quam bis in mense legitimus senatus (indictus senatus pro re nata indicebatur) ageretur, Calendis scilicet, & Idibus. Comitialibus diebus senatum convocari lex Pupia vetabat, ne senatores à suffragiis ferendis avocarentur: ante eam legem poterat quidem haberi, & post eam, ut declarat Cicero ad Q. fratrem lib. II. Epist. XII. Ex consuetudine Romanorum mensis Februarius exterarum nationum legatis audiendis tribui solebat: unde toto hoc mense senatus haberi non potuit, nisi perfectis legationibus, aut in aliud tempus rejectis.

SECTIO XVIII. Ut non omni in loco, nec quibuslibet diebus; ita nec haberi ab omnibus senatus poterat. Quare senatum convocare solis Magistratibus, & non cunctis, permissum est. Cogendi habendique senatum jus habuerunt Rex, Interrex, Consules, Dictator,

A Decemviri, Tribuni militum consulari potestate, Prætor Urbanus profectis ab Urbe Consulibus, Imperator, Triumviri Reipublicæ constituendæ, & Præfectus Urbi. Horum omnium munus erat, ea de quibus senatores consulerentur proponere, & singulorum sententias colligere. Vocabant quandoque viritim ubi publica res postularet; vel in urbe per præconem senatorum suo quemque nomine ac paterno appellantem: vel ex agris per viatores.

Sed ex Consulibus, cum fuerint duo, uter aliorum sententias rogabat? Ego nullam rationem generis, essentne sanguinis patricii an plebeii: dignitatis, gessissent ne antea ambo aut alteruter magistratum curulem: ordinis, senatorii, equestris an plebeii essent: census, octingenta ne aut quadringenta H. S. millia in bonis haberent: istorum nullam (inquam) rationem in Consulibus habitam fuisse respondeo, & priori loco designatum Consulem, priorem in magistratu sententiam rogasse, sive patricius & plebeius; sive ambo plebeii (quod lege fieri potuit) Consules essent designati. M. Pupius Piso plebeius, sententias in senatu rogavit anno U. C. DCXCII; non ejus collega M. Valerius Messala patricius: Piso ergo ex familia plebeia, patricio anteponitur? recte. cur ita? quia primo designatus, quod & ordo in Capitolinis tabulis confirmat. Spirante Catilinaria procella non prius C. Antonius, sed M. T. Cicero, quod Consul priori loco declaratus, sententias rogavit, uterque nihilominus plebeius, & genere pares erant. Fuerat sane apud veteres Romanos honos, Consul priori loco creari. Refert enim Plutarchus, M. Lepidum ante Q. Catulum, Cn. Pompeio annitente, Consulem esse renuntiatum. Et Cicero de se loquens ait, Prætorem me Pop. Rom. primum fecit, Consulem priorem. Ausonius quoque Gratiano Imperatori gratias agit, quod se priorem Consulem nuncupasset. Ab utroque tamen Consule quam sæpissime senatus scitum & lex denominabatur: & nisi utroque authore patribus in senatum coire non licebat.

SECTIO XIX. Superius qui rogare, nunc qui rogari in senatu solerent, demonstrandum est. Rogabantur primi (non ut in centuriis ac tribubus sortitione, aut in censura censoris voluntate) Consules designati, à quocunque rogante, vel Dictatore vel Consule, si modo post consularia comitia, senatus esset habitus. Et ex designatis Consulibus quis? priori loco designatus. Consul D. Junium Silanum de Catilina & reliquis conjuratis ante omnes rogavit, quod eo tempore primus Consul designatus esset. Ideo designati Consules primo sententiam rogabantur, quod decretorum senatus executio, ad ejus loci senatores plerumque pertineret, quo circumspectiora cautioraque par est esse eorum consilia. Ante vero designatos Consules, arbitratu suo Consul rogabat, non quem vellet ex tota senatorum frequentia, sed è numero consularium, ne consularibus nullo consulatu functi anteponerentur. Ex consularibus is præsertim rogabatur, qui à Censoribus princeps in senatum lectus fuerat. Quidam tamen Consules subito aut necessitate aliqua adducti, quem iis visum erat, honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant. Apud veteres præterea invaluit, ut quem ordinem sententias interrogandi Consul Cal. Jan. (hoc enim mense magistratum inibat) instituisset, eundem toto anno servaret. Sed C. Cæsar neglecta majorum consuetudine, Pompeium post affinita-

nitatem rogare sententiam cœpit, cum antea Crassum rogare instituisset. Deinceps curules magistratus gerentes, & iisdem defunctos, Consul suo nomine quosque appellans, perrogabat. Nam non ædilitios, non prætorios, non consulares, & nullo magistratu curuli functos rogare consuetudo non erat; sed illi in rogatorum sententias pedibus ibant. Octavius tamen ex S. C. obtinuit, ut non solum cum Coss. Hircio & Pansa, pari potestate & imperio suis copiis præesset; verumetiam adhuc nullo magistratu functus inter consulares sententiam diceret. Ordinem eundem in dicendis sententiis Dionysius his verbis complexus est: Cum jam à consessu dicendæ essent sententiæ, primi assurgebant qui ætate & honore inter consulares excellerent, ordine citati à Consulibus: deinde his ætate dignitateque proximi: postremi juniores, non ut dicerent aliquid (id enim adhuc pudori apud Romanos erat, nec ullus juvenis se sapientiorem sene ducebat,) sed ut discederent in consularium sententias. Hunc ordinem Appius Claudius, cæterique Decemviri inverterunt, non ætatis ac dignitatis rationem, sed conjunctionis & sodalitatis habentes. Postremo cum omnes dixissent, sententiæ numerabantur, dijudicabantur, & quæ probata esset, scriptis mandabatur. Jubebantur autem quotquot aderant senatores, quemadmodum solent in judiciis, jurati ferre sententiam. Et sententiam rogatus, jus habebat dicere quicquid vellet, & quoad vellet. M. Cato sententiam olim rogatus à C. Cæsare consule de ea re, quæ ab re videbatur publica, longa oratione usus est, diemque dicendo exemit: cujus prolixitate Cæsar impense offensus, eum cum finem non faceret, prehendi loquentem, & in carcerem ab apparitore duci, jussit: Senatus id indigne ferens consurrexit, & Catonem ad carcerem prosecutus est: ita Julius Cæsar Catonem dimittere coactus est. Cæterum rogatus sententiam dicere, assurgere & stans dicere solebat: & si in dicenda sententia plures res esset complexus, à quovis assidentium rogabatur sententiam dividere, hoc est, de singulis rebus referre. Porro illud relatu dignum, qui senatores essent, aut in senatum aditum haberent, arcana Patrum Conscriptorum consulta promulgare, aut cuipiam enuntiare non solebant. Proinde jure Q. Fabius Maximus à Consulibus objurgatus est, quod P. Crasso, quæ de tertio Punico bello secreto in curia acta erant, imprudenter narraverit.

SECTIO XX. Ingredi senatum & curiam Tribuno plebis nefas erat: sed illi ante valvas positis subselliis, decreta patrum attentissima cura examinabant, ut si quæ ex iis improbassent, rata esse non finerent; si approbassent, T. literam subscriberent: itaque neque senatum cogere, neque in senatu sententiam dicere poterant. M. Valerio, Sp. Virginio Coss. Tribuni plebis auctore Icilio, primum ausi sunt senatum convocare, cum antea tantum in concionibus regnarent, senatum vocare aut sententiam dicere iis non liceret, sed Consulis is honos esset. Imo quinquennio ante Valerii & Virginii consulatum, Volumnio & Sulpitio Coss. in senatum ex consensu Patrum admissi sunt, ut unanimi consensu de Republica tractarent, cum multa prodigia visa essent.

Mulieribus nunquam datum est jus ingrediundi senatum, ne Imperatorum quidem tempore ante Heliogabalum: sub quo mater sua Semiamira loco viri senatum ingressa est, quæ cum venisset vocata ad Consulum subsellia, scri-

A bendo affuit, id est, Senatusconsulti conficiendi testis. Heliogabalo autem in latrina, ad quam confugerat, occiso, cautum est: ne mulier senatum ingrederetur.

Curiam intrare permissum est eis, qui senatorii ordinis non erant, modo magistratum curulem gessissent: & senatorum filiis prætextatis, quibuscum patres introire solebant. Quem morem ad Papirii Prætextati ætatem observatum fuisse legimus; cujus mater pristini moris invertendi causam præbuerat. Ejus historiæ narratione lectoris aures personare mihi liceat, quod

B in se plurimum & leporis & prudentiæ habeat. Mos senatoribus Romæ fuit, in curiam cum prætextatis pueris, mulleis ornatis, introire. Tamen cum in senatu res major quæpiam consulta, eaque in diem posterum prolata est, placuit ut eam rem, super quam tractavissent, ne quis enuntiaret, priusquam decreta esset. Mater Papirii pueri, qui cum parente suo in curia fuerat, percunctata est filium, quidnam in senatu Patres egissent. Puer respondit tacendum esse, neque id dici licere: mulier fit audiendi cupidior. Secretum rei & silentium pueri, animum ejus ad inquirendum everberat. Quærit igitur

C compressius violentiusque. Tunc puer matre urgente lepidi atque festivi mendacii consilium capit; actum in senatu dixit, utrum videretur utilius, exque Rep. esse, unusne ut duas uxores haberet, (sicut Atheniensium decreto sancitum fuerat,) an ut una apud duos nupta esset. Hoc illa ut audivit, animus compavescit: domo trepidans egreditur: ad cæteras matronas pervenit: ad senatum postridie matrum familias caterva, lachrimantes atque obsecrantes orant, una potius ut duobus nupta fieret, quam ut uni duæ: (id quod C. Cæsar post constituerat:

D nam cum luxuria flagraret, Hælio Cinnæ trib. pl. mandavit, ut ipso absente legem ferret, uti uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot ducere vellent, liceret.) Senatores ingredientes curiam, quæ esset illa mulierum intemperies, & quid sibi postulatio vellet, mirabantur. Puer Papirius in medium curiæ progressus, quid mater audire instituisset, quid ipse matri dixisset, rem sicuti fuerat, denarrat: senatus fidem atque ingenium pueri exosculatur; Consultum facit, uti posthac pueri cum patribus in curiam ne introeant, nisi ille Papirius: atque puero postea Prætextati cognomen, tum primum honoris gratia decreto inditum, ob tacen-

E di loquendique in ætate prætexta prudentiam.

SECTIO XXI. Cum res postularet publica, ministri publici ex agris senatores vocabant; qui viatores vocati sunt, quod senatum ducesque subinde ex agris accerserent: Magistratus qui senatum habiturus esset, tenebatur prius auspicari, immolare hostiam, supplicareque thure ac mero apud aram ejus Dei, in cujus templo conveniebant: referebatque prius de rebus divinis quam humanis. Deinde vocabantur senatores in curiam per edictum, cujus hæc circumferuntur verba: SENATORES,

F QUIBUSQUE IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET. Mox eorum percensebantur nomina, eique multa dicebatur, qui cum in senatum venire deberet, non adesset, si modo absentiæ causam non probasset. Senatores intelligo intra sexagesimum annum natos. Nam qui supra hunc annum erant, nec multabantur, nec in curiam venire cogebantur. Ubi in senaculo senatores consedissent, tum qui consulebat, primum summatim id exponebat, de quo sententiæ essent sumendæ, ac

Senatusconsultum faciendum. Fiebat S. C. aut per disceſſionem, ſi conſentirent, in qua Præco dicere ſolebat: QUI HOC CENSETIS, ILLUC TRANSITE; QUI ALIA OMNIA, IN HANC PARTEM: aut ſi res dubia eſſet, per ſingulorum ſententias conquiſitas. Deinde perrogatis omnibus, & una aliqua ſententia comprobata, ad pedes ac ſubſellia Conſulis, Prætoris, aut alterius, qui ſenatum habere, conſulere, rogareque potuerat, ſenatus decretum ſcribebatur. Cui ſolebat adſcribi dies, locus, nomen rogantis, ejus, in cujus ſententiam S. C. factum foret, ejusque qui eidem S. C. intercederet, adnotarique auctoritates ſive nomina eorum qui decreto præsto fuiſſent. Quod conſultum ſenatus ita demum firmum, ſtabile, & ratum eſſe conſuevit, ſi lex aut interceſſio impedimentum non attuliſſet. Lex impediebat, ſi ante ortum, vel poſt occaſum ſolis factum: ſi definitus lege ſenatorum numerus non affuiſſet. Idcirco cuivis ſenatori impedimentum afferre volenti fas erat, roganti ſententias dicere; Numera ſenatum. Adeſſe autem Auguſti tempeſtate quadringenti debebant; priſcis vero temporibus trecenti, ut refert Prudentius contra Symmachum:

Si conſulta patrum ſubſiſtere conſcriptorum
Non aliter licitum priſco ſub tempore: quam ſi
Tercentum ſenſiſſe ſenes legerentur in unum,
Servemus leges patrias? Infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte ſileſcat.

Senatus quoque conſultum impediebatur per interceſſionem, & ejus qui majorem poteſtatem habebat, vel parem cum eo, qui S. C. facere vellet: & Tribuno pl. quibus curæ erat plebis cum defenſio, tum utilitas. Quapropter mos increbuit, ut hujusmodi clauſula S. C. adderetur: SI QUIS INTERCESSERIT, SENATUI PLACERE AUTORITATEM PERSCRIBI, ET DE EA RE AD SENATUM POPULUMQUE REFERRI. Ubi relata ad ſe S. C. populus probaſſet, ſic ad ſenatum plebes per tribunos ſuos referebat: QUOD SENATUS MAXIMA PARS CENSEAT QUI ASSIDETIS, ID VOLUMUS JUBEMUSQUE. Tandem his omnibus peractis, qui ſenatum habuit, in hæc verba cunctos ſenatores dimittebat: NIHIL VOS MORAMUR, PATRES CONSCRIPTI. Senatusconſulta in ærario reponebantur: primis autem temporibus arbitrio Conſulum ſupprimebantur, nuntiabanturque; idcirco in ſecunda ſeceſſione plebis, ubi primum Decemviri ſe magiſtratu abdicaſſent, M. Horatius & L. Valerius Coſs. legem popularem tulerunt ut Senatusconſulta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur. Cæterum, quia mentionem fecimus de Senatus decreto & conſulto, non abs re erit illorum differentiam ſubjungere. Senatus Decretum à Conſulto Ælius Gallus apud Feſtum ſic diſtinguit, ut id dicat particulam quandam eſſe Senatusconſulti, uti cum provincia alicui decerneretur, quod tamen ipſum Senatusconſulti eſt. Denique ſenatus decreta ſive conſulta perpetuæ legis vim non habuiſſe, ſed fuiſſe inſtituta unius anni, Dionyſius auctor eſt in anno ducenteſimo octogeſimo primo.

SECTIO XXII. De ornamentis ſenatoriis jam pauca proferam. Senatorum omnium communia ornamenta fuerunt, lati clavi, tunica, calcei lunati, toga prætexta, annulus:

A Senatorum qui magiſtratus geſſerant, præter ſuperiora etiam ſella curulis, ſtatuæ, dona in magiſtratu accepta, toga picta & palmata, corona triumphalis: Senatorum vero qui magiſtratus gerebant, locus, auctoritas, domi ſplendor, apud exteras nationes nomen & gratia, faſces, ſecures, tribunal, domi toga, militiæ paludamentum, ſagum purpureum, exercitus, imperia, provinciæ. Poſui inter communia ſenatorum ornamenta & annulum; cur ita; cum annuli equeſtrem ordinem à plebeio diſtinxerint, ſicuti tunica ab equitibus ſenatum tantum? B Quanquam Senatores & Equites, annulis ab initio uſi non ſint; tamen ex Plinii monumentis didicimus, ſenatores ante equites annulis primum ferreis, deinde aureis uſos. Quorum annulorum frequentior uſus, non ante Cn. Flavium ſcribam Appii Cœci deprehenditur. Nam P. Sempronio Longo & L. Sulpitio Coſs. cum populus eum, qui jus civile ſolis Pontificibus & patriciis cognitum vulgaverat, Ædilem curulem creaſſet, ſenatus cum nobilitate tanta indignatione exarſit, ut annulos ab eo abjectos, ab equeſtri vero ordine non annulos, ſed phaleras depoſitas fuiſſe, in antiquiſſimis reperiatur an- C nalibus. Poſt etiam equites annulos, ceu ſenatores ſumpſere, quibus à plebeiis ſeparati fuere, ut ſemel cœperunt eſſe celebres. Ornamenta Rom. peculiaria quidam vel mutarunt, vel peregrina Romanis addiderunt. Gabinius Poſthumius palliatus Alexandriæ; Sulla chlamydatus & crepidatus Neapoli ambulavit Quidam mitellam ſumpſerunt. P. Scipio Africanus in Sicilia antequam in Africam trajiceret, pallio & crepidis uſus eſt. L. Scipioni Aſiatico, ſtatua in Capitolio erecta eſt, chlamyde & crepidis ornata: quod eo habitu uſus eſſet. P. Rutilius D Mithridatis crudelitatem in togatos ſive Romanos evitavit, ſumendo pro calceis Romanis ſoccos, pro toga pallium. Senatores etiam orcheſtra maxime ornabat, ubi ſeparatim ab equitibus & plebeiis ludos ſpectabant, cum ab initio permixti equitibus & plebeiis, ludos ac munera ædilitia ſpectarent. Nam Scipio Africanus & Sempronius Longus primi fuiſſe dicuntur, qui in ſpectandis ludis patres à populo ſecreverunt, quam ſecretionem plebs Romana quam moleſtiſſime tulit, adverſus Conſules indignata, qui honorem ſenatorii ordinis extuliſſe, ſuum contempſiſſe, viſi erant: & ipſum Africanum E aliquando pœnituiſſe tradit Plutarchus, ſe veteris moris tollendi, novi introducendi auctorem fuiſſe.

SECTIO XXIII. Nunc de cenſu ſenatorio, de quo ſermonem facere inſtitui. Senatorum cenſus fuit octingenta millia ſeſtertium, viginti ſcilicet millia coronatorum. Ita equeſtri cenſu duplo plus. Equitum enim cenſus erat quadringenta H. S. millia, hoc eſt coronatorum decem millia. Cenſus ii ad imperatorum tempora valuerunt, ſub quibus utriusque ordinis cenſus varius, nunc diminutus, nunc auctus fuerat: ut patet ex Senatorum cenſu ſub Auguſto amplia- F to; qui pro octingentorum millium ſumma, duodecies H. S. taxavit, id eſt triginta millia coronatorum. Sed ſeſtertium quadringenta, aut octingenta poſſideo, equesne ſum aut ſenator? minime: non enim dat cenſus, ut eques aut ſenator neceſſario ſis; ſed ut eſſe poſſis: neque propter opes honos datur, ſed ob inopiam negatur: nec receptus rejicitur, aut ſenatu ob egeſtatem movetur. Quam enim eſſet inhumanum & inhoneſtum, ne dicam Reipublicæ incommodiſſimum, Valerium Publicolam tyrannidis vin-

vindicem, & libertatis conditorem, Menenium Agrippam ordinum reconciliatorem; Æmilium Paulum Macedonicum; Scipionem Æmilianum Carthaginiensis ac Numantini excidii ducem, cujus opes XXXII. libras argenti, duas & semilibram auri non excesserant; C. Fabricium, Æmilium Papum, Attilium Calatinum, quos solum versantes, glebas cum sudore dissipantes, semen aspergentes, ad Consulatum & imperium suscipiendum Respublica accersérat, quorum rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabiliverunt; Cn. Scipionem, Attilium Regulum, Mummium Achaicum, Fabium Rutilianum, Q. Cincinnatum septem tantum agri jugera possidentem, cum aliis infinitis bene de populo Romano meritis; quàm (inquam) inhumanissimum esset, ob patrimonii angustiam Senatorio ordine movisse, qui ipsi sine opibus opes cumulatissimas, imperia & regna, Reipublicæ acquisiverunt. Quorum virtute Roma ad tantum fastigium pervenit, nec unquam tales genuisse pœnituit: Sed his semper Romana ætas gloriabitur. Horum indigentia indigentes consolari, imo locupletes docere potuit ac potest, quàm non sit necessaria solidæ laudis cupidini, anxia divitiarum comparatio. Non modo egentes senatores ordine non motos, sed & excellentes viros florescente Reipublicæ statu, crescente Imperio, posthabita paupertatis ratione à Censoribus in senatorium ordinem, allectos & censos fuisse, existimo. Testis M. Scaurus, & plerique nuper à me nominati, qui parce, sobrie, & non avare viventes, exigua accepta patrimonia, pariter angusta reliquerunt: quos tamen in summo ordine, ac inter senatores censos fuisse, Historiarum, & antiquitatum monumenta prodiderunt. Sub Principibus etiam, quibus tenues erant facultates, in equestrem ordinem assumebantur. Testis ipse Martialis de se:

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper:
Sed non obscurus, nec male notus eques.

Etenim ante bellum tertium Punicum & Asiaticas delitias in Urbem invectas, non tam arcte civium (præcipue vero fortium virorum) patrimonia, & privatas res censebant, quàm vitia castigabant: probitatem, continentiam, & facta omnia, censorio supercilio examinabant: bonos & virtute præstantes, beneque de patria meritos, ad ordines & dignitates promovebant, sicut impios & vitiis contaminatos exauctorabant. Nam virtutes, non divitiæ, decus ac gloriam; vitia vero, dedecus hominibus comparare solent. Recte Zonaras censorum munus fuisse tradit; Vitam civium examinare ac notare, laude quidem dignos in tribus, in equestrem ordinem, in senatum adscribere, prout singulis convenire existimabant: minus autem probe viventes, eodem modo ex albo & ordine delere. Romani certe post annum U. C. CDLXVII. quo plebs in Janiculum secessit, usque ad annum DCIV. quo bellum tertium Punicum cœpit, cum opibus & potentia, tum virtute vere floruisse dicuntur. Tunc enim nulla nobilium discordia, nulla Reipublicæ procella, nullus ordinum motus: sed summa honorum & rerum omnium communio viguit: nulli humanarum rerum concupiscentia, sed gloriæ & virtutis certamine tenebantur: hostem ferire, muros ascendere, vallum transcendere, in vitæ discrimen pro salute communi properare, occumbere, gloriosa & nobilia habebantur: paupertatem etiam pro Republica susceptam Cen-

A sores plurimi æstimabant. Quia tunc nullum in privata re cumulanda augendaque, sed omne omnium in amplificanda Republica ac propagando Imperio, studium erat collocatum: & summus in Romana civitate paupertati ac parcimoniæ honos dabatur: atque quisque se quam Rempublicam egere, virtute ac præclare factis quam divitiis cæteros anteire, filias à Republica quàm à se dotari, agros ob merita donari quàm à parentibus relinqui, funera publice quàm ex privato patrimonio erogari malebat. Nullum tunc aut certe parvum argentum, non magnas servorum catervas, pauca sterilis & ari-
B dæ terræ jugera; indigentiam domesticam, publice impensa funera, nobilium filias dotum inopes; egregios tamen Consulatus, mirificas Dictaturas; innumerabiles triumphos Roma cernebat. Quorsum igitur Censores post invectas divitias, non morum potius, quàm bonorum in legendis senatoribus rationem habuerunt? Quorsum extremi temporis Romani, mendicam fortunam (ut cum Valerio loquar) velut unicum generis humani malum, diuturnis conviciis lacerarunt? Quæ ut non abundantibus, ita fidis uberibus, Publicolas, Scauros, Attilios, Sci-
C piones, Fabios, Fabricios, Curios, hisque paria lumina, & virtutis robora produxit, nutrivit. Quorsum animos ipsorum pecuniæ aspectu & illecebris irretitos pristini temporis memoria non recrearunt? Nam hujusmodi virorum indigentiæ nullæ opes possunt præferri: & horum paupertas illos potuit erudire non largitionibus ac divitiis, sed sola virtute honores & ordines acquiri. Verum ubi integerrimorum justitia, abstinentia, fortitudine, Respublica crevit: Reges opulenti bello domiti, Macedonia, Achaia, & populi ingentes vi subacti, Numantia funditus eversa, Carthago æmula Romani Imperii ab stirpe interiit, cuncta maria terræ-
D que patebant: pro fortitudine, pro continentia, pro justitia, audacia, largitio, avaritia, ambitio invadere, ac vigere cœperunt: & corruptos homines pecuniæ imperiique cupido (materies omnium malorum) occupavit, probitatem fidemque subvertit. Tunc clarissimorum labore & virtute Reipublicæ acquisita deripere; publica privata efficere; paterno labore parta abligurire, & in conviviis obedere, quam pari sudore augere; non virtute, sed acervata pecunia concives vincere singuli cogitabant: ordines, honores, ac magistratus ambientes, illos, aut vi, aut gratia, aut opibus acquirebant: Censo-
E res magis enixe quam antea cujusque res censere, nec ad Senatorium & Equestrem ordinem, nisi divitiis affluentes provehere consueverunt. Tunc enim (ut cum Plinio dicam) laxitas mundi, & amplitudo Populi Romani damno fuit, postquam senator censu legi cœptus, judex censu fieri, ad ordinem censu promoveri, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census: postquam cœpere orbitas in auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, passim maluere aliena vitia quam virtutes amplecti, omnesque à maximo bono liberales dictæ artes &
F majorum instituta in contrarium cecidere. Tunc hercule voluptas vivere cœpit, vita ipsa desiit: tum falsi, perduellionis, majestatis, peculatus, ambitus, repetundarum judicia contra scelere coopertos, avaritia & ambitione flagrantes, decreta sunt: cum prioribus seculis fere inaudita fuerint, nec ulli animi in tam paupere civitate largitioni, cupiditati, & ambitioni, nisi de virtute, patuerint.

Denique ut de Senatorum censu plura dicere supersedeam, illud minime prætereundum est, Censores in eis recensendis omnium continentissimum senatus principem constituere solitos: quod apud Romanos perhonorarium fuit, quodque genus honoris iis tantum viris deferri consuevit, qui authoritatem & gloriam maximis in Rempublicam meritis, præstantissimisque rebus gestis, essent consecuti. Ut in senatum legi, ita solebant senatu moveri, vel Censorum notatione, vel lege, quam tulit Cassius trib. pl. anno U. C. DCLIII, Mario & Flacco Coss. Cavit enim, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, ne in senatu esset. Quid si nec à populo damnati essent senatores, nec à Censoribus moti, sed silentio tantum præteriti? Ordinem non amittebant, verum inclinante Republica ignominiosi erant. Nam præteriti senatores quondam in opprobrio haud erant; quod, ut Reges sibi legebant, sublegebantque, quos in consilio publico haberent; ita post exactos eos, Consules quoque &Trib. Mil. Consulari potestate conjunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant; donec lex Ovinia tribunitia intervenit, qua sancitum est, ut Censores ex omni ordine optimum quemque curiatim in senatum legerent; quo factum est, ut præteriti senatores juxta loco moti haberentur ignominiosi. Pro senatoribus legem tulit Appius Claudius, sanciens ne quem censores in legendo præterirent, neve aliqua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque sententia esset damnatus.

SECTIO XXIV. Hactenus de Senatoribus, & senatorio ordine: proximus huic dignitati est ordo Equester. Equites Romulus primus instituit, & in tres centurias distribuit; quas suo nomine Ramnenses, à Tito Tatio Tatienses, à Lucumone vel Luco Luceres, appellavit: Dicti etiam sunt sub Romulo Regibusque, Celeres, post Flexumines, deinceps Trossuli. Trecentos deinde Tarquinius Priscus addidit: ita Romæ sexcenti Equites fuerunt; isque numerus fere semper omni Reipublicæ tempore observatus, quod vel ex subjectis auctorum testimoniis probatur. Valerius: *Equestris ordinis maxima pars, quadringenti juvenes, equis publicis spoliati, & inter ærarios à M. Valerio & L. Sempronio Censoribus relati fuerunt; quod in Sicilia ad munitionum opus explicandum ire jussi, facere id neglexerant.* Sed multo apertius Seneca in Ludo de morte Claudii Cæsaris: *Occisos* (inquit) *senatores* XXX, *equites Romanos* CCCXV. *atque plures: cæteri* CCXXI. *arena pulvisque fuerunt.*

Quanquam Equites ab initio semper in Republica Romana fuerint; eorum tamen Romæ multis annis nullus fuit ordo, nulla auctoritas, nullus census. Nam duo tantum erant ordines, senatorius & plebeius, usque ad Gracchorum tempora: Hi judicum appellatione separare (equites enim antea plebeiis miscebantur) eum ordinem primi omnium instituêre, discordi popularitate in contumeliam senatus; mox ea debellata, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, & aliquandiu tertiæ vires publicani fuere. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo se ordine provectum esse celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens. Itaque ab Ciceronis consulatu plane hoc tertium corpus in Republica factum est, cœpitque adjici Senatui, populoque Romano Equester ordo: qua de causa equester ordo post plebeium scribebatur, quia novissime cœptus est adjici, inque Republica esse.

Auctoritas autem Equitum tum cœpit, cum magistratus curules & patricios, sicuti plebeii, acquisivissent, & legibus Gracchi ac Cœpionis ad se transtulissent judicia, quæ ante in senatorum potestate erant, annis fere DCXXIX. Nam Sempronius Gracchus legem tulit, anno U. C. DCXXX, ut penes solum Equestrem ordinem essent judicia. Id indigne ferentes senatores cum Servilio Cæpione Consule egerunt, ut legem de judiciis inter equitem & senatum communicandis ferret. Hujus lege, equitum potestas communicata est, non diminuta: quia sexcenti equites, ut antea, cum trecentis senatoribus judicabant. Diminuta autem legibus Livii, Sullæ, & Cottæ; quæ inde sunt secutæ: M. enim Livius Drusus Trib. pl. anno. U. C. DCLXII rogatione sua cavit, ut æqua ex parte equites & senatores judicia exercerent. Cornelius Sulla Dictator anno DCLXXIII. equestri ordini adempta judicia, ad senatum transtulit. Denique Aurelius Cotta inter tres ordines judicia communicavit, Senatores, Equites, & Tribunos Ærarios. Præterea soli Equites pop. Rom. vectigalia à Censoribus in quinquennium locata, conducere consueverunt, indeque quod publica conducerent Publicani dicti. Isti erant nobilissimi quique equestris ordinis. Flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ publicanorum ordine continebatur. Isti societates tot inibant, quot erant Reipublicæ provinciæ vectigales.

SECTIO XXV. Hæc de Equitum potestate. Census vero eorum ante Servium Tullium non extitit, qui primus eum instituit: census die illos per forum sua manu equum ad Censores traduxisse ferunt. Equestris autem ordinis juventus singulis annis bis in magna celebritate spectaculum sui præbebat; mense Februario, die Lupercalium, quem morem Romulus instituit; & equitum probatione. Porro Q. Fabius Rutilianus, equites trabeatos Idibus Quintilibus equis insidentes, ab æde Honoris per Urbem in Capitolium transire primus fecit. Ista solennitas instituta est in honorem ac memoriam Castoris & Pollucis, quod anno U. C. CCLVII. Romanis contra Latinos præliantibus affuissent. Nam sacrificio per primores equestris ordinis Idibus Quintilibus peracto, transvectio equitum fiebat, qui per tribus & centurias distributi, ordine in equis vehebantur, omnes quasi è pugna redirent coronati fronde oleaginea, & palmatis è purpura togis amicti, quas vocabant trabeas, initio pompæ facto ab æde (de æde dissentiunt Dionysius & Plinius De viris illustr.) Martis, quæ extra urbem sita est, & tum cæteras urbis partes per forum transeuntes, tum ædem Castoris prætereuntes, nonnunquam quinque virorum millia, gerentes quæcunque fortitudinis præmia, in præliis acceperunt à ducibus. Erat & aliud celebre Equitum institutum. Mos namque Equitibus fuit Romæ, cum per legitimum militiæ tempus fecissent stipendia, equum per medium forum ducere, coram viris duobus publice præsidentibus, quos Censores nuncupabant, eisque recensere quæ sub quibus ducibus stipendia meruerant, illorumque censuram subire, qui ut pro cujusque meritis vel laudem, vel infamiam tribuerunt, singulos Equites nomina profitentes rogabant in hæc verba: TUNE MILITIAS OMNES JUXTA DISCIPLINAM ABSOLVISTI?

VISTI, ? Ad quæ Pompeius Magnus cum olim à Censoribus Gellio & Lentulo interrogaretur, lepide respondisse fertur: Absolvi (inquiens) sub meipso imperatore. Hæc prisca fuerunt instituta eorum, qui in equitum ordine & censu erant. Quorum filii honoris gratia equis invecti, ad ludorum certamina, quoties celebrarentur, pompam de Capitolio per forum in Circum Maximum deducere consueverunt. Cæterum, ut suscepto sermoni de Equestri ordine clausula imponatur, inter alia Equitum ornamenta erant annulus aureus, & quatuordecim ordines in theatro, in quibus separati à plebe ludos spectabant. Ab initio commixti plebi spectabant ludos, usque ad M. Othonem, qui primus eos à plebe disjunxit. Quamobrem plebs separationem moleste ferens, Othonem in spectaculum prodeuntem sibilis insectata est; cum Equites contra læto plausu eum susciperent: & iteratis altius sibilis ad jurgia cum Equitibus venit: atque à jurgiis & contumeliis ad manus, sanguinem & cædem ventum esset, si eloquentia Ciceronis non intervenisset, ac theatralem seditionem sustulisset; qua plebeios in æde Bellonæ ad se vocatos adeo modeste increpuit monuitque, ut cum in theatrum rediissent, Othoni alacri plausu alluderent, atque Equitibus de gloria ac laude ejus concertarent. Quibus Equitum in theatro gradibus servandis præficiebantur aliqui, ut sæpius testatur Martialis:

Quadringenta tibi non sunt, Chærestrate, surge:
Lectius ecce venit: sta, fuge, curre, late.

& alibi:

Est & in hoc aliquid, vidit me Roma Tribunum,
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Lectius & Oceanus præfecti erant servandis gradibus, ut scilicet summoverent plebeii ordinis homines in sedibus Equitum sedentes. Juvenalis:

—— & de pulvino surgat equestri
Cujus res legi non sufficit ——

Certe

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi ——

SECTIO XXVI. Transeamus nunc ad ultimam secundæ Divisionis partem, utpote Plebeium ordinem: superius enim divisimus Romanos secundum censum in tres ordines, Senatorium, Equestrem, & Plebeium. De Senatoribus & Equitibus hactenus.

De plebe autem dicebantur cæteri omnes egentes, qui quadringenta, (*cum Equitibus*) aut octingenta, millia nummum (*cum Senatoribus*) non possidebant, sive senatorio, sive equestri loco essent nati. Census enim ordinem, non dignitatem constituebat; nec inter Senatores, aut Equites censebantur, nisi qui tantundem in bonis haberent. Quare plebeii plerumque inopia laborantes, tum militiæ duritiem subire, humi requiescere, inopiam & laborem eodem tempore tolerare cogebantur: tum domi honores ambientium largitionibus, sive candidatorum corruptelis pascebantur, constitutis in singulis tribubus divisoribus ac curiarum magistris, qui corrumpentium munera ac pecunias, in tribus curiasque dividerent. Ita plebeii, dignita-

A tes, magistratus, & suffragia sua (præter quæ nihil amplius habuerunt) venditabant: & candidatos ambitiosos, qui suffragia operamque eorum conduxerant, ad comitia conducebant: principes quoque civitatis & locupletes, per urbem officii gratia sectabantur, ut prandia, cœnas & sportulas, vestimenta, & alia id genus munuscula consequerentur. Horatius:

Non ego ventosæ plebis suffragia venor,
Impensis cœnarum, & tritæ munere vestis.

Præterea à Poëtis & Oratoribus inopes illi Romani conducebantur, ut eis consentirent,

B inque eorum verba jurarent, vociferando *pulchre, bene, recte:*

Ac tunc grande Σοφῶς *clamaret turba togata.*

Denique ita paupertate premebantur, ita penuria, atque fame, veluti rabie quadam agitabantur, ut neque novis rebus studerent, à Patribus secederent, & quam sæpissime maximos tumultus excitarent. Proinde potentiores huic egestati occurrentes, præter prædam ex hostibus captam plurimas opes, multos fertiles agros,

C uberrimas provincias ad inopem hunc ordinem alendum, saturandumque destinarunt; & peculiarem curatorem, quem Præfectum annonæ vocant, instituerunt, ne inopia perciti ventos rapidissimos, & turbines perniciosissimos in Republica excitarent. Idcirco recte Aurelianus Imperator ad Flavium Arabianum scripsit, *Populo Romano saturo nihil esse lætius.*

SECTIO XXVII. Quanquam omnium ordinum pauperrimus esset plebeius, tamen civitatis erat corpus, ut senatus anima: in comitiis tributis dominabatur, centuriatis plurimum poterat. Reges, Romulus, Numa, Hostilius,

D & Martius huic ordini multa largiti sunt: Servius Tullius hujus caussam suscepit, adversus potentiorum violentiam atque injustitiam; patricii huic plurima partim volentes, partim inviti indulserunt: nobiles hujus manus prensarunt, in hujus favore conciliando multum laborarunt: duces bellorum huic gestorum rationem reddiderunt: denique sine hujus ordinis consensu, Senatus neque potuit bellum alicui populo indicere neque magistratus creare, neque leges ferre. Nam dixi superius (Sectione IX) trium maximarum rerum & summe in Republica necessariarum, penes populum ex Ro-

E muli instituto arbitrium fuisse; pacem bellumve indicendi, creandi magistratus tam domi quam militiæ, legesque suis suffragiis ferendi, confirmandi, abrogandi. De quibus rebus populus disceptabat discernebatque latis curiatim suffragiis, & tantum valuit pauperrimi, quantum ditissimi calculus; cumque pauci essent divites ac patricii, pauperes & plebeii in ferendis suffragiis illos numero longe superarunt. Servius autem Tullius id animadvertens, ad divites suffragiorum vim transtulit, constitutis pluribus centuriis divitum, quam pauperum. Sed ex-

F actis Regibus, & institutis à Volerone tributis comitiis anno U. C. CCLXXXI, vim suffragiorum inque comitiis præpotentiam recuperarunt.

Post exactos Reges Valerius Publicola pro plebis libertate simul & potestate, leges sancivit, quibus amplior reddita est ejus potestas, quam sub Regibus: Unam, ne quis magistratum, aut imperium caperet, nisi cui populus dedisset; sacrandoque cum bonis capite ejus qui

contra fecisset, cumque occidi impune liceret; Alteram, ne quis qui provocasset, injussu populi virgis vapularet; aut securi cæderetur. Quæ quidem lex sæpius ab eadem Valeriorum familia renovata est, quia plus paucorum opes poterant, quam plebis libertas. Post, non tantum penes plebem fuit judicium, de Civis Romani judicati condemnatique animadversione; verumetiam judicandi facultas, magistratibus ac senatui adempta. Nam Sempronius Gracchus lege cavit, Ne quis de capite civis Romani injussu populi judicaret; qui judicasset, uti in eum populi animadversio esset. Sic constat de capite civis Romani non modo ferri, sed ne judicari quidem potuisse, nisi centuriatis comitiis, in quibus aliquid poterat plebs. Sed M. Tullius Cicero Lentulum, Cethegum, & reliquos Catilinariæ conjurationis participes, non populi suffragiis, sed senatus sententiis judicatos condemnatosque, in carcere strangulari curavit. Quamobrem P. Claudius trib pl. legem tulit, ut de eis quæstio haberetur, qui cives Romanos sine judicio populi, indictaque causa judicassent, necassentque: & Ciceronem ejectum urbe exilio multavit.

Præterea post Valerium Publicolam, tribunitiis rogationibus magnam in Republica potestatem nacti sunt Plebeii. Nam non modo magistratus, Augures, Pontificem Maximum, & alios sacerdotes creare; verumetiam ipsi magistratus, sacerdotia & judicia (quibus nihil in Republica majus) adipisci potuerunt, & adepti sunt. Quæ cuncta penes solos Patricios fuerunt. Nam primus magistratus, quem adepti sunt plebeii, fuit Decemviratus anno U. C. CCCXXX. quo Idibus Maii Q. Pœtellius, C. Duellius, Sp. Oppius Cornicen, è plebe omnes, cum Ap. Claudio Decemvirorum principe magistratum inierunt. L. Sextilius de plebe primus Consulatum suscepit an. U. C. CCCLXXXVII. Tribunatum autem Militum cum Consulari potestate plebeiorum nemo unquam adeptus est, saltem perraro. Scribit enim T. Livius in annis IV. & XL, neminem de plebe Trib. Mil. Consulari potestate creatum, Patricios vero semper in hujus magistratus possessione fuisse. Patres quidem voluerunt potius communicare plebi consularem potestatem, quam Consulum nomen. Nam ab initio cum honos iste in Republica induceretur, passi sunt legem à trib. pl. perferri, de tribunis militum tribus ex patriciis, totidem de plebe creandis, qui cum potestate Consulari Rempublicam administrarent: verum habitis comitiis tres tantum ex patriciis creati sunt, plebs eo contenta, quod ratio sui habita esset. Anno U. C. CCCXCVII Dictatura cœpit communicari, primusque de plebe Dictator dictus C. Martius Rutilius, cum C. Plancio Magisto Equitum. Magister autem Equitum de plebe, ante Dictatorem plebeium C. Licinius factus est, quo tempore civitas discordia de plebeio Consule constituendo agitabat. Cn. Cornelio Cosso & L. Furio Medullino secundum, Coss. anno U. C. CCCXLIV. ad Quæsturam patricium magistratum plebeii aspirarunt, creatique sunt cum uno patricio C. Fabio Ambusto tres plebeii. Anno U. C. CCCLXXXVIII, ut Ædiles Curules promiscue ex patribus & plebe fierent, primum decretum est. Q. Publilius Philo primus è plebe Præturam inivit, C. Sulpicio Longo & P. Ælio consulatum gerentibus. Romanorum annales testantur Censores creari solitos ex patriciis usque ad annum U. C. CDII. quo Mart. Rutilius ut primus de plebe Dictator, ita & Censor factus est.

Ut Romulus Magistratus, sic Numa solis patriciis sacra peragere, Pontificatum, Auguratum, & cætera sacerdotia suscipere permisit. Ideoque Decemviri connubia cum plebeiis patribus interdixerunt, ne incerta prole auspicia turbarentur. Communicatis deinde connubiis lege Canuleia anno U. C. CCCIX. sacra quidem confusa & auspicia fuerunt: sed tamen sacerdotia penes patricios duraverunt, quoad tribunitias rogationes Sexti Licinii & Ogulnii. Lege enim Sextia Licinia sancitum est, ut Decemviri sacrorum non omnes patricii, sed ex æquo de plebe crearentur. Ogulnia autem anno U. C. CDLIII. M. Valerio Corvino quintum, Q. Appuleio Pansa Coss. acerrime resistente Appio Claudio, P. Decio vehementer assistente statuit; ut cum quatuor Augures, totidem Pontifices essent, numerumque sacerdotum augeri placeret, quatuor Pontifices & quinque Augures de plebe omnes adscriberent, quo prorsus octo Pontifices, novem Augures in Urbe fierent.

Prius permissum fuit plebi sacerdotia capere, quam sacerdotes creare. Quandoquidem à Numa Rege institutum est, & more deinceps comprobatum; ut Pontifices à Pontificibus, Augures ab Auguribus, alii Sacerdotes à suis collegiis, solus Pontifex Maximus à populo crearetur. Quam creandorum sacerdorum consuetudinem annis post CLV, quam plebeii ad sacerdotia admissi fuerunt, primus omnium C. Licinius Crassus, dissuadente C. Lælio Prætore, Q. Fabio Maximo Æmiliano & L. Hostilio Mancino Coss. anno U. C. DCVIII. invertit, suadendo ut sacerdotes quos antea collegia sufficiebant, populus crearet. Eandem legem à populo antiquatam revocavit Cn. Domitius Ahenobarbus Trib. pl. atavus Neronis Imperatoris, C. Mario secundum, C Fimbria Coss. anno U. C. DCXLIX. & subrogandorum sacerdotum jus à collegiis ad populum, minorem etiam populi partem, approbata ejus rogatione transtulit: veterem tamen morem omnino non sustulit. Siquidem ut populus sacerdotes faceret, sed factos collegia cooptarent, sancivit. Sulla in sua dominatione nobilitatis propugnator, plebeii juris ac potestatis ob fotas Marianas partes perpetuus oppugnator, legem Domitianam penitus abrogavit, ac pristinam substituendi sacerdotes auctoritatem collegiis restituit. Post Sullam plebs idem jus rursum recuperavit.

Judicia cum Equitibus & Senatoribus lege Aurelia Plebi communicata sunt. Judicia dico cuncta, præter perduellionis, sive majestatis, quod judicium sibi populus secundo ab creatis Tribunis plebis anno comparavit; quo primum Patriciorum tribunis plebis restitit M. Coriolanus, atque primus omnium tribunitiam potestatem sensit. Nam die à Trib. pl. dicta, quod primus plebem præda ex hostibus capta fraudasset, quodque in magna penuria ne frumentum populo, saltem maximo pretio daretur contendisset, populi calculis tributis comitiis damnatus in exilium abiit. Ex illo tempore, utpote U. C. anno CCLXIII, morem sibi fecerunt Tribuni, patriciis diem ad populum dicere. Unde maximum incrementum potestas plebis habuit; contra vero, optimatum pristina dignitas maximum detrimentum accepit. Quid enim à priori dignitate optimatum alienius fuit, quam per tribunos ad plebeculam citari, rapi, in carcerem detrudi? aut quid magis tribui plebi potuit, quam de iis, quibus antea misere subjecti fuerant, judicium ferre, eos bonis multare, in ex-

exilium mittere? Unde L. Furius, C. Manlius consulatu abeuntes, à Tribunis ad plebis judicium arrepti, populumque circumeuntes sordidati, non immerito apud Livium amissam patriciorum dignitatem deplorant? juniores patrum suadent monentque, ut honoribus & administratione Reipublicæ abstineant? Consulares vero fasces, prætextam, curulemque sellam nihil aliud quam pompam funeris putent? claris insignibus imperii, velut infulis velatos ad mortem destinari? quod si Consulatus dulcedo sit, jam nunc ita in animum inducant, consulatum captum & oppressum à tribunitia potestate esse, Consuli veluti apparitori tribunitio omnia ad nutum imperiumque Tribuni agenda esse? si se commoverit? si respexerit patres? si alium in Republica quam plebem crediderit? Exilium Cn. Marci Coriolani, T. Menenii Agrippæ damnationem & mortem sibi ante oculos proponant. Hæc de potestate plebeiorum dicta sufficiant; penes quos, ceu patricios, magistratus curules, sacerdotia & judicia fuerunt. A quibus omnibus tandem ceciderunt. Nam populus lege Regia omne suum imperium, potestatemque in Imperatorem transtulit. Itaque sub Imperatoribus quam Regibus, multo plebis conditio durior & angustior extitit. Sub Augusto tamen vestigium antiquæ plebeiæ potestatis mansit. Nam ille multas leges condebat, easque ad populum referebat: Item populus ad magistratus eligendos congregabatur, etsi nihil fiebat contra Cæsaris voluntatem. Nam partim proponebat eos, qui essent magistratus futuri; partim id more majorum relinquebat in populi plebisque voluntate: sed tamen providebat, ne necessitudinis causa, aut largitione facta, precibusve designarentur. Sub reliquis Imperatoribus, plebs omnino nullam potestatem habuit; sed ludis ac certaminibus frequenter, raro comitiis interfuerat. Juvenalis:

—— jampridem ex quo suffragia nulli
Vendimus, effugit curas. Nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem & Circenses ——

SECTIO XXVIII. Hucusque egimus de prima pop. Rom. Divisione, quæ respicit genus & sanguinem: de secunda, quæ ordinem & censum. Transeamus nunc ad tertiam & ultimam, quæ ad honores pertinet. Romani honorati aut sunt nobiles, aut novi.

Nobiles in veteri Rep. Rom. soli Patricii habiti sunt. Quod in principio eis magistratus & honores illi, ex quibus nobilitas comparari solet, patuerint. Nam Consulatum, Dictaturam, Censuram, Ædilitatem, Quæsturam, Præturam primum habuerunt. Deinde etiam plebeii, ubi ad honores curules aspirassent, nobiles vocari cœperunt. Quippe tum non ex genere, ut antea, sed imaginibus nobilitas habebatur. Quandoquidem ii Nobiles sunt appellati, qui majorum imagines habebant. Imagines autem sui ponere, ac posteris tradere non poterant, nisi qui magistratum curulem gessissent; quorum primus esse cœpit Ædilitas curulis, secundus Prætura, tertius Consulatus, postremus Censores; quia Censores ex consularibus tantum viris creari consueverant. Quos magistratus patricii ante, quam plebeii iniverunt. Imaginem autem voco, simulacrum ad vivum exprimens oris similitudinem, affabre miroque artificio effectum, coloribus pigmentisque adumbratum. Quas imagines in atriis & insigniori domus parte suspendere, & earum multitudine jactantiaque nobilitatem ostentare atque metiri solebant. Honorem igitur & nobilitatem nacti sunt, qui ad magistratum honorarium pervenerunt, non habita ratione, ad eumne vi, gratia, largitione, an virtute adspirassent. Nam solus magistratus in Republica nobilitatem dabat, & populus honores:

Sæpe dat indignis, & famæ servit ineptus.

Proinde gloriatur Cicero, ob delatam sibi Ædilitatem curulem se adeptum esse antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam, prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. Porro nulli magistratum consequebantur, nisi prius habita concione, qua populi gratiam sibi conciliarent: vel commemorando veterem prosapiam, majorum & facta & imagines; nam populus inservit famæ, & persæpe in titulis ac imaginibus stupet: vel proponendo virtutes suas, meritaque in Rempublicam:

Ac certe virtute decet, non sanguine niti.

Si sine majorum claritate atque imaginibus essent: sicuti erant Curii, Decii, Catones, Pompeii, Marii, Didii, Cœlii. Gloria enim & fulgens magistratuum currus obscuros juxta generosos trahebat. Cato se virtute, non genere, aut majorum imaginibus pop. Rom. commendavit, & ipse initium sui generis, nominisque, ab se gigni ac propagari voluit; cum aditus ad magistratus honoresque non magis nobilitati, quam virtuti patere debeat. Quinimo pop. Rom. antiquitus homini honorem, non generi; moribus, non majoribus; virtuti perspectæ, non auditæ nobilitati deferebat. Erat præterea in more positum institutoque Romanorum, ut qui magistratus curules adeptus esset, (id est imagines familiæ suæ, si nobilis, aut jus ponendi posteris imagines, si novus) eam haberet concionem, qua gratiam beneficii (concessi magistratus) populi Romani, cum suorum (si nobilis) vel ipsius (si novus) laude conjungeret. Itaque nobiles hic appello, qui majorum imagines, magistratus scilicet & triumphos possent ostentare, quibus freti honores aut gerebant, aut ad eos adspirabant. Majorum siquidem gloria posteris quasi lumen est, & ad virtutes incitamentum. Cicero apud Marcum filium de extinctæ Catilinariæ conspirationis triumpho suo togato gloriatur, propemodum ad eum ejusdem gloriæ hæreditatem, & factorum imitationem pertinere. Optima profecto hæreditas à parentibus traditur liberis, omnibus divitiis, omnique patrimonio præstantior gloria virtutis, rerumque gestarum memoria: cui dedecori esse, & nefas, & vitium judicandum est. Sicut enim majorum imagines, virtutis præstantiam, rerumque gestarum gloriam ac triumphos vel superare, vel æquare honestum est & gloriosum: Ita eorum industrias contemnere, frugalitatem despicere, imagines, rerumque gestarum memoriam fœdissimis criminibus temerare, obscurare, deprimere, extinguere, nefas & vitium judicatur. Hæreditaria tum demum censebitur, si pariter virtutis via ad similes honorum gradus filii pervenerint, ut vel parentibus clariores, vel saltem non deteriores dicantur: Alioquin de aliena virtute inique sibi arrogare (clara videlicet parentum virtus liberis

ris non relinquitur, ea neque dono datur, neque accipitur) & nihil hæreditarium præter virtutis memoriam accipere dicentur: Eamque melius est nunquam à majoribus habuisse, quam acceptam fœdis moribus corrupisse. Etenim quanto majorum vita fuit præclarior, tanto horum socordia flagitiosior; si nobilitatis acceptam à parentibus dignitatem virtute tueri nequiverint. Plerique nihilominus majorum dignitatibus & imaginibus elati, arroganter ætatem agentes, in voluptate & ignavia delitescentes, convivia sæpius exornantes quam arma tractantes, curantes munditias ut mulieres, quam laborem ut viri, quasi honeste vixerint, honores, utpote virtutis præmia, petiverunt, atque insignia virtutis etiam sine virtute assecuti sunt. Quare recte P. Decius, M. Tullius, C. Marius, aliique nobiles plebeii, dicteria nobilium, objectamque nobilitatis novitatem perferentes, illos ignavos & ignaros accusarunt, & non probe viventibus probra objectarunt, quod præter imagines, nihil nisi imaginarium & fumosum haberent.

SECTIO XXIX. Hactenus de Romanis nobilibus: Nunc de novis. Novi appellati sunt, qui ob imaginum inopiam commendatione ipsorum, atque virtute, non majorum gloria ad honores curules, quasi meritorum in Rempublicam & virtutis debita præmia, adscenderunt. Qui cum nobilium invidorum contumeliosa multa sunt passi; tum vulgi mobilis & imperiti novitatem exprobrantis, iniquis sermonibus frequenter lacessiti, QUIS HOMO HIC EST? QUO PATRE NATUS? Nam ut mores corrumpi in Republica Romana cœperunt, cœpit quoque Populus nobilibus potius, quam novis honores deferre. Sic circa annum Romæ conditæ CCLXXXV, Syracusii cum cæteris Siculis, ejecto Thrasybulo tyranno, constitutoque populari Reipublicæ statu, constituerunt, ut magistratus omnes & munia publica priscis civibus, atque vetustis familiis distribuerentur; inquilini vero & novi homines alienigenæ, ne ad munera publica, neve ad honores civiles admitterentur. Sed si nobiles solis imaginibus titulisque majorum inhæreant, & ultra ex se nihil produxerint, non nobiles sed ignobiles dici merentur. Novi vero veri nobiles, quod ex se egregia protulerint: cum fortissimus quisque & virtute præditus generosissimus sit, imo lege Nænia Rex. Siquidem sola virtus nos nobiles, sola honoratos, sola senatores, sola Reges vere facit. Unde præclare cum Stoicis cecinit Flaccus:

> —— *sapiens uno minor est Jove, dives,*
> *Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.*

Unde Cato Censorius, ad gloriam quidem & magistratus se novum esse, rebus vero gestis ac virtute majorum vetustissimum prædicabat.

F I N I S.

Æ. PREVOTII UXELLODUNENSIS DE MAGISTRATIBUS POPULI ROMANI COMMENTARIUS.

PIETATE, ERUDITIONE, ATQUE OMNI VIRTUTUM GENERE, CLARISSIMO VIRO

D. NICOLAO DE GRAFFENRIED,

ILLUSTRISS. REIPUBL. BERNENSIS QUÆSTORI ÆRARIO, DOMINO SUO COLENDISSIMO. S.

CVM mecum reputarem, vir præstantissime, quid ex tot, & tantis rebus, quæ ad humanæ vitæ societatem tuendam faciunt, primas obtineret: Equidem Religionis Christianæ thesaurum non immeritò sibi eas vendicare putavi. Nam ex eo tanquam ex uberrimo & limpidissimo fonte non tantùm ea, quæ pertinent ad vitam illam cœlestem, ad quam nos imprimis contendere decet: sed etiam ea quæ ad politicæ hujus vitæ statum spectant, abundè hauriuntur: Verùm leges, & instituta eorum, quibus etiam clarissimum hoc Evangelii lumen non illuxit, quique adeò vera Dei cognitione planè fuerunt destituti, maximum etiam ad politicas administrationes momentum habere semper existimavi. Etsi enim cogimur fateri sine Dei cognitione omnia hominibus in pejus ruere, ac (ut Poëtæ verbis utar) retro sublapsa referri: tamen illud quoque fatendum nobis est, Deum (cui imprimis humanarum rerum administratio curæ est, cuique nihil, quod quidem in terris fiat, acceptius est quàm consilia cœtúsque hominum jure sociati) etiam citra clariorem sui cognitionem, in crassissimis alioqui tenebris densissimáque caligine illis omnibus illuxisse qui aliquid operæ in humanæ vitæ societatem contulerunt. Argumento nobis esse possunt veterum tum Lacedæmoniorum, tum Atheniensium leges: imprimis verò Romanorum ipsorum tum in Legibus condendis, tum in Magistratibus creandis solertia: quæ si hodie inter nos locum haberet, fortasse non infœliciter nobis cederet; præsertim cùm legem divinam διορθωτικὴν illorum omnium habeamus. Ejus generis est hic libellus de Magistratibus & statu Reipublicæ Romanæ, non ille quidem qui à Pomponio Læto, aut à Fenestella conscriptus est, sed qui tam ea quæ ab istis dicuntur quàm pleráque alia cognitione dignissima ex præstantissimorum veterum, & recentiorum scriptis eruta complectatur. Cùm autem jampridem statuissem grati animi mei erga te significationem aliquam exhibere, nihilque tamen ejusmodi quod tua præstantia esset dignum sese obtulisset: malui hoc qualicunque munere apud te (qui alioquin polyhistor es) testari memorem esse tuæ illius beneficentiæ & liberalitatis, in promovenda & ornanda nostra Typographia, quàm eam amplius vel dissimulare, vel silentio præterire. Quare, ornatissime vir, hoc quidquid est meæ erga te observantiæ argumentum esse patere. Lausannæ ex Typographia vestra 15. Febr. 1578.

Tui Observantissimus

JOANNES LE PREUX.

Æ. PREVOTII, UXELLODUNENSIS, DE MAGISTRATIBUS, POPULI ROMANI, COMMENTARIUS.

CAPUT I.

Variè gubernata Resp.

ROMANA Respublica, variis temporibus, vario modo gubernari cœpit. Primùm enim per Reges. Deinde Regibus exactis, per annuos Consules. Postea per Decem-viros, cum potestate Consulari creatos. Rursus per Coss. Post etiam per Tribunos militum. Subinde per repetitos Coss. Postremò per Dictatores perpetuos sive Imperatores.

Livius & Dionysius Halicarnasseus scribunt, Rempublicam sub Regibus ducentos quadraginta annos stetisse. Sub Consulibus ante Decem-virorum potestatem quinquaginta. Sub Decem-viris tres, quibus rejectis: iterum sub Consulibus annos quinque. Postea Tribuni militum præfuerunt, pari cum Consulum potestate. Cujus imperii totum tempus fuit annorum septuaginta octo: sic tamen ut quibusdam annis, Tribuni unà cum Consulibus quibusdam, soli Consules sine Tribunis imperarent. Affecta deinde fastidio hujus gubernationis Republica rediit ad Consules, qui soli præfuerunt usque ad Caii Cæsaris tempus, qui primus Dictaturam perpetuam invasit: cui Octavius Augustus, deinde reliqui vicissim Imperatores successêre.

Cæterùm ut ad primordium & pueritiam hujus Reipublicæ revertamur.

Tres ordines Pop. Rom.

Totus populus tribus ordinibus constabat. Primus ac supremus fuit Senatorius. Alter Equestris. Tertius Plebeius.

Duo genera magistratuum.

Duo genera eorum qui ipsi præessent habuit. Unum ob Religionis & divini cultus causam. Alterum propter rei civilis gubernationem & administrationem.

In utroque genere alii, aliis majores, minorésve fuere: hîc eo demum attigimus qui rei politicæ magistratus præfecti erant.

Divisio populi in Curias.

Divisus est primùm populus à Romulo primo suo Rege, in triginta partes quas curias appellavit, quòd, (ut testatur Pomponius Jurisconsultus) earum sententia totius Reipublicæ cura administraretur.

Curia unde dicta.

Nam in sua quisque curia, ut Festus ait, sacra publica curabat, feriásque observabat. Curiarum Præfecti, Curiones: & Curionum, Decuriones sunt appellati: & Curio maximus, cujus authoritati, curiæ, omnésque Curiones obtemperabant. Tamen ex sententia Festi, Asconii & Plutarchi, primùm populus in tres partes divisus fuit: quas tribus, & earum Principes, Tribunos dixere, vel à munere, vel (ut Livius scribit) à tributo, quod in iis ratio census æqualiter tribuendi & conferendi, inita esset.

Alia divisio populi in tres tribus.

Prima dicta Tatiensis, à Tito Tatio Sabinorum Rege, post fœdera. Altera Ramnensium, à Romulo. Tertia Lucerum, à Lucomonibus, ut Varro testatur, qui Romulo contra Sabinos pugnanti suppetias tulerunt, & hæ quidem tribus in denas curias distributæ.

Tribus unde dicta.

Livius tamen ab aliis dissentit: non enim populum in has tres partes divisit: sed demum equites, quorum tres centurias fuisse, Tatienses, Ramnenses & Luceres, scribit, Lucerúmque nomen unde dictum sit ignorat. His triginta curiis, aucto postea populo, additæ sunt quinque.

Livii opinio de Tribuum divisione.

35. Curiæ.

Divisio populi in Classes & Centurias.

Servius Tullius, sextus Romanorum Rex, aliam populi dividendi rationem sequutus est. Nam (ut Livius inquit) censum instituit, rem saluberrimam, tanto futuram imperio, ex quo, belli pacísque munia non viritim ut ante, sed quatenus quisque dives esset, fierent. Tum ergo Classes Centuriásque & hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello. Censum autem intelligimus non annuum esse proventum, ut falsò nonnulli existimarunt, sed rerum ac bonorum alicujus æstimationem, secundum quam tributa pendebantur.

Census quid.

Quinque igitur classes in populo fuerunt, ex censu descriptæ: quarum in singulis censum Livius ex æris ratione: Dionysius ex drachmis, ac minis supputat. Porrò nihil illi inter se dissident, quemadmodum ex Budæo optimo, & doctissimo harum rerum interprete constat: qui ad coronatos Gallicanos numerum æris, & drachmarum, & minarum retulit: ut minæ singulæ, decem coronatis: singuli coronati, decem drachmis valere æstimentur. Cæterùm denariorum Rom. cum drachma æquipolleat, id est decem assibus Romanis quibus tres asses Gallicani cum semisse respondent, fit ut drachmæ sive denarii decem coronato Gallicano (qui triginta quinque assium Gallicanorum erat) æquari rectè possint.

Æris Drachmarum & minarum ad coronatos relatio ex Budæo.

Pri-

Primæ classis census.

Centuriæ Arma Tela. De populi divisione in Classes, sic Livius Lib. 1. Ex his (inquit) qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, octoginta confecit centurias (loquitur autem de Servio Rege) quadragenas Seniorum, & Juniorum. Prima classis omnes appellati. Seniores ad urbis custodiam ut præstò essent: juvenes ut foris bellum gererent. Arma his imperata, galea, & clypeum, ocreæ, lorica: omnia ex ære, hæc ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hasta & gladius. Additæ sunt classi duæ fabrorum centuriæ: quæ sine armis stipendia facerent. Datum munus ut machinas in bello ferrent.

Secundæ classis census.

Secunda classis, intra centum, usque ad quinque & septuaginta millium censum instituta. Ex his senioribus, junioribúsque viginti conscriptæ centuriæ. Arma imperata, scutum pro clypeo, & præter loricam, omnia eadem.

Tertiæ classis census.

Tertiæ classis, millium quinquaginta censuum esse voluit: totidem centuriæ eodémque discrimine ætatis factæ: nec de armis quicquam mutatum: ocreæ tantùm ademptæ.

Quartæ classis census.

In quarta classe, census, quinque & viginti millium æris totidem centuriæ factæ. Arma mutata: nihil præter hastam, & verutum datum.

Quintæ classis census.

Quinta classis aucta. Centuriæ triginta factæ: fundas lapidésque missiles, secum ii gerebant. In his Accensi (id est milites, ut Vegetius explicat, ad obsequia deputati) & Cornicines, Tubicinésque, in tres centurias distributi, undecim millibus. Hæc classis censebatur: inde una centuria facta est immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato & distributo, Equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias: sex item alias centurias tribus ab Romulo institutis sub iisdem quibus inauguratæ fuerant nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia æris ex publico data, id est centum coronati. Viduæ etiam attributæ, quæ bina millia æris ad alendos equos, penderent. *Accensi qui.* *Census viduarum.*

Hæc populi in classes distributio sic facta est, ut à pauperibus in dites (inquit Livius) inclinata onera subesset, & divitibus honos adderetur. Non enim ut ab Romulo traditum cæteri Reges servaverunt: viritim suffragium eadem vi, eodémque jure, omnibus datum est: sed gradus facti: ut ne exclusus quisquam suffragio videretur, & tamen vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi, octoginta inde primæ classis centuriæ primum peditum vocabantur. Ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundæ classis vocarentur, nec ferè unquam infra ita descenderent ut ad infimos pervenirent. *Cur in Classes & Centurias divisus populus.*

In sequenti tabula Classium Censum, & munia videto.

Typus ſequens Claſſium & Cenſuum numerum, Centurias, arma, & tela continet.

Claſſium numerus populi Romani.	Cenſus ſingularum claſſium.	Centuriæ ſingularum claſſium.	Arma & Tela.
Prima claſſis.	100000. æris. 10000. drachm. 1000. coronat. 100. minarum.	Equitum 18. Peditum 80.	Galea. Clypeus. Ocreæ. Lorica. Haſta. Gladius.
Secunda claſſis.	75000. æris 7500. drachm. 750. coronat. 75. minarum	Peditum 20. Fabrorum 2. Hos tamen Livius primæ claſſi tribuit.	Galea. Scutum. Haſta. Gladius
Tertia claſſis.	50000. æris. 5000. drachm. 500. coronat. 50. minarum.	Peditum 20. Fabrorum 1000.	Scutum. Haſta. Galea. Gladius.
Quarta claſſis.	25000. æris. 2500. drachm. 250. coronat. 25. minarum.	Peditum 20. Tibicinum, Cornicinum & Accenſorum. 2. ſecundum Dionyſium, tres ſecundum Liv. Hic tamen claſſes 2. ille 4. tribuit.	Scutum. Haſta. Verutum, &c, ſecundum Dionyſium, Telum.
Quinta claſſis.	11000. æris. 1100. drachm. 110. coronat. 11. minarum.	Peditum 30. Hic Livius, Accenſus, Tibicines, & Cornicines ponit; alii nonnulli quartæ claſſi tribuunt.	tela { Funda. Lapides miſſiles.

Quoniam varia hæc cenſus commemoratio in claſſium deſcriptione, per æs, drachmas, coronatos, & minas, ſubobſcura fortaſſe fuerit. Viſum eſt, ut nonnihil hac de re ſummatim hic attingamus, antequam ultrà in inſtituto progrediamur. Eſt igitur primum animadvertendum, quod æris nomine quanquam latius omne pecuniæ genus intelligitur, unde illud conflare æs alienum, æs alienum diſſolvere, eſſe in ære & ſimilia: tamen hoc loco pro aſſe Romano accipi oportet, ut centum millia æris, ſint aſſium Romanorum centum millia. Rurſus licet aſſis nomine ſignificetur, quicquid duodecim partibus conſtat, quas uncias vocant, unde illud ex aſſe hæredem conſtituere, ex ſemiſſe, id eſt ſemiaſſe, & ſimilia. Tamen hîc peculiariter ad pecuniæ ſpeciem, quam vulgus, nunc ſolidum, nunc duodenum, nunc groſſum vocat, cujus partes duodecim, id eſt, duodecim uncias vel denariolos vocant.

As Gallicanus. Conſtat igitur As Gallicanus duodecim unciis, id eſt, denariolis Gallicanis. *Allobrogicus.* As Allobrogicus, duodecim Allobrogicis unciis, ſic As Romanus, duodecim unciis *Romanus.* Romanis. Et quemadmodum As Allobrogum, minoris eſt quam Gallorum, ſic As Romanus minoris fuit, quam & Gallorum, & Allobrogum: quod item, atque eodem modo de partibus ejus cenſendum eſt, æquipollebat enim As Romanus, quatuor denariolis Gallicanis, uſus

A hodierni & paulò amplius, & duodecim partes Aſſis Romanis, id eſt, duodecim denariolis totidem valebant.

Aſſis partes. Aſſis partes ſunt, primùm unciæ duodecim, deinde ſextans, id eſt ſexta pars, duas continens uncias; Galli duplum vocant.

Quadrans. Quadrans, quarta pars Aſſis, tres uncias habet, Galli liardum vocant, Allobroges cartum vocant.

Triens. Triens tertia pars aſſis, quatuor un-

B ciarum.

Quincunx. Quincunx quinque unciarum eſt, Galli monetam quinque ſuarum unciarum, parvum album nominant.

Semiſſis. Semiſſem, id eſt dimidium aſſem, ſex unciarum eſſe conſtat; Galli ſuum ſizenum nuncupant.

Septuns. Septuntem ſeptem unciarum eſſe vocabuli etymon indicat.

C *Bes.* Bes octo unciarum eſt.

Dodrans. Dodrans novem, quo nomine ſignificari poteſt quod Allobroges parpinollam vocant.

Decunx. Decunx, vel dextans, decem eſt unciarum; Gallorum carolino convenire poteſt hoc nomen.

Dëunx undecim unciis continetur.

Præterea ex aſſium multiplici numero, varia numerorum genera fuerunt.

Seſtertius. Seſtertius enim Romanus erat 2. aſ-

D ſium & ſemiſſe Romanis, æquipollebátque ſeſtertius Romanus carolino Gallicano & paulò amplius obolo, & is etiam vel num-

nummus vel nummus sextertius dicebatur.

Drachma. Denarius sive drachma, nam eadem est utriusque significatio, decem asses, i. e. quatuor sestertias continebat: id nummi genus, quatuor assibus cum dimidio Gallicanis æquipollebat.

Stater. Stater erat, quatuor denariorum, sive drachmarum, hoc est quatuordecim assium nummi Gallicani.

Libra. Libra sive mina est etiam eadem utriusque appellatio. Decies decem, id est centum denarios continet, qui cum decem aureis coronatis à Budæo rerum istarum interprete peritissimo conferuntur: sed ut aurei coronati sunt, decem denariorum, id est triginta quinque assium Gallicanorum, qualis erat ætate Budæi coronatorum æstimatio.

Sestertium. Sestertium duas libras seu minas & selibram continebat, & ita vigintiquinque coronatorum erat, qua in re animadvertendum est, in ratione supputandi cum quatuor, quinque, aut sex, & item deinceps dicimus aliter accipi, quam si quater, quinquies, sexies sestertium.

Quid hic à superiori differt. Si quidem in illo priore, simplex numerus est, in hoc posteriore multiplicatio numeri, cum enim quater quatuor sestertium dicitur, illic quater quatuor sexdecim sestertia intelliguntur, quinquies sestertium, id est quinquies quinque, & item in cæteris.

Talentum. Talentum fuit apud varios populos diversum, tamen cum talentum simpliciter, & sine additamento pronuntiatur, Atticum intelligi solet: quod sexaginta librarum, id est, sexcentorum coronatorum erat.

Observatio. Illud insuper in hac tractatione observandum est, quod quemadmodum sestertius, duos asses cum dimidio: sic sestertium, duas libras & dimidiam continebat. Item ut denarius, decem assibus, sic coronatus, decem denariis, & libra decem coronatis continebatur.

His obiter explicatis, ut ad institutum revertamur, sciendum est, populo in classes ac proinde in Centurias, ut supra dictum est, distributo, Comitia aliter etiam haberi quàm antea cœpisse. Nam sola Curiata fuerunt ante hanc populi in classes distributionem: postea verò centuriata, & interdum curiata habebantur. De quorum utroque genere, hoc loco disserendum est.

Duo genera Comitiorum. Erant igitur hæc duo genera Comitiorum, Curiata primùm, deinde Centuriata.

Curiata. Curiata fuerunt antiquiora, & sub Romulo qui Reipublicæ curam voluit per sententias Curiarum expediri, ut testatur Pomponius. lib. 2. ff. de orig. jur. Ea dicebantur cum populus per curias divisus, viritim suffragia ferebat.

Centuriata. Centuriata verò, cum populus censu, ordinibus, ætatibúsque descriptus, in suffragium adhibebatur: & centuriatim calculus unus pro suffragio habebatur, ut quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur. In hujusmodi comitiis observanda hæc sunt, nimirum causæ, propter quas haberentur, personæ quarum interventu fiebant, ratio, & modus quis esset: denique locus, & tempus, de quibus sigillatim: hìc primùm de Centuriatis disseremus.

A

Centuriatorum comitiorum, causæ tres fuerunt: ob creandos magistratus, leges ferendas, & judicia exercenda: creabantur in his comitiis Centuriatis magistratus majores, præter Dictatorem, Magistrum equitum, & Interregem. Erant autem majores magistratus (ut Gellius lib. 13. cap. 14. scribit) Consules, Prætores, Censores, eò quod majoribus auspiciis fierent: reliqui minores, ut Quæstores, Ædiles. Auspicia majora (ut idem testatur) ideo dicta sunt, quod horum magistratuum auspicia, magis rata sunt quam aliorum. *3. Causa Comitiorum Centuriatorum.*

B

De Dictatore, Magistro equitum, & Interrege creandis, suis postea locis disseretur.

Creabantur etiam comitiis centuriatis Proconsules, ut Livius ostendit de P. Scipione, qui viginti quatuor annos natus, Proconsul creatus, missus in Hispaniam cum summo imperio fuit. Reges etiam sacrorum iisdem comitiis creabantur. Nam hujusmodi sacerdotium, magnum & illustre fuisse constat, quod Regi, quantum ad sacra attinet, successerat: non erat is magistratus, sed dignitas, quæ à populo non alia ratione quam magistratus daretur. *1. causa Comitiorum.*

C

Quòd ad leges, iis comitiis ferendis attinet, leges non omnes ferebantur, sed eæ demum quæ à plebiscitis distinguntur, & quæ apud veteres, tum Centuriatæ, tum Consulares appellabantur. Belli etiam indicendi, iisdem comitiis legem ferri testatur Livius lib. 4. ubi rogationem de bello Macedonio ab omnibus Centuriis antiquatam scribit. *2. causa Comitiorum.*

D

Tertia causa hujusmodi comitiorum est, ut judicium perduellionis fiat, id est, de eo qui se hostili animo in Rempublicam gessit. Nam majestatis judicium, in foro à Prætore exercebatur. Perduellionis verò, à populo in campo Martio in Centurias distributo: ita Caium Rabirium ejusdem criminis reum, in campo Martio Cicero defendit. *3. causa Comitiorum.*

De Personis.

E

Personæ quarum interventu fierent, hæ sunt, non poterant nisi à majoribus magistratibus haberi, ut à Consulibus, Prætoribus, Censoribus, Dictatore, Interrege, ex quibus Consules soli habebantur. Quod si quando contigisset, ordinum contentione vel magistratuum, vel candidatorum ambitu, aut alia ratione Comitia, novis magistratibus creandis, ante exitum anni perfici non posse: Patricii tum ex suo numero prodebant Interregem, qui dies quinque imperaret, à quo deinde alius creabatur: eodémque modo alii atque alii, singulis quinque diebus, creabantur, donec subrogati essent ex iis Consules, qui statum magistatuum inirent. Moris tamen non fuit, ut ab Interrege qui proditus fuerit primus Comitia haberentur, sed à secundo, vel ab insequentibus, sic ut ad undecimum etiam Interregem perventum sit aliquando. *Personæ.* *Interrex.*

F

Comitia à quibus habebantur. do. Habebantur etiam ejusmodi Comitia à Prætoribus, si Consules ab urbe abessent. Nam post Consules, Prætoris erat summum imperium (ut Gellius testatur.) Censores habuisse Comitia legibus ferendis nusquam legitur: & cum leges censorias, apud authores, legimus pro Censorum subscriptionibus accipi debent.

Interreges autem, legum aut judiciorum nunquam habuere Comitia, propter imperii brevitatem, quæ promulgari proferríque leges pati non poterant. Pontifices etsi magistratus non erant, tamen Regem sacrificulum in Comitiis Centuriatis creabant: nam quemadmodum in cæteris rebus summa potestas magistratuum erat: sic in sacris curandis summa potestas Pontificum, & hæc Comitia, quæ pro collegio Pontificum habebantur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causa, Calata Comitia appellabantur. *Comitia Calata.*

In ejusmodi Comitiis sacrorum detestatio, & testamenta fieri solebant: ut ex Labeone Jurisconsulto constat apud Gellium lib. 15. cap. 27. Eråntque interdum Curiata, interdum Centuriata illa per Lictorem, hæc per Cornicinem convocabantur.

Quod ad suffragia ferenda in hujusmodi Comitiis attinet, omnes quidem Centuriæ, suffragii jus habuêre, & omnes cives qui singulis Centuriis continerentur, præter quos Censores ignominiæ causa in centum tabulas referebant, eos jure suffragii privabant.

Solebant his Comitiis adesse, Diribitores, Rogatores, Custodes, & Præcones. Erant autem Diribitores, qui tabellas populo per Centurias ministrabant, à diribendis, id est, distribuendis tabellis sic dicti, non enim populus, domo tabellas afferebat ad Comitia, sed à Diribitoribus accipiebat. *Diribitores.*

Rogatores. Rogatores erant qui cistam deferebant, in quam populus tabellas suffragii conjiciebat: colligebant centuriatim suffragia priùs voce, deinde tabellis.

Custodes. Custodes observabant, ne quid fraudis in sortitionibus & suffragiis dicendis committeretur: describebántque cujusque Centuriæ, educta è cista suffragia, ut inde appareret quænam essent centuriæ sententiæ, quas tum Præcones magna voce pronuntiabant: neque solum singularum Centuriarum sententia, ut quæque suffragium dixisset Præco pronuntiare solebat, sed etiam post lata omnia suffragia, rursum quid populus universus dixisset, Præconis voce declarabatur.

Centuriata comitia non semper eadem. Cæterùm hoc animadvertendum est, in comitiis centuriatis, non eandem rationem ac formam semper fuisse, qualem Servius Tullius Rex ab initio constituit. Is enim, ut potentiorum ac primorum honores amplificaret, in eorum potestate comitia posuit: & cùm omnino essent 193. centuriæ authore Dionysio, & prima classis (cujus primæ partes in suffragiis erant) 98. centurias haberet. Secunda classis 20. fiebat ut harum duarum classium suffragia, si consentirent (ut ferè contingebat) reliquas superarent, neque unquam suffragia ad minimam plebem pervenirent. Cæterùm ut ordinum concordia servaretur, aliquantò post hujusmodi comitia sic haberi consuevêre.

Primùm omnium ex omni numero Centuriarum: quædam sortitio constituebatur, Centuriæ prærogativæ quæ primæ in suffragium mitterentur. Deinde primæ classis Centuriæ vocabantur. Post secundæ. Prima igitur classis prima rogabatur. Sed Prærogativæ Centuriæ sortito ducebantur: id quod intelligi potest ex Livio lib. 9. his verbis, Nemini dubium quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur eúmque & Prærogativæ & primo vocatæ omnes centuriæ Consulem cum L. Volcatio dicebant. Propterea Asconius in Verrinam Secundam Ciceronis ait, Prærogativas tribus esse quæ primæ suffragia ferrent, ante jure vocatas. Mos enim fuerat (inquit) quo faciliùs in comitiis concordia servaretur, bina comitia de iisdem candidatis fieri, quorum Tribus primæ prærogativæ dicebantur. Secundæ jure vocatæ, quo in loco Tribus, pro Centuriis Asconius usurpavit. *Centuriâ Prærogativâ.* *Prærogativâ tribus.*

De modo qui observabatur in Comitiis.

Sequitur nunc, ut de ratione & modo comitiorum centuriatorum disseramus: primùm omnium, edicto declarabatur dies, quo populus conveniret, & quoniam ex agris homines etiam adesse oportebat, qui in urbem ferè nisi nundinis, id est, nono die non conveniebant. Propterea edictum illud necesse erat, per plures dies extare, ut universo populo notum esset. Præterea necesse fuit, ut comitiis Centuriatis Senatus authoritas interveniret. Item ne ulla comitia, nisi captatis auspiciis haberentur, alioqui legitima non essent: captare verò auspicia, ex avibus cæterísque signis auguratis, disciplinæ Jovis voluntatem interpretari. Porrò postquam in campum Martium, ad diem Comitiorum populus convenisset, antequam in Centurias distribueretur, habebat Magistratus concionem, qua populum rogabat jubere, aut vetare, id de quo ageretur: suffragia, nonnunquam voce, aliquando per tabellam ferebantur. *Senatus authoritas.* *Magist. concio.*

De Loco.

Quod ad locum Comitiorum attinet, nulla Comitia nisi loco inaugurato, id est, ab auguribus ad eam rem dicato, poterant haberi: & Centuriata, nunquam intra pomerium, sed in campo Martio extra pomerium.

De Tempore.

In Comitiis habendis non omne tempus idoneum aut legitimum fuit, non enim diebus ludorum, sacrificiorum, & feriarum habere licebat. De Comitiis Centuriatis hactenus, nunc ad Curiata accedamus.

De

De Comitiis Curiatis.

Jam supradictum est Comitia Curiata dici, in quibus populus per curias distributus viritim suffragia ferebat: cujusmodi Comitia fuerunt, ante populi distributionem in classes & centurias, sub Servio Tullio sexto Rege, tum enim initium haberi cœpit Centuriatorum Comitiorum. Itaque hæc demum duo Comitiorum genera fuerunt quibus populus usus est usque ad judicium Coriolani, anno urbis conditæ ducentesimo sexagesimo tertio, quo primùm anno novum genus Comitiorum habitum est: & ea fuere tributa Comitia, de quibus postea seorsim differetur.

Novum genus Comitiorum.

Qui jus suffragii habebant.

In Comitiis Curiatis jus suffragii habebant, non omnes cives, sed hi demum qui in Curias distributi erant, & intra urbem habitabant: ea causa fuit, ut hujusmodi Comitia minus frequentarentur, postquam Italiæ municipia donata civitate fuerunt. Non enim æquum videbatur suffragiis eos privare, qui æquo jure cives essent.

De loco & tempore.

Locus hujusmodi Comitiorum erat intra urbem. De tempore idem statuendum quod suprà de comitiis centuriatis dictum fuit.

De Comitiis Tributis.

Addita Comitia Tributa.

His duobus Comitiis centuriatis & curiatis, addita postea sunt alius generis comitia, quæ Tributa nuncupantur, à superioribus diversa: quorum initium (ut diximus) fuit anno urbis conditæ ducentesimo sexagesimo tertio, authore Dionysio. Dicuntur autem Comitia tributa à tributis, quemadmodum à Curiis Curiata, & à Centuriis Centuriata. Nam in tributis Comitiis populus tributim divisus suffragia ferebat, & quid plures Tribus juberent spectabatur.

Sunt autem Tribus à Curiis diversæ. Romulus enim (ut suprà diximus) totum populum in triginta Curias divisit, & singulis nomina dedit. At Tribus (quæ partes quoque populi sunt) aliter erant distinctæ: nempe locus in urbe divisus, & Regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis, quarum aliquam necesse erat civem Romanum obtinere, cujusque ordinis esset, ut Asconius testatur.

Urbanæ tribus additæ.

Primùm fuere triginta, quibus postea quinque additæ sunt, ex hoc numero quatuor tantùm urbanæ fuerunt: in quas transferri ignominiosum erat, nomen autem habuere à partibus urbis ubi habitarent. Reliquæ omnes rusticæ laudatissimæ eorum qui rura haberent, qui propriè ingenuorum erant, sicut urbanæ libertinorum.

Porrò tributa comitia in duo genera dividi possunt: quædam erant omnium tribuum, alia in quibus pars, modò tribuum suffragium ferebat: illius generis erant magistratuum & legum comitia, hujus verò sacerdotum.

A

Causæ Comitiorum.

Causæ hujusmodi Comitiorum seu Tributorum fuerunt. Primùm ad creandos minores Magistratus, ad Sacerdotes collegiorum cooptandos, ad Leges ferendas, ad exercenda Judicia.

Ordinarii Magistratus.

Magistratus qui in his Comitiis creabantur, erant Ædiles Curules, Tribuni-plebis, Ædiles-plebis, Trium-viri Capitales, Trium-viri Nocturni, & Trium-viri Monetales, id est, Auro, Æri, Argento flando, feriundo præfecti: Quæstores, Tribuni militum, hi Magistratus

B

erant ordinarii.

Extraordinarii Magistratus.

Erant & extraordinarii iisdem comitiis creati, veluti Præfecti annonæ, Duum-viri navales, & Quæstores parricidii. Erant præterea Magistratus alii, quibus imperium & curationem extra urbem tantùm erat, quales Trium-viri, Quadrum-viri, aut alii quotquot creabantur ad colonias deducendas, vel colonos in suas colonias redigendos, his similiter tributis Comitiis creabantur.

C

De modo qui in ejusmodi Comitiis habebatur.

Quid commune cum cæteris Comitiis.

Illud animadvertendum fuisse id his comitiis cum aliis commune, ut haberi non possint, fulgente aut tonante Jove, in reliquo tamen genere auspiciorum nulla ferè religione astringebantur. Nam ut plebeii Magistratus nulla auspicia habebant: sic Comitia Tributa, sive Legum, sive Magistratuum causa, sine auspiciis erant. Itaque in Comitiis tributis & Centuriatis id diversum erat,

Quid diversum à Comit. Centuriatis.

D

quod in his habendis, captanda prius erant auspicia, huic à quo habebantur: illis verò minimè. Item in his patres authores fieri oportebat, in illis non erat necesse. Et quoniam in tributis comitiis non habebatur ratio census, ordinis, ætatis: ideò primores civitatis ferè his adesse non solebant. Nam cùm numero superior esset multitudo, nulla spes erat suffragium vim ullam habere contra plebis voluntatem: unde eveniebat ut omnia comitia tributa ferè ab humilioribus peragerentur, ut vix unquam primo-

E

res adessent: qui comitia hæc habebat, concionem quoque habebat, priusquam populus in suffragium mitteretur, ubi de Magistratibus creandis, vel Legibus ferendis, sicut in Centuriatis, concio erat. Peracta concione, populus in suas cujusque tribus discedebat, tum sortitiones fiebant à Magistratu.

Quid commune.

Hîc præterea non erant Rogatores, sicut in Centuriatis, sed Custodum, Diribitorum, & Præconum officio res peragebantur.

F

De Loco.

Locus horum Comitiorum non erat destinatus unus, neque religio erat intráne an extra pomœria, sicut in Centuriatis, haberentur. Magistratuum tamen comitia tributa ferè in campo Martio habebantur. Interdum in Circo Flamineo, aliquando in Capitolio, aliquando in Comitio, id est, in ea parte fori quæ potissimum comitiis populi, & concionibus destinata erat, quo in loco legum

Comitium homonymum pro populo & pro loco.

Xxx comi-

comitia plerumque habebantur, ubi Prætor urbanus suum quoque tribunal in publicis judiciis habebat. Qua de re infra capite de Prætoribus mentionem faciemus.

Quo tempore habebantur Comitia.

Quod ad tempus attinet, nullum tempus certum erat Comitiorum, quæ propter leges, judicia, & extraordinarios Magistratus haberentur: sed pro publica necessitate, & Magistratuum voluntate, variis anni temporibus fiebant: Ordinarii Magistratus ferè ad finem Julii & principium Augusti mensis creabantur, & Tribunorum, atque Ædilium Plebis, primùm erant Comitia, cæterorum Magistratuum prima erant Consularia, tum Prætoria, mox Ædilitia, post Quæstoria, postrema Tribunorum militum, quæ omnia intelligi debent de his temporibus, quibus Kalendis Januariis Magistratus inibatur. Nam superioribus ætatibus, creatio Magistratuum alio tempore fiebat, ut alibi declarabitur, & hæc quidem hactenus de Comitiis. Causam quidem diximus, cur centuriata curiatis successerint. Causa verò, cur post usum curiatorum & centuriatorum, introducta fuerint tributa, hæc est, quod superiora comitia nimium obnoxia Patribus viderentur. Itaque Volerus Tribunus plebis, Appio Claudio, & C. Quintio Consulibus, legem tulit de comitiis tributis, in quibus nec auspicia servarentur, nec authoritas Patrum requireretur: sed plebs per triginta quinque tribus distributa, nullo, nec sacro, nec religioso, nec civili, vinculo astricta, suffragia ferebat. Vide Gellium, libro decimo-septimo. Nunc ad reliqua, quæ ad ipsum populum pertinent pergamus.

Finis Julii. Initium Augusti.

Kalend. Januarii.

Lex Voleri de Comitiis tributis.

De Populo Romano.

Qui minoris census erant, quàm in classibus descriptum erat, hi proletarii, & capite censi dicti sunt, de quibus Gellius lib. 16. cap. 10. Qui in plebe Romana (inquit) æris tenuissimi pauperrimíque erant, neque amplius quàm mille quingentum æris in censum deferebant, Proletarii appellati sunt: qui verò nullo, vel perquam parvo ære censebantur, vocabantur Capite censi. Extremus autem census capite censorum fuit 375. æris. Id genus autem homines, id est Proletarii & capite censi, nunquam milites scribebantur nisi in tumultu aliquo maximo, quòd familia his aut tenuis, aut nulla esset. Nam res & pecunia videbantur esse apud Remp. vice familiaris obsidis ac pignoris cujusdam: atque in ea fides quædam amoris erga patriam & firmamentum erat. Proletariorum tamen ordo honestior aliquantò, & re & nomine, quàm capite censorum fuit. Nam asperis Reip. temporibus cùm juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armáque his sumptu publico præbebantur. Hi non à capitis censione, sed à numero officióque prolis edendæ appellati sunt: quòd quum Remp. minus juvare possent re familiari, sobolis

Proletarii qui.

Capite censi qui.

Proletarii unde dicti.

A tamen gignendæ copia civitati adessent. Cæterùm capite censos, primus Caius Marius, bello Cimbrico difficillimis Reip. temporibus, vel ut placet Sallustio, bel. Jugurt., scripsisse milites traditur: cùm id ante factum nulla extet memoria.

De civibus Romanis.

Nunc videndum qui cives Romani dici possint & quæ sint civium Romanorum jura. Civis Romani nomen sic latè

B patet ut in eo municipum ac coloniarum conditionem positam intelligamus. Cives enim Romanos appellamus eos qui jura eadem, honorésque ac immunitates cum Romanis habent, licet alio atque alio modo id contingat. Propterea prius declarare commodum fuerit, quæ sint Romanorum civium jura, quàm de colonis ac municipibus aliquid dicatur.

Cives Romani qui.

De jure civium Romanorum.

Sunt ergo civium Romanorum jura

C hujusmodi Magistratus cum cæteris civibus creare, Leges ferre, Judicia facere, in censum deferri, Romæ, si libitum sit, habitare. Hæreditates & legata capere. Jure gentilitatis, agnationis, adoptionis, togæ ferendæ, uti. In legionibus Romanis militare. Denique quicquid in gratiam & favorem populi Romani factum sit eo posse frui, veluti beneficio legis Valeriæ, legis Portiæ, legis Semproniæ, legis Juliæ, & similium.

Quæ sunt jura civium.

Leges in favorem civium Romanorum constituta.

Lex enim Valeria vetabat ne quis qui provocasset virgis cæderetur, aut securi

D percuteretur. Lex Portia pœnam indixit, si quis verberasset, necassetve civem Romanum. Cicero pro Rabir. Lex (inquit) Portia virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit. Portia lex libertatem Civium lictori eripuit. Lex Sempronia ne de capite civium Romanorum injussu populi judicaretur: qui judicasset, ut in eum populi animadversio esset. His autem legibus, exilium damnatis permissum est: ut Cicero testatur pro A. Cecinna. Exilium (inquit)

E non supplicium est, sed perfugium & portus supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eò solum vertunt, hoc est sedem, ac locum mutant. His addita est posteà lex Julia, quæ jubebat eum qui, cùm imperium potestatémve haberet, civem Romanum adversus provocationem necaverit, verberaverit, jusseritve quid fieri, aut quid in collum injecerit ut torqueatur, eum legis Juliæ de vi, pœna teneri. Lata est à Julio Cæsare hæc lex, quæ relata est in librum ff. sub tit. ad legem Juliam, de vi publica. Quicun-

Lex Valeria.

Lex Portia.

Lex Sempronia.

Lex Julia.

F que ergo vel nati Cives erant, vel jus civitatis nacti quoquo modo fuissent, hi talibus honoribus, beneficiis, ac jure potiebantur.

Est & aliud jus quod appellatur jus Latii: differtque à jure Civitatis, & originem habet ex fœdere, seu ex societate quam cum Priscis Latinis Romani pepigere. Pacem enim cum victis fecerunt iis conditionibus: ut posthac Lati-

Jus Latii.

ni

ni suis legibus & suo jure viverent: milites in bello darent: hostésque communes cum Romanis haberent: in bellis & expeditionibus tertiam prædæ partem acciperent: ipsíque socii & amici populi Romani dicerentur. Fuit autem conditio Latinorum hoc deterior, quòd omnes illorum res pace bellóque ex nutu atque arbitrio Romanorum pendebant. Nam licet essent liberi, nihil tamen publicè decernebant sine assensu populi Romani; & militibus Latinis quoties in expeditionem ibant, præfectus, non ex Latinis sed ex Romanis, dabatur; & cum suo sanguine ac marte regna provinciásque acquirerent, nihil tamen præter tertiam prædæ partem consequebantur. Conati sunt sæpe, partim precibus, partim minis, conditionem suam meliorem reddere: postulantes jus civitatis, & ut alter Consulum ex Latinis crearetur, sed id tentatum est frustrà. Concessum tamen ut qui ex Latinis stirpem in urbe relinquerent: cives Romani fierent. Jus Latii, id est quo Latini nominis, & socii utebantur, postea datum est multis provinciarum civitatibus. Plinius testatur Vespasianum universæ Hispaniæ jus Latii dedisse. Suetonius scribit Augustum Cæsarem, plerásque civitates benè meritas de Republica Latinitate ac civitate donasse. Ante Augustum, C. Julius Cæsar, authore Appiano, civitatem universo Latio dedit. Ex his quæ jam dicta sunt, satis constat qui cives appellari possint, & quæ sint civitatis jura. Nunc quomodo differant à Coloniis & municipibus videndum.

De Coloniis.

Colonia Romanæ quæ sint, & quomodo constituta. Gellius, libro decimosexto capite decimotertio, ait, Colonias esse quasi parvas effigies & simulachra quædam populi Romani. Nam coloniæ sunt urbes minores ex civitate propagatæ, habentes jura, atque instituta omnia populi Romani, cujus erant arbitrio; quæ conditio, cùm sit magis obnoxia, & minus libera quàm municipum, tamen potior ac præstabilior existimatur propter amplitudinem majestatémque populi Romani. Sic autem constituebantur coloniæ. Cùm in urbe plerique ex novis veteribúsque incolis inopià premerentur: Trium-viri creabantur à Senatu qui primùm loca quædam explorarent in quibus propugnaculum constituere Reipublicæ expediret. Deinde edicta promulgabant, ut ab iis nomina darentur qui in novam Coloniam deduci vellent, id est in locum ubi propugnaculum constituendum erat habitandi gratia. Sic urbs pauperum multitudine exonerabatur, & pauperes rei familiaris pondere gravati levabantur. Accedebant enim ad novas divitias, accipiebántque gratis bina, ternáve atque & septena, plus minus, agri jugera. Sic ergo Romani suas colonias constituebant, quas habuere plurimas, & in varia loca deductas, ut essent tanquam propugnacula imperii & Reipublicæ Romanæ quasi effigies & simulachra, ut dictum est. Sed *Duo genera Coloniarum.* hæ coloniæ duplicis generis fuerunt

A propter juris diversitatem. Quædam enim Romanæ Coloniæ, quædam Latinæ dictæ sunt. Romanæ civium Ro- *Romana.* manorum erant quibus jus civitatis non minus atque iis qui intra urbem habitarent integrum erat. Latinæ verò, licet *Latina.* ex Romanis constituerentur, non tamen jure civium, sed sociorum, id est, Latinorum utebantur. Nam jure Romano sic comparatum erat, ut, si cives Romani in Latinam coloniam nomina dedissent vel sua voluntate, vel metu mulctæ, ipsi Latini juris fierent,
B civitatémque amitterent; id Cicero testatur pro domo sua ad Pontifices & pro Cecinna. Quòd si Latini in Romanam coloniam essent profecti, non tamen fiebant cives, sed Latini juris erant, ut Livius scribit de Ferentibus.

Lex Julia. Lege Julia Latinis omnibus (id est sociis qui in Latio erant) civitas est data, & plerique Itali cœperunt uti civitatis jure, à quo tamen exclusæ sunt Transpadanæ Coloniæ (id est quæ ultra Padum
C in agro Gallico fuerant constitutæ, veluti Areminum & similes.) Sed postea, Cornelius Pompeius jus idem iis dedit quod Latinis; id est, (ut Asconius scribit) ut civitatem, petendi gratia Magistratus, adipiscerentur: & reliquo jure civium uti possent. Erant & aliæ Latinæ Coloniæ per Gallias Hispaniásque multæ, & in multis Romani imperii partibus, quæ civitatem non habebant. Plutarchus in vita Gracchorum testatur Gracchum legem tulisse de Coloniis de-
D ducendis. Ante id tempus nulla Colonia extra Italiam deducta fuerat. Sed tum primùm in varias orbis partes cœperunt deduci. Idem etiam Appianus scripsit. Et hæc de Coloniis hactenus.

De Municipiis.

Municipes autem, ut Gellius scribit, *Municipes qui.* sunt cives è Municipiis suo jure, ac legibus utentes, muneris tamen honorarii cum populo Romano participes: à quo
E munere capessendo, appellati videntur. Nullis aliis necessitatibus neque ulla populi Romani lege astricti: hi non in civitate nati, ut Coloniæ, sed extrinsecus in civitatem veniunt. Non sunt ergo Municipes nati cives, sed, ut Festus inquit, cùm venissent Romam, admissi sunt à civibus ut omnium rerum participes fierent ad munus fungendum unà cum civibus, præter quàm de suffragio ferendo, aut Magistratu capiendo. Hujusmodi fuerunt Arpinates, Pisani, Nolani, Cerites & nonnulæ aliæ urbes Italiæ:
F Sic Festus. Philippus Melanchthon in Orationem Ciceronis pro Cælio. Muni- *Municipia quid.* cipia (inquit) erant urbes Italiæ quibus beneficii loco concessum est à populo Romano jus militandi; ut enim erant honestissimi quique, ita arma à populo merebantur & à cæteris oneribus liberi erant. Sic dicti sunt, quòd eadem munera cum populo Romano susciperent, à vectigalibus & reliquis oneribus liberi & immunes. Plerique verò cives possessiones suas in municipiis habebant, veluti Cælius. Verba Gellii & Melanchthonis. Satis liquet

 dis-

Municipia & municipes quo modo differant. discrimen inter municipes esse, & municipia, Municipésque à municipiis ortos, in civitatem venisse. Jam de populo Romano generatim dictum est, ac de illis ordinibus variisque distributionibus. Superest ut ad singulos Magistratus accedamus.

De Regno & Magistratuum potestate.

CAPUT II.

Regia potestas in urbe prima. Regia potestas prima omnium & antiquissima in urbe fuit, siquidem Romulus urbis parens, & conditor primus hanc tenuit: populúmque, non pro animi sui libidine atque arbitrio, sed consilio prudentissimorum hominum, qu s ad hoc opus adhibuit, gubernavit. Hi fuerunt Senatores, de quibus alio loco nobis dicendum.

Regiæ majestatis insignia. Romulus ergo, ut Regiæ majestatis honos haberetur, splendidiore corporis cultu, atque aliis quibusdam insignibus, augustiorem se populo reddidit: indutus *Trabea vestis quid.* est enim veste purpurea, quam Trabeam vocant. Trabea verò vestis erat togata, quæ, authore Suetonio libro de ge- *Trabeæ genera.* nere vestium, triplicis generis fuit. Quæ- *Primum Trabeæ genus.* dam enim Diis sacra, eaque purpurea. Altera, regium vestimentum; purpurea *Secundum genus.* quoque, sed albi habens nonnihil admixtum. Tertia angularis, cujus purpura *Tertium genus.* fuit cocco mixta. Erat Trabea vestis togata purpura circundata, sub tegmine pumiceo, quam aureæ fibulæ connectebant, & Quirinalis dicta propter Romulum: unde Virgilianum illud,

Ipse Quirinali Trabea cinctusque Galero Insignis, &c.

Quid à toga differat Trabea. Differebat ergo Trabea à Toga cæterorum civium, non forma, sed materia. Erat autem Toga vestis laxa oblonga, & quæ in sinum multis crispulis subtracta succingebatur, cujus erant va- *Prætexta toga, Virilis toga, Picta toga, Regia toga, Candida toga, Pulla toga, Pura toga, Prætexta toga, Virilis, Picta quid.* ria genera: veluti, Prætexta toga. Regia. Candida toga. Pulla toga. Pura toga. Virilis toga. Picta toga.

Prætexta toga, seu Prætexta simpliciter, vestis est, qua utebantur pueri ad annum usque decimum septimum, quo tempore virilem induebant. Picta toga vestis fuit publica summíque Magistratus. Regia toga, qua Reges soli usi sunt, *Regia, toga quid.* intexta erat auro & purpura. Candida, *Candida quid.* qua petitores Magistratuum utebantur, à quo dicti sunt Candidati. Pulla, nigra *Pulla quid.* erat qua in funeribus utebantur. Pura toga, est quam forenses tyrunculi assumebant tyrocinii die; unde metaphoricè pro tyrocinio sumitur: dicta est pura, quod nullo prætextu purpuræ distincta esset. Hæc obiter de Toga & Trabea dicere visum est, ut civem Romanum ab externo quoque habitu cognoscere liceat.

Præter Trabeam, Regia etiam majestas ornata est Cella Curuli, qua non modo Reges, sed post ipsos, Consules & nonnulli alii Magistratus, honoris gratia, usi sunt. Hac ergo Cella vectus

A Romulus duodecim lictores, succinctis vestibus, expeditos ad plectendos facinorosos habuit, qui præibant, gerentes fasciculos virgarum, intra quas virgas *Cur virgæ securibus alligatæ fuerint.* alligata securis erat, sic, ut ferrum in summo face extaret: cujus rei causam Plutarchus ostendit in Problematibus: nimirum, inquit, hoc judicium est magistratuum, iram promptam ac solutam minimè esse debere. Aut certè ideò id constitutum est, ut mora tantisper Magistratuum iræ fiat dum virgæ dissol-

B vantur; id quod sæpe pœnitentiæ occasionem Magistratibus attulit: quoniam autem facinorosi partim sunt emendabiles, partim perditissimi, ut virgæ admonendis illis, sic secures his de medio tollendis sunt institutæ.

Ex triginta Tribubus in quas po- *Custodes regii corporis.* pulum distribuit, denos equites legit ut essent trecenti sui corporis custodes: quorum comitatu stipatus, & pace, & bello, incedebat: hi celeres dicti, vel ab exequenda ministerii celeritate:

C vel ab interfectore Remi, cui Celer nomen fuit: & huic numero præfectus ab Romulo dictus Tribunus Celerum. Plinius de Celeribus loquens, Quinetiam, *Equitum nomen sæpe variatum.* inquit, ipsum equitum nomen sæpe variatum est, in iis quoque qui ad Equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo, Regibúsque appellati sunt. Deinde Flexumines. Postea Trossuli. Pompo- *Trossuli unde dicti.* nius putat Trossulos à Trossulo Tuscorum oppido expugnato dictos fuisse. Flexumines à flectendis hominibus: à *Flexumines unde dicti.* nonnullis Flexamines vocantur. Dio-

D nysius testatur unum ex toto populo lectum ab Romulo fuisse, cui res urbana tutò committi posset, cùm ipse abesset causa belli. Cæteros verò ipsius permissu lectos à multitudine, quæ ex suo corpore, id est ex triginta curiis: ternos in ordinem Senatorum cooptavit: quorum fretus consilio Rex totam Rempublicam gubernaret.

De Interrege & Interregno.

E

CAPUT III.

Interregnum spatium est temporis ab *Interregnum.* obitu Regis, donec alter creatus fuerit, interjectum. Interrex verò qui *Interrex* cum regia potestate, & insignibus interim præest. Livius libro 1. scripsit, Romulo humanis rebus subducto, patribus timorem incessisse, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, vis aliqua externa adoriretur, civitatum proximarum irritatis animis. Itaque caput aliquod esse placuisse, sed neminem

F voluisse alteri concedere. Tandem visum esse, ut rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulísque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociarent. Decem autem imperitabant. Sed unus cum insignibus imperii, & lictoribus erat. Quinque dierum spatio finiebatur imperium, & per omnes in orbem ibat, annúmque intervallum regni fuit. Id abs re, quod nunc quoque tenet nomen in-

interregnum, appellatum. Cæterum plebs, cùm videret multiplicatam servitutem, ac centum, pro uno, dominos factos, imperium tale molestè ferebat, neque ultra nisi regem à se creatum, passura videbatur. Propterea patres offerendum ultrò censuerunt, quod amissuri erant, regia potestate populo permissa: sic tamen ut non amplius darent juris quàm ipsi retinerent. Decretum ergo ut quem populus regem jussisset, id sic ratum esset, si patres authores fierent. Tum Interrex, concione advocata, Quod bonum, faustum, fœlixque sit, inquit, Quirites, Regem create. Ita patribus visum est. Patres deinde si dignum, qui secundus ab Romulo numeretur, creaveritis, authores fiebant. Ea conditione Rex creabatur apud quem summa rerum omnium esset.

Interregis concio.

Interregni nomen, & Interregis ad alios etiam magistratus transfertur, quando loco magistratus aliquis sufficitur tanquam Interrex. Cujus rei testis est Livius, dum ait: Cùm sine curuli magistratus Respublica esset, Patricii coïere, & Interregem creavere. Contentio, Consulésne, an Tribuni militum crearentur in interregno, rem complures dies tenuit. Illud etiam observatum fuit, ut Consules cùm abessent Reip. causa, seu vitio creati essent, & comitiis interesse non possent, res ad Interregem deduceretur, & per Interregem, Comitia consularia fierent. Supra, cùm de Comitiis Centuriatis ageretur, declaratum est, hujusmodi Interreges Magistratum duntaxat quinque dierum tenuisse, & alios aliis quivis quinque diebus creatos successisse.

De Senatoribus.

CAPUT. IV.

Tres ordines populi Romani.

Tres ordines populi fuisse in urbe constat: quorum primus ac maximus fuit Senatorius, de cujus institutione, nomine, numero, officio, potestate atque authoritate, insignibus, convocatione, loco, tempore, & ordine in sententiis dicendis. Item de electione, de diversis generibus Senatorum & reliquis ad eum ordinem pertinentibus nunc disseremus.

Senatores primùm ab Romulo creati.

Livius libro primo scribit Romulum urbe nova viribus, ac robore munita, in animum induxisse ut consilium viribus pararet. Itaque Senatores centum creasse, sive quia is numerus satis erat, sive quia soli centum erant qui creari patres possent. Senatores seu Patres dicti vel ab ætate, ut Festus inquit: vel ab honore: vel quia patres agrorum tenuioribus, tanquam liberis, attribuebant. Cicero, libro primo de Senectute, testatur Senatum à Senum ætate vocari qui eadem de causa Græcis dicitur γερουσία. Patrum verò nomen honoris causa datum Livius putat. Patres (inquit) ab honore, eorúmque progenies appellati Patricii.

Patricii unde dicti.

De numero Senatorum.

Numerus

Numerus Senatorum fuit primùm Centenarius, sed postea auctus est à Tarquinio Prisco quinto Rege, qui (ut Livius scribit) non minus Regni sui firmandi quàm augendæ Reipublicæ memor centum Patres legit, qui deinde minorum gentium dicti sunt. Factio haud dubia Regis, cujus beneficio in curiam venerat. Postea, Regibus exactis, Junius Brutus primus Consul Senatorum numerum cædibus Regiis imminutum ad trecentorum summam (ut Livius ait) explevit: quò plus virium in Senatu frequentia ordinis faceret. In quem primores equestris gradus legit. Dionysius tercentenarium similiter numerum in hoc ordine fuisse scribit. In primo tamen libro Machabæorum capite octavo, legitur Romanos trecentorum & viginti hominum Senatum sibi constituisse. Tranquillus in Augusto scribit, Augusti Imperatoris ætate Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba fuisse. Erant enim supra mille & quidam indignissimi ac post Cæsaris necem per gratiam & præmium allecti quos Abortivos vulgus vocat. Itaque Augustus, effrænem illum numerum ad morem pristinum, & splendorem redegit, ídque duabus lectionibus, id est, electionibus: Priore, ipsorum arbitratu quo vir virum, Senator Senatorem legit: Altera suo & Agrippæ. Quoties Senatus in consilium adhibebatur, si res esset momentosa, Senatores minori numero, quàm centum, non conveniebant, ut author est Livius libro 9. de bello Macedonico. Asconius tamen scribit, Cornelium, tempore Ciceronis, legem tulisse, ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent, ac duo Senatusconsulta uno die non fieri.

Senatorum. Senatorum numerus auctus à Tarquinio Prisco. Patres minorum gentium.

Trecenti Senatores.

Mille Senatores.

Abortivi Senatores.

De officio Senatoris.

Senatoris officium quale sit Cicero scribit libro 3. de Legibus. Id officium situm est in his tribus, ut adsit, ut loco dicat, ut modo. Quatenus adesse officii est, habet res gravitatem in ordinis frequentia. Dum loco dicere debet Senator, significatur in eo quod non aliter quàm rogatus dicat. Senatus enim, non nisi referentibus Consulibus, aut his quibus Senatum habere vel cogere licebat, decernere poterat. Id quod Cicero ostendit in Orat. post reditum, cùm, inquit, Provincialium postulata Consulibus ædebantur, ut de iis ad populum referrent. Denique in modo, illud inest, ne sit infinitus. Nam brevitas non modò Senatoris, sed etiam Oratoris magna laus est in sententia: neque utendum est longa unquam oratione nisi ubi spectante Senatu, & nullo Magistratu adjuvante diem tolli necesse est. Cæterum illud jam dictum esse muneris Senatorii, ut adsit, ut loco dicat, ut modo: id præterea requirebatur, ut Senator vir esset prudens, & qui Remp. cognosceret. Ideò scriptum est in lege duodecim tabularum de Senatoris officio, Causas populi teneto. Id quod Cicero eodem libro interpretatur, noscat Remp. quid habeat militum, quid valeat ærario, quos

Senatoris officium.

Dicere loco.

Dicere modo.

Senator qualis esse debeat.

quos socios habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, qua conditione, quo fœdere: teneant præterea consuetudinem decernendi: noscat exempla majorum. Non pertinebat autem ad Senatum cognitio litium, & necessitas judicandi, licet ex Senatu, sicut ex equestri ordine, decuriæ judicum interdum sumerentur. Id quod intelligi potest ex Cicerone actione ultima in Verrem, cùm inquit, Ad Senatum devenient qui de Verre supplicium sumant? Non est usitatum, non est Senatorium.

Judicia & litium cognitio non erant penes Senatum.

De authoritate Senatus.

Authoritas.

Nunc quæ sit authoritas dicamus, in quo primum omnium animadvertendum, cùm authoritatem Senatoriam dicimus, non intelligi gravitatis aut prudentiæ, vel magnitudinis cujusdam opinionem: qualem in magnis ac clarissimis viris cernimus: sed consensum majoris alicujus aut prudentioris, sine quo, nihil quod actum sit ratum haberi debeat. Sic antiqui vocabant, authores mulierum, sine quorum consensu, quæcunque mulieres egissent rata non erant: ut Liv. testis est lib. 37. & Cicero pro Flacco & pro Aulo Cecinna. Authorem ergo fieri, hîc aliud nihil est, quàm consentire & approbare id quod agitur, quod aliàs nullius esset momenti. Sic Paulus Jurisconsultus explicat in leg. Etiamsi, digestis de authoritate & consensu tutorum. Itaque Patres id juris antiquitus habuerunt, ut rata tum demum essent, quæ populus juss.erat, si ipsi authores fierent, id est, si rem factam approbarent. Authoritas enim erat in Senatu, sicuti penes populum potestas ac majestas, ut Cic. docet lib. 3. de legibus, Propterea populo sciscere ac jubere dicebatur: Senatus vero censere & authorem esse. Id quod ex Livii testimonio constat, cùm ait, Senatus eam pacem servandam censuit, & paucos post dies populus jussit. Et alibi quum populus Regem jussisset, id sic ratum esse si Patres authores fierent: Hodiéque in legibus ac Magistratibus creandis usurpatur.

Authoritas in Senatu. Maiestas in populo.

Ex hujusmodi potestatis seu majestatis & authoritatis discrimine, facilè videri potest quid intersit inter læsæ majestatis, & imminutæ authoritatis crimen. Illud enim in eum committitur, cujus est majestas: hoc in eum cujus authoritas in Senatu, quam postea lex Menia, id est, à Menio Trib. plebis lata, magna ex parte enervavit & inutilem reddidit. Cùm enim patres, rerum à populo decretarum authores sæpe fieri nollent, legem tulit, ut ante initum suffragium authores essent, ejus rei quam populus jussurus erat: Ita fiebat, ut quicquid populus jussisset, ex authoritate Patrum actum videretur: cùm tamen ante hanc legem authoritas Patrum requireretur post latum suffragium: sicut constat ex eo loco Livii, quem paulò ante citavimus, cùm ait, Id sic ratum esset si Patres authores fierent. Item ex Cicerone in oratione pro Plancio. Nam etiam ætate Ciceronis adempta erat illa

Lex Menia authoritatem Senatus imminuit.

A Senatus antiqua authoritas, quam initio Romulus concesserat, quamvis sub specie quadam usurparetur. Atque illa quantulacunque fuit à Cæsare dictatore oppressa languescere cœpit, ac deinde post Augustum interire, cùm unius jam arbitrio cuncta regerentur. Non enim Senatus in mandandis exercitibus, in provinciis decernendis, in legationibus admittendis, ac dimittendis, & constituenda Republica, ultra occupatus fuit: sed in adulationes Principum conversus, insontes sontésque nullo discrimine con-
B demnare, sævientibus Principibus, damnatos permittere: cives flagitiosissimos in gratiam Principum ex reis eximere, & Principibus condonare, in nocentissimis hominibus negotium facessere, & plurima hujusmodi facinora perpetrare, premente servitute, coactus est. Tunc Senatorii muneris esse cœpit reorum judicatio, & à Nerone institutum est, ut quia judicibus ad Senatum provocarent, mulctæ periculum facerent.

Authoritas Senatus oppressa.

De insignibus ordinis Senatorii.

C Senatorii ordinis cultus & ornamenta fuêre Latus clavus, & calceus lunatus. Erat latus clavus tunica purpura prætexta, latior tunica vulgari, lugubríque & distincta, cui toga superinduebatur. Unde tunica Latisclavia dicta: & Senatores Latisclavii, propterea quòd nodi quidam purpurei instar capitis clavorum erant, quibus tunica universa distinguebatur, à quibus latè non angustè intertextis ipsa tunica nomen sumpsit Latis-
D clavii. Calceus lunatus, Lunæ imagine fuit insignitus, ad significandam vetustatis originem, nempe ab Evandro & Arcadibus, qui se ante Lunam natos prædicant: hujusmodi insignia in luctu publico deponebantur. Dion, in vita Trajani, Senatorem ait pingi solitum, hac forma, ut esset senior in tunica ac prætexta purpurea cum corona. Plin. ait, Tullum Hostilium tertium Romanorum Regem primum lato clavo usum fuisse. Strabo Baleares mortalium primos latum clavum induisse. Silius Ita-
E licus poëta, Herculis Sacerdotes id quoque genus vestis habuisse, cum ait,

Insignia Senatorum. Quid latus clavus.

Calceus Lunatus qualis & cur Senatorum insigne.

> *Sacrificam lato vestem distinguere clavo, &c.*

His ergo insignibus, id est lato clavo & calceis lunatis, Senatores ab aliis ordinibus distinguebantur, quemadmodum Equites annulo aureo, quod ipsorum insigne fuit. De quorum ordine & distinctione sic Plinius: Annuli (inquit) dis-
F tinxere alterum ordinem à plebe, ut semel cœperunt esse celebres, sicut tunicæ ab annulis, Senatum. Et Senatoribus jus fuit spectandi in orchestra. Equitibus verò in quatuordecim ordinibus Theatri. Superest jam ut de jure ac modo Senatus habendi seu convocandi disseramus.

Equitum Romanorum insigne.

Gellius lib. 14. scripsit, Senatum olim haberi solitum per hos Magistratus, Dictatores, Consules, Prætores, Tribunos

Senatus per quos Magistratus haberi possit.

bunos plebis, Interregem, neque aliis præterquam his jus fuisse faciendi Senatusconsulti. Quotiescunque autem usu venisset ut omnes isti Magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra scripti sunt ordine; qui eorum prior aliis esset ei potissimum Senatus consulendi potestas fieret. Item extraordinario jure Tribuni quoque militares, Decem-viri dum præessent cum imperio consulari, & hi præfuerunt in Republica post necem C. Cæsaris: & parum diu Triumviri constituendæ Reipublicæ causa creati, jus consulendi Senatus habuerunt.

His autem Magistratibus quibus Senatusconsulti faciendi jus erat, potestas etiam fuit intercedendi, ne Senatusconsultum fieret. Livius lib. 3. Nemini dicit licuisse Senatusconsultum habere, qui ipse Magistratus non sit, id est, neminem privatum hoc juris habuisse.

De loco Senatusconsulti faciendi.

Locus habendi Senatusconsulti. Templum quid sit.

Locus quo Senatusconsultum fieri oportebat per Augurem constituebatur, & Templum appellabatur etiamsi prophanus esset, veluti curia Hostilia, Pompeia; Julia, neque alibi fieri poterat quàm ubi Augur constituisset, &, si factum fuisset, justum non erat. Fiebat tamen aliquando sub Dio, propter aliquam prodigii causam, ut testatur Plinius de Bove quæ locuta est.

De Tempore.

Tempora Senatusconsulti faciendi.

Tempus autem Senatusconsulti faciendi fuit post Solis exortum & ante occasum; alioqui ratum non erat, sed Censorium opus in eos per quos alio tempore factum fuisset. Ac tempus quidem certum quò Senatus haberetur lege Pupia, id est, à M. Pupio Pisone lata, constitutum fuit; unde Senatus legitimus vel edictus seu indictus appellatus est. Legitimus Senatus is erat, qui statis diebus & lege designatis habebatur, videlicet sicut lex Pupia jubebat, neque ante Kalendas Februarii neque toto mense Februario, nisi perfectis aut rejectis legationibus, ut est in 1. epist. apud Ciceronem: siquidem olim mensis Februarius legatis provinciarum dari solebat, & totus ferè in audiendis provinciarum postulatis consumebatur: author est Asconius Pedian. in 3. Verr. Cicer. Tranquillus in Augusto ait Augustum sanxisse ne plus quàm bis in mense Senatus legitimus haberetur: scilicet Kalendis & Idibus, néve Septembri Octobríve mense ullos adesse alios necesse esset quàm sorte ductos; per quorum numerum decreta confici possent.

Senatus legitimus.

Edictus autem vel indictus Senatus is erat, qui ob negotia incidentia repentè indicebatur: sic legitima concio & edicta concio dicta est, illa quæ fixis ac statis diebus, videlicet ter in mense, conveniebat; hæc quæ repentè & nova quadam de causa fiebat. Qui Senatum habiturus erat, priùs hostiam immolare auspicarique debebat, & in Senatu priùs de rebus divinis, quàm de humanis referre. Quoniam autem nemo sententiam

Senatus edictus, & indictus. Concio legitima. Concio edicta.

A dicebat nisi rogatus, videndum est, quisnam ordo, in rogandis ac dicendis sententiis fuerit.

Gellius ea de re lib. 4. cap. 10. sic scripsit, Ante legem (inquit) quæ nunc de Senatu habendo observatur, ordo rogandi sententias varius fuit. Aliàs primus rogabatur; qui à Censoribus princeps in Senatum lectus fuerat. Aliàs qui designati Consules erant. Interdum quidam è Consulibus, studio aut necessitudine aliqua adducti, quem iis visum erat honoris gratia, extra ordinem sententiam primùm rogabant. Tamen observatum est, cùm extra ordinem fieret, ne quis quenquam, nisi ex Consulari loco, primum sententiam rogaret. Cicero in libro de Senectute testatur; tantum honoris aliquando Senectuti delatum fuisse; ut qui natu grandior esset, is prior in Senatu sententiam rogaretur. Tamen Cæsar in Consulatu quem cum Bibulo gessit, solos quatuor, ut Gellius testatur, extra ordinem rogasse fertur: ex iisque principem M. Crassum; sed postquam filiam Cn. Pompeii despondit: primùm cœpit Cn. Pompeium rogare. Cæterum Fenestella scripsit, tres tantùm à Cæsare solitos rogari, Crassum, Pompeium, & Catonem: nec prætereundum est silentio hoc loco, quod Gellius commemorat de jure Senatoris, in sententia dicenda: Erat enim (inquit) jus Senatori, ut sententiam rogatus, diceret ante quicquid vellet, etiam alius rei & quoad vellet: & ita fecisse Catonem testatur Consule Cæsare, diémque totum dicendo eximere voluisse, propterea prehensum jussu Consulis à viatore, & ductum in carcerem: sed Senatum consurrexisse, & Catonem in carcerem prosequutum fuisse: qua invidia facta Cæsarem destitisse, & jussisse Catonem mitti. Fiebat autem Senatusconsultum duobus modis: uno per discessionem si consentiretur: altero per sententias singulorum exquisitas, cùm res erat dubia: ubi tum singuli gradatim consulebantur. Nunc jam ad Senatorum electionem transeamus.

Modus rogandi sententias in Senatu.

Jus Senatoris in sententia dicenda.

Senatusconsultum duplex.

Fuit ratio varia legendi Senatus diversis temporibus. Primùm enim per Reges cooptabatur, ut superiùs dictum est, de Senatoribus ab Romulo & Tarquinio Prisco institutis. Deinde per Consules. Nam primus Consul Junius Brutus, authore Livio, primores Equestris ordinis in Senatores adscribi jussit: cùm Senatum, post exactos Reges, bonis viris exhaustum vidisset. Posteà constitutum ut à Censoribus Senatores legerentur, vicissimque Senatu moverentur. Sed ea de re nobis erit sermo cùm agetur de Censoria potestate. Liv. tamen lib. 3. 2. belli Punici dicit placuisse creari Dictatorem, qui Censor ante fuisset, vetustissimúsque ex iis Censoriis qui viverent, penes quem legendi Senatus potestas esset. Buteonem etiam ob id Dictatorem creatum qui centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in Senatum lectis, extemplo se Magistratu abdicavit. Optabantur autem Senatores ex Equestri ordine: unde

Eligendorum Senatorum ratio.

Ale-

Alexander Imperator Romanus dicere solebat, Seminarium Senatorum Equestrem ordinem esse. Legebatur & ex ordine Senatorio unus qui Princeps Senatus dicebatur, quod genus honoris iis tantum deferri consuevit, qui authoritatem & gloriam, maximis in Rempublicam meritis, præstantissimísque rebus gestis, essent consecuti. Livius, lib. 7. decade tertia, scribit morem fuisse traditum à Patribus, ut qui primus Censor fuisset, ex iis qui viverent, is princeps Senatus legeretur. Nunc de generibus Senatorum agamus.

Princeps Senatus.

Quadruplex in hoc ordine genus Senatorum fuisse perhibetur, Patricii, Conscripti, Allecti, Pedarii. Patricii dicti sunt qui à primis illis Senatoribus originem ducunt. Horum enim progenies (inquit Livius) Patricii appellati. Conscripti qui Regum, Consulum, Censorúmve decreto in Senatu lecti sunt: De quibus sic Festus, Patres (inquit) dicti sunt qui patricii sunt generis: Conscripti verò, qui sunt in Senatu scriptis adnotati. Plutarchus, in Romulo, testatur à Romanis collegium Senatorum Patres conscriptos appellari, quod nomen authoritatis plurimum & invidiæ minimum præ se fert. Sed ab initio tantùm Patres, posteà in eum ordinem adscriptos, Patres conscriptos appellari. Allecti, authore Festo, sunt qui, propter inopiam, ex Equestri ordine in Senatorum numerum sunt assumpti, quo nomine, id est, Allecti, Ascriptitiíque (ut inquit Budæus) vocari possunt Latinè in collegiis Magistratuum qui vulgò creati & extraordinarii nominantur. Pedarii (authore Varrone) sunt Equites Romani qui nondum à Censoribus in Senatum lecti, Senatores quidem non erant. Sed, quia honoribus populi usi fuerant, in Senatum veniebant, & sententiæ jus habebant. Non tamen rogabantur sententias, sed quas Principes dixerant, in eas pedibus ibant: à quo Pedarii & eorum sententia Pedaria dicta. Gellius lib. 3. negat Pedarios Senatores eos vocari, qui sententiam in Senatu non verbis dicerent, sed in alienam pedibus irent, si quidem cùm Senatusconsultum fiebat per discessionem, tum universi Senatores pedibus sententiam ferebant. De his plura apud eundem Gellium lib. 3. cap. 18. Sciendum tamen Senatores omnes sententiam stantes, non autem sedentes, solitos dicere.

Quatuor genera Senatorum. Patricii qui. Conscripti qui. Allecti qui. Pedarii qui.

Priusquam autem è Senatus foribus egrediamur, non incommodum erit hîc subjicere Scipionis edictum de Senatoribus & alia ad hunc ordinem pertinentia. Scipio, authore Liv. lib. dec. 4. edixit, Qui Senatores essent quibúsque in Senatu sententiam dicere liceret: quíque majores Magistratus essent, ne quis eorum longiùs abiret ab urbe, quàm inde eo die redire posset: néve uno die quinque ab urbe Senatores abessent. Idem Livius lib. 3. dec. 1. tradidit Institutum à Consulibus fuisse, ut Senatusconsulta in ædem Cereris ad Ædiles Plebis deferrentur, cùm tamen ante arbitrio Consulum supprimerentur aut annuntiarentur.

Senatores abesse ab urbe non licebat. Senatusconsulta in æde Cereris servabantur.

A Institutum est posteà Senatusconsultum ad Ærarium deferri, ubi & leges erant in æs incisæ, authore Cicerone Philippica quinta, de Censu Senatorio ita hoc proditum est, duplò majorem fuisse quàm Equestrem. Plinius non probat Senatores & Equites, ex quibus Judices fiebant, ex censu potius quàm ætate legi. Postquam Magistratum Ducémque nihil magis exornare quàm census, pessumiere vitæ pretia, omnésque à maximo bono, liberales dictæ artes in contrarium cecidêre.

Census Senatorius.

De personis Senatoriis id quoque in-
B telligendum, Senatoriarum personarum vocabulo contineri non solùm viros sed etiam uxores, liberos adoptivos, emancipatos, posthumos: item eos qui, quum sint Patricii, tamen se plebeiis adoptandos tradiderunt: id quod non observabatur, quo tempore P. Clodius, vir Patricius, plebeio homini se adoptandum præbuit, ut Tribunitia potestate adversus Ciceronem uteretur.

Senatorum filiæ, si aliis quàm ordinis Patricii viris nupserint, hujus nominis dignitatem amittunt. Similiter hæ, quæ
C primò Senatoribus, deinde inferioris ordinis hominibus, postea fuerint collocatæ. His jam omnibus explicatis, superest postremo loco ut quasdam leges de hoc ordine constitutas recitemus.

Plutarchus, in vita Syllæ, lege Sulpitia cautum fuisse testatur, ne quis ordinis Senatorii ultra duo millia drachmarum æs alienum conflare possit.

Leges Senatoriæ.

Dionysius Halicarnasseus cautum fuisse etiam tradidit, lege à Decemviris constituta, ne Patriciis liceret cum Plebeiis connubio jungi; quæ lex postea abroga-
D ta est.

Cicero, in tertio de Legibus, has leges ex duodecim tabulis dessumptas commemorat.

Omnes Magistratus auspicium judiciúmque habento ex quo is Senatus esto.

Ejus decreta rata sunto.

Ni potestas par minórve prohibescit, Senatusconsulta perscripta servanto.

Is ordo vitio vacato cæteris specimen esto.

Senatori qui nec aderit: aut causa, aut culpa esto.

E Loco Senator & modo dicito. Causas populi teneto. Sed de Senatoribus hactenus.

De Consulibus & eorum potestate.

CAP. V.

ANno ab urbe condita ducentesimo quadragesimo quarto, pulso, propter imperiosam arrogantiam, Tarquinio Rege, civitas in libertatem recepta est, cujus adipiscendæ Junius Brutus, Tribunus
F Celerum, author fuit. Tum Regiæ potestati imperium consulare successit, omnino Regio simile, nisi quod Regium imperium perpetuum fuit, Consulare verò annuum. Creati sunt ergo Consules ipse Junius Brutus & Tarquinius Collatinus comitiis centuriatis, primi qui omnia jura (ut inquit Livius) omnia insignia tenuere, neque iis quicquam de Regia

Consulare imperium quale. Primi Consules T. Collatinus & Junius Brutus.

Regnum ejuratum. gia potestate diminutum. Id modò cautum est, ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur: Brutus prior concedente collega fasces habuit, qui omnium primum avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis Regiis posset jurejurando adegit neminem Romæ passurum regnare.

Consules unde dicti. Consulum Magistratus à consulendo dictus est: quòd eorum esset consulere in Senatu. Quintilianus lib. 1. dicit dubitari posse à consulendo, an à judicando dicantur: quia veteres hoc quoque judicare dixerunt: unde Cicero lib. 3. de Legibus, testatur ex legibus duodecim tabularum, eosdem Prætores, Judices & Consules dici à præeundo, judicando, & consulendo. *Leges Consulares.* Leges autem apud Ciceronem ita scriptæ reperiuntur de potestate Consulari.

Regio imperio duo sunto: iique præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Consules appellantur.

Militiæ summum jus habento.

Nemini parento.

Ollis salus populi suprema Lex esto.

Eum Magistratum, nisi intervenerint decem anni, ne quis capito.

Ævitatem annali lege servanto.

Consules, Prætores, Judices, cur idem dicti. Hæ sunt leges Consulares in quibus perspici potest qualis Consulum potestas fuerit. Sed quoniam illic eosdem Prætores, Judices, & Consules appellari videmus, considerandum est in urbe judicia primum penes Reges fuisse: deinde exactis Regibus, id munus Consulibus cessisse, qui propterea & Prætores & Judices in legibus duodecim tabularum nominantur. Postea aucto imperio, quando molestiis & oneribus judiciorum satisfacere nequirent, gravioribus negotiis occupati, creati sunt Prætores, propter lites dirimendas & constituenda judicia, de quibus alibi nobis dicendum, quòd de intervenientibus decem annis scriptum est id perpetuum non fuit. *Consules reficere contra leges 12. tabul.* Nam Liv. lib. 7. dec. 3. testatur jus populo fuisse reficiendi Consules, quos, & quoties vellet, ex iis qui Consules ante fuissent. Sic C. Marius septies Consul perhibetur fuisse, intra pauciores annos quàm septuaginta. Similis lex ferè fuit qua cautum est ne quis post Præturam citiùs quàm biennio lapso Consulatum iniret, authore Cicerone in Rullum ubi se Consulem factum esse dicit post Præturam suo anno, id est biennio lege præscripto. Præterea quòd jubentur ævitatem annali lege servare sic est accipiendum ut intelligamus, Consularem ætatem, quadraginta trium annorum fuisse. *Lex annaria de Consulibus.* Nam lege annaria nullus ante quadragesimum tertium annum poterat Consulatum adipisci. Propterea Cicero gloriatur suo anno se Consulem factum, id est, eo anno quo Consulatum ei primùm per leges annales petere licuit. Cæterum Magistratum inibant *Quo tempore Consules Magistratum inirent.* non modò Consules, sed etiam Prætores, Kalendis Januarii. Tamen circa bella Punica & ante Idibus Martii, teste Livio, & eo ipso die, boves singulos Jovi Consules solebant immolare.

Mos antiquus in petendis Magistratibus. Porrò ne Priscorum morem in creandis Consulibus cæterísque Magistratibus ignoremus, animadvertendum est Romæ fuisse institutum, ut diebus comitialibus (qui vel à Consule vel alio Magistratu, cui tum comitia habendi jus erat, edicto promulgabantur) Populus in Campum Martium conveniret, ubi Magistratum petebant Candidati, à toga candida quæ gestamen erat Petitorum dicti, *Candidati.* Tribus circumibant singulósque prehensantes gratiam & suffragia precibus temporariáque observantia emerebantur, unoquoque plebeiorum ac popularium benignè & nominatim appellato. Quam ad rem faciliùs agendam Nomenclatores inventi sunt, qui singulorum nomina tenebant, candidatísque suggerebant ut quisque obvius erat. *Nomenclatores.* Sed id postea vetitum est lege: Plutarchus author est in Catone minore. Plin. in epistola ad Netium, ait, in comitiis hunc ordinem solitum fuisse servari: citato nomine candidati silentium summum: dicebat candidatus pro se: explicat vitam suam: testes & laudatores dabat, vel eum sub quo legatus, aut eum sub quo Quæstor fuerat, vel utrúmque si poterat. Addebat etiam quosdam ex suffragatoribus. Illi graviter & parcè loquebantur plus hæc quàm preces proderant. Interdum candidatus natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat Senatus gravitate Censoria, ita sæpe digni, magis quàm gratiosi valebant. Cæterùm animadvertendum in talibus Magistratuum petitionibus, nihil ambitiosè factum existimari, licet in speciem qui sic peteret, & populum ambiret, reus ambitus videretur. Verùm sciendum, authore Cicerone in Oratione contra Sallustium, duplicem ambitum esse, unum popularem, *Ambitus duplex.* concessum quidem atque etiam laudatum, cùm aliquis, Magistratum aut curationem petendo, suam operam offert Reipublicæ, judiciúmque de se faciendum populo permittit absque dolo malo: hoc genus ambitionis nullis legibus prohibetur, sed approbatum semper & à maximis præstantissimísque viris exercitum est. Alterum autem ambitus genus infame est, & legum severitate notatum, *Leges variæ de ambitu.* quod aliquando vi, aliquando dolo committitur, & unde cædes, largitiones, & variæ corruptelæ nascuntur: de hujusmodi crimine, variis temporibus variæ leges rogatæ sunt.

Lex Petilia. Primùm anno ab urbe condita trecentesimo nonagesimo septimo, lex Petilia qua non largitiones paupere tum civitate, sed præpostera ambiendi ratio coërcebatur. Cùm novi quidam homines, præter morem, nundinas & conciliabula agerent, & favorem hominum sibi conciliantes suffragia peterent. Qua de re Livius lib. 7.

Lex Calphurnia. Item lex Calphurnia anno ab urbe condita sexcentesimo octogesimo septimo Republica jam imperii dignitate, & opum magnitudine aucta, qua lege præter alias pœnas, pecuniaria quoque

Yyy adjecta

adjecta fuit, authore Pediano. Huic successit lex Tullia, M. Tullio Consule ex Senatus decreto lata, quando cautum est, præter alia multa, ne quis prandia vulgò daret, alioquin legis Calphurniæ reus haberetur. Adjecta etiam asperior pœna quàm antea, nempe exilium: nam antea damnati in civitate remanebant.

Lex Tullia.

Fuit præterea lex Pompeia de ambitu severissima quæ, Cæsare in Galliis res maximas gerente, tum lata est, quum Candidatis in urbe insanientibus sic ambitus arderet, ut populus in varia studia scinderetur, ferróque dimicaretur atque igni, & propterea teste Appiano, octo mensibus Respublica Magistratibus caruerit, in quibus procellis ac fluctibus, suadente Catone, solus Cn. Pompeius tertius Consul ab Interrege creatus est, qui ambitum in campo Martio sontibus punitis non sine magna laude pepulit. author est Plinius.

Lex Pompeia.

Adhibebantur autem in comitiis observatores, qui, ne quid fraudis & ambitus admitteretur, circumspicerent: sæpe enim eveniebat, ut pecuniæ tributim dividerentur à candidatis, ad egentium aucupanda suffragia: & qui pecuniam tributim dividebant. Hi divisores dicti sunt, quos Pedianus à Plauto magistro Curiarum dici putat. Hi, si deprehensi fuissent & convicti, damnabantur, plerumque in præjudicium eorum qui largitiones dicebantur fecisse, authore Cicerone pro Plancio. Idem in Oratore pro responsis aruspicùm scripsit singulas Tribus suum divisorem habuisse. Et in oratione pro Planco de sodalibus meminit, id est, de iis qui coitiones honorum adipiscendorum causa fecissent & operam suam ad suffragia corrumpenda interposuissent, hos enim Romani nomine criminoso sodales vocabant. Pedianus in eorum ordine ponit Sequestres, apud quos pecunia deponebatur: & ait in sodalitiis proprium Quæstorem deputatum fuisse, quæ omnia lege Licinia constituta sunt. Cicero pro Cluentio & Appianus lib. 2. de bello civili testantur eum qui ambitus damnatus erat, in integrum restitui, si alium ejusdem criminis reum adduxisset, & condemnasset. Jam verò, quoniam de Consulibus designatis sermo sæpe apud authores, nunc videndum qui sint & cur appellentur.

Observatores Comitiorum.

Divisores.

Sodales Comitiorum.

Sequestres.

Designati Consules qui appellentur.

Propterea sciendum in more fuisse apud Romanos, ut Consules, Prætores & Tribuni-plebis crearentur in annum proximum, id quod erat designare, unde Consules designati dicti sunt, qui creati in annum proximum nondum Consulatum & consulatus insignia inierant. Inibant autem, ut superiùs dictum est, Kalendis Januarii, & aliquanto tempore Idibus Martii. Comitia verò in quibus creabantur, aut designabantur Magistratus, non habebant præscriptum, aut certum aliquod tempus quò fierent.

Sed quoniam diximus Regiæ potestati Consularem parem fuisse, animadvertendum est paucis id annis durasse, nempe usque ad Valerii Publicolæ consulatum, qui Tarquinio Collatino successit:

A

Is enim cùm in suspicionem venisset affectati Regni post obitum Junii Bruti, & advocata concione se purgasset. Author fuit ferendæ legis, ut ab omnibus Magistratibus esset ad populum provocatio. Tum ergo Consularis potestas, Regia multò inferior esse cœpit. Polybius lib. 6. scribit, Consularem dignitatem hujusmodi tamen fuisse, ut cæteri Magistratus omnes, Consulibus parendis, & subjecti essent, per eas legationes in curiam introduci, quæ celeriter statuenda essent decernere, quæ deliberanda essent, ad

Consularis potestas imminuta.

B

Senatum referre, quid major pars jusserit exequi: quinetiam in his quæ ad belli apparatum, & castrensem disciplinam pertinent, hi summum jus; summum imperium habent, his etiam jus est; sociis quicquid visum fuerit imperare, Tribunos militum creare, delectum habere. Pomponius lib. 2. ff. de origine juris, ait, Lege lata summum jus Consulibus datum esse, provocationem tamen ab iis populo esse concessam. Prohibitum etiam, ne possent in caput civis animadvertere, Injussu populi; solùm illis re-

C

lictum est, ut coërcere possent, & in vincula publica duci juberent.

Nec illud silentio prætereundum Consules ex corpore patrum solitos primùm creari. Deinde tamen seditionibus Tribunitiis id concessum, ut alter Consulum ex ordine Plebeio legeretur. Primus ex plebe Consulatum obtinuit Lucius Sequacius. Quòd si Consul in bellum proficisceretur, is exibat ab urbe paludatus, id est, paludamento indutus, quæ clamys erat imperatoria, & dabatur pro insigni non solùm Consulibus,

Consulum alter ex plebe.

Consules paludati.

D

sed etiam lictoribus. Erátque alba aut purpurea, teste Valerio lib. 6. ubi scribit Crasso proficiscenti contra Parthos, pullum paludamentum datum fuisse: cùm tamen in bellum exeuntibus album aut purpureum dari soleret. Cùm autem exiret Paludatus nuncupabat priùs vota divis in capitolio, quo post bellum victor ac triumphans ad eosdem deos merita dona populo Romano traducebat. Illud etiam adjiciendum fuit, iis quæ de Candidatis diximus, necesse fuisse Consulatum petentibus, ut comitiis ipsi per se

Candidati comitiis intersint.

E

interessent, neque per alios petendi Consulatum facultatem haberent. Et hæc de Consulibus dicta sufficiant.

De Præfecto urbis, & aliis.

CAPUT VI.

Præfecti vocabulum sic latè patet ut per id, quisquis præficitur alicui negotio significetur. Propterea Præfectum urbis appellamus eum qui negotiis urbanis præerat: fuit autem primùm constitutus ab Romulo cùm ipse bellorum causa abesse ab urbe cogeretur. Ille (authore Dionysio) non à populo, sed à solo

F

Rege cui vicariam operam præstabat, legebatur. Cæteri Magistratus multitudinis arbitrio permissi sunt legendi. Fuerunt & alia præfectorum genera multa: veluti Præfecti annonæ: Præfecti vigilum: Præfecti militiæ: Præfecti legionum, castrorum, fabrorum, & denique Præfecti prætorio.

Præ-

Præfectus annonæ. Præfectus annonæ, primùm constitutus est anno 18. post exactos Reges Tito Giganio & P. Minutio Coss. cùm maxima caritas & penuria urbem invasisset, ut ex Sicilia frumentum adveheretur. Hic Magistratus non solebat nisi commeatus, & annonæ causa ob egestatem & penuriam gestari: dicitur à nostris commissarius victualium.

Præfectus vigilum. Præfectus vigilum creatus est, qui præesset cohortibus ad vigilias nocturnas institutis. cum enim accidisset ut urbis ædificia sæpe incendio conflagrarent, urbs in 14. regiones divisa est, quarum duas singulæ cohortes custodiebant, quibus cohortibus Præfectus vigilum præerat, penes quem erant scelerum nocturnorum judicia præsertim latrocinii & incendii.

Præfecti in militia. Præfecti in militia varii fuerunt, idque pro Regis aut Imperatoris arbitrio, à quo qui præficiebantur aliis vel cohortibus, vel aliis partibus in exercitu. Præfecti alarum, Præfecti cohortium, & id genus similes dicti sunt.

Præfectus legionis. Præfectus legionis, legati absentis vicem in exercitu gerebat, de cujus legati potestate nobis erit sermo cum de Proconsulibus & eorum legatis differemus. Huic Præfecto parebant Tribuni, Centuriones, & totus denique exercitus; huic etiam cura erat armorum, equorum, vestium, disciplinæ, jurísque militaris, annonæ, & similium.

Præfectus castrorum. Præfectus castrorum is erat cui cura credebatur castra metandi, valli faciendi, fossæ, tabernaculorum, tormentorum bellicorum, ægrorum, medicorum, & reliquorum id genus.

Præfectus Fabrorum. Præfectus fabrorum artificibus præerat qui castra sequebantur: quales fabri lignarii, ferrarii, carpentarii; illius cura fuit fabrilem operam procurare ac præbere castris & urbibus expugnandis necessariam.

Præfectus prætorio. Præfectus prætorio seu prætorii dictus est à cohorte prætoria. Nam apud antiquos cohors quædam erat prætoria dicta, quæ Consuli aut Prætori in provincia præsto semper erat, quasi quæ latus ejus cingebat. De qua meminit Cic. ad Q. Fr. Asiæ Proconsulem.

Quod autem Cic. cohortem prætoriam appellat, Asconius comites Consulares interpretatur. Veteres enim, inquit, omnem Magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellaverunt. Unde prætorium tabernaculum ejus & in castris porta prætoria, id est, porta per quam exercitus in prælium è castris educitur, nam initio Coss. vocabantur Prætores. Propterea & prætorium & porta prætoria, & Præfectus prætorio dictus est. Cæterùm cùm Romanum Imp. ad monarchiam redactum est, tum Romani principes Equitem unum prætoriæ cohorti præfecerunt, & prætorio suo, id est, aulæ, quem in militari negotio sibi secundum esse voluerunt. Is fuit appellatus Præfectus prætorio, qualis, sub Regibus, Tribunus Celerum: sub Dictatoribus magister equitum. Præerat autem publicæ disciplinæ emendandæ, à cujus sententia fuit aliquando provocatio: sed usque adeò postea crevit illius authoritas principum privilegio, ut provocare non liceret.

Præfecti prætorio missi sunt interdum, ad regendas provincias, à Cæsaribus, quemadmodum in Jure scriptum reperitur, l. pen. & l. ult. C. de off. præf. præt. ubi legitur, Præfectus prætorio Africæ, & Præfectus prætorio Orientis.

Cæterùm cùm hoc loco de Præfecto urbis (qui antiquissimus Magistratus fuit urbis) institutum esse tractare: occasionem inde nacti de aliis quoque Præfectorum generibus disseruimus: quibus addere non incommodum fuerit, quod Festus tradidit de Præfecturis. Præfecturæ (inquit) hæ appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur. Erant earum quædam Respublicæ, sed Magistratus suos non habebant: propterea Præfecti ad eas mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Earum duo genera fuerunt: alterum in quas solebant ire Præfecti quatuor populi suffragio creati. Hujus generis fuerunt Capua, Cumæ, Casalinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Aceræ, Suessula, Attella, Calatia. Alterum verò earum, quas Prætor urbanus quotannis in quæque loca miserat legibus ut Fundos, Formias, Ceræ, Venafrum, Fusillonem, Reate, Saturnium, Arpinum, aliáque multa generis ejusdem. Hæc Festus. nunc ad Prætores transeamus. *Præfectura.*

De Prætoribus.

CAPUT VII.

PRætoris nomen Livius ait à præessendo dictum. Varro à præeundo quasi præitor, quòd in jure & exercitu præiret. Cum eo convenit quod supra scriptum retulimus ex legib. 12. tab. à præeundo, judicando, consulendo, Prætores, Judices, Coss. appellantor. Tam latè patuit hujus vocabuli significatio, ut veteres Prætorem appellaverint omnem Magistratum, cui subesset exercitus: quin & ipsi Coss. Prætoris nomen & munus aliquando gesserunt. Pomp. Jurisc. in l. 2. ff. de orig. jur. causam hujus Magistratus creandi, fuisse scribit: Consules, inquit, cùm avocarentur bellis, finitimis, neque esse in civitate qui jus reddere posset, factum est, ut Prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quòd in urbe jus diceret.

Post aliquot deinde annos, eo Prætore non sufficiente, quòd multa etiam peregrinorum turba in civitatem veniret, creatus est & alter Prætor, qui peregrinus appellatus est ab eo qui plerunque inter peregrinos jus diceret. Captâ deinde Sardinia, totidem Prætores quot provinciæ in deditionem venerant, creati sunt: partim qui urbanis rebus, partim qui provincialibus præessent. Ex his verbis Pomponii constat tria genera Prætorum fuisse, nimirum urbanos, peregrinos, & provinciales, quorum erat incertus numerus, siquidem provinciarum numerus incertus erat. Prætoria

ria potestas in legibus 12. tabularum qualis fuerit, Cic. docet lib. 3. de Legibus: Leges sunt hujusmodi, Juris disceptator qui privata judicet judicarive jubeat Prætor esto: Is juris civilis custos esto: huic potestate pari quotcunque Senatus creaverit populusve jusserit tot sunto. Ex quibus verbis ostenditur Prætorem jurisdicundi gratia constitutum fuisse, & penes eum Magistratum omnis publici privatique juris tantam fuisse potestatem, ut novum jus condere, & vetus abrogare ipsi liceret: unde ob honorem tanti Magistratus jus honorarium appellatum, quòd ipse constituisset.

Primus Prætor fuisse perhibetur F. Camillus, quo tempore concessum est plebi, ut alter Coss. ex ipsius ordine posset creari. Insignia Prætoria fuerunt eadem ferè quæ Consulum, videlicet Sella curulis, Trabea; sed sex tantùm lictores: tamen Plutarchus scribit, Paulo Æmylio Prætori in Iberniam proficiscenti 12. lictores adhibitos fuisse. Creatis Prætoribus, eo numero qui necessarius erat tum urbi, tum provinciis, decernebantur à Senatu provinciæ, & Prætores sortiebantur, qui ad quas provincias proficiscerentur; cui sorte obvenerat, ut in urbe remaneret ad jus dicendum civibus, is Prætor urbanus erat: inibant autem Prætores suum Magistratum eo die quo Coss. id est, Kal. Januariis post bella Punica & ante Idib. Martiis: institutum etiam, ut quemadmodum duo causarum genera, sic duo Prætorum in urbe essent. Sunt enim causæ quædam privatæ, aliæ publicæ, cujusmodi nos hodie civiles appellamus & criminales. Prætores itaque qui in urbe remanebant, quod alter privatis causis, aliis publicis præerat. Cæterum inter hujusmodi causarum judiciis varia fuit judicandi ratio; non enim eodem loco, neque apud eosdem, nec eodem modo expediebantur, si quidem publica judicia in foro & apud judices, atque aliter quàm præscripta formula judicabatur. Privatorum autem causæ alio in loco & apud Centum-viros, & conserta quadam formula: de qua judiciorum varietate ac differentia, simul de veteri causarum judicandarum ritu, nonnihil differere hîc commodum fuerit, & priùs & in privatorum causis quidnam ageretur possimus perspicere. Considerandum quænam causæ inter privatas annumerari possint; id quod discere ex Cic. licebit, 1. de Orat. ubi causas Centum-virales appellat hujusmodi, cùm inquit, Jactare se in Centum-viralibus causis usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum, aut ratorum, cæterarúmque rerum innumerabilium, cum omnino quid suum, quid alienum: quare denique civis peregrinus, liber, aut servus quispiam sit. Dicuntur autem causæ quæ de his rebus intenduntur Centum-virales, propterea quòd apud Centum-viros agerentur. Porrò centum-viralia judicia, authore Festo, dicta sunt à Centum-viris; nam quum essent Romæ 35. Tribus, quæ & Curiæ

A dictæ sunt, terni ex singulis sunt lecti ad judicandum qui Centum-viri appellati sunt; & licet quinque ampliùs quàm centum fuerint, tamen quò faciliùs nominarentur Centum-viri sunt dicti. Erant Centum-virales causæ in duas hastas divisæ, authore Quintiliano lib. 5. unde judicium hastæ pro Centum-virali judicio dictum. Auctus postea numerus fuit Centum-virorum, sed manente semper eodem nomine, divisúsque fuit in quatuor consilia: præerat autem Centum-viris Prætor ad causas hujusmodi judicandas

B constitutus, quorum quatuor consilia in quadam basilica usque adeò inter sese proxima erant, ut actiones unius tribunalis ab alio exaudiri possent.

Publicorum judiciorum, id est, quæ de maleficiis agebantur, forma & ratio, diversis temporibus, diversa fuit: Jam enim inde ab urbe condita patres judicia habebant, causæque apud eos agebantur, & ii soli Consulibus & Prætoribus erant in consilio, nec reliquis ordinibus fuit ulla ad judicandum facultas concessa. Jus

C istud, authore Dionysio, Romulus ordini Senatorio crediderat; neque quisquam per seditiones aut tumultus, licet varii fuerint, hoc juris eripere illis conatus est, usque ad C. Sempronium Gracchum, qui primus infensus Senatui Equestrem ordinem ab his disjungere meditatus, legem de judiciis ad Equites transferendis tulit nactus occasionem calumniandi Senatus, quòd judicia Senatoria largitionem redolere viderentur, ut testatur Appianus

D lib. 1. de bellis civilibus: muti enim rei repetundarum, eo tempore & sua & hominum opinione condemnati, perfidiâ judicum pecuniâ corruptorum erant absoluti. Propterea Senatus verecundia motus legem ferri passus est, quam plebs avide recepit, quæ tum, ob judiciorum metum, potentiæ patrum multum erat obnoxia. Lex ergo Sempronia *Lex Sempronia.* hoc habebat ut sexcenti equites trecentis Senatoribus, qui tum erant, admis-

E cerentur, authore Floro; & ita bis tantum virium equites in judiciis haberent: hæc tamen lex ordinum concordiam non parum turbavit, civitatémque bicipitem (ut ait Varro) fecit. Sed Cicero in Consulatu suo utrunque hunc ordinem sic conjunxit, ut glorietur in epist. ad Atticum ordinum concordiam à se conglutinatam lege Sempronia. Equester ordo sine infamia 15. annis judicavit, authore Pediano. Cæterùm Quintus Servilius Cepio, anno 15. post mortem Gracchi, Senatum in jus illud pristinum resti-

F tuere conatus est. Quidam existimant non in totum equitibus judicia ademisse, sed tantùm hoc egisse, ut pares vires in judiciis Senatores & Equites haberent, de qua lege Cepionis Cic. meminit lib. 1. de Invent. Post damnatum Cepionem ejúsque exitum calamitosissimum, Equitibus judicia restituta sunt lege Glaucia à C. Servilio Glaucio lata, qui hac lege, ut Cicero author est in Bruto, sibi plurimum ordinem Equestrem devinxit. Hæc lex illud quoque præcedentibus addidit, ut reus comperendinaretur cum antea judicari, id est amplius pro-

pronunciari posset, quæ verba quomodo intelligenda sint, paulò pòst explicabimus quum rationem judicandi in hujusmodi causis attingemus.

Hac judicandi potestate postea usque adeò immoderatè abusi sunt Equites, ut præter cætera ambitiosè & insolenter judicata etiam P. Rutilium juris scientia celebrem, & omni vita innocentissimum integerrimúmque virum condemnarint. Quo judicio totius civitatis statum convulsum esse Cic. existimat. Quare non multò post lata est lex Plosia à M. Plotio Silano Tribuno-pleb. Pompeio Strabone, & Porcio Catone Coss. Jubebat lex illa, ut singulæ tribus quinos denos suffragio crearent, qui eo anno judicarent: ex quo fiebat ut Senatores quoque in eo numero essent & quidam etiam ex plebe. Hanc legem consecuta est civilis seditio, qua leges omnes & judicia civilia tacuisse Cicero scribit: sed Lucius Sylla recuperata Rep. quæ multis conscissa vulneribus remediis acribus opus habebat, cum cæteras ejus partes, tum etiam judicia constituit. Ipsius ergo lege cautum est ut potestatem judiciorum soli Senatores haberent, equitibus summotis. Cautum est etiam, ne quis plures quàm tres judices rejiceret. Eadem lex optionem dabat reo clam an palàm de se vellet judicari, id est, voce an per tabellam. Decem annis lege Cornelia Senatores judicaverunt, recipientes à reis cum turpitudine munera. Propterea lata est lex Aurelia à M. Aurelio Cotta Prætore; is judicia Senatoribus equitibus & Tribunis ærariis commisit, qui & ipsi de corpore Romanorum equitum erant.

Lex Plotia.

Lex Pompeia.

Postea Cneus Pompeius magnus secundo Consulatu legem tulit, ut ex amplissimo sensu aliter atque lecti Judices, æquè tamen ex illis tribus ordinibus judicarent. De qua lege Cicero meminit in Pisonem. Idem Pompeius in tertio consulatu legem judiciariam acrem & vehementem tulit: in qua nihil de ordinibus eorum qui tum judicabant mutavit. Sed ipsam judiciorum formam circumcidit. Jubebat enim lex, teste Asconio, ut priusquam causa ageretur, testes intra triduum audirentur: dicta autem eorum judices confirmarent, & quarta die adesse omnes in diem posterum juberentur, & coram accusatore & reo pilæ, id est, vasa in quibus judicum nomina inscripta essent, æquarentur: deinde rursus postero die sortitio judicum fieret unius & octoginta, qui numerus cum sorte obtigisset ii protinus sessum irent: tum accusator ad dicendum duas horas, reus tres haberet, eodemque illo die reus judicaretur. Priusquam autem sententia ferretur, quinos ex singulis ordinibus accusator, ac totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur quinquagesimus unus.

Hæc lex Pompeia, inquit Asconius, magis recepta est, quia Pompeio nemo resistere volebat, quam quòd è Rep. videretur. Ipsi eloquentiæ valdè perniciosa & exitiabilis fuit, quoniam, post hanc legem latam, omnis penè Oratorum dignitas collapsa est, cùm maximorum Oratorum facundia intra tam paucarum horarum fines esset conclusa. De quo Cicero in Bruto, M. Cælius Trib. pleb. quum in hanc legem inveheretur, Pompeius eò venit ut diceret se, si coactus esset, Remp. armis defensurum. Milonianum judicium primum hac lege exercitum est. Ideò Pompeius locum circumpositis armis sepsit, ne cuiquam integrum esset contra legem aliquid dicere vel facere. At veteres leges neminem cogebant intra tam paucas horas perorare. Erant enim liberæ comperendinationes & modum dicendi sibi quisque sumebat, & neque dierum neque patronorum numerus cavebatur.

Lex Julia.

Post legem Pompeiam lata est Julia à C. Julio Cæsare Dictatore. Is judices ad duo genera redegit, Senatorii nempe & Equestris ordinis; Tribunos ærarios, qui tertius erat ordo, sustulit, ut author est Suetonius. Multa præterea hujus legis capita fuerunt, de ipsorum judicum ætate, dignitate, conditione, forma judiciorum, & similia quæ in veterum Jurisconsultorum libris scripta à Triboniano aboleta sunt.

Lex Antonia.

Post Cæsaris obitum, Antonius Cos. legem judiciariam ferre conatus est, qua in tertiam decuriam (quæ Tribunorum ærariorum fuerat) Centuriones atque Allaudas conjicere decreverat. Cic. in Antoniana 5. de Antonio loquens, Antesignanos, inquit, & mancipia, & allaudas judices se constituisse dicebat. (Allauda autem, Plinio teste, vocabulum est Gallicum datum legioni Romanæ, quæ priùs Galerita dicebatur) Antonius tamen priùs hostis indicatus est, quàm lex perlata fuerit.

Allauda quid.

Illæ sunt variæ leges judiciorum, variis temporibus observatæ in causis criminosorum, in quos animadversio fiebat hoc modo. Primùm crimina deferebantur ad Trium-viros capitales (erant autem hi tres viri ad hoc constituti ut cùm animadverti in aliquem oporteret, eorum interventu fieret: cujusmodi erant Athenis undecim viri quos Nomophylacas vocarunt, qui præterea carceris custodiam habebant, & decretum judicium exequebantur.) Postquam ergo iis delata erant crimina, mox ipsi referebant ad Prætorem. Prætor, penes quem judiciorum summa potestas erat, sortiebatur judices, id est, sortes duci jubebat, nominibus judicum in urnam missis, ut ex pluribus necessarius numerus conficeretur. Postea permittebat accusatori & reo, ex lectis forte judicibus rejicere quos sibi putaret inimicos, aut aliqua ratione incommodos fore. Rejectione facta, in eorum locum qui rejecti fuerunt, Prætor alios sortiebatur, quoad numerus legitimus impleretur, quæ subsortitio vocabatur. Numerus autem legitimus & plenus, in judiciis publicis quæstionibúsque, erat septuaginta quinque virorum, ut ex Cicerone in Pisonem intelligi potest; (quod enim superiùs de uno & octoginta judicibus dictum est, & de rejiciendis donec relinquerentur unus & 50. id ad legem Pompeiam pertinebat.) Prima itaque judicum delectio dicebatur sortitio, & cùm, rejectorum loco, alii judices suf-

Triumviri.

Nomophylaces.

ficiebantur, appellatur subsortitio. His peractis, judices in leges jurabant, ut ita obstricti religione judicarent, cùm omnes jurassent præter Prætorem. Eorum nomina libellis continebantur, & ubique habebantur, ne pro selectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptique judicarent. Erat enim in Prætoris officio nomina Judicum habere & rejectione facta in arca reponere. Fiebat deinde consessus judicum in foro sub Dio, ubi Prætor editiore loco sedebat, qui Tribunal dictus est. Judices verò in subselliis, id quod pulchrè Cicero in Vatinium ostendit dum ait, Quis unquam reus post urbem conditam in Tribunal sui Quæsitoris ascendit, eúmque vi disturbavit, subsellia dissipavit, urnas dejecit, &c. Illic actoris reique causa peracta judices sententiam ferebant, aut vocalem aut tabellarem, prout ipsi reo videretur. Si tabellarem, dabantur enim à Prætore judicibus duæ tabulæ, in quibus sententiam suam scriberent, aut enim reum planè absolvere, aut condemnare oportebat, vel pronuntiandum non liquere. Ad hoc fuerunt tabulæ illæ cereæ in quibus judices notam suæ sententiæ scribebant nimirum A. si absolvendus reus esset. C. si condemnandus: quòd si videretur obscura causa, nec liqueret quid statui oporteret, scribebatur ampliationis nota N. L. quâ significabatur non liquere: & propterea causam ampliari, id est, deferri oportere, ídque appellabatur, amplius pronuntiare. Suffragia verò & sententiæ ponebantur in urna, id est, in sitella quadam, vel ὑδρία, in quam etiam nomina conjiciebantur, quum Prætor judices sortiretur.

Locus judiciorum.

Urna judiciorum.

Qua in re animadverte tria hæc pronuntiandi genera, propinquitatem habere, videlicet quum pronunciatur oportere, diem diffundi, comperendinari causam, & non liquere. Primum illud significat oportere diem diffundi, & in posterum diem rejici. Secundum in perendinum, id est in tertium diem qui sequitur cras. Tertium ostendit differendam condemnationem, vel quia coram sistendi sunt testes, & cum reis committendi, id est, confrontandi (ut vocant) vel cùm non constaret de crimine aut pœnæ modo. unde verba illa Comperendinati rei, Ampliati rei, Diffundere diem, & similia.

Ampliare, Comperendinare, Diffundere diem.

Ad hæc animadvertendum dies quosdam judiciales, id est, agendis litibus & disceptandis, constitutos fuisse numero 130. quotannis, qui Latinè fasti, Græcè, κρίσιμοι dicti sunt: & hæc hactenus de dignitate prætoria, de judiciis, de judiciorum forma, & legibus.

De Dictatore & Magistro equitum.

CAPUT VIII.

APud Ciceronem 3. de Legib. fragmenta quædam extant ex legibus 12. tab. de Dictatoria majestate, ubi Dictatorem supremum magistrum fuisse, ac magistrum populi vocari constat. Fuit autem hic Magistratus primùm creatus in urbe anno 12. vel, ut quidam volunt, 9. ab exactis Regibus, cùm 40. Latinorum urbes contra Romanos conspirassent, concitante Octavio Manilio Tusculano Tarquinii superbi genero, apud quem tum ipse exulabat. Summa hæc potestas fuit, cui licebat in caput civis animadvertere, neque ab ejus sententia ullo modo provocare, sed cum ditio totius Imperii penes ipsum foret, omnia regere, & curare, cæteris Magistratibus ordinibúsque populi obedientibus. Insignia habebat regia & lictores 12. duntaxat semestris erat, neque unquam creabatur nisi in summo Reip. discrimine: erat enim in extremo periculo extremum remedium, videlicet, cùm vis aliqua major repente oborta ingentem urbi cladem minitari videbatur. Primus hanc dignitatem assecutus est T. Largius.

Dictatoria potestas qualis.

Appellatus est autem Dictator & Dictatura à dicendo quòd à Cos. diceretur, id est, crearetur noctis silentio, ut Livius author lib. 9. Jubebatur enim Consul, si Senatui videretur, Dictatorem dicere, id est, quem vellet, modò Consularis esset, nominare qui Dictator esset: & Consul, captatis auspiciis, ipso noctis silentio, Dictatorem nominabat, qui deinde Magistrum equitum dicebat, id est, creabat. Alii Dictatorem ab eo dici volunt quòd aliis omnibus posset dictare, id est, imperare, & præcipere. Livius lib. 2. id significare videtur, cum ait, Creato Dictatore primum Romæ, posteaquam præferri secures cœperunt, magnus plebem metus incessit, ut intentiores essent, ad dicto parendum: neque enim, ut in Consulibus, qui pari potestate essent, alterius auxilium neque provocatio erat, neque ullum usquam nisi in cura parendi auxilium. Reperiuntur tamen Coss. aliquando provocationi non sedentes, supplicio pernicioso cives affecisse, in quibus Cicero, authore Sallust., Lentulum, cæterósque conjurationis socios, decreto Senatus per Triumviros interfecit. Id tum fieri poterat, cùm Senatusconsulta ad hanc formam fiebant: Videant Coss. ne Resp. quid detrimenti capiat.

Dictator unde dictus.

Coss. qui contra provocationem supplicium intulerunt.

Plutarchus in Fabii vita scripsit, Fabium Dictatorem designatum à Senatu petiisse, ut sibi Dictatori liceret equo uti; non enim antea Dictatori equitare fas fuisse, quod veteri quadam lege id prohibitum foret: causam fuisse hanc tradit, vel quod majores vires inesse peditis arbitrarentur, propter eáque Imperatorem in legione permanere oportere, nec locum deserere; vel quoniam ad alia omnia tyrannicâ, magnâque sit potentia Magistratus ille, ut in hoc appareret Dictatorem, volente populo, indigere. Item eodem authore, Dictator omnium Magistratuum imperium inhibebat, & ad sese transferebat, præter Tribunos-pleb. qui, soli Dictatore creato, non cessabant.

Dictator equitabat.

Porrò quoniam Magister equitum ad Dictatorem pertinebat, peropportunum erit hoc quoque loco de ejus potestate atque authoritate dicere. Fuit Magister equi-

Magister equitum.

equitum talis sub Dictatore, qualis erant sub Regibus Tribuni celerum: & postea fuerunt, sub Cæsaribus, Præfecti prætorio. Quemadmodum Dictatori jus summum fuit in populum, sic Magistro equitum in omnes equites & accensos, id est, milites in mortuorum locum subrogatos: & sicut ipse Dictator à Consule dicebatur: ita ipse quoque Magister equitum à Dictatore dicebatur. His adde, quæ de horum ac cæterorum Magistratuum ordine solita sunt observari, potissimum in militia & castris, nempe militem imperio Centurionis, Centurionem Tribuni, Tribunum Legati, Legatum Consulis, Magister equitum Dictatoris paruisse, ut Liv. sentit lib. 8.

Accensi.

De Tribunis-plebis.

CAPUT IX.

Plebs cùm imperiosam Patrum arrogantiam ferre non posset, ab urbe per seditionem secessit: hac secessione video plerosque scriptores, eósque gravissimos falli, quòd nonnulli in Aventinum, alii in sacrum montem abiisse populum credant. Sed Livius facilè docet, quidnam de hac sit sentiendum, apud quem legimus duas secessiones fuisse: priorem lib. 2. in Aventinum montem anno 17. post fugam Tarquiniorum, in qua secessione impetratum est, ut duo Tribuni-plebis crearentur, qui potestatem haberent, & jus adversus Coss. populi defendendi. Sed cum postea potestas hujusmodi fracta & imminuta fuisset à Decemviris qui provocationem & alia quædam jura sustulerunt: rursus plebs secessit, ut idem Livius tradit lib. 3. Ea secessio facta est in sacrum montem, quum plebs tribunitiam potestatem repetiit, anno post Reges exactos sexagesimo, authore Cicerone lib. 2. de finibus. Piso sentit plebem nusquam præterquam in Aventinum secessisse, eúmque montem sacrum appellatum, quòd plebs illic arma non sumpserit. Cæterùm sive idem fuerit Aventinus, qui mons sacer, sive alius, tamen illud cum Livio tenendum est, populum bis à Patribus secessisse: secessionis autem causa hæc fuit, Plebs potentiorum fœnoribus per nexum oppressa cùm frustra sæpe conquesta foret apud Patres, qui nimia longáque promissionum lusione protraherent: legis ferendæ adversus fœneratorum nexum, M. Valerius Dictator dictus est ad seditiones populares comprimendas, & ad bellum quod tum ingens imminebat suscipiendum. Is cùm intercederet pro plebe ut lex ferretur, viderétque & se & plebem frustrari Magistratu se abdicavit: unde plebs indignata & permolestè ferens, quòd tandiu & tam indignè illuderetur à patribus, ab urbe secessit, sed non sine patrum ingenti trepidatione, qui urbem robore militum omnino exhaustam periclitari, si qua vis belli irrumperet, apertè cognoscerent. Itaque decem legati eliguntur ad

Secessionis causa.

A plebem revocandam, quorum primus Menenius Agrippa, vir summæ authoritatis & plebi charissimus, qui ipsam patribus conciliavit, gravi usus oratione, in qua apologiam de conspiratione membrorum contra ventrem induxit.

Delinivit usque adeo plebis animos ut concitatos & irritatos sedarit, & in concordiam reduxerit, ea tamen lege, ut plebeii Magistratus in urbe essent. Priori secessione duo, posteriore quinque, quibus posteà adjuncti sunt alii quinque, B ut decem omnino fuerint Tribuni-plebis sic appellati, authore Festo, quod in tres partes divisus esset populus vel à Tribuum (à quibus creabantur) suffragio lecti sunt 4. Idus Decemb. & in loco ubi plebs castra posuerat, erecta est statua Jovi solventi metum. Fuit autem potestas Tribunitia ad hoc constituta, ut hujusmodi authoritate plebs defensionem ac patrocinium, adversus Consulum & potentiorum iniquos conatus inveniret.

C Valer. Maxi. li. 2. cap. de Instit. antiquis, tantam hujus Magistratus authoritatem fuisse scribit, ut nihil ratum haberetur quod Senatus decrevisset, nisi Tribuni ipsi approbassent. Itaque quum curiam ingredi ipsis non liceret, ante Valvas positis subselliis decreta patrum attentissima cura examinabant, ut siqui ex his improbassent, rata esse non sinerent: propterea veteribus Senatusconsultis T. litera subscribi solebat, qua nota significabatur Tribunos quoque censuisse: quorum autem authoritas ac D vis fuit approbandi Senatusconsulti, eorum fuit & intercedendi, id est, ut loquimur, se opponendi, ne ratum haberetur Senatus decretum.

Plutarchus in Problem. scribit moribus Romanis fuisse constitutum, ut Tribunorum ædes nocte non clauderentur: sed interdiu noctúque indigenti cuique eorum auxilio paterent, quasi portus quidam & præsidium periclitantium. Majores enim communem Tribunum esse voluerunt & tanquam aram omnibus accessibilem: itaque tantum honoris habitum E est Tribunis, ut siquis hunc magistratum violasset, id scelus inexpiabile foret, capitalique supplicio coërcendum, propterea sacrosanctus magistratus dictus est, & illius potestas sacrosancta, id est intacta, ab omníque injuria tuta & quam nemo sine capitis sui periculo attingere violenter poterat. Decreta Tribunorum-plebis hujusmodi fuerunt ut unius Tribuni intercessione, cæteris consentientibus, tolli possent. His adde neminem, nisi plebeius esset, Tribunum-plebis creari potuisse. Id quod vel ex eo potissimum constat quod P. Clodius Pa- F tricius ac Senator, Fonteio adolescenti qui plebeius erat se contra jus adoptandum præbuit, ut ei Tribuno-plebis esse liceret, ídque in Ciceronis odium, ut ipsum ulcisceretur & majore licentia vexaret.

De numero & authoritate Tribunorum-plebis, hæ leges extant ex legibus duodecim tabulis, apud Ciceronem tertio de Legibus. Plebs quos pro se contra vim auxi-

auxilii ergo decem creassit, Tribuni ejus sunto, quódque hi prohibessint quódque plebem rogassint, ratum esto, sanctíque sunto, néve plebem Tribunis orbam relinquunto.

De Censoribus.

CAPUT X.

Censores unde dicti.

CEnsores, authore Festo, dicti sunt quod rem suam tanti quisque solitus sit æstimare quantùm illi censuerint. Varro lib. de ling. Lat. Censorem ideò dictum putat quod ad illius censionem, id est, arbitrium populus censeretur. Liv. 1. decad. lib. 1. ab agendo populi censu, nomen hoc originem habere scribit. de Censorum numerò, de potestate atque authoritate, de tempore gerendi hujus Magistratus, Cicero 3. de Legibus hæc ex legibus duodecim tabul. commemorat.

Censoris potestas.

Censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniásque censento.

Urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tuentor, populíque partes in tribus distribuunto.

Exin pecunias ævitatis ordines partiunto.

Equitum peditúmque prolem describunto.

Cœlibes esse prohibento.

Mores populi regunto.

Probrum in Senatu ne relinquunto.

Censorum numerus. Bini sunto.

Censura quinquennalis. Magistratum quinquennium habento.

Reliqui Magistratus annui sunto, eáque potestas semper esto.

Ex quibus verbis videmus Censores non de censu modo, neque de rebus civium vel singulorum, vel ad Rempublicam pertinentium agitasse: sed in singulis etiam civium ordinibus, in singulos cives jus animadversionis habuisse. Propterea Ascon. in divinat. Ciceronis regendis moribus civitatis, scribit Censores quinto quoque anno creari solere, & cives sic notare, ut qui Senator esset Senatu moveretur, qui eques Romanus equum publicum perderet, qui plebeius in Ceritum tabulas referretur & ærarius fieret, (est autem in tabulis Ceritum referri idem quod esse sine lege & sine ullo suffragio. Cerites enim populi à Romanis victi conditionem hanc subire coacti sunt, ut nunqnam leges conderent, nec unquam leges haberent, id quod ignominiosum valde fuit.) Plebeius ergo sic affectus à Censoribus ex albo suæ Centuriæ eximebatur ut jam civis non esset, verum pro capite suo tributi nomine æra penderet: poterant præterea Censores ordinibus notas ignominiæ inurere, ut testatur Liv. lib. 20.

Animadversio Censoria in mores.

Cerites.

Patrum, inquit, memoria institutum fertur, ut Censores motis à Senatu ascriberent notas, id verò cùm sæpe leves ob causas fieret, locum obtinuit in proverbio, Censoria gravitas & severitas, siquidem exactam & plus nimio accuratam diligentiam Censores in personarum ac rerum censionibus adhibere plerumque solebant, quarum rerum ex-

Censoriæ severitas.

A empla sunt apud Gellium & alios authores plurima, quale fuit Equitis illius qui pinguis & obesus strigosum equum habebat: is propterea quòd Censori parum reverenter respondisset, quærenti cur tam pinguis & comptus esset, equum verò haberet macilentum & squallore obsitum, quoniam, inquit, me ipsum pasco, at equum Statius servus, non impunè evasit. Item corpulentos multos unguentóque nitidos equis ademptis Censores exercitu sæpe dimiserunt. Altius oscitantem in suo auditorio, nota ignominiæ, sæpe affecerunt: & alios plerós-

B que quos in Censoriæ majestatis conspectu ridiculosè, vel leviter loqui deprehenderent. In rerum animadversionibus hæc perhibentur, extitisse accuratæ diligentiæ, siquis agrum passus fuisset sordescere quem indiligenter curaverat, neque araverat, neque purgaverat. Item si quis vineam suam arborémve habuerat derelictui opus censorium erat. In summa Censoribus notam apponere licuit etiam non accusatis, & siquid unus è Censoribus statuisset æquè ratum habebatur, atque si uterque censuisset, nisi alter di-

C sertè intercessisset, vel liberasset notatum. Hoc verò jus Censoriæ potestatis 400. annos permansit in Republica ut Cicero in Pisone testis est, donec P. Clodius legem tulit, qua hæc potestas fuit imminuta: videlicet ne quem Censores in Senatu legendo præterirent, néve qua ignominia afficerent nisi apud ipsos accusatus, & utriusque Censoris judicio condemnatus esset.

Censoria potestas imminuta.

Superiùs cap. de Senator. dictum fuit Censoris opus fuisse, Senatores allegere

D & principem Senatus describere, quibus adde hoc negotium datum ne in fœnore modus excederetur. Creati sunt primùm ex patribus: sed postea indifferenter ex omni ordine, quòd si eorum alter moreretur, nefas erat in demortui locum sufficere alium. Sed qui superstes erat abdicare se magistratu cogebatur, ut duo Censores ex integro crearentur. Hujus instituti causa fuit, quod quo anno Galli Romam ceperunt, altero ex Censoribus mortuo, alter in mortui locum fue-

Censores ex quo ordine creati.

E rit substitutus. Itaque ominosum id fuit & pro lege ne id ampliùs fieret observatum est. Creari solebant quinto quoque anno & de moribus populi Romani judicare, nec solùm improbos Senatu movere: sed etiam Senatus principem eligere, & cætera quæ ad suum magistratum pertinebant obire, sacrificiis factis de sue, ove, & tauro, unde Lustrum dictum est, id est, purgatio urbis, ut Livius testatur libro 2. his verbis.

Lustrum.

F Omnes centuriæ & equites in campum Martium convocati sue, ove, & tauro cæsis immolarunt, quod Lustrum est dictum, sicque à sacrificio illo census obtinuit nomen Lustri: dictum est propterea lustrum à luendo, id est, purgando seu abstergendo: hæc verò, sacra taurilia vocabantur. Cæterum quia lustrabatur civitas quinto quoque anno, factum est ut lustrum quinquennii spatium significet, dictum, authore Varrone, à luendo, id est, solvendo: quoniam in quin-

Lustrum à luendo.

quinque annos olim prædia locari solebant, & quinto quoque anno vectigalia tributáque exigebantur. Lustrum autem à Latinis vocatur quod à Græcis Olympias, id est quinquennium: ita tamen ut quadriennio exacto quinto quoque anno ineunte, Lustrum peractum esse intelligatur. Censores peracto Magistratu suo in tabulis publicis acta Censoria describebant, quæ in æde Nympharum servabantur, unde Cicero pro Mil. de Clodio loquens, Eum, inquit, qui ædem Nympharum incendit, ut memoriam publicam incensionis tabulis publicis impressam aboleret.

Olympias. *Acta Censoria.*

De Ædilibus.

CAPUT XI.

Ædiles unde dicti.

ÆDiles ab ædibus sacris & privatis quarum curam gerebant, dicti sunt. Is Magistratus non ad ædes tantùm, sed ad alia etiam Reip. munera pertinebat, ut Cicero testatur his verbis actione 7. in Verrem: Nunc sum designatus ædilis, habeo rationem quid à populo Romano acceperim. mihi ludos sanctiss. maxima cum ceremonia Cereri, Libero, Liberæque, faciendos: mihi Floram matrem populo plebíque Romanæ ludorum celebritate placandam. Mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati maxima cum dignitate ac religione Jovi, Junoni, Minervæque esse faciendos. Mihi sacrarum ædium procurationem. Mihi totam urbem tuendam esse commissam, ob earum rerum laborem, & solicitudinem fructus illos datos antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam, prætextam, sellam curulem, jus, imagines, ad memoriam posteritatémque prodendam. Ex quibus verbis satis apparet ædilitii muneris fuisse ludos sacros, & solennes instituere ac procurare. Sacrarum ædium & privatarum curam gerere. Reliqua munera ut faciliùs intelligantur, considerandum est ædilium duo genera fuisse, nempe Patricios & plebeios. Plebeii primum creati sunt postquam populus è sacro monte rediit. Impetravit enim à Patrib. ut sibi liceret alios Magistratus creare qui Tribunis ministri essent, Ædes sacras & privatas curarent, & annonæ præessent. Cæterùm aliquanto post tempore, ut Liv. li. 6. scribit, cùm à diutina ira in concordiam redactis ordinibus, Senatus eam dignam esse censeret, ut ludi maximi fierent, & dies unus ad triduum adjiceretur, recusantibus id munus Ædilibus pleb. conclamatum est a patriciis juvenibus, sed id honoris deorum immortalium causa libenter acturos ut ædiles fierent, quibus cùm ab universis actæ gratiæ essent, factum Senatusc. est, ut duos viros Ædiles ex patribus dictator pop. rogaret. Duo itaque patricii Ædiles creati sunt: id quod factum esse Liv. lib. 7. scribit, quo anno prætoria dignitas instituta. Hæc verò major ædilitas à Plutarcho dicta est. Cùm enim superiores Ædiles plebeii vocarentur, hi Ædiles curules appellati sunt,

Ædilium munus. *Ædilium honos.* *Duo ædilium genera.* *Ædilitas major.* *Curules.*

A idque à curru, quoniam sella curuli utebantur sedentes solio eburneo, purpura, & regiis insignibus ornati. Neque solùm erat ædilium ludos procurare, sed etiam providere qua de causa, & quibus in spectaculis fierent, locúmque cuilibet ordini in spectaculis assignare. Illud etiam munus fuit, ut Ædilis quisque sua impensa & sumptibus, ludos pro modo patrimonii ac dignitatis suæ celebrandos procuraret, ut ex Ciceronis 2. Offic. intelligi potest; quo in loco, dicit vitandam esse suspicionem avaritiæ. Multi enim

Ædilium insignia.

B ut ludorum sumptum vitarent, Ædilitatem non petebant. Mummio, inquit, homini ditissimo, prætermissio ædilitatis consulatus repulsam attulit. propterea idem Cicero dicit Murænam, qui Ædilis non fuerat, ludos in prætura fecisse, ut à se suspicionem avaritiæ removeret, & sibi populi Romani benevolentiam ac studium conciliaret. Sic enim solebant facere qui ad majores honores, & Magistratus aspirabant, ut priùs Ædilitatem peterent. Fuit enim Ædilitas primus gerendorum Magistratuum gradus, ad quem Magistratum præterea spectabat, legum, plebiscitorum & Senatusconsultorum curam habere, quæ primum in ædem Cereris ad ipsos Ædiles delata sunt: postea verò ad ærarium translata, pertinebat etiam cura Fastorum, annonæ, cloacharum publicarum, aquæ ductuum, & cæterorum ædificiorum, ut lauta, munda, integráque & expedita asservarentur. Ædilium quoque officium fuit, causas & lites redhibitionum dirimere, id est, in quibus agebatur de rei corruptæ vitio quam quis aut vendiderit, aut commutaverit: quicquid enim vitiosum pro syncero, aut fractum pro integro, vænisset, ædilitio edicto redhiberi solebat: unde apud Jurisconsultos tit. est inscriptio de ædil. edict. Utebantur & ipsi in jure dicundo sellis incurvos pedes habentibus. Cicero 3. Legibus, hæc ex legibus 12. tabul. de hoc Magistratu scripsit.

C *Gradus ad majores Magistratus.*

D *Redhibitionum causæ.*

E Sunto Ædiles curatores urbis, annonæ, ludorum solennium: ollísque ad honoris amplioris gradum is primus ascensus esto.

De Tribunis militum.

CAPUT XII.

TRibuni nomen unde dictum explicuimus cap. de Trib. plebis, nimirum à Tribubus, quarum suffragio creabatur; tamen Vegetius cùm rationem

Tribuni unde dicti.

F habet militiæ Trib. militum dictos putat à tribuendo, quòd militibus jura redderent. Ascon. duo genera Trib. militum fuisse scribit: quidam, inquit, Rufuli dicti à Rutilio Rufo, qui de eorum jure legem tulit: postea tamen literæ mutatione Rutuli appellati sunt, ut author est Festus. hi in exercitu creari solebant, & curam habere militum ut essent veste nudati: armis bene muniti, usu & disciplina militari eruditi. Item ad Tribunos pertinebat milites in castris con-

Tribunorum duo genera. *Rutuli.*

 tine-

tinere: ad exercitationem producere: vigilias circumire, rei frumentariæ præesse: querelas commilitonum audire: valetudinarios inspicere: denique castrensia omnia curare, & observare: cujus generis Gallia suos Marescallos habet. Alii dicuntur Comitiati, qui Romæ comitiis designabantur, quales fuerunt ii qui Reip. cum potestate Consulari præfuere, nam in summa Patrum, ac plebis discordia, plebe ut ex suo quoque corpore Coss. crearentur postulante, res eò tandem deducta est, ut rogatione Camilli Trib. militum, qui pro Consulibus essent, tam ex plebe quàm ex patribus promiscuè creari patres sinerent, & de Coss. nihil immutaretur. Tres ergo Trib. militum potestate consulari creati sunt: deinde vario numero sunt constituti. Pomp. li. 2. ff. de orig. jur. testatur interdum 20. aliquando plures, vel pauciores. Plebs igitur eo contenta fuit quod ejus ratio haberi videretur: tunc ergo primùm ventum est à Coss. ad Tribunos militum cum potestate consulari, siquidem penes illos potestas eadem fuit, quæ penes Coss. nomina tantum variata ut ratio plebis haberetur.

Comitiati Tribuni.

Trib. mil. numerus.

Trib. mil. cum potestate consulari.

De Tribunis ærariis.

CAPUT XIII.

Ærarium

ÆRarium non locum modò in quo publica pecunia recondebatur, sed ipsam quoque pecuniam significat publicam, quod sanctius ærarium ab antiquis, id est, intactum dictum est: quando ex eo nihil promi liceret, nisi propter publicas necessitates. Hujus ærarii causa Tribuni & Quæstores sunt instituti, quorum. s. Quæstor. diversa genera cap. sequenti declarabimus. illud tamen non satis constat, an alii fuerint Tribuni ærarii, quam Quæst. urbani, quorum officiis diversa nomina sunt attributa quemadmodum Prætoribus qui & ipsi Quæsitores sive Quæstores dicti sunt, sicut exposuimus cap. de Prætoribus & cap. sequenti sumus explicaturi. utcunque sit Trib. ærarii munus, Asco. authore, illud fuit, ut Quæstor. in provinciis proficiscentibus pecuniam ex ærario promptam adnumeraret, quale munus hodie apud Gallos obeunt, qui Receptores generales appellantur, quam postea militibus persolvant ipsi. Sunt autem Tribuni ærarii dicti ab attributa pecunia. Attributum enim appellarunt pecuniam assignatam militiæ causa militibus, à Quæst. distribuendam. Diximus supra cap. de Prætoribus hujusmodi Tribunos lege Aurelia cum Senatoribus & equitibus judicandi potestatem & jus habuisse. Cæterùm quoniam ad hujusmodi tribunorum munus ærarii ratio pertinebat, necesse est quid qualéve fuerit ærarium in Republica considerare. Ærarium dicebatur pecunia, ea servabatur in æde Saturni, ut Plutarc. scribit, unà cum tabulis publicis, quia fama est tempore Saturni nec furta, nec avaritiam, nec improbitatem usquam in hominibus fuisse: ædem hanc propterea ærarium &

Trib. ærarii munus.

Trib. ærarii unde dicti.

Ærarii custodia in æde Saturnia.

A tabularium appellatam. Illuc deferebatur quicquid cogebatur publicæ pecuniæ, cujus tria genera fuerunt, ut inquit Asconius, Canon, Oblatio & Indictio.

Tria genera publicæ pecuniæ.

Canon est quod domanium Galli vocant, cujusmodi sunt vectigalia, portoria, & similia. Oblatio est, quæ auxilia vocantur: cujusmodi est octava vini heminatim venditi, aut 20. pars ejus quod cuppatim vænit, & reliquarum mercium quæ à solidariis negotiatoribus (qui grossarii dicuntur.) Item quæ à
B minutariis & venditatoribus sua minutatim vendentibus persolvuntur. Indictio est, quam taleam vocamus: antiqui collationem vocabant. Cicero collectam nominat. Erat & quartum genus pecuniæ ad Ærarium deferendæ, nempe æerariorum, id est, eorum quibus indicta erat propter aliquod scelus mulcta. Ab his pensationum generibus dicti sunt, diversi generis Coactores, id est, ut vocant receptores. Sunt enim coactores Canonarii, coactores oblationales, Indictionales & ærarii, i.e. Receptores domanii, receptores auctionum, talearum,
C & emendarum. Porrò deferebatur à coactoribus pecunia ad Tribunos ærarii, qualiter apud Gallos receptores particulares generalibus reddere solent. Nunc ad Quæstores transeamus.

Canon quid.

Oblatio quid.

Indictio quid.

Coactores.

De Quæstoribus.

CAPUT XIV.

D QUæstoris appellatio apud antiquos latissimè patebat, & non ærarii solùm curam gerentibus: sed causas criminum inquirentibus & judicia exercentibus conveniebat. Considerandum ergo Quæstorum varia genera fuisse, quædam comitandæ rei militaris gratia cum Coss. & Prætoribus mittebantur ad rem pecuniariam administrandam ut prædam & manubias in tabulas publicas referrent, sortiebanturque provinciam cum Prætoribus communem. Propterea magna inresse necessitudo semper credebatur Quæstori cum suo Imperatore. Quòd socius e-
E tiam esset ei in communi bellorum discrimine & periculo. Id quod Cicero docet act. 1. in Verr. his verbis: Sic à majoribus nostris accepimus Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neque graviorem, neque justiorem causam necessitudinis posse reperiri, quàm conjunctionem sortis, quàm provinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris societatem. Hujusmodi Quæstores propter negotium bellicum creati sunt: ideò Quæstores belli dicti: Iis porrò creandis origo fuit vetustissima, & penè ante Ma-
F gistratus. Nam & Romulus ipse, & Numa Pompilius perhibentur binos Quæstores habuisse, non sua authoritate, sed populi suffragio. Habuisse etiam Quæstorem Tullum Hostilium constat: qui ob pecuniam publicam cui quærendæ præficiebantur, appellationem sortiti sunt. Cicero testatur Quæstores hujusmodi suæ dignitatis insignia habuisse, sci-

Quæstorum genera varia.

Quæstores belli.

scilicet Lictores & vestem Quæstoriam. Alii sunt Quæstores urbani qui Ærarii curam gerebant, ejusque acceptas & expensas pecunias in tabulas referebant. Tantæ fuerunt authoritatis ut Imperatores redeuntes ab expeditione non priùs triumphum adipiscerentur, quàm apud ipsos jurarent verè scriptum fuisse, ad Senatum de hostium occisorum & civium amissorum numero. Liv. lib. 7. scribit ab his Quæstoribus signa ex ærario promi solere Consulibus aut aliis Imp. ad bellum exeuntibus, & Tranquillus in Nerone, Quæstorii muneris ait fuisse principum seu Imperatorum epist. ad Senatum missas in Senatu recitare. Fertur Junius Brutus primus Consul duos Quæstores creasse qui rem militarem curarent: sed ut Quæstores belli fuere, deinde duos addidisse rebus urbanis præfectos. Cæterum quum provinciæ stipendiariæ fierent duplicatus est numerus: denique post legem Syllæ creati sunt 20. Hi Quæstores urbani fuere qui quum ærariorum quoque, id est, eorum quibus indicta fuerat mulcta, pecuniam in tabulas & accepti rationem referrent: Quæstores etiam ærarii vocabantur. neque enim satis constat an urbani Quæstores & ærarii, varii ac distincti, nisi sola appellatione fuerint: tamen constat multa & varia munera ipsos obiisse, pro quibus hodie Gallia nostra, inquit Budæus, habet Præfectos ratiociniorum, id est, magistros computorum & receptores mulctarum divisa & distincta munera: nam apud Romanos ratio longè alia fuit ærarii administrandi, propterea quòd pecunia publica uno in loco reconderetur, ut dictum est cap. superiore, quam pecuniam Tribuni ærarii, quum opus erat, promebant, quos ante diximus, non satis constare an alii quàm Quæst. urbani forent, an verò iidem sed appellatione diversa: placet tamen nonnullis, fuisse diversos & Quæstores accepti & expensi rationem in tabulas referre: Tribunos verò, pecuniam ipsam attrectare, & cum opus erat expromere Fortasse tutius fuerit sentire iisdem personis diversa munera concessa, diversas appellationes peperisse. Alii sunt Quæstores qui & quæsitores appellabantur à quærendo, propterea quòd de criminibus inquirerent, & de his judicium exercerent, sedentes pro Tribunali: judicibus autem in subselliis existentibus. Hi erant iidem qui Prætores urbani, de quibus abundè multa suprà diximus, cùm de Prætoribus ageremus.

Quæst. urbani & eorum munus.

Quæstorum numerus.

Quæstores criminum.

De Proconsulibus.

CAPUT XV.

Proconsules qui.

PRoconsules dicti sunt, qui vice Consulum in provinciis cum potestate Consulari præerant: cœpit hæc potestas primum in urbe creari, cùm res Romanæ, bello cum Æquis Italiæ populis infeliciter gesto, malè cederent, maximo terrore urbi illato. Tunc enim Consul qui in urbe remanserat Proconsulem creavit, qui auxilium

A

B

C

D

E

F

obsesso collegæ ferret. Is Magistratus insignia Consulum habebat, sed sex tantum lictores neque jurisdictione propria, sed duntaxat delegata utebatur. Cæterùm prorogatis imperii finibus cum bellorum administrandorum cura major habenda videretur, constitutum fuit ut quo quique anno Consules fuissent, sequenti Proconsules remanerent, & provincias cum imperio sortirentur, jurisdictione propria iis concessa: non poterant autem sua potestate, nisi in sua provincia uti, poterant tamen extra provinciam, ac passim ea procurare, ac peragere quæ ad voluntariam (ut aiunt) jurisdictionem pertinent, id est, judicii contentionem nullam habent, qualia sunt, servos manumittere, si quis volet apud ipsos manumitti, filios adoptare, & similia. Quæ controversa & contentiosa erant intra provinciæ limites continebantur.

Proconsulum insignia.

Ex Consulibus Proconsules.

Proconsulum potestas.

Est apud Jurisconsultos lib. 1. ff. tit. inscrip. de officio Proconsulis & legati, ubi leges jubent Proconsulem à rerum emptionibus, præterquam quæ ad victum quotidianum pertinent, abstinere. Vetant præterea dona capere præter obsonia quædam servata: tamen in accipiendo modestia, ut quod in proverbio Græco est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. id est, nec omnia, nec passim, nec ab omnibus accipiant, nam inhumanum est à nemine accipere, passim vilissimum, omnia avarissimum. Nefas his fuit graviores causas, & quæ diligentiore quadam animadversione indigerent, summatim pertractare & definire. Leviores autem poterant liberos, ut parentibus & patronis parerent summaria animadversione cogere, & qui non parerent fustium castigatione absque judicio, & fori strepitu coërcere. Non habentibus advocatum ob adversarii potentiam ultro exhibere. Iisdem legibus traditur Proconsulis merum imperium (ut vocant) id est, gladii jus & potestatem in facinorosos habuisse. Quæ fuerint Proconsulis partes in provincia, & quomodo is præclarè se gerere debeat, Cicero amplissimè docet lib. 1. Epist. ad Quint. Fratrem.

De Legato Proconsulis.

CAPUT XVI.

QUanquam hoc loco potissimum spectamus, ac inquirimus potestatem Legatorum, quos sibi Proconsules in provinciis constituebant: tamen non erit incommodum, & alia quoque genera Legatorum, quibus Respubliea utebatur, declarare. Dividimus itaque Legatos plurimum in duo genera, quidam enim fuerunt gratia rerum privatarum, quorum legatio libera dicta est, quæ olim impetrabatur à Senatu tantum ornamenti causa, ut honorarii Magistratus à principibus honestamenti causa conceduntur, & titulo tenus obeuntur & geruntur. Hujusmodi autem legatio, ab his Senatoribus impetrabatur, quibus negotia futura erant in provinciis, ut qui hæredita-

Legatorum genera.

Legatio libera.

tates persequi, vel legata, aut qui nomina exigere volebant in provinciis Legatorum personis acceptis commendabiliores controversias haberent, atque favorabiliores. Id quod tamen lex 12. tabularum vetabat his verbis: Rei suæ ergò ne quis Legatus esto. Propterea Cicero 5. de Legibus testatur in consulatu suo, tales se legationes approbante frequentissimo Senatu (licet ad Senatus utilitatem pertinere viderentur) extincturum fuisse, nisi intercessisset Livius Tribunus plebis; fecisse tamen, cùm essent antea infinitæ & perpetuæ, ut annuæ fierent atque ita turpitudo maneret (ut ait) diuturnitate sublata, fuerunt nihilominus interdum in quinquennium sublatæ. Cicero causam sui consilii in extinguendis hujusmodi legationibus aperit eodem lib. & in Oratione de lege Agraria & contra Rullum, nempe quod hujusmodi legati nomine imperii, quod etiam in levi persona pertimescitur, abuterentur: quod præterea turpe esset legatum sine mandatis mittere, & sine Reipublicæ munere. Ad hoc genus legationis pertinet legatio Votiva, quæ voti solvendi causa impetrabatur.

Legati publici. Alii fuerunt Legati non ad res privatas, sed ad Reipublicæ munus obeundum & gerendum constituti, atque eorum quidem libera mandata habebant ut suo arbitrio agerent & constituerent publico nomine, de his rebus quæ aliter decerni & constitui quàm re præsenti non poterat. Alii sunt legati qui cum tali potestate non mittebantur, sed omnium regum, provinciarum, exterarúmve gentium postulata integra ad Senatum, vel referebant, vel postulantes rejiciebant. Eligebantur autem à Senatu, cùm eorum necessarius esset usus, ut ex Cicerone pro lege Manilia, & in Vatinium intelligi potest.

Porrò Imperatores ad bellum proficiscentes, Legatos postulabant qui ipsorum vice fungerentur, Locum tenentes vocant, quos Senatus, si commodum videretur, mittendos decernebat. Hi erant legati belli, præerántque exercitui sub Consulibus. *Legati belli.* Inter id genus legatos, id est, eos qui publico nomine constituebantur, erant Proconsulum legati, quos ob rerum gerendarum multitudinem Proconsules sibi constituere, ut vicarios ad molem rerum provincialium sustinendam. Hi non substituebantur donec Proconsules in provinciam venirent, nec sua authoritate, sed mandata utebantur in jure dicundo, & siquid his occurreret quod majorem diligentiam expostularet, id ad Proconsules remittendum erat. *Legatorum potestas sub Proconsulibus.* Jus nullum habebant animadvertendi in caput cujusquam, nec atrociter verberandi, id enim Proconsulis erat. Tamen si contigisset Proconsulem abesse à prouincia, tum Legatis committebantur, quæ animadversionem postulabant: his adde Legatorum conditionem apud veteres sanctam fuisse, ut nefas fuerit Legatorum aliquem injuria afficere. De his sermo est apud Jurisconsul. 1. lib. ff. ti. de offic. Proconf. & Legati.

A

De Decem-viris legum authoribus.

CAPUT XVII.

Livius lib. 3. scribit anno 300. altero quam Roma condita erat, iterum mutatam formam à Consulibus ad Decem-viros, velut à Regibus ad Consules fuisse. Translatio, inquit, imperii minus insignis, quia non diuturna mutatio fuit: læta enim principia magistratus hujus nimis luxuriavere: mutationis

B

hujus causa fuit, plebe quotidianis seditionibus insurgente: tum ob creandos de suo corpore Magistratus, tum ob ferendam legem de solvendo à nexibus fæneratorum, sæpe etiam de connubio, ut inire liceret cum patribus, & interdum ob ferendam legem Agrariam, divina & humana omnia miscente. *Decemvirorum creandorum causæ.* Placuit populo ne quis invidiæ locus esset, externas leges in urbem inducere. Propterea mittuntur Athenas tres legati, qui leges inclytas Solonis scriberent, & *Legati Athenas missi.*

C

jura, & mores aliarum civitatum perdiscerent. Anno tertio, ubi recessere revertuntur, legésque scriptas referunt, pro quibus censendis & promulgandis Decem-viri creantur, quibus summa potestas datur: ut nec ab his provocare liceat, & his gubernantibus reliqui omnes Magistratus in civitate cederent & abolerentur. Penes singulos ordine, ut sors ferebat, certis diebus lictores erant quoad usque numerum implevissent. Eodem ergo anno decem tabulas edunt, potestatem inspiciendi omnibus faciunt. E-

D

dicunt ut omnes secum agitent, & siquid emendari, suppleri, minuíve opus esse censeant, omnium sententias æquo animo se esse audituros. postquam id satis emendatum apparuit, leges 10. tab. scriptas, Comitiis Centuriatis proferunt, & simul se Magistratu abdicant.

Tum verò rumore increbrescente, 2. tab. additis, jus Romanorum absolutum & perfectum fore, Comitiis iterum habitis, alii Decem-viri creati sunt, in quibus App. Clodius, cui Comitia habere mandatum fuerat, se contra jus fásque Decem-virum creat. His ergo Co-

E

mitiis Decem-viri creati qui constituendæ civitatis prætextu per spem ac libidinem dominandi, omnia conturbarunt.

Idibus Maii, quo die iniêre Magistratum cum duodenis singulis fascibus forum complevere: interpretabantur enim non pertinere ad rem ut secures demerentur, quando sine provocatione creati essent. *Vis Decem-virorum.* Itaque instar 10. Regum primo conspectu præesse visi sunt, & incredibile est, quantum ea res urbi terrorem injecerit: nec tamen falsus fuit hic

F

timor. Primùm enim abstinentes à Patribus cœperunt in humiliores crudelitatem libidinémque exercere, hominum non causarum toti erant, ut apud quos gratia vim æqui boni haberet judicia domi contrahebant, pronunciabant in foro si quis collegam vocasset: sic discedebat ab eo ut 1. edicto non stetisse pœniteret. Opinio fuit fœdus inter eos ictum & jurejurando confirmatum, ne Comitia habe-

berent, perpetuóque suum servarent & retinerent Imp. Jam major anni pars processerat, & 2. tabulæ ad 10. adjectæ fuerant, nec quicquam supererat nisi Centuriatis Comitiis perferrentur, sed res protracta est dum laberetur annus, nec ulla Comitiorum habita mentio. Ideò plebs obstrepere, & amissam libertatem conqueri. Illi verò nihilo mitiores facti hac petulantia abutebantur. Porrò hos strepitus urbanos bellum à Sabinis & Æquis nuntiatum intercipit, contra quos Decem-viri habito delectu cum exercitu prodeunt. Ubi dum bellum geritur incerto eventu Appius Clodius unus è Decem-viris in urbe ad res gerendas remansit. Is cùm amore cujusdam puellæ deflagraret, consilium capit illius stuprandæ: Erat autem filia Virginii plebeii, qui tum in castris erat, & Ilicio viro tribunitio desponsata, quam cùm Appius prece & pretio tentasset frustra pellicere, tandem animum ad superbiam & crudelitatem convertit. M. Clodio clienti negotium dat, ut coram se pro Tribunali sedente puellam in servitutem asserat, promittens se omnes cæteros rejecturum qui in libertatem ipsam asserere conarentur, opportunitatem nactus hujus sceleris minister transeunti per forum puellæ manus injicit, servam suam, serváque natam appellans, ac sequi se jubet, cunctantem vi abstrahere videbatur, sed ad nutricis quæ tum fortè aderat simul & puellæ clamorem multitudinis factus est concursus. Tum Clodius ait nihil opus esse tumultu: se enim jure hoc facere si non crederent, ad Tribunal sequerentur. Ventum ergo ad Tribunal, petitor affirmat puellam domi suæ natam, in domum Virginii furto abstractam & pro filia ipsius suppositam: contra advocati puellæ intercedunt, aiunt patrem Reipublicæ causa abesse: Nunquam de liberis ejus qui abest Reipublicæ causa peragi. Ilicius sponsus & Munitorius avus puellæ supervenientes, & multa vociferantes acriter & intrepidè, jussu App. Clodii per lictorem summoti sunt. Ilicius tamen constanter restitit, multitudinemque commovit. App. propter tumultum vades de virgine postero die in judicium sistenda dari jussit. Interim pater vocatus in urbem venit, & prima luce sordi-

A datus filiam obsoleta veste, cum aliquot matronis secum in forum ducit, forum lamentatione & querelis implet. Idem facit sponsus, idem puella & matronæ. Appius tamen obstinato animo Tribunal ascendit, vindiciásque secundum servitutem decernit, id est, judicat servam habendam, donec aliter appareat. Ex hoc edicto M. Clodius ibat ad virginem comprehendendam cum pater intentaret in Appium manus. Ilicio ait, non tibi filiam meam desponsavi ad nuptias, nòn ad stuprum educavi, sed si quid sum in

Audax facinus Appii Clodii.

B te invectus acrius, parce quæso patrio dolori, sinas ergo me coram virgine, nutricem percontari, an falsò pater sim, ut re comperta æquiore hinc animo recedam. Seductam ergo filiam percontandi prætextu rapto è tabernaculo Lanii cultro interemit. Rei indignitate omnes commoti concurrunt. Appius ut vitæ in tanto tumultu consuleret, obvoluto capite effugit. Plebs inde occasione nacta libertatis recuperandæ, armis arreptis, duce Virginio in Aventinum consedit. Sponsus puellæ in castris milites concitat,

C qui Trib. militum 10. constitutis in urbem redeunt, & reliquo se exercitui conjungunt. Tantis motibus perculsi Decem-viri Senatum frequentem haberi jubent, rogant edicere quid utile sit Reip. sese committunt Senatorum fidei, à quibus castigantur oratione acerbissima 10. Tarquinii appellati. Tandem legati constituuntur, qui ad res componendas mittuntur, ad populum. Obtinuerunt ut impunè omnia gesta sint, sed tamen ea lege ut Trib. plebis restituerentur, & ut consueverant rediretur ad Consules. Sic Decem-viri abdicantur Magistratu, &

D ad pristinam formam reditur gubernandæ Reipublicæ. Totum tempus Decem-viralis potestatis & imperii fuit circiter trium annorum.

Decem-viri abrogati, expulsi.

Ea fuit gubernandæ Reipublicæ ratio, & hi Magistratus qui in ipsa præfuerunt, ab urbe condita usque ad Caii Julii tempora, qui Dictaturam perpetuam invasit: & eandem Rempublicam quæ servitii jugum pulsis Regibus excusserat, ad

E servitutem non minorem, atque fortasse duriorem recidit, cùm Cæsarum sive Imperatorum arbitrio regenda omnia permissa sunt.

ROMANORUM MAGISTRATUUM

Brevis Chronologia.

Reges Romæ fuerunt ſeptem, alii aliorum ſucceſſores.

1. Romulus regnavit annis 38
2. Numa Pompilius. 43
3. Tullus Hoſtilius. 32
4. Ancus Martius. 24
5. Tarquinius Priſcus. 38
6. Servius Tullius. 44
7. Tarquinius Superbus. 25

Sic Reſpublica ſtetit ſub Regibus, annos ducentos quadraginta quatuor, authoribus Livio & Dionyſio.

Junius Brutus & Tarquinius Collatinus exactis Regibus, primi Conſules, ac poſt illos, annui Magiſtratum obtinuerunt, uſque ad annum ab urbe condita trecenteſimum tertium: quo anno Decem-viri præfuerunt Reipublicæ.

Decem-viri Magiſtratum tenuerunt per triennium.

Tribuni militum cum poteſtate Conſulari Magiſtratum inierunt, anno ab urbe condita trecenteſimo octogeſimo nono. Tum enim Reſpublica ad ſolos Conſules tranſiit, anno ab urbe condita ſeptuageſimo ſexto. Cæſar, oppreſſa Republica, ſingulare primus Imperium obtinuit.

A Romulo uſque ad Cæſarem, interceſſere ſeptem centum annorum.

AUTHORES CITATI.

Appianus.
Aſconius.
Blondus.
Cicero.
Dion.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Feſtus.
Feneſtella.
Florus.
Labeo Juriſconſultus.
Livius.
Melanchthon.
Paulus Juriſconſultus.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Pomponius Juriſconſultus.
Saluſtius.
Silius.
Strabo.
Suetonius.
Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.

HUJUS LIBRI

Præcipua Capita.

Cap.		Pag.
1.	*De populo Romano.*	1047
2.	*De Regno & Magiſtratuum poteſtate.*	1063
3.	*De Interrege & Interregno.*	1064
4.	*De Senatoribus.*	1065
5.	*De Conſulibus & eorum poteſtate.*	1072
6.	*De Præfecto urbis & aliis.*	1076
7.	*De Prætoribus.*	1078
8.	*De Dictatore & Magiſtro equitum.*	1083
9.	*De Tribunis plebis.*	1085
10.	*De Cenſoribus.*	1087
11.	*De Ædilibus.*	1089
12.	*De Tribunis militum.*	1090
13.	*De Tribunis Ærariis.*	1091
14.	*De Quæſtoribus.*	1092
15.	*De Proconſulibus.*	1093
16.	*De Legato Proconſulis.*	1094
17.	*De Decem-viris legum authoribus.*	1096.

FINIS.

HENRICI BEBELII JUSTINGENSIS DE SACERD. ET MAGISTRATIBUS ROMANORUM LIBELLUS.

HENRICI BEBELII JUSTINGENSIS DE SACERD. ET MAGISTRATIBUS ROMANORUM LIBELLUS.

Ad Reverendum in Christo Patrem Georgium Piscatoris Abbatem ad Duplices aquas.

IMperatores in principio erant, qui exercitui præerant, & singuli aliqua re feliciter gesta, à senatu hoc nomine sunt honestati, & appellati. Cicero autem docet, Imperatorem à senatu appellari solitum fuisse, si quis mille, aut duo milia externorum hostium occidisset: Appianus verò de bellis civilibus scribens, ait nomen Imperatoris vendicari solere ab his prætoribus, qui in maximis belli operibus versati essent cum laude: nunc autem, inquit, sub quibus decem milia in bello cecidissent, hac appellatione dignos haberi audio: præterea ductores exercituum, & præfecti copiarum militarium, vocantur à scriptoribus Imperatores. Nunc verò Latinè, & significanter, & verè, Imperator dicitur, qui rerum potitur, universamque Rempub. administrat: ut enim Imperium Romanum ab omnibus eleganter dicitur, & quasi magnificentiùs quàm Regnum Romanorum: ita Imperator jure dicitur, qui summum dominium in Republica Romana habet. Nec curo quòd Leonardus Justinianus Venetus aliter sentiat, arguens Barbariem Germanorum, quod Imperatorem supremæ potestatis nomen, existimemus: in Apologia enim nostra injuriam nobis Germanis ab illo injustam, & illatam gloriosè (ut spero) vindicavi, testimonio tam Gentilium, quàm Christianorum, tam Jurisconsultorum, quàm Historiographorum, non paucorum, ut brevi videbitur. Senatores Romulus centum numero elegit, quos ob honorem, patres: ob ætatem, senatores appellavit: hoc tangit Ovid. V. Fast.

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen & ætatis mite senatus habet:
Jura dabat populo senior, finitaque certis
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Qui verò ex his primoribus centum patribus geniti sunt, Patritii nuncupati sunt: apud Græcos verò Imperatores omnino major erat dignitas, non ex successione debita, sed quæ solebat à principe concedi. Suidas patritios esse tradit, communis Reipublicæ patres, qui in suprema dignitate senatorii consilii esse censentur. Senatores autem triplicis ordinis fuerunt, Patritii, Pedarii, Conscripti. De Patritiis dictum est.

A Conscripti senatores hi sunt, qui Regum, Consulum, Censorúmve decreto, in senatum lecti sunt. Accursius autem imprimis rudis grammatices, dicit in glossâ. C. de emenda. Justi. Co. ff. patres conscriptos ideo sic dictos, quòd nomina eorum scripta essent in diademate capitis eorum in literis aureis, ut recognoscerentur ab aliis hominibus: quid ineptius, aut falsius dici potest? Quis unquam audivit senatores diademate Romæ ornari? Sed (ut Festus ait) Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus ascribebantur, ut numerus senatorum expleretur. Pedarii verò (ut dicit Fenestella) va-
B riis rationibus appellati sunt: alii verò, quòd hi non haberent sententiæ dictionem in senatu, sed in aliorum sententias pedibus irent, dictos pedarios putant. Alii, quòd essent plerique, qui Magistratus curules adepti, sella curuli in senatum veherentur, qui verò pedibus iter facerent, Pedarii nominabantur. M. autem Varro equites quosdam esse ait, quibus amplioribus magistratibus functis, nondum tamen in senatores lectis, non esset jus dicendæ in senatu sententiæ, cùm tamen in senatum venire liceret: sed quas sententias princeps dixerat, in eas discedebant. Consularis potestas summa erat post
C exactos reges, & annua tantum, ne nimia diuturnitate in superbiam, & licentiam prolaberentur. Et duo semper erant Consules, ut unus alterum, si malè sentiret de Republica, castigaret, & dicti sunt Consules (ut ait Pompeius Jurisconsul. ff. de origine juris) quòd plurimum Reipublicæ consulerent, ut divus Hieron. ait, super secunda visione Esaiæ: Principes quondam Romani consules appellati sunt, vel à consulendo civibus, vel à regendo cuncta consilio: & nos habemus in ecclesia senatum nostrum, cœtum presbyterorum. Proconsules autem dicebantur, qui loco consulum in provincias cum
D imperio mittebantur, eorumque vice fungebantur, quamdiu in provincia essent. Tribunus Celerum secundum locum à regibus tenebat, teste Pomp. Jurisconsulto, & præerat militibus & emendationi militiæ: dicti sunt celeres à celeritate, quòd celeriter occurrerent, si quando eorum opera Respub. indigeret, vel à Celere quodam interfectore Remi, qui primus his ordinibus Præfectus fuit. Celeres antiqui dixerunt, quos nunc equites dicimus, & dicuntur Tribuni à tribu, de quibus Hieron. loco, quo su-

ſuprà, dicens: Centuriones vocantur, qui centum præſunt militibus, & Chiliarchi, qui mille, quos Tribunos appellamus, ab eo quòd præſunt tribui: unde & Decanos dicimus, qui decem præſunt hominibus, vel Tribuni, ſecundum Pomp. Jurisconſultum dicuntur, quòd tunc in tres partes populus erat diviſus, & ex ſingulis ſinguli creabantur, vel qui tribuum ſuffragio creabantur. Tribuni militum erant, qui parem cum Conſulibus habebant in caſtris poteſtatem, & patroni exercitus, opponebanturque Imperatori pro militibus: hi forſan Mareſchalci hodie dicuntur. Dicitur autem Tribunus cohortis (quæ ferè mille militibus conſtabat) legatus legionis. Non autem dicimus, Centurio cohortis, ſed ex cohorte, & tribunos cohortis: Nec tribunus legionis, ſed legatus: Nec legatus exercitûs, ſed Imperator: Legatus autem dicitur legionis, & tribunus cohortis, quia toti illi præeſt, ut Imperator exercitui. Tribunorum officium erat, ut * Martianus de re militari ſcribit, in caſtris milites continere, & ad exercitationem producere, vigilias circuire, rei frumentariæ præeſſe, querelas commilitonum audire, valetudinarios inſpicere. Et horum duo erant genera: alii Ruffilii, ac poſtea Rutili vocati, qui in exercitu creabantur à Conſule, non à populo: alii comitiati, qui Romæ in comitiis deſignabantur. Sunt & Tribuni ærarii, ab eo dicti, quòd his tributa erat pecunia, quam militibus diſtribuerunt. Tribuni plebis erant defenſores plebis, ne vis aliqua, aut fraus in plebe inferretur, ut æquitas in civitate, & major libertas eſſet; hos Græci Demarchos vocant: & hi (ut ego arbitror) hodie apud Germanos in Imperialibus civitatibus proletario & illiterato vocabulo, Scabini dicuntur, quos alii prætores urbanos vocari volunt, quibus ego non ſubſcribo. Fuit autem tanta Tribunorum plebis poteſtas, ut dicit Feneſtella, ut quicquid decreviſſet ſenatus, ita demum ratum haberetur, ſi Tribuni approbaviſſent. Decem-viri (penul. correpta, ſicut etiam Trium-viri, Duum-viri, & ſimilia) creabantur omnibus urbis magiſtratibus per annum ſublatis, legum condendarum, & inditiorum ferendorum gratia, & decem numero conſtituti ſunt ſenatusconſulto, & populi conſenſu, & præ cæteris magiſtratibus officia penè omnia obibant: hi à Græcis civitatibus leges petiverunt, & tabulis eburneis, ſeu (ut alii volunt) æneis præſcripſerunt. Inde leges xij. tabularum dictæ. † Decem-viri etiam ſucceſſu temporis conſtituti ſunt Romæ, teſte Pomp. qui haſtæ præeſſent, & litibus judicandis. Habebant autem alii etiam legatos, ut dicit Feneſtella, ob rerum gerendarum multitudinem, qui non propria, ſed mandata jurisdictione utebantur. Prætores introducti ſunt, ita, ut Pomp. Jurisconſultus ff. de origine juris narrat, cùm Conſules avocarentur bellis finitimis: neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet, factum eſt, ut prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus eſt, eò quòd in urbe jus redderet. Poſt aliquot deinde annos non ſufficiente eo prætore, quòd multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus eſt & alius Prætor, qui peregrinus eſt appellatus, ab eo, quòd plerumque inter peregrinos jus diceret, ut Livius lib. 5. ſcribit. Primus prætor ex patribus, qui jus in urbe diceret, creatus eſt, penes quem magiſtratum omnis publici, privatique juris po-

A teſtas eſſet, & ut novum jus condere, & vetus abrogare poſſet, idque, ob Magiſtratus honorem, jus honorarium appellatum eſt. Ab initio autem, prætor omnis Magiſtratus appellabatur, cui pareret exercitus: Dicitur autem prætor, ut præſit: ut Livius videtur velle: vel ſecundum Varronem, à præeundo, quaſi præitor, quòd præiret jure, & exercitu. Erant item prætores provinciales, qui provinciis jus dicerent, qui totidem fuerunt, quot provinciæ in deditionem Romanorum venerant. Dictator, Magiſtratus erat ſummæ poteſtatis, & extraordinarius, nec niſi ſex menſes duraverat: ſic dictus,

B quòd ejus dicto parendum eſſet, vel ejus dicto audientes omnes eſſent, qui antiquitùs Magiſter populi dictus eſt, ut teſtis eſt Pomponius Jurisconſ. Cicero, Varro, Seneca. Magiſter Equitum Dictatori proximus, equitibus regendis præfectus erat. Præfecti prætorio tales fuerunt apud Cæſares, quales apud reges Tribuni Celerum, aut apud Dictatores Magiſtri equitum, hoc confirmat Aurelius Jurisconſ. ff. de offic. præ. l. 1. inquiens: Ad vicem Magiſtri equitum præfectos prætorio antiquitùs inſtitutos eſſe à quibusdam ſcriptoribus traditum eſt. Nam cùm apud veteres dictatoribus ad tempus ſumma

C poteſtas crederetur, & Magiſtros equitum ſibi eligerent, qui aſſociati principali curæ militiæ gratia, ſecundam poſt eos poteſtatem gererent, regimentis Reipub. ad Imperatores perpetuò tranſlatis, ad ſimilitudinem Magiſtrorum equitum, Præfecti prætorio à principibus electi ſunt. Data eſt eis plenior licentia ad disciplinæ publicæ emendationem: hoc idem tradit Feneſtella, à quo hic accepit. Sunt autem hodie apud principes Mareſchalci, qui olim Magiſtri equitum dicti ſunt. Cenſores dicuntur, teſte Varrone, ad quorum cenſionem, id eſt arbitrium, cenſeretur populus: hi igitur cenſui habendo, luſtris

D condendis, moribus denique, & diſciplinæ Romanæ præfecti erant. Quæſtores, qui ærario Præfecti erant, & ſumptibus publicis, à quærendo, & ut Pomp. Jurisconſul. ait, quod inquirendæ, & conſervandæ pecuniæ cauſa, creati erant. Quæſtores urbani erant, qui nunc vulgò Magiſtri computorum dicuntur, qui & Præfecti ratiociniorum dici poſſunt. Quæſtores militares, & qui cum Conſulibus, & Prætoribus mittebantur ad bellum, pro adminiſtranda re pecuniaria, hodie Theſaurarii dicuntur. Erant & Quæſtores parricidii, qui capitalibus rebus præerant, & hi à quæſtionibus dicebantur,

E qui poſteà Triumviri capitales nuncupati ſunt, de Quæſtoribus plura in *Commentariis linguæ latinæ* dixi. Interrex erat, qui donec Reſpublica Rege aut Conſule carebat, vices Regis, vel Conſulis gerebat. Inde interregnum venit. Legati erant etiam, qui ducibus dabantur exercitus, à ſenatu, non ſolùm adjutores, ſed cuſtodes, & animadverſores rerum à ducibus geſtarum: ita, ut nihil ipſis ignaris à duce gereretur, quos hodie (ut dicunt) campi proviſores vulgus Italorum vocat. Præſes provinciæ (ut dicit Ulpia.) eſt is, qui majus in provincia imperium habet omnibus poſt principem. Aliquando etiam di-

F citur auxiliator, & defenſor. Ædiles dicti ſunt ab eo, quòd ædes ſacras, & privatas procurent, & à ſolio eburneo, quibus inſidebant, Curules dicebantur. Ædilium officium erat, ludos, & ſpectacula exhibere, & (ut dicit Feneſtella) cloacis publicis, & aquæ ductibus, cæterisque ædificiis publicis præpoſiti erant: deniquè quicquid rerum vitioſarum pro ſyncero, fractum pro integro usquam veniſſet, ædilitio edicto redhiberi ſolet

* *L. officium parag. fin. ff. de re milit.*

† *Alias Centum-viri.*

solet. Inde græcè ædilis dicitur, ἀγορανόμος, quòd foro rerum venalium, qui regulam præscribit, præpositus sit. Plaut. in Captiv. *hunc fecerunt sibi Ætoli agoranomum.* Inde apud Rom. à Cæsare creati sunt ædiles Cereales, & à Cerere nominati sunt, ut scribit Pomp. Iis cura rerum vendendarum, (ne qua fraus fieret) & mensurarum commissa erat. Triumviri triplices fuerunt, Capitales, Mensarii, Nocturni: De Capitalibus sic habet Pomp. ff. de origine juris. Triumviri Capitales constituti sunt, qui carceris custodiam haberent, & cùm animadverti oporteret, eorum interventu fieret. Triumviri mensarii, sive monetales erant, quorum diligentia, & cura, numismata auro, argentoque fabricarentur, de quibus Livius dicit: Triumviri mensarii creati sunt, hique nummulariis, & monetæ omnis generis, & formæ cusoribus præerant. De Triumviris nocturnis, qui publicis præerant incendiis, meminit Cornelius Tacitus. Triumviri nocturni, quòd ad incendium in sacra via ortum tardè venerant, à Tribuno plebis die dicta damnati, quos posteà Præfectos vigilum dictos ostendit Pomp. Jurisconsultus, inquit enim: Præfectus vigilum cognoscit de incendiariis, & effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus, &, ut inquit Paulus, de officio Præfecti vigilum: Apud vetustiores incendiis arcendis, Triumviri præerant, qui, ex eo quòd excubias agebant, nocturni sunt dicti. Augu. autem in grammatica sua, faciens unam partem orationis, dicit: Præfectus vigilibus, Præfectus fundis, Præfectus annonæ. Est autem Præfectus annonæ, qui in caritate annonæ frumentum undique, ut dicit Fenestella, coëmerat: & si quis ultrà proprios usus possideret, in medium ponere jussit, advehi undique, advectum justo precio venire frumentum curabat. Præfectus autem fundis, qui fundis, & agris præerat, & nunc in pagis nostris Suevicis eliguntur Triumviri, vel Quatuorviri, vel Quinqueviri, prout magnus, vel parvus est pagus, qui gerunt curam de pecore pascendo, de pascuis, de tutandis frugibus, & damnis agrorum præcavendis, & similibus. Scripsit Pomponius de Origine juris de Quatuorviris, qui curam viarum agerent, & aliis Duumviris, quibus Tullus Hostilius potestatem fecit judicandi de capite M. Horatii, qui solus ex trigeminis, bello Albano remanserat, & reus accersitus, quòd extra portam Capenam sororem interfecerat. Præfectus urbi, qui custodiæ urbis, & juri dicendo præpositus erat, quoties Reipub. causa Magistratus abessent, & ut Dionysius Halicarnasseus ait: Romulus primùm elegit unum, qui urbanis negotiis præesset: longo post tempore tantum sibi urbis præfectura vendicavit imperatorum temporibus, ut crimina omnium in urbe cognosceret, & demum cùm Imperatores abessent, Præfectus, velut alter Cæsar, & Imperator imperabat, de rebus omnibus, quæ ad Cæsarem pertinebant, censebat. Sunt item singulorum ordinum in militia aliquando Præfecti creati, ut Præfecti alarum, Præfecti cohortium: & Præfecti legionis, vicem habebant: legati absentis, quibus parebant Tribuni, Hastati, Pilani, Centuriones, & totus denique exercitus. Præfecti item castrorum, quorum cura erat positio valli, fossæ, tentoria, tabernacula, tormenta bellica, &c. Procuratori Cæsaris omnis res familiaris principis commissa erat: etiam quicquid is egisset, ratum erat apud Cæsarem: hic à recentioribus leguleis comes rerum privatarum Cæsaris dicitur.

DE SACERDOTIIS *Romanorum.*

Pontifex maximus cæteris Pontificibus præerat: nec poterat nisi unus esse, qui templo Vestæ, & custodiæ Palladii erat Præpositus, cui denique omnia sacra publica, privataque subjecta fuerunt. Et Pontifices Q. Mutius Scævola à posse & facere appellatos esse dicere solebat: sed ea denominatio à Marco Varrone haud satis probari videtur: Nam & à ponte & facio pontifices appellatos putat, eò quòd ab his pons sublitius factus, & sæpè restitutus esse perhibeatur: ante pontem autem sublitium ab Anco Martio factum, principes sacerdotum à Numa Pompilio sunt appellati. Rex sacrorum alio nomine sacrificulus, Pontifici Maximo subjiciebatur. Cùm enim à Regibus quædam sacra instituta essent, à solisque Regibus obiri consueta fuerint, ne omnis religio extincta videretur, creabatur Rex sacrorum; sed ne regiam dignitatem Regis appellatione usurparet, Pontifici Maximo subjiciebatur. Fœciales (quorum pater patratus princeps erat) sacerdotes dicebantur, qui faciendis præerant fœderibus. Inde enim dicti (teste Fenestella) à Varrone autem à fide & faciendo: à Pomponio à ferendo dicti. Ubi de fœderibus convenerat, admitti consuevit Pater patratus, ad patrandum enim, id est, sanciendum juramentum admittebantur: eos instituisse dicitur Numa, cùm indicendum esset bellum Fidenatibus. Caduceatores autem pacis erant legati, dicti à Caduceo, quem manu gestabant. Salii sacerdotes fuerunt Martis, à saltando dicti, eò quòd in portandis ancylibus quotannis versicoloribus tunicis ornati, per urbem saltarent, & tripudiarent: hos Numa 12. instituit. Tullus autem Hostilius duplicavit numerum. Galli fuerunt sacerdotes matris Deorum, quæ & Ops dicitur, & Cybele, Rhea, Berecinthia. Et sacerdotes illi castrati erant, & dicti à Gallo vetusto Phrygiæ flumine, cujus aquam potantes, in insaniam vertuntur. At Hieron. in commentariis veteris instrumenti, aliter sentiens, dicit: Hi sunt, quos hodie Romæ matri, non Deorum, sed dæmoniorum servientes, gallos vocant, eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine, in honorem Martis, quem Eunuchum Dea meretrix fecerat, sacerdotes illius mancipaverunt: propterea autem Gallorum gentis homines effœminantur, ut qui urbem Romam ceperant, hac feriantur ignominia. Inde archigallus, qui Gallorum sacerdotum est Princeps, &, ut Firmicus Maternus dicit, si à Venere Luna defluens in nocturna genitura feratur, minuta luminibus Saturnum, aut steriles, aut Eunuchos, aut archigallos, aut hermaphroditos faciet. Flamen Dialis fuit sacerdos Jovis: dictus autem flamen, ut Varro ait, quod in Latio capite velato erat, & filo lanæ caput præcinctum habebat, à quo flamen appellabatur. Dialis autem à Dijove, quod est juvans Deus: Cæteri flamines ejus, cui præsident numini, decorantur titulis, ut Flamen Martialis à Marte, Quirinalis à Quirino Romulo, Vulcanis à Vulcano. Virgines Vestales fuerunt sacerdotes Vestæ, quales hodie Moniales sunt. Collegium augurum erat ordo hominum prudentium, qui prodigiis publicis præerant, & primùm tres augures fuerant à tribus Tribubus, sic instituit Romulus, teste Dionysio Halicarnasseo, inde quatuor creati. Tandem plebe per Tribunos id petente, quinque plebei augures, quatuor patritiis adjuncti fuerunt, &

ſic numerus novem augurum manſit. Potitii & Pinarii fuerunt duæ familiæ, hoſpites Herculis in Italia, & tandem ejus ſacrorum ſacerdotes inſtituti: de quibus Virg. in 8. Æneid. plura. Luperci ſacerdotes erant Panis Lycæi, ſive Fauni, au Sylvani, nudi ſacrificantes. Epulones fuerunt ſacerdotes, qui ludorum epulare ſacrificium faciebant, & primùm fuerunt tres, poſt quinque, tandem ſeptem. Duumviri à Tarquinio Superbo inſtituti erant, qui ſoli libros Sibyllinos inſpicerent, poſteà creati ſunt x. & tandem xv. & dicti ſunt quindecimviri, quibus aliquando cura fuit commiſſa corrigendorum faſtorum. Fratres arvales numero xii. qui ſacra publica facerent: propterea, ut arva ferrent fruges, à ferendo igitur & arvis (ut Varro ſcribit) Fratres arvales dicti.

A

F I N I S.

PETRI FABRI
REGII CONSILIARII,
LIBELLORUM ORDINARII MAGISTRI ET IN SENATU THOLOSANO PRÆSIDIS,

DE

MAGISTRATIBUS ROMANORUM COMMENTARIUS.

PETRI FABRI

REGII CONSILIARII, LIBELLORUM ORDINARII MAGISTRI ET IN SENATU THOLESANO PRÆSIDIS,

DE

MAGISTRATIBUS ROMANORUM COMMENTARIUS.

CAPUT I.

Prætores Consulum Collegæ. Consulum quàm Prætorum, Proconsulum quàm Proprætorum auctoritas major. Esse in Republica Præfectus feriarum. Sellæ Magistratuum. Ipsorum in Urbem ingressus. Picta toga & palmata Vestis. Scipio, Aquila eburnea & sceptrum. Emendatur Pomponii unus & alter Themistii locus.

De Magistratibus Populi Romani, déque officio & insignibus magistratuum Romanorum scripsêre nostris temporibus permulti, *Lazius in comment. Reipubl. Rom. Hotom. in comment. vet. juris*, *Brissonius in lib. de verb. sign. & antiquitatum*, eleganter profectò & erudite: quamobrem eorum libros ut legam ac relegam, lubens assumo; ut de manibus deponam, invitus facio. Cum iis contuli nuper animi causa quæ olim assiduo labore, magnísque vigiliis undique conquisieram, mihíque ac musis (ut dicitur) cecineram. Quædam aut ab aliis nondum animadversa, aut à nobis diligentiùs pertractata deprehendi: quæ cùm attento animo perlegissem, prorsus digna visa sunt, ut ex latebris in medium proferrentur, in studiosorum antiquitatis gratiam: quorum improbum laborem scriptis nostris allevatum esse cupimus. Primùm igitur, cùm Consules avocarentur bellis finitimis, neque esset qui in civitate jus reddere posset, factum ait Pomponius, *l. 2. D. de orig. jur.* ut Prætor quoque crearetur, qui urbanus appellatus est, quòd in urbe jus dicebat. Hoc jam alii, *Balduinus ad d. l. 2. & Hotom. in comm. verb. jur.* ante me, adhibito Ciceronis loco illustrarunt, ubi ad Planchum ita scribit, *lib. fam. epist.* 12. Placuit nobis ut statim ad Cornutum Prætorem urb. literas deferrem, qui quòd Consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum. Verùm antequam ad alia transeamus, placet ut hoc indicatis præterea duobus locis, uno Græco, altero Latino, confirmemus. Et Livius quidem, *lib.* 33. Comitiis, inquit, prætorum perfectis S. C. factum est ut Q. Fulvio extra ordinem urbana provincia esset, ísque potissimum Consulibus ad bellum profectis urbi præesset. Dion quoque, *lib.* 58. καὶ ἔδει μέντοι τοὺς

A στρατηγοὺς, οἷς τὰ τῶν ὑπάτων ἔργα, ὁπόταν ἀποδημήσωσι, μέλλει, πάντα αὐτὰ ἀποτετελεκέναι. Cùm igitur munus obirent Consulare Prætores, eodémque utrique (ut ex Messala Gellius refert, *lib. 13. cap. 14.*) auspicio crearentur: Prætores collegæ Consulum haberi & dici cœperunt. Quod non modò ipsius Gellii, *d. cap.* 14. sed etiam Plinii authoritate, quæ pluris facienda est (ut arbitror) jam demonstrabo. Sic enim de Trajano Plinius, *in panegyrico*, reliqua pars diei Tribunali dabatur. Ibi verò quanta religio æquitatis? quanta legum reverentia? Adibat aliquis ut principem, respondebat se Consulem esse.

B Nullius ab eo magistratus jus, nullius auctoritas imminuta est, aucta etiam, siquidem pleraque ad Prætores remittebat, atque ita ut collegas vocaret, non quia populare gratúmque audientibus, sed quia ita sentiebat. Illud notandum est, etiamsi Consulum Prætores essent collegæ, attamen minus imperium Prætores, majus Consules habuisse, ut idem Gellius animadvertit: *d. cap.* 14. minorem fuisse Prætorum, majorem Consulum potestatem, ut scribit Valerius Maximus, *lib. 2. cap.* 3. Quamobrem rectè Justinianus πραίτωρας μικρῷ τῶν ὑπάτων ἐλαττουμένους: ait, *Nov.* 24. περὶ τοῦ ἄρχοντος, ἤγουν τοῦ πραίτωρος

C Πισιδίας. Et sanè major erat Consulum, quàm Prætorum dignitas. Illis duodecim lictores, cum fascibus præibant, postquam exactis regibus (quibus lictores, ut ex Appiano paulò pòst dicemus, & apud Plutarchum, *in Romulo*, legitur, ἐβάδιζον πρόσθεν βακτηρίαις ἀνείργοντες τὸν ὄχλον, ὑπεζωσμένοι δὲ ἱμάντας, ὥστε συνδεῖν εὐθὺς οὓς προστάξειαν) imperii eorum vim universam omniáque insignia sub titulo Consulatus in se Valerius Publicola transtulit, ut est apud Valerium Maximum: *lib. 4. tit.* 1. Prætoribus autem, sex tantùm lictores cum fascibus: quamobrem ἑξαπελέκεις vocabantur, si Appiano credimus: cujus hæc

hæc verba sunt ex Syriaco, καὶ στρατηγοὺς ἐπὶ τῇ στρατιᾷ περιέπεμπον, οὓς αὐτοὶ καλοῦσιν ἐξαπελέκεας, ὅτι τῶν ὑπάτων δυώδεκα πελέκεσι καὶ δυώδεκα ῥάβδοις ὡς οἱ πάλαι βασιλεῖς χρωμένων, τὸ ἥμισυ τῆς ἀξιώσεως ἐπὶ τοῖς δὲ τοῖς στρατηγοῖς καὶ τὰ ἡμίσεα παράσημα. Ubi quod ait Appianus στρατηγοὺς, explica non *duces*, sed *prætores*: nec te moveat quod cum exercitu missos ait in militiam. Etenim Prætores dicti (ut est apud Varronem, *lib.* 1. *de Lingua Latina*) qui præirent jure & exercitu: quod noster Justinianus his verbis tradit, *Nov.* 24. περὶ τοῦ ἄρχοντος, ἤγουν τοῦ πραίτωρος Πισιδίας. οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι παρέχον αὐτοῖς ἐξουσίαν ὅπλων τε καὶ νόμων, καὶ πρὸς ἑκάτερον εἶχον αὐτοὺς ἐπιτηδείους τε καὶ ἀξιοχρέους καθεστῶτας οὓς δὴ καὶ πραίτωρας ἐκάλουν, ἐκ τοῦ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἰέναι καὶ παρατάττεσθαι, ταυτὴν αὐτοῖς δόντες τὴν προσηγορίαν. & Nov. 25. περὶ τοῦ πραίτωρος Λυκαονίας. Ῥωμαῖοι γὰρ οἱ πάλαι τοὺς σφῶν αὐτῶν στρατηγοὺς πραίτωρας ὠνόμαζον, τῶν στρατευμάτων τε ἡγεῖσθαι παρεῖχον, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτοὺς γραφομένοις ἐπείθοντο νόμοις, καὶ ἦν ἀρχή τις ἐξ ἀμφοῖν κεκραμένη, καὶ ἐν ἑαυτῇ περιφέρουσά τε καὶ δεικνῦσα τήν τε ἐν ταῖς παρατάξεσιν ἰσχὺν, τήν τε ἐν τοῖς νόμοις εὐκοσμίαν. &c. Sive autem jure, sive exercitu præirent, sex tantummodo fascibus, sex securibus utebantur, nisi cum imperio & dignitate consulari missi essent: tum enim quasi consules, duodecim lictores cum totidem securibus & fascibus ipsos comitabantur, idque Plutarchus de Paulo Æmilio in Iberiam misso his verbis tradidit: *in vita Æmilii*, ἐπὶ τούτων ὁ Αἰμύλιος ἐξεπέμφθη στρατηγὸς, οὐχ ἓξ ἔχων πελέκεις ὅσους ἔχουσιν οἱ στρατηγοῦντες, ἀλλὰ προσλαβὼν ἑτέρους τοσούτους, ὥστε τῆς ἀρχῆς ὑπατικὸν γενέσθαι τὸ ἀξίωμα. Inde factum igitur ut ab authoribus Græcis Prætores ἐξαπελέκεις nominentur. Polybius, *lib.* 2. *histor.* τούτους μὲν ἀθροίσαντες ὡς ἐπὶ Θυῤῥηνίας προσεκάθισαν ἐξαπέλεκυν αὐτοῖς ἡγεμόνα συστήσαντες. Et lib. III. ubi de Triumviris coloniæ deducendæ ac dividendorum agrorum, ὧν εἷς μὲν ἦν Γαΐος Αὐτάτιος, καὶ τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς· οἱ δὲ δύο τὴν ἐξαπέλεκυν. Et statim, Λεύκιος δὲ Μάλλιος ἐξαπέλεκυς ὑπάρχων, καὶ προκαθήμενος ἐπὶ τῶν τόπων μετὰ δυνάμεως, ἀκούσας τὸ γεγονὸς, ἐβοήθει κατὰ σπουδήν. Et paulò pòst, τὰ μὲν τῷ Ποπλίῳ προκεχειρισμένα στρατόπεδα κατὰ σπουδὴν ἐξαπέστελλον ἐπὶ τὴν τούτων βοήθειαν, ἡγεμόνα συστήσαντες ἐξαπέλεκυν· ἄλλα δὲ συνάγειν καὶ καταγράφειν ἐκ τῶν συμμάχων αὐτῷ παρήγγειλαν. Et post multa: ubi de Publio: καὶ παραλαβὼν τὰ παρὰ τῶν ἐξαπελέκων στρατόπεδα τὰ προκαθήμενα καὶ προσπολεμοῦντα τοῖς Βοίοις. & alio loco. αὐτοὶ δὲ Λεύκιον μὲν Ποστούμιον ἐξαπέλεκυν ὄντα στρατηγὸν, στρατόπεδον δόντες εἰς Γαλατίαν ἐξαπέστειλαν. Idem auctor eòsdem πελεκυφόρους videtur nominare: quum ait paulò antè, Ῥωμαῖοι δ' ὡς θᾶττον ἤκουσαν τοὺς Κέλτους ὑπερβεβληκέναι τὰς Ἄλπεις, Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστειλαν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, τηρήσοντα ταύτῃ τῶν ἐναντίων τὴν ἔφοδον· ἕνα δὲ τῶν πελεκυφόρων εἰς Τυῤῥηνίαν. ὁ μὲν γὰρ ἕτερος τῶν ὑπάτων Γαΐος Ἀτίλιος προεξεληλυθὼς ἔτυχεν, &c. Quòd si belli gerendi causa in provinciam Consul & Prætor simul mitterentur, partáque & reportata victoria de triumphandi jure inter eos quæreretur: quis dubitat quin optimi quique judices id sequerentur, quod Attilium Calatinum judicem acceptum inter Luctatium Consulem & Q. Valerium Prætorem insigni Pœnorum classe circa Siciliam deleta, triumphóque à Senatu decreto pronuntiasse legimus: quando si dimicandum, nec ne esset contrariis invicem ipsi sententiis dissedissent, prioris Consulis partes futuræ, majúsque habiturum fuerit momentum, quod Consul, quàm quod Prætor imperasset, si auspicia uterque accepisset, sed diversa, magis auspi-

A cio Consulis staretur, eadem omnino ratione in honore triumphi minorem, id est Prætoris potestatem, majori, hoc est Consulis potestati, æquandam non fuisse, ut Valerius Maximus auctor est: *cap.* 3. *lib.* 2. Illud constat, etsi collega Consulis Prætor, non par tamen utriusque, sed Consulis majus, Prætoris minus fuisse imperium: ut supra ostendimus, & Jurisconsultorum nostrorum auctoritate stabiliri potest. Quum enim apud eum, cui par imperium est, manumittere non possimus (ut Paulus *l. apud eum* 14. *de manum.* ait lib. XVI. ad Plautium) ideóque apud collegam suum, id est apud Prætorem,
B Prætor manumittere non possit, ut idem auctor eodem libro memorat: *l. apud filiumfam.* 118. §. 1. *D. de manum. vindicta*, attamen Prætorem posse apud Consulem manumittere, Paulus idem eo ipso libro retulit, *d. l. apud eum*, §. 1. *de manum.* Sic collegam Dictatoris, magistrum militum fuisse, qui tamen illius imperio subditus esset Polybius, *lib.* III. *ubi de Fabio & Minucio*, in hæc verba docet: οὗτος τέτακται μὲν (inquit) ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος, γίνεται δ' οἱονεὶ διάδοχος τῆς ἀρχῆς ἐν τοῖς ἐκείνου περισπασμοῖς. Et statim, ἐξώρμησε μετὰ τοῦ συνάρχοντος, loquens de Fabio Dictatore qui cum Minucio Magistro militum in mi-
C litiam proficiscebatur. Sanè quemadmodum Consulum quàm Prætorum, ita quoque Proconsulum quàm Proprætorum dignitas fuit augustior. Cessabat imperium Proprætoris præsente Proconsule. Quam in rem memorabile semper existimavi, quod Plutarchus refert, Catonem Uticensem Proprætorem, cùm ei & Appius Varus & Scipio Proconsul imperium deferrent, cessisse ac repudiasse, ni in leges committeret. Adferam ipsa Plutarchi verba, nam consignatis tabulis agimus, & non tam nobis, quàm ipsis eorum quæ tradimus auctoribus & fidem & gratiam haberi volumus. Ita igitur Plutarchus de Catone,
D *in Catonis Uticensis vita*, ἀξιούντων δὲ πάντων ἄρχειν αὐτὸν, καὶ πρῶτον τῶν περὶ Σκιπίωνα καὶ Οὔαρον ἐξισταμένων καὶ παραδιδόντων τὴν ἡγεμονίαν, οὐκ ἔφη καταλύειν τοὺς νόμους, περὶ ὧν τῷ καταλύοντι πολεμοῦσιν· οὐδὲ ἑαυτὸν ἀντιστράτηγον ὄντα, παρόντος ἀνθυπάτου προστάξειν. ἀνθύπατος γὰρ ὁ Σκιπίων ἀπεδέδεικτο. Cæterùm Prætorum numerum usque eò adauctum Pomponius tradit, *in l.* 2. *D. de orig. jur.* ut tandem decem & octo Prætores in civitate jus dixerint. Sed hac in re non bene (opinor) Pomponio cum aliis historicis convenit: quos invicem conciliare, nostri nunc quidem instituti non est. Quamobrem pergamus, & la-
E boranti Pomponio auxiliarem ac medicam (quod poterimus) manum porrigamus. Ait igitur Pomponius: Et hæc omnia, quoties in Republ. sunt magistratus, observantur. Quoties autem proficiscuntur, unus relinquitur qui jus dicat, is vocatur præfectus urbi: qui præfectus olim constituebatur, postea ferè Latinarum feriarum causa introductus est, & quotannis observatur. Hìc dubitari & quæri potest, quid sit illud *in Republ.* Videtur opponere eos qui sunt in Repub. iis qui proficiscuntur. Quasi verò ii qui vel belli pro Pop. Rom. gerendi, vel provinciarum Pop. Romani administrandarum gratia, urbe pedem efferunt, non sint in Repub. At certè Remp. trac-
F tant: Reipub. dant operam, *l.* 1. *D. ex quib. cau. major.* & inserviunt, ideóque Reipubl. causa abesse dicuntur, ut scribit, *l. abesse*, *D. ex quib. cau. major.* Modestinus: quod alio loco planiùs explicabitur, cùm erit commodum. An igitur ut urbis nomine Roma, Magistratus nomine urbanus populi magistratus intelligitur: adeò ut à præsidibus provinciarum, apud Ulpianum secernatur

natur magistratus, *l. aliud est fraus*, 131. §. *ult. D. de verb. sign.* & Pop. Romani magistratus: §. *l.* 3. 1. *D. quod met. cav. l.* 4. §. 1. *D. de inter. in jure fac.* quòd præsides & rectores provinciarum non tam sint magistratus quàm pro urbanis magistratibus; propriéque potestates nominentur, *vide lib.* 14. *de verb. signif.* quod hodiéque fit in Italia: sic etiam dicendum est eam propriè ac specialiter Rempublicam vocari atque intelligi, quæ sit populi Romani & urbis Romæ Respublica? Quamobrem qui proficiscantur in provincias sive juris, sive belli administrandi gratia, non esse in Republ. sed abesse Reipublicæ, id est Romanæ Reipublicæ Romanique (cujus Roma caput est) imperii causa censeantur? Omnino ita videtur: nec placet quod aliquando placuit, ut pro *in Republ.* legamus in urbe. Nam etsi frequens & perfacilis lapsus est, qui fit ex mutatis loco literis, & Pomponius paulò antè Prætorem urbanum appellatum, quòd in urbe jus dicebat, & Prætores in civitate, id est in urbe jus dicere scripserit, ac paulò pòst de Præfecto urbi loquatur; nec Præfectum Reipubl. vocet: attamen quando ita uti legimus, in emendatissimis quibusque codicibus legitur, nihil temerè immutandum puto: præsertim cùm id verbum & idoneum sensum habeat (ut antè ostendimus) & apud alios auctores ita *Respublica* pro urbe; & *à Republica abesse* pro ab urbe abesse; scriptum reperiatur. Sallustius, ubi de Pisone, cui ob suspicionem urbanæ conjurationis provincia Hispania ultrò extra ordinem data est (ut Suetonius, *in Julio*, *cap.* 9. tradit) quémque sub titulo & honore Proprætoris in provinciam Senatus miserat, ut eum procul ab urbe ablegaret, ita loquitur *in Catilinæ conjurat.* Posteà Piso in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est, adnitente Crasso, quòd eum infestum Cn. Pompeio cognoverat: neque tamen Senatus provinciam invitus dederat, quippe fœdum hominem à Republ. procul esse volebat. Viden' ut Proprætorem dicit procul esse à Republ. quia Romæ non sit, (ut Asconius hac ipsa de re agens expressit) quia procul ab urbe sit? Asconii hæc verba sunt, *ex commentario in Ciceronis orationem in competitores*, Piso autem, cùm hæc dicerentur, perierat in Hispania, missus à Senatu per honorem legationis, ut ab urbe ablegaretur. Sic enim & feliciter (meo quidem judicio) & rectè Franciscus Robortellus Utinensis V. C. hunc locum restituit: cum in omnibus exemplaribus anteà corruptè omnino contra historicam fidem, contra rationem & nullo sensu legeretur hoc modo, *ut avus suus obligaretur.* Quamobrem *ab Republ. abesse*, quod Salustius usurpavit, & *ab urbe abesse*, quo Asconius utitur, idem significant: *in Republ.* apud Pomponium, idem quod *in urbe.* Sic Rempubl. apud Cornelium Tacitum, *lib.* 16. id est urbem Romam interpretor: cùm scribit, Helvidius & Paconius Italia depelluntur: Montanus patri concessus est, prædicto ne in Republ. haberetur. ubi non ignoro Reipubl. nomine ab aliis *Lips. ad illum locum*, honores & munera publica designata existimari: & verò non insciтè id fieri: quum & apud Senecam *lib.* 11. *de ira cap.* 34. *ubi inter Syllanæ crudelitatis exempla est, quòd à Republ. liberos proscriptorum submovit.* quoque nihil aliud esse videatur à Republica, nisi à Reipubl. administratione, ab honoribus: ad quos Julium Cæsarem admisisse & proscriptorum liberos tradit Suetonius Julio. Et Vellejus Paterculus lib. 2. hist. Rom. Restituta in ædilitate ab ipso monumenta C. Marii simúlque revocatos ad jus dignitatis proscrip-

A torum liberos. Sícque apud ipsum Cæsarem, *lib.* 3. *de bello civili.* ubi de Cœlio & Caio Trebonio Prætt. De quibus rebus Servilius Consul ad Senatum retulit, Senatúsque Cœlium ab Republ. removendum censuit: hoc decreto eum Consul Senatu prohibuit, & concionari conantem de Rostris deduxit. Et apud Paterculum de hoc ipso M. Cœlio agentem: in urbe seditionem aut magis occultè bellicum tumultum movens, primò summotus à Republ. mox consularibus armis auctore Senatu circa Turios oppressus est. Et statim, de Epidio & Cæsetio

B tribb. pleb. dum arguunt in Cæsare regni voluntatem, penè vim dominationis expertis, hæc adjecit: in hoc tamen sæpe lacessiti principis ira accessit, ut censoria potiùs contentus nota, quàm animadversione dictatoria summoveret eos à Republ. Apud Ciceronem *lib.* 1. *in Verrem.* etiam ubi omne illud tempus quod fuit antequam iste ad magistratus Rémque publ. accessit, habeat per me solutum ac liberum. Denique apud Lampridium, *Alexandro*: ubi ergo Augustum (inquit) agere cœpit imperium, primùm removit Judices omnes à Republ. & à ministeriis, atque muneribus, quos impurus ille Halagabalus ex genere hominum turpissimo provexerat. Ve-

C rumtamen in eo Taciti loco, quod olim senseram, nunc etiam probo, iis quæ præcedunt ibidem commotus: ut Reipubl. appellatione urbs Roma demonstretur: præsertim cùm ne ad Reipubl. administrationem atque ad honores admitteretur Montanus; id patri ejus dicendum non fuerit, cui potestas ejus rei non esset; sed patri, cui concedebatur filius, hoc dicendum fuit, ne haberet eum in urbe, sed rus relegaret, quò tamen eum posset, cùm vellet, invisere. Similiter equidem Reipublicæ nomine, urbem Romam designatam crediderim, apud ipsum, quem antè nominavi, Paterculum: in illo loco, idem

D P. Clodius in Senatu sub honorificentissimo ministerii titulo M. Catonem à Republica relegavit: quippe legem tulit ut is quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum, &c. Qui locus illi Sallustiano (quem antè expressimus) omnino respondet: cùm utrobique de quæstore agatur misso in insulam aut in provinciam relegato, procul à Republica, hoc est ab urbe: non enim ab administratione Reipubl. aut ab honoribus remotum rectè

E dixeris, honorificentissimo quæsturæ titulo donatum, & ea curantem quæ ad Romanam Rempublicam pertinent. Sequitur apud Jurisconsultum, *qui præfectus olim constituebatur.* Quid est quod ait præfectum olim constitutum, postea feriarum Latinarum causa introductum esse, & quotannis observari? Hunc locum & mancum & mutilum esse quis bene oculatus non videt? Equidem etsi non sum Lynceus, attamen antequam hac de re Budæo V. C. quidquam subboluisse intelligerem, ipse ab initio sola ratione naturali ductus (quam qui velut magistram in legendo & meditando non adhibet, oleum & ope-

F ram perdit) non bene apta esse inter se omnia ista perspexi: ac potiùs aliquid tale in priori membro reponi debere, ut quam ob causam, aut quatenus, aut ad quod usque tempus olim constitueretur præfectus intelligeremus: quemadmodum subjicit quamobrem postea introductus fuerit, nempe Latinarum feriarum causa. Non possum probare illorum opinionem, qui ut hujus rationis aculeos effugiant, eam extraordinariam (ut ita loquar) interpretationem consti-

 tuendi

tuendi verbo adhibent, ut *constitui*, extra ordinem constitui significet. Nec tamen nego quin sint quidam magistratus, qui extra ordinem utilitatis causa constituantur: nam de Præfecto annonæ & vigilum id postea Pomponius tradit: hoc nego, *constitui*, esse *extra ordinem constitui*. Alioqui non modò Præfectus, sed omnes Romani Magistratus fuissent extraordinarii, quòd eos fuisse constitutos Pomponius dixerit. Nam ubi de Consulibus, §. *exactis*. Exactis deinde Regibus (inquit) Consules constituti sunt duo, sic Censores, Ædiles, Quæstores ærarii, Quæstores parricidii, Decemviri, Tribuni militum, Centumviri, Quatuorviri, Quinqueviri, Triumviri, Prætores, ac omnes denique populi Romani Magistratus, qui jus in urbe dicunt, constituti fuêre, si verbis Pomponii credimus. Hoc enim constituendi verbo, cum de horum omnium creatione agit, usus est. Non sequor Budæum, qui pro *constituebatur*, legendum censet hoc modo *constituebat urbem*. Cur non sequar, nihil magnopere attinet ut dicam: nam nec ipse cur ita sentiat aut scribit, aut quid omnino sentiat satis exprimit. Id potiùs proferam, si videtur, quomodo Pomponium nostrum esse locutum arbitrer. Ita nimirum *is vocatur præfectus urbi*, *qui profectis olim constituebatur*, *&c.* Vult igitur (mea quidem sententia) Pomponius hoc apposito verbo breviter repetere quod paulò antè ita dixerat *quoties proficiscuntur*, ut ad ea quæ subjicit, commodiore via transeat. Quod pro *præfectus* lego *profectis*, mirum non videbitur, neque absurdum ei qui scierit apud Martianum, *l.* 1. §. *tutores. D. ad leg. Corn. de fal.* ubi omnes codices habent, *at si quis adversus hanc legem præfecto ærario obrepserit*, in Florentinis libris ita legi, *ac si quis adversus hanc legem profectus ærario obrepserit.* Denique in unius literulæ immutatione, etsi magna vis persæpe est, non tamen usque adeò morosi esse debemus (nisi fallor) ut scripto rationem postponamus: ac tum maximè, cùm hæc alicujus loci similitudine atque authoritate fulciri & sustentari potest. Adscripsi rationem superius, quatenus quidem ea literis exprimi potuit, quæ faciliùs mente & cogitatione percipitur: Consequens est, ut auctoritatem adjiciam. Cornelius Tacitus libro V. Sed præcipua ex eo gloria, quòd præfectus urbi recens continuam potestatem & insolentia pari graviorem mirè temperavit: namque antea profectis domo regibus, mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur qui jus redderet, ac subitis mederetur, ferúntque à Romulo Dentrem Romulium, post à Tullo Hostilio Numam Martium, & à Tarquinio Superbo Sp. Lucretium impositos. Dein Consules mandabant. Durátque simulacrum quoties ob ferias Latinas præficitur qui consulare munus usurpet. Ex hoc Taciti loco, qui aliis compluribus ut mihi quoque innotuit, ausim affirmare depromptum esse illum quem exponimus Pomponii locum. Illustratur quidem certè, ac integritati suæ restituitur: nam quod nos *profectis* reponimus apud Pomponium, id (ut verum fatear) ex Tacito dudum desumpsimus. Quod autem *profectis* lego, nec addo articulum *iis*, id est magistratibus: id eò facio, quòd etsi non ascribatur, satis per se intelligitur. Sic & apud Scævolam *in l. Gallus. §. si ejus. D. de liber. & posthum. ibique vivo pariat* (sic enim legendum ex Pandectis Flor.) id est eo vivo: & paulò pòst *redeátque mortuo*, id est eo mortuo. Quod (ut obiter dicam) loquendi genus Græcum est, ùtpote quo utitur Antiphon περὶ τοῦ Ἡρῴδου φόνου, cùm ait, καὶ μὴν

A ἔτι ἐγρηγορότων φασὶν ἐκβλῆναι τὸν ἄνδρα ἐκ τοῦ πλοίου: & Suetonio familiare: Nam in Julio, *cap.* 4. Triumphalem virum repetundarum postulavit, absolutóque Rhodum secedere statuit: & in Othone, *cap.* 8. Ubinam Imperator esset requirentes, perruperunt in triclinium usque: nec nisi viso destiterunt. Et postea, *cap.* 11. Irrumpentibúsque ad primum gemitum modò celans, modò detegens plagam, exanimatus est. Illud non omittam vidisse me, Romæ cùm essem annis superioribus, in bibliotheca Vaticana tres antiquissimos libros Digestorum, in quorum uno pro *fere* emendatum est *vero*, ac fortasse ita legen-
B dum est: quod faciliùs admittent quibus digammatis Æolici (quo plerunque Pandectarum Florentinarum scriptor est usus, ut & *præfuit* pro *præbuit*, & *si* pro *vi*, & plurima ejus generis poneret) potestas non erit incognita. Quod autem de præfecto feriarum Latinarum causa introducto hîc dicitur, exposuere Budæus, *in annotat. ad Pandectas*; Balduinus, *in notis ad Pandectas*; Hotomanus, *in comment. verb. juris*; adhibitis Gellii *libro* 14. *cap. ult.* & Macrobii *lib.* 1. locis. Id nondum quod sciam à quoquam fuit expositum, cur constitueretur præfectus urbis feriarum Latinarum causa. Ego reperio solitos in Albanum
C montem quotannis urbe proficisci omnes urbanos magistratus, ad sacra Jovi per triduum aut quatriduum pro Latino populo facienda, quibus induciarum olim inter Romanum Latinúmque populum factarum memoria renovabatur: & his conceptivis Latinarum feriarum diebus, ex Albano monte Latinis populis carnem ex sacris petere jus cum Romanis fuit, ut apud Varronem *lib.* 5. *de Lingua Latina* legimus. Ad illa sacra istud Dionis *ex lib.* 54. refero: κεραυνὸς εἰς τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν, εἰς ἣν οἱ ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργίαις καταλύουσιν, ἐνέσκηψε. Adeò autem omnes magistratus proficiscebantur, ut ne Tribunus quidem
D plebis (cui nullum diem abesse Roma licebat, ut est apud Gellium *lib.* 3. *cap.* 2. ᾧ μηδεμίαν νύκτα ἐκ τῶν νόμων ἀποδημῆσαι ἐξῆν, ut Dio *lib.* 45. de Antonio Tribuno plebis scribit) Romæ maneret. Ne igitur eo tempore urbs sine magistratu foret, ac ut petentibus dici jus posset, præfectus urbi introductus est, simulacro quasi quodam (ut Tacitus loquitur) & imagine illius creationis quæ fiebat ab initio, propter magistratuum ab urbe in provincias profectionem belli gerendi gratia. Huc pertinet Dionysii Halicarnassei locus *ex lib.* 8. quem subjiciam, ubi de Tribuno
E plebis, οὐδενὸς γάρ εἰσιν τῶν ἔξω τῆς πόλεως οἱ τὴν δημαρχικὴν ἔχοντες ἐξουσίαν κύριοι, περιγέγραπται αὐτῶν τὸ κράτος τοῖς τείχεσι, καὶ οὐδὲ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς θέμις, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν, ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι. τοῦτο διαμένει μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων τὸ ἔθος, τὸ μηδενὸς εἶναι τῶν ἔξω τῆς πόλεως τοὺς δημάρχους κυρίους. Atque hæc quidem omnia quæ de creatione aut constitutione Præfecti urbi feriarum Latinarum causa, per id tempus quo urbani omnes magistratus in Albano cum Latinis Jovi sacrificabant, Strabo his verbis per-
F strinxit, ubi de Albano monte agens, ἐνταῦθα (inquit) Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύουσιν ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα: ubi monendus est lector perperam ab interprete συναρχίαν regium cœtum, pro conventu magistratuum reddi. Nec enim populus Romanus, sed omnes urbani magistratus in Albano faciebant cum Latinis: ut ex illo Dionysii loco manifestum est. Sequitur deinde apud Strabonem de Præfecto, τῇ πόλει δ' ἐφίστησιν ἄρχοντα πρὸς τὸν τῆς θυσίας χρόνον τῶν γνωρίμων τινά

τινὰ νέων. Itaque præfectus urbis feriarum Latinarum tempore postulationibus audiendis vacare, ac jus dicere poterat: nam non modò Consulare, sed omnium etiam magistratuum munus, aut certè muneris quandam similitudinem usurpabat, & æquum fuit profectò, ut saltem subitis mederetur. Facit in hanc rem ille Taciti locus, *ex lib.* 4. ubi ait, Cæterùm postulandis reis tam continuus annus fuit, ut feriarum Latinarum diebus præfectum urbis Drusum, auspicandi gratia tribunal ingressum, adierit Calpurnius Salvianus in Sextum Marium. Item quod Julius Capitolinus in M. Antonino philosopho scribit sic ferè, Virilem togam sumpsit quinto decimo ætatis anno, statímque ei L. Cejonii Commodi filia desponsata est ex Adriani voluntate, nec multò pòst præfectus feriarum Latinarum fuit, in quo honore præclarissime se pro magistratibus agentem & in conviviis Adriani principis ostendit. Hoc enim loco præfectum feriarum, præfectum urbis feriarum Latinarum causa, constitutum interpretor: πολίαρχον εἰς τὰς ἀνοχὰς ἀναιρεθέντα, quemadmodum Dio loquitur, *lib.* 41. 43. *&* 48. Porrò postulationes harum feriarum tempore à Claudio Imperatore interdictas fuisse scribit Suetonius *in Nerone cap.* 7. his verbis, Auspicatus est & jurisdictionem præfecti urbi sacro (aliàs atque) Latinarum celeberrimis patronis non translatitias ut assolet, & breves sed maximas plurimásque postulationes certatim ingerentibus, quamvis interdictum à Claudio esset. In hanc de præfecto urbis disputationem longius ab instituto me provexit Pomponius. Itaque revertar ad Consules ac Prætores, de quibus (ut sum initio pollicitus) ea tantùm, si potero, dicam, quæ ab aliis nondum animadversa, literísve prodita credimus: & tamen ad cognitionem antiquitatis maximè pertinent. Dicam autem eo ordine, quo quidque in mentem venerit. Inter insignia & ornamenta consularia sellæ curules connumerantur. *vide Brissonium cap.* 15. *lib.* 3. *Antiquit.* Cassiodorus in formula Consulatus, *lib.* 6. *Variarum*, Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enixus, ascende. Ausonius ad Gratianum Imp. discipulum in gratiarum actione pro Consulatu, ipsa autem sedes honoris Sella curulis gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio ex qua mediocritate posuisti, quoties à me cogitatur, vincor magnitudine & redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Has sedes consulares eburneas, vel (ut Vopisci in Aureliano, & Sidonii ad Syagrium *epist.* 8. *lib.* 8. verbo utar) eboratas fuisse reperi qui scriberent, *Lazius lib.* 2. *comment. Reipubl. Rom. cap.* 3. qui aliquo auctorum testimonio comprobarent non reperi. Quamobrem operæpretium facturus videor, si veterum & probatorum scriptorum auctoritatem in hanc rem attulero. Livius, *lib.* 5. *ab urbe cond.* Romæ interim satis jam omnibus, ut in tali re ad tuendam arcem compositis, turba seniorum domo regressa adventum hostium obstinato ad mortem animo expectabat, qui eorum curules gesserant magistratus, ut in fortunæ pristinæ, honorúmque aut virtutis insignibus morerentur, quæ augustissima vestis est thensas ducentibus, triumphantibúsve, ea vestiti medio ædium eburneis sellis sedêre. Hæc Livii verba ad curules omnes magistratus pertinent: Ad Consules propriè ac specialiter, quæ ex variis auctoribus Græcis & Latinis adscribam. Dionysius Halicarnasseus, ubi de Consulibus, *lib.* 4. θρόνον δὲ (inquit) τοῖς ἀνδράσιν ἐλεφάντινον, ἐν ᾧ καθεζόμενοι δικάζουσι, καὶ λευκὴν ἐσθῆτα περιπόρφυρον, καὶ τοὺς

A προηγουμένους ἐν ταῖς ἐξόδοις δώδεκα πελέκεις παραλιπεῖν. Ovidius lib. 1. Fastorum,

Jámque novi præeunt fasces, nova purpura fulget,
Et nova conspicuum pondera sentit ebur.

Claudianus in tertium Honorii consulatum,

Seu circum trabeis fulgentibus aureus intres,
Seu celebres ludos, solio seu fultus eburno.

Et apud Flavium Vopiscum Aurelianus Imp. sic loquitur, Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis
B coronas murales quatuor, &c. subarmalem profundum, sellam eboratam, Nam te Consulem hodie designo scripturus ad Senatum, &c. At non modò ex ebore factas curules & consulares sellas, verùm etiam signa in ipsis fuisse impressa testatur idem Ovidius libro 4. de Ponto, *Eleg.* 9.

Dúmque latus cinget sancti tibi turba Senatus,
Consulis ante pedes ire juberet eques.

Sequitur deinde,

C *Signa quoque in sella nossem formata curuli:*
Et totum Numidæ sculptile dentis opus.

Et elegia decima,

Aut reget ille suos dicendo jura Quirites,
Conspicuum signis cùm premet altus ebur.

Primum Claudium Imperatorem sella operta usum esse, post quem non Imperatores modò, sed etiam Consules eodem vehiculi genere gestari consueverint, auctor est post Dionem *lib.* 58. Xiphilinus in Claudio: δίφρῳ (inquit) καταστέγῳ
D πρῶτος Ῥωμαίων ἐχρήσατο, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν οὐχ ὅτι οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα, πρότερον δὲ ἄρα ὅτε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος (apud Dionem additur ἄλλοί τε τινὲς) ἐν σκιμποδίοις, ὁποίας αἱ γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. Post Claudii principis obitum medio diei tertio ante idus Octobr. foribus palatii repentè diductis comitante Burro Neronem egressum ad cohortem quæ more militiæ excubiis aderat, ibi monente præfecto faustis vocibus exceptum, ac lecticæ inditum illatúmque castris, & congruentia tempori præfatum promisso donativo ad exemplum paternæ largitionis im-
E peratorem consalutatum fuisse Tacitus, *lib.* 12. *annal. ad fin.* memorat: ídque (ni fallor) Suetonium movit, cùm operta sella & principes & consules tempore quo vixit uterentur, ut Augustum adaperta sella usum fuisse literis mandaret. Ejus *Octavio cap.* 53. hæc verba sunt: In Consulatu pedibus ferè, extra consulatum sæpe adaperta (sic enim potius lego, ut quibusdam placet, quàm ut vulgò scriptum est *adoperta*) sella per publicum incessit. De Adriano Imp. literis proditum est, quum è Senatu aut spectaculis domum reverteretur, lectica gestari solitum, ne quem officii causa inquietaret: sic
F enim ex Dione Xiphilinus: *in Adriano*, καὶ οἴκαδε ἀνακομιζόμενος ἐν φορείῳ ἐφέρετο, ὅπως μηδένα συνακολουθοῦντά οἱ ἐνοχλοίη. Sed & Severus Imp. operta lectica plerunque gestabatur ob invaletudinem, ἐκομίσθη γὰρ ὡς ἀληθῶς (ait Xiphilinus *in Severo*, idem) ἐν σκιμποδίῳ καταστέγῳ τινὶ τὰ πολλὰ διὰ τὴν ἀσθένειαν. Quam verò Xiphilinus δίφρον κατάστεγον, id est lecticam sive sellam opertam, & Imperatoribus & sui temporis Consulibus tribuit, eam lecticam consularem, ut à

Cornelio Tacito, *in suprà d. loco.* sic à Mamertino vocari arbitror: cùm ait, *in panegyr. Juliani.* Penè intra ipsas Palatinæ domus valvas lecticas consulares jussit inferri, & cùm honori ejus venerationísque cedentes sedile illud dignitatis amplissimæ recusaremus, suis nos propè manibus impositos mixtus agmini togatorum præire cœpit, pedes gradum moderans penè ad lictoris nutum & viatoris imperium. Sanè operta sella sive lectica fœminæ Romanæ Augusti temporibus vehi consueverant: ídque Dio *lib.* 56. significat, ubi de Athenodoro quodam loquitur, ὅτι τῷ Ἀθηνοδώρῳ ἐν δίφρῳ ποτὲ κατεστέγῳ ἐς τὸ δωμάτιον αὐτοῦ (Augusti) ὡς καὶ γυναικός τινος ἐσκομισθέντος, καὶ ἐξ αὐτοῦ ξιφήρους ἐκπηδήσαντος, καὶ προσεπειπόντος, οὐ φοβῇ, μήτις σε οὕτως ἐσελθὼν ἀποκτείνῃ. οὐχ ὅπως ὠργίσθη, ἀλλὰ καὶ χάριν αὐτῷ ἔγνω. Hujus lecticæ usum probrosis fœminis Domitianus ademit, ut apud Suetonium *Domitiano cap.* 8. legimus. Quomodo Consules, ita etiam Proconsules in provinciis curuli sella vectos, dubium non est: cùm & legati Proconsulum (qui antea pedibus ambulabant) in vehiculo sedere cœperint, postquam Septimius Severus in legatione Proconsulis Africæ quemdam municipum suorum Leptitanum hominem plebeium, quòd se tanquam antiquum contubernalem sed præcedentibus fascibus amplexus esset, fustibus cecîdit sub hoc præconis elogio, *Legatum populi Romani homo plebeius temere amplecti noli*: qua de re Spartianus in vita Septimii Severi loquitur. Illud obiter dicam, apud Spartianum in eo loco, ubi *legatum populi Romani* omnes legunt, *legatum Proconsulis* à me cognosci: præsertim cùm in plerisque libris illa verba his sive literis sive notis scripta sint, *legatum P. R.* & de legato Proconsulis ibi loquatur; ut ea quæ præcedunt verba hujusmodi satis indicant, Acta igitur quæstura Sardiniensi legationem Proconsulis Africæ accepit, &c. Adde quòd hic legatus non erat Pop. Romani legatus. Nam ut olim (qua de re diximus in commentario de regulis juris *ad l. nemo potest* 70. *de reg. jur.*) ita tum, id est Septimii Severi temporibus, non à populo, sed à Senatu mittebatur. *vide Vopiscum in Probo.* Extat epistola ipsius Alexandri, qui aliquanto post Severum imperavit, & apud Capitolinum extat: qua Senatui gratias agit quòd Gordianum ad Africam Proconsulem destinaverit. Tum deinde subjicitur apud eundem Capitolinum, Nam cùm temporibus Maximini hominis sævi atque truculenti Proconsul Africam regeret, eíque legatus filius esset à Senatu datus, &c. & postea talis de Gordianis oratio Consulis ad Senatum ante solitas acclamationes, priusquam aliquid in Maximinum feliciter diceretur, ab ipso Capitolino proponitur. P. C. Gordiani duo, pater & filius, ambo ex Coss. unus vester Proconsul, alter vester legatus magno Afrorum consilio Imperatores sunt appellati. hoc autem fuit à vetusto more sub libera Republ. Etsi enim ex Augusti instituto cœpit legatus non alius à Proconsule eligi nisi quem ipse princeps adprobasset, aut certè qui electus esset, is approbationem principis expectabat: unde Romanæ optimus antiquitatis auctor Dio, *lib.* 53. τοὺς δὲ δὴ παρέδρους αὐτὸς ἑαυτῷ ἕκαστος αἱρεῖται, ἕνα μὲν οἱ ἐστρατηγηκότες καὶ ἐκ τῶν ὁμοίων σφισὶν, ἢ καὶ τῶν ὑποδεεστέρων· τρεῖς δὲ οἱ ὑπατευκότες ἐκ τῶν ὁμοτίμων, οὓς ἂν καὶ ὁ αὐτοκράτωρ δοκιμάζει. Antiquitus tamen florente Republ. à magistratibus legati jussu Senatus nominabantur: eósque sibi legabat (ex Senatusconsulto scilicet) is cui provincia sortitò obtigerat: id quod alibi *ad d. l.* 70. *de reg. jur.* ex Cicerone docuimus: cujus auctori-

A tati adjungendum hoc ex Livio *lib.* 43. testimonium: Decernunt frequentes, ut Gaius Sulpitius Prætor tres ex Senatu nominet legatos. P. sanè Furius Philus in Senatu Q. Metellum Quinctúmque Pompeium Consulares viros, vehementes inimicos suos, cupitam sibi profectionem in provinciam Hispaniam, quam sortitus erat, identidem exprobrantes, legatos secum illuc ire coëgit (ut est apud Valerium Maximum *cap.* 7. *lib.* 3.) usúmque ministerii virtutum in amicis è sinu inimicorum petere sustinuit. Sic ipsi Consules nominabant Proconsules qui in militiam
B mitterentur, ut ex Polybio addiscimus, *lib.* 3. *ad finem.* Nec tamen negarim æquè legatum Pop. Rom. dici posse (præsertim cùm in provincias populo Romano attributas Proconsules cum legatis jam unde ab ipso Augusto qui eas distribuerat mitterentur; *vide Dionem ipsum hac de re, lib.* 53. sicuti Senator populi Romani dicitur à Spartiano ipso, in Adriano sub initium, Avus Marillinus, qui primus in sua familia Senator Pop. Rom. fuit: sicuti etiam Trebellius Pollio in Tetrico loquitur: quo loco, Senatorem populi Rom. ait, eundémque Consularem per trium-
C phum duxit. Redeo ex diverticulo in viam, id est ad honores atque insignia provincialium magistratuum, de quibus dicere cœperam. Justinianus igitur Prætori Pisidiæ & Prætori Lycaoniæ suis hæc insignia tribuit: Curulem sellam argenteam, securem Consularem & fasces sive virgas. Sic enim Nov. 24. καὶ πάντα ἕξει τὰ τῆς ἀρχῆς παράσημα, ὁπόσα καὶ νῦν ἔχει, δίφρον τε ἐξ ἀργύρου, καὶ πέλεκυν, καὶ ῥάβδους. & Nov. 25. ἀλλ' οὖν ἐπί τε ἀπήνης ἀργυρᾶς καθεδεῖται, καὶ ἡγήσεται πέλεκυς αὐτοῦ (ὑπατικῆς γὰρ δὴ καὶ τοῦτο σύμβολον ἀρχῆς) ῥάβδοι τε ὁμοίως προπομπεύσουσι. Mirum, sed tamen à Suetonio, *in Augusto, cap.* 52.
D proditum: Templa etiam Proconsulibus decerni olim in provinciis solita, quem tamen honorem idem auctor Augustum non, nisi communi suo Romæque nomine, recipisse scribit. At enim quando in hunc de honore publicè magistratibus habito locum incidimus: quis non lubenter illud quoque nunc vel addiscat vel memoria repetat, quod Tolosanis civibus nostris, & item aliis Galliæ populis (qui ex observantia, fide, ac devotione in principem singulari præ gentibus & nationibus exteris laudem invenimus) hoc & superiore anno à reparata salute CIↃIↃLXV. usu-
E venit, ut cùm portas hujus urbis intraret Karolus, hæque ipsum habitu illo in sinum reducto, & procurrentibus utrinque turribus (ut Panegyristes ad Constantinum ait) amplexu quodam viderentur accipere, ut nos quoque supplicibus votis faustísque ominibus divinum propè principem prosequeremur, viásque omnes (eas certè quibus in palatium pervenitur) & aulæis, & supellectile, & floribus, & sertis undique certatim sparsis exornaremus: quis (inquam) id non magna cum animi voluptate intelligat, si ex veteri more esse, & non modò in Imperatorum Romanorum, sed & in Consulum ingressu in urbem observatum à Romanis fuisse doceamus? Claudia-
F nus ubi de Stiliconis Consulis in urbem reditu loquitur, *in Panegyr.* 2.

Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi?
Fallax ô quoties rumor deludet amorem
Suspensum veniens omni dum crederis hora,
Spectabunt cupidæ matres, spargentur & omnes
Flore viæ, superet cùm Pythia limina Consul
Arduus, antiqui species Romana Senatus.

Sic

Sic in gratiarum actione sive in panegyrico qui Flavienſium nomine dictus eſt Conſtantino Imperatori, qui Flaviam Heduorum acceſſerat, eiſque tributa remiſerat, cenſum relevarat, reliqua indulſerat, ſcriptum legimus. Caluit in nobis ultra vires (inquit auctor panegyrici) noſtras animus ad lætitiam, ut quodam præſagio futuræ felicitatis elati tanta te exultatione ſuſceperimus, quaſi jam indulgentiam qua futurus eras haberemus. Exornavimus vias quibus in palatium pervenitur, paupere quidem ſupellectile; omnium ſigna collegiorum, omnium Deorum noſtrorum ſimulachra pertulimus, pauciſſima clarorum inſtrumenta modulorum. Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſii, ubi de Narona Illyrici oppido loquitur. Jam quocunque tuliſſes gradum, ſequi, circumcurſare, præcedere, vias denique quibus ferebaris obſtruere, nullus cuiquam ſui tuíve reſpectus blandam tibi faciebat injuriam. Quid ergo referam pro mœnibus ſuis feſtum liberæ nobilitatis occurſum? Conſpicuos veſte nivea Senatores (decuriones intelligit) reverendos municipali purpura flamines, inſignes apicibus ſacerdotes? Quid portas virentibus ſertis coronatas? quid aulæis tardantes plateas, accenſiſque funalibus auctum diem? &c. Quid effuſam in publicum turbam domorum; gratulantes annis ſenes, pueros tibi longam ſervitutem voventes, matres lætas, virgineſque ſecuras? Quod de puerorum votis, de funalibus accenſis, de ſertis virentibus Pacatus retulit, hoc quoque apud Ammianum Marcellinum, *lib.* 21. ubi de Juliani Bononiam ingreſſu loquitur, legimus: eúmque ſuburbanis propinquantem amplis nimiúmque protentis, militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus, votiſque fauſtis Auguſtum appellans & dominum duxit in regiam: ubi eventu lætus, & omine firmata ſpe venturorum, quòd ad exemplum urbium matris & populoſæ & celebris per alias quoque civitates ut ſidus ſalutare ſuſciperetur, &c. Sed & quum Nero Neapoli reverſus cum Tiridate urbem ingrederetur, populum omnem & luminibus & coronis & albis veſtibus ornatum fuiſſe, quò lætitiam teſtaretur, ex Dione Xiphilinus, *Nerone*, his verbis prodidit: μετὰ δὲ τοῦτο ἔς τε τὴν Ῥώμην αὐτὴν ὁ Νέρων αὐτὸν ἀνήγαγε, καὶ τὸ διάδημα αὐτῷ ἀνέθηκε· καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο καὶ φωσὶ καὶ στεφανώμασιν· οἵ τε ἄνθρωποι πολλοὶ πανταχοῦ ἑωρῶντο, μάλιστα δὲ ἡ ἀγορὰ ἐπεπλήρωτο. τὸ μὲν γὰρ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχε· τὰ δ' ἄλλα οἱ στρατιῶται λαμπρότατα ὡπλισμένοι, &c. Itémque occiſo juſſu Conſulis & Senatus Didio Juliano declaratus à Senatu Imperator Severus, ubi Romam venit, eadem civium lætitia, ſolemnibúſque votis & feſto apparatu qualem antè deſcripſimus exceptus eſt: ut ex oculato teſte Dione Xiphilinus his verbis tradit: ἥ τε γὰρ πόλις πᾶσα ἄνθεσί τε καὶ δάφναις ἐστεφάνωτο, καὶ ἱματίοις ποικίλοις ἐκεκόσμητο, φωτί τε καὶ θυμιάμασιν ἔλαμπε, καὶ οἱ ἄνθρωποι λευχειμονοῦντες καὶ γαννύμενοι πολλὰ ἐπεφήμουν, &c. quæ ſequuntur. Quæ omnia de Commodi quoque principis in urbem ingreſſu Herodianus, *lib.* 1. *hiſtor.* tradit, his ferè verbis: ὡς δὲ πλησίον ἐγένετο τῆς Ῥώμης, πᾶσά τε ἡ σύγκλητος βουλὴ, καὶ πανδημεὶ ὅσοι τὴν Ῥώμην κατῴκουν ἄνθρωποι μὴ κατασχόντες αὐτῶν, ἀλλ' ἕκαστος φθάσαι θέλων δαφνηφόροι τε καὶ πάντα ἐπιφερόμενοι ἄνθη τότε ἀκμάζοντα, ὡς ἕκαστος οἷός τε ἦν, πόῤῥω τῆς πόλεως ὑπήντων θεασόμενοι τὸν νέον καὶ εὐγενῆ βασιλέα. Et paulò poſt, τοιοῦτον δὴ θεασάμενοι τὸν βασιλέα οἱ Ῥωμαῖοι εὐφημίαις τε παντοδαπαῖς καὶ στεφάνων καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο. Cum flori-

A bus faces ac tædas alio loco Herodianus ipſe (itidem ut cæteri, quorum teſtimonia recitavimus) conjunxit, ubi de Antonio Caracalla Imp. ab Alexandrinis excepto loquitur: ὑποδοχὴ δὲ παρεσκευάζετο, οἵαν μηδενὶ πώποτε βασιλεῖ γενέσθαι φασί. πάσης τε γὰρ μούσης ὄργανα πανταχοῦ διακείμενα ποικίλον ἦχον εἰργάζετο, &c. δᾳδουχίαις τε καὶ ἀνθέων βολαῖς ἐτίμων τὸν βασιλέα. In quibus nemo eſt qui non moris ejus ſolémnis, quem hodiéque in excipiendis urbe regibus obſervamus, non dico ſpeciem aut ſimilitudinem aliquam, ſed & originem & veritatem ipſam recognoſcat. Planè Catoni ex Macedonia bello confecto diſcedenti ob-
B viam ſe multitudo effudit, non votis fauſtíſque ominibus (ut fieri ſolebat) ſed lachrymis proſequentium, & quà incederet ipſius pedibus veſtimenta ſubjicientium, manúſque exoſculantium: quo genere officii profectò vix perpaucos Imperatorum illius temporis Romani cohoneſtarunt. Sic enim Plutarchus ſcribit, *in Catone*; ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ στρατεία τῷ Κάτωνι, προεπέμφθη, οὐκ εὐχαῖς (ὃ κοινόν ἐστιν) οὐδὲ ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας ἃ τῶν αὐτοκρατόρων ὀλίγοις μόλις ἐποίουν οἱ τότε Ῥωμαῖοι:
C & paulò pòſt, ubi de Demetrio Pompeii liberto, cui Antiochenſes obviam proceſſerint, loquitur, hæc legas: εἶδε περὶ τὰς πύλας ἔξω πλῆθος ἀνθρώπων ἑκατέρωθεν τῆς ὁδοῦ παρατεταγμένων, ἐν οἷς ἔφηβοι μὲν χωρὶς ἐν χλαμύσι, καὶ παῖδες ἑτέρωθεν κοσμίως εἱστήκεσαν, ἐσθῆτας δὲ καθαρὰς ἔνιοι καὶ στεφάνους εἶχον, ἱερεῖς θεῶν ὄντες, ἢ ἄρχοντες. Quæ iiſdem ferè verbis in Pompeio tradita leguntur, & mirificè cum illo Pacati loco congruunt. Nam quos Plutarchus ἱερεῖς θεῶν, ille flamines & ſacerdotes: quos hic ἄρχοντας, ille Senatores: quas hic ἐσθῆτας καθαρὰς in Catone,
D & eadem de re loquens in Pompeio λευκὰς vocat, ille niveas veſtes nominavit. Sed ad conſularium ornamentorum enumerationem revertamur. In quibus recenſentur à Dionyſio λευκὴ ἐσθὴς περιπόρφυρος, id eſt candida veſtis prætexta oſtro ſive purpura. Quali veſte Prætores quoque indui ſolitos, ex Plutarcho, *in Sylla*, ſatis colligitur: ubi de Syllanis militibus agit, qui duobus ſtrategis, id eſt prætoribus, ad Syllam ejus revocandi cauſa miſſis, τὰς δὲ ῥάβδους κατέκλασαν, καὶ τὰς περιπορφύρους ἀφείλοντο, καὶ πολλὰ
E περιυβρισμένους ἀπέπεμψαν, αὐτόθεν τε δεινὴν κατήφειαν ὁρωμένους τῶν στρατηγικῶν παρασήμων ἐρήμους, &c. Ad Conſularem prætextam hi loci pertinent, quos ex Lucano & Statio proferam. Ille lib. 2.

—— Ferale per urbem
Juſtitium: latuit plebeio tectus amictu
Omnis honos, nullos comitata eſt purpura faſces.

Purpuram enim prætextam purpura candidam veſtem interpretor. Apud Statium autem, *lib.* 4. *Sylvar.* in decimoſeptimo Imperatoris con-
F ſulatu ita Janus loquitur:

Salve magna parens, mundi qui ſecula mecum
Inſtaurare paras, talem te cernere ſemper
Menſe meo tua Roma cupit: ſic tempora naſci,
Sic annos intrare decet, da gaudia faſtis
Continua, hos humeros multo ſinus ambiat oſtro,
Et properata tuæ manibus prætexta Minervæ.

Ceterùm poſteriorum Imperatorum temporibus, poſtquam faſtis honor regalium trabearum dari, hoc eſt (ut ego interpretor, *in l.* 1. *C. publ. lætit. vel conſul. lib.* 12. *C.*) ubi Imperatores ipſi crebrò Conſules creari, atque adeò vel regia &

& imperatoria, vel certè triumphalia illa insignia & ornamenta Consulibus tribui cœperunt : non jam prætexta solùm, sed etiam trabea picta & palmata tunica indutos fuisse constat. Ad quæ ille Sidonii locus pertinet, in quo de Asterii consulatu & Nicetii oratione loquitur : Dixit dispositè, graviter, ardenter, magna acrimonia, majore facundia, maxima disciplina : & illam Sarranis ebriam succis inter crepitantia segmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenustavit. Ad ea quoque respexisse Claudianum puto, cùm ad Manlium Theodosium Consulem ita loquitur : *in panegyride in Consulatu Manlii Theodori* :

Nec dilata tuis Augusto judice merces
Officiis, illúmque habitum quo jungitur aulæ
Curia, qui socios proceres cum principe nectit,
Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno,
Deposuitque suas te succedente curules.

& ad finem ejus carminis,

Decurrat trabeata domus, tradátque secures
Mutua posteritas, servatóque ordine fati
Manlia continuo numeretur Consule proles.

Trabea verò illa Consularis auro intertexta fuit, ut ex Aurelii Prudentii contra Symmachum, *lib.* 1. versibus, quos subjiciam, colligitur :

Ipse magistratum tibi Consulis, ipse tribunal
Contulit, auratúmque togæ donavit amictum,
Cujus religio tibi displicet.

At ne dubitationi cuipiam locus relinquatur : placet, ut eorum quæ de vestibus consularibus diximus, confirmandorum gratia testimonium Ausonii adscribamus : apud quem in Gratiarum actione ad Gratianum Imperatorem pro Consulatu (ubi de literis ad se ab Imperatore missis loquitur) ita scriptum legimus : Ab hac enim literarum ad me datarum parte digressus, eò quoque descendisti, ut quæreres qualis ad me trabea mitteretur, & paulò pòst, Loricatus de toga mea tractas. In procinctu & maximè dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis feliciter & bono omine : Namque iste habitus ut in pace Consulis est, ita in victoria triumphantis. Parùm est si qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi jubes, nec satis habes ut largitionum ministri ex more fungantur. Eligis ipse de multis, & cùm elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi, in qua D. Constantinus parens noster intextus est : Me beatum, cujus insignibus talis cura præstetur. Hæc planè, hæc est picta (ut dicitur) vestis, non magis auro suo quàm tuis verbis. Sed multò plura sunt in ejus ornatu, quæ per te instructus intelligo : Geminum quippe in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantius in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur, &c. & ad finem ejus orationis, Ut sellam curulem cujus sedem frequenter ornabis, ut prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo quàm munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares. Idem Ausonius, *eidillio*, 5. de trabea consulari loquitur, cùm ait in protreptico ad nepotem :

Majorésque putat nostros Augustus honores,
Quos mox sublimi maturus protulit auctu :
Quæstor ut Augustus patri natóque crearer,
Ut præfecturam duplicem sellámque curulem,
Ut trabeam pictámque togam mea præmia consul
Induerer, fastísque meis prælatus haberer.

Trabearum consularium meminit Ammianus Marcellinus lib. 14. 21. 26. qui & cùm de consulatu loquitur, collegium & societatem trabeæ nominat quibusdam locis : *lib.* 16. 25. 26. 30. quos, quia Lazius plurimæ lectionis homo, cuique multum antiquitas Romana debet, diligentissimè notavit, *lib.* 8. *cap.* 5. omittam. Eum consulant qui ad ea quæ jam scripsimus, aliquid addi oportere judicabunt. Ego ea satis omnibus factura esse, quòd mihi facerent, credidi. Ex quibus duo potissimùm, præter ea quæ superius diximus, colligi oportere censeo. Primùm, Trabeam & palmatam vestem auro pictam atque intertextam fuisse. Vestis picta (obiter dicam) est quæ ἀνθινὰ & ἀνθηρὰ, & κατάστικτος à Græcis dicitur, ut est apud Pollucem. Floridè depictam vestem Apuleius, *lib.* 11. *de asino aureo*, nominat, quemadmodum raptorem Helenæ, Paridem ἐλθόντα ἐκ Φρυγῶν Agamemnon ἀνθηρὸν μὲν εἱμάτων, στολῇ χρυσῷ τε λαμπρὸν, βαρβάρῳ χλιδήματι, dicit apud Euripidem, *Iphigenia in Aulide*. Hanc ego περιβόλαιον πορφυροῦν, ποικίλον, palmatam verò tunicam χιτῶνα πορφυροῦν χρυσόσημον à Dionysio Halicarnasseo, *lib.* 3. *antiquit.* vocari arbitror : ubi ait, hæc regia insignia Tarquinio Prisco missa fuisse ab Hetruscis. A quibus pleraque magistratuum insignia (ut à Samnitibus arma atque tela) veteres Romanos sumpsisse Sallustius, *in Catilina*, auctor est : & Plinius, quum ait, *cap.* 48. *lib.* 8. Prætextæ apud Hetruscos originem inveni : Trabeis usos accipio Reges. Sequitur deinde de pictis & auratis vestibus, quod cum illo Euripidis loco mirè congruit, de Phrygii Paridis florido & aureo amictu. Pictas vestes jam apud Homerum fuisse, unde Triumphales natæ. Acu facere id Phryges invenerunt ; ideóque Phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia invenit Attalus rex, unde nomen Attalicis. Ergo de Tarquinio illo prisco agens Florus, *lib.* 1. *cap.* 5. de quo antè ipsi ex Dionysio : Et inde fasces (inquit) trabeæ curuleis, annuli, phaleræ, paludamenta, prætexta, inde quòd aurato curru quatuor equis triumphatur. Togæ pictæ tunicæque palmatæ, omnia denique decora & insignia : quibus imperii dignitas eminet. Nam sive quis palmatam à palma, id est victoria (ut Cassiodorus innuit, & Sidonius, cùm ait, *in panegyrico*,

Post palmam palmata venit)

sive à palmeo, id est puniceo & purpureo colore (quem Græci φοινικοῦν vocant *Gellius lib.* 2. *noct. Attic. cap.* 26. *& lib.* 3. *cap.* 9.) nominatam dicet, ei non valdè repugnabo. Pictam verò vestem fuisse purpuream, ut Dionysius indicat : ita illud Virgilii *lib.* 7. *Aeneidos*, argumento est,

—— Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantùm.

Et auratam fuisse, non tantùm ex illis quos adduximus Ausonii ad Gratianum, & Prudentii ad Symmachum loco approbatur, sed & elegans ac politus Poëta Claudianus innuit : *lib.* 2. *de laudib. Stiliconis*, cujus hæc sunt de picta (ut arbitror) veste carmina.

—— Dixit

—— Dixit, gremióque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas, insigne Minervæ
Spirat opus, rutilis hic pingitur aula columnis,
Et sacri Mariæ partus Lucina labores
Solatur. ——

(sic enim ex veteri libro pro *dolores* legendum est) sed ne fallatur quispiam, admonere visum est, quòd Pompeius Festus eam quæ suo tempore picta toga diceretur, purpuream antè vocitatam, & sine pictura fuisse scribit: *Sex. Pomp. Festus lib.* 13. *in Picta. ubi Scaligerum vide ex Livio.* ejúsque rei argumentum esse picturam in æde Vertumni & Consi: quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papirius Cursor triumphantes ita picti sunt. Subjicit deinde, Tunica autem palmata à latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc à genere picturæ appellatur. Hactenus ille. Alterum quod ex superioribus notandum reor, hoc est: Trabeam pictam & palmatam vestem ab Imperatoribus ad Consules designatos, declaratos, & nuncupatos mitti cum prætextis (quæ antiqua erant ornamenta magistratuum) consuevisse: cùm ipsi tamen Consules & fasces, & alia quædam insignia à Senatu acciperent, ut inferiùs demonstrabitur. Quod idcirco adnimadvertendum putavi: quoniam ab initio de Jovis templo prætextam & togam pictam Prætores aut Consules sumebant. Sic enim in Alexandro Lampridius, Prætextam & pictam togam nunquam nisi Consul accepit, & eam quidem quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut Prætores aut Consules. Gordianus (ut est apud Capitolinum *in vita Gordiani*) palmatam tunicam, & togam pictam primus Romanorum privatus suam propriam habuit: cùm antè Imperatores etiam de Capitolio acciperent, vel de palatio. Posteriores Alexandro & Gordiano imperatores privatas habuerunt palmatas tunicas & pictas togas: eásque non jam ex palatio vel Capitolio Consules & Prætores, sed ab ipsis imperatoribus sibi transmissas accepêre, ut & Ausonius *in supra dicto loco* auctor est, & Flavii Vopisci, *in Aureliano*, verba satis arguunt: apud quem Valerianus Augustus ita ipsum Aurelianum alloquitur, Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis (inquit) coronas murales quatuor, vallares quinque, coronas navales duas, coronas civicas duas, hastas puras decem, vexilla bicoloria quatuor, tunicas ducales quatuor, pallia proconsularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te Consulem hodie designo: scripturus ad Senatum uti tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces. Hæc enim Imperator non solet dare, sed à Senatu, quando fit Consul, accipere. Quibus ex verbis in extremo apparet, solitum Imperatorem dare prætextas & palmatas Consulibus, quæ nihilominus Capitolinæ dicebantur. Itaque cùm Imperatores cuipiam Consulatum decreverant, ad eum datis literis tale aliquid adscribebant: Te manet Capitolina palmata. Cujus rei Flavium Vopiscum auctorem habeo: is enim *in Probo*, quandam Imperatoris Taciti ad Probum epistolam refert, in qua hæc leguntur: Consulatum in annum proximum nobiscum decrevimus, te enim manet pro virtutibus tuis Capitolina palmata. Deinde adjicit Vopiscus, Ferunt quidam Probo id pro imperii omine fuisse, quod Tacitus scripsit, te manet Capitolina palmata: sed in hanc sententiam omnibus semper Consulibus scribebatur. Quod de palmatis déque scipione

A triumphalibus & consularibus insignibus ex Vopisco in Aureliano diximus, Lazium *cap.* 4. *lib.* 9. *comment.* notasse video, Cassiodori etiam testimonium protulisse: quod etsi hac de re tractanti cuilibet satis per se patet, attamen quod ad Themistiani cujusdam loci castigationem & explicationem pertinet, ejus describendi laborem (quod alioqui facerem perinvitus) sumam, si prius locum illum qui est in panegyrico Maximiani Imperatoris, nondum à quoquam (ut puto) indicatum, patefecero: videtur enim quod diximus confirmare, ipséque interea ex eo magB nam lucem accipere. Ait Panegyristes, Illum tamen primum consulatus tui auspicalem diem tacitus præterire nullo modo possum quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primùm potuerit sufficere peragendis: unóque Sol curriculo suo eóque brevissimo & officia te consulis inchoantem videret, & imperatoris implentem, &c. Vidimus te Cæsar eodem die, & in clarissimo pacis habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bona venia Deûm dixerim, ne Jupiter quidem ipse tanta celeritate faciem cœli sui variat, quàm facilè tu Jupiter totam prætextam sumpto thorace mutasti, hasC tam posito scipione rapuisti, à tribunali temet in campum, à curuli in equum transtulisti, ubi pro *totam* lego *togam*. Sic toga prætexta dicitur à Vopisco. Cassiodori autem hæc verba sunt, ubi de formula Consulatus: *lib. 6. variar.* Priscorum judicio qualis sit Consulatus hinc omnino datur intelligi, quando inter mundi dignitates eximias solus meruit habere palmatas vestes, quas fœlicitas dabat præmia vincentium, &c. Nos habemus labores consulum, & vos gaudia dignitatum. Palmatæ siquidem vestræ, nostræ probantur esse victoriæ & postea: Atque ideo D per illam indictionem Consulatus te decoramus insignibus, pinge vastos humeros vario colore palmatæ, validam manum victoriali scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere. Sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enixus ascende: ut in otio subjectus merearis, quod nos per maximos labores assumimus imperantes, &c. Victorialem scipionem Cassiodorus, id est triumphalem Consuli tribuit, cum palmata & picta veste: ut & Panegyristes cum toga prætexta, & Themistius σὺν τῇ τηβέννῳ, E & cum toga prætexta tunica palmata, toga picta Vopiscus, *in Aureliano*. Triumphalia hæc olim fuisse insignia duobus Livii & singulis Lucani, Suetonii, Taciti allatis locis, demonstrabo. Nam Livius, *lib.* 30. *ab urbe cond.* ubi de P. Scipione & Masinissa, Postero die ut à præsenti motu averteret animum ejus, in Tribunal ascendit, & concionem advocari jussit: Ibi Masinissam primùm Regem appellatum eximiísque ornatum laudibus aurea corona, aurea patera, sella curuli eburnea & scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donat. Addit verbis honorem, neque magnificentius quidquam trium-F pho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo uno omnium exterorum dignum Masinissam populus Romanus ducat. Idem *lib.* 5. *ab urbe cond.* ubi de Roma à Gallis obsessa & capta loquitur, déque turba seniorum, qui pristinæ fortunæ honorúmque aut virtutis insignia sumpserant ut in his morerentur, (in quibus eam vestem numerat quæ thensas ducentibus triumphantibúsve est augustissima, ut superiùs ostendimus) deinde subjicit: Ad eos velut simulachra versi cùm starent, M. Papirius unus ex his dicitur Gallo barbam suam (ut tum om-

omnibus promissa erat) permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram movisse: atque ab eo initium cædis ortum, cæteros in sedibus suis trucidatos. Zonaras hac de re loquens 1. *Annal. tomo*, scipionem eburneum βακτηρίαν nullo alio adjecto nominat. Val. Maximus non M. Papirium, sed C. Attilium appellat, eandem historiam enarrans lib. III. Lucanus etiam, ubi de Pompeii vestibus & insignibus, *lib. 9.*

Exuvias pictásque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi.

Suetonius, ubi de triumpho Claudii Cæsaris, *cap. 17. in ejus vita*: Currum ejus Messalina uxor carpento sequuta est. sequuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti: sed cæteri pedibus & in prætexta. Crassus Furgi equo phalerato, & in veste palmata, quòd eum honorem iteraverat. Tacitus, *lib. 4.* ubi de Ptolemæo, Cognitis (inquit) Ptolemæi per id bellum studiis, petitus ex vetusto more, missúsque è Senatoribus qui scipionem eburneum, togam pictam, antiqua patrum munera daret, regémque & socium atque amicum appellaret. Hæc triumphalia primò fuerunt insignia, postea consularia: ut præter Vopiscum & Cassiodorum Themistius innuit, & Ammianus Marcellinus, *lib. 29.* hic quidem in illo loco, ubi de suppliciis quæ sub Valente Imperatore compluribus contra jus fásque irrogata sunt, loquitur: Horret (inquit) animus reminisci, quo justitio humilitati tot rerum apices visebantur, & præcipuè consulares post scipiones & trabeas & fastorum monimenta mundana. Ille autem in eo qui est ex oratione ad Valentinianum juniorem loco: *orat. 11.* ἀλλ᾽ ἀγαθῇ τύχῃ, καὶ δέχομαι τὸ προοίμιον· προοίμιον γὰρ ὀνομάζω τὴν τήμερον τῆς ἀλουργίδος, καὶ τοῦ στεφάνου τὸ σκῆπτρον, καὶ τῶν δορυφόρων τοὺς ῥαβδοφόρους. ubi neminem inficias iturum arbitror mihi, pro τήμερον (quod nullum idoneum sensum pati potest) reponenti alterum, quod valde aptum huic loco videtur, τήβεννον: de quo Appianus, *in Mithridatico.* εἷμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, & Justinianus, *Nov. 203.* ubi de Proconsule Palæstinæ loquitur, χρήσεται δὲ (inquit) καὶ τῇ σεμνῇ καὶ ἀρχαίᾳ τηβέννῳ, φαμὲν δὲ τῇ περιπορφύρῳ στολῇ. Et Dionysius Halicarnasseus *lib. 3.* ἀρχαιολογ. accepisse Tarquinium Romanorum regem à legatis Hetruscorum χιτῶνά τε πορφυροῦν, χρυσόσημον καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς. πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλ᾽ ἡμικύκλιον. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν οὐκ οἶδ᾽ ὁπόθεν μαθόντες. Ἑλληνικὸν γὰρ οὐ φαίνεταί μοι τοὔνομα εἶναι. De cujus vocis etymo videatur Artemidorus lib. 2. de insomniis. Rectè τήβεννος, id est toga (sive prætextam, quam Diodorus etiam περιπόρφυρον τήβεννον alicubi *Diod. Siculus lib. 5. biblioth.* vocat, sive pictam dixeris) conjungitur μετὰ τοῦ σκήπτρου καὶ ῥαβδοφόρων, id est cum sceptro sive scipione, & lictoribus à Themistio. Hæc sunt insignia & ornamenta triumphalia: sunt etiam consularia, quæ sunt veluti procemia & ingressus ad Imperatoriam sive Regiam dignitatem: cujus hæc ornamenta sunt, ἀλουργὶς, id est cærulea vestis, στέφανος, id est corona sive diadema, δορυφόροι, id est hastati prætoriani, sive domestici protectores. Sic ἀλουργίδα καὶ στέφανον, quemadmodum Tarquinio regi Dionysius, *Dionysius Halicarn. lib. 3. hist.* ita & Imperatori tribuit idem Themistius: *orat. 14.* μᾶλλον γὰρ τούτοις (inquit) ἀστράπτει βασιλεὺς, ἢ στεφάνῳ καὶ τῇ ἀλουργίδι. Ἀλουργὶς, cærulea vestis est, ut rectè ab Hadriano Junio viro doctissimo notatum est. *lib. 2. animad. cap. 2.* Romulum ἀλουργίδι, id est cærulea tunica, τηβέννῳ, id est toga purpurea panno prætexta usum fuisse, ex Plutarcho *in Romulo*, intelligimus: cujus hæc verba sunt, ἀλουργῆ μὲν γὰρ ἐνεδύετο χιτῶνα, καὶ τήβεννον ἐφόρει περιπόρφυρον. ἐν θρόνῳ δὲ ἀνακλίτῳ καθήμενος ἐχρημάτιζεν, &c. Est autem ἀλουργὶς eadem fortasse cum Thalassina: de qua Lucretius,

—— Teritúrque Thalassina vestis
Assiduè, & Veneris sudorem exercita potat.

Sanè apud Romanos olim nisi qui Consul, aut Prætor, aut Dictator esset, triumphum agere nemini licebat, ὑπάτῳ γὰρ ἢ στρατηγῷ μόνῳ, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ δίδωσιν ὁ νόμος, ut de Plutarcho *in vita Pompeii* didici, & de Livio, *lib. 40. ab urbe cond.* cujus hæc verba sunt, Lentulus Proconsul ex Hispania rediit, qui cùm in Senatu res à se per multos annos fortiter felicitérque gestas exposuisset, ut triumphanti sibi invehi liceret in urbem: res triumpho dignas esse censebat Senatus, sed exemplum à majoribus non accepisse, ut qui neque Dictator, neque Consul, neque Prætor res gessisset, triumpharet. Et ex Valerio Maximo, *lib. 2. cap. 3.* qui P. Scipioni ob recuperatas Hispanias, M. Marcello ob captas Syracusas triumphum non fuisse decretum ait, quòd ad eas regendas sine ullo missi erant magistratu. Igitur si quis Dictator, Consul, Prætor devictis hostibus cum imperio & triumpho urbem intraret, veste cærulea & auro intertexta utebatur. Id quod his verbis Dionysius Halicarnasseus *lib. 3.* ἀρχαιολογ. prodidit: ubi de Tarquinio loquitur, καὶ πάντα τὸν ἐξ ἐκείνου χρόνον ἕως εἰς τὸ χρεὼν μετέστη, στέφανόν τε χρύσεον ἐφόρει, καὶ πορφυρᾶν ἐσθῆτα ποικίλην ἀμπείχετο, καὶ σκῆπτρον ἐλεφάντινον ἔχων, ἐπὶ θρόνου ἐκαθέζετο ἐλεφαντίνου. καὶ οἱ δώδεκα ῥαβδοῦχοι τοὺς πελέκεις φέροντες ἅμα τοῖς ῥάβδοις δικάζοντί τε αὐτῷ παρίσταντο, καὶ πορευομένου προηγοῦντο. οὗτος ὁ κόσμος καὶ τοῖς μετ᾽ ἐκεῖνον τὴν βασιλικὴν ἀρχὴν ἔχουσι παρέμεινε, καὶ μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων τοῖς κατ᾽ ἐνιαυτὸν ὑπάτοις, ἔξω τοῦ στεφάνου καὶ τῆς ποικίλης ἐσθῆτος. ταῦτα δ᾽ αὐτῶν ἀφῃρέθη μόνα φορτικὰ δόξαντα εἶναι, καὶ ἐπίφθονα· πλὴν ὅταν ἐκ πολέμου νίκην κατάγοντες θριάμβου παρὰ τῆς βουλῆς ἀξιωθῶσι, τότε καὶ ποικίλαις ἀλουργίσιν ἀμφιέννυνται. Quibus ea quæ antè docuimus magnopere illustrantur. Paulus Æmilius quidem iterum Consul, cùm de Perseo triumpharet, curru ita urbem invectus est ἀλουργίδα χρυσόπαστον ἀμπεχόμενος: ut idem ille, quem non sæpius quàm lubentius nomino, Plutarchus *in vita Aemilii* tradit. Sed neque Consules, nisi cùm triumphum ducerent, neque verò Imperatores picta illa & auro distincta veste utebantur ante Diocletianum Imp. sed purpurea veste sive toga prætexta, quam & Consularem fuisse paulò antè diximus. Primus Diocletianus ex Imperatoribus Romanis (quum ante ipsum alii solerent à Senatu tantùm salutari) ipse adorari se jussit, vestésque suas & calceos auro lapidibúsque & margaritis ornavit, atque distinxit: quúmque superiores Imperatores Consulari tantùm honore afficerentur, & insigne imperii purpureum amictum gererent, ipse imperatoriis insignibus majorem sumptum addidit, auctore Zonara: *in Imperio Deocletiani, tom. 2. ann.* cujus hæc verba sunt, in eandem sententiam, οἷς ἐπαρθεὶς ὁ Διοκλητιανὸς καὶ μέγα φρονήσας οὐκ ἔτι προσαγορεύεσθαι παρὰ τῆς γερουσίας ὡς πρώην ἠνείχετο, ἀλλὰ προσκυνεῖσθαι ἐθέσπισε, καὶ τὰς ἐσθῆτας ἑαυτοῦ καὶ τὰ ὑποδήματα χρυσῷ καὶ λίθοις καὶ μαργάροις ἐκόσμησε, καὶ πλείονα πολυτέλειαν τοῖς βα-

βασιλικοῖς παρασήμοις ἐνέθετο. οἱ πρώην γὰρ βασιλεῖς καὶ τὰς ὑπάτους τελίμλυτο, καὶ τῆς βασιλείας παράσημον μόνον εἶχον πορφυροῦν περιβόλαιον. Quo exemplo poſteriores Romanorum Imperatorum togam ἀλυργῖδα, id eſt cæruleam, induebant. Itaque de Meliſſeno quodam ſic ſcriptum legimus in Alexiade 3. (qui liber à nobis aliquando forſitan luce donabitur) φήμη τις περὶ τοῦ Μελισσηνοῦ διέτρεχε φθάσαι τοῦτον μηνύουσα περὶ τὴν δάμαλιν μεθ' ἱκανῆς στρατιᾶς, εὐφημεῖσθαί τε ὡς βασιλέα ἤδη καὶ ἀλουργὰ περιβεβλῆσθαι: & paulò pòſt ex ejuſdem Meliſſeni literis, hæc verba recitantur: ἐμοὶ δὲ τὰ τῆς ἑώας ἀποκληρωθεῖσαι ἐγχωρήσετε στεφηφοροῦντι, καὶ ἀλουργὰ περιβεβλημένῳ, ὡς ἔθος τοῖς βασιλεῦσιν ἐστὶ, &c. Huc pertinet quod apud Cedrenum, *in compendio hiſtor. in Theodoſio*, Ambroſius ad Theodoſium Imp. acta pœnitentia cùm ad cancellos progreſſus intrare vellet, graviter fortitérque dixiſſe fertur: ἴσθι ὦ βασιλεῦ, ὡς μόνοις τοῖς ἱερεῦσιν ὑπάρχουσι τὰ ἔνδον εἰσιτητά, τοῖς δὲ ἄλλοις πᾶσιν ἄβατά τε καὶ ἄψαυστα· ἔξιθι τοίνυν καὶ τοῖς ἄλλοις κοινώνει τῆς στάσεως. ἀλουργὶς γὰρ βασιλεῖς, οὐχ ἱερεῖς ποιεῖν εἴωθεν. De Doryphoris autem (quorum in ſupradicto loco Themiſtius meminit: quóſque σωματοφύλακας, & πραιτωριανοὺς vocari ait Herodianus, *lib.* 5. Martialis autem, *lib.* 6. ſacri lateris cuſtodes nominat) alibi commodius dicetur, *ſcripſimus, cap.* 1. 2. *&* 3. *lib.* 1. *Semeſtr.* Scipionis illius eburnei, quem diximus, extremo, aquilam eburneam inſediſſe reperio. Quod ab aliis nondum (quod ſciam) adnotatum, his locis comprobari puto: Juvenalis lib. 4. ſatyra 1. *quæ vulgo decima inſcribitur*:

Da nunc & volucrem ſceptro quæ ſurgit eburno,
Illinc cornicines, &c.

Aurelius Prudentius περὶ στεφάνων: *hymno* 10. *qui Romano Antiocheno dictus eſt*:

Cùm conſulatum initis, ut vernæ ſolent,
Pudet fateri, farre pullos paſcitis,
Aquila ex eburna ſumit arrogantiam
Geſtator ejus, ac ſuperbit belluæ
Inflatus oſſe, cui figura eſt alitis.

Et alibi, quoque idem auctor, *lib.* 1. *contra Symmachum*,

Poſt trabeas & eburnam aquilam ſellámque curulem
Cernuatque ora ſenex barbatus & oſcula figit
Cruribus ænipedum, ſi fas eſt credere, equorum, &c.

Ubi aquilam eburneam pro ſcipione eburneo (id eſt partem pro toto) cum ſella curuli & trabea, triumphalibus & conſularibus inſignibus conjunxit. Rectè Prudentius: nam & antiqua Romanorum numiſmata nonnulla ipſi vidimus, in quibus imago Domitiani Aug. Germanici & Nervæ Trajani Aug. ita expreſſa eſt, ut ſellæ curuli quadriga vectæ impoſita, triumphali habitu ornata ſit, & altera manu ramum laureum, altera haſtile ſive ſceptrum cui ales inſidet, gerat. Illud omittendum non videtur, alia ratione quàm Themiſtius Conſulatum eſſe procemium & gradum ad Imperium dixerit, τὴν τήβεννον τῆς ἀλουργίδος, τοῦ στεφάνου τὸ σκῆπτρον, τῶν δορυφόρων τοὺς ῥαβδοφόρους: alia (inquam) ratione accipiendum eſſe quod Juſtinianus ait, *Nov.* 105. *de conſulib.* §. *ult.* ὡς καὶ ἡ τῆς βασιλείας ὑπατεία διὰ πάντων ἔσται ἀκολουθοῦσα τοῖς σκήπτροις: Per omnia Imperatorium Conſulatum ſequi ſceptra, id eſt inſignia imperii. Vult enim dicere Juſtinianus (ut ea quæ præcedunt, ſatis indicant) Statim atque ſceptra & ſtolam, id eſt imperii ornamenta & inſignia ſumpſerit princeps, perpetuum inire Conſulatum: & hoc eſt quod ait, Accedere imperii Conſulatum, quando id ſtola, toga ſive trabea annuerit, & ſignum dederit, τῷ μὲν (inquit) βασιλεῖ διηνεκὴς ὕπεστιν ὑπατεία, πᾶσι πόλεσί τε καὶ δήμοις καὶ ἔθνεσι, καὶ ἐφ' ἑκάστης τὰ δοκοῦντα διανέμοντι προσέρχεται δὲ, ἡνίκα αὐτὸς (ſic malo cum vetuſto interprete, quem & Cujacius noſter ſequitur, *in expoſitio. ad hac Nov.* 105. legere pro αὐτοῖς) νεύσειεν, ἡ στολή. Vel (quod magis puto) hiſce poſtremis verbis hoc voluit Juſtinianus: Cùm perpetuum Conſulatum Imperator gerat: vi ſcilicet ipſa, quatenus omnibus civitatibus, populis, gentibúſque ſeu provinciis, vel pro arbitrio jus reddit, vel imitatione Conſulum largitur munera, & ſubditis ſuis quæ collibitum eſt diſtribuit: Trabeam tamen Conſularem aliáque inſignia principi accedere, cùm ipſe annuerit. Nempe Conſulatus fulgorem (ut Caſſiodorus loquitur, *in formula patritiatus*, 2. *lib.* 6. *variar.*) ab imperatore interdum aſſumi conſtat, cujus fortunæ ille tantùm honos convenit, teſte Libanio: *Liban. ſoph. in orat. in Julianum Imp. Conſulem*, cujus illud eſt, μόνη γὰρ ἥδε τιμῶν καὶ βασιλέως ἥρμοσε τύχη. Ea, inquam, dignitas nomini quoque Auguſto quoddam decus videtur adquirere, quemadmodum Theodoſius & Valentinianus, *Nov. de honorat. tit.* 46. ad Storatium ſcribunt. Qua de re, præter eos quos primo, *cap.* 2. *lib.* 1. *Semeſtr.* Semeſtrium noſtrorum indicamus locos ex Plinio, ex Claudiano, & aliis, poſſem non minus illuſtres aliquot ex ipſo Claudiano, *lib.* 1. *in Eutropium, ad finem*, & Libanio; *in ſuprà d. orat. ad Julianum*, itémque ex Appiano, *lib.* 1. *bell. civil. cap.* 12. *in fi. ubi vide mea cauſa*, hìc appingere, niſi nollem eſſe nimius. Porrò autem ut ad inſignia Conſularia de quibus agere cœpi revertar, ac tandem iſto quod ſuſcepi defungar munere: Sceptrum Themiſtius ad Conſules, Juſtinianus ad Imperatores retulit: & profectò regium inſigne ſceptrum eſt: Cicero, *pro Seſtio*, Sedens cum purpura & ſceptro, & inſignibus illis regiis. Claudianus, *de bello Gildovico.*

Ille diu miles populus qui præfuit orbi,
Qui trabeas & ſceptra dabat, quem ſemper in armis
Horribilem gentes, placidum ſenſêre ſubactæ.

Quem locum proponere volui, quòd non deſint qui ſceptri verbum hìc ad magiſtratus referendum eſſe cenſeant: *Lazius, lib.* 2. *comment. cap.* 3. cùm tamen hi duo qui præcedunt verſus, ad reges pertinere ſatis demonſtrent: ſic enim Poëta,

Proh, dolor, in Bocchi regnum ſudavit uterque
Scipio, Romano viciſtis ſanguine Mauri.
Ille diu, &c.

ſic ſceptri verbum accepit idem auctor, cùm aliis in locis, tum in illo maximè, ubi ſic loquitur, *in* 6. *conſulatu Honorii*,

—— Jam Tybris in uno
Et Bruti cernit trabeas & ſceptra Quirini.

Ad hoc, id eſt regale ſceptrum refero, quod idem Poëta cecinit his verſibus,

Nam domus hæc utroque petit diademata ſexu,
Regináſque parit: reginarúmque maritos
Talibus invitat donis, dextræque gerendum.

Cccc (ſic

(sic enim optimè in veteri meo pro *regendum* legitur)

Diva simul porrexit ebur, solemnibus urnam
Commovet auspiciis, &c.

Ubi ebur, eburneum scipionem sive sceptrum interpretor. Nec puto ad sellam curulem, quæ & eborata fuit, pertinere: nam hæc non geritur, sed regitur: non dextra, sed sinistra manu. Et ita sentio.

CAPUT II.

Pro Consulibus Magistratum ineuntibus sumptus in ludos & missilia facti. Manumissiones expeditæ. Recitata oratione spes facta libertatis, vota pro salute principis, æternitate imperii & salute civium nuncupata, & persoluta: jurejurando in acta Imperatoris & legis adhibito. Mappa. Omina. Jusjurandum militare, Senatorium, magistratuum: & item judicum tam Atheniensium quàm Romanorum. Explicatur & emendatur Claudiani locus: Suetonii quoque, Dionis, Plutarchi, Aristidis, & Julii Pollucis quidam loci castigantur.

MONENT nos ea quæ superiore capite de Consulum insignibus & ornamentis tradidimus, ut quid potissimùm acceptis iis publicè ac more solemni Consules in urbe agerent, accuratè (quantum poterit) ac diligenter inquiramus: omnibúsque (ut dicitur) vestigiis persequamur. Atque id equidem eò libentiùs faciam, quòd hujus loci tractationem (quæ tamen antiquitatis est plenissima) omissam ab iis video, qui quotidie scribunt, séque interea maximos antiquarios haberi volunt. Ego reperio antiquitus initum ex Idibus Martiis, posteà è Kalendis Januariis Consulatum. Livius lib. XXXI. Omnium primùm eam rem Idibus Martiis, quo die tum Consulatus inibatur, P. Sulpitius Cos. retulit, senatúsque decrevit, uti Coss. majoribus hostiis rem divinam facerent. De festo Kalendarum Januariarum die, quo sese mutuò cives exciperent, muneribúsque prosequerentur, & Consules insignia magistratus, & in his annuam purpuram susciperent, ita Herodianus in Commodo, *lib.* I. ταύτης δὲ τῆς ἑορτῆς προϊούσης, ἐν ᾗ μάλιστα Ῥωμαῖοι δεξιοῦνταί τε ἀλλήλους καὶ προσαγορεύουσι, νομισμάτων τε ἀντιδόσεσι καὶ κοινωνίᾳ τῶν γῆς καὶ θαλάττης καλῶν εὐφραίνουσιν αὐτούς, ἀρχαί τε ἐπώνυμοι τότε πρῶτον τὴν ἔνδοξον καὶ ἐνιαύσιον πορφύραν περιτίθενται. Nam quod ait ἀρχὰς ἐπωνύμους, id nemo est qui ad Consules pertinere non videat. Quo die autem & iniretur magistratus, & postquàm sacris operati essent, fuisse in more apud veteres Romanos positum didici, ut pro accepto Consulatu gratias pro tribunali Consules agerent ei, cujus suffragio essent creati, hoc est vel populo, vel principi. Extat Ausonii gratiarum actio pro Consulatu ad Gratianum: ut & Mamertini ad Julianum Imperatorem. Plinius ad Romanum, *epist.* 1. *lib.* 2. de Virginio Rufo qui tertio Consulatu perfunctus erat: Nam quum vocem, inquit, præpararet acturus in Consulatu Principi gratias, liber (quem fortè acceperat A grandiorem) & seni & stanti ipso pondere elapsus est. Idem ad Curium Severum: Officium (ait, *lib.* 3. *epist.*) Consulatus injunxit mihi ut Reipubl. nomine Principi gratias agerem: quod ego in Senatu, quum ad rationem & loci & temporis ex more fecissem, bono civi convenientissimum credidi, eadem illa spatiosius & uberius volumine amplecti: primùm ut imperatori nostro virtutes suæ veris laudibus commendarentur: deinde ut futuri principes non quasi à magistro, sed tamen sub exemplo præmonerentur, qua potissimùm via possent ad eandem gloriam niti. De gratiis populo actis ob consulatum, hæc apud B Plutarchum legimus in Æmilio: εἰωθότων δὲ τῶν ὑπατείαν λαβόντων οἷον ἀνθομολογεῖσθαί τινα χάριν, καὶ προσαγορεύειν φιλοφρόνως τὸν δῆμον ἀπὸ τοῦ βήματος, Αἰμίλιος εἰς ἐκκλησίαν συναγαγὼν τοὺς πολίτας, τὴν μὲν προτέραν ὑπατείαν μετελθεῖν ἔφη, αὐτὸς ἀρχῆς δεόμενος, τὴν δὲ δευτέραν, ἐκείνων στρατηγοῦ δεομένων, διὸ μηδεμίαν αὐτοῖς χάριν ἔχειν, &c. Illud mihi fit verisimile, Consules ea oratione quæ gratiarum actionem quam diximus contineret, aliquid de majoribus suis ad populum breviter & modestè solitos dicere. Nam de Prætoribus quidem, hoc ipsum Suetonius literis mandavit in Tiberio: *cap.* 32. Prætorem collaudavit (inquit) quòd hono- C re inito consuetudinem antiquam retulisset, de majoribus suis pro concione memorandi. Non modò autem gratias recitanda oratione agere, sed quodammodo referre solebant Consules, statim ut erant vel designati, vel renunciati. Nam & ludos edebant ad populi voluptatem, & missilia spargebant in vulgus: atque hoc liberalitatis genere gratum animum & beneficii à populo accepti memorem testabantur: & (ut ait Leo imperator, *constit.* 14.) ὅσοι εἰς τὸ ὑπατεύειν καθίσαντο, ἣν ἐκ τοῦ ἀξιώματος αὐτοὶ προσέλαβον φιλοτιμίαν, ἀντιδωρεῖσθαι τῇ πολιτείᾳ ἀξιοῦντες, φιλοτίμους δωρεὰς τοῖς πλήθεσι καθυπάτευον. Marcianus D Imperator posteà constituit, ut ii qui Consules fieri cupiebant, nihil æris in populum spargerent: sed statutam pecuniam ad reparandum urbis aquæductum dependerent. Extat Marciani constitutio in hanc sententiam apud Justinianum, *l.* 2. *C. de consul. & non sparg. ab iis pec. lib.* 12: ut per singulos Consulatus centena pondo auri ad reparationem aquæductuum Constantinopoleos præstentur. Hanc legem disertè abrogat Justinianus in Novel. *Nov.* 105. De Consulibus. In qua etiam nominatim exprimit ὅσα προσῆκόν ἐστι παρὰ τοῦ προβαλλομένου κατ᾽ ἔτος ὑπάτου προφάσει σπορτέλλων τε καὶ τῶν ἄλλων ἁπασῶν διανομῶν E καὶ δαπανημάτων, id est quæ sportularum & aliarum omnium erogationum & expensarum occasione à creato Consule quotannis dari oporteat. Statuit enim, ut Consulis processiones sint septem, omnes in circo & harena, & theatro. Primum exhiberi spectaculum Kalendis Januariis, καθ᾽ ἣν παραλείψεται τὴν ὑπατείαν, καὶ ταύτης λήψεται τὰ σύμβολα, cùm & Consulatum & insignia ipsius Consulatus acceperit: hoc est albam vestem prætextam purpura, & sceptrum eburneum (de quibus extremo superiore sermone loquebamur) itémque cætera magistratus ornamenta, ut sellam Consularem, lictorésque cum fascibus. F Secundum esse τὴν τῶν ἁμιλλητηρίων ἵππων θέαν, ἣν δὴ μάππαν προσαγορεύουσι, certantium equorum, id est Circensium spectaculum, quod Mappam vocant. Sic enim (ut obiter dicam) apud Justinianum legitur in Novellis Græcis: eámque vocem Julianus patricius agnoscit, qui Epitomas Novellarum scripsit. Itaque ferre non possum, quod in plerisque impressis Latinarum Novellarum codicibus iterum legitur pro *Mappa,*

pa, *Hippomachia*: cùm tamen *Mappa* rectum ſit. Namque uſitatum Circo nomen id Quintilianus eſſe ait, *lib.* 1. *cap.* 9. & ab optimis auctoribus uſurpatum legimus: non tantùm à Septimio Florente, *Tertul. in de ſpectacul.* quem Adrianus Turnebus vir doctiſſimus in hanc rem alicubi *cap.* 33. *lib.* 18. laudat, ſed ab aliis etiam auctoribus permultis. Suetonius in Nerone, *cap.* 22. Mox & ipſe aurigare atque etiam ſpectari ſæpius voluit, poſitóque in ortis inter ſervitia rudimento, univerſorum ſe oculis in circo maximo præbuit, aliquo liberto mittente mappam unde magiſtratus ſolent. Quia ſolebant in circo aurigæ produci: *vide Suetonium in Auguſto cap.* 45. Loquitur Suetonius de aurigatione, déque circo maximo, atque adeo de equis certantibus, & Circenſibus: & Mappæ meminit, quam magiſtratus olim mittebant, ſigni videlicet dandi gratia. Livius lib. 8. in fine: Nec diſcrepat quin Dictator eo anno A. Cornelius fuerit: id ambigitur bellíne gerendi cauſa creatus ſit, an ut eſſet qui ludis Romanis (quia L. Plautius Prætor gravi morbo forte implicitus erat) ſignum mittendis quadrigis daret: functúſque eo haud ſanè memorandi imperii, ſe dictatura abdicaret. Signum dare Græci *ἀποσημαίνειν* dicunt, quod Xylander (alioqui eximius interpres) apud Dionem *lib.* 45. *ubi de honoribus cum Dictatura Julio Cæſari decretis* non intellexit: quo loco, *καὶ γνώμην ἀεὶ πρῶτον ἀποφαίνεσθαι, ἔν τε ταῖς ἱπποδρομίαις ἁπάσαις ἀποσημαίνειν*, ſcriptum eſt. Nam iſtud poſtremum ita reddidit, *In omnibus equeſtribus certaminibus præmia divideret*: pro quo dicere debuerat, *Et Circenſibus omnibus ludis ſignum daret*, hoc eſt Mappam mitteret. Itaque de Prætore Martialis, *lib.* 12.

Cretatam Prætor cùm vellet mittere Mappam.

Figuratè ſcilicet equorum agitatio Circenſis Mappa per Synecdochen vocata eſt: & ita non modo apud Juſtinianum, ſed apud Juvenalem *ſatyra* 12. quoque accipitur cùm ait, ludos Circenſes qui & Magni dicti ſunt & Megalenſia intelligens,

Interea Megaleſiacæ ſpectacula Mappæ, &c.

Et apud Senecam: *cap.* 30. *de ira lib.* 3. quo loco, Urſos Leonéſque Mappa proritat. Nec enim ipſius (ut opinor) mappæ color albus, ſed curriculi Circenſis ſtrepitus & ſtridor motúſque beſtias illas offendit. unde idem Seneca, *lib.* 2. *de ira cap.* 11. Leoni (inquit) pavida ſunt ad leviſſimos ſtrepitus pectora: & ſtatim, *cap.* 12. *lib.* 2. Curriculi motus rotarúmque verſata facies leonem redigit in caveam: nec tamen neſcio quod Plutarchus *in præcept. connub.* ſcribit ab iis pellucidam veſtem deponi ſolitam, qui elephantibus olim appropinquare vellent: *διαγριαίνεσθαι γὰρ ὑπὸ τῶν χρωμάτων τούτων μάλιστα τὰ ζῶα.* Rectè verò Martialis cretatam vocat Mappam, quam albam lineam Caſſiodorus (ut equidem interpretor) in Circi deſcriptione nominat: cùm ait, *lib.* 3. *variar. epiſt.* 51. Alba linea non longè ab oſtiis in utrumque podium quaſi regula directa producitur, ut quadrigis progredientibus inde certamen oriretur, ne dum ſe præproperè (ſic lego pro *ſemper properè*) conantur elidere, ſpectandi voluptatem viderentur populis abrogare. Quibus tenere me non poſſum, quin Cedreni *in hiſtoriæ compendio*, non mali (mea opinione) hiſtorici teſtimonium adjungam: quo ea confirmantur atque illuſtrantur, quæ modo ex

A Caſſiodoro de Mappæ origine retuli. *μαππάριον τοῖς Ῥωμαίοις* (ait) *ἔδοξε καλεῖν ἐξ αἰτίας τοιαύτης· ἔθος ἦν τοῖς ὑπάτοις ἐπὶ τῶν θεάτρων εὐωχεῖσθαι. μετὰ δὲ τὸ παύσασθαι τῆς εὐωχίας, τὸ ἐν χεροῖν ἐκμάγειον, ὃ καὶ μάππαν πατρίως καλοῦσιν. ἐξ οὗ καὶ μανδύλια ἔρριπτον ὅπερ ὑποδεχόμενος ὁ λεγόμενος μαππάριος, τὸν ἀγῶνα παρεσκεύαζεν.* Ubi quod de conſularibus inter ſpectacula epulis traditur, lucem ex iis accipiet quæ ſunt à nobis quodam libri primi Semeſtrium loco *cap.* 6. *lib.* 1. non indiligenter expoſita. Sed & creta viliſſima circum ad victoriæ notam præduci Plinius *lib.* 35. *cap.* 17. ſcribit, ubi de cretæ generibus loquitur. B Hanc verò quam nunc in circo cretam vocamus (ut Seneca *epiſt.* 109. *vide & Varronem apud Nonium in Calx*, inquit) calcem antiqui dicebant. Sanè Caſſiodorus idem eo quem antè indicavimus loco Mappæ meminit, & ita quidem, ut ejus originem ad Neronem referat: tanquam mittendis Circenſibus quadrigis antea ſignum aliud dari ſoleret, aſpiciens (meo judicio) ad illum Suetonii de Nerone locum qui ſuperius à me adnotatus fuit. Sic enim Caſſiodorus, Mappa verò quæ ſignum dare videtur Circenſibus, tali caſu fluxit in morem: cùm Nero prandium protenderet, & celeritatem (ut aſſolet) avidus C ſpectandi populus flagitaret, ille Mappam, qua tergendis manibus utebatur, juſſit abjici per feneſtram: ut libertatem daret certaminis poſtulandi (ubi vel *inchoandi*, vel *poſtulati* ſcriptum malim) Hinc tractum eſt, ut oſtenſa Mappa certa videatur eſſe promiſſio Circenſium futurorum. Mappam igitur ſecundi ſpectaculi & quinti etiam loco præberi vult Juſtinianus à Conſule. Quatuor alia quorum ab Imperatore in ea Novella fit mentio, explicandi tempus non eſt aliò properantibus. Id tantùm quod ea Juſtiniani conſtitutione ſancitur adjiciam, Aurum non licere Conſuli ſpargere, argentum, ſi velit, licere. D Olim Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii conſtitutione vetitum fuerat, ne in ſpectaculo judices ulli, aut privati quidquam auri penitus pro præmio darent: ſolis id licere Conſulibus volebant, quibus erogandi moderationem vitæ meritis Imperatores permiſiſſent. *l.* 2. *C. Th. de ſpectac. lib.* 15. *tit.* 5. Præterea ex Valentiniani, Theodoſii & Arcadii epiſtola ad Senatum, nulli privatorum licebat holoſericam veſtem ſub qualibet editione largiri, nulli prorſus alteri auream ſportulam dyptica ex ebore dandi facultas erat, exceptis Conſulibus ordinariis. *l.* 1. *C. Th. de exp. lud. lib.* 15. *tit.* 9. E De Antonino Heliogabalo memoriæ proditum eſt ab Ælio Lampridio, cùm Conſulatum iniſſet, in populum non nummos vel argenteos, vel aureos, vel bellaria, vel minuta animalia, ſed boves opimos, & camelos, & aſinos, & cervos populo diripiendos abjeciſſe, dictitantem Imperatorium id eſſe. Hodie Juſtinianus ne à Conſulibus quidem aurum ſpargi permittit: ſed aurum à ſolo principe, cui fortuna dedit, ut aurum ſpernat, in vulgus liberaliter conferri poſſe conſtituit: *τὸ μὲν γὰρ* (inquit) *καὶ χρυσίον διαρρίπτειν ἀνείσθω τῇ βασιλείᾳ, ᾗπερ μόνῃ καὶ χρυσίου περιφρονεῖν ὁ τῆς τύχης δίδωσιν ὄγκος. ἄργυρος δὲ ὁ μετὰ χρυ*F*σὸν εὐθὺς τιμιώτατος γένοιτο ἄν, καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπάτοις φιλοτιμίᾳ πρέπουσα· τοῦτον ἐφίεμεν αὐτοὺς ῥίπτειν ἔν τε τοῖς καλουμένοις μιλιαρισίοις, καὶ μήλοις, καὶ καυκίοις, καὶ τετραγωνίοις, καὶ τοῖς τοιούτοις*, &c. Conſulatum igitur adeptus (ut ex iis quæ diximus colligitur) ſpectacula exhibebat, & pecuniam ſpargebat, ut populo gratificaretur: quod poſtea nominatim vetitum Novella Leonis Imp. conſtitutione: *Nov. Leonis conſtitutione* 94. qua lex

illa Justiniani de consulatu (cujus verba retulimus modò) prorsus abrogatur, ob inopiam eorum qui cùm ad Consulatum eo tempore promoverentur, tantis expensis pares non erant, imò ne sibi quidem poterant sufficere: & (ut ait Leo) οὐχ ὅπως ἑτέροις ἱκανοὶ ἦσαν, ἀλλὰ μηδὲ ἑαυτοῖς ἐνίοτε ἀρκεῖν ἐδύναντο. Ad Justinianum redeo: apud quem illud de spectaculis sive ludis uno Vopisci testimonio illustrabitur. Sic enim scribit, *in Aureliano*: Cui consulatum obtulimus, ob paupertatem, qua ille magnus est cæteris major, dabis ad editionem Circensium aureos Antoninianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære H. S. quinquagies. Hoc autem de pecunia sive de missilibus quod diximus, confirmabitur illo Cassiodori loco, *lib. 6. variar.* ubi formulam consulatus tradit: Hinc tanta (inquit) largitas profluebat, ut illa dextra quæ sanguinem copiosè fuderat hostium, vitæ auxilium civibus manaret irriguum. Sic quos felices per bella fecerat, studio largitatis explebat. Et paulò pòst, Quapropter erige confidentiam mentis tuæ: Consules esse magnanimos decet. Opes privatas non cogites, qui gratiam publicam donando habere decrevisti. Hinc est enim quòd alios judices etiam non rogantes evehimus, Consules autem sperantes tantummodo promovemus, ut soli ad has largitates veniatis, qui vos pares tantis expensis esse cognoscitis: alioqui onera essent potiùs, non honores, si supra vires aliquid imponeremus invitis. Jure ac meritò Cassiodorus Consules à cæteris Judicibus, id est Magistratibus, separat: quòd ad Consulatum ii demum qui candidati fuerint, qui petierint, ambierint, prensaverint, evehantur. Ad alios autem magistratus fungendos hodie quidem (Republ. enim vigente aliud obtinuit) ignorantes & nihil tale cogitantes deligantur, si in urbe habitent, ita tamen ut nullis sumptibus inviti obligentur. Ita enim de tribus Prætoribus creandis Valentinianus & Maximianus Imperatores loquuntur, *l. 2. C. de off. Præt.* ut eos judicio Senatus in urbe Constantinopoli per singulos annos ordinari velint. Deinde sequitur, Nec si quis fortè propter alias causas ad hanc urbem de provinciis venerit, ad præturæ munus efferatur: sed ii tantummodo, ut dictum est, qui hîc domicilium fovent. Olim non modò Romæ inquilinos, sed etiam urbe oriundos esse oportuit ex Imperatoris Severi constitutione: de qua sic Spartianus *in Pescennio Nigro*, ferè, Hujus etiam illud fuit, ut nemo assideret in sua provincia, nemo administraret Romæ nisi Romanus, hoc est oriundus urbe. Sequitur apud Valentinianum & Maximianum Impp. *d l. 2. C. de off. Præt.* Ita tamen ut nec ipsi sumptus quosdam inferre cogantur inviti, sed spontaneæ habeant liberalitatis arbitrium. Qui locus aptè opinione mea cum illo Cassiodori conjungitur. Ex utroque id etiam apparet, sumptus qui in apparatum ludorum fierent, fuisse maximos: quamobrem interdum ipsos magistratus non suffecisse, quod & Suetonius Augusti temporibus accidisse ait: sic tamen ut pro iis Augustus ludos faceret. Ejus verba hæc sunt, *cap. 45.* Fecisse ludos se ait suo nomine quater: pro aliis magistratibus qui aut abessent, aut non sufficerent, ter & vicies, &c. Et sanè Romanis ludos Circenses dabant, ut ostendimus: qui magni appellati sunt ex quorundam opinione, quam Asconius *in 2. contra Verrem* attulit, quòd magnis impensis darentur. Quamobrem fiebat plerunque, ut quibus Præturam aut Consulatum deferrent, pro iis Imperatores vel ipsi ludos facerent, vel certè sumptus ad spectacula decernerent: cùm antiquitus florente scilicet Romana Republ. curuleis equi præbendi pro magistratibus, hasta posita publicè à Censoribus locarentur, quemadmodum Livius *lib. 24.* narrat. Ludos ab Imperatoribus magistratuum nomine factos, colligitur non ex illo tantùm Suetonii Tranquilli loco, verùm etiam ex eo quod Capitolinus in Clodio Albino scribit his ferè verbis: Deinde præturam egit sub Commodo famosissimam. Nam ejusdem ludis Commodus & in foro & in theatro pugnas exhibuisse perhibetur. Sumptus ab Imperatoribus ludorum gratia decretos magistratibus ex eo liquet, quod apud Spartianum in Adriano legimus: Prætor factus est sub Sura bis Serviano iterum Cos. cùm sestertium vices ad ludos edendos à Trajano accepit. & alio loco, Decreto Consulatu cum sumptibus eundem Commodum secundum Consulem designavit. Dio quoque sibi decretum ab Alexandro Imp. Consulatum cum sumptibus refert, quem scilicet cum ipso gessit. Sic enim apud Xiphilinum *Epito. Dionis in Alexandro Mammææ* legimus: ἄλλως τε ἐσέμνυνέ με καὶ δεύτερον ὑπατεύσαντα σὺν αὐτῷ ἀπέδειξε τό τε ἀνάλωμα τὸ τῆς ἀρχῆς αὐτῷ αὐτὸς ἀναλώσειν ὑπεδέξατο. Et in Valeriani epistola ad Aurelianum apud Flavium Vopiscum: *in Aureliani vita*, ubi ait, Consulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum sequentem à die undecimo Kal. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani sperare te convenit sumptu publico: Levanda est enim paupertas eorum hominum, qui diu Reipubl. viventes pauperes sunt, & nullorum magis. Et paulò pòst, Literæ de Consulatu: Valerianus Augustus Ælio Xiphidio præfecto ærarii. Aureliano (cui Consulatum detulimus) ob paupertatem, qua ille magnus est cæteris major, dabis ad editionem Circensium aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippeos minutulos tria millia, in ære H. S. quinquagies, tunicas, &c. Convivium autem publicum edi jubebis Senatoribus equitibus Romanis, hostias majores duas, minores quatuor. Sequitur apud ipsum Vopiscum, non multò pòst: Et quoniam superiùs epistolam posui, qua sumptus Aureliano ad Consulatum delatus est, quare posuerim rem quasi frivolam eloquendum putavi. Vidimus proximè Consulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia viderentur, cùm darentur tunicæ subsericæ lineæ paragaudæ, darentur etiam equi ingemiscentibus frugi hominibus. Factum est enim ut jam divitiarum sit, non hominum Consulatus, quia utique si virtutibus defertur, editorem spoliare non debent. Ubi Consulatus nomen ut & ὑπατείας apud Græcos largitionem sumptúsque fieri à Consulibus solitos significare perspicax lector animadvertet: qui præsertim ea quæ docuimus modò intellexerit, & verò quod est apud Leonem Imp. legerit, *Nov. Const. 94. Leonis Imp. videatur.* ὅτι ὅσοι εἰς τὸ ὑπατεύειν καθίσαντο, ἵν᾽ ἐκ τοῦ ἀξιώματος αὐτοὶ προσέλαβον φιλοτιμίαν, ἀντιδωρεῖσθαι τῇ πολιτείᾳ ἀξιοῦντες, φιλοτίμους δωρεὰς τοῖς πλήθεσι καθυπάτευον. Quod de erogationibus & sumptibus Consulum in ludos & missilia diximus, his quoque Cassiodori *lib. 2. variarum* verbis confirmatur, quæ subjiciam, ex epistola Theodorici Regis ad Felicem VI. Consulem ordinarium: Auxisti patrimonium vivacitatis instantia. Nam quod signum bonæ dispositionis magis quæratur, ubi testis est Consulatus? In tanta facultate meruisti, ad quod vix eversis patrimoniis pervenitur. Privata parcitas liberalitates publicas enutrivit. Et paulò pòst, Sume igitur per indictionem quartam consulatus insignia, dignum-

dignúmque te tantorum desideriis præsenti comproba largitate. Hîc profectò locus est, ubi præconium meretur effusio, quando virtutis genus est propriam substantiam non amare; ubi tantum opinionis acquiritur, quantum facultatibus abrogatur. Sed illustrius certiúsque veteris ullius auctoris ad eam rem qua de agimus adferri (mea quidem sententia) non potest, quàm ex illo Dionis loco, *lib.* 58. ubi de Valerio Asiatico: Nam aliorum meminit qui Claudii principis temporibus: cùm ad præbendos Circenses ludos sufficere non possent (in quos mirum quantum insumeretur pecuniæ, cùm quater & vicies exhiberi eos oporteret) consulatu abibant B sponte quidem, sed urgente rei familiaris difficultate atque inopia: sic enim ille: ἀλλ' ἀφῆκε τὴν ἀρχὴν ἐθελούσιος, ὃ καὶ ἕτεροί τινες ἔπραξαν, ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν ὑπὸ πενίας. τὰ γὰρ ἀναλώματα τὰ ἐν ταῖς ἱπποδρομίαις γιγνόμενα ἐπὶ πολὺ ἐκεχωρήκει. τετράκις γὰρ καὶ εἰκοσάκις ὡς πλῆθος ἡμιλλῶντο. Ante Caium Caligulam duodecies tantùm eodem die aurigæ producebantur. Primus ipse suo die natali Circensium equorum agones vigintiquatuor exhibuit, si Dioni *eod. lib.* 58. *sub init.* credimus: πρότερον γὰρ (ait) οὐ πλείω τῶν δώδεκα ἄθλων ἐτίθετο. C Ad hos similésque ludorum & erogationum sumptus refero, quod Caius ait ex indulgentia principis Antonini receptam esse hanc causam donationis inter virum & uxorem, quam dicimus honoris causa, ut ecce, si uxor viro donet ludorum gratia. *l. nuper. D. de donat. inter vir. & uxor.* Sed reliqua quæ primo magistratus die peragebantur à Consulibus, exponamus.

Solebant illi, propterea quòd qui primus Romæ Consul fuit Brutus vindicias secundum libertatem dixerat, in persona Vindicis Vitelliorum servi, qui proditionis conjurationem indicio suo detexerat (ut noster Pomponius scribit) D *l. 2. D. de origin. jur.* ad renovandam recuperatæ post exactos reges libertatis memoriam, & ad spem conservandæ ipsius libertatis Pop. Romano faciendam, bono quodam omine, statim ut Consulatum inierant, manumissiones expedire, servis imponere vindictam, eósque ad libertatem perducere. Ideóque factum puto, ut Ulpianus lib. 2. de officio Consulis, de manumissionibus tractaverit, officiúmque Consulis esse dixerit consilium præbere manumittere volentibus: ideo E Tribonianum sub titulo Digestorum *de officio Consulis*, unicam legem posuisse arbitror, quæ nisi de manumissionibus præterea loquitur nihil. Verùm quod diximus, id manifestò probatur, per ea quæ Cassiodorus in formula Consulatus tradit, *lib. 6. variar.* Tot magnis debitis sola erat hujus retributio dignitatis reperta in libertatis ornatum, inventa ad generale gaudium. & postea: In argumentum etiam publicæ gloriæ solvebat famulos jugo servili, qui libertatem tantæ dederat civitati. Et postea, Prosperrimæ conditionis eventu vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cùm nos securitatem demus per F bella Romanis. De Circensium editione déque manumissionibus, quæ à Consulibus statim atque magistratum inierant expediebantur, Ammianus hæc memoriæ prodidit quæ subjiciam, *ex lib.* 22. Allapso itaque Kalendarum Januariarum die, cùm Mamertini & Nevitæ nomina suscepissent paginæ consulares, humilior princeps visus est in officio pedibus gradiendo cum honoratis: quod laudabant alii, quidam ut affectatum & vile carpebant. Dein Mamertino ludos edente Circenses manumittendis ex more inductis per admissionum proximum, ipse lege agi dixerat, ut solebat: statímque admonitus eo die A jurisdictionem ad alterum pertinere, ut errato obnoxiam Decembris auroram & ipse mutavit. Hactenus Marcellinus. Eodem pertinet Sidonii Apollinaris carmen, quod alibi *lib. 2. Semest. nostrorum cap. 20. ubi hac ipsa de re ex Libanio & Impp. Honorii & Theodosii constitutione agimus*, adfero, castigo, atque interpretor (non enim ubique omnia: ne sim longior) eodem etiam spectant pulcherrimi & antiquitatis refertissimi versus, qui apud Claudianum extant, *in 4. Consulatu Honorii.*

Aspice, mox lætum sonuit clamore tribunal
Te fastos ineunte quater, solemnia ludit
Omnia libertas, deductum vindice morem
Lex celebrat, famulúsque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit
In civem, rubuêre genæ, tergóque removit
Verbera promissi felix injuria voti.
Prospera Romuleis sperantur tempora rebus
In nomen ventura tuum, &c.

In quibus versibus manumissionis multi nondum intellecti, nec tamen omnes ritus describuntur. Est verò pro *omnia*, necessario reponendum *omina*, mutato uno apice, ut est in veteri libro. Et idem error est apud Suetonium in Octavio, *cap.* 57. ubi sic scribit, Revertentem ex provincia non solùm faustis omnibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur. Ibi quidam libri habent *festis omnibus*, sed legendum omnino est *faustis ominibus*: ut vel unus hic Ciceronis, & alter ejusdem Suetonii, quem subjiciam, locus indicat. Cicero in Pisonem ubi de provinciis, At ominibus saltem bonis, ut Consules, non tristissimis, ut hostes aut proditores prosequebantur. Suetonius in Octavio, *cap.* 98. Fortè Puteolanum sinum prætervehenti vectores nautæque de navi Alexandrina, quæ tunc quidem appulerat, candidati, coronatique & tura libantes fausta omina (sic enim pro *omnia* legendum alii ante nos videre) & eximias laudes congesserant. Idem auctor in Claudio, *cap.* 27. Faustísque ominibus eum acclamantium turba prosequebatur. Valentinianus ad Gratianum, Et habes (inquit) mi Gratiane, amictus, ut speravimus, omnes Augustos meo commilitonúmque nostrorum arbitrio delatos ominibus faustis. Secunda omina Plinius *in panegyrico Trajani*, vocat, quæ vota fausta dixit Ammianus Marcellinus in illo loco, *lib.* 21. Eúmque militaris & omnis generis turba cum lumine multo & floribus votísque faustis Augustum appellans & dominum, duxit in regiam, ubi eventu lætus & omine, &c. Quorum locorum similitudine permotus, facilè adducor ut credam apud Cornelium Tacitum pro *festis ominibus* & *festis vocibus*, legendum *faustis*: cùm ait, *lib.* 5. *Annal.* simul populus effigies Agrippinæ ac Neronis gerens circumsistit curiam, festísque in Cæsarem ominibus falsas literas & principe invito exitium domui ejus intendi clamitat: & alibi, *lib. 12. ad fin.* Monente præfecto festis vocibus exceptus inditur lecticæ: præsertim cùm introitum in urbem infaustum omine dixerit idem auctor lib. Annalium XVII. &, Fuisse qui legatam à D. Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus, lib. 1. Faustas voces Seneca secundas nominat, ut fausta omina dici secundas ostendimus. Sic enim alicubi, *extrema epist.* 29. Cæterùm si te videro celebrem secundis vocibus vulgi, si intrante te clamor plausus & pantomimica ornamenta obstrepuerint, si tota civitate te fœminæ

puerísque laudaverint, quidni ego tui miserear, (A) cùm sciam quæ via ad istum favorem ferat? Præterea apud Claudianum pro *vindice*, legendum & scribendum *Vindice*, litera majuscula, ut nomen proprium designetur. Vindex (ita enim Claudianus & Pomponius *d. l. 2. de orig. jur.* rectè, ut opinor, quem Livius & Plutarchus Vindicium mendosè nominant: Dionysius enim utrumque nomen usurpat) fuit Vitelliorum servus, hîc primus omnium per vindictam ita manumissus est, ut cum libertate civitatem Romanam consequeretur: quæ à Plutarcho *in Publicola*, παντελὴς ἀπελευθέρωσις, à Seneca *in lib. de vita beata*, & Jurisconsultis justa libertas, & à Justiniano (B) *l. 1. §. sin autem socius. C. de comment. ser. man. & tit. de lib. instit.* plenissima dicitur. Dein post Vindicem observatum est, ut qui per vindictam liberati essent, in civitatem accepti viderentur, ut Livius notat, *lib. 2.* Libertatem autem ex jure Quiritium scilicet, quo verbo civitas designatur: quamquam à Livio scriptum *civitatem* potiùs existimaverim. Deductum igitur Vindice morem, vindictam libertatem interpretor: quæ Vindici primùm imposita fuit, vel à Bruto Consule, qui (ut Jurisconsultus refert *d. l. 2. de orig. jur.*) in personas ipsius Vindicias secundum libertatem dixit: (C) vel ab ejus collega Valerio Publicola, qui Collatino successit in Consulatu, quémque Plutarchus decrevisse ait, ut Vindicius primus omnium libertorum civis Romanus esset, suffragiúmque in qua vellet tribu ferret. Sic enim scribit, οὕτω δὴ πάλιν ἀρχαιρεσιῶν γενομένων ὕπατος ἀνεδείχθη λαμπρῶς Οὐαλλέριος, ἀξίαν ἀπολαβὼν τῆς προθυμίας χάριν. ἧς οἰόμενός τι δεῖν ἀπολαῦσαι τὸν Οὐϊνδίκιον, ἐψηφίσατο πρῶτον ἀπελεύθερον ἐκεῖνον ἐν Ῥώμῃ γενέσθαι πολίτην, καὶ φέρειν ψῆφον ᾗ βούλοιτο φρατρίᾳ προσνεμηθέντα. τοῖς δ' ἄλλοις ἀπελευθέροις ὀψὲ, καὶ μετὰ πολὺν χρόνον ἐξουσίαν ψήφου δημαγωγῶν ἔδωκεν Ἄππιος. ἡ δὲ παντελὴς ἀπελευθέρωσις ἄχρι νῦν οὐϊνδίκτα λέγεται, δι' ἐκεῖνον ὥς φασι τὸν Οὐϊνδίκιον. (D) Non est alienum ab hoc loco, id quod Mamertinus de se Consule, déque ipso Imperatore loquens ait, *in panegyrico Juliani.* Credet aliquis tantò post veterem illam priscorum temporum libertatem Reipubl. redditam? Neque enim ego L. Bruti & P. Valerii, qui primi exactis regibus potestate annua civibus præfuerunt, Consulatum nostro anteponendum puto: Uterque bono publico, uterque Romanæ Reipubl. salutaris; uterque insignis principiis commodorum, sed habet aliquid unusquisque præcipuum. Illi potestatem Consularem per populum acceperunt, (E) nos per Julianum recepimus: Illorum anno libertas orta est, nostro restituta. Sanè quod ait Panegyristes Bruti & Valerii Coss. anno natam libertatem, ad exactos reges potiùs quàm ad Vindicis manumissionem spectare puto: ut regio imperio atque adeò servitute populi pulsa, liber annus esse cœperit. Cornelius Tacitus libro primo Annalium, *statim in ipso initio*, urbem Romam à principio Reges habuere: libertatem & Consulatum L. Brutus instituit. Boëtius de Consolatione philosophiæ, *lib. 3.* Consulare imperium (quod libertatis principium fuerat) ob superbiam Consulum vestri veteres abolere cupierunt. Virgilius, *lib. 6. Æneid.* ita loquentem (F) inducit Anchisen ad Æneam:

Vis & Tarquinios Reges animámque superbam
Ultoris Bruti, fascésque videre receptos:
Consulis imperium hic primus, sævásque secures
Accipiet, natósque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infœlix, utrumque ferent ea fata minores.

Plinius in Panegyrico Trajani, Contigit ergo privatis aperire annum fastósque reserare: & hoc quoque redditæ libertatis indicium fuit, quòd Consul alius quàm Cæsar esset. Sic exactis regibus cœpit liber annus. Sic olim servitus pulsa privata fastis nomina induxit. Et post multa, Hæc nempe intentio tua, ut libertatem revoces, ac reducas: Quem ergo honorem magis amare, quod nomen usurpare sæpius debes, quàm quod primum invenit recuperata libertas? Claudianus in laudibus Stiliconis, *panegyrico 2.*

Sit trabeis ultor Stilico, Brutúsque repertor.
Libertas populi primo tunc Consule Bruto
Reddita per fasces, hic fascibus expulit ipsis
Servitium: instituit sublimem Brutus honorem,
Asseruit Stilico. plus est servasse repertum,
Quàm quæsisse novum.

Quod autem Claudianus in illo altero loco gratum ictum & pulsatum frontem dicit, referendum ad festucam sive vindictam existimo: quam vel manumissor, *vide Boëtium in Top.* vel etiam lictor, *vide Plutarchum in libello de sera numinis vindicta, l. manumissio, D. de manu. vind.* aut capiti (ut Boëtius, *ibid. in Top.* & Cornutus, *ad 5. Persii satyram in verbo vindicta*, notant) aut corpori (ut est apud Plutarchum) imponebat. Hujus enim hæc verba sunt, Ῥωμαῖοι δὲ οὓς ἂν εἰς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασιν, &c. Vindictam Plutarchus κάρφος nominat, id est festucam: ut & Plautus, *in Milite*,

Quid ea? ingenua an festuca facta? serva an libera est?

Et Persius, *satyra 5.* qui ad Anneum Cornutum philosophum,

Non in festuca lictor quam jactat ineptus.

Quod ait Claudianus *rubuere genæ*, pertinet (judicio meo) ad rapismata, quæ τὰς τελευταίας τῶν δούλων πληγὰς, Basilius vocat, id est ad alapas quibus malæ manumittendorum percutiebantur, vel à lictoribus, vel ab ipsis dominis. Ambros. epist. 7. ad Simplicianum, *epist. 1. lib. 2.* Sed non ista libertas (inquit) quam manumissus accipit, & palma lictoris donatus acquirit: non enim munificentiam, sed virtutem libertatem esse arbitror, &c. Isidorus lib. 19. Etymol. *cap. 4.* Manumissus dicitur, inquit, quasi manuemissus. Apud veteres enim, quoties manumittebant, alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant, &c. Quæ verba (nisi me fallit animus, ex Cornuti commentario ad Persium desumpta sunt. Nam ubi Persius, *satyra 5.*

——— ——— Quibus una Quiritem
Vertigo facit, &c.

Cornutus ita, Quia quoties manumittebant, eos alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant: unde manumissio dicta, quòd manu ejus mitteretur. Itaque in emancipationibus liberorum, quæ imaginariæ quædam manumissiones erant, injuriosa rapismata intervenisse Justinianus auctor est l. ult. in princ. C. de emanc. lib. & in Nov. 81. ἡ τοῦ ἐμανκιπατίονος πρᾶξις πάλαι μὲν ὑπὸ τὰς καλουμένας legis actiones γινομένη μεθ' ὕβρεων καὶ ῥαπισμάτων ἀπήλλαττεν αὐτοὺς τῶν τοιούτων δεσμῶν. Ut igitur in emancipatione injuriosa rapismata, & ὕβρεις καὶ ῥαπίσματα intervenire

nire ait Justinianus, id est alaparum (ut Tertullianus, *in lib. de spectacul.* loquitur) contumelias: ita & in manumissionibus observari solita ostendimus: Eóque referendum esse duco verbum Injuriæ, quo paulò pòst Claudianus utitur: quam ideò felicem vocat, quòd tergo servorum verbera removeret. Quamobrem Cicero pro Rabirio perduellionis reo, An verò servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberabit, nos à verberibus, &c. Nolo hîc persequi reliqua manumissionum solemnia, ut editiones nominum, de quibus apud Jurisconsultum: *l. unica, D. de offic. consul.* & conversiones sive circumductiones, quarum & Appianus, *lib.* 4. in bello civili, & Arrianus in Epicteto, *lib.* 2. *cap.* 1. & Persius in satyris, *satyra* 5. meminerunt: & apertè Seneca, cùm ita ex Epicuri præcepto ad Lucilium scribit: *epist.* 8. *in extremo*; Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas: non differtur in diem: Qui se illi subjecit & tradidit, statim circumagitur: hoc enim ipsum philosophiæ servire, libertas est. Nolo de iis quæ fisco & publico manumissi præstarent vectigalis nomine, qualis erat vicesima: déve iis quæ ipsis manumissis præstarentur à fisco, quale fuit far, aut panis; hoc loco quidquam aspergere. Ex Arriano, Persio, Dionysio, Cornuto, & aliis alibi commodiùs dicemus. Nam quod de manumissionibus hactenus tradidimus, id Claudiani carminis illustrandi gratia (quod per se non satis clarum & apertum erat) scriptum voluimus: ut intelligeretur manumissiones à Consulibus, initio magistratus expediri solitas, ejúsque rei vel consuetudinis origo usque adhuc plerisque omnibus obscura magis magísque opera ac beneficio nostro studiosis antiquitatis innotesceret. Ad quam hos etiam ejusdem Claudiani versus *lib.* 1. *in Eutropium*, pertinere censeo:

—— Gestis pro talibus annum
Flagitat Eutropius. ——

Et paulò pòst,

Candida pollutos comitatur curia fasces:
Forsitan & dominus præbet miracula lictor
Consule nobilior, libertatémque daturus,
Quam nec dum meruit, scandit sublime tribunal,
Atque inter proprias laudes Ægyptia jactat
Somnia, prostratósque canit se vate Tyrannos.

Cæterùm Consules præterquam quòd re ipsa, id est expediendis pro tribunali manumissionibus, gratam populo libertatis memoriam renovabant: verbis quoque faciendis, & recitanda oratione in curia primo Consulatus die; Senatores ad spem atque expectationem recuperandæ, retinendæque ipsius libertatis invitabant. Plinius in Trajani panegyrico, Illuxerat primus Consulatus tui dies (inquit) quo tu curiam ingressus nunc singulos, nunc universos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, invigilare publicis utilitatibus, & insurgere. Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est, &c. Et postea, Te verò securi & alacres quò vocas sequimur. Jubes esse liberos, erimus: jubes quæ sentimus promere in medium, proferimus. Post Kalendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipiebantur, ut Caius, *l. si calvitur*, §. 1. *D. de verb. signif.* scribit. Cœpit hoc fieri Julii Cæsaris temporibus, qui primus ad Imperatoriæ dignitatis fastigium accessit: Nam in cæteris

A honoribus qui ei sunt habiti, fuit & ille, si Dioni, *lib.* 44. credimus. Constitutum enim est, εὔχεσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ δημοσίᾳ καθ' ἔτος ἕκαστον, ut quotannis pro ipsius salute publicè supplicaretur. Idem ipsum in Augusti honorem decretum fuisse post Actiacam pugnam auctor est is (quem modò nominavimus) Dio. Sic enim scribit *lib.* 51. τούς τε ἱερέας καὶ τὰς ἱερείας ἐν ταῖς ὑπέρ τε τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς εὐχαῖς, καὶ ὑπὲρ ἐκείνου ὁμοίως εὔχεσθαι· καὶ ἐν τοῖς οὐχ ὅτι τοῖς κοινοῖς καὶ τοῖς ἰδίοις πάντας αὐτῷ σπένδειν ἐκέλευσαν. Imo & pro Pompeio quoque olim ab Italiæ oppidis vota facta, eadem quæ postea pro principibus, Dio narrat *lib.* 41. το- B σαύτην γὰρ εὔνοιαν αὐτοῦ πᾶσα, ὡς εἰπεῖν, ἐν τῇ Ἰταλίᾳ πόλεις εἶχον, ὥστε ἐπειδὴ ἤκουσαν αὐτὸν ὀλίγον ἔμπροσθεν ἐπικινδύνως νοσοῦντα σωτήρια (sic enim legendum vel addendum ἐπὶ, si σωτηρίᾳ retinueris) αὐτοῦ δημοσίᾳ θύσειν καὶ (hoc enim itidem addendum est) εὔξασθαι. Fiebant autem supplicationes hujusmodi votáque nuncupabantur, non à Pontificibus modò, sed & à Consulibus & reliquis magistratibus, ut Plutarchus refert in Cicerone: ubi eum natum ait esse, ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν νέων καλανδῶν, ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, ἢ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος: quod ipsum ex Dione, *lib.* 51. C & 58. demonstrari potest. Ad hæc vota illud Plinii in Panegyrico Trajani pertinet, Super hæc precati sumus, ut sic te amarent Dii, quomodo tu, &c. Et item quod Spartianus in Adriani vita memorat, Ceionium Commodum Ælium Verum ab Adriano adoptatum, accepto largius antidoto, ingravescente valetudine, per somnum periisse ipsis Kalendis Januariis, quare ab Adriano votorum causa, inquit, lugeri est vetitus. Quod & in Ælii Veri vita sic idem auctor extulit, Kalendis ipsis Januariis periit, jussúsque ab Hadriano, quia vota interveniebant, non lugeri. D Illud etiam huc refero, quod Arcadius & Honorius Imperatores votis communibus aiunt; *l.* 1. *C. de oblat. vot. lib.* 12. felicem annum aperiri: certè quod Lampridius de Antonio & Alexandro in Heliogabali vita scribit, Denique Kalendis Januariis cùm simul tum designati essent Consules, noluit cum consobrino procedere. Ad extremum, &c. sumpta prætexta hora diei sexta processit ad Senatum, &c. Deinde in Capitolium ad vota concipienda & perficienda solemnia ire noluit: omnia per præfectum urbanum facta sunt, quasi consules illic non essent. Notandum illud obiter, quod Plutarchus extulit, εὔχονται, ἢ θύουσιν: ubi καὶ pro ἢ reponendum puto. Nam E & in futurum nuncupabantur sive suscipiebantur vota pro Republ. & principe (quod erat εὔχεσθαι) & simul priorum annorum vota solvebantur, sacrificiorum scilicet peragendis solemnibus: hoc erat θύειν sive βουθυτεῖν. Ergo Plinius, *lib.* 10. *epist.* ad Trajanum, solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur, & suscepimus domine pariter & solvimus: precati Deos ut velint ea semper solvi, sempérque signari, & alio loco, Vota domine priorum annorum nuncupata alacres lætíque persolvimus, nováque rursus curante commilitonum & provincialium pietate suscepimus, precati Deos ut te Rémque pu- F blicam florentem & incolumem ea benignitate servarent, &c. Et in provinciis igitur, ut in urbe, antiquitus bove mactato faciebant pro principibus jam inde ab Augusto: cujus temporibus id primùm à Val. Potito Consule factum Dio notavit, *lib.* 51. his ferè verbis: τὸ γὰρ δὴ Σέξτον ὁ Πότιτος διεδέξατο. οὗτος οὖν ὁ δημοσίᾳ καὶ αὐτὸς ὑπέρ τε τοῦ δήμου, καὶ ὑπὲρ τῆς βουλῆς ἐπὶ τῇ τοῦ Καίσαρος ἀφίξει ἐβουθύτησεν, ὃ μήπω πρότερον ἐπὶ μηδενὸς ἄλλου ἐγεγόνει. Atque eorum quidem quæ

de

de nuncupatione votorum iſta diximus, majorem partem adeò placuiſſe clariſſ. Lipſio, ſive ipſe quoque (cùm iisdem libris uteretur) eadem illa obſervaverat, ſive (quod nolim equidem de tam ingenuo & humano viro facilè ſuſpicari) poſteaquàm hincce legerat, in ſuos ad XV. annalem Taciti (ubi de Thraſea loquitur) commentarios referre non dubitaverit, quemadmodum & ea, quæ de ſolemni jurejurando in acta principum ſtatim diſſerimus: tantò mihi gratulor magis, quantò judicium ejus cum antiquæ Romanorum hiſtoriæ litterarúmque aliarum reconditarum & exquiſitarum ſingulari peritia conjunctum pluris facere ſoleo: præſertim autem quòd præclaro Tertulliani, *in de corona militis*, teſtimonio prolato nuncupationem votorum (qua de agimus) illuſtrarit: quam priores ipſi velut in lucem eruimus. Tertulliani autem hæc ferè verba ſunt: Hæc annua votorum nuncupatio quid videtur? prima in principiis, ſecunda in Capitolio (prima igitur à militibus, ſecunda à magiſtratibus & populo.) Accipe poſt loca & verba. Hunc Jupiter tibi bovem cornibus auro decoratis vovemus eſſe futurum, &c. in quibus ſanè nondum video, cur immutari quicquam debeat, aut (ut ab aliis factum eſt) queat. Hæc autem vota nuncupabantur & concipiebantur ſolemni jurejurando præſtito. Quamobrem Panegyriſtes ad Conſtantium Flavienſium nomine ſic loquitur: Quod enim ad propagandos aliorum principum annos ſolemni verborum more juratur, tibi Conſtantine ſoli ultra omnium noſtrum fata victuro ſecurè fovemus, cui tam longè ætas propria debeatur. Nec tantùm pro ſalute principum, ſed & pro æternitate imperii, & pro ſalute civium vota nuncupabantur: ídque Plinius ita ſcribit in panegyrico Trajani. Nuncupare vota & pro æternitate imperii, & pro ſalute civium; imò pro ſalute principum, ac propter illos pro æternitate imperii ſolebamus. Hæc pro imperio noſtro in quæ ſint verba ſuſcepta operæ pretium eſt adnotare, ſi benè Rempubl. & ex utilitate omnium rexeris. Digna vota quæ ſemper ſuſcipiantur, ſempérque ſolvantur. Caium Caligulam Dio, *lib.* 58. *hiſt. ſub init.* refert non modo pro ſe ac pro Republ. ſed pro ſuis etiam ſororibus annuatim vota nuncupari à magiſtratibus & pontificibus: Jusjurandum etiam non minùs pro illis, quàm de ſuo imperio præſtari voluiſſe: τότε τὰς εὐχὰς τὰς καθ' ἔτος ὑπὸ τῶν ἀρχόντων καὶ ὑπὸ τῶν ἱερέων ὑπέρ τε ἑαυτοῦ καὶ ὑπὲρ τοῦ δημοσίου ποιουμένας, καὶ τοὺς ὅρκους τοὺς ἐς τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ φερομένους καὶ ὑπὲρ ἐκείνων ἔνειμε. Ac non modò vota, ſed etiam ludos pro æternitate imperii olim ſuſceptos, quos Nero maximos appellari voluerit, Suetonius in ejus vita, *cap.* 11. refert. Idem auctor eſt omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute Auguſti ſtipem jeciſſe: *in Auguſto cap.* 57. Idem Kalendis Januariis ſtrenam in Capitolino etiam abſenti eum ſtipis annuæ pro Auguſto jaciendæ, vel potiùs dandæ ipſi ſtrenæ morem renovatum, ipſo etiam mortuo, à Senatoribus, Caligulæ odio, ex Dione *lib.* 58. intelligimus: cujus verba, ut è ſuperioribus lucem accipiant, lubet proponere: ἀλλ' ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀθρόοι οἱ βουλευταὶ ἀναβάντες, τάς τε θυσίας ἔθυσαν, καὶ τὸν τοῦ Γαΐου (Julium Cæſarem intelligit) δίφρον τὸν ἐν τῷ ναῷ κείμενον προσεκύνησαν· καὶ ἔτι καὶ ἀργύριον κατὰ τὸ ἐπὶ τοῦ Αὐγούστου ἔθος ἤνεγκαν, ὡς καὶ αὐτῷ ἐκείνῳ διδόντες κατέθεσαν. καὶ τοῦτο μὲν καὶ τῷ ἑξῆς ἔτει ὁμοίως ἐγένετο, &c. Diximus antè fieri ſolita vota pro principe adhibito jurejurando: Id jusjurandum quò pertineret, explicandum eſt. Jurabant magiſtratus principi, ut ait Plinius: ἐς τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ ὅρκους ἐφέροντο, ut loquitur Dio in ſuprà d. loco. Jurabant (inquam) de conſervanda & tuenda ſalute Cæſaris, diráſque non facienti imprecabantur, ut eſt apud Appianum lib. 11 Civil. ubi jusjurandum ſacramento militari non diſſimile (de quo paulò pòſt agemus) pro Julio Cæſare ab Antonio interpoſitum recitatur. καὶ αὖθις ἀνεγίνωσκε τοὺς ὅρκους ἦ μὴν φυλάξειν Καίσαρα, καὶ τὸ τοῦ Καίσαρος σῶμα παντὶ σθένει πάντας, ἢ εἴ τις ἐπιβουλεύσειεν, ἐξώλεις εἶναι τοὺς οὐκ ἀμύναντας αὐτῷ. Huc pertinet, quod de geſtis Imp. Friderici Guntherus *lib.* 7. agens, non ineleganter cecinit, ſic ferè:

Tunc proceres clarique viri, turbæque minoris
Ambitioſa manus ſtudio devota fideli
Sacramenta dabant cunctas ſervanda per urbes:
Principis Auſonii jus, famam, corpus, honorem,
Nec ſe læſuros: & ſi quis lædere tentet,
Uſque vel ad mortem tota virtute reniti.

Addebant & illud, ſalutem, honorémve Imperatoris & item Auguſti antiquiorem ſibi chariorémque futurum ſeipſis ac liberis: cujus rei teſtimonia cùm ex Dione, *lib.* 58. *ubi de Caio Caligula*; Suetonio, *Caligula cap.* 15. ac Tertulliano, *in de corona mil.* ſcitè Lipſius (quem iterum lubens nomino) ad Tacitum, *lib.* 15. *ann.* protulerit, in hoc non immorabor amplius: qui commentarium ejus luculentiſſimum in eruditorum omnium ac Taciti ſtudioſorum manibus eſſe non dubito. Præterea jurabant Senatores, jurabat populus Principi: & viciſſim ipſe Princeps populo ac ſenatui ſtatim poſt ſuſceptas Imperatorias infulas: quem morem in Gallia retentum, & ad hæc usque tempora in Principibus noſtris inaugurandis obſervatum ſcimus. Huc illa Caſſiodori referenda cenſeo, ex Athalarici Regis epiſtola *lib.* 3. *variar. apud Caſſiodorum*, ad Senatum urbis Romæ: Noveritis etiam divina providentia fuiſſe diſpoſitum, ut Gotthorum Romanorúmque nobis generalis conſenſus accederet, & voluntatem ſuam quam puris pectoribus offerebant, juris etiam jurandi religione firmarent. Quod vos ſecuturos eſſe minimè dubitamus, tempore, non amore: Nam à vobis potuit inchoari, quod præventi longinquitate ſequimini, &c. ſed ut primordia noſtra & circa vos benignitatem poſſitis agnoſcere (quia decet curiam veſtram beneficiis introire) illuſtrem Sigismerem comitem noſtrum, vobis, cum his qui directi ſunt, fecimus ſacramenta præſtare: Quia inviolabiliter ſervare cupimus, quod publica authoritate promittimus. Item illa ex ejusdem Athalarici epiſtola *epiſt.* 3. *lib.* 8. *variar. Caſſiod.* ad populum Rom. Ecce Trajani veſtri clarum ſeculis reparamus exemplum: Jurat vobis per quem juratis, nec poteſt ab illo quisquam falli, quo invocato non licet impunè mentiri. Quibus equidem verbis iſta commodiſſimè adjungentur ex Plinii panegyrico ad Trajanum: quæ Caſſiodorum memoria tenuiſſe non dubito, ad jusjurandum principi & à principe Conſulatum ineunte præſtitum pertinentia, cùm illa ſua (quæ modò attulimus) exprimeret. Sic autem Plinius, Accedis ad Conſulis ſellam, adigendum te præbes in verba principibus ignota, niſi cùm jurare cogerent alios. Et ſtatim, Imperator ergo & Cæſar & Auguſtus, Pontifex maximus ſtetit ante gremium Conſulis: ſedítque Conſul principe ante ſe ſtante, & ſedit inturbatus, interritus, & tanquam ita fieri ſoleret: quin etiam ſedens ſtanti præbuit jusjurandum: & ille juravit, expreſſit, explanavítque verba, quibus caput ſuum, domum

domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet, Deorum iræ conſecraret. Ex quibus apparet, poſt vota jurari ſolitum Imperatori à Magiſtratibus, à Senatoribus, à populo ipſo. Jurabatur autem in acta Imperatoris. Hoc vel unus Plinii locus indicat, ex quo hæc pauca deſumpſimus quæ ſubjiciam, omnia enim deſcribere non vacat. Tuam ſecuritatem (inquit) non mora nunciorum, non literarum tarditas differt, ſcis tibi ubique jurari, cùm ipſe juraveris omnibus. Nemo hoc ſibi non præſtat. Amamus quidem te in quantum mereris: Iſtud tamen non tui facimus amore, ſed noſtri: nec unquam illuceſcat dies, quo pro te nuncupet vota non utilitas noſtra, ſed fides, Cæſar, &c. Sed addam alterum Taciti locum, *ex lib.* 16. Quin & illa (inquit) objectabat principio anni vitare Thraſeam ſolemne jusjurandum, nuncupationibus votorum non adeſſe: quamvis quindecim virali ſacerdotio præditum, nunquam pro ſalute principis aut cœleſti voce immolaviſſe. Sequitur paulò pòſt, Ejusdem animi eſt Poppeam Divam non credere, cujus in acta Divi Auguſti & Divi Julii non jurare. Idem profectò *lib.* 1. *annal.* & Suetonius *in Tyber. vita, cap.* 26. *& cap.* 67. de Tyberio ſcribunt, eum, ut imperium iniret, interceſſiſſe quominus in acta ſua juraretur, idque obſtinatiſſimè recuſaſſe: orationéque ad Senatum ſua hoc addidiſſe exempli cauſa cavendum, ne ſe Senatus in acta cujusquam obligaret, qui aliquo caſu mutari poſſet. Claudio item Nerone L. Antiſtio Coſs. cùm in acta principis jurarent magiſtratus, in ſua acta collegam Antiſtium jurare prohibuit, ut idem Tacitus Annalium libro XIII. retulit: quod ab hiſtoricis clariſſimis ob eam rationem expreſſum & notatum eſt, quoniam in acta Octaviani Auguſti Cæſaris, cui Tyberius in imperio ſucceſſit, juratum fuerat: id quod poſtea Imperatorum aliorum quàm Tyberii temporibus obſervatum fuit, ut ſcilicet eorum ſive adhuc ſuperſtitum ſive jam defunctorum acta jurejurando adhibito confirmarentur: qua de re apud Dionem *lib.* 47. leguntur hæc ferè verba, ubi de Triumviris loquitur, ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ αὐτοί τε ὤμοσαν καὶ τοὺς ἄλλους ὥρκωσαν βέβαια νομιεῖν πάντα τὰ ὑπ' ἐκείνου (Καίσαρος Οκταυιανοῦ) γενόμενα. καὶ τοῦτο καὶ νῦν ἐπὶ πᾶσι τοῖς τὸ κράτος ἰσχοῦσιν, ἢ καὶ ἐπ' αὐτοῦ ποτε γενομένοις, καὶ μὴ ἀτιμωθεῖσι γίνεται. Et alio loco, *lib.* 57. συνελόντι δ' εἰπεῖν, οὐδ' ὅπερ ἐπί τε τῷ Αὐγούστῳ, δεῦρο ἀεὶ ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ ἔτους ἡμέρᾳ καὶ ἐπὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς μετ' ἐκεῖνα ἄρξασιν, ὧν γε καὶ λόγον τινὰ ποιούμεθα· ἐπί τε τοῖς τὸ κράτος ἀεὶ ἔχουσιν ἐξ ἀνάγκης γίγνεται. τά τε πραχθέντα ὑπ' αὐτῶν καὶ τὰ πραχθησόμενα ὑπὸ τῶν ἀεὶ ζώντων ὅρκοις τισὶ βεβαιοῦσθαι· οὐδὲ τοῦτο τάγε πρῶτα ἐφ' ἑαυτῷ περιεῖδε γενόμενον· καίτοι ἐπὶ ταῖς τοῦ Αὐγούστου πράξεσι, τούς τε ἄλλους πάντας ὥρκου, καὶ αὐτὸς ὤμνυε. Quo ex loco id notandum: non modò quæ jam acta eſſent, ſed & quæ agenda ab Imperatoribus forent, ſolemni jurejurando confirmari ſolita: quale & de Julii quoque actis, ut præſtaretur, antea conſtitutum fuerat, ſi Dioni credimus: cujus illud eſt de Julio, *lib.* 44. τήν τε τύχην αὐτοῦ ὀμνύναι καὶ τὰ πραχθησόμενα αὐτῷ πάντα κύρια ἕξειν ἐνόμισαν: & Appiano, *lib.* 2. *civil.* qui, ubi de honoribus Julio decretis, καὶ τὰς ἀρχὰς εὐθὺς καθισαμένας (ait) ὀμνύναι μηδενὶ τῶν ὑπὸ Καίσαρος ὁριζομένων ἀντιπράξειν. Acta igitur & Imperatoris qui tum rerum potiretur, quæque ab ipſo gerenda eſſent: ſed & Auguſti ejus, qui primus id nomen meruit, ſolemni jurejurando confirmabantur: precibúsque additis ac votis ominibúsque fauſtis eorum injiciebatur mentio: non aliorum itidem monſtrorum ac tyrannorum

A veriùs quàm principum: non Tyberii ſub Caio Caligula, non ipſius etiam Caligulæ ſub Claudio: ſicut ex Dione *lib.* 58. ipſo addiſcimus. Marco enim Juliano & Publio Nonio Coſſ. ſub Caio Caligula, οἱ ἔνορκοι περὶ μὲν τῶν ὑπὸ τοῦ Τυβερίου πραχθέντων οὐκ ἐπήχθησαν, καὶ διὰ τοῦτο οὐδενὶ γίγνονται (ſic enim ut in vulgatis exemplaribus lego, ut ſignificet ὑπ' οὐδενὸς: nec ſequor interpretem reponentem articulum ἐν & perperam illud exponentem) οὐ γάρ ἐστιν ὅστις αὐτὸν (ſic lego, non αὐτῶν, ut intelligatur Tyberius, in cujus familiam genúſque nemo ſe poſteriorum Imperatorum inſerebat, ſed Auguſti ſe poſteros B dicere glorioſum & proſperum putabant) ἐν τοῖς αὐταρχήσασιν ἐς τὴν τῆς οἰκίας νόμισιν καταλέγει: & poſtea, ubi de imperio Claudii, rem totam explicat apertius: parum abfuiſſe narrans, quin Caligulæ memoria damnaretur à Senatu, niſi Claudius Imp. interceſſiſſet Senatus decreto: & ſatis habuiſſet privatim ac noctu ſtatuas honori Caligulæ poſitas deturbare, atque abolere: quamobrem nec ipſius mentionem factam inter eos principes, quorum nomina percenſebantur in precibus votíſque ac jurejurando, quo eorum acta confirmabantur, ipſius etiam Dionis temporibus, καὶ διὰ ταῦτα τὸ μὲν ὄνομα αὐτοῦ (Caium C intellige) οὐκ ἔστιν ἐν τῷ καταλόγῳ τῶν αὐτοκρατόρων, ὧν μνήμην ἐπί τε τοῖς ὅρκοις καὶ ἐπὶ ταῖς εὐχαῖς ποιούμεθα, ὥσπερ οὐδὲ τοῦ Τυβερίου. Porrò autem jusjurandum & ſacramentum illud, ut à militibus, ut à magiſtratibus & ſenatoribus: ſic etiam à provincialibus ſolemni die Kalendarum Januariarum, itémque die ſuſcepti à Principe imperii præſtabatur, præeunte verba præſide aut Proconſule: ut vota facerent pro ſalute Principis, & ſolemne jusjurandum præſtarent, ſicuti & in ipſa Imperatoris renunciatione poſt ſolitas acclamationes fauſtáque omina & nomina: quibus preces, vota, ſacrificia cùm adjunxiſſent, po- D pulus militéſque ſacramentum in principis nomen interponebant, ſéque devovebant. Sic enim Herodianus *lib.* 2. de Pertinacis renunciatione agens, πάλιν ξυνεξεβόησάν καὶ σεβαστὸν προσεῖπον τὸν Περτίνακα, εἴς τε τὸ ἐκείνου ὄνομα τοὺς συνήθεις ὅρκους ὀμόσαντες καὶ θύσαντες δαφνηφοροῦντες πᾶς ὁ δῆμος καὶ τὸ στρατιωτικόν. Et multò pòſt, ubi de Severi ſomnio, quod ei omen ad imperium fuerit, κατὰ γὰρ καιρὸν (ait) ὃν ἀπηγγέλη Περτίναξ παραλαβὼν τὴν ἀρχὴν μετὰ τὸ προελθεῖν καὶ θῦσαι ὁ Σεβῆρος, καὶ τὸν ὑπὲρ τῆς Περτίνακος βασιλείας ὅρκον ἀφοσιώσασθαι ἐπανελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, &c. Denique ubi de Prætorianis militibus (quia Perti- E nace interempto Julianum ad ſummam rerum admiſerant) à Severo Imp. qui dolo ſeu aſtu quodam, ut in eos faciliùs animadverteret, ab urbe tanquam ad jusjurandum, domeſticorúmque ſeu protectorum munus evocatis, diſſerit: κελεύει (ait) πάντας ἐξελθεῖν εἰρηνικῷ σχήματι. ὥσπερ εἰώθασι θύοντος ἢ ἑορτάζοντος βασιλέως προπομπεύειν, ὀμόσαι τε εἰς τὸ Σεβήρου ὄνομα καὶ μετ' ἀγαθῶν ἐλπίδων ἐλθεῖν, ὡς μέλλοντας τὸν Σεβῆρον δορυφορήσειν. Ergo etiam quotannis imperii adepti die, Kalendis itidem Januariis in principis nomen ac verba, ipſo ſcilicet aut magiſtratu aliquo vel civili (ut putà Conſule in urbe, Præſide in Pro- F vinciis) vel militari (ut putà Præfecto prætorio Ducibúſque ſeu Magiſtris militum) præeunte, non minùs à provincialibus, quàm à militibus poſt preces votáque & ſacrificia pro ejus ſalute interpoſita (quomodo & à Conſulibus aliíſque Magiſtratibus & Senatoribus in acta, ut ſuperiùs admonui) jurabatur. Atque id quidem ipſum ex Plinio me didiciſſe recordor: qui ſic ad Trajanum ſcribit, Diem, Domine, quo ſervaſti Impe-

imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris lætitia celebravimus: precati Deos, ut generi humano, cujus tutela & ſecuritas ſaluti tuæ inviſa eſt, incolumem florentémque præſtarent. Præiimus & commilitonibus jusjurandum more ſolemni præſtantibus, & provincialibus, qui eadem certarunt pietate jurantibus. Cui Trajanus ita reſcribit: Quanta religione ac lætitia commilitones cum provincialibus te præeunte diem imperii mei celebraverint, libenter mi Secunde chariſſime cognovi literis tuis. Sed & de votis pro incolumitate principis nuncupatis, & ſolutis à militibus & provincialibus, extant literæ Plinii ac Trajani eodem libro, ex quo jam antè protulimus alia quædam huc pertinentia: quibus has itidem Trajani epiſtolas adjungi volumus. Solviſſe vota Diis immortalibus, te præeunte, pro mea incolumitate & commilitones cum provincialibus lætiſſimo conſenſu in futurum nuncupaſſe, libenter mi Secunde chariſſime cognovi literis tuis. & alibi, Diem imperii mei debita lætitia & religione à commilitonibus & provincialibus præeunte te celebratum, libenter mi Secunde chariſſime cognovi literis tuis. Alio pertinet (opinor, etſi ex ſuperioribus eòdem ſatis commodè referri poſſe video) quod apud Tacitum *lib.* 17. *annal.* legitur, inferioris Germaniæ legiones ſolemni Kal. Januar. ſacramento pro Galba adactas. Nam & quod Suetonius *in Galba cap.* 11. ait, Galbam ſupervenientibus ab urbe nuntiis, ut occiſum Neronem cunctóſque verba ſua juraſſe cognovit, depoſita legati ſuſcepiſſe Cæſaris appellationem: Itémque ſuperioris Germaniæ milites primos obſequium rumpere auſos, Kalendis Januariis adigi ſacramento, niſi in nomen Senatus recuſaſſe. *cap.* 16. *in Galba.* Qua de re ſic Plutarchus *in Galba*: τοιούτων ἤδη λόγων ἐκ τῶ στρατοπέδω περιφερομένων ἐπῆλθεν ἡ νουμηνία τοῦ πρώτου μηνός, ἣν Καλάνδας Ἰανουαρίας καλοῦσι. τοῦ δὲ Φλάκκου συναγαγόντος αὐτοὺς ἐπὶ τὸν ὅρκον ὃν ἔθος ἐστὶν ὀμνύειν ὑπὲρ τοῦ αὐτοκράτορος, τὰς μὲν εἰκόνας τοῦ Γάλβα προσελθόντες ἀνέτρεψαν, καὶ κατέσπασαν, αὐτοὶ δὲ ὀμόσαντες ὑπὲρ συγκλήτου καὶ δήμου Ῥωμαίων διελύθησαν. Ad ſacramentum, militare ſcilicet (quod Imperii ſive principatus Romani ſacroſanctum ac venerandum eſſe myſterium Herodianus quodam loco *lib.* 8. tradit: φυλάσσοντες τὸν στρατιωτικὸν ὅρκον, ὅς ἐστι τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς σεμνὸν μυστήριον) pertinere conſtat: de quo Arrianus, *lib.* 1. *de diſſert. Epicteti cap.* 14. *quem locum notat Lipſius in comment. ad* 15. *annal. Taciti.* τῷ θεῷ ἔδει καὶ ἡμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι, πάντων προτιμήσειν τὴν τοῦ Καίσαρος σωτηρίαν: quod hactenus mirè congruit cum eo quod pro Julio præſtitum Antonio vel præeunte vel adigente: quódque à Senatoribus ipſis imperante Caligula exactum Appianus *lib.* 2. *civil.* & Dio *lib.* 58. memorant, ut antè diximus. Ad hanc formulam jurisjurandi militaris, non dubito quin Hieronymus ad Heliodorum *de vita ſolitaria*, aſpexerit: Recordare tyrocinii tui diem (inquit) quo Chriſto in baptiſmate conſepultus in ſacramenti verba juraſti, pro nomine ejus non te patri parciturum eſſe, non matri. Ecce adverſarius in pectore tuo Chriſtum conatur occidere. Ecce donativum quod militaturus acceperas, hoſtilia caſtra ſuſpirant, &c. Rurſum quod apud eundem Suetonium *in Veſpaſiano cap.* 6. legimus, Tyberium Alexandrum præfectum Ægypti primùm in verba Veſpaſiani legiones adegiſſe, qui principatus dies in poſterum obſervatus ſit, Judaicum deinde exercitum v. idus Julii apud ipſum juraſſe: de ſacramento itidem

A militari accipiendum eſt. Quod qui præſtabant milites, in nomen imperatoris ſolemniter jurabant, ut Vegetius libro ſecundo de re militari docet. Id fiebat interdum admotis ad cervices enſibus, ut eſt apud Ammianum Marcellinum *lib.* 21. *vide & lib.* 17. ubi de militibus Juliani loquitur in hæc verba, Juſſique univerſi in ejus nomen jurare ſolemniter, gladiis cervicibus ſuis admotis, ſub execrationibus diris verbis juravere conceptis, omnes pro eo caſus quoad vitam profuderint, ſi id neceſſitas exegerit perlaturos: quæ ſecuti rectores, omneſque principis proximi fidem ſimili religione firmarunt. Idem Marcelli-

B nus, *lib.* 26. ubi de Procopio quodam ad imperatorium culmen evecto déque nonnullis equitum peditúmque turmis, ita ut jam exercitus ſpecies appareret: Promiſſis uberrimis (inquit) inhiantes ſub execrationibus diris in verba juravere Procopii, hanc polliciti pertinaciam, quod eum ſuis armis defenſabunt. Olim autem vigente Romana Republ. milites habito delectu, hoc tantùm jurabant, ſe ducibus quantum poſſent dicto audientes futuros eſſe: ſic enim Polybius *lib.* 6. καὶ λαβόντες (οἱ χιλίαρχοι) ἐκ πάντων ἕνα τὸν ἐπιτηδειότατον ἐξορκίζουσιν, ἦ μὴν πειθαρχήσειν καὶ ποιήσειν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ τῶν ἀρχόντων κατὰ δύναμιν,

C οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ὀμνύουσι καθ' ἕνα προσπορευόμενοι, τοῦτο αὐτὸ δηλοῦντες ὅτι ποιήσουσι πάντα, καθάπερ ὁ πρῶτος: & Livius, *lib.* 10. ubi de L. Papyrio curſore: admovebatur altaribus miles, &c. Dein jurare cogebatur, diro quodam carmine in execrationem capitis familiæque compoſito, Ni iſſet in prælium, quò imperatores duxiſſent. Et ſi hi aut ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, non extemplo occideret. Quod poſtremum etſi forſitan fieret à milite, non tamen utique jusjurandum ejus rei ſemper ab ipſo exigi ſolitum, nec fuiſſe iſtud ordinarium ac legitimum jusjurandum exiſtimo: ſed nec illud,

D cujus idem Livius alibi *lib.* 35. commeminit in hæc ferè verba, Citatóſque ſingulos jurejurando adegit, niſi quibus morbus cauſa erit, non aliter quàm ſtantes cibum potúmque quoad ſtipendia facerent, capturos eſſe. Porrò aliud etiam jurabant poſt caſtrorum metationem. ut ait idem Polybius eod. lib. μηδὲν ἐκ τῆς παρεμβολῆς κλέψειν, ἀλλὰ κἂν εὕρῃ τις, τοῦτ' ἀνοίσειν ἐπὶ τοὺς χιλιάρχους. Exercitus igitur in verba imperatoris & nomen jurabant, ut ex ſuperioribus locis colligitur: & ex eo quod Amyntas apud Q. Curtium *lib.* 7. ita compellans Alexandrum extulit, An non propemodum in tua verba tui omnes te præeunte

E juravimus (inquit) eosdem nos inimicos amicóſque habituros eſſe quos tu haberes? Hoc ſacramento pietatis obſtricti averſaremur (ſic lego, non *adverſaremur*) ſcilicet quem tum omnibus præferebas. Præterea id etiam intelligitur ſatis ex eo, quod ferè ſic Paterculus, *lib.* 2. *Rom. Hiſt.* ubi de Cinna: Corruptis primò conturionibus ac tribunis, mox etiam ſpe largitionis militibus, ab eo exercitu qui circa Nolam erat receptus eſt. Is quum univerſus in verba ejus juraſſet, retinens inſignia Conſulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum ci-

F vium, &c. Denique percipitur ex eo quod ait Spartianus in Severo, Illyricianos exercitus, & Gallicanos cogentibus ducibus in ejus verba juraſſe. Itaque aliud eſt in acta imperatoris, aliud in verba jurare: Hoc à milite ſtipendia facturo, illud & à cæteris annuatim exigi conſueverat. Quod de jurejurando hic aſperſi, fecit ut in mentem mihi veniret eorum, quæ de jurejurando magiſtratuum & judicum Athenienſium & Romanorum ex variis authoribus Græcis & Latinis, non

non ſine aliquo labore collegeram (ut fit) inter
legendum, mihíque ſepoſueram: Ex quibus magnum fructum cepiſſe me arbitror, ſi is erit cum
ſtudioſorum voluptate, aut utilitate potiùs aliqua conjunctus. Primum igitur ut cœpta de
Conſulibus disputatio finiatur, quæ de ipſorum
jurejurando habemus annotata proferemus: à quibus illa (ut verum fatear) initium ſumere debuit, ſi nobis eam arte atque ordine tractandi
animus fuiſſet. Sed nos artem & artificia omnia
valere, atque ab his libris faceſſere jubemus: Ea
ſibi ſumant, qui nulla ſe magnopere alia ratione
in vulgus, ob aliquam doctrinæ opinionem commendare poſſunt, & auram tamen illam aucupantur. Nos modò antiqui juris ac moris veritatem (ſi poſſumus) partim ex veteri probatorum
utriusque linguæ auctorum hiſtoria, partim etiam
è noſtris, id eſt Jurisconſultorum & Imperatorum theſauris repetitam, in ſcribendo teneamus.
Hanc omni genere ſtudiorum usque adhuc proſecuti ſumus, hanc etiamnum diligenter colimus: In poſterum autem omni ratione (ſi vacabit, ut ſperamus) ad ea, quibus à puero dediti
fuimus, promovenda bonarum literarum ſtudia
obſervabimus. Conſul magiſtratu annuo functus,
primùm renunciabat novos Conſules: Hinc illa
formula precationis conſularis in Conſule renunciando, quæ apud Ciceronem, *pro Muræna*, extat, Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatúmque ſit mihi, magiſtratuíque meo, populo
plebique Romanæ, L. Licinium Conſulem renuncio. Deinde ſella curuli ſedens adigebat jurejurando candidatos conſulatus: Hoc præbente
jusjurandum, & veluti carmen præeunte, illi
jurabant in leges. Sic & Imperatorem Auguſtum
ex veteri more juraſſe, quum ſextùm Conſulatum iniret, his verbis Dio, *initio lib.* 53. prodidit: τὸ δὲ ἑξῆς ἔτει ἕκτον ὁ Καῖσαρ ἦρξε, καὶ τά τε
ἄλλα, κατὰ τὸ νομιζόμενον ἀπὸ τοῦ πάνυ ἀρχαίου ἐποίησε,
καὶ τοὺς φακέλους τῶν ῥάβδων τῷ Ἀγρίππᾳ συνάρχοντί
οἱ κατὰ τὸ ἐπιβάλλον παρέδωκεν, αὐτός τε ταῖς ἑτέραις
ἐχρήσατο, καὶ διάρξας τὸν ὅρκον κατὰ τὰ πάτρια ἐπήγαγε καὶ εἰ μὲν καὶ αὖθις ταῦτα ἐποίησεν, οὐκ οἶδα.
Sic & Imperatorem Trajanum, Plinius in Panegyrico Trajani, ubi de ipſius Imperatoris conſulatu loquitur: Peracta erant ſolemnia comitiorum, inquit, ſi principem cogitares, jámque ſe
omnis turba commoverat, cum tu mirantibus
cunctis accedis ad Conſulis ſellam, adigendum
te præbes in verba principibus ignota, niſi cùm
jurare cogerent alios: & paulò pòſt, Imperator
ergo, & Cæſar, & Auguſtus, Pontifex maximus ſtetit ante gremium conſulis, ſedítque Conſul principe ante ſe ſtante, & ſedit inturbatus,
interritus, & tanquam ita fieri ſoleret, qui etiam
ſedens præbuit jusjurandum, & ille juravit (ſequitur imprecatio & vetus jurisjurandi clauſula,
vide Cujacium, cap. 21. *lib.* 1. *obſer.* quæ integra
extat apud Polybium, *lib.* 3. & Plutarchum, *in
Sylla*) expreſſit, explanavítque verba, quibus
caput ſuum, domum ſuam, ſi ſcienter fefelliſſet,
Deorum iræ conſecraret: & poſt pauca, Idem
Cæſari quod Conſuli, quod cæteris non licet.
Jurat in legem (ubi malo *leges*) attendentibus
Diis: nam cui magis, quàm Cæſari attendant?
& alio loco, Comitia Conſulum obibat ipſe, &
tantum ex renunciatione eorum voluptatis, quantum priùs ex deſtinatione capiebat. Stabant candidati ante curulem principis, ut ipſe ante Conſulis ſteterat, adigebantúrque in verba, in quæ
paulò ante ipſe juraverat princeps: qui tantum
putat eſſe in jurejurando, ut illud & ab aliis exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi verò quanta religio æquitatis? quanta legum reve-

A rentia? Adibat aliquis ut principem, reſpondebat ſe Conſulem eſſe, &c. Non modò autem
Conſulatus, ſed & aliorum magiſtratuum candidati eodem ſacramento ſe obſtringebant: alioqui magiſtratu in plures quàm quinque dies fungi
non poterant, ut Livius ſcribit, cujus hæc verba ſunt, *ex lib.* 31. Quia flamen dialis erat, jurare in leges non poterat, magiſtratum autem
plus quinque dies, niſi qui juraſſet in leges, non
licebat gerere. De cenſorum jurejurando hæc
Zonaras memoriæ prodidit, *lib.* 2. *annal.* πίστεις
δὲ ἐνόρκους ἐφ' ἑκάστῳ πεποίηντο, ὡς οὔτε πρὸς χάριν,
οὔτε πρὸς ἔχθραν τι ποιοῦσι, ἀλλ' ἐξ ὀρθῆς γνώμης τὰ
B συμφέροντα τῷ κοινῷ καὶ σκοποῦσι καὶ πράττουσι, neque in gratiam neque odio cujusquam facere,
ſed ex recta mente communem utilitatem intueri atque procurare. Juſtinianus novella ſua conſtitutione, *Nov.* 9. περὶ τοῦ τοὺς ἄρχοντας χωρὶς τῆς
οἱασοῦν δόσεως γίγνεσθαι, quale quibúsve de rebus ſe
præfectóve prætorii præbente jusjurandum præstari velit à magiſtratibus, luculenter expreſſit.
Ac primùm quidem, ut quatuor ſacratiſſimis Evangeliis corporaliter tactis (ita Juſtinianus alibi
loquitur) id eſt ea præ manibus habentes ſervitutem Imperatori & Auguſtæ voveant ſolemniter, ac promittant: ſéque in eo magiſtratu fun-
C gendo laborem omnem pro imperio eorum &
Republica, ſine dolo malo, ſine fraude lubenter & ex animo ſuscepturos; ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ſe eſſe participes,
ei nec unquam nec ulla ratione reſtituros eſſe in
poſterum, paſſurósve (quantum quidem in ipſis
erit) ut quis eam oppugnet. Nullam ſe pecuniam vel præſtitiſſe cuiquam vel promiſiſſe, nec
ſuffragii quidem prætextu: Annonis ex publico
magiſtratui conſtitutis contentos fore, fiscalibus
& item criminalibus negotiis diligentem operam
inſumpturos eſſe: Æquos in judiciis fore, ac
(ſecundum id quod ipſis juſtum eſſe videbitur)
D æquabilitatem omnem in publicis & privatis contractibus obſervaturos eſſe: daturósque operam
ut & aſſeſſor, & reliqui comites ſui puriter ac
incorruptè degant, nihil furentur, nullum facinus admittant, nulla in re peccent: ſi quem eorum ſecus ſe gerentem ipſi magiſtratus deprehenderint, rem reſtituturos, damnúmque reſarcituros: illúmque qui vetitum quidpiam admiſerit,
ab ſe amandaturos, & quamprimùm expulſuros
eſſe. Adjicit ad extremum Juſtinianus, ex ſolemni ſacramentorum more diras & imprecationes, quibus ſe devoveant magiſtratus, qui ea
E quæ ſuperius expoſuimus, non obſervaverint:
εἰ δὲ μὴ ταῦτα (inquit) πάντα οὕτως φυλάξω, ἀπολάβω ἐνταῦθα καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐν τῇ φοβερᾷ
κρίσει τοῦ μεγάλου δεσπότου θεοῦ τε καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἔχω τὴν μερίδα τοῦ Ἰούδα, καὶ τὴν λέπραν τοῦ
Γιεζί, καὶ τὸν τρόμον τοῦ Κάϊν, πρὸς τὸ καὶ ταῖς ποιναῖς τῷ
νόμῳ τῆς αὐτῶν εὐσεβείας περιεχομέναις ὑπεύθυνος
εἶναι: quæ ſunt horrendæ adeò atque horribiles
(meo quidem judicio) ut neminem eas lecturum eſſe, quin & animo & corpore totus cohorreſcat, putem. Ejus autem formulæ veteris
locum occuparunt paganæ quidem, ac multo
mitioris & humanioris (ut videtur) quæ ſic habet, Si ſciens fallo, tum me Diespiter ſalva ur-
F béque arcéque bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem. Quod verò novam à Juſtiniano conceptam & introductam horribilem eſſe diximus, ne
quis cum aliqua ipſius manium contumelia literis
mandaſſe me arguat: adſcribam ejusdem Imperatoris hac de re teſtimonium, quod proditum
eſt, Nov. 102. περὶ τοῦ μοδεράτωρος Ἀραβίας, ubi quæ circa magiſtratus conſtituerit, refert, καὶ πρὸ πάντων ἀπηγόρευται τὸ τοῖς ὑπηκόοις λυμαίνεσθαι

νεσθαι καὶ χερσὶ πολλαῖς καθ' αὐτῶν χρῆσθαι· ὅρκοις τε τὸ πρᾶγμα κατησφαλίσμεθα τοῖς πάντων φοβερωτάτοις, καὶ οὐκ ἄλλως αὐτοῖς παραδίδομεν τὰς ἀρχὰς, εἰ μὴ τοὺς ὅρκους ὑποσάντες οὕτω τῶν συμβόλων ἀξιωθεῖεν τῆς ἀρχῆς. De hoc jurejurando magiſtratuum in eandem ſententiam idem Imperator loquitur in Novellis ſuis conſtitutionibus, *Nov. 29. de prætore Paphlagoniæ. Nov. 102. de moderatore Arabiæ, Nov. 25. de prætore Lycaoniæ, & Nov. 26. de prætore Thraciæ.* Magiſtratus etiam Athenienſes quotannis jurejurando ſe aliquo adſtringebant. Nam novem quidem ἄρχοντες, ſive magiſtratus (hi autem erant Eponymus, Rex, Polemarchus, & ſex Theſmothetæ) jurabant ſe legum præcepta ſervaturos, nulla verò munera accepturos: ſi ſecus facerent, ſtatuam auream pœnæ nomine Delphis erecturos eſſe. Sic enim Julius Pollux, *lib.* 8. ἐπηρώτα δὲ ἡ βουλὴ, ὤμνυον δ' οὗτοι πρὸς τῷ βασιλείῳ σοᾷ, ἢ ἐσὶ τοῦ λίθου, ἐφ' ᾧ τε συμφυλάξειν τοὺς νόμους, καὶ μὴ δωροδοκήσειν, ἢ χρυσοῦν ἀνδριάντα ἀποτίσαι. εἶτα ἐντεῦθεν εἰς ἀκρόπολιν ἀνελθόντες ὤμνυον ταῦτα. Hujus etiam rei meminit Heraclides, *in libro* περὶ πολιτειῶν, *ubi de Athenienſium rep.* & Plutarchus, *in Solonis vita*, in illo loco, κοινὸν μὲν οὖν ὤμνυεν ὅρκον ἡ βουλὴ τοὺς Σόλωνος νόμους ἐμπεδώσειν, ἴδιον δ' ἕκαστος τῶν θεσμοθετῶν ἐν ἀγορᾷ πρὸς τῷ λίθῳ καταφατίζων, εἴ τι παραβαίνη τῶν θεσμῶν, ἀνδριάντα χρυσοῦν ἰσομέτρητον ἀναθήσειν ἐν Δελφοῖς. Præterea duo erant Senatus Athenis, unus Areopagitarum, alter quingentorum: qui ab initio (id eſt Solonis temporibus) erant quadringenti, poſtea quingenti, poſtremò autem additis duabus Demetriade atque Antigonide tribubus ad reliquas quarum judicio hic Senatus conſtituebatur, cœperunt eſſe ἑξακόσιοι, id eſt ſexcenti. Qua de re Plutarchus in Solone & Demetrio videatur. Ille plerunque de cæde, hic de publicis negotiis tractabat: hic annuus erat, ille perpetuus: certus horum, illorum incertus erat numerus. Hinc βουλευτικὸς ὅρκος, jusjurandum Senatorium. Fuit & aliud, quod & Heliaſticum nominabatur. De illo prius, de hoc poſterius: De utroque breviter agetur. In illo hæc erant, κατὰ τοὺς νόμους βουλεύσειν, ut Xenophon auctor eſt, *lib.* 1. ἀπομνημονευμάτων. Item καὶ οὐ δέξομαι ἔνδειξιν, οὐδὲ ἀπαγωγὴν ἕνεκα τῶν προτέρων γεγενημένων, πλὴν τῶν φευγόντων, ut eſt apud Andocidem, *in orat.* περὶ τῶν μυστηρίων: ubi tamen legendum τῶν πρότερον, ut οἱ πρότερον γεγενημένοι, qui fuerant ante Euclidem, intelligantur, ídque ea quæ præcedunt, manifeſtum (ut puto) faciunt. Præterea οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων μηδένα: Qua de re videatur Demoſthenes κατὰ Τιμοκράτους. Andocides autem pleniùs extulit in oratione, *ſub initium*, adverſus Alcibiadem, cùm ait: ἄξιον δὲ μέμψασθαι τὸν θέντα τὸν νόμον, ὃς ἐναντία τῷ ὅρκῳ τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ἐνομοθέτησεν. ἐκεῖ γὰρ ὄμνυτε μηδένα μήτε ἐξελᾶν, μήτε δήσειν, μήτε ἀποκτείνειν ἄκριτον, ubi ἀποκτενεῖν reponendum puto. Fuerunt & alia quæpiam in hoc jurejurando: ut ex Lyſiæ oratione collegimus, quæ κατὰ Φίλωνος δοκιμασία inſcribitur. Sic enim ſtatim in ipſo initio, ᾤμην μὲν ὦ βουλὴ, &c. ἐγὼ δὲ ὀμόσας εἰσῆλθον εἰς τὸ δικαστήριον, τὰ βέλτιστα συμβουλεύειν τῇ πόλει· ἔνεστι δὲ ἐν τῷ ὅρκῳ ἀποφαίνειν, εἴτις τινὰ οἶδε τῶν λαχόντων ἀνεπιτήδειον ὄντα βουλεύειν, &c. Et ſub finem, ἔτι δὲ ἐνθυμήθητε ποίων ἂν ὑμῖν δοκῇ οὗτος ὅρκων φροντίσαι ὃς ἔργῳ τοὺς πατρῴους θεοὺς προὔδωκεν ἢ πῶς ἂν χρηστόν τι βουλεῦσαι περὶ τῆς πολιτείας, ὃς οὐδὲ ἐλευθερῶσαι τὴν πατρίδα ἐβουλήθη· ἢ ποῖα ἂν ἀπόρρητα τηρῆσαι, ὃς οὐδὲ τὰ προειρημένα ποιῆσαι ἠξίωσε. Ex quibus omnibus intelligi & exponi debet illud Demoſthenis contra Neæram, προεληλυθότος δὲ χρόνου λαγχάνει βουλεύειν Ἀπολλόδωρος δοκιμασθεὶς δὲ καὶ ὀμό-

A σας τὸν νόμιμον ὅρκον. Nam νομίμου ὅρκου appellatione τὸν βουλευτικὸν intelligit, de quo diximus. Heliaſticum verò jusjurandum à Demoſthene profertur in oratione κατὰ Τιμοκράτους, ſic dictum ab judicibus qui Heliaſtæ, vel ἀπὸ τοῦ ἁλίζεσθαι, quòd in unum locum ſimul convenirent: vel ἀπὸ τοῦ ἡλίου, quòd ſub dio judicarent, nominati ſunt, ut Ulpianus Demoſthenis interpres notat, *in orationem* κατὰ Τιμοκράτους. Ejus erant capita complura: in quibus hæc præcipua. Primùm ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων, καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων. Æſchines adverſus Cteſiphontem, *ſub initium ejus orationis*,

B ὁ νομοθέτης τοῦτο πρῶτον ἔταξεν ἐν τῷ δικαστῶν ὅρκῳ, ψηφιοῦμαι κατὰ τοὺς νόμους, ἐκεῖνό γε εὖ εἰδὼς, ὅτι ὅταν διατηρηθῶσιν οἱ νόμοι τῇ πόλει, σώζεται καὶ ἡ δημοκρατία. Deinarchus adverſus Demoſthenem, ἐπειδὴ δ' εἰς τὰς ἡμετέρας ἥκει χεῖρας τοὺς ὑπὲρ τοῦ δήμου συνειλεγμένους καὶ τοὺς ὀμωμοκότας (ubi malo ὑμετέρας ἥκει χεῖρας τῶν ὑπὲρ τοῦ δήμου συνειλεγμένων καὶ τῶν ὀμωμοκότων) πείθεσθαι τοῖς νόμοις καὶ τοῖς τοῦ δήμου ψηφίσμασι, τί ποιήσετε; Antiphon de Herodis cæde, ταῦτα γὰρ ἐμέ τε σώζει, καὶ ὑμῖν νόμιμα καὶ εὔορκα γίγνεται. κατὰ γὰρ τοὺς νόμους ὠμόσατε δικάσειν. Andocides adverſus Alcibiadem, ὑμῶν ὀμωμοκότων χρῆσθαι τοῖς νόμοις. Demoſthenes de Corona, καὶ

C νόμους τοὺς μὲν μεταποιῶν, τῶν δ' ἀφαιρῶν μέρη, οὓς ὅλους δίκαιον ἦν ἀναγινώσκεσθαι, τοῖς δὲ ὀμωμοκόσι κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι. Item de falſa legatione, ὀμωμόκατε ψηφιεῖσθαι κατὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ ψηφίσματα τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς τῶν πεντακοσίων. Et adverſus Meidiam, τοὺς νόμους ἤδη δεῖ σκοπεῖν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ κατὰ γὰρ τούτους δικάσειν ὀμωμόκατε, &c. Et poſtea, καὶ γὰρ ὀμωμόκατε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς νόμοις πείθεσθαι, καὶ τῶν ἴσων μέτεστιν ὑμῖν διὰ τοὺς νόμους, καὶ πάνθ' ὅσα ἐστὶν ἀγαθὰ ὑμῖν, διὰ τοὺς νόμους ἐστὶν, οὐ διὰ Μειδίαν, οὐδὲ διὰ τοὺς Μειδίου παῖδας. & contra Theocrinen, καί τοι γε τὰς τοιαύτας ἀπολογίας οὐ δίκαιόν ἐστι προφέρειν τοῖς κατὰ τοὺς νόμους ὀμωμοκόσι

D δικάσειν. Facit & illud πρὸς Φορμίωνα ὑπὲρ δανείου apud eundem authorem: πάθοιμι μὲν τὰν δεινότατα, εἰ οἱ μὲν νόμοι τῶν Ἀθήνησι συμβολαίων κελεύουσι τὰς δίκας εἶναι πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, ὑμεῖς δ' ἀπογνοίητε τῆς δίκης ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι. Ad hanc denique jurisjurandi hujus particulam, illud ejusdem Demoſthenis referendum cenſeo, cùm ait: χρὴ δὲ ὅταν μὲν τιθῆσθε τοὺς νόμους, ὁποῖοί τινές εἰσι, σκοπεῖν· ἐπειδὰν δὲ θῆσθε, φυλάττειν καὶ χρῆσθαι. καὶ γὰρ εὔορκα ταῦθ' ὑμῖν ἐστι καὶ ἄλλως δίκαια. Et hos quidem locos omnes adduximus, ut intelligeretur quæ vis eſſet hujus in leges jurisjurandi Heliaſtici ſive judicialis: quod Juſtinianus à defen-

E ſoribus civitatum præberi Novella ſua, *Nov.* 15. περὶ τῶν ἐκδίκων, (in qua ſic eſt, ὅρκον δὲ παρέχοντα, ὡς ἅπαντα πρὸς τὸν νόμον καὶ τὸ δίκαιον πράξει κοινῇ) conſtitutione cavit. Et in Gallia noſtra hodiéque à Senatoribus judicibúsque omnibus ordinariis, majoribus & minoribus, in ipſo magiſtratus ingreſſu præſtari ſolet: Leges videlicet, atque conſtitutiones ſive ordinationes: edictáque Principum à ſe obſervatum iri: ſed hoc non priùs exigitur, quàm illud alterum fuerit præſtitum, ſuffragii nomine ad magiſtratum adipiſcendum, nihil cuiquam donatum directò aut per interpo-

F ſitam perſonam, nihil etiam promiſſum eſſe. Quod equidem ex vetuſta Theodoſii ac Valentiniani Conſtitutione, *l. ult. C. ad l. Jul. repetund.* tranſlatitium eſſe, in memoriam nunc primùm revoco. Alia etiam ejusdem jurisjurandi capita, in illud quod à judicibus & magiſtratum aliquem ineuntibus exigitur, complura tranſlata eſſe memini: quale hoc eſt de non accipiendis muneribus. Sic enim apud Demoſthenem, κατὰ Τιμοκράτους, in Heliaſtico jurejurando legitur, οὐδὲ δῶρα δέξομαι τῆς

ἡλιά-

ἡλιάσεως ἕνεκα οὔτ' αὐτὸς ἐγὼ οὔτ' ἄλλος ἐμοὶ, οὔτ' ἄλλοι εἰδότος ἐμοῦ, οὐ τέχνῃ, οὔτε μηχανῇ, οὐδεμιᾷ. Judicii causa neque ipse dona munerάve ulla accipiam, neque in meam rem alius, sed neque ullum arte fraudéve aliqua quidquam accipere patiar sciens dolo malo. Quorum verborum sententia jurejurando quod paulò antè ex Justiniani ipsius constitutione retulimus, omnino continetur: eóque referendum est, quod idem Imperator sæpissimè in Novellis suis à magistratibus ut observetur præcipit: δεῖ τοίνυν σε καθαρῶς παραλαμβάνοντα τὴν ἀρχὴν καὶ δόσεως ἁπάσης χωρὶς πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων καθαρὰς φυλάττειν Θεῷ τε καὶ ὑμῖν καὶ τῷ νόμῳ τὰς χεῖρας, καὶ μηδενὸς ἅπτεσθαι κέρδους, μή τε μείζονος, μή τε ἐλάττονος, μηδὲ σεσοφισμένην τινὰ ποιεῖσθαι κατὰ τῶν ὑπηκόων ἐμπορίαν. Vult eos puras & integras manus Deo, Imperatori, & legi servare: & ut est in Nov. 25. *de prætore Lycaoniæ*, χειρῶν κρατεῖν, ut est in Nov. 24. ἀδωρότατον μένειν, nulli neque magno neque parvo lucro studere, subdolam nullam in subditorum injuriam ac detrimentum facere mercaturam, qua de re agitur in Nov. 8. *ut judices sine quoquo suffragio fiant*, 17. *de mandatis principum*, 24. *de prætore Pisidiæ*. 25. *de prætore Lycaoniæ*, & 26. *de prætore Thraciæ*. Si secus fecerint Judices, atque aliquid acceperint contra fas: ob causas quidem pecuniarias triplum datæ, duplum promissæ pecuniæ comitem privatorum ab ipsis exigere, illos autem dignitate ac potestate sua privari. Ex causis verò criminalibus si quid acceperint, ipsos deportari, eorúmque bona omnia publicari: atque hæc est sententia Novellæ 124. περὶ τῶν δικαζομένων. Illud quoque, quod Heliastico jurejurando continetur de accusatore ac reo pariter audiendis in hæc verba, καὶ ἀκροάσομαι τοῦ τε κατηγόρου καὶ τοῦ ἀπολογουμένου ὁμοίως ἀμφοῖν: Justinianus illo suo, quod superiùs Latinum fecimus, comprehendit. Huc verò pertinet, quod idem Justinianus, Nov. 25. *de prætore Lycaoniæ*, ait, Lege sua caveri ut magistratus servato legum præscripto judicent, subditísque id quod æquum justúmque est tribuant: κατὰ τοὺς ἡμετέρους νόμους δικάσειν τε καὶ νέμειν τοῖς ὑπηκόοις ἰσότητά τε καὶ δικαιοσύνην: & Nov. 26. *de prætore Thraciæ*, καὶ φυλάττειν τοὺς ὑμετέρους ὑπηκόους ἐν ἰσότητι τε καὶ δικαιοσύνῃ, πάσης ἀπηλλαγμένους αἰσχροκερδείας τε καὶ δυσμενείας καὶ χάριτος. In eandem sententiam scribit Imperator idem Nov. 29. *de prætore Paphlagoniæ*. & 69. *ut omnes obediant magistratibus provinc.* Hoc verò jurisjurandi caput ex antiquis legibus Atheniensium à Solone latis desumptum est. Nam id ipsum quod modò exposuimus, quotannis jurare Judices Athenienses consueverant, ut ex eorum quæ subscribam lectione cuilibet patebit. Isocrates περὶ τῆς ἀντιδόσεως sic scribit: καὶ γὰρ αἰσχρὸν, &c. καὶ παρ' ἑτέροις μὲν ἐπειδὰν περὶ ψυχῆς ἀνθρώπου δικάζωσι, μέρος τῶν ψήφων ὑποβάλλεσθαι τοῖς φεύγουσι παρ' ἡμῖν δὲ, μηδὲ τῶν ἴσων τυγχάνειν τοὺς κινδυνεύοντας τοῖς συκοφαντοῦσιν. ἀλλ' ὀμνύναι μὲν καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν ἦ μὴν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι τῶν κατηγορούντων καὶ τῶν ἀπολογουμένων, τοσοῦτον δὲ τὸ μεταξὺ ποιεῖν, ὥστε τῶν μὲν αἰτιωμένων ὅτι ἂν λέγωσιν ἀποδέχεσθαι, τῶν δὲ τούτους ἐξελέγχειν πειρωμένων, ἐνίοτε μηδὲ τὴν φωνὴν ἀκούοντας ἀνέχεσθαι, &c. Demosthenes de corona statim in ipso initio petere se à Diis Deabúsque omnibus ὅπερ ἐστὶ μάλιστα ὑπὲρ ὑμῶν, ait alloquens Judices, καὶ τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας τε καὶ δόξης (ubi εὐσεβείας nomine εὐορκίαν intelligit) τοῦτο παραστῆσαι τοὺς θεοὺς ὑμῖν μὴ τὸν ἀντίδικον σύμβουλον ποιήσασθαι περὶ τοῦ πῶς ἀκούειν ὑμᾶς ἐμοῦ δεῖ· σχέτλιον γὰρ ἂν εἴη τοῦτόγε. ἀλλὰ τοὺς νόμους καὶ τὸν ὅρκον ἐν ᾧ πρὸς ἅπασι τοῖς ἄλλοις δικαίοις καὶ τοῦτο γέγραπται, τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Hoc autem his verbis explicat, τοῦτο δ' ἐστὶν οὐ μόνον τὸ μὴ προκατεγνωκέναι μηδὲν, οὐδὲ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην ἀμφοτέροις ἀποδοῦναι, ἀλλὰ καὶ τὸ τῇ τάξει, καὶ τῇ ἀπολογίᾳ ὡς βεβούληται καὶ προῄρηται τῶν ἀγωνιζομένων ἕκαστος, οὕτως ἐᾶσαι χρήσασθαι. Æschines adversus Demosthenem de falsa legatione, *in principio orationis* περὶ παραπρεσβείας. ubi de Demosthene loquitur, ὃς ἐτόλμησε παρακελεύσασθαι, inquit, πρὸς ἄνδρας ὀμωμοκότας τῶν ἀντιδίκων ὁμοίως ἀμφοτέρων ἀκούσεσθαι τὴν τοῦ κινδυνεύοντος φωνὴν μὴ ὑπομένειν. Ad hanc jurisjurandi partem respexere iidem oratores aliis locis, ac Demosthenes quidem cùm ait, ἐν τῷ πρὸς Ἄφοβον ψευδομαρτυριῶν *statim in principio*. δέομαι δ' ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, δικαίαν δέησιν ἐξ ἴσου ἡμῶν ἀμφοτέρων ἀκοῦσαι. Æschines autem, περὶ παραπρεσβείας. quo loco rogat Judices δηλοῦν ὃ ἂν ποθῆτέ μου, inquit, ἀκοῦσαι μηθὲν προκατεγνωκότες ὡς ἀδικῶ, ἀλλ' ἴσῃ τῇ εὐνοίᾳ ἀκούοντες. Nam quod diximus ὁμοίως in ipsa jurisjurandi formula, ille ἴσῃ τῇ εὐνοίᾳ interpretatur. Lucianus autem περὶ τοῦ μὴ ῥαδίως πιστεύειν διαβολῇ. utrumque expressit his verbis: ἐσχάτης ἀδικίας τὸ τοιοῦτον, ὡς φαῖεν ἂν καὶ οἱ ἄριστοι τῶν νομοθετῶν, οἷον ὁ Σόλων καὶ ὁ Δράκων, ἔνορκον ποιησάμενοι τοῖς δικασταῖς, τὸ ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι, καὶ τὸ τὴν εὔνοιαν ἴσην τοῖς κρινομένοις ἀπονέμειν, ἄχρις ἂν ὁ τοῦ δευτέρου λόγος παρατεθεὶς θατέρου χείρων ἢ ἀμείνων φανῇ. Illud quoque Aristidis ad Capitonem *lib.* 3. περὶ ῥητορικῆς, huc pertinet (opinor) ἀλλ' ἔδει δέχεσθαι, ait, τὴν πρόκλησιν. αὐτὴ δέ τις ἦν, τολμᾶν ἀκροᾶσθαι ὥσπερ ἐν δικαστηρίῳ ἴσους καὶ κοινοὺς ἀμφοῖν: ubi necessariò legendum est ἴσως καὶ κοινῶς ἀμφοῖν, ut significet ὁμοίως καὶ ἴσῃ τῇ εὐνοίᾳ. Hoc autem est παρασχεῖν ἑαυτὸν ἴσον καὶ κοινὸν ἀμφοτέροις ἀκροατὴν, ut ipse Demosthenes περὶ τοῦ στεφάνου. loquitur. Erant & in Heliastico jurejurando alia quædam, ut, τύραννον οὐ ψηφιοῦμαι εἶναι, &c. οὐδὲ τῶν χρεῶν τῶν ἰδίων ἀποκοπὰς, &c. Item περὶ ἀρχῶν nonnulla. Illud etiam de ætate, καὶ γέγονα οὐκ ἔλαττον ἢ τριάκοντα ἔτη, quod non est à Polluce omissum. Sic enim scribit, *lib.* 8. ἐδίκαζον δὲ οἱ ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη ἐκ τῶν ἐπιτίμων, καὶ μὴ ὀφειλόντων τῷ δημοσίῳ. Est & illud in jurejurando quo de agimus, καὶ διαψηφιοῦμαι περὶ αὐτοῦ οὗ ἂν ᾖ δίωξις. Quæ omnia extant apud Demosthenem in oratione κατὰ Τιμοκράτους, nec tamen integrum Heliasticum jusjurandum (nisi fallor) constituunt. Illa namque pars omissa est, in qua sanctè affirmabant, γνώμῃ δικαιοτάτῃ δικάσειν, id est animo religiosissimo se judicaturos. Nam qua de re scripta lex esset, hanc se in judicando secuturos, quod verò nominatim lege aut psephismate sive decreto comprehensum non esset, in eo se ex animi sententia bonáque fide quod esset justissimum ac æquissimum judicaturos pronuntiabant, quod nos hodiéque observare in judiciis convenit. Rectè igitur Julius Pollux ad Commodum Imperatorem lib. 8. *in cap.* περὶ τῶν ἐν Ἀθήνησι δικαστηρίων. ὁ δὲ ὅρκος ἦν τῶν δικαστῶν, inquit, περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσὶ κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι. περὶ δὲ ὧν μὴ εἰσὶ, συγγνώμῃ τῇ δικαιοτάτῳ: ubi obiter moneo legendum σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, vel potius illud συν delendum, ut pote desumptum ex vicini verbi ultima syllaba. Nam συγγνώμη veniam significat: & veniam dare non est justorum, sed misericordium judicum. Quod Pollux ait, id ex Demosthene sumpsisse videtur: cujus hæc verba sunt ex oratione adversus Leptinem, χρὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, κἀκεῖνο ἐνθυμεῖσθαι καὶ ὁρᾶν, ὅτι νῦν ὀμωμοκότες κατὰ τοὺς νόμους δικάσειν ἥκετε, οὐχὶ τοὺς Λακεδαιμονίων, οὐδὲ τοὺς Θηβαίων, οὐδ' οἷς ποτε ἐχρήσαντο οἱ πρῶτοι τῶν προγόνων, ἀλλὰ καθ' οὓς ἔλαβον τὰς ἀτελείας, οὓς ἀφαιρεῖται νῦν οὗτος τῷ νόμῳ,

μῳ, καὶ περὶ ὧν ἂν νόμοι μὴ ὦσι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ κρίνειν καλῶς τὸ τοίνυν τῆς γνώμης πρὸς ἅπαντα ἀπενέγκατε τὸν νόμον, &c. Idem Demoſthenes πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος, ad finem ejus orationis, ἀλλὰ μὴν ὧν γ' ἂν μὴ ὦσι νόμοι, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκατε. Jusjurandum hoc erat ex legum præſcripto, quæ definiunt quod poſſunt, reliquum judicio ſententiæ mentíque magiſtratuum incorruptæ ac ſinceræ permittunt: ut ſcribit Ariſtoteles *lib.* 3. *politicῶn.* in hæc verba, ἀλλὰ μὴν ὅσα γε μὴ δοκεῖ δύνασθαι διορίζειν ὁ νόμος, οὐδ' ἄνθρωπος ἂν δύναιτο γνωρίζειν, ἀλλ' ἐπιτηδὲς παιδεύσας ὁ νόμος ἐφίστησι τὰ λοιπὰ τῇ δικαιοτάτῃ γνώμῃ κρίνειν, καὶ διοικεῖν τοὺς ἄρχοντας. ἔτι δ' ἐπανορθοῦσθαι δίδωσιν, ὅτι ἂν δόξῃ πειρωμένοις ἄμεινον εἶναι τῶν κειμένων, &c. nec dubito equidem, quin idem Philoſophus eò aſpexerit, *extremo lib.* 2. *Rhetor. ubi de judice.* ubi non ex neceſſariis tantùm, ſed ex probabilibus etiam argumentis atque indiciis proferendam eſſe à judice ſententiam aſſerit: οὐ γὰρ (ait) ἐκ τῶν ἀναγκαίων δεῖ αὐτὸν μόνον κρίνειν, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν εἰκότων. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν. Non modo autem γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ ſe judicaturos profitebantur: ſed & hoc addebant (ut opinor) neque gratiæ amicitiæve, nec odii aut inimicitiæ cauſa (quod Cenſorum quoque apud Romanos, ut ſuprà oſtendimus, jusjurandum fuit) ſententiam laturos eſſe. Hinc illud apud ipſum Demoſthenem ἐν τῇ ἐφέσει πρὸς Εὐβουλίδην, legitur, ἔκ τε γὰρ τοῦ ὅρκου ἐξήλειφαν τὸ ψηφιεῖσθαι γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, καὶ οὔτε χάριτος ἕνεκα, οὔτε ἔχθρας. Quæ omnia diſertiſſimus idem orator contra Ariſtocratem extulit in illo loco, οὐκ ἄρα εὐορκοῦσιν οἱ δικάσαντες αὐτῷ; καὶ πῶς, ἐγὼ διδάξω, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκασιν, ἡ δὲ τῆς γνώμης δόξα ἀφ' ὧν ἂν ἀκούσωσι, πρόσεισι, ὅτε τοίνυν κατὰ ταύτην ἔθεντο τὴν ψῆφον, εὐσεβοῦσι. πᾶς γὰρ ὁ μήτε δι' ἔχθραν, μήτε δι' εὔνοιαν, μήτε δι' ἄλλην ἄδικον πρόφασιν μηδεμίαν παρ' ἃ γιγνώσκει θέμενος τὴν ψῆφον, εὐσεβεῖ· εἰ γὰρ ἠγνόησέ τι διδασκόμενος, τοῦ μὴ συνεῖναι δίκην οὐκ ὀφείλει δοῦναι. ἀλλ' εἴτις εἰδὼς ἐκεῖνο προὔδωκεν ἢ ἐξαπατᾷ, ἔνοχος οὗτος ἐστὶ τῇ ἀρᾷ, &c. Bene verò Demoſthenes τὴν τῆς γνώμης δόξαν, ἀφ' ὧν ἂν ἀκούσωσι, παρίστασθαι ait. Nam ſanè qui non ex ipſis cauſis judicant, ſed ad cauſas judicia jam facta domo deferunt, non modò auctoritatem, ſed etiam nomen judicum amittunt, ut Cicero *pro Cluentio* ſcribit. At quod Heliaſtæ apud Athenienſes in jurejurando pronunciabant, οὔτε χάριτος ἕνεκα, οὔτε ἔχθρας: id non modò à Cenſſ. apud Romanos, ſed etiam à Judicibus præſertim rerum criminalium ſanctè affirmatum, legimus *controv.* 26. *lib.* 5. apud Senecam: Apud quem Votienus, Montanus, damnaturi (inquit) jurant ſe nihil gratiæ, nihil precibus dare. Poſtulo, ut in hanc legem jures. Quò verba illa Juſtiniani pertinent, *ex Nov.* 26. quæ paulò antè poſuimus: πάσης ἀπηλλαγμένους αἰσχροκερδείας τε καὶ δυσμενείας καὶ χάριτος. Itémque illa Leonis ejusdem Philoſophi, & Imperatoris, *Nov.* 97. qui (poſtquam docuit divinæ legis præſcripto, quo jusjurandum diſtrictè prohibetur, non adverſari Civile jus, quo Magiſtratus & Judices in adminiſtrationis aut cognitionis judiciíque ingreſſu jurare jubentur: Imò verò ſi quis non verba utriusque aucupetur, ſed mentem, finémque ac propoſitum introſpiciat, invicem utrumque congruere: propterea quod utroque mendacium, ídque quod à vero aberrat, excludatur) ſubjicit ſtatim, ſe quoque cum aliis ſancire atque conſtituere, ut à Magiſtratibus ac Judicibus in adminiſtrationis aut judicii initio jurent, ſe veritatem mendacio prælaturos, nec ullatenus à recta via ad obliquam fraudis ac deceptionis ſemitam declinaturos: τούς τε καθισαμένους (ait) εἰς ἀρχῆς προβολὴν καὶ εἰς κρίσιν ἀμφισβητουμένου πράγματος εἰσιόντας δι' ὅρκων πιστοῦσθαι ὡς τὸ ἀληθὲς πρὸ τοῦ ψεύδους τιμήσουσι, καὶ οὐδαμῶς τῆς εὐθείας ἐκτραπέντες ἐπὶ τὴν σκολιὰν τῆς ἀπάτης τρίβον χωρήσουσιν. Quibus verbis illa omnino veterum γνώμῃ δικαιοτάτῃ, καὶ οὔτε χάριτος, οὔτε ἔχθρας, comprehenſa intelligimus: & illa Demoſthenis explicari, quæ modò retulimus ex oratione adverſus Ariſtocratem: ἀλλ' εἴ τις εἰδὼς ἐκεῖνο προὔδωκεν, ἢ ἐξαπατᾷ, ἔνοχος οὗτος ἐστὶ τῇ ἀρᾷ, &c. Illud non omittam Ægyptiorum reges olim adegiſſe jurejurando judices ſuos, ut & ſi quid ipſi contrà præciperent, illi tamen id quod juſtum videretur, pronuntiarent. Id enim Plutarchus his verbis retulit in *apophthegmat.* οἱ Αἰγυπτίων βασιλεῖς κατὰ νόμον ἑαυτῶν τοὺς δικαστὰς ἐξώρκιζον, ὅτι κἂν βασιλεύς τι προστάξῃ κρῖναι τῶν μὴ δικαίων, οὐ κρινοῦσι. Sic enim legendum eſt pro οὐ κρίνουσι. Cæterùm ut apud Romanos ſacramentis omnibus illa *ſi ſciens fallo*, & jurijurando magiſtratuum illa quam diximus ex Juſtiniani conſtitutione; ſic Heliaſtico huic jurijurando imprecatio & execratio quædam quaſi legi ſanctio addebatur, quam Demoſthenes literis conſignavit adverſus Timocratem in illo loco; ἐπόμνυμι Δία, Ποσειδῶνα, Δήμητρα, καὶ ἐπαρᾶσθαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ καὶ οἰκίᾳ τῇ ἑαυτοῦ, εἴ τι τούτων παραβαίνοιμι· εὐορκοῦντι δὲ καλὰ κἀγαθὰ εἶναι: quanquam apud Julium Pollucem, *lib.* 8. ubi hac de re, non legitur Neptuni nomen, ſed Apollinis. Sic enim ſcribit: ὤμνυον δὲ ἐν ἀρδήττῳ δικαστηρίῳ Ἀπόλλω πατρῷον, καὶ Δήμητραν, καὶ Δία βασιλέα. At profectò qui Dii nominarentur, haud multùm intereſt. Erat quidem certè illa vulgaris ſacramentorum clauſula apud Athenienſes: quamobrem Andocides in oratione περὶ τῶν μυστηρίων ſic ait, ταῦτα δὲ ὠμόσατε Ἀθηναῖοι πάντες καθ' ἱερῶν τελείων τὸν νόμιμον πρὸ ὅρκον διονυσίων, καὶ ἐπεύχεσθαι εὐορκοῦντι μὲν εἶναι πολλὰ καὶ ἀγαθά, ἐπιορκοῦντι δὲ ἐξώλη αὐτὸν εἶναι καὶ γένος. Apud Demoſthenem verò κατὰ Κόνωνος αἰκίας, *ad finem.* paulò aliter legitur, ſed eodem ſenſu, καὶ εἰ μὲν εὐορκῶ, πολλά μοι ἀγαθὰ γένοιτο, καὶ μηδὲ ποτ' αὖθις τοιοῦτο μηδὲν πάθοιμι. εἰ δ' ἐπιορκῶ, ἐξώλης ἀπολλοίμην αὐτός γε, καὶ εἴ τι μοι ἐστὶν ἢ μέλλει ἔσεσθαι. Itaque ὅρκοις ἀραὶ junguntur frequenter apud auctores, ut apud Æſchinem adverſus Cteſiphontem (ubi de Amphictyonum jurejurando, quod auctore Solone conceptum eſt) καὶ οὐκ ἀπέχρησεν αὐτοῖς τοῦτον μόνον τὸν ὅρκον ὀμόσαι, ἀλλὰ καὶ προστροπὴν καὶ ἀρὰν ἰσχυρὰν ὑπὲρ τούτων ἐποιήσαντο. γέγραπται γὰρ οὕτως ἐν τῇ ἀρᾷ, &c. Et paulò poſt, ταύτης, inquit, τῆς ἀρᾶς καὶ τῶν ὅρκων, καὶ τῆς μαντείας γενομένης, &c. Item apud eundem de falſa legatione, apud Andocidem περὶ τῶν μυστηρίων in illo loco, καὶ ὑμᾶς ἀναμιμνήσκω τὰ γεγενημένα, οἵ τινες ὅρκους μεγάλους ὀμόσαντες οἴσετε τὴν ψῆφον περὶ ἐμοῦ, καὶ ἀρασάμενοι τὰς μεγίστας ἀρὰς ὑμῖν τε αὐτοῖς καὶ πᾶσι τοῖς ὑμετέροις αὐτῶν, εἰ μὴ ψηφιεῖσθε περὶ ἐμοῦ τὰ δίκαια, &c. Et Demoſth. ob id ipſum τὴν ἀρὰν, καὶ τὴν ἐπιορκίαν conjunxit in oratione περὶ παραπρεσβείας. Non modò autem οἱ βουλευταὶ vel ἡλιασταὶ, ſed etiam οἱ διαιτηταὶ (id eſt judices, qui per ſingulas tribus creabantur numero quatuor & quadraginta, ætate verò annorum ſexaginta, ut Ulpianus Demoſth. interpres κατὰ Μειδίου, & Jul. Pollux

tror)

lib. 8. notat) jurejurando ſe illo ipſo (ut arbitror) alligabant. Sic accipiendum puto quod Demoſthenes πρὸς Κάλλιππον ſcribit, ὄντος ἢ τοῦ τὸν τοὺς νόμους ἀπενηνεγμένον διαιτητὴν ἔπεισεν ἀνώμοτον διαιτῆσαι, ἐμοῦ διαμαρτυρομένου κατὰ τοὺς νόμους ὀμόσαντα διαιτᾶν. Judices quidem apud Romanos in ſingulis cauſis ac litibus jurabant tam civilibus quam criminalibus, ut ex ſubjectis locis manifeſtum fiet. Cicero in Academicis quæſt. *lib.* 4. Eam in cognitionibus modeſtiam judices conſervaſſe ait, quæ jurati judices cognoviſſent, ut ea non ut eſſe facta, ſed ut videri pronunciarentur, qua de re doctor meus in obſervationibus, *lib.* 3. *cap.* 26. Itaque jurabant judices: quod & alio loco idem Cic. indicat, ubi ſic loquitur, *pro Cluentio*: Illi audiebant de eo de quo jurati ſententias ferre debebant, & multam petivit. Qua lege? Quòd in legem non juraſſet, quæ res nemini unquam fraudi fuit, & quòd C. Verres Prætor urbanus homo ſanctus & diligens ſubſortitionem ejus in eo codice non haberet, qui tum interlitus proferebatur, &c. Si ex lege ſubſortitus non erat Junius aut ſi in legem aliquando non juraverat, idcirco illius damnatione aliquid de Cluentio judicabatur? & cognoſcite nunc id quod ad veſtrum jusjurandum pertinet, quod veſtri judicii eſt, quod vobis oneris impoſuit ea lex, qua coacti huc conveniſtis de criminibus veneni, &c. Idem Cicero alibi ſic ſcribit, *libro* 3. *Offic.* Cùm verò jurato dicenda ſententia ſit, meminerit Deum ſe adhibere teſtem, id eſt ut arbitror, mentem ſuam, qua nihil homini dedit ipſe Deus divinius. Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi judicis, ſi eum teneremus. Quæ ſalva fide facere poſſit, &c. Hactenus Cicero. Apud Paulum *l. Pomponius D. de re judi.* Pomponius lib. 37. ad edictum ſcribit, Si uni ex pluribus judicibus de liberali cauſa cognoſcenti de re non liqueat, cæteri autem conſentiant, ſi is juraverit ſibi non liquere, eo quieſcente cæteros qui conſentiunt ſententiam proferre, &c. Gellius alicubi *lib.* 14. *cap.* 2. refert ſe judicio quo pecunia repetebatur additum judicem, cùm actor non probaret, qui tamen erat expertæ fidei vitæque inculpatiſſimæ, reus contrà plenus perfidiarum & fraudum, neque ut Favorinus Philoſophus ſuaſerat, reum condemnaſſe, ſed neque abſolvere voluiſſe. Quid autem fecerit, his verbis ipſe refert: Sed majus ego altiúſque id eſſe exiſtimavi, quam quod meæ ætati & mediocritati conveniret, ut cognoviſſe & condemnaſſe de moribus, non de probationibus rei geſtæ, viderer, ut abſolverem tamen inducere in animum meum non quivi, & propterea juravi mihi non liquere, atque ita judicatu illo ſolutus ſum. Credo Pomponium & Gellium ad veterem illum jurisjurandi morem aſpexiſſe, quemadmodum & ad veterem illam formulam *non liquet*, de qua M. Tull. pro Cluentio ſic ſcribit: Deinde homines ſapientes ex vetere illa diſciplina judiciorum, qui neque abſolvere hominem nocentiſſimum poſſent, neque eum de quo orta eſſet ſuſpicio pecunia oppugnatum re illa incognita primo condemnare vellent, non liquere dixerunt. Redeo ad Jusjurandum. Aſconius auctor eſt, *in comment. in* 2. *orat. in Verrem*, cùm multi judices in conſilio cum prætore ſuo judicaturi eſſent qui quæſitor fuiſſet in publica cauſa, verbi gratia, repetundarum, ambitus, majeſtatis, neceſſe fuiſſe eos primùm de decuria Senatoria conſcribi cùm Senatus judicaret, deinde in urnam ſortito mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet: tertiò, id eſt poſt urnam permit-

A ti accuſatori ac reo, ut ex illo numero rejicerent quos putabant ſibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore, &c. Rejectione celebrata, in eorum locum qui rejecti fuerant, ſubſortiri ſolitum prætorem alios quibus ille judicum legitimus numerus compleretur, prima enim ſortitio dicebat. Sequitur deinde apud Aſconium: His perfectis jurabant in leges judices, ut obſtricti religione judicarent. Cùm juraſſent omnes præter ipſum prætorem, nomina eorum libellis, ut ſuprà diximus, continebantur. Hæc Aſconius qui ſuprà dixerat haberi in officio prætoris, & in arca reponi nomina judicum ſelectorum.

B Cæterùm, quia jurabant judices, ideo Quintil. in Declam. *Declam.* 313. Non eſt (ait) iſta res judicium: non honorum qui ad certa jura, & quidem jurati conſedêre: ideo ſuprà dicto loco Aſconius idem apud Cicer. *orat.* 2. *in Verrem*, hæc verba *juratorum hominum*, ita exponit, Judicum ſcilicet qui in leges, antequam judicarent, jurare conſueverant. At quid eſt quod in eo loco quem adduximus ſuprà idem auctor ait, Juraſſe omnes præter ipſum prætorem quod paulò poſt etiam ad illa Cicer. verba *malim & jurato ſuam, &c.* iterat cùm ait, Cùm judex ſit Metellus, tabellam judiciariam juratus accipiet.

C Cùm prætor fuerit, & non jurabit, quia non eſt moris, & in poteſtate habebit tabellas omnium judicum. Prætor initio magiſtratus jurabat, in ſingulis, ut puto, cauſis non jurabat. quòd erat annuus magiſtratus, niſi fortè id jurabat ſe optimum quemque in ſelectos judices relaturum, quod Cic. pro Cluentio innuere videtur. Judices quòd erant privati nullóque magiſtratu fungebantur, in ſingulis cauſis jurabant, idque Juſtin. his verbis tradidit, *in l. rem non novam. C. de judic.* Cui enim non eſt cognitum antiquos judices non aliter judicialem calculum accepiſſe, niſi priùs ſacramentum præſtitiſſent,

D omnimodo ſeſe cum veritate & legum obſervatione judicium diſpoſituros? quæ verba ex iis quæ modò diximus exponi & illuſtrari poſſunt. Sancit autem Imperator, veteris moris exemplo adductus, omnes omnino judices Romani juris diſceptatores, non aliter litium primordium accipiant, niſi priùs ante ſedem judicialem ſacroſanctæ deponantur ſcripturæ, & hæ permaneant non ſolùm in principio litis, ſed etiam in omnibus cognitionibus usque ad ipſum terminum & definitivæ ſententiæ recitationem. Hæc enim verba ſunt Imperatoris *d. l. rem non novam.* §. 1. *C. de judic.* Atque horum quidem, quæ de ju-

E dicum, non item Prætoris jurejurando diximus, pleraque omnia decem annis poſt priorem hujus commentarii editionem, à quodam Catuaco in ſuam Romani fori hiſtoriam relata video: quæ ſi ipſi placuerant, profectò non ita eſſe inhumanus debuit, ut noſtri mentionem aliquam non aſpergeret. Sed is ei mos eſt & in cæteris, quæ ex noſtris Semeſtrium libris deſumpſit ad memoriam hiſtoriæ veteris Romanæ pertinentia: Atque hoc quidem obiter. Hodie in Gallia noſtra cùm ad univerſitatem cauſarum dentur, ut ita dicam, judices, in ſingulis cauſis non jurant, idque ex conſtitutione D. Ludovici Francorum

F Regis, de qua in quodam veteri libro manuſcripto (quo jus & Gallorum & Romanorum verbis Gallicis, ſed antiquis à D. Jonvilla expoſitum continetur) hoc legere me commemini, *cap.* 86. *Par l'ordonnance de S. Loys les Juges font ſerment & jurent au commencement de leur maiſtriſe, mais non en chacune cauſe.* At profectò in Senatu Toloſano Senatores qui quotannis ſolemne jusjurandum præſtant: quod in Lutetiano, aliíſque

que

que (ut vocant) Parlamentis non itidem observatur, & meritò, ut quidem videtur: cùm etiam si dum est justitium, à munere vacationem aliquot mensium habeant, perpetuo tamen honore ac magistratu fungantur. Quanquam depravatis plerorúmque hujus in finem vergentis sæculi hominum moribus, iterari vel quotannis (si non quot mensibus) hoc jusjurandum in omnibus majoribus minoribusque judicum tribunalibus atque subselliis Reipubl. forsitan expediret: ut causam esse putem, quare Senatores Tolosanos suam retinentes consuetudinem alii potiùs imitari, quam aut reprehendere aut aspernari debeant. Sed ut à Consulibus, à quibus hæc tota disputatio initium duxit, aliquando terminetur: unum hoc addam, quod erit lectu non injucundum, ex antiqua certè historia depromptum est. Ut in administrationis ingressu, sic & in cinguli depositione, id est cùm ipso magistratu perfuncti se abdicarent, honoremque deponerent, solitos veteres jurisjurandi religione adhibita palam affirmare, magistratum ex legum præceptis atque institutis à se gestum esse: Sic enim ad Trajanum Plin. *Panegyr. Trajan.* Itaque & abiturus consulatu jurasti te nihil contra leges fecisse: Magnum hoc erat, quum promitteres: majus postquam præstitisti. Unde intelligendum quod de utroque C. Caligulæ & item Claudii principum jurejurando, cùm & consulatum inirent, eúmque abjurarent, à Dione *lib.* 58. scriptum legimus: sic fere, μετὰ δὲ τοῦτο ὑπατεύσας αὖθις τοὺς μὲν τοῦ Διὸς ἱερέα ἐκώλυσεν ἐν τῷ συνεδρίῳ ὀμόσαι, &c. αὐτὸς δὲ καὶ ἐνιστάμενος ἐς τὴν ἀρχὴν, καὶ ἀπαλλαττόμενος ἀπ' αὐτῆς ἐξ ἴσου τοῖς ἄλλοις ἀπὸ τοῦ βήματος, ὃ δὴ καὶ μεῖζον τοῦ προτέρου ἐπεποίητο, ὤμοσε: & postea de jurejurando in leges atque adeò in acta superiorum principum (quorum placita, vigorem legis habere constitutum pridem est *l.* 1. *& toto tit. D. de constitut. princ.*) exacto & præstito ab Imp. consulatum ineunte, itémque in exitu magistratus: ubi de Claudio Imp. in hæc verba, ὑπάτευε δὲ ὁ Κλαύδιος μετὰ Γαΐου Λάργου, καὶ ἐκείνῳ μὲν δι' ἔτους ἄρξαι ἐφῆκεν, αὐτὸς δὲ δύο μησὶ καὶ τότε τὴν ἀρχὴν ἔσχε, καὶ περί τε τῶν τοῦ Αὐγούστου πράξεων, τούς τε ἄλλους ὥρκησε, καὶ αὐτὸς ἐπιστώθη, περὶ γὰρ τῶν ἑαυτοῦ οὐδενὶ τὸ παράπαν τοῦτο ποιῆσαι ἐπέτρεψε. καὶ ἐξιὼν ἐκ τῆς ἀρχῆς αὖθις ὤμοσεν, ὥσπερ οἱ ἄλλοι. καὶ ταῦτα μὲν ἀεὶ ὁσάκις ὑπάτευσεν, ἐγένετο. Finem faciam. Ait Cic. in Pis. Ego, cùm in concione abiens magistratu dicere a tribuno plebis prohiberer quæ constitueram, cúmque is mihi tantummodo ut jurarem permitteret: sine ulla dubitatione juravi, Remp. atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. Mihi populus Rom. universus illa

A in concione non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatémque donavit: cùm meum jusjurandum tale atque tantum juratus ipse una voce & consensu approbavit. Plutarch. verò in Cic. vita, in eandem sententiam de tribunis loquens: οὐδ' ἐπέτρεπον λέγειν, ἀλλ' ἐκέλευον, εἰ βούλοιτο, μόνον περὶ τῆς ἀρχῆς ἀπομοσάμενον καταβαίνειν, κἀκεῖνος ἐπὶ τούτοις ὡς ὀμόσων προῆλθε, καὶ γενομένης αὐτῷ σιωπῆς ὤμνυεν, οὐ τὸν πάτριον, ἀλλ' ἴδιόν τινα καὶ καινὸν ὅρκον, ἦ μὴν σεσωκέναι τὴν πατρίδα, καὶ διατετηρηκέναι τὴν ἡγεμονίαν, ἐπώμνυε δὲ τὸν ὅρκον αὐτῷ σύμπας ὁ δῆμος, &c. Eandem historiam Dio quoque his verbis *lib.* 37. *hist.* complexus est, ubi de Cic. καταλέξαι πάνθ' ὅσα ἐν τῇ ὑπατείᾳ ἐπεποιήκει τῇ τελευταίᾳ τῆς ἀρχῆς ἡμέρᾳ ἐθελήσαντα ἐσίγασαν, οὐδὲ ἐπέτρεψαν αὐτῷ ἔξω τι τοῦ ὅρκου φθέγξασθαι συναγωνιστῇ Μετέλλῳ Νέπωτι δημαρχοῦντι χρησάμενοι, πλὴν καθ' ὅσον ἀντιφιλονεικήσας προσεπώμοσεν, ὅτι σεσωκὼς τὴν πόλιν εἴη. Idem author de Bibulo Cæsaris collega in consulatu ita loquitur, ut ostendat abiturum magistratu venisse in forum jurisjurandi præstandi gratia: οὗτος οὖν ὁ Κλώδιος ἐπεσόμισε μὲν καὶ τὸν Βίβουλον ἐσελθόντα τε ἐς τὴν ἀγορὰν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς ἀρχῆς, καὶ διανοούμενον μετὰ τῆς τοῦ ὅρκου πιστώσεως, καὶ περὶ τῶν παρόντων δημηγορῆσαι. In foro veteri adhibita ju-

C risjurandi religione magistratu abire solitos Rom. Herodianus etiam docet, *lib.* 4. *hist.* ubi de Imperatorum apotheosi loquitur, his verbis, εἴς τε τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ Ῥωμαίων ἄρχοντες ἀπόμνυνται. Quod pro concione factum ait Cic. atque adeò pro rostris: & (ut ex Dione antè diximus) ἀπὸ τοῦ βήματος, è superiore loco. Sic enim ad Trajanum Plin. *in Panegyr. Trajan.* Jam toties procedere in rostra inascensúmque illum superbiæ principum locum terere, hic suscipere, hic ponere magistratus, quàm dignum te quámque diversum consuetudine illorum (Caium autem Caligulam notat, ut ex iis

D quæ suprà ex Dione *lib.* 58. attulimus liquet: imo & Julium ipsum, & Augustum, ut ex Sueton. *in Julio cap.* 76. *Octavio cap.* 26. *Tiberio cap. itidem* 26. *Caio Caligula cap.* 17. *& Domitiano cap.* 13 quivis facilè colligat, & Tiberium, & Domitianum) qui pauculis diebus gestum consulatum, imo non gestum abjiciebant per edictum: hoc pro concione, pro rostris, pro jurejurando scilicet, ut primis extrema congruerent: utque hoc solo intelligerentur ipsi Consules fuisse, quòd alii non fuissent. Atque hæc quidem hactenus. Vereor enim, ne plures sint futuri, qui de hoc genere me quod nimium multa scripserim, reprehendant: quàm quòd reliquerim quædam, accusent.

FINIS.

ERYCII PUTEANI

PECUNIÆ ROMANÆ RATIO,

Facillimo ad nostram calculo revocata.

ILLUSTRISSIMIS FRATRIBUS

PETRO ET STANISLAO

DANILOWICZ DE ZUROW,

Illustrissimi viri NICOLAI DANILOWICZ DE ZUROW, *Supremi Poloniæ Thesaurarii, Semboriensis Bielecensis, Drohbicensis Czerworogrodensis*, &c. *Capitanei* FILIIS,

ERYCIUS PUTEANUS S. D.

A PECUNIA quàm alienus sum, tam libenter veterem illam, & præcipuè Romanam tracto: non cumulandi studio, sed sciendi. Sic verò & liberalis esse possum, si numerem nec possideam; si lustrem, nec conslipem. Ponite calculum: Docere hîc largiri est, & qui sic donat, nunquam exhauritur. Imò discere hîc ditari est; & qui sic accipit, verè obligatur: accipit Thesauros, qui perpetui sunt, nullúmque fortunæ imperium sequuntur: Thesauros quos ferre è Patriæ incendio nunc etiam Philosophus possit, & vacuus nihilominùs ire. Ut rem dicam; computabimus cum Romanis Asses, Sestertios, Aureos, & cum Sapientibus contemnemus: habebimus, & à cingentibus liberalitatem vitiis alieni erimus, Avaritiâ & Profusione. Vestra hæc etiam in hac ætate virtus est, & velut à Parente, incorruptissimo potentiæ integritatísque exemplo, derivata. Summi estis, & majoris Doctrinam, quam Pecuniam facitis: optimi estis, & in eo toti, uti utilissimi Reipublicæ evadatis. Hinc Litteris insudare, & linguam ingeniúmque excolere, suavissimæ vobis feriæ: unus hic scopus studiorum, Pacis Bellíque artes generoso labore complecti: Scire, quicquid tam multi hodie magníque cum publico damno nesciunt. Inter hæc igitur & PECUNIÆ ROMANÆ RATIO, atque cognitio est, magna Historiæ nec non Antiquitatis pars: quam nuperrime Taciti causâ explicatam, oculis nunc vestris, & sic omnium subjicio. Semel faciendum erat, ut res peregrinitate suâ difficilis difficultatem exueret, obscura caliginem, molesta tædium. Ad summam, quicquid in calculis & rationibus præcipuè spectari solet, secutus sum: an assecutus, vestrum erit judicium. Valete, Lovanii, in Arce, Postrid. Kalend. April. ∞. Ioc. xx.

INDEX

CAPITUM.

CAPUT. I. *Origo Pecuniæ apud Romanos, Usus, Discrimen.*
CAP. II. *De Pecuniâ Æreâ.*
CAP. III. *De Pecuniâ Argenteâ.*
CAP. IV. *De Pecunia Aureâ.*
CAP. V. *Supputatio Æris.*
CAP. VI. *Supputatio Argenti.*
CAP. VII. *Sestertii in rationes ducti.*
CAP. VIII. *Sestertia ad calculos revocata.*
CAP. IX. *Supputatiò Sestertiorum Adverbialis.*
CAP. X. *Supputatio Auri.*

ERYCII PUTEANI PECUNIÆ ROMANÆ RATIO,

Facillimo ad nostram calculo revocata.

CAPUT I.

Origo Pecuniæ apud Romanos Usus, Discrimen.

GENTIUM morem etiam Romani secuti, res omnes metalli pretio æstimârunt. Nihil utilius; sed nihil quoque damnosius fateare. Etenim postquam rejectâ Permutatione, uni cœperunt Pecuniæ obnoxia cuncta esse, cupiditas laxata est, omnibúsque ut pateret vitiis animus, avaritiam admisit. Plinii verba sunt: *A nummo prima est origo avaritiæ excogitata, quæstuosa fœnore segnitia.* Vires, ut sic dicam, æri, argento, auro datæ, quibus fas succumberet nefasque, & quicquid in rebus est humanis. Sed abusum nolo persequi: usum laudo. Unius Pecuniæ beneficio commercia vigent, bella geruntur, pax floret, vita agitur, vivunt omnia. Prima in Nomine varietas est; hominúmque bonum promiscuè Romanis PECUNIA, NUMMUS, MONETA appellata. PECUNIA, quia pecudis notam principio referebat, à Servio Rege, & quidem imitatione Græcorum, signata. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Servius Rex primus signavit Æs. Antea rudi usos Romæ Timæus tradit. Signatum notâ est pecudum, unde & Pecunia appellata.* Varro tamen altiorem censet, & à Pastoribus originem esse. Fortassis quia opes olim in pecudibus, & quicquid unusquisque possidebat Pecuniæ vocabulo fuit. Huc igitur respexit Servius, & simplicissimam Antiquitatem ære suo signavit. NUMMUS à Græcis tanquam νȣ̃μμος; etsi Latinum è Suetonio Suidas faciat, & à Numâ derivet. Pollucem hîc audio, lib. IX. cap. VI. ὁ δὲ νȣ̃μμος δοκεῖ μὲν εἶναι ῥωμαίων τȣ̃νομα τȣ̃ νομίσματος· ἔστι δὲ ἑλληνικὸν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ καὶ Σικελίᾳ Δωριέων. *Nummus videtur quidem Romanum numismatis nomen; sed est Græcum, eorum qui in Italiâ & Siciliâ Dores habitarunt.* Nititur verò auctoritate Epicharmi, & Aristotelis: quorum ille, ἐν ταῖς χύτραις, aliquoties νȣ́μμȣς nominat: hic, ἐν τῇ ταραντίνων πολιτείᾳ testatur, νόμισμα νȣ̃μμον appellari, insignitum Tarentis effigie, Neptuni Filii, Delphino insidentis. Νȣ̃μμος igitur à νόμος, quemadmodum & νόμισμα. A lege enim, ut Aristoteles ait, vim pretiúmque capit. MONETA à monendo: Signo enim in metallum impresso, pretium, auctorem, tempus indicat. Antea rude metallum erat, ὁρισθὲν μεγέθῳ, καὶ σταθμῷ, ut Aristotelis verba usurpem; *magnitudine & pondere definitum.* Nota accessit, τȣ̃ ποσȣ̃ σημεῖον, & ut la-

A bor sive molestia metiendi atque ponderandi cessaret. A Monetâ Triumviri Monetales, qui Pecuniæ flandæ feriundæ Præfecti erant. Sed & pari origine Juno Moneta. *Bello namque Tarentino*, ut Suidas narrat, *adversus Pyrrhum, cùm Pecuniâ Romani egerent, votum Junoni fecerunt. Respondit Dea, si integra inter arma Justitia esset, Pecuniam non defuturam. Voti compotes, Junonem colere Monetam cœperunt, facto quoque decreto, ut in ejus fano nummi cuderentur.* Satis est nominis: in re PRETIUM, & SUPPUTATIONEM considero. Pretium Materiâ, Supputatio Modo & Usu constituta est, formulisque suis distincta.
B Materia olim, & apud alios alia; ne luteos, scorteos, ferreos nummos persequar: apud Romanos Æs, Argentum, Aurum.

CAPUT II.

De Pecuniâ Æreâ.

PRIMA ex Ære pecunia, & à Servio Tullio signata: jam tum Regina, qui à Rege; & rebus omnibus imperatura, licet à servo. Conditionem suam aut Fortunam jactent mortales, hîc nemo liber est; & æreis istis vinculis
C ligari, suave quisque putat. Ecce à Rege & Romano hæc servitus, & magis quoque in ipsâ libertate coli cœpit. Cum Horatio dicam:

Imperat aut servit collecta pecuniæ cuique,
Tortum digna sequi potiùs, quàm ducere funem.

Sanè Æris nomen pro quavis postea Pecuniâ: unde *Æs alienum, Obæratus, Ærarium.* Ulpiani verbis, *etiam Aureos nummos Æs dicimus.* Seneca lib. v. De Beneficiis: *Æs alienum habere dicitur, & qui Aureos debet.* Ex Ære igitur *As*, & partes Assis. Hæ quatuor: *Semissis, Triens,*
D *Quadrans, Sextans.* As, etiam *Assis*, omnino tanquam Æs: interdum *Assarius*, Ἀσσάριον, *Assipondium, Libra. As enim*, scribente Varrone, lib. IV. De L. L. *erat libræ pondus.* Unde & signum. An adjicio? *Dupondius à duobus ponderibus quòd unum pondus Assipondium dicebatur.* A librâ autem *Asses Librales*, quales illi Serviani passim citati, & appendi soliti. Hinc *expensa* in rationibus, *Compendia, Dispendia, Impendia, Dependere, Dispensator, Pensio*, de quibus Varro. Vetus item formula, *Per Æs & libram*
E *emere*: id est, per Assem & libram. Libripendes enim sive Pensatores adhibiti. A librali etiam hoc pondere, Æs grave dictum. Verè Grave; quia bajulari magis solet, quàm ferri; in humeris, non in Zonâ: sanè crumenam pendentem

tem è collo gerebant, unde *Decollare* de Pecuniâ, quæ deponitur, exponitur, perit. Hinc & stipari Æs solitum, curiosè Varro docet, & sic Stipem vocari: *Æs quoque Stipem dicebant. nam quòd Asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arcâ ponebant, sed in aliquâ cellâ stipabant, id est componebant, quò minus loci occuparet.* A stipando igitur *Stips*, & quia pendebatur, *Stipendium. Stipulari* quoque & *Restipulari* dicitur, qui Pecuniam alligat. Non mansit verò hæc gravitas: qui initio librales, *Sextantarii* facti, ex uno Asse seni, bello Punico secundo. Deinde *Unciales*, ex uno Asse duodeni, bello Punico tertio. Denique *Semiunciales*, lege Papiriâ, ex uno Asse vigintiquatuor. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Libræ autem pondus æris imminutum bello Punico primo, cùm impensis Respublica non sufficeret, constitutúmque, ut Asses Sextantario pondere ferirentur. ita quinque partes factæ lucri, dissolutúmque æs alienum. Postea Annibale urgente. Q. Fabio Maximo Dictatore, Asses Unciales facti. placuitque Denarium XVI. Assibus permutari, Quinarium Octonis, Sestertium Quaternis. Mox lege Papiriâ Semiunciales Asses facti.* Monetæ hujus signum Ovidius lib. I. Fast. exprimit, & ad Saturni in Italiam adventum refert:

At bona Posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Distinctè Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Nota æris fuit ex alterâ parte Janus Geminus, ex alterâ rostrum navis. in Triente verò & Quadrante rates.*

Partes Assis, uti è Festo colligitur, à Tarquinio Superbo signatæ, *Semis*, *Triens*, *Quadrans*, *Sextans*.

Semissis Varroni lib. IV. De L. L. quasi *Semiæs*, *id est dimidium Assis*. Idem lib. IX. *Dicimus eandem rationem habere Assem ad Semissem, quam habet in argenti libellâ ad sembellam.* Martialis lib. XI. Epigrammate CVI.

Mittebas Libram, Quadrantem Garrice mittis:
Saltem Semissem, Garrice, solve mihi.

Hinc Semissis homo, vix Semisse æstimandus. Vatinius ad Ciceronem *Simius, non Semissis homo contra me arma tulit.* Crinitus lib. I. cap. XIII. De Honestâ disciplinâ, à Semisse etiam Semissios esse dictos arbitratur, Tertulliani loco inductus, in Apologetico: *Sarmentitios & Semissios appellatis, quia ad stipitem dimidii assis revincti sarmentorum ambitu exurimur.* Verùm hîc legendum esse *Semaxios*, & *ad Stipitem dimidii axis* liquet.

TRIENS, Eidem Varroni *tertia pars Assis*. Juvenalis Sat. III.

——— Nec habet quem porrigat ore Trientem.

QUADRANS, quarta pars Assis, quemadmodum & hoc vocabulum Plutarchus alibi reddit, priùs Triuncem vocatum à tribus unciis Plinius indicat; has enim continebat. Apud Juvenalem Sat. VI. est, *Quadrante lavari*. Balneum enim, ut cum Seneca dicam Epist. LXXXVII. *res Quadrantaria* erat. Quadrantem verò & Trientem Ratitum quoque dicebant. Festus: *Ratitum Quadrantem dictum putant, quod in eo & Triente ratis fuerit effigies, ut navis in Asse.* De Plumbeo controversia est, quem fuisse Quadrantem plerique censent; hoc potissimùm argumento, quia & hic & ille pro Sportulâ, sive mercede diurnâ Anteambulonum à Martiali ponitur. Plumbea, lib. X. Epigr. LXXIV.

——— ——— Salutator
Anteambulones & togatulos inter
Centum merebor Plumbeos die toto.

Quadrans, lib. X. Epigram. LXXV.

Sportula nos junxit Quadrantibus arida centum.

Quid dicam? non statam ac perpetuam hanc mercedem fuisse: sed diversâ potiùs pecuniâ & ratione æstimatam. Nam apud eundem Poëtam, lib. IX. Epigr. CIII. tres Denarii nominantur.

Denariis tribus invitas, & manè togatum
Observare jubes atria, Basse, tua.

Tres Denarii hîc Quadrantes centum viginti. Præterea invitandi verbum arbitrariam Sportulam indicat. Quadrantes igitur dictos magis fuisse Plumbeos arbitror, quàm fuisse. Nulla enim apud Romanos Pecunia è plumbo: sed Plumbea per contemptum, quasi vilis; quæ & Nigra moneta eidem Poëtæ, lib. I. Epigr. C.

Toto quæ semel apparas in anno,
Nigræ sordibus explices Monetæ.

Eodem tropo vina plumbea, & mala plumbea, apud eundem. Quemadmodum autem viles Nummi, Plumbei; ita fictitii, Lupini: Horatius:

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Atque hoc erat aurum illud Comicum; imò aurum maceratum apud Plautum Pœnulo, Act. III. Sc. II.

Macerato hoc pingues fiunt auro in Barbariâ boves.

SEXTANS, sexta pars Assis, Trientis dimidium. Livius lib. II. de Menenio: *Extulit eum plebs, collatis in capita Sextantibus.* Pariter Plinius lib. XXXIII. cap. X. *Agrippæ Sextantes Æris in funus contulit.*

Æstimatione monetæ nostræ As vel Decima, vel Decima sexta pars Regalis est, quemadmodum Denarii fuit.

Cùm DECIMA, Semistuferum nostrum valet; Galli Grossum, Itali Solidum appellant. Decies enim hæc sumpta Regalem constituunt. Ergò,

Semissis, Quartam partem Stuferi, quæ nobis corrupto inde vocabulo **Oort**.

Triens, Sextam partem Stuferi,

Quadrans, Octavam partem Stuferi, sive Novenarium, **een Negemenneken**.

Sextans, Duodecimam partem Stuferi.

Verùm, cùm As DECIMA SEXTA Denarii pars est, Quartam partem Stuferi nostri, & Seminovenarium valet. Decies enim Sexies hæc sumpta Regalem constituunt. Ergò,

Semissis, Novenarium & Quartam partem Novenarii.

Cæteræ Assis partes suo sic pretio & proportione æstimandæ: quibus nostra omnis hodie pecunia major est.

CAPUT III.

De Pecuniâ Argenteâ.

ILLECTI Ære Romani, facilè ad Argentum traduci potuerunt. Pecunia placuit: quidni & Nummus? Puriori jam paullatim metallo avaritia digna fuit, & in compendium opes deducendæ erant, quia creverant. Ad plebem Aſſes, & onera: noluit ultrà niſi Argento manus nobilior inquinari. Sed nec plenum uſum Pecunia habuit, niſi condi jam & abſcondi poſſet, quæ ſtipari ſolebat, & in oculis eſſe. Latere igitur cœpit, ut inſidiis obnoxia eſſet: cuſtodiri cœpit, ut furta naſcerentur. Quando? ſi Plinio credimus, lib. XXXIII. cap. III. *Populus Romanus ne argento quidem ſignato ante Pyrrhum Regem devictum uſus eſt.* Diſtinctiùs etiam? *Argentum ſignatum eſt anno Urbis* CCCC. LXXXV. *Q. Ogulnio & C. Fabio Coſſ. quinque annis ante primum bellum Punicum.* Accedunt alii: abit Varro, qui apud Cariſium lib. I. Inſtitutionum, Nummum Argenteum conflatum primò à Servio Tullio tradit. Sed quacumque origine, Nummus ex Argento Triplex fuit, DENARIUS, cujus nota, ut ait Voluſius, iſta, X, & partes Denarii QUINARIUS, V, SESTERTIUS, HS, LIBELLA, SEMBELLA, TERUNCIUS.

DENARIUS, ut cum Varrone dicam, *quòd denos Æris valebat*, id eſt Aſſes. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Placuit Denarius pro X. libris Æris.* Sic Soſipater lib. I. *Apud Antiquos Denarium decem Aſſes babuiſſe, ideóque in rationibus faciendis Denarium decuſſi inducto notamus.* Quia Bigis Quadrigíſve inſignitus, etiam *Bigatus* atque *Quadrigatus dici cœpit.* Plinius: *Nota argenti fuêre Bigæ atque Quadrigæ, & inde Bigati Quadrigatíque dicti.* Sic Feſtus: *Nummi Quadrigati & Bigati à figurâ cælaturæ dicti.* Et ſimpliciter *Argentum*; pondere & pretio par Drachmæ Atticæ; in quo Auctores fere conſentiunt. Crevit autem jam tum à Bello Punico II. Argenti æſtimatio, atque Denarius Sedecim Aſſium fuit, auctis pari ratione Quinario, Seſtertióque. Vitruvius lib. III. cap. I. Plinii clara verba ſunt lib. XXXIII. cap. III. *Aſſes unciales facti, placuítque Denarium* XVI. *Aſſibus permutari, Quinarium octonis, Seſtertium Quaternis. Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt.* Et quomodò dimidium? Quia Denarius ſedecim Aſſium, in Sextantariis XXXII. habebat Uncias, in Uncialibus XVI. Totidem igitur factæ lucri. Sed Denarium Sedecim Aſſibus æſtimatum, Milites quoque apud Tacitum I. Annal. oſtendunt, conqueſti, *Denis in diem Aſſibus animum & corpus æſtimari.* Ergo levamentum petere, *ut ſingulos Denarios mererent*, ſive, ut Dio, δραχμὴν ἡμερησίαν. Quippe hac ratione ſeni Aſſes diurno Stipendio acceſſuri erant.

Manſit hæc æſtimatio, & fruſtra ſunt, qui reductam cenſent. Voluſius: *Nunc Denarius ſedecim; Victoriatus & Quinarius octo, Seſtertius quatuor Aſſes valet.* Idem: *Poſteaquam in ſedecim Aſſes Denarius diſtributus eſt, denarii ratio expeditiùs confici cœpit.*

QUINARIUS rationem Denarii ſequitur, ejuſque dimidium eſt. Dictus Varroni, *quòd quinos æris valebat.* Paſſim & Victoriatus, à ſigno. Plinius: *Qui nunc Victoriatus appellatur, lege Clodiâ percuſſus eſt. antea enim hic Nummus ex Illyrico advectus, mercis loco habebatur. Eſt autem ſignatus Victoriâ & inde nomen.* Pretium à quinis ad octonos Aſſes ſurrexit, quemadmodum è Plinio dixi.

A SESTERTIUS in maximo uſu, Quinarii dimidium; etiam *Nummus* καθ' ἐξοχὴν, & *Seſtertius Nummus* καθ' ἐπεξήγησιν. Seſtertius autem Varroni, *quod Semis tertius. Dupondius enim & Semis antiquis Seſtertius eſt.* Quaſi dicas, è duobus Aſſibus conſtare & tertii ſemiſſe. Eodem loquendi modo, ut adnotavit Voluſius, in legibus XII. tabularum, *duo pedes & ſemis Seſtertius pes nominatur.* A primâ inſtitutione manſit nomen, & aucto ad quatuor Aſſes pretio adhæſit. Ita Plinius, aliíque. Adjungo legem XXXVII. Cod. De Donationibus: *Verba ſuperflua, quæ in Donationibus poni ſolebant; ſcilicet, Seſtertii, nummi*
B *unius, Aſſium quatuor, penitus eſſe rejicienda cenſemus.*

LIBELLA, quæ & *Libella argenti*, Decima Denarii pars, ejuſdem cum Aſſe pretii, quamdiu Denarius Decem Aſſibus permutatus. Libella autem, ut as, libra. Plautus Captivis:

> *At ob eam rem mihi libellam pro eo argenti ne duis.*

Hinc *ad libellam debere* Ciceroni pro Roſcio, quod aliis *ad Aſſem*.

SEMBELLA quaſi ſemilibella, vigeſima De-
C narii pars.

TERUNCIUS Sembellæ dimidium, quadrageſima Denarii pars. Plautus Captivis: *Neque ridiculos jam Teruncii faciunt.* Sed hæc de Libellâ, Sembellâ, Teruncio, Varro confirmat, lib. IV. De. L. L. *Nummi Denarii decuma libella, quòd libram æris valebat, & erat ex Argento parva. Sembella, quòd ſit Libellæ dimidium, ut Semis Aſſis. Teruncius à tribus unciis, Sembellæ quod valet dimidium, & eſt quarta pars Libellæ, ut Quadrans Aſſis.* Quod autem Varro ait, *Libella libram Æris valebat*, item, *erat ex Argento parva*, referendum ad ea tempora, quibus Denarius De-
D cem Aſſium erat.

Æſtimatione verò Monetæ noſtræ Denarius Regalem valet.
Quinarius, Stoterum, ſive Semiregalem.
Seſtertius, Braſpennarium, ſive Semiſtoterum, qui eſt Stuferus & quarta pars Stuferi.
Libella, Semiſtuferum.
Sembella, quartam partem Stuferi.
Teruncius, octavam.

CAPUT IV.

E

De Pecuniâ Aureâ.

ARGENTO jam quoque ſordeſcebant digiti, *deciduâ*, ut cum Plinio dicam, *materiâ*, & in Nummis mundities Auri placuit: placuit color igneus, & tanquam cœlo derivatus. Ut ubique dies eſſet, hæc facula accenſa: & toto quæſitum orbe hoc metallum, ut in pecuniæ quoque luxum ſufficeret. Ergò Quam Avaritia terram Virginem reliquit? Suffoſſa paſſim, & violata, ſterileſcere coacta eſt. Eâdem & flumina neceſſitate exaruêre; Tagus in Hiſpaniâ, Pa-
F dus in Italiâ, Hebrus in Thraciâ, Pactolus in Aſiâ, Ganges in Indiâ. Vicit Naturam cupiditas hominum, ac ne ſivit quidem liberalem eſſe. Poſterorum tandem ſive felicitas, ſive infelicitas ab alieno Orbe pependit. Sed nos de Romanis dicamus: Amârunt aurum; ſed plus tamen argento uſi ſunt, tanquam evileſceret pecunia, cùm jam minima eſſet. Quid dicam? maculari manus maluerunt, quàm non impleri. Deſinat igitur mirari Plinius, *populum ſuum victis genti-*

gentibus in tributo semper Argentum imperitasse, *non Aurum*: cùm major esset Auro Avaritia, Argento extingui debuit. Percussus tamen Nummus est Aureus, anno, ut Plinius adnotat, XII. post Argenteum: & simpliciter AUREUS appellatus, vel etiam AUREOLUS: quam deminutionem Martialis amavit, non uno in loco: nos uno contenti sumus, lib. XI. Epigr. XXVIII.

— *Centum Aureolos sic velut Æra roget.*

Sextulam dictam esse Isidorus docet, lib. XVI. Originum cap. XXIV. *quòd de iis sex Uncia compleatur.* Deinde: *Sextula bis assumpta Duellum facit*, *ter posita Staterem reddit. Stater autem medietas unciæ est*, *appendens Aureos tres*, *& vocatur Stater quòd tribus Solidis stet.* Aureus igitur & *Solidus* appellari cœpit, sed serò, & postquam in partes divisus est. Solidus, *quia nihil illi deesse videtur*, ut placet Isidoro. *Solidum enim Antiqui integrum dicebant & totum.* Νομίσματος nomen idem ille adjungit, & suo modo explicat, *pro eo quod nominibus Principum effigiebúsque signetur.*

Partes igitur Solidi SEMISSIS & TREMISSIS. Semissis, dimidium Solidi, sive integri; Tremissis, tertia ejus pars. Cogitabat & *Quartarium* Alexander Severus inducere, scribente Lampridio, atque hoc Nummo vectigal definire, quod sub Heliogabalo ad Solidum increverat: verùm hanc immutationem ratio Ærarii passa non est. In Aureo pondus pretiúmque expendendum est. Pondus Pliniano illo tempore duarum Drachmarum erat, sive unius Sicilici; quemadmodum examine exploratum est. Pretium vigintiquinque Denariis æstimatum est; ergo Quinquaginta Quinariis, Centum Sestertiis. Dio Cassius lib. LV. χρυσοῦν γὰρ δὴ καὶ ἐγὼ τὸ νόμισμα τὸ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς δυνάμενον κατὰ τὸ ἐπιχώριον ὀνομάζω: *Aureum enim & ego nummum illum*, *qui valet Drachmas* XXV. *pro communi more appello.* Sed nolo Scriptorum calculos cumulare. Didymi apud Priscianum locus peculiaris est, & dignus exprimi: Τὰ δὲ χίλια σηστέρτια ποιεῖ διακόσια πεντήκοντα δηνάρια ἀργύρεα, δέκα δὲ χρυσᾶ: *Mille Sestertii faciunt* CCL. *Denarios Argenteos*, X. *verò Aureos.* Inverto: Decem Aurei faciunt Mille Sestertios: ergo Aureus unús Sestertios Centum. Item: Decem Aurei faciunt Ducentos quinquaginta Denarios; ergo Aureus unus Denarios Vigintiquinque.

Æstimatione Monetæ nostræ Aureus vigintiquinque Regalibus computatur: totidem enim antiquitus Denarios valuit.

CAPUT V.

Supputatio Æris.

EX Ære, Argento, Auro qui Nummi fuerint, & quo pretio, ostendi. Usus superest, & supputandi modus, pari jam ordine dicendus. Frustra enim Pecunia, nisi numeretur. Sed nec ulla suavior hominibus occupatio est, quàm & suam & alienam arcam ad calculos revocare. Nos hîc igitur quicquid Romani possederunt. Æs primum est, & inde Assium ratio, ac numeratio duplici modo crescit, secundùm duplex Denarii pretium, sive Denis, sive Senisdenis Assibus computatum. Alterum minus & antiquum fuit, alterum majus, & bello Punico secundo inductum. Ut priùs igitur computem

A

PRETIUM ANTIQUUM:

As quando Decima Denarii pars est, Decima quoque Regalis nostri censetur, estque *Semistuferus.*

Dussis vel Dupondius, Bini Æris, Duo Asses, *Quinta pars Regalis*, Stuferus.

Tressis, vel Trepondius, Terni Æris, Tres Asses, *Sesquistuferus.*

Quatrussis, Quaterni Æris, Quatuor Asses, 2. *Stuferi.*

B Quinctussis, Quini Æris, Quinque Asses, 2. *Stuferi cum dimidio*, *sive Stoterus.*

Sextussis, Seni Æris, Sex Asses, 3. *Stuferi.*

Septussis, Septeni Æris, Septem Asses, 3. *Stuferi cum dimidio.*

Octussis, Octoni Æris, Octo Asses, 4. *Stuferi.*

Nonussis, Noveni Æris, Novem Asses, 4. *Stuferi cum dimidio.*

Decussis, Deni Æris, Decem Asses, *Regalis*, *sive* 5. *Stuferi.*

Vicessis, Viceni Æris, Viginti Asses, 2. *Regales*, *sive* 10. *Stuferi.*

Trigessis, Trigeni Æris, Triginta Asses, 3. *Regales sive* 15. *Stuferi.*

C Quadragessis, Quadrageni Æris, Quadraginta Asses, Florenus, sive 4. *Regales.*

Quinquagessis, Quinquageni Æris, Quinquaginta Asses, *Semiphilippicus*, *sive* 5. *Regales*, *Florenus* & 5. *Stuferi.*

Centussis, Centeni Æris, Centum Asses, *Philippicus*, *sive* 10. *Regales*, *qui sunt* 2. *Floreni &* 10. *Stuferi.*

Centussi autem, ut Varro ait, *majus Æris vocabulum non erat.* Ergò deinceps,

Duceni vel Ducenteni Æris, Ducenti Asses, 2. *Philippici*, *sive* 5. *Floreni.*

D Treceni, vel Trecenteni Æris, Trecenti Asses, 3. *Philippici*, *sive* 7. *Floreni cum Dimidio.*

Quadringeni, vel Quadringenteni Æris, Quadringenti Asses, 4. *Philippici*, *sive* 10. *Floreni.*

Quingeni, vel Quingenteni Æris, Quingenti Asses, 5. *Philippici*, *sive* 12. *Floreni cum Dimidio.*

Mille Æris, Mille Asses, 10. *Philippici*, *sive* 25. *Floreni.*

Dena Millia Æris, quæ, scribente Livio, olim Divitiæ, 100. *Philippici*, *sive* 250. *Floreni.*

E Centum Millia Æris, 1000. *Philippici*, sive 2500. *Floreni.*

Decies Centena Millia Æris, vel concîsè Decies Æris, 10000. *Philipp. sive* 25000. *Flor.*

Centies centena Millia Æris, vel iterum concîsè Centies Æris, 100000. *Philipp.* 250000. *Floreni.*

Millies Centena Millia Æris, vel concîsè Millies Æris, 1000000. *Philipp.* 2500000. *Floreni.* Sed ut adjungam

PRETIUM MINUS ANTIQUUM:

F As, cùm Decimasexta Denarii pars, *Decima quoque sexta Regalis* est, *Quarta pars Stuferi*, *& Seminovenarius.*

Dussis, *Octava pars Regalis*, *sive Semistuferus & Novenarius*, *quem Semibraspennarium dicimus.*

Tressis, *Semistuferus cum Quadrante*, *quæ Blanca nobis*, *& Sesquinovenario.*

Quatrussis, *Stuferus cum Quadrante*, *sive Braspennarius.*

Quinctussis, *Sesquistuferus cum Seminovenario.*

Sextussis, 2. *Stuferi*, *Novenario minus.*

Septussis, 2. *Stuferi*, *& Sesquinovenarius.*

Octus-

Octussis, *Semiregalis*, *sive Stoterus.*

Nonussis, *Stoterus cum Quadrante Stuferi*, & *Seminovenario.*

Decussis, *Stoterus & Semibraspennarius*, *sive 3. Stuferi & Novenarius.*

Vicessis, *Regalis & Braspennarius.*

Trigessis, *9. Stuferi*, *Quadrans*, & *Novenarius.*

Quadragessis, 2. *Regales*, & *semis.*

Quinquagessis, 3. *Regales*, & *Semibraspennarius.*

Centussis, 6. *Regales*, & *Braspennarius*, *sive Sesquiflorenus & Braspennarius.*

Duceni Æris, *Philippicus*, & 2. *Regales cum dimidio*, *sive 3. Floreni & Stoterus.*

Treceni Æris, *Sesquiphilippicus*, 3. *Regales*, & *Sesquifloterus*, *sive 4. Floreni*, 2. *Regales*, 4. *Stuferi*, *Quadrante minus.*

Quadringeni, 2. *Philippici & Semis*, *sive 25. Regales*, *qui sunt 6. Floreni 5. Stuferi.*

Quingeni, 3. *Philippici*, *Regalis & Braspennarius*, *sive*, 31. *Regales*, & *Braspennarius*, *qui sunt 7. Floreni 16. Stuferi cum Quadrante.*

Mille Æris, 6. *Philippici*, 2. *Regales & Semis*, *sive*, 15. *Floreni*, 12. *Stuferi cum dimidio.*

Dena Millia Æris, 62. *Philippici & Semis*, *sive 156. Floreni*, 5. *Stuferi.*

Centum Millia, 625. *Philippici*, *sive 1562. Flor. cum dimidio.*

Decies Centena Millia, 6250. *Philippici*, *sive 15625. Floreni.*

Centies centena millia, 62500. *Philippici*, 156250. *Floreni.*

Millies Centena Millia, 625000. *Philippici*, 1562500. *Floreni.*

CAPUT VI.

Supputatio Argenti.

INTER Æs Aurúmque Argenti pependit usus, numerandi ratione potissimùm variatus. Placuit hæc molestia, non molestia: & ut scires laboriosè acquiri Nummos, sic quoque computari debuerunt. Sestertii sunt, & scrupos suos sive ambages habent: Denarius Quinariúsque simplici calculo absolvuntur: quemadmodum à Livio, lib. XLI. *Tulit in eo Triumpho Donariûm* CCC. VII. *Millia*, & *Victoriatûm* (hi Quinarii) LXXXVII. *Millia*, IↃCCII. Et alibi.

SESTERTIARIA autem Supputatio triplex est, *Masculina*, *Neutra*, *Adverbialis.* Masculina singulos nummos Sestertios significat: Neutra, singula Millia: Adverbialis, singula Centena Millia. Sic differunt, *Decem Sestertii*, *Decem Sestertia*, *Decies Sestertiûm.* Decem Sestertii, Decem Nummi sunt, qui singuli olim Duos Asses & Semissem valebant, postea Quatuor. Decem Sestertia, Decem Millia hujusmodi Nummorum. Decies Sestertiûm, Decies Centena Millia. sic tamen ubique Sestertii sunt: summæ tantùm excrescentes breviori, & sic mutatâ formulâ expressæ. Nam Sestertii, ad Mille Sestertiûm erant: singula deinde Millia, Sestertiûm numerata, vel tot Sestertia, erántque Duo Sestertia, Duo millia Sestertiûm, sive Nummûm: tanquam bis Mille Sestertii: ut hinc etiam *Duo Sestertia Nummûm* dixerint, quasi Duo millia eorum Nummûm, qui Sestertii appellantur. Hæc verò Millia ad Decies Centena Millia sic computata sunt, quæ simpliciter *Decies* efferebantur: & sic *Undecies*, *Duodecies*, ad *Millies* usque, aut siquid ultrà. Ergò si pretium spectemus, tantùm Sestertii sunt: Sestertius est, sed cumulatus;

A quem sic quoque Seneca notat, Epistolâ XCV. *Quæ maximè inter vos habentur*, *divitiæ*, *gratia*, *potentia*, *Sestertio Nummo æstimanda sunt. Hoc nescis*, *nisi constitutionem ipsam*, *quâ ista inter se æstimantur*, *inspexeris.* Sed nunc ordine triplicem illam numerandi Rationem, Masculinam, Neutram, & Adverbialem recenseo.

CAPUT VII.

Sestertii in Rationes ducti.

B SESTERTIUS Nummus quarta Denarii pars. Pondere, non æstimatione Argenti ad nostram Monetam referendus. Pondus mansit, æstimatio aucta: & nonne fieri hodie solet? Quatuor autem Sestertii Regalem nostrum Argenteum constituunt, imò Denarium constituunt; sive ille Decem olim, sive Sedecim Assium fuit. Regalis hodie pars quarta, nobis *Braspennarius*, ipse hic Sestertius, & hoc pretio numerandus.

Duo Sestertii, sive Nummi, sive Sestertii Nummi, *Semiregalis*, *sive Stoterus noster*, 2. *Stuferi cum dimidio.*

C Tres Sestertii, 3. *Braspennarii*, *sive 3. Stuferi & 3. Quadrantes.*

Quatuor Sestertii, *Regalis*, *sive 5. Stuferi.*

Quinque Sestertii, *Regalis & Braspennarius*, *sive 6. Stuferi cum Quadrante.*

Decem Sestertii, 2. *Regales & Semis*, *sive 2. Stuferi cum dimidio.*

Viginti Sestertii, 5. *Regales*, *sive 1. Florenus 5. Stuferi.*

Triginta Sestertii, 7. *Regales & Semis*, *sive Florenus*, 7. *Stuferi*, *cum dimidio.*

Quadraginta Sestertii, 10. *Regales*, *sive 2. Floreni*, 10. *Stuferi.*

D Quinquaginta Sestertii, 12. *Regales & Semis*, *sive 3. Floreni*, 2. *Stuferi cum dimidio.*

Centum Sestertii, 2. *Philippici & Semis*, *sive 25. Regales*, *qui sunt 6. Floreni 5. Stuferi.*

Ducenti Sestertii, 5. *Philippici*, *sive 50. Regales*, *qui sunt 12. Floreni*, 10. *Stuferi.*

Trecenti Sestertii, 7. *Philippici & Semis*, *sive 75. Regales*, *qui sunt 18. Floreni*, 15. *Stuferi.*

Quadringenti Sestertii, 10. *Philippici*, *sive 100. Regales*, *qui sunt 25. Floreni.*

E Quingenti Sestertii, 12. *Philippici & Semis*, *sive 125. Regales*, *qui sunt 31. Floreni*, 5. *Stuferi.*

Sexcenti Sestertii, 15. *Philippici*, *sive 150. Regales*, *qui sunt 37. Floreni*, 10. *Stuferi.*

Septingenti Sestertii, 17. *Philippici*, & *Semis*, *sive 175. Regales*, *qui sunt 43. Floreni*, 15. *Stuferi.*

Octingenti Sestertii, 20. *Philippici*, *sive 200. Regales*, *qui sunt 50. Floreni.*

Nongenti Sestertii, 22. *Philippici & Semis*, *sive 225. Regales*, *qui sunt 56. Floreni*, 5. *Stuferi.*

Mille Sestertiûm, vel Nummûm, non Sestertii, 25. *Philippici*, *sive 250. Regales*, *qui sunt 62. Floreni*, 10. *Stuferi.*

F DEINCEPS verò varietas erat, vel enim *eodem Genere & Modo numerabant*, vel *diverso.* Eodem *Duo Millia Sestertiûm*, vel *Nummûm*: Et simpliciter *Duo Millia.* Item *Tria Millia Sestertiûm*, vel *Nummûm*, & *Tria Millia.* sic *Quatuor*, *Quinque*, *Decem*, *Centum Millia.* Mox *Ducenta*, *Trecenta*, *Quadringenta*, *Quingenta*, *Sexcenta*, *Septingenta*, *Octingenta*, *Nongenta Millia Sestertiûm* vel *Nummûm*, & simpliciter *Ducenta*, *Trecenta* &c, *Sestertiûm*, non verò *Nummûm.* Tum *Decies Centena Millia*, breviúsque, *Decies Centena*, brevissimè, *Decies.* Item *Centies Millies.* Atque hæc Adverbialis illa Supputatio, quæ tertium locum occupat. Sed, ut istuc redeam, illæ de eodem

eodem Genere & Modo formulæ paucis obiter exemplis confirmandæ sunt. Quinque millia Sestertiûm Cicero dixit, Actione V. in Verrem: *Facta est sponsio Sestertiûm quinque Millibus.* Quadringenta Millia Nummûm Plinius, lib. VIII. cap. XLIII. *Asinum CCCC. Millibus Nummûm emptum Q. Axio Senatori; auctor est Varro.* Ducenta Millia Suetonius, Nerone: *Funeratus est impensâ Ducentorum Millium.*

Diverso autem Genere & Modo, creber usus pro Masculino hîc Neutrum usurpavit, à Mille Sestertiûm ad Decies Centena Millia per Sestertia Supputatione ductâ.

CAPUT VIII.

Sestertia ad calculos revocata.

DELICIÆ Romani sermonis sunt, & facili errore contaminari solent. Ecce *Mille Sestertiûm*, non *Mille Sestertii* dicuntur: cùm tamen tot Sestertii sunt, quot ab uno ad Mille numerentur. Sed hîc præ adjectivo substantivum placuit, & ut regimen suum Mille singulare in plura obtineret: Quâ etiam formâ *Mille hominum*, *Mille annorum*, *Mille passuum*, venustè apud optimos Scriptores usurpantur. Lucilius etiam inflectere ausus est:

Tu Milli Nummûm potes uno quærere Centum.

Id est, ut A. Gellius explicat lib. I. cap. XVI. *Unis Mille Nummis, Centum Millia.* ubi notandum & *Mille Nummûm*, & *Mille Nummos* dici, Sestertios non dici. Nummûm à Lucilio, Nummos à Gellio. Priorem formulam è Cicerone confirmo, Oratione VI. in Antonium: *Itane Janus Medius in L. Antonii clientela est? quis unquam in illo Jano inventus est, qui L. Antonio Mille Nummûm ferret expensum?* Posteriorem è Martiale, lib. X. Epig. LXXV. Totum adscribo, ut discrimen Generis simul notetur.

Millia Viginti quondam me Galla poposcit,
Et fateor magni non erat illa nimis.
Annus abit, Bis Quina dabis Sestertia, dixit:
Poscere plus visa est, quàm priùs, illa mihi.
Jam Duo poscenti post sextum Millia mensem,
Mille dabam Nummos, noluit accipere.
Transierant bina forsan, trinæve Kalendæ,
Aureolos ultro Quatuor ipsa petit.

Hîc *Millia viginti*, sunt *Viginti Millia Sestertiûm*, vel *Viginti Sestertia.* Contrà, *Bis Quina Sestertia*, sunt *Decem Millia*, sive *Decem Millia Sestertiûm.* Deinde, *Duo Millia*, sunt *Duo Millia Sestertiûm*, vel *Duo Sestertia.* Tandem *Mille Nummi*, sunt *Mille Sestertiûm.* In Supputatione igitur hactenus habuimus Sestertios, nunc mutato Genere Sestertia: Nimirum quia ad Mille perventum est, crescentem cumulato calculo summam ad simplices iterum numeros loquendi brevitas duxit; & quot jam Sestertia, tot Sestertiûm Millia erant. Etenim *Duo Millia Sestertiûm*, & *Duo Sestertia* pari pretio habita: *Tria Millia*, & *Tria Sestertia*: *Quatuor Millia*, & *Quatuor Sestertia*, usque ad Mille. Rectè omnia: quemadmodum hiulcum esset *Millia* & *Sestertia* jugi structurâ efferre. Martialis illud Epigramma prorsùs ad rem est; sed pondus ab hoc Ciceronis loco capiet, Actione V. in Verrem: *Sestertiûm Ducenta Quinquaginta Millia jussu Prætoris data.* Et mox de eâdem Pecuniâ: *Numerantur illa Sestertia Ducenta Quinquaginta Syracusanis.*

A Ecce quæ ibi *Millia Sestertiûm* sunt, hîc *Sestertia.* Et sic ubique Sestertii singulos indicabant, Sestertia tot Millia. Supputatio hunc in modum producta est.

Bina Sestertia, Duo Millia Sestertiûm, sive Nummûm, 50. *Philippici, sive* 500. *Regales, qui sunt* 125. *Floreni.*

Terna Sestertia, Tria Millia Sestertiûm, 75. *Philippici*, 750. *Regales*, 187. *Floreni cum dimidio.*

Quaterna Sestertia, Quatuor Millia Sestertiûm; 100. *Philippici*, *sive* 1000. *Regales*, *qui sunt* 250. *Floreni.*

B Quina Sestertia, Quinque Millia Sestertiûm, 125. *Philippici*, *sive* 1250. *Regales*, *qui sunt* 312. *Floreni*, 10. *Stuferi.*

Dena Sestertia, Decem Millia Sestertiûm, 250. *Philippici*, 2500. *Regales*, 625. *Floreni.*

Vicena Sestertia, Viginti Millia Sestertiûm, 500. *Philippici*, *sive* 5000. *Regales*, *qui sunt* 1250. *Floreni.*

Tricena Sestertia, Triginta Millia Sestertiûm, 750. *Philippici*, *sive* 7500. *Regales*, *qui sunt* 1875. *Floreni.*

Quadragena Sestertia, Quadraginta Millia Sestertiûm, 1000. *Philippici*, *sive* 10000. *Regales*, *qui sunt* 2500. *Floreni.* C

Quinquagena Sestertia, Quinquaginta Millia Sestertiûm, 1250. *Philippici*, *sive* 12500. *Regales*; *qui sunt* 3125. *Floreni.*

Centena Sestertia, Centum Millia Sestertiûm, 2500. *Philippici*; *sive* 25000. *Regales*, *qui sunt* 6250. *Floreni.*

Quingentena Sestertia, Quingenta Millia Sestertiûm, 12500. *Philippici*, *sive* 125000. *Regales*, *qui sunt* 31250. *Floreni.*

Et sic Sexcentena, Septingentena, Octingentena, Nongentena. Post hæc, quia Nongentena Sestertia erant Nongenta Millia Sestertiûm, D relicto Neutro ad Masculinum Formula rediit, nec jam *Mille Sestertia*, sed *Decies Centena Millia Sestertiûm* dici obtinuit, qui tot erant Sestertii, & Adverbialis locutio usurpata.

CAPUT IX.

Supputatio Sestertiorum Adverbialis.

APUD Antiquos Romanos *non fuisse numerum ultra Centum Millia* Plinius notat, lib. XXXIII. cap. X. *Itaque & hodie*, inquit, *multiplicantur hæc, ut Decies Centena Millia, aut sæpius dicantur.* E Dicta in Nummis: quia enim Mille millia Sestertiûm non leges, sic nec Mille Sestertia. Ergò *Deciès Centena Millia Sestertiûm*, vel *Decies Centena Millia*, vel *Decies Centena*, vel *Decies Sestertiûm*, vel etam Laconicâ ratione *Decies*; & sic quidem frequenter, teste Plutarcho in Antonio: Τῶν φίλων τινὶ μυριάδας ἐκέλευσε πέντε καὶ εἴκοσι δοθῆναι· τοῦτο Ῥωμαῖοι Δεκίες καλοῦσι: *Amicorum cuidam Vigintiquinque Myriades dari jussit: hoc Romani Decies dicunt.* Vigintiquinque Myriades, Drachmarum Myriades sunt: & Drachmæ Denarii. Ergò Ducenta Quinquaginta Millia Denariûm, sive Decies Centena Millia Sestertiûm. F Eadem brevitate Martialis lib. I. Epig. CIV.

Aut vive, aut Decies Scævola redde Deis.

Et dixerat eodem Epigrammate,

Si dederint Superi Decies mihi Millia centum.

 Sic

Sic igitur & *Vicies*, & *Centies*, & *Millies*. Sed ab Adverbiis hisce insolens sermonis ratio & inflexio, usu tamen confirmata; quâ Declinari Genitivus pluralis Sestertiûm, per casus singulares cœpit. *Hoc Decies Sestertium*, *Hujus Decies Sestertii*, *ab hoc Decies Sestertio.* Tacitus lib. II. Annal. de Fonteii Agrippæ Filiâ: *Cæsar quamvis posthabitam Decies Sestertii dote solatus est.* Idem lib. III. *M. Piso exutâ dignitate, & accepto Quinquagies Sestertio in decem annos relegaretur.* Varro non alienus, lib. VIII. De L. L. *Ut hoc Mille, hujus Mille; sic hoc Decies, hujus Decies.* Hinc jam igitur supputemus.

Decies Sestertiûm, sive Decies, 25000. *Philipp. sive* 250000. *Regal. qui sunt* 62500. *Flor.*

Undecies Sestertiûm, 27500. *Philippici, sive* 275000. *Regales, qui sunt* 68750. *Floreni.*

Duodecies Sestertiûm, 30000. *Philippici, sive* 300000. *Regales, qui sunt* 75000. *Floreni.*

Tredecies Sestertiûm, 32500. *Philippici, sive* 325000. *Regales, qui sunt* 81250. *Floreni.*

Quaterdecies Sestertiûm, 35000. *Philippici, sive* 350000. *Regales, qui sunt* 87500. *Floreni.*

Quindecies Sestertiûm, 37500. *Philippici, sive* 375000. *Regales, qui sunt* 93750. *Floreni.*

Vicies Sestertiûm, 50000. *Philippici, sive* 500000. *Regales, qui sunt* 125000. *Floreni.*

Trecies Sestertiûm, 75000. *Philippici, sive* 750000. *Regales, qui sunt* 187500. *Floreni.*

Quadragies Sestertiûm, 100000. *Philippici, sive* 1000000. *Regales, qui sunt* 250000. *Floreni.*

Quinquagies Sestertiûm, 125000. *Philippici, sive* 1250000. *Regales, qui sunt* 312500. *Floreni.*

Centies Sestertiûm, 250000. *Philippici, sive* 2500000. *Regales, qui sunt* 625000. *Floreni.*

Millies Sestertiûm, 2500000. *Philippici, sive* 25000000. *Regales, qui sunt* 6250000. *Floreni.*

Decies Millies Sestertiûm, 25000000. *Philippici, sive* 250000000. *Regales, qui sunt* 62500000. *Floreni.*

Centies millies Sestertiûm, 250000000. *Philippici, sive* 2500000000. *Regales, qui sunt* 625000000. *Floreni.*

CAPUT X.

De Supputatione Auri.

AURUM faciliùs numeres quàm æstimes: ratio pretium sequitur, in Nummis singulis computanda. Ergo Bini, Terni, Quaterni, Quini, Deni, Viceni, Centeni, Milleni sunt, & parvo cumulo ingentem summam constituunt.

Unus Aureus, C. Sestertii, XXV. Denarii, *sive totidem hodie nostri Regales.*

Duo Aurei, CC. Sestertii, L. Denarii.

Tres Aurei, CCC. Sestertii, LXXV. Denarii.

Quatuor Aurei, CCCC. Sestertii, C. Denarii.

Quinque Aurei, IƆ. Sestertii, CXXV. Denarii.

Decem Aurei, ∞ Sestertiûm, CCL. Denarii.

Centum Aurei, X. Millia Sestertiûm, ∞. ∞. IƆ. Denarii.

Mille Aurei, C. Millia Sestertiûm, XXV. Millia Denariûm.

Centum Millia Aureorum, Centies Sestertiûm, XXV. Centena Millia Denariûm.

Decies Centena Millia Aureorum, Centies Millena Millia Sestertiûm, Ducenties Quinquagies Centena millia Denariûm. Sed hæc rarò sic computata, & occupari Argento avaritia Romana maluit; tanquam & hoc satis Majestas staret. Hinc quæ apud alios Aureis, apud alios, Nummis sive Sestertiis computata invenies. De Othone Suetonius: *Quoties cœnâ Principem exciperet Aureos excubanti cohorti viritim dividebat.* Tacitus lib. I. Historiarum: *Cohorti excubias agenti viritim Centenos Nummos divisos esse.* Contrà Tacitus XI. Annal. à Claudio *pretium Advocationis constitutum usque ad Dena Sestertia.* Ulpianus leg. I. De extraordinariis cognitionibus, *pro singulis caussis, usque ad Centum Aureos.*

Hæc Æris, Argenti, Auri Ratio est, faciliúsque numerandi constitui modus potuit, quàm habendi. Crœsus, aut Crassus sis licet, si avarus est animus, nullo numero satiatur. Sed aliis inopia, aliis copia gravis est; & cum necessitate homines, aut cupiditate luctantur. Quærunt omnes divitias, ne miseri sint; sed expleri nequeunt, ne felices sint.

Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile Nummus habet,

Sapientia ostendit. Sapientiæ tamen pars est, scire Pecuniam, quâ Romani usi sunt, potentissimíque fuêre; & supputare, quâ non ditior ipse, sed doctior evadas. Hunc æstimavi thesaurum; &, ne avarus essem, publici juris feci.

IN ÆS, ARGENTUM, AURUM ROMANORUM.

ÆRE rudi primos numeravit Roma thesauros:
Ærea dum virtus, Aurea Roma fuit.
Mollior Argenti succedens vena, viriles
Dissolvit mores: Ærea Roma fuit.
Ast Auro postquam vitiorum copia crevit,
Incidit in Scoriam: Ferrea Roma fuit.
Ferrea, sed fragilis, venientibus apta ruinis,
Ut caderet, nimias accumulârat opes.

FINIS.

NU-

NUMERI ROMANI, NOSTRIS EXPRESSI.

UNUM,
I. ———————— 1.
QUINQUE,
V. ———————— 5.
DECEM,
X. ———————— 10.
QUINQUAGINTA,
L. ———————— 50.
CENTUM,
C. ———————— 100.
QUINGENTA,
Iɔ. ———————— 500.
MILLE,
cIɔ. ∞. ———————— 1000.
QUINQUE MILLIA,
Iɔɔ. ———————— 5000.
DECEM MILLIA,
ccIɔɔ. ———————— 10000.
QUINQUAGINTA MILLIA,
Iɔɔɔ. ———————— 50000.
CENTUM MILLIA,
cccIɔɔɔ. ———————— 100000.
QUINGENTA MILLIA,
Iɔɔɔɔ. ———————— 500000.
DECIES CENTENA MILLIA,
ccccIɔɔɔɔ. ———————— 1000000.

Ita hi quidem numeri, ſed Latinè ſcribuntur: imò & Barbarè. An magis oſtendo?

Unum, ſimplici notâ, 1. & ſic omnes infra Denarium.

Decem, duabus 10. & ſic omnes infra Centenarium.

Centum, tribus, 100. & ſic omnes infra Millenarium.

Mille, quatuor, 1000.

Decem millia, quinque, 10000.

Centum millia, ſex, 100000.

Qui deinceps ſunt numeri, adverbialiter.

Decies centena millia, ſeptem notis, 1000000. vulgò Mille millia, *ſive* Millio.

Centies centena millia, octo, 10000000. vulgò, *Decies Millena millia, ſive Decem Milliones.*

Millies centena millia, novem, 100000000. vulgò, *Centies millena millia, ſive Centum Milliones.*

Decies millies centena millia, decem, 1000000000. vulgò, *Millies millena millia, ſive Mille Milliones.*

Centies millies centena millia, undecim, 10000000000. vulgò, *Decies millies millena Millia, ſive Decem millia Millionum.*

Millies centena millia millies, duodecim, 100000000000. vulgò, *Centies millies millena millia, ſive Centum millia Millionum.*

Decies millies centena millia millies, tredecim, 1000000000000. vulgò, *Millies millies millena millia, ſive mille millia Millionum.*

Centies millies centena millia millies, quatuordecim, 10000000000000. vulgò, *Decies millies millies millena millia, ſive Decies mille millia Millionum.*

Millies millies centena millia millies, quindecim, 100000000000000. vulgò, *Centies millies millies millena millia, ſive Centies mille millia Millionum.*

A Ut directio autem hîc quædam ſit, & expeditam numerator viam ineat, veſtigia hæc ſigno. In grandiori omni ſummâ primæ quinque notæ virgulâ ſeparandæ ſunt: deinceps ternæ quæque.

1/ 000/ 000/ 000/ 00000.

Prima ecce virgula Centena millia indicat: ſecunda, Millies centena millia: tertia, millies centena millia millies: quarta, millies millies centena millia millies. Atque hanc rationem omnes numeri ſequuntur. Exemplo uno contenti

B ſimus.

1/ 234/ 567/ 891/ 23456.

Etenim 1/ Millies millies centena millia millies continet: 234/ Ducenties trigeſies quater millies centena millia millies. 567/ Quingenties ſexagies ſepties millies centena millia: 891/ Octingenties nonagies ſemel centena millia: 23456/ Viginti tria millia quadringenta quinquaginta ſex.

Satis ſic iſta, & tædet proſequi. Nam Arithmetica mea, Aſtronomica, Coſmographica, aliáque hujus notæ, quæ aliquando ſcripſi, furto mihi nuper ablata ſunt. Tantum auſus dyſcolus quidam è frigidiore plagâ, qui ut ſibi malus eſſet, mihi iniquus, malè de te, Lector, me-

C reri voluit. An hoc ſolum ejus crimen ſit, neſcio: etenim ut Muſarum hanc ſedem deſereret, fugit.

APUD GRÆCOS NUMERANTUR,

Chalcon, *Obolus, Drachma, Mina, Talentum, Stater.*

Chalcon, ut eſt apud Jul. Pollucem, octava pars Oboli; unde *Dichalcon* quarta, *Trichal-*

D *con* utriusque illius pretium.

Obolus, ſexta pars Drachmæ, ſive Denarii: unde *Diobolon, Triobolon, Tetrobolon*; Duo, tres, quatuor Oboli.

Drachma, centeſima Minæ: unde *Didrachmon, Tridrachmon, Tetradrachmon*, duæ, tres, quatuor Drachmæ.

Mina, Sexageſima Talenti.

Talentum autem communiter pro Attico, & ab Æginæo, Euboico, Babylonico, aliiſque diſtingui ſolet.

E

SUNT IGITUR,

In Talento LX. Minæ, VI. Millia Drachmarum. XXXVI. Millia Obolorum. Seſtertia XXIV.

In Minâ C. Drachmæ, IƆC. Oboli. Seſtertii CCCC.

In Drachmâ VI. Oboli. Aſſes antiquo pretio X. poſtea XVI.

In Obolo, Octo Chalca. Aſſes II. & II. Septantes, ſi denis Drachmam Aſſibus æſtimas: vel Aſſis I. & II. Septantes, ſi Seniſdenis.

Stater, ſive *Aureus*, variè à Regibus appellatus, & hinc *Semiſtater Semiaureus*. Pretium

F ad XXV. quoque Drachmas deductum eſt, par Romano.

A

APUD HEBRÆOS

USUM ET PRETIUM HABENT

Geràh, *Sécel*, *Manech*, *Cicàr*,
Ex interpretatione D. Hieronymi,
Obolus, *Siclus*, *Mina*, *Talentum*.

GERAH, sive Obolus, vigesima pars Sicli. Exodi cap. XXX. & Ezech. cap. XLV.

SECEL, sive Siclus, qui & Argenteus, & Stater Argenteus, Sexagesima Minæ, XX. habet Obolos. Ibidem.

MANEH, sive Mina, centesima Talenti, LX. habet Siclos. Ibidem.

CICAR, sive Talentum, IV. Talentis Atticis par, C. habet Minas, Josephus lib. III. Jud. Antiq. c. VII.

SUNT IGITUR,

In Talento, Hebraïcâ ratione, C. Minæ (malè interpretes L.) VI. Millia Siclorum, CXX. Millia Obolorum: Græcâ, IV. Talenta Attica, XXIV. Millia Drachmarum: Latinâ, IV. Talenta Attica, XXIV. Millia Drachmarum: Latinâ, totidem Denarii, sive, XCVI. Sestertii.

In Minâ, Hebraïcâ ratione, LX. Sicli. ∞. CC. Oboli: Græcâ, CCXL. Drachmæ: Latinâ, totidem Denarii. sive C ∞. LX. Sestertii.

In Siclo, Hebraïcâ ratione, XX. Oboli: Græcâ, IV. Drachmæ, (malè interpretes Didrachmum:) Latinâ, totidem Denarii, sive XVI. Sestertii: nostrâ, *Florenus*.

In Obolo, Græcâ ratione, Obolus Atticus, & quinctâ par Oboli: Latinâ, III. Asses cum Sextante, & quinctâ parte Sextantis: nostrâ, *Stuferus*.

IN PECUNIAM ANTIQUAM

AB AMPLISSIMO VIRO

ERYCIO PUTEANO

NOVÆ COMPARATAM.

MILITIS *Ausonii nuper Stipendia fabrè*
Eruit è tricis ruderibúsque suis,
B *Squalorem hinc veteris limat scoriámque* MONETÆ,
Nostratem ad trutinam χρήματα *prisca trahens,*
Pluráque quotidie doctis oracula libris
Et labris GRUDIA *Phœbus ab* ARCE *tonat.*
Huc igitur celera gressus, hinc elice verum,
Quem fors antiquæ dant dubium salebræ.
DELIUS *à Delphis nam transmigravit Apollo,*
Cortinam & tripodem DILIA *noster habet.*

C Fr. MELCHIOR DAELHEMIUS August.

ERYCIUS PUTEANUS

V. A. Stilo & ingenio cum Romanâ Urbe comparatus.

ROMA *potens opibus: tu mente animóque. Sed illa*
Non contenta suis: tun' PUTEANE *tuis?*
D *Omnia cùm tenuit, nequicquam plura cupivit:*
Tu cùm cuncta scias, plura tenere potes?
Sic tamen absimilis Romæ. nam condidit illa
Quas cumulârat opes: promis at ipse tuas.

PETRUS JACOBÆUS
LOÖDONENSIS.

FINIS.

HER-

HERMANNI CONRINGII

DISSERTATIO

AD LEG. I. CODIC. THEODOS.

DE

STUDIIS LIBERALIBUS URBII

ROMÆ ET CONSTANTINOPOLIS.

MAGNIFICO NOBILISSIMO AMPLISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO,

JOANNI Schwartzkopff JC^{TO}.

SERENISSIMI BRUNS. ET LYNEBURGENSIUM DUCIS

AUGUSTI

Consiliario præcipuo & Cancellario, hæreditario in Lütken Wahlberg/

Amico suo magno

S. P. D.

HERMAN. CONRINGIUS.

QUæ sub initium hujus anni, magistratum Academicum depositurus, disserui interpretatus legem primam Codicis Theodosiani de Studiis liberalibus U. R. & C. ea nonnihil recensita, & nova interpretatione politica, quam addere tum tempore prohibebar, aucta & exculta, in tuum nomen edere audeo, Vir magne: non tam veteris necessitudinis fiducia, quam quod unus præ multis & possis hæc recte judicare, & velis adversus indoctos atque improbos defendere. Eximia videlicet res quidem est vera & non fucata juris Philosophia, nec ejus peritiam non plurimi venditant, at paucis oppido datum est vel ejus imaginem animo comprehendere; imo si vel eminus illam ostendas, parum abest quin nonnulli insolenter excandescant. Interest vero publice, contempta isthac iracundia, intrepide Philosophiam illam & docere & tueri: utpote cum una illa idonea sit Rempublicam quamvis commodis Legibus componere, sive quæ novæ sint ferendæ, sive corrigendæ veteres; quo nihil in vita quidem civili est utilius. Neque vero ad id præstandum satis est, vel Romanorum vel aliarum instituta gentium memoria comprehendere, ac habere in numerato: (quamvis illa peritia iis locis ubi vim legis habent foro cumulate satisfaciat, nec parum conducat ad τὴν νομοθεσίαν) sed necessum cumprimis est naturam omnis generis rerum publicarum tenere, quid speciei cuivis conducat, quid speciei cuivis noxium, idque non publice duntaxat, sed privatim etiam, quum & privati mores Rempublicam trahant in partem. Hanc Philosophiam præter omnem exspectationem à Serenissimis Principibus meis jussus docere, sperno equidem Thaboricas nænias: quo tamen operæ major sit fructus, tuo tuique similium longe præclarissimo exemplo ad excelsos conatus excitandi sunt juvenum animi, & muniendi adversus vim sinistræ abjectæque opinionis. Quamvis igitur leve sit quod jam publico, quoniam tamen ex illo multis inviso politico penu præter vulgi morem est depromptum, non denegabis illi favoris tui auram, quo tanta commendatione sit tutius à malevolorum morsibus. Scio vero ipsum quoque argumentum dissertationis tibi fore acceptum: utpote quæ agat de maximi Cæsaris Valentiniani Lege quadam Academica: quales tu, pro ea qua vales juris prudentia solida ac vera, inque rem Academicam propensione, Juliæ nostræ suggessisti haud paucas, in omnem posteritatem utilissimas. Vale Vir & Amice magne bono publico. Helmestadii in Academia Julia, CIↃ IↃ C LV. VIII. Eid. Jul.

HER-

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO
AD L. I. CODIC. THEODOS.
DE
STUDIIS LIBERALIBUS URBIS ROMÆ ET CONSTANTINOPOLEOS.

Quotiescunque ex hoc loco, magistratum Academicum sive aditurus sive positurus, verba feci, plerumque disserui de iis quæ ad Academicas res pertinent. Ne quidem ab illo instituto recessi, cum ante hosce sex menses munus hoc quartum aggrederer: eoque ne nunc quidem mutabo quidquam. Quoniam tamen & ipse hic discessus meus, & quæ hodie est aëris inclementia jubent paucis me defungi, continebo sermonem intra angustos limites: atque adeo non nisi unicam legem, quæ de studiorum liberalium Urbis Romæ sectatoribus, Valentiniani, Valentis & Gratiani Augustorum nomine, quarto post natum Christum seculo promulgata est, ex Codice Theodosiano repetitam, boni publici gratia sum explicaturus. Nec vero illam in Codicem Justinianeum Tribonianus cum asseclis transtulerunt, quod forte mecum miremini. Imo nihil quod isthuc faciat in omni illo nostro sacro Juris Codice reperire est; quamvis & Tribonianus vir fuerit studiis liberalibus apprime addictus, & illius in conficiendo Codice isthoc adjutores, partim ex Constantinopolitana, partim ex Berytiensi, Romani juris celeberrimis tum scholis, prodierint. Ea tamen est res, qua de agit lex isthæc, (ceu ipsi mecum paulo post scio judicabitis) ut prudens legislator neutiquam contemnere aut negligenter curare eam, sive velit sive possit.

Habetur autem illa Lex, quod ante dixi, in illo Codice, qui à Cæsare Theodosio secundo, cujus auctoritate anno Dn. CDXXXIIX est promulgatus, Theodosianus vulgo dicitur. Etsi hodie is amplius haud integer totus sed tantum potiore parte, idque demum cura Joannis Tilii & Jacobi Cujacii, summorum sane virorum, reperiatur: pro libris quinque prioribus superstite Epitome duntaxat illa, quam Alarici, Gothorum Regis, Galliæ Aquitanicæ & Hispaniæ tum imperantis, jussu publicavit quondam vir Spectabilis Anianus, frustra in his quoque germanis inveniendis summam industriam complures annos adhibente Jacobo Gothofredo, JCtorum elegantissimorum nostræ ætatis nuper principe. Et quidem habetur Lex loco primo in Titulo *de studiis liberalibus Urbis Romæ & Constinopoleos*, qui est nonus libri decimiquarti: adeoque peti potest non ex Anianea illa epitome, sed ipso Theodosiano codice, postquam ultimos octo libros Codicis istius publicavit ante hosce centum amplius annos Joannes Tilius, Meldensem post Episcopatum virtute sua & præclaris in patriam & omnem rem literariam meritis, consequutus.

Ut ἐπιγραφὴ porro præ sese fert, rescripta est lex illa ab Imperatoribus, Valentiniano, Valente & Gratiano Augustis. Ab uno tamen Valentiniano id nominis primo merito illam dixeris profectam; quum ad illum unice spectarint ea tempestate res Urbis Romæ adeoque & hæ de quibus hæc lex agit. Huic uni etiam proxime Urbis omnia paruerint. Nec vero est quare quem turbent reliqua bina Cæsarum nomina; utpote quum, ex instituto illius reipublicæ, omnes leges quæ à Cæsarum singulis promulgabantur, omnium tamen nomina præ sese ferrent in signum communis Imperii. Sed & reapse summa Imperii erat penes unum Valentinianum, tametsi is (raro exemplo) in consortium titulorum fratrem Valentem & filium Gratianum assumpsisset. Raro, inquam, exemplo. Bene enim Ammianus Marcellinus l. XXVII. cap. 14. de Gratiano Augusto declarato cum disseruisset: *in hoc negotio*, inquit, *Valentinianus morem institutum antiquitus supergressus, non Cæsares sed Augustos germanum nuncupavit & filium. Benevole satis. Nec enim quisquam antehac adscivit sibi pari potestate collegam præter Principem Marcum, qui Verum adoptivum fratrem absque diminutione aliqua majestatis Imperatoriæ socium creavit.* At vero Gratianus ne adoleverat tum quidem, & Valentem, ut Ammianus idem loquitur l. XXVI. c. 5. *participem quidem legitimum potestatis, sed in modum apparitoris morigerum* habuit Valentinianus. Possit forte videri Constitutio hæc ideo à non uno esse Cæsare profecta, quoniam non singulari numero, sed plurali verba Constitutionis sunt concepta. At vero hoc etiam indicium non adeo est certum. Etsi enim primi Cæsares, si socio Imperii carerent, sic satis diu singulari numero edicta sua promulgaverint: quomodo Antoninus *lib. 1. C. de juris & facti ignor.* dixit: *Permitto tibi defensionibus uti*: Attamen Constantinus Magnus de se uno locutus jam numerum pluralem usurpaverat, ut passim in Codice observare est, & dudum notavit Guidus Pancirollus Juris ille Romani longe peritissimus *l. 1. Variar. lection. utr. Jur. c. 2.* Fatemur tamen etiam ideo pluralem numerum in hac Constitutione adhibitum, quoniam non unius Augusti nomine illa est edita. Imo fortassis propter societatem illam Imperii, quæ quam maxime orsa est cum Diocletiano & Maximiano, cœpit primum in Divalibus Constitutionibus pluralis numerus usurpari, exemplum illud sequentibus iis etiam qui solitarii imperabant.

Missa porro Constitutio illa Divalis (loquor ex more illius ævi) aut directa est, ut habet inscriptio, ad Olybrium Præfectum Urbis,

bis virum ea ætate inter primos longe celeberrimum: ad quem ejusdem Valentiniani Cæsaris leges aliæ complures, non in Theodosiano duntaxat, sed etiam Justinianeo Codice hodieque superant. Quantum ex Ammiano Marcellino scriptore συγχρόνῳ & curioso discimus, successit ille in Urbis Præfectura Prætextato, & successorem nactus est Ampelium & post Claudium. Hoc scilicet ordine, Valentiniano Imperante, jam tum ad Olybrium usque gesserant munus illud amplissimum, ceu colligimus ex illius Ammiani variis narrationibus, quæ *l.* 26. & 27. habentur: Apronianus à Juliano constitutus, Symmachus, Lampridius, Viventius, Prætextatus. Quod notasse non caret fructu, ad recte digerenda Constitutionum Augustalium tempora. Cæterum Olybrius is est, quo Præfecto Urbi & diutius ægrotante, Maximinum annonæ Urbicæ curatorem immaniter sæviisse in sontes, prolixe conqueritur Marcellinus lib. XXIIX, Olybrium ipsum hisce verbis denique cap. 19. posteritati depingens: *Olybrii præfectura tranquilla nimis & lenis. Qui numquam ab humanitatis statu dejectus, sollicitus erat & anxius, ne quod usquam factum ejus asperum inveniretur aut dictum: calumniarum acerrimus insectator, fisci lucra unde poterat circumcidens; justorumque distinctor & arbiter plenus: in subjectis admodum temperatus. Sed obnubilabat hæc omnia vitium parum quidem nocens rei communi, sed in alto judice maculosum; quod citeriorem vitam pene omnem, vergentem in luxum, per argumenta scenica amoresque peregerat, nec vetitos nec incestos.* Ab hoc plane alius est Olybrius ille Præfectus, quo curante S. Margareta interiit, si credimus veteri Martyrologio, cui in omni illa Margaretæ historia non ausus est fidere ipsemet Baronius, ceu apparet ex iis quæ ille disserit ad Martyrologii Romani diem Julii vicesimum.

Quo anno scripta sit Constitutio, indicat ipsa, subscriptum habens Consulatum Valentiniani & Valentis AUGG. tertium: alterius nimirum Romæ, alterius Constantinopoli, quomodo diviserat Consulatum Constantinus Magnus. Erat autem Imperii illorum annus iste septimus, à nato Christo juxta æram Dionysianam post trecentesimum septuagesimus: si sane non fallunt Fasti Consulares. Ne mensem quidem aut diem latæ Constitutionis eadem subscriptio patitur nos ignorare. Discimus vero inde etiam causam, quare ad Olybrium, qui sextus fuit Urbi Præfectus imperante Valentiniano, non autem ad Ampelium ejus successorem sit exarata; cum tamen Præfectura Urbis fere non nisi annua fuerit. Quo nimirum mense lata est illa Constitutio, nondum septimus Imperii & Præfecturæ annus cœperat, sed fluebat adhuc sextus. Dicemus etiam postea, quî fuerit factum, ut Olybrio præcipue Præfecto Valentinianus fuerit intentus vitiis Romanæ Urbis emendandis.

Non ad omnes porro liberalium artium scholas, sed ad solam Romanam pertinere hanc legem, adeoque non nisi τοπικὴν aliquam esse Constitutionem, vel ipsius Tituli, cui inserta est, ἐπιγραφὴ satis indicat. Multo maxime vero id liquet ex ipsius Constitutionis verbis. Num Constantinopoli ad exemplum Urbis Romæ idem obtinere debuerit, non satis compertum habeo. Ut nec illud satis est notum, num & illa Urbs suum habuerit Magistrum census & Censuales, quorum in hac Constitutione fit mentio: quoniam deserit nos hac in re præclarum illud veteris ævi monumentum, quod Notitiam Utriusque Imperii appellamus, non describens ea quæ

A ad Præfecturam illius Novæ Romæ pertinuerint, forte quod folium libri per ævi injuriam perierit. Per tamen est verosimile, utrobivis parem fuisse rationem, quæ fuit ex Augustorum instituto utriusque Urbis quasi æmulatio. Præfectus sane Urbi Constantinopolitanæ non minore fuit atque Romanæ dignitate pariter & potestate: quam rem præclare persequitur Guidus Pancirollus l. 1. cap. 25. Commentarior. ad Notitiam illam ante laudatam. Sed hæc in parvo sunt discrimine.

Recitabimus potius ipsam Constitutionem integre, prout edidit Romani Juris peritorum
B princeps ille Jacobus Cujacius: cum ut & hoc quod modo diximus eo rectius pateat, tum quo majore cum usu vestro Constitutionis illius interpretatio à nobis queat institui. Verba hæc sunt:

Impp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA. ad Olybrium P.U.

Quicunque ad Urbem discendi cupiditate veniunt, primitus ad Magistrum census Provincialium Judicum, à quibus copia est danda veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum, & natales,
C *& merita expressa teneantur. Deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam navare proponant. Tertio ut hospitia eorum sollicite Censualium norit Officium, quo et rei impertiant curam, quam se adseruerint expetisse. Idem immineant Censuales, ut singuli eorum tales se in conventibus præbeant, quales esse debent qui turpem inhonestamque famam, & consociationes, (quas proximas putamus esse criminibus) æstiment fugiendas: neve spectacula frequentius adeant; aut adpetant vulgo intempestiva convivia. Quinetiam tribuimus potestatem, ut si quis de his non ita in Urbe se gesserit, quemadmodum liberalium re-*
D *rum dignitas poscat, publice verberibus adfectus, statimque navigio superpositus abjiciatur Urbe, domumque redeat. His sane, qui sedulo operam professionibus navant, usque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari. Post id vero tempus, qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur. Verum ne hæc perfunctorie fortasse curentur, præcelsa Sinceritas tua Officium Censuale commoneat, ut per singulos menses, qui, vel unde veniant, quive sint; pro ratione temporis ad Africam, vel ad cæteras provincias remittendi, brevibus comprehendat. His duntaxat exceptis, qui corporatorum*
E *sunt oneribus adjuncti. Similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis nostræ annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus. Dat. IIII. Id. Mart. Triv. Valentiniano & Valente III. AA. CONSS.*

Hactenus Constitutio illa Divalis. Ut ejus autem sententia omnibus perspicua fiat, tria summa capita inprimis videntur attendenda. *Primum* est, circa quos vel de quibus agi aliquid velit Cæsar. *Alterum*, per quos velit isthæc curari. *Tertium*, quid Cæsar & quomodo agendum omne jusserit. Primum caput ad causam materialem sive subjectum circa quod: Alterum
F ad causam efficientem: Tertium ad actum ipsum ejusque formam pertinere dixerimus, si scholasticis Philosophorum vocabulis uti sit animus. Nos ordine singula capita lustrabimus.

Igitur ut de *PRIMO* dicamus primum, haud difficile patet, versari hanc Legem circa eos qui Romæ studiorum gratia degunt, & quidem circa adventantes, circa commorantes, & de-

nique circa discedentes. Initio sane Legis jam audivimus illa verba: *Quicunque ad Urbem discendi cupiditate veniunt.* Non multo post agitur, quemadmodum gerere sese deceat, qui ibi studiorum gratia commorantur. Postremo definitur aliquid de tempore omnique ratione ex Urbe discedendi.

In memoriam vero heic repetendum est, quod alibi jam tum disseruimus, celeberrimam isthac tempestate fuisse Romæ liberalium studiorum scholam. Et vero docuerunt tum in Urbe Professores, alii quidem ære publico, alii privata quasi opera: priores in Capitolio, alii passim in Urbe: illi certo numero, hi incerto. Quæ omnia liquido apparent, ex iis quæ habentur in Constitutione Theodosii & Valentiniani Augustorum, quæ & in Theodosiano pariter & Justinianeo Codice, illic tertia hic unica, hodieque reperitur, Titulo eodem *De Studiis liberalibus Urbis Romæ & Constantinopolis*: modo illam, cum Constantinopoli sit lata & post nostri Valentiniani primi ætatem, liceat ad Romanam quoque Urbem referre, & jam ante Theodosium secundum par fuerit Romanæ scholæ conditio. Quicquid autem hujus sit, jamdudum ante fuisse Romæ Professores liberalium studiorum, alios publicos (ut ita loquar) alios privatos, aliunde notum est & alibi luculente expositum. Si vero illa Theodosii minoris Augusti Constitutio ad Urbem Romam & nostræ Legis retro tempora potest referri: utique docuere tum in Capitolio à Cæsare constituti, Grammatici Latini decem, Græci totidem; Sophistæ sive Rhetores Latini tres, Græci quinque; Philosophus unus; duo Juris Romani periti. Reliquorum qui intra privatas domos studia exercuerunt, etsi de iis in Constitutione illa Theodosii nonnulla sanciantur, numerus nusquam definitur; indubie autem tanta in Urbe fuit longe maximus. Quamvis autem ex variis Provinciis Romani Imperii etiam aliorum studiorum caussa ad Urbem, propter illam copiam optimorum magistrorum; tanquam ad mercatum, undique magno numero juvenes confluxerint indubie: per tamen est verisimile, studiorum Romani Juris caussa potissimum, longe plurimos illuc profectos esse. Enimvero Grammaticos & Rhetores suos passim omnia meliora Provinciarum non Occidentalis minus quam Orientalis Imperii oppida alebant. Galliarum certe ipso illo tempore *studia fuerunt florentissima*, ut testatur S. Hieronymus. Et vero Galli suo in solo hæc docebantur. De Aratore Patricio extat hoc Senatoris etiam recentius elogium: *Romanum eloquium non suis regionibus invenisti, & ibi te Tulliana lectio disertum reddidit, ubi quondam Gallica lingua resonavit. Ubi sunt, qui literas Latinas Romæ non etiam alibi asserunt esse discendas?* De ejusdem ætatis Belgio Ausonius canit:

Te clari proceres, te belli exercita proles,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.

Idem Ausonius Burdigalenses, Tholosanos & Narbonenses Professores aliquot etiam carmine ad posteritatem persequutus est. Res omnis est clarissima ex iis quæ Valens ac Gratianus Imperatores, mortuo jam Valentiniano, Præfecto Prætorio Galliarum, rescripserunt de constituendis *per omnem diœcesin, in frequentissimis civitatibus, qui erudiendæ præsideant juventuti, Rhetoribus & Grammaticis Atticæ & Romanæ doctrinæ*, quæ hodie leguntur *l.* xi. *Codic. Theodos. de Medic. & Professoribus.* In Africa Carthago omnis generis studiis itidem fuit tum refertissima. S. Augustini dictum est: *Duæ Urbes literarum Latinarum artifices, Roma atque Carthago.* De eadem Salvianus l. 7. de gubern. *Illic omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic Philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum.* Hæc vero quamvis ita in Provinciis illis sese haberent, in omni tamen Occidentali Imperio fortassis jam tum Romæ duxtaxat Juris fuit publica aliqua & celebris disciplina. Et vero Justinianus ea Constitutione qua de Jure Veteri enucleando agitat, cum Jura Romana non alibi quam Romæ, Constantinopoli, & Beryti doceri jussisset, affirmat, *jam à retro Principibus ita constitutum fuisse.* Certe jam tum Romam Juris discendi caussa peti à Provincialibus solitam, non est quod dubitemus. De Palladio diserte in Itinerario suo canit Rutilius:

Facundus juvenis Gallorum nuper ab arvis
Missus, Romani discere Jura fori.

De Alypio suo S. Augustinus l. 6. Confession. cap. 8. scribit: *Non sane relinquens incantatam sibi à parentibus terrenam viam, Romam processerat ut Jus disceret.* Sic & Sidonius Apollinaris l. 1. ep. 6. hortatur Eunapium, ut Juris discendi gratia Romam pergat, *domicilium legum, gymnasium literarum.* Idem serius adhuc esse observatum, palam est ex Errico Atissiodorensi; qui de S. Germano *l.* 1. ita canit:

Incitus his animus, talique cupidine raptus,
Qua caput est orbis terrarum, maxima Roma,
Tendit iter, Latii nodos addiscere Juris.
Et didicit, palmamque brevi tulit ille laboris.

De eodem Germano Constantius: *Ut in eum perfectio literarum plena conflueret, post auditoria Gallicana, intra Urbem Romam Juris scientiam plenitudine perfectionis adjecit.* Et quid opus est verbis, quum satis constet, præclaros illos JCtos, ex quorum fragmentis Pandectæ constructæ sunt, ut & ante hos ab aliquot retro seculis clarissimos Jurisconsultos quosque, Romæ & vixisse & docuisse? Indubie vero semper multi jam tum appulerunt animum ad Romani Juris studia illa, utpote quum illæ leges solæ in foro per omnem Romani Imperii ambitum, qui utique amplissimus erat, obtinuerint, & innumeri pene foro passim, per Galliam cumprimis, quæ jam olim Juvenali audivit *nutricula caussidicorum*, operam suam locaverint.

De Primo itaque capite legis nostræ jam tum constat; nempe agere illam de iis qui peregrè adventantes Romæ in Studiis aut vivebant, aut victuri erant, aut vixerant hactenus.

De ALTERO item haud potest esse magna difficultas. Liquidum enim est, præcipi hac Constitutione à Cæsare nonnulla Præfecto Urbis, singulatim autem velle Cæsarem, quædam eorum à Magistro census, & Censualibus, aut Officio censuali expediri. Non est vero quod miremur ad Præfectum Urbis direxisse Cæsarem hoc Studiosam juventutem Urbis Romæ attinens Rescriptum. Erat enim illo tempore summa universi Imperii Occidentalis, perinde ut Orientalis, cura post Augustum ipsum penes Præfectos tres; quorum duo Præfecti prætorio audiebant, Italiæ alter, alter Galliarum; tertius erat Præfectus Urbi qui omnes cum

cum paucis aliis Illustres imo Illustrissimi nuncupabantur, quum muneribus & dignitatibus publicis fungentes alii non nisi Spectabilium, alii Clarissimorum, alii Perfectissimorum, denique nonnulli Eximiorum titulis eminerent. Hos inter Præfectus Urbi cum aliis Urbicis rebus, tum etiam jurisdictioni præerat. Idque obtinuerat jam ab Augusti Cæsaris ævo. Hic enim, prout nos docet Dion Cassius, præclarus sane scriptor, *l.* 25. ex Mecænatis consilio Urbi Præfectum creavit (nisi vehementer fallor, quo deprimeret Consularem & Prætoriam auctoritatem) qui omnes civiles & criminales caussas in Urbe, imo & extra Urbem intra quingenta quinquaginta stadia judicaret, & quod caput dixeris, ut ad eum ex Provinciis appellaretur. Etsi vero illa Præfecti jurisdictio extra Urbem multum fuerit subinde à Cæsaribus restricta (diserte enim Valens Augustus, modo tamen illa non pertineant ad solum Præfectum Urbi Constantinopolitanæ, *lib.* 13. *Cod. Theodos.* de accusationibus; *Referent*, ait, *de suburbanis provinciis judices ad Præfecturam Sedis Urbanæ: de cæteris ad Præfectum Prætorio.* Ex Notitia sane utriusque Imperii, quæ Arcadio & Honorio Cæsaribus conscripta est, colligas Picenum suburbicarium itidem Præfecto Prætorio Italiæ paruisse) etsi item nonnihil diminuta fuerit Præfecti illius auctoritas ipsa in Urbe circa Senatorum capita, si in judicium illa traherentur; salva tamen in reliquis manserat adhuc ejus, saltim in Urbe, jurisdictio. Eoque tum etiam deportandi sontes potestatem ille habuit, perinde ut habuisse illum Ulpiani ætate, constat ex Titulo de *officio Præfecti Urbis.* Spectabat ad eundem Spectaculorum disciplina, imo omnes artes sub ejus imperio exercebantur. Id quod omne præclare persecutus est ille numquam satis laudandus JCtus Guidus Pancirollus ad *Notitiam Imperii* Occidentalis cap. IV. Indubie igitur ejus jurisdictioni omnes quoque peregre adventantes fuerunt subjecti, ac proinde & qui studiorum gratia Romam proficiscebantur merito illi obtemperabant. Nec enim tum obtinuit illa quæ hodie est Academicæ jurisdictionis ratio: recens quippe hæc est & beneficio demum Friderici I Cæsaris introducta. Ab ipsomet sane Justiniano etiam Constantinopolitanæ Urbis, Novæ Romæ scilicet, Præfecto frenandæ petulantiæ Studiosorum, quæ tum magna erat, cura commissa est, ceu legitur *l. omnem Cod. de Veteri jure enucleando.* Dissertatione quinta *de Antiquitatibus Academicis* dudum ostendimus, ipsis Athenis Atticis Professores cum Studiosis Proconsuli ex lege paruisse. Igitur quid observari voluerit Cæsar de iis qui studiorum caussa Romam petierant, optimo sane jure non nisi ad Præfectum Urbi rescribi debuit, ut cui summa omnium ejusmodi rerum curatio competebat.

Et vero eidem Præfecto Urbi suberat Magister Census, & in Officio (prout tum erat loquendi mos,) h.e. in ministerio ejusdem, Censuales quoque numerabantur: à quibus Cæsar fieri aliquid circa Studiosos voluit, ceu jam tum audivimus. Diserte sane Auctor Notitiæ Utriusque Imperii (qui liber ad intelligentiam rerum Imperii Romani, quales seculo quarto & quinto erant, thesauri loco censendus est, præsertim postquam illum luculentissimis commentariis illustravit Pancirollus) inter quindecim magistratus qui subsunt dispositioni Præfecturæ Urbis, post Præfectum Annonæ, Præfectum Vigilum, Comitem Formarum, Comitem riparum & alvei Tiberis & cloacarum, Comitem Portus, sexto loco recenset Magistrum Censuum: inter Officiarios item ipsius Præfecti duodecimo Censuales.

Unde obiter hoc quoque discere, nisi fallor, possemus, si non jam aliunde esset notum; Magistrum Censuum multùm dignitate præstitisse Censualibus, in hac porro nostra lege Officium Censuale idem esse ac Censuales. Licet autem hoc ultimum haud difficulter etiam ex ipsa hac nostra lege addiscere. Quum enim dixisset lex: *Tertio ut hospitia eorum sollicitè Censualium norit Officium*, mox subjungitur: *Iidem immineant Censuales.* Ubi videmus Officium Censuale etiam Censuales appellari. Sed & passim in ipso Justinianeo Codice, cumprimis *libro duodecimo*, etiam *apparitores* dicuntur illi qui *in officio* esse affirmantur. Inter apparitores autem Præfecti Urbis non sane Magister Census fuit computatus.

Versabatur autem Magistri Census pariter & Censualium ordinaria quidem curatio, ut nomen ipsum indicat, circa censum: qua voce tum omnis generis vectigalia ac tributa, tum annotatio publica hominum bonorumque, ex more illius ævi significabatur. Utraque certe significatione & alibi & in Legibus Theodosianis pariter & Justinianeis, vox illa accipitur. Erat autem illius Census sive annotationis, Floro dicente, ea vis, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur.* Unde & Cicero de reipubl. suæ, quam instituit, Censoribus l. 3. de legib. ita sanxit: *Censores populi ævitates, soboles, familias, pecuniamque censento.* Ac Romæ quidem primus Servius Tullus Rex ejusmodi censum egit, vel (ut Græci loquuntur) ἀπογραφὰς instituit: in provinciis quo auctore idem ceperit, haud certo dixerim; Augustum Cæsarem per omnem Romanum orbem egisse censum ex singulari curiositate, notissimum est. Et vero duplici de caussa census tum acti sunt; primario quidem ut tributa de personis & bonis eo rectius solverentur, secundario autem, ut vis omnis Imperii, quæ utique in personis & bonis consistit, imperantibus innotesceret. Certe fini illi posteriori soli interdum census acti sunt. Cujus exemplo est census ille jussu Augusti à Quirinio per Judæam institutus, quem sacra Natalium Domini historia memorat: nec enim capitatio à Cæsaribus indicta est Judæis ante rerum Archelai confiscationem, ut præclare à viris quibusdam doctissimis est observatum. Certe non nisi ex talibus monumentis Censualibus in unum collatis potuit confici ab Augusto illud *Breviarium Imperii*, quod inter arcana ejus ab obitu repertum memorant Suetonius *cap. ult.* & Dio *lib.* 56. Repetendum porro hoc loco etiam est ex ævi illius Romani historia, inter varia sive vectigalium sive tributorum genera, obtinuisse tum & Capitationem & Portorium. Est autem portorium id de quo Ulpianus l. *inter publ.* §. ult de V. S. *Publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiscus capit; quale est vectigal portus vel venalium rerum.* Solæ scil. res venales in portum allatæ aut ex portu educendæ solvebant portorium, quæ vero usus sui caussa quisque ferebat à vectigali illo erat immunia: prout liquet ex *l. universi C. de vectigalib. & com.* Capitatio est id quod idem Ulpianus *l.* 3. *ff. de Censib.* tributum capitis vocat. Tale quid in ipsa Urbe Roma solvere coacti erant olim illi qui extra classes erant, adeoque non secundum bonorum æstimationem quid-

 quam

quam pendebant, quive quod *nullo aut parvo ære censerentur capite censi vocabantur*, ut loquitur Julius Paullus apud Gellium *l.* 16. *Noct. Atticar. cap.* 10. Videtur tamen illud capitis tributum omni plebi Romanæ tandem remissum: quamvis haud dixerim cujus Cæsaris beneficio illud debeatur. Etsi enim Accursius aliique Interpretes quammulti Constantino Magno id tribuant, argumento capto ex *l. un. C. de capit. civ. cens. eximendo*, illam tamen constitutionem non ad Præfectum Urbis, quod illi existimabant, sed ad Virum Prætorium ac Præsidem Lyciæ ac Pamphiliæ scriptam, adeoque ad Urbes illarum provinciarum primario pertinere, præclare monuit eximio libello *De Capitatione* Joannes Baptista Vicecomes JCtus Mediolanensis. Imo omnium in universum provinciarum urbanæ plebi id videntur commune esse voluisse Cæsares, ut recte censet Guidus Pancirollus *lib.* 3. *var. lection. in Utr. Jur. cap.* 31. Quanquam eam fuisse mentem ipsiusmet Constantini haud crediderim, sed post demum existimem ita placuisse: ut diu ante Romæ capitatione omni plebem liberatam, quum nec Alexandriæ jam Vespasiano imperante ea amplius obtinuerit, quod Vicecomiti quoque est observatum. Haud dixerim tamen omnes omnino incolas Urbis Romæ à Capitatione fuisse immunes, imo μετοίκους & peregrinos quosque Romæ solvisse illud tributum per est verosimile.

Sed hæc aliena nonnihil sunt ab hoc loco. Ex hisce tamen quæ attulimus videtur manifestum, Valentiniano etiam imperante Censuales illos qui portorio erant intenti potuisse observare omnes Studiosos peregre in portum adventantes: alios item qui à peregrinis Romæ commorantibus capitum vectigal exigebant, simul omnium peregrinorum illorum Studiosorum numerum & curam aliquam potuisse habere. Longe facillime vero id fieri ab iisdem potuit, si census omnium prisco more etiam tum fuit actus, atque adeo omnium omnino nomina in tabulas publicas fuerunt curante Magistro census à Censualibus relata: quod per est verosimile, quia alias infinita illa hominum multitudo commode regi non potuit. Et vero propter hoc Magistri census & Censualium munus, videtur mihi ab Imperatore illis potissimum & non aliis fuisse simul injunctam illam circa liberalium artium Studiosos peregrinos curationem. Nos certe munus illud propterea hoc loco nonnihil enarravimus, id uti omnibus perspicuum redderetur.

Cæterum de secundo capite Legis nostræ satis forte est dictum pro instituti nostri ratione: ad TERTIUM igitur tandem nunc aggrediemur, quod omnium est potissimum, visuri quid denique circa Studiosos illos agi Cæsar voluerit.

Inter ea autem quæ huc pertinent primo loco occurrunt duo: utraque (nisi vehementer fallor) ipsimet Magistro census expedienda. Verba Legis hæc sunt: *Quicunque ad Urbem discendi cupiditate veniunt primitus ad Magistrum census, Provincialium judicium, à quibus copia est danda veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum & natales & merita expressa teneantur. Deinde ut in primo statim profiteantur introitu, quibus potissimum studiis operam navare velint.* Duo hæc eodem tempore videntur fuisse agenda, adeoque non alibi quam apud ipsum Magistrum Census: utpote quum ad illum saltim literæ illæ testimoniales adferri debuerint, nec alibi nomina Studiosorum in tabulas cen-

A suales referri. Et vero apud illum etiam aliàs referebantur in tabulas capita omnium peregre adventantium, ceu jam ante diximus; itaque utrumque hoc commode apud illum potuit institui etiam de Studiosis peregrinis.

Cumprimis vero observandum venit quod hic innuunt Cæsares, nemini Studiosorum ex Provinciis (qua voce pene omne quod extra Urbem erat censebatur) Romam veniendi facultatem fuisse, nisi Provincialium judicum venia impetrata. Num in universum de omnibus B peregre profecturis, aut saltim de omnibus Romam petituris, tale aliquid fuerit in Provinciis constitutum, nondum satis compertum habeo. Videtur interim, non fuisse id adeo omnibus commune, sed de solis iis qui studiorum causa Romam ibant observatum. Perinde ac eadem pauloque post subsequente tempestate Africani Episcopi per canones caverunt, ne quis Episcopus ex Africa transmarinas terras petat, nisi literis publicis instructus. Canon Africanus vicesimus tertius ita sese habet: *Item ut Episcopi trans mare non proficiscantur, nisi consulto primæ* C *sedis Episcopo suæ cujusque provinciæ: ut ab eo præcipue possint sumere formatam, vel commendationem.* Qui *trans mare* tum proficiscebantur illi Romam præcipue & Italiam petebant: quo sensu *transmarinæ appellationes* canone XXVIII. & CXXV. nec non *transmarinæ subreptiones* canone CV. prohibentur. Quemadmodum autem fas non fuit Episcopo ulli transmarina petere sine literis publicis, ita multo minus *Comitatum* sive aulam Imperatoriam: qua de re extat præclarus canon centesimus sextus. Interpres porro Græcus *formatam* passim vertit ἀπολυτικὴν, quem hoc nomine perstringit doctissimus Justellus. Immerito tamen fortassis, utpo- D te cum à *commendatitiis* diserte *formatas* literas canon vicesimus tertius separet, & videatur omnino dimissoriis fuisse opus ad talium itinerum licentiam, perinde atque videmus hac Lege vetitum juvenibus Romam petere studiorum caussa, non impetrata *veniundi copia* à provincialibus judicibus.

Quicquid hujus sit, id liquet; ad Magistrum census debuisse Studiosum quemque Romam adventantem adferre testimonium publicum judicis Provincialis (fuere autem illi oppido varii & multi,) & quidem ejusmodi unde possit constare, primum, quo *oppido* E ille fuerit oriundus, secundo quibus *natalibus*, tertio quibus *meritis*. De primo ut quidquam addamus necessum non est in re clarissima. Per *merita* intelligi vitæ anteactæ rationem, haud difficulter item patet. *Natalium* denique nomine parentum conditionem significari, videtur vacare dubio. At vero & ipsum nativitatis annum voce illà involvi, atque adeo & hunc fuisse indicandum, palam est ex iis quæ sequuntur. Decernitur nimirum, vicesimo anno ætatis expleto quemvis in patriam à Præfecto Urbis remittendum: illud autem fieri non potuit, nisi de ætate cujusvis Provin- F ciales judices fuissent testati. Nec vero est quod quis existimet, fieri illud haud potuisse. Passim enim & Romæ & in omnibus Provinciis tempus nativitatis cujuslibet hominis in tabulas publicas referebatur, idque ex instituto Marci Antonini Imperatoris. Diserte de illo Julius Capitolinus in vita Marci cap. 9: *Inter hæc liberales causas ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni, unumquemque civium natos liberos profiteri intra tricesimum diem,*

nomine

nomine impoſito. Per Provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de originibus fieret, quod Romæ apud præfectos ærarii, ut ſi forte aliquis in Provincia natus cauſſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret. Ejus moris veſtigia paſſim in ipſo Juſtinianeo Juris corpore ſuperſunt. Hinc ſane *Natalis Profeſſio*, & *Tabulæ Natales*, & *Tabulæ Profeſſionum*, & abſciſſe *Profeſſio* memorantur *l. non nud. C. de probat. l. ſtatum C. de fid. inſtrum. l. 1. C. ſi minor. major. ſe dix. l. cum de ætate ff. de probat.* Nec aliud eſt, quod Apuleius in Apologia uxoris ætatem probet tabulis, *quæ partim tabulario publico partim domo adſerventur, patrem enim ejus natam ſibi filiam more cæterorum profeſſum eſſe*: quemadmodum præclare ad locum illum Apuleii annotavit illud elegantium Juris Romani peritorum decus Scipio Gentilis *n.* 877. & ab hoc monitus I. Pricæus Britannus in *commentario*, qui tamen perperam exiſtimat initium hujus inſtituti Servio Tullo Regi adſcribendum eſſe.

Poſt haſce vero Judicis Provincialis literas exhibitas debuit porro adoleſcens apud Magiſtrum Cenſus profiteri, *quibus potiſſimum ſtudiis operam navare velit.* Indubie vero utrumque, & prius ſcil. illud & poſterius, in album aliquod ſive matriculam, ſive tabulas publicas Magiſter Cenſus debuit referre. Alioquin enim nullius fuiſſent uſus cum literarum illa exhibitio tum Studiorum profeſſio. Nec enim potuiſſet ſciri quamdiu quis Romæ debuerit tolerari, aut quo juſto tempore in patriam remitti, nec in ſtudia potuiſſet deinceps recte inquiri. Cæterum apud ipſum quidem Magiſtrum Cenſus præter duo hæc nihil agendum fuit tum Studioſis adoleſcentibus. Nec vero par fuit, viro magnæ dignitatis minutioribus curis moleſtum eſſe. Reliqua omnia de quibus mox acturi ſumus, vel ad Cenſuales pertinent vel ad ipſum Præfectum Urbis.

Ex iis vero quæ Romam venientibus adoleſcentibus ſtatim circa initia fuerunt agenda, Tertio loco ſubjungit hæc Cæſar: *Tertio ut hoſpitia eorum ſollicite Cenſualium norit officium, quo ei rei impertiant curam quam adſeruerint expetiiſſe.* Cenſuale officium conſtabat magno numero eorum qui in Cenſus negotio miniſtrabant. Hi cum proxime inſervirent Magiſtro Cenſus, potuit adoleſcentis in tabulas apud Magiſtrum relati cura ac ratio ſatis commode ab illis ſuſcipi. His itaque injunctum eſt ab Imperatore, ut *ſollicite* nota ſibi redderent hoſpitia Studioſorum; & quidem illum in finem, uti ſcirent, num Studioſus quiſque illis ſtudiis reapſe vacaret, quæ ſectaturum ſeſe promiſerat. Atqui indubie & mutanda interdum fuerunt hoſpitia, & eligenda alia ab iis quæ primum placuerant. Debuerunt igitur Cenſuales inquirere non duntaxat in noviter adventantium ſed ſimpliciter omnium Romæ commorantium peregrinorum hoſpitia. Certe ita demum licuit aſſequi id quod Cæſaribus erat propoſitum. Et vero Cenſualibus fuiſſe injunctum, non in illa prima initia tantum ſed in omne commorandi tempus animum intendere, ex iis quæ ſubſequuntur, eſt manifeſtum.

Pergit ſcil. Lex in hunc modum: *Iidem immineant Cenſuales, ut ſinguli eorum tales ſe in conventibus præbeant, quales eſſe debent, qui turpem inhoneſtamque famam, & conſociationes (quas proximas putamus eſſe criminibus) æſtimant fugiendas: neve ſpectacula frequentius adeant, aut appetant vulgo intempeſtiva convivia.* Non mul-
A to poſt injungitur Cenſualibus, ſingulis menſibus deferre, unde quique venerint, & quinam (expletis ſcil. annis ſuis) ſint remittendi. quod poſterius fieri non potuit, niſi omni commorationis intervallo Cenſuales rationem omnium habuiſſent.

Notari vero unice merentur illa, quæ ab adoleſcentibus Studioſis obſervari Cæſares voluerunt. *Primum* attinet conventus, *Alterum* ſpectacula, *Tertium* denique vulgi intempeſtiva convivia. *Conventus* voce fortaſſis intelligenda
B venit contracta unum in locum populi Romani major aliqua multitudo ac frequentia: quales reipubl. cumprimis judiciorum cauſſa, interdum à Magiſtratibus indicebantur: aliæ etiam coibant in feriis & ludis ſolemnibus, ut aliæ in Eccleſiis Chriſtianorum, quæ ipſæ ſolent ſcriptoribus ejus ſeculi conventicula appellari. Ejuſmodi conventus gravitate morum & virtute bene componi poſtulabat utique & res ipſa & Urbis Regnatricis maximorumque ejus civium dignitas. Voluit itaque Cæſar cavere, ne ſtudioſa juventus, (ut ſolet illa ætas eſſe avida novarum ſibi rerum) conventibus ejuſmodi ſeſe in-
C dubie magno numero immiſtura, per juvenilem petulantiam quidquam committeret, quod vel dedecori poſſet eſſe conventibus vel eos turbare. Quorum prius fieri poteſt per ea quæ turpia ſunt & inhoneſta; poſterius per conſociationes. Et vero recte Cæſar *conſociationes* criminibus proximas judicavit: tumultus enim & turbas excitant coitiones & factiones illæ juvenum temerariæ, atque adeo perturbant publicam tranquillitatem, cujus conſervatione nihil prius eſſe debet in quavis republica. Fortaſſis tamen *Conventuum* voce ſignantur hoc loco conventus Studioſorum in ipſis Scholis. U-
D tique enim & ibi congregantur in unum auditores: nec minus ibi quam à publicis Civium Romanorum Conventibus abeſſe debet turpitudo morum & omnis factio. Poſſumus maxime ſecure vocem illam accipere de conventibus plane omnibus, cum hisce Scholaſticorum propriis, tum aliis Romanorum civium ſacris pariter profaniſque.

Spectacula de quibus loquitur Lex, erant tum temporis varia: cum publica populi, alia circi, alia caveæ ſive amphitheatralia, alia ſcenæ, ne nunc dicam de odeorum aliorumque locorum ludis: tum privata magis hic, alibi per Urbem,
E eaque pene numero infinita. Edebanturque tum ipſa illa publica, quæ potiſſimum Lex reſpicit, Romæ multo frequentiſſime, imo tantum non quotidie. Salvianus ſane Circorum ac Theatrorum ſpectacula *l. 6. de gubernat. Dei* vocat *quotidianas obſcœnitates.* Ejuſdem verba hæc ſunt: *Ecce innumera Chriſtianorum millia in ſpectaculis quotide rerum turpium commemorantur*, ſive potius, *commorantur.* Vixit autem Salvianus ſeculo quinto Chriſtiano: quo tempore dixeris tamen obſervatas fuiſſe Leges, quibus ſpectaculorum celebratio feriatis Chriſtianorum diebus prohibita fuit. Reperiuntur illarum duæ
F *Tit. de ſpectaculis*, qui eſt ſextus libri decimiquinti Codicis Theodoſiani. Altera Gratianus Valentinianus & Theodoſius Auguſti ita ſanciverunt: *Illud etiam præmonemus, ne quis in legem noſtram, quam dudum tulimus, committat: nullum ſolis diei, (l. die) populo ſpectaculo (l. ſpectacula) præbeat, nec divinam venerationem confecta (l. confiſcta) ſolemnitate confundat.* Altera Theodoſii minoris & Valentiniani III. Cæſarum ita ſeſe habet: *Dominico, qui ſeptimanæ totius primus eſt dies, & Natale (l. Natali) atque Epipha-*

piphaniorum Christi, *Paschæ etiam & Quinquagesimæ diebus*, *quamdiu cœlestis lumen lavacri imitantia novam sancti baptismatis lucem vestimenta testantur*, *quo tempore & commemoratio Apostolicæ passionis*, *totius Christianitatis magistræ*, *à cunctis jure celebratur*, *omni Theatrorum atque Circensium voluptate populis denegata*, *totæ Christianorum ac fidelium mentes Dei cultibus occupantur.* At vero posterior illa Lex cum scriberet ista Salvianus forte nondum erat promulgata, lata quippe demum Theodosio XI & Valentiniano Coss. h. e. anno æræ Dionysianæ CCCCXXV: prior item non multum fortassis fuit observata. Certe Africani Patres anno CCCXCIX. censuerunt Legatione solenni orandos *Cæsares*, *ut Spectacula theatrorum cæterorumque ludorum die dominico vel cæteris religionis Christianæ diebus celeberrimis amoveantur*, *maxime quia sancti Paschæ octavarum die populi ad Circum magis quam ad Ecclesiam conveniunt*: quod habetur canone Africano sexagesimo primo. Quicquid vero sit de Salviani ævo, quo tempore Lex nostra condita est, indubie Spectacula fuerunt Romæ quotidiana: utpote quum nulla lege eorum celebritas à quoquam die fuerit jam remota. Et vero ipsa illa tempestate, cum Romæ tum alibi passim in orbe Romano, populus ad insaniam usque spectaculis fuit deditus. Hinc Ammianus Marcellinus l. XXVIII. perstringens mores Romanorum, quales erant ipso tempore latæ Legis nostræ, de otiosa plebe Romana cap. 25. ait: *Hi omnes quod vivunt & vino & tesseris impendunt*, *& lustris*, *& voluptatibus*, *& spectaculis*: *eisque templum & habitaculum & concio & spes omnis Circus est maximus.* Similem insaniam provincialium hominum acerrime item insectantur Salvianus, Chrysostomus & alii. Nec sane periit illa nisi cum eversione omnium bonorum reipublicæ. Quare fatetur quidem Salvianus in multis Galliæ & Hispaniæ urbibus desiisse illa ludicra, sed addit caussam: *quia agi jam præ miseria temporis atque egestate non possunt*: *calamitas enim fisci & mendicitas jam Romani ærarii non finit*, *ut ubique in res nugatorias perditæ profundantur expensæ.* Lex nostra non interdixit studiosos juvenes omnibus spectaculis, sed tantum voluit, ne *spectacula frequentius adeant*, more scil. vulgi & quum illorum daretur copia quasi infinita.

Pergit Lex in hæc verba: *ne adpetant vulgo intempestiva convivia.* Videtur autem scribendum *vulgi convivia.* Illa enim tempestate præter epulas, quas in tanto luxu singuli ditiores Romæ indies ferme instituebant infinitas, erant & publica convivia longe plurima, collegiorum, tribuum, corporum, imo & totius populi. Et quidem horum celeberrima nonnulla idolorum quondam cultui dicata, sacrificiis quoque jam abolitis, auctoritate tamen Cæsarum tolerabantur. Jam tum videlicet Constantinus M. sacrificiis omnibus populum interdixerat, ut Eusebius passim & Theodoretus l. v. c. XX memorant, imo filius ejus & successor Constantius diserte indicat *l.* 2. *Cod. Theodos. de Paganis.* *Convivia* tamen solemnia demum anno Dionysiano CCCCIIX Arcadius, Honorius & Theodosius Augusti vetuerunt, ea lege quæ est nonadecima ejusdem Codicis Theodosiani *de Paganis.* Qui tamen anno CCCXCIX. eadem diserte permiserant lege ejusdem tituli septima decima hisce verbis: *Ut profanos ritus jam salubri lege submovimus*, *ita festos conventus civium & communem omnium lætitiam non patimur submoveri. Unde absque ullo sacrificio atque ulla superstitione damnabili*, *exhibere populo voluptates secundum veterem consuetudinem*, *inire etiam festa convivia*, *si quando exigunt publica vota*, *decernimus.* Nec vero quidquam effecerunt sua legatione ad Cæsarem Africani Episcopi, sed potius videntur ipsam illam legem elicuisse; utpote quæ Proconsuli Africæ missa est XIII Kal. Septembr. cum ejusdem anni v Kal. Mai. decreta fuisset legatio. Episcoporum tamen canon, qui est numero sexagesimus, dignus est quem hoc loco recitemus. *Illud etiam* (verba sunt canonis) *petendum*, *ut quoniam contra præcepta divina Convivia multis in locis exercentur*, *quæ ab errore gentili attracta sunt*, *ita ut nunc à paganis Christiani ad hæc celebranda cogantur*, *ex qua re temporibus Christianorum Imperatorum persecutio altera fieri occulte videatur*: *vetari talia jubeant*, *& de civitatibus*, *& de possessionibus imposita pœna prohiberi*: *maxime cum etiam in natalibus beatissimorum martyrum per nonnullas civitates*, *& in ipsis locis sacris talia committere non reformident. Quibus diebus etiam*, *quod pudoris est dicere*, *saltationes sceleratissimas per vicos atque plateas exerceant*: *& matronalis honor*, *& innumerabilium fœminarum pudor*, *devote venientium ad sacratissimum diem*, *injuriis lascivientibus appetatur*: *ut etiam ipsius sanctæ religionis pene fugiatur accessus.* Hactenus Canon. Liquet autem vel ex hisce Canonis verbis, Convivia illa vere fuisse *vulgi* convivia, sæpe etiam *intempestiva.* tum quoque celebrari solitas illas epulas publicas in solennibus Cæsarum, etsi iis ita Tertullianus Apologet. c. 35. *Grande videlicet officium*, *focos & thoros in publicum educere*, *vicatim epulari*, *civitatem tabernæ habitu abolefacere*, *vino lutum cogere*, *catervatim cursitare ad injurias*, *ad impudentias*, *ad libidinis illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per publicum dedecus? Hæccine solemnia dies Principum decent*, *quæ alios dies non decent?* Hujusmodi itaque *vulgi conviviis* non quidem plane interdixit Imperator Studiosos bonarum artium, vetuit tamen illa *adpetere*, sive quod idem est studiose sectari.

Horum omnium vero inspectio & cura accurata, ut ante dictum, Censualibus commissa est à Cæsare. Talis sane curatio innuitur voce illa *Immineant.* Nec vero illa tempestate obtinebat amplius illa Ciceronis ævo sueta Latine loquendi ratio, sed voces multæ in barbariem erant flexæ, cum significatione tum pronunciatione immutata. Inspectio, inquam, commissa fuit Censualibus. Nec enim data ipsis fuit simul & animadvertendi in sontes facultas: sed si quid observassent minus bene gestum deferre id debuerunt ad Præfectum Urbi. Et vero ad hunc pertinet id quod mox in Lege nostra sequitur.

Quin etiam (ait Lex) *tribuimus potestatem*, *ut si quis de his non ita in Urbe se gesserit*, *quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat*, *publice verberibus adfectus*, *statimque navigio superpositus abjiciatur Urbe*, *domumque redeat.* Verberibus publice afficere sontes, ac deportare licebat & alias Præfecto Urbi, ceu jam tum diximus: hoc novum videtur accessisse, quod tam gravi pœna licuerit in juvenes istos animadvertere, qui non ita in Urbe *se gessissent quemadmodum liberalium rerum dignitas poscit.* Nec enim propter ejusmodi culpam temere aliquis hactenus vel verberibus publice fuerat adfectus vel ignominiose quasi deportatus, in illa præsertim vivendi licentia quæ tum Romæ obtinebat. Et vero tam severam legem fortassis expressit

fit Cæsari insolens petulantia multorum Scholastici illius ordinis. Ut solent mali mores acuere leges & novas multas elicere. Sed hanc rem iterum non multo post agitabimus.

Decernit mox Cæsar tempus commorandi in Urbe. *His sane* (inquit) *qui sedulo operam professionibus navant, usque ad vicesimum ætatis suæ annum Romæ liceat commorari. Post id vero tempus qui neglexerit sponte remeare, sollicitudine Præfecturæ etiam impurius ad patriam revertatur.* Tempus igitur Romæ commorandi vigesimo ætatis anno à Cæsare definitum est iis qui gnaviter sua curabant. Licuit nimirum, nisi fallor, ipsum annum vicesimum Romæ in studiis absolvere. Adeo benigne scilicet interpretanda arbitror illa verba: *usque ad vicesimum ætatis annum*: quæ fateor accipi etiam possint, quasi & illum annum Romæ degere fuerit vetitum. Apparet vero hinc, minus indulsisse Cæsarem Valentinianum Romanæ juventuti Scholasticæ, quam olim fecerant Berytiensi Cæsares Diocletianus & Maximianus. Extat hodieque illorum rescriptum ad Scholares Arabiæ (sive potius Beryti) Codice *de iis qui ætate & professione se excusant* in hæc verba: *Cum vos adfirmatis liberalibus studiis operam dare, maxime circa juris professionem, consistendo in civitate Berytiorum provinciæ Phœniciæ, providendo utilitati publicæ & spei vestræ; decernimus, ut singuli usque ad vicesimum quintum annum ætatis suæ studiis non avocentur.* Quinque itaque annos ultra viginti indulserunt illi Cæsares: & videtur placuisse hoc potius Justiniano, ut qui Diocletiani quidem illam Constitutionem receperit in Codicem suum non vero hanc Valentiniani, atque adeo publicum esse voluit omnibus quod non nisi paucis erat rescriptum. At vero Valentinianus Cæsar noster per Præfectum Urbis etiam *invitos* (ita enim videtur legendum pro *impurius*) domum censuit remittendos qui vicesimum ætatis annum expleverant.

Ut quam diligentissime Censuales omnia ipsis injuncta expedirent, jussit porro Imperator singulis mensibus per literas (ipse *breves* vocat voce jam tum recepta) nomina eorum qui venerant Romam aut quibus per legem abeundum erat, Præfecto Urbis exhibere. Verba Legis sunt perspicua & explicatione haud indigent. Ita vero sonant: *Verum ne hæc perfunctorie fortasse curentur, Præcelsa Sinceritas tua Officium Censuale commoneat, ut per singulos menses, qui vel unde veniant, quive sint pro ratione temporis ad Africam vel ad cæteras provincias remittendi, brevibus comprehendat.* In hisce verbis quod quidem sit obscurum nihil occurrit, forte tamen mirum cui videatur, ab ipso Imperatore Præfectum Urbis titulo *Præcelsæ Sinceritatis* honorari. Nihil tamen hic insolitum occurrit. Recte siquidem notavit Guid. Pancirollus l. 1. var. lect. in utroque Jure c. 4. *Si quis cum Illustri viro, & præcipue Præfecto prætorio vel Urbi loquebatur, vel ad eum scribebat, etiam Princeps ipse, his verbis eum appellabat: Vestra Magnificentia, vel Illustris Magnificentia tua, aut Tua Celsitudo, quo titulo hodie erga eos Principes qui paulo sunt inferiores Regibus utimur; vel Sublimitas tua, sive Magnitudo, vel Eminentia, Græce dicitur ὑπεροχή, quod verbum interpres vertit Excellentia tua.*

Ut autem sensus illorum verborum clarissimus est, ita ex adverso fateor me non capere illa quæ sequuntur: *His duntaxat exceptis qui*

A *corporatorum sunt oneribus adjuncti.* Non me latet quidem, Corporatos esse qui Corporibus accensebantur: & Corporum nomine venisse tum temporis societates quasdam artificum. Quamvis haud temere dixerim ad corpora pertinere illos omnes artifices qui *l.* 2. *Cod. Theod. de excusationib. artific.* recensentur. Corpora enim fuerunt *publicis obsequiis deputata*, ut dicitur Novella tertia Severi Imperat., aut debuerunt *servire solemnibus quos imposuit antiqua solemnitas* ut habet *l.* 4. *Codic. Theodos. de privileg. corporator. U. R.* ex qua ut & tertia & secunda lege unicam conflavit Tribonianus. Non est
B autem verisimile, illos omnes artifices qui memorantur *Cod. de excusat. Artific.* adeo vili fuisse conditione. Sed & pistorum, suariorum, pecuariorum, susceptorum vini Corpora fuisse Romæ apparet ex *titul.* 3. *&* 4. *lib.* XIV *Cod. Theodos.* & *tit.* 15. *&* 16. *lib.* X. *Codicis Justinianei*: quorum inter Artifices illos nulla omnino fit mentio. Ut proinde neutiquam probare possimus Pancirollum, qui, *libro de magistratibus municipalibus* cætera doctissimo, Artifices illos corporatis accenset, contra mentem præclarissimorum Juris Romani interpretum aliorum. At
C vero si *corporati* quasi mancipes fuerunt publici, quî fieri potuit ut studiosi quidem liberalium artium Romæ peregrinantes *corporatorum oneribus* fuerint *adjuncti*? An nonnulli Corporatorum filios suos clam in provincias miserunt, indeque provincialium titulo Romam reversos studiis liberalibus fecerunt imbui, & in libertatem per fraudem vindicari? Sane nonnullos eorum fraudulenter ad honores pervenisse, patet ex *l. un. Cod. de Pistoribus. Quicunque* (ait Leo Imperator) *ex mancipiis* (de Pistoribus autem loquitur) *Comitis horreorum dignitatem & officium vel*
D *ambitione, vel gratia, vel pecunia, seu quolibet alio modo posthac fuerit adsecutus, exutus dignitate quam contra interdictum nostræ Serenitatis adeptus est; ad antiquum denuo consortium collegiumque revocetur.* Corporatorum certe filii merito Romæ detineri potuerunt *Corporatorum oneribus adjuncti*, etsi studiis liberalibus fuissent imbuti, quum conditionem parentum sequi debuerint servili genere nati. An etiam in pœnam commissæ culpæ studiosi nonnulli, ingenui adolescentes, tum adjuncti interdum fuere Corporatis?
E Apparitoribus quidem Præfecti Urbis minitati sunt olim Honorius & Theodosius Augusti, *l.* 2. Codice *de Apparitoribus Præfecti Urbis*, hoc modo: *Quicunque Illustris Urbanæ sedis Apparitor, clandestina fraude pistorem concusserit; accusatus atque convictus perpetui panificii nexibus addicetur.* Verum illa lex nondum erat tum lata; nec dixerim talibus pœnis petulantes etiam studiosos adolescentes tum fuisse obnoxios. Forte verisimilius est, pistoris filia ducta studiosum juvenem innexum fuisse Corpori illi ex *lege* 2. *Cod. Theodos. de pistoribus* quæ est Constantii Imperatoris:
F *Si quis pistoris filiam suo conjugio crediderit esse sociandam, pistrini consortio teneatur obnoxius & familiæ pistoris adnexus oneribus etiam parere cogatur.* Forte par fuit ratio & reliquorum Corporum. Nihil tamen definio. Imo malo ego hac de re alios audire potius quam ipsemet audiri.

Minus obscuritatis habet clausula legis ultima. Verba hæc sunt: *Similes autem breves etiam ad scrinia Mansuetudinis nostræ annis singulis dirigantur: quo meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus.* Sensus clarissimus est: Voluit nempe Cæsar, singulis annis non tantum nomina, sed etiam quemadmodum quisque sese gessisset eorum

rum qui studiorum curriculum Romæ absolverant, per literas à Præfecto Urbis sibi indicari, & quidem in id quo Imperator ipse resciscat, num quos illorum possit reipublicæ negotiis aliquando admovere.

Nec vero *Mansuetudinis nostræ* voce præter seipsum significare quenquam voluit Valentinianus: similem enim in modum loquebantur tum Augusti si quando blandius sese gerebant. Sed & aliàs in universum de se loquentes Imperatores dicere consueverunt, *Nostra Serenitas*, *Tranquillitas*, *Lenitudo*, *Lenitas*, *Clementia*, *Pietas*, *Mansuetudo*, *Magnificentia*, *Nostrum Numen*, *Cœleste oraculum*, *Sacri affatus*; *Celsitudo Imperialis*, *Sublimitas*, *Excellentia Imperialis*, *Majestas Imperialis*; *Nostra æternitas*, *Perennitas*: qua de re, ut solet, eximia nonnulla congessit ὁ χαλκέντερος Pancirollus *l.* 1. *Variar. lection. c.* 2.

Scriniorum vocem quod attinet, non illa tum temporis notabat duntaxat *arcam in qua scripturæ aurum & similia servabantur*, aut aliquid Augustis proprium; quod multi arbitrantur: Sed & arcas circa omnes significabat cum privatas tum publicas quasque: erant vero arcæ præter Augustales illas etiam aliæ complures. Præterea vero vox illa cœpit quoque usurpari de hominum ordine qui arcas ejusmodi publicas quasi curabant. Posteriore significatione accipitur passim, cumprimis *l.* 1. *Cod de off. P. P. Africæ*, ubi in Officio ejus tribuuntur Scrinia decem: quam legem eleganter illustrat idem Pancirollus *l.* 2. *V. L. cap.* 188. Imperator hac Lege sancit, ad sua *Scrinia* epistolas illas mittendas esse, non indicans singulatim illud Scrinium, ad quod epistolæ erant dirigendæ, quoniam id indubie erat tum omnibus notum. Atque interpretes quidem Justinianei Juris nonnulli annotant, quatuor tum fuisse Imperatoris Scrinia, *memoriæ*, *libellorum*, *epistolarum*, *dispositionum*: at nequaquam est verosimile tam exiguo Scriniorum numero potuisse Cæsarum res componi, cum uni P. P. Africæ, rebus diœceseos illius afflictis & angustis, scrinia decem Justinianus assignaverit; atque adeo numerus ille Scriniorum aulicorum videtur nos latere. Non sine caussa vero dixeris, ad *Scrinium* epistolarum breves illas, de quibus Lex nostra loquitur, mitti debuisse.

Haec est, nisi vehementer fallimur, mens Legis illius nostræ. Et vero ea exposita, satis jam officio nostro perfuncti queamus videri. At vero multum adhuc abest, ut sensu illo Legis percepto veram ejusdem prudentiam simus assecuti. Nec enim qui tali aliqua ratione tenet sensum Legum, eapse opera simul intelligit, num leges conveniant reipublicæ nec ne: id quod intelligere grande illud prudentiæ cognomentum denique promeretur. Etsi enim hac scientia destitutus, secundum leges & controversias decidere, & cavere clientibus, & de jure possis respondere, idque omne agere prudentia quædam sit & quidem prudentia Juris; utpote quum ea mentis nostræ facultas, quæ humanæ vitæ recte consulere idonea est, passim apud omnes prudentiæ titulo audiat, singulatim vero illa quæ id ex præscripto legum præstat, communi omnium consensu prudentia Juris usurpetur: longe tamen potius indubie prudentiæ munus est, ipsarummet legum commoda atque incommoda perspicere posse, imo hæc demum mensuram nominis prudentiæ Juris adimplet; quod vis ipsa vocis satis indicat. Adeo plena autem Legum cognitio requiritur in illo Politico viro qui ad clavum reipublicæ sedens leges illi præscribere ex A officio tenetur. Quî enim intelligat, num ferenda sit nova lex, num vetus abroganda, num hujus aliquid corrigendum, nisi usu omni & noxa Legum probe perspecta? Nihil tale jure postules ab iis quorum gloria in prompto est obsequio. Ne judici quidem nefas est isthuc ignorasse, quamvis per ἐπιείκειαν quam appellant leges interdum in judiciis sint temperandæ, ἐπιείκεια autem absque ejusmodi plena notitia esse nequeat. Illa enim moderandarum legum peritia ac potestas supra dignitatem est judicis; munus τοῦ νομοθέτου, qualis in republica Rex est, & in universum omnis quem penes est potestas B summa; nec temere communicari judicibus aut magistratibus potest absque summo reipubl. dispendio; ceu usu ipso docemur, non satis sibi hodie ea in re caventibus passim civitatibus, etsi ipsemet Justinianus longe prudentissime id omne sibi soli tanquam summo Principi in sua republ. olim vindicaverit; qua de re alias accuratius disserendum. Igitur non profecto satis fuerit dedisse in eum modum mentem hujus Legis, si quem in republ. gerenda usum invenire debeat interpretatio nostra. A nobis autem merito hoc forte exspectaveris, saltem ratione muneris quo in incluta hac Julia fungimur: utpote C quum Politici Philosophi sit τὴν νομοθεσίαν omnem novisse, atque adeo latarum legum examen in usum reipubl. posse instituere. Et vero quàm hactenus exhibuimus historica quædam duntaxat vel Grammatica (ne quid dissimulemus) interpretatio fuit: altera autem illa demum Politica est. Quod ipsum non sine singulari quadam animi voluptate videmus jam etiam ante nos agnovisse summum virum & æternum Frisiæ nostræ decus Joachimum Hopperum, nunquam satis laudandi scripti *de vera Jurisprudentia lib. IV. tit.* 16. & 23. * quamvis ipse ejusmodi interpretationem Legum neutiquam volumine isthoc D dederit, majori forte isti operi eam reservans, cujus hi libri non nisi præludium aliquod esse debuerunt, quantum ex illorum epilogo colligere est. Agamus igitur etiam quod officii ratio expostulat; saltim paucis, ne prolixa dissertatione moremur tempora aliorum usibus reipublicæ dedicata.

Verum ante hoc quam agamus, cogimur quasi adducere huc nonnulla eorum quæ alibi plenius docemus, quo Politica hæc interpretatio veris certisque principiis suis quasi muniatur. Omnis lex aut jubendo, aut vetando, aut permittendo sciscit nonnihil de actu aliquo ci- E vili, perinde atque omnis quæstio & deliberatio politica circa actum aliquem civilem occupatur. Actus porro, ut in universum omnis etiam naturalis, ita & omnis civilis simul caussam suam efficientem, materialem & finalem habet quidem: finalis tamen caussæ in Legibus rara

* Hæc sunt ejus verba tit. 23. de politica Juris ac Legum interpretatione. *S. Hanc igitur Politicam interpretationem quamnam esse dicis? G. Partem quamdam Nomothetica, de qua supra expositum est: & ideo quæ de ea jam diximus, multo magis in ipsa Nomothetice locum habent. S. In quo autem consistit? G. In duobus. S. Quod est primum? G. Ut certa via ac ratione dijudices, utrum leges latæ recte se habeant nec ne: idque tum quidem secundum substantiam, quo ad res: tum autem secundum formam; tum vero secundum naturalia, quoad res & personas, prout supra est expositum. Atque hæc quidem est interpretatio, quæ à primis principiis repetita hominem vere prudentem & politicum efficit, & ad rempublicam regendam ac gubernandam idoneum reddit. S. Quod secundum? G. Ut si inveniatur Legem non recte se habere, despicias ecquid mutanda sit nec ne: nam sæpe fit ut quædam sint in republ. non optima, quæ tamen non sunt mutanda, nempe cum plus periculi & mali in mutatione est, quam in ipsa re boni, ut supra latius est expositum.*

rara fit mentio, quod non intersit obsequentium eam scire, imo intersit sæpenumero eam in vulgus ignorari; materialis quoque & efficientis causæ memoria nonnumquam in Lege desideratur, sed non nisi quando aut de iis jam tum liquet, aut lex est imperfecta: perfecta autem est quæ integre determinat omnia quæ ad actum pertinent. In definienda vero causa formali actuum potissimum Lex omnis versatur. Hinc jam tum pene sub initium dissertationis hujus observavimus, in ipsa nostra hac Lege primario quidem de Actuum quorundam forma, simul tamen aliquid etiam scitum esse de efficiente causa, quinam scil. Actus illos debeant edere, & de causa materiali circa quas personas nempe aut res (ut omnis materia ejusmodi politica vel est res vel persona) oporteat actus illos exercere; solius causæ finalis nulla omnino facta mentione. Quoniam porro actio in universum omnis adeoque & civilis speciem formamque suam à fine quidem potissimum, ex parte autem etiam à materia atque effectrice causa consequitur: hinc in examine Legis formam actus alicujus definientis præcipue ad finem sive scopum actus, ex parte tamen etiam ad agentem personam, atque ad id circa quod actus occupatur, est respiciendum. Similiter & effectricis causæ cum principalis tum instrumentalis, (quarum illa in civilibus semper est persona aliqua, hæc modo persona modo res) aptitudo ad materiam, formam actuum, & finem venit exigenda: materiæ vero (quæ in civilibus nunc persona nunc res aliqua est) idoneitas ad effectricem formalem finalemque causam spectanda est, idque non minus in civilibus negotiis adeoque & ipsis Legibus ac deliberationibus, quam promiscue in omnibus quæ naturæ, cumprimis autem humano operi, sunt obnoxia. Illa vero aptitudo utriusque potest accipi ex iis quæ ad essentiam pertinent; qualia sunt alia quidem communia, alia vero ad societatem civilem solum spectant, atque adeo proprie sunt πολιτικά; cum illa communia sint partim μεταφυσικά, partim φυσικά, partim etiam ἠθικά, & fiant demum πολιτικά si quando ad negotium aliquod politicum adstringuntur. Finis denique civilium actuum (ut alias quoque) aut est remotus aut proximus; item aut externus aut internus; ut & aut universalis vel particularis. Nec particularis finis recte se habet nisi universali integræ reipublicæ finis conveniat: nec proximus, nisi ille congruat remoto: nec internus, nisi respondeat is externo. Eoque in examine finalis causæ hic ordo semper est observandus. Et vero quæ modo attulimus in omni νομοθεσίᾳ observanda veniunt: cujus portio quasi est latarum Legum examinatio politica. Imo observanda illa veniunt in omni deliberatione & tractatione civilium negotiorum: nec aliunde possunt peti idoneæ probationes politicæ, quæ ita institutæ vim habent verarum demonstrationum. Alibi hæc à nobis suoque loco plenius docentur, heic non nisi obiter quasi adferenda fuerunt. Unum adhuc præmonendum est anteaquam ad rem ipsam aggrediamur: Veterum latarum Legum examen difficile esse, propterea quod censura nequeat probe institui, nisi omnibus quæ modo diximus exacte perspectis, harum vero plena cognitio ob antiquitatem & monumentorum defectum vel omnino non vel ægre haberi possit. Et sane hactenus longe est verissimum illud Juliani: *Non omnium quæ à majoribus sunt constituta ratio reddi potest.* Illarum tamen Legum antiquarum censura minus est dif-

A ficilis, si exigantur ad certum aliquem notumque reipubl. statum. Id quod fieri par est, si forte velis in usum præsentem illas transferre, atque adeo ex ævo vetere commodum aliquod remedium tuæ reipublicæ petere. Nec vero prudentis est hominis ejusmodi censura haud instituta admittere in usum alienas Leges: sed talis quidem ἄτεχνος νομοθεσία (ut scite illam appellat Hopperus) plane indigna est & neutiquam ferenda, cum rerumpublicarum varia admodum sit conditio, intantum quidem, ut uni quod prodest maxime obsit alteri.

VERUM tempus monet, hisce sepositis
B ad institutum negotium accedere. Et quidem initium faciemus de causa finali Legis, quoniam id exposcit ratio Examinis, quod nulla ex parte institui recte potest nisi de fine omnia fuerint ante constituta. Quamvis vero ipsa in Lege disertis verbis finis haud indicetur; attamen haud difficulter attendenti ille liquet, cumprimis is quem proximum appellamus & particularis. Voluit scil. Imperator cavere, ne qui studiorum gratia Romæ ex provinciis commorabantur juvenes, malis moribus ex urbano contagio afficerentur, aut mora diuturniore provinciæ patriæ damno essent; sed uti sibi a-
C liquando forent utiles. Certe omnem istam Legem id unice agere, ut studiosi illi juvenes recte sese haberent, in propatulo est. Ut neminem quoque potest latere, voluisse Cæsarem & moribus illorum consultum & propriis quoque necessitatibus. Ne sane de ultimo dubitemus, ipsa efficiunt verba illa: *Quo meritis singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque nobis sint necessarii, judicemus.* Voluisse porro Cæsarem etiam hoc, ne longior peregrinatio provinciis fraudi esset, colligere est ex rescripto illo jam ante recitato Diocletiani & Maximiani Cæsarum ad Scholares Arabiæ, si cum hac Le-
D ge conferatur. Causa nimirum, quare Cæsar vetuerit ultra annum ætatis vicesimum Romæ in literis quem commorari, non alia videtur, præter eam, quæ binos illos Cæsares movit, ut ad vicesimumquintum annum indulserint quidem scholaribus Beryti degere, ulterius tamen commorantes avocari permiserint. Erant nimirum in provinciis munera multa subeunda eaque sæpe peronerosa, cum personalia tum patrimonialia, obtinebatque ut quisque ad patriæ suæ eam operam præstandum etiam invitus posset adigi. Huc enim pertinent severæ Leges cum aliæ tum illæ *libro* x. *Codicis titulo* 37. 38. 39.
E 40. *&* 41. Illi rei ne fraus fieret obtentu studiorum, jussit Cæsar omnes ab ætatis anno vicesimo remitti in patriam quamvis invitos. Et vero huc forte potissimum spectat illud, ut quisque Romam veniens apud Census magistrum oppidum natale, & genus profiteretur: quo scil. ille patriæ possit reddi justo tempore: *nec enim origine propria poterat quis voluntate sua eximi, filiosque apud originem patris non in materna civitate, etsi ibi nati sint (si modo non domiciliis retinerentur) ad honores seu munera posse compelli, explorati juris erat.*

Cæterum hæc quidem proxime voluisse Cæ-
F sarem Lege isthac sua consequi, manifestum satis est. Nondum liquet tamen vel num hunc finem recte sibi propositum ille habuerit, vel num media quæ adhibuit fuerint paria fini isti assequendo: quorum prius primo loco inquirendum est. Ut autem jam ante monuimus, fines ejusmodi ad finem ultimum integrumque reipublicæ æstimandi sunt: eoque attendendum venit, quis ille fuerit Imperii Romani, quo tempore

Lex condita eſt. Eſt autem hoc forte incertius. Etſi enim ſtatus Imperii ſimpliciter μοναρχικὸς fuerit, adeoque indubie ſalus reipublicæ tum fuerit in conſervatione monarchici talis regiminis poſita: cum duo tamen ſint genera τῆς μοναρχίας, in quorum utroque bonum quidem ſpectatur commune, at vero in alio dominantium commodum primario quæritur & non niſi ex accidente pene commodum ſubditorum, in alio vero ex pari dominantium atque parentium ſalus attenditur; non perinde certum eſt cujuſmodi tum fuerit Romanum Imperium. Multum autem intereſt cujuſmodi fuerit, cum neutiquam omni ex parte iiſdem inſtitutis utraque μοναρχία queat conſervari. Et vero omnes Leges Romanæ in univerſum monarchiæ quam ſunt aptiſſimæ, in cujus duntaxat uſum etiam ſunt conditæ: cæterum videtur (ut ſolet) fluctuaſſe illam rempublicam, & modo communis boni ex æquo, modo dominantium potius rationem habitam. Plurimum ſane falluntur qui exiſtimant, omni perinde ſtatui Leges Romanas convenire: id enim omnino eſt ἀδύνατον, & à mente ipſorummet Romanorum Legiſlatorum alieniſſimum, arguitque talis opinio ſummam Politices vel regendæ reipublicæ inſcitiam, imo & ignorantiam Romanarum Legum. Nec enim id verum eſt niſi de paucis illis quæ faciunt ſimpliciter ad uſum communem omnium rerumpublicarum: reliquarum & numerus eſt maximus, & uni illi ſpeciei quam μοναρχίαν dicimus congruunt, ad alias rerumpubl. formas translatæ illas mutant ac perturbant: interim & illarum aliæ favent magis herili aliæ civili monarchiæ, tanquam reſpublica duas haſce inter ſpecies quaſi dubia hæſerit. Nec enim omnibus par Cæſaribus animus, quorum hodieque Leges in Codicibus ſuperſunt. Multum profecto à Trajani, Hadriani, Antonini Pii, Marci, & Severorum, civili in rempublicam benignitate alii abſuerunt; eoque vel in gratiam vel augendo dominatui conſtituta ſunt ab iis haud pauca: quæ nec Juſtinianus mutavit omnia, ſive per incuriam, in illa infinita diſcordantium legum multitudine recenſenda inevitabilem, ſive quod nec ipſe ab herilibus ſtudiis fuerit alienus, perinde ut primus fere omnium qui Conſtantinopoli vixere Imperatorum, non tantum nomine ſed etiam re ipſa fuit αὐτοκράτωρ, quod obſervavit *l.* 5. Agathias. Cæterum Valentiniani Cæſaris illæ virtutes, quas procul adulatione deſcribit Ammianus Marcellinus ſub finem *l.* 31. (ne de aliis nunc dicam) vetant nos ſequius aliquid ſuſpicari. Ut proinde habendus ille ſit inter eos quibus perſuaſum fuit, *Finem juſti imperii* (quæ verba ibidem ſunt *c.* 23. Ammiani) *utilitatem obedientium æſtimari & ſalutem*: atque adeo Romani Imperii adminiſtratio non tam dominantis commoda quam bonum commune tum ſpectaverit. Ille imo fuit Cæſar iſte, ut haud injuria dixeris, non ampliandæ potentiæ, non parandis opibus, non vitæ luxurioſæ ſtuduiſſe tum Rempublicam Romanam, ſed veræ felicitati. Quam in virtutis exercitio, cum eorum quæ ad vitæ civilis uſum requiruntur juſta copia, collocant ſapientes: etſi alias non privatim duntaxat, ſed & publice, à magnis civitatibus ea in re peccetur vehementer.

Agite ergo: jam videamus, num quos diximus fuiſſe proximos fines condendæ Legi noſtræ, ſatis fuerint congrui illi ultimo & ſummo & communi Imperii Romani atque Legiſlatoris Cæſaris ſcopo. Et vero fortaſſis etiam de eo quis dubitet, num ex re fuerit publica, quod ita promiſcue provinciales filios ſuos liberalibus

A ſtudiis fecerint imbui, quodque adeo Romæ earum artium fuerit quaſi mercatus aliquis conſtitutus. Nam nonnullis quidem populis olim perſuaſum fuit, & eſt hodieque Moſchis plæriſque, Tartaris, aliiſque creditum, doctrinam omnem in publicum noxiam: alii, ut quondam Ægyptii, non niſi paucos & delectos ad ſtudiorum culturam admiſere. Verum enimvero nec tempus patitur, nec videtur pretium operæ, nunc quidem vel barbararum gentium improbam illam perſuaſionem, vel Ægyptiorum illud inſtitutum gravibus argumentis convellere. Nemini enim non conſtat, nullam ſocietatem

B civilem vere beatam eſſe ſine ſapientiæ ſtudiis, ſi non illis quæ θεωρητικὰ dicimus, ſaltim abſque iis quæ ad vitam commode agendam ipſamque reipublicæ faciunt adminiſtrationem. Ad hæc cum raro eadem ſit liberis quæ parentibus indoles, nemo probaverit Ægyptios, qui artes & doctrinam non niſi certis familiis proprias atque adeo quaſi hæreditarias eſſe voluerunt. Certe tantum abeſt id in artium ſtudiorumque meliorem culturam ceſſiſſe, quod Diodorus Siculus *l.* 1. *c.* 47. & *l.* 2. *c.* 29. exiſtimavit, ut nihil illi perinde obſtiterit: uſu ipſo docente,

C florere artes doctrinamque omnem ibi maxime, ubi naturæ ductui ſuum arbitrium integrum eſt. Non ſine diſcrimine omnibus patefaciendam ad liberalia ſtudia viam ſed ſolis iis qui in reipublicæ uſum educantur, quales ſunt ſoli ingenui, haud caret juſta ratione. Cur enim ſervus diſcat quod reipublicæ inutile eſt? At hoc nihil ad Legem noſtram: utpote quum non ſervi ſed ſoli ingenui provinciales Romam illa tempeſtate ſtudiorum gratia petierint. Cæterum præter hoc delectu aliquo ingeniorum eſſe opus ad juſtum capiendum ex ſtudiis fructum, idque ut alibi paſſim ita & Romæ fuiſſe magno

D incommodo neglectum, alibi latius oſtendimus. Nec vero hujus loci eſt hoc agere. Nec quidem huc proprie pertinet inquirere, num ſatis prudenter uni Romæ doctrina juris Romani in omni Occidentali vaſto illo Imperio fuerit commiſſa. Etſi haud paucis forte rationibus queat adſtrui, neutiquam id fuiſſe ex uſu publico, poſteaquam jura illa cæperant eſſe communia provinciis: utpote quum civium omnium (quales tum non ſoli Romæ Urbis incolæ ſed & provinciales habebantur) ex æquo interſit, leges ſecundum quas ſit vivendum haud ignorare, debeatque earum peritia non multum eſ-

E ſe difficilis; cujuſmodi redditur ſi non niſi ex remotis locis queat peti atque addiſci. Imo vero dixeris merito Romam non fuiſſe aptam inſtituendæ provincialium juventuti, ob mores diſſolutos & ingentem luxum. Priſci certe Romani ipſi, nondum illa vitæ corruptela invaleſcente, liberos ſuos maluerunt in provinciis educari. Nec vero alia de cauſa, jam tum Strabonis ætate, nobiliſſimi Romanæ juventutis pro Attica peregrinatione Maſſiliam ad capeſſendas diſciplinas ſunt profecti, quod ille narrat *l.* 4. quoniam ſcil. *ea civitas ſeveritatis & patrii moris eſſet cuſtos acerrima*, ceu Vale-

F rius Maximus loquitur *l.* 11. *c.* 6. *nullum aditum in ſcenam mimis dans: quorum argumentum majori ex parte ſtuprorum continebat actus: ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret.* Prudenter ſane idipſum de C. Julio Agricola ſocero ſuo obſervavit Cornelius Tacitus, ſcribens: *Arcebat eum ab illecebris peccantium præter ipſius bonam integramque naturam, quod ſtatim parvulus ſedem ac magiſtram ſtudiorum Maſſiliam habuerat, locum Græca comitate &*

pro-

provinciali parsimonia mistum, ac bene compositum. Verum etiam hoc multis ostendere excedit hujus argumenti nostri limites: nec est cur anxie velimus huc congerere illa remota & longinqua.

Illud huic loco proprium est videre, num illa quæ proxime spectasse Cæsarem Lege hac nostra supra diximus, satis sint publico usui consentanea. Videtur autem etiam illud propemodum justa carere dubitatione. Si enim ex re est, ut juvenes nonnulli studiis liberalibus incumbant, utique usus etiam publicus postulat ut illi legibus latis ad diligentiam adhibendam, moresque recte componendos constringantur. Certe prius si velis posterius non potes nolle. Interest vero hoc publice, non tantum si civium quæras salutem, verum etiam si dominantibus maxime studeas. Nam & servos habere frugi atque à vitiis alienos, commodum domini est: haberi autem illi tales nequeunt, nisi caveas ne pravo consortio corrumpantur. Eo magis vero danda est opera summæ potestati, ut juventus studiosa probis moribus imbuatur, quo magis illa in usum reipublicæ educatur. Seminarium videlicet illa est eorum qui aliquando fungi debent magistratibus & judiciis, aliisque reipublicæ actibus præesse: quos utique omnes virtute par est instructos esse, atque adeo ad omnem virtutem probe diligenterque educari. Saltem igitur primum illud, nempe quod Cæsar voluerit juvenes Romæ studiorum caussa commorantes in officio contineri, & ne Urbana lascivia perderentur, prohibere, bene sese habet, & Imperii scopo ultimo satis est consentaneum.

Par pene ratio videtur esse illius quod tertio loco Cæsarem spectasse affirmavimus. In omni enim republica, & herili pariter & civiliore quavis, perutile est, ut cives omnes haud sint ignoti summæ potestati, quoad fieri ejus licet. Nec enim commode illi possunt usibus publicis adhiberi, si ignoretur quid valeant aut nequeant præstare. Ut autem illi qui digni & apti sunt admoveantur muneribus reipublicæ cedit non minus regentium commodo quam eorum qui reguntur, adeoque publice privatimque omnibus utile est. Scio quidem passim hoc ipsum negligi hodie, nec ipsosmet Romanos Cæsares omnes perinde in hoc aliquam curam impendisse, at non est quare aliorum negligentia opponi mereatur usui tam manifesto. Certe huic quoque fini instituisse in Urbe censum Servium Tullium Regem, & ab Augusto Cæsare idem tentatum in provinciis, ac Breviarium Imperii confici curatum, manifestum est. Tale quid ex parte propositum fuisse reipublicæ Hebræorum in accurata illa populi universi usque ad decurias divisione, quam (quod mireris) & Ingæ Peruanorum monarchæ observaverunt, ceu docet Acosta *l. 6. Histor. Americanæ, c.* 13. haud injuria itidem dixeris. Quin & Ægyptiorum Reges, dum voluerunt quemvis civium profiteri quo arte vitam sustentaret, idem videntur agitavisse. Certe & Cæsaribus & studiosæ juventuti pariter fuisse utile, quod Cæsares voluerint singulorum nomina & actus sibi perscribi, *quo merito singulorum institutionibusque compertis, utrum quandoque sibi essent necessarii judicarent*, vix potest à quoquam dubitari. Nec vero non etiam diligentiam juvenum excitavit sedula illa Cæsaris inquisitio: præsertim cum per literarum studia quisque ad honores conaretur pervenire, hi vero Cæsareo favore maxime essent impetrandi. Enimvero si & nostro ævo talis Principum inquisitio observaretur, rectius indubie haberent sese artium liberalium studia, & aliorum socordia ex-

A cuteretur, aliorum compesceretur protervia ac petulantia, aliorum denique industria ad summos præclarosque conatus accenderetur.

Postremo & illud, quod cautum voluit Cæsar, ne scil. peregrinatio juvenum diuturnior & studiorum prætextus provincialium & patriæ civitatis oneribus fraudi foret, publice interfuisse, fortassis haud potest esse occultum. Exigit enim utique salus reipublicæ ut necessaria onera quisque pro virili ferat: eoque legibus quamvis inviti in id sunt adigendi. Prodest etiam non permittere, ut quis pro arbitratu patriæ civitati sese queat
B subducere: alioquin enim civitas ob infortunium aliquod civibus viduari & brevi ad incitas possit redigi. Crudiusculum videlicet est illud, quod Tryphoninus *l. in bello ff. de capt. & postlim.* refert Sabini pronunciatum: *de sua qua civitate cuique constituendi facultas libera est*: nisi accipias non de eo quid expediat, sed quid Sabini ævo licuerit. Quemadmodum Cicero *pro Balbo* laudans jus illud, *ne quis in civitate maneat invitus*, *fundamentumque* appellans *libertatis*, *sui quemque juris & retinendi & dimittendi esse dominum*, ut orator quidem est ferendus, non tamen ut prudens Politicus. Tantum certe abest id probari
C debere, ut ne societati quidem alii fas sit socium renunciare pro lubitu, *si societatis intersit non dirimi societatem. Semper enim non id quod privatim interest unius ex sociis servari solet, sed quod societati expedit*; ut præclare loquitur Proculus apud Paulum *l. Actione ff. pro socio.* Hinc si non ante, saltim jam seculo Christiano tertio, quod idipsum salus publica exigeret, videntur Cæsares cavisse, ne quis translato etiam domicilio municipii sui muneribus obeundis solveretur: quantum colligere est ex verbis Ulpiani *l.* 1. *ff. de Decurionibus*: & rescripto Alexandri Cæsaris *l.* 1.
D *Cod. de municipib.* exinde vero idem strictim est observatum, & plurimis repetitis legibus, quarum affatim habet Codex uterque, confirmatum. Tanto bono, tamque utili in publicum instituto, proinde non debuit quovis studiorum obtentu fraus fieri. An tamen illud discedendi ex Urbe & patriam repetendi tempus debuerit juventuti præfigi, quod Lex nostra præfixit, non multo post inquiremus. Quæ jam diximus hoc loco sufficiunt.

Igitur scopi quidem proximi Legis nostræ bene sese habent. De eo quod materiæ loco est idem probare, ne quidem est necessum; usque adeo id liquidum est. Studiosa nimirum juventus
E Romæ peregrinata est illa (si ita loqui licet) materia, circa quam actus omnes, qui Lege mandantur, sunt exercendi. Nemo vero non videt, aptam illam esse quæ scopos istos assequatur, modo per actus idoneos, & ab iis qui idonei sunt, ducatur. Quidni enim juvenes ita queant educari, uti diligentiam literis impendant bonisque artibus imbuantur? Quid prohibet, quo minus caveatur, ne literarum studia ingenuorum adolescentum fraudi sint muneribus suæ cujusque patriæ? Quid denique obstat, quare singulorum in literis & moribus profectus Principi significetur? Certe & juvenes ipsi ad isthæc omnia sunt
F idonei: nec possunt deesse prudenter instituti actus aut personæ utiles hisce efficiendis. At vero quando materia aliqua ita est composita, ut per idoneos actus & agentem causam idoneam propositum scopum queas assequi, tum utique recte se habet, nec in ea quidquam merito desideratur: ceu jam tum ante monuimus.

Licet igitur & hunc locum deserere, atque ad examen illius normæ quam Lex nostra actibus ipsis præscribit, id quod potissimum est, progredi. Nec vero in efficientem causam rite inqui-

rere possumus, nisi hoc præmisso. Videamus ergo ordine actus omnes; & quidem maxime, quemadmodum Lex velit illos institui, vel quod idem est, qualem actibus illis formam Lex præscribat.

Initio igitur jubet Lex, ut *quicunque ad Urbem discendi cupiditate veniunt primitus ad Magistrum census, Provincialium Judicum, à quibus copia est danda veniundi, ejusmodi literas proferant, ut oppida hominum & natales & merita expressa teneantur.* Heic primum occurrit, quod sine Provincialium Judicum venia non licuerit cuiquam Romam studiorum caussa proficisci. Jam supra fassi sumus nos latere, num in universum fuerit vetitum, haud impetrata Judicum venia alio migrare. At vero interest reipublicæ saltim non cuivis liberum peregrinandi arbitrium permittere, non certe iis, qui in republica valent auctoritate, aut quorum discessu respublica potest in discrimen vocari, sive ne alibi res novas moliantur, sive ne sese reipublicæ temere subducant. Hinc sane jam olim edixit Augustus Cæsar, ne quis Senator injussu suo extra Italiam peregrinaretur; imo jam ante Cæsar Julius Dictator vetuit, ne quis civis major viginti annis plus triennio abesset Italia, aut Senatoris filius magistratusque comes peregre proficisceretur venia non impetrata. Ne Episcopi quidem primitivæ Ecclesiæ alii fini formatarum epistolarum usum introduxerunt. Multis post seculis non semel Anglorum etiam Reges simpliciter vetuerunt, se inconsultis ex Insula migrare. Idem hodie & Moschos & Sinenses observare est notum. Alibi in bene constitutis rebusp. passim illa arbitraria proficiscendi peregre licentia saltim magnatibus denegatur. Quicquid vero olim, quo tempore lata est Lex nostra, obtinuerit in Romano Imperio, certe quod non nisi Judicum provincialium consensu licuerit juvenibus Romam petere, per fuit utile conservandis provinciis; ne nimirum clanculum juvenes muneribus publicis sese subducerent. Non parum quoque fecit ad morum culturam, ne facinore aliquo perpetrato alibi quis latebras quærens effugeret pœnas, utque ita illa perpetua patrii judicis reverentia juvenes in officio contineret. Neutrum sane potest commode teneri, nisi illa proficiscendi licentia refrenetur.

Iisdem de causis indubie constitutum est, ut ad Magistrum census literæ Provincialium Judicum perferrentur, quæ *& oppida, & natales, & merita* adventantium docerent. Et morum scil. cultui hoc profuit, & provincialium munerum exercitio. Neque vero fraus aliqua temere fieri potuit annalibus legibus capessendorum in provinciis munerum, ab iis etiam qui Romæ procul à patria degebant; quoniam facili negotio quisque potuit domum revocari à magistratu provinciali. Certe à magistratu Romano nemo potuit commode reipublicæ caussa in patria oppida justo tempore remitti, nisi per tabulas ejusmodi *natales* & *oppida* innotuissent. Non minus vero hoc ipsum mores etiam juvit. Nec enim juvenis aliquis flagitiosæ vitæ bene *meritorum* testimonium publicum potuit Romam deferre: atque adeo Romam nemo temere studiorum gratia migravit, nisi perspectæ integritatis. Quantum porro virtutis fuit calcar à Judice Provinciali exspectare aut ferre natalium, sæpe nobilium aut alias eximiorum, & cumprimis bene actæ vitæ publicas tabulas!

Sciscit deinceps Lex, ut juvenes, *in primo statim introitu profiterentur, quibus potissimum studiis operam navare vellent.* Per autem etiam illud fuit utile, ad juvenes in studiis & officio continendos. Ita sane demum commode potuit in illorum diligentiam inquiri à magistratu. Et indubie ipsummet ingenuum quemque ac bonæ indolis juvenem puduit, professione illa sese indignum præstare. Certe ipsa illa solemnis *professio* incitamento fuit ad studia professa majore industria sectanda, saltim iis qui erectiore fuerunt animo. Quin valuit quoque hocipsum ad id, ut potuerint Cæsari à magistratu indicari publicis tabulis, cujuslibet juvenis bene in studiis aliis atque aliis collocatæ operæ. Certe absque illa professione solemni, nihil non horum minus recte præstari, ferme in propatulo est.

Ad acuendam juvenum diligentiam & bonos mores cumprimis etiam juvit, quod à Cæsare ipsi magistratui publico fuerit injunctum, *sollicite* omnino, non perfunctorie, *nota* sibi reddere juvenum singulorum *hospitia.* Nam hoc ipso cautum fuit saltim, ne forte locis minus honestis hospitarentur juvenes, atque ita ipsa hospitiorum scabie (ut ita loquar) inficerentur. Potuit vero hoc ipso eo rectius in actus omnes illorum à magistratu inquiri. Imo ipsimet juvenes, conscii quasi, in perpetuo se conspectu vivere magistratus, neque in ipsis hospitiis posse vitiis aut socordiæ latebras inveniri, non potuerunt non ultro, tacti illa reverentia, ad operam studiis dandam magis solito incitari. Hoc sane spectasse Cæsarem, ipsamet indicant illa verba Legis: *quo ei rei impertiant curam quam adseruerint expetiisse*: quibus utique indicatur, voluisse Cæsarem istac hospitiorum notitia publica accendere ingenuorum adolescentum studia.

Etiam illud bene habet, quod Cæsar non quidem juvenes interdixerit omni *conventu*, ita tamen in *conventibus* sese gerere juvenes jusserit, ceu decet eos qui famam integram sectantur, & omnes consociationes fugiunt: imo quod horum quoque curationem voluerit magistratui esse publicam. Fuere scil. conventus plurimi honorati atque utiles cum sacri tum profani: quibus interdum misceri, potuit juvenibus in omni vita apprime esse utile: utpote qui saltim exemplo virorum gravium & magnorum, quibus conventus multi constabant, ad præclaros conatus potuerint erigi. In illis vero conventibus turpe quidquam committi profecto non debuit, aut turpiter commissum tolerari: saltem ne quid dignitati conventuum illorum decederet: quod jam antehac monuimus. Multo minus fas fuit, tale quidpiam committi ab iis qui animi probe excolendi caussa Romam peregre adventaverant, posthac futuri seminarium reipublicæ in provinciis & sua cujusque patria. Multo minus tolerari *consociationes* debuerunt, utpote quæ tumultus moverent, & cum illos conventus publicos vehementer turbarent, tum juvenum ferociam incenderent ad pessimæ notæ facinora. Bene enim Cæsar tales *consociationes* dixit *proximas* esse *criminibus*, ac proinde non multo mitioribus pœnis animadvertendas. Si in juvene vero toleres *criminibus proxima*, perinde est atque si illum invites adultum ad crimina ipsa.

Cæterum de eo quod sequitur in Lege nostra non injuria dubites. Neque enim Cæsar interdixit omnibus *spectaculis* aut quibusdam juvenes, sed tantum jussit: *ne spectacula sæpius adirent.* Jam vero scenica spectacula pene in universum omnia quid dederunt non spurcum & obscœnum? Quid arenæ exhibuerunt non sævum & crudele? Etsi enim jam Constantinus Magnus cruenta gladiatorum spectacula removisset, ea lege quæ hodieque legitur *Cod. Theodos. & Justinianeo tit. de gladiatoribus*, arenario-

riorum tamen cum bestiis pugnæ & commissiones non desierunt nisi cum Occidentalis Imperii excidio. Hinc suo adhuc ævo in spectacula illa hisce verbis invectus est *l. 6. de gubern. Dei* Salvianus : *Nihil ferme vel criminum vel flagitiorum est quod in spectaculis non fit. Ubi summum deliciarum genus est mori homines, aut, quod est morte gravius acerbiusque, lacerari, expleri ferarum alvos humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, conspicientium voluptate. Hoc est non minus pene hominum aspectibus, quam bestiarum dentibus devorari. Atque ut hoc fiat, orbis impendium est. Magna enim cura id agitur & elaboratur : adeuntur etiam loca abdita, lustrantur invii saltus, peragrantur sylvæ inexplicabiles, conscenduntur nubiferæ Alpes, penetrantur niviferæ valles : & ut devorari possint à feris viscera hominum, non licet naturam rerum aliquod habere secretum.* Porro & Circensia omnia saltim insaniæ & vanitatum fuerunt plena. Atque adeo ita plane sese habuerunt spectacula, quemadmodum sanctissimus ille presbyter Massiliensium scripsit : *Quicquid immunditiarum est, hoc exercetur in theatris : quicquid luxuriarum, in palæstris : quicquid immoderationum, in circis : quicquid furoris, in caveis. Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania : ubique Dæmon, imo per singula ludicrorum loca universa dæmonum monstra.* Eoque prima illa & aurea Christianismi ætas ab hisce spectaculis omnibus abstinuit, imo in sacri fœderis cum Christo ineundi formulam recepit illa : *abrenuncio Diabolo & pompæ ejus* : spectacula annumerans Diaboli Pompæ. Quomodo eam vocem quoque Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Augustinus, Salvianus & alii sunt interpretati. Hinc sane Isidorus Hispalensis l. 18. Origin. c. 59. *Hæc spectacula*, inquit, *crudelitatis & inspectio vanitatum, non solum hominum vitiis sed & dæmonum jussis instituta sunt. Proinde nihil esse debet Christiano cum Circensi insania, cum impudentia Theatri, cum Amphitheatri crudelitate, cum atrocitate Arenæ, cum luxuria Ludi. Deum enim negat qui talia præsumit : Fidei Christianæ prævaricator effectus, qui id denuo appetit, cui in lavacro jampridem renunciavit, i. e. Diabolo, pompis & operibus ejus.* Ea autem cum fuerint olim spectacula Romana, qui potuerunt iis interesse adolescentes isthac ætate quæ cerea est in vitium flecti ? Ut boni sane & innocentes introierint, non potuerunt non corrupta mente exire. *Adulterium discitur*, dicebat recte Cyprianus, *dum videtur, & lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, quæ pudica fortasse ad spectaculum matrona processerat, revertitur impudica.* Vel ut verbis utar Salviani : *qui forte ad spectaculum puri venerant, de theatro adulteri revertuntur.* Et vero qui evitari hæc labes potuit saltim in theatro, omnibus sensibus vitiorum vi occupatis ? Bene nimirum idem Salvianus : *Alia crimina singulas sibi ferme in nobis vendicant portiones : ut cogitationes sordidæ animum, ut impudici aspectus oculos, ut auditus improbi aures : ita ut cum ex his unum aliquod erraverit, reliqua possint carere peccatis : in theatris vero nihil horum reatu vacat, quum & concupiscentiis animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluantur. Quæ quidem omnia tam flagitiosa sunt, ut etiam explicare ea quisquam atque eloqui salvo pudore non possit.* Enimvero præclare Aristoteles monet, in bene constituta republica prohibendum esse, *ne pueri quid illiberale vel audiant vel videant.* Quanto majore indiget cura adolescentum ætas ? Nec enim puerorum imbecillitas vitiis vel æstimandis vel amandis par est :

A at adolescentia jam sufficit iis exercendis. Ut proinde hi longe magis ab ejusmodi peccandi illecebris sint removendi quam pueri. Igitur longe videtur fuisse consultius futurum, si Cæsar omnibus omnino, vel certe saltim scenicis omnibus spectaculis, studiosos adolescentes abstinuisset. Minimum omnium debuisset illos non nisi certo definito tempore ad spectacula admittere. Ad quem modum Theodosius Magnus circumscripsit Judices sive Rectores provinciarum *l. 2. C. Theod. de spectaculis.* Verba Legis sunt : *Nullus omnino Judicum aut Theatralibus ludis, aut Circensium certaminibus, aut Ferarum*
B *cursibus vacet, nisi illis tantum diebus, quibus vel in lucem editi, vel Imperii sumus sceptra sortiti : hisque ut ante meridiem tantum solemnitati pareant, post epulas vero ad spectaculum redire desistant.* Utique intra paucos certos dies, & intra pomeridianum tempus (ne antemeridianæ horæ studiis perirent) constringi juvenes & potuissent, & summo cum usu publico privatoque debuissent. Nec enim, permissa spectandi licentia, potuit facile caveri, ne juvenes *spectacula frequentius adirent* : utpote cum illud quidem non perinde facile observatu fuerit magistratibus quibus illa cura commissa erat, præsertim cum
C spectacula variis in locis Urbis fuerint instituta.

Similiter in Lege nostra fortassis haud satis prudenter, juvenes tantum *appetere vulgi intempestiva convivia* prohibentur : cum videatur fuisse magis in rem, illos ab omnibus istis vulgi conviviis arcere. Fuerunt scil. & convivia solemnia tum lascivia & luxu infamia. Id sane vel ex iis quæ supra ex Tertulliani apologetico & canone sexagesimo Africano produximus palam est. Et vero rigidi virtutis sectatores primi Christiani epulas publicas illas tanquam sanctimoniæ professionis suæ adversas studiose vita-
D verunt. Quam spuria certe fuerint tum festa convivia, discere etiam est ex phaleucis quos *epistolæ undecimæ l. 8.* Sidonius Apollinaris inseruit :

Hic cum festa dies ciere raucos
Cantus ceperit, & voluptuosam
Scurrarum querimoniam crepare. &c.

Perstrepebant nimirum passim omnia convivia lascivis cantibus, non juvenum duntaxat sed etiam meretricularum. Primus enim Theodosius Magnus Cæsar post latam hanc Legem nostram fidicinas aut psaltrias eliminavit, præcla-
E ra illa lege quæ Codicis Theodosiani *l.* XV. *tit. de Scenicis* continetur : *Fidicinam nulli liceat vel emere, vel docere, vel vendere, vel conviviis aut spectaculis adhibere.* Non deerant conviviis porro & thymelici ac pantomimi, *corruptelarum disciplinæ*, quomodo eos eleganter appellat Lactantius. Unde graviter cavet in hunc modum canon Laodicenus LIV. qui est Codicis canonum universæ Ecclesiæ, cujus restitutionem Christophoro Justello debemus, centesimus post quinquagesimum octavus : *Quod non oportet sacerdotes aut clericos spectacula aliqua contem-*
F *plari in nuptiis vel conviviis, sed antequam thymelici ingrediantur eos fugere & discedere.* Si autem sacerdotibus non fuit fas spectare illa conviviorum ludicra, qui erant ætate adulta & pectore contra vitia roborato, quanto minus ad spectacula illa convivalia admitti debuerunt teneri adolescentes. Præclare & propemodum sancte Juvenalis Sat. XIV.

 Nil

Nil dictu fœdum visuve ea limina tangat
Intra quæ puer est. Procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia.

Non autem puero duntaxat sed etiam adolescenti & juveni illa debetur reverentia: imo his maxima debetur, quia omnium facillime corrumpuntur præ pueris. Taceo nunc conviviorum illorum vinolentiam: quæ itidem adolescentibus ad virtutem instituendis, cane pejus & angue, quod aiunt, vitanda est. Non urgebo etiam, quod cum conviviis interesse licuerit illis studiosis, non potuerint, vel certe vix potuerint, Censuales cavere, ne juvenes isti *adpeterent vulgi intempestiva convivia*: atque adeo Lex sperato effectu caruerit.

Enimvero haud equidem dubito, longe rectius fuisse consultum moribus juvenum, si vel nulla spectacula aut convivia ejusmodi fuissent edita, vel saltim iis omnibus fuisset juventuti interdictum. Potuisset sane haud difficulter id caveri à Censualibus, præsertim si illi liberalium artium studiosi habitu aliquo fuissent à reliquo numero distincti. Ita sane potuissent facile notari & observari, in illa immensæ Urbis infinita quasi hominum multitudine. Merito sane etiam hoc quis desideraverit in nostra Lege, quod juvenes illos singulari aliquo vestitu oculis & censuræ Censualium non exposuerit, cum tamen vellet eos cum cura observari. Verum de hisce fortasse plus satis. Pergendum est in Legis nostræ censura.

Sequitur autem in Lege; permitti, ut *si quis non ita in Urbe se gesserit, quemadmodum liberalium rerum dignitas poscat*, Primum *publice verberibus adficiatur*, Secundo *navigio superpositus abjiciatur Urbe*, Tertio *domum redire compellatur*. Num vero hæc animadversio non sit justo gravior, vehementer metuo. Publica videlicet verberatio ignominiam addidit. At vero adolescentem ingenuum, ætate tenera, & vitio loci indigne sese gerentem studiis liberalium rerum, statim ignominia afficere, nimis videtur durum. Pro magno peccato, dicebat ille, paulum supplicii satis est patri. Quamobrem itaque Cæsar intendit pœnas incautæ adolescentiæ peccato, verberationem alias non promerenti? Certe infamem reddere adolescentem, quid aliud est pene quam ad desperationem adigere, & secuturæ vitæ omni præripere ad laudem & gloriam reditum? Quod si solis consociationibus aut turpibus criminibus pœnam ejusmodi dictasset Cæsar, non esset justus dolori aut querelæ locus. At Lex universim in omnem qui aliter se gesserit atque liberalium rerum dignitas exposcit, ita permittit animadvertere. Non accuso, quod Lex sontes adolescentes Urbe exigat, & domum ad suos remittat. Nec vero ferendi erant in Urbe ubi exspectatione indignos se præbuerant: parentum itaque & amicorum severæ disciplinæ merito erant reddendi. Sola verberatio displicet. Notandum tamen, non juberi illam animadversionem sed tantum permitti. An fortassis igitur tantummodo in terrorem hæc ita Lex scivit? Non me latet tamen, Valentinianum Cæsarem nostrum fuisse severum & asperum immitemque in pœnis: docente idipsum præter alios Ammiano Marcellino *l.* XXVII. *c.* 15. *l.* XXIIX. *c.* 3. *&* *l.* XXX. *c.* 27. Ex eodem Marcellino novimus, quo tempore lata est Lex nostra, Maximinum Urbicæ annonæ curatorem, hominem crudelem, Olybrio Præfecto ægrotan-

A te, acerrimis pœnis sæviisse in Romanos cives, & hoc nomine Valentiniano fuisse acceptissimum, imo Cæsarem ab illo homine, ad statuenda præter morem crudelia supplicia, fuisse quasi efferatum. Prolixe enim sævitiam hujus Maximini persequutus est Ammianus *l.* XXVIII. prioribus integris undecim capitibus. Igitur haud injuria forte suspiceris, juvenili nonnullorum petulantia irritatum Maximinum, suggessisse Cæsari isthæc dura, & persuasisse, *ut erat* Cæsar *acer vitiorum inimicus magis quam severus*. Quicquid hujus sit, verberationem publicam haud facile probaverit
B quis conscius juvenilis conditionis, ejusque quod ex pœnis exspectari debet commodi.

Cæterum nec illud prudens aliquis laudaverit, quod Lex vetet, quenquam Romæ ultra annum ætatis vicesimum studiis dare operam. Nec vero tale quidquam reipubl. usus postulavit, & fuit studiis ipsis maxime adversum. Quid enim præclari in liberalibus studiis præstiteris, si isthac ætate à magistris divellaris? Quid cum primis præstiteris in Juris prudentia addiscenda, jam tum ejus scholas deserere coactus? Fateor equidem, non debuisse studia juvenum fraudi esse provincialibus municipiis, aut eorum obten-
C tu vitari munera necessaria publica. At vero non ea fuit utique omnibus in locis idonearum personarum inopia, ut sine discrimine omnes, abrupto studiorum cursu, tantum viginti annos nati debuerint patriæ sese sistere. Imo isthac ætate ad munia reipubl. capessenda plærique nondum sunt idonei. Agnovit hoc prudenter Ulpianus: cujus verba sunt *l.* 8. *ff. de munerib. & honoribus*: *Ad rempublicam administrandam ante vicesimum quintum annum, vel ad munera, quæ non patrimonii sunt, vel honores, admitti minores non oportet. denique nec decuriones creantur, vel creati suffragium in curia ferunt.* Prudenter etiam
D *l.* 11. *ff. de Decurionib. & filiis eorum* Callistratus Jurisconsultus: *Non tantum qui teneræ ætatis, sed etiam qui grandiores natu sunt, decuriones fieri prohibentur. Illi quasi inhabiles rempubl. tueri, ad tempus excusantur, hi vero in perpetuum amoventur. Neque enim minores viginti quinque annis decuriones alligi nisi ex causa possunt.* Jam vero munera patrimonialia non profecto in tantum fuerunt vel necessaria reipubl. vel utilia, ut studia, quæ utique in reip. usum maximum exercentur, debuerint abrumpere vel sufflaminare. Itaque consultius profecto fuisset, tantisper in literis Romæ commorari sinere juvenes rerum suarum
E satagentes, donec à patria republ. avocarentur, imo vacationem illis dare saltim usque ad annum vicesimum quintum; quemadmodum Beryti degentibus illam indulsere Diocletianus & Maximianus Cæsares: imo potius debuissent illi excusari usque ad annum tricesimum, quem lex Papia, teste Plinio, Bithynis definivit ad honores capessendos. Certe non urgente ulla patriæ necessitate, juvenes tenera adeo ætate etiam *invitos* à studiis abrumpere, est reapse studia ipsa quasi in herba suffocare, idque cum insigni reipubl. detrimento. Arguit profecto hæc res suggestam Cæsari Legem, ab homine nulla solida
F eruditione instructo. Quem ut Maximinum illum fuisse, etiam hinc liceat suspicari: utpote qui, teste Ammiano, non nisi *post mediocre studium liberalium doctrinarum defensorem* egerit *causarum ignobilem*.

Quum hæc vero ita sese habeant, non difficulter apparet, haud fuisse opus illa curiosa Censualium diligentia, quam adhibere debuerunt per singulos menses, in deferendis illorum nominibus, qui exacto vicesimo anno in patriam à

Præ-

Præfecto Urbis fuerunt remittendi. Potuissent nimirum juvenes gnavi longe rectius tantisper Romæ relinqui, donec patriæ necessitatibus fuissent avocati. Nihilominus tamen ex usu fuit publico, Urbis Præfecto *per singulos menses* indicari, *qui vel unde Romam venissent*. Nec enim absque hoc indicio Præfectus Urbis curam illorum potuit suscipere. Ut autem susciperet, interfuit reipublicæ pariter & privatim ipsorummet juvenum, quum in omnes Romæ commorantes jurisdictio fuerit penes Præfectum, & sub oculis quasi degere magnorum hominum, ingens sit juventuti ad virtutem calcar.

Quam utilis aut noxia porro fuerit illa exceptio eorum *qui corporatis erant adjuncti*, non licet pronunciare: quum mentem Legis videar mihi hac in re non satis assequutus. Vacat tamen forte dubio, neutiquam corporatis merito adjunctos Roma fuisse pellendos, cum & ipsi fuerint in censu servorum Urbis publicorum, perinde ut Corporati Urbici alii, pistores, suarii, vini susceptores, collegiati, chartopratæ & nummularii. Forte tamen par fuisset, solvere illa servitute omnem liberalibus studiis probe institutum corporatum: atque adeo dare liberaliter imbutis atque erectis animis: magno sane ad virtutem incitamento.

Cumprimis vero illud laudes in Lege nostra, quod Cæsar jusserit, per ipsum Urbis Præfectum quotannis sibi significari & ætatem & merita juvenum. Jam tum supra videlicet ostendimus, quam sit publice privatimque utile, si ipsi illi qui summa in republ. sunt potestate, habeant civium suorum accuratam notitiam. Idipsum autem quam commodissime potuit Cæsari innotescere, annua illa juvenum omnium recensione, ab ipso facta Urbis Præfecto. Nec vero opus fuit *per singulos menses* id fieri perinde atque apud Præfectum Urbis; utpote quum satis sit, si Principi tantum summa quæque innotescant, & annuo demum spacio queat singulorum juvenum industria & profectus in reipubl. usum æstimari. Non est quod de summa utilitate extremæ hujus Legis nostræ clausulæ prolixius disseramus, quum jam ante illam multis laudaverimus, & actum agere vetet instituta brevitas.

Et vero tempus est ut ad id, quod postremo in Lege nostra venit observandum, de causa quam efficientem dicimus, aggrediamur. Expediendos scil. illos quos enumeravimus actus commisit Cæsar, alios Magistro Census, alios Censualibus, alios Urbis Præfecto; qui proinde causa sunt efficiens actuum à Lege præscriptorum: bene vero an secus omnia hæc illis commiserit, nondum constat. Constare tamen haud adeo difficulter etiam id poterit, comparatione aliqua instituta, formam finemque actuum illorum, ut & studiosam juventutem inter, ac ipsos illos quibus hæc sunt commissa: prout in omni accurato examine effectricis causæ fieri debere, jam tum ante professi sumus.

Atque apud *Magistram Census* quidem & potuit & debuit merito peregre adventantium annotatio fieri. Huic enim curæ fuerunt Tabulæ censuales. Imo non potuere juvenes alibi citra reipubl. aliquam confusionem in tabulas referri: præsertim cum suo tempore debuerint patriæ reddi & muneribus provincialibus exhiberi: quod absque auctoritate summi alicujus magistratus præstari non potuit. Nihil profecto obstat, quominus apud Magistrum census adventantes juvenes potuerint annotari. Nec par fuisset, Judicum sive Rectorum provincialium testimonia, tradi viro minoris dignitatis quam erat Magister

A census: nec tabulis censualibus alibi confectis sua peræque fides constitisset. Certe illi scopo, qui propositus fuit annotationi publicæ, obtinendo omnium maxime fuit idonea Magistri census dignitas atque existimatio. Fuit autem census pars olim professio vitæ aut *studiorum*, quibus *potissimum quis voluit operam navare*. Igitur & illa quam commodissime potuit simul institui apud Census Magistrum. Ne nunc dicam, quod viri adeo magni auctoritas, quemvis ingenuum adolescentem non potuerit non solito magis memorem reddere factæ professionis suæ: quo scil. caveret, ne virum ita magnum professionis consB cium malis moribus aut socordia falleret atque offenderet.

Cæterum an perinde prudenter *Censualibus* fuerit injuncta inquisitio in mores ac diligentiam studiosorum, vehementer dubito. Erant nimirum illi multis aliis negotiis occupatissimi; nec literarum studiis dediti; aut etiam illis imbuti. Itaque per negotia quoque illis non ita licuit huic vacare inspectioni: etsi ad id fuissent idonei. Imperitia vero literarum eosdem ad id ineptos reddidit. Qui enim homo rudis studiorum merita, aut profectus exploraverit? Videtur sane, longe commodius curam illam potuisse committi ipsis C Magistris sive Doctoribus: utpote qui omnium aptissime potuerint attendere ad diligentiam singulorum auditorum, & de eorum in literis profectu judicare. Quod si & horum potuerit forte suspecta esse fides (sunt enim, fateor, sæpenumero illi ipsis suis auditoribus obnoxii, & debito proinde in eos indulgentiores) debuisset saltim summa hujus rei curatio committi alicui, moribus & dignitate conspicuo seni aut senectuti proximo. Quemadmodum videlicet, prudentissimo Lycurgi instituto, communi educationi juventutis præfectus fuit ὁ παιδονόμος; vir in D republica eximius, & re probe gesta summo mox magistratui admovendus, quod nos Xenophon docet opusculo de Republ. Lacedæmoniorum. Tanta certe est utilitas probæ educationis juvenilis, uti quam maxime ex usu sit reipublicæ, ejus curam viris magnis & perspectæ probitatis commendare. Imo si juventutis numerus sit major, ex usu est, in illam curam integrum aliquem hominem impendere. Quod proinde & Romæ debuisset fieri, cum ingens ibi fuerit studiosæ juventutis copia; præsertim quum illa iis maxime studiis navaret operam, quibus in judiciis & republ. administranda indigemus. Nec E vero omnia isthæc ad Præfectum Urbis, virum rebus aliis longe occupatissimum potuerunt deferri, ut non plurima negligerentur. Minime omnium tantæ curationi Censuales fuere pares; præsertim cum ipsi nulla valuerint conspicua dignitate, sed inter officiarios sive ministros fuerint computati.

Jurisdictionem omnem in juvenes nostros *Præfecto Urbis* esse commissam, non est quod improbemus. Utique enim, si nihil aliud obstet, unice, ex usu est publico, ut uniuscujusque civitatis una sit summa jurisdictio, atque unum F summum tribunal. Scimus quidem, nostris seculis passim terrarum ita vivi, ut jurisdictio Academica non sit penes oppidi cujusque rectores ac magistratus; idque jam obtinere ab ævo usque Friderici I. Cæsaris, postquam ille condidit quam dicimus authenticam, *Habita C. ne filius pro patre*. At vero institutum hoc ita est, quod plærique oppidanorum magistratus rudes tum essent literarum, vel homines viliores, ac proinde artium studiosis, iisque sæpe magno loco natis, iniqui & graves. Neque vero ferendum est,

A est, ut injuriæ exponantur hominum illiberalium
ingenui juvenes, quos studiorum amor in dissita
à patria loca propellit. *Quis enim eorum non mi-
sereatur* (verba sunt Cæsaris Friderici) *qui amo-
re scientiæ exules, facti de divitibus pauperes, vi-
tam suam multis periculis exponunt, & à vilissimis
sæpe hominibus (quod graviter ferendum est) corpo-
rales injurias sine causa perferunt?* Quam vero Præ-
fecti Urbis Romæ longe fuit alia conditio, ab
ea magistratuum istorum oppidanorum! Quan-
ta ille dignitate semper, quanta plærumque vir-
B tute etiam ac doctrina valuit! Certe Urbicum
Præfectum cum oppidanis magistratibus nostris
contendere, fere est muscam cum elephanto
committere. Et tamen hodieque, ubi locorum
nec illa vilitas est hominum qui magistratu fun-
guntur, nec illa ruditas (ut in civitatibus ma-
joribus) jurisdictio in scholasticos satis probe ab
urbano magistratu instituitur. Certe superva-
C cuum arbitror, multis ostendere, quam prosit
reipubl. ut singulis locis unus præsit cum impe-
rio & omni jurisdictione, nisi aliud quid vetet:
eoque non etiam est, cur nunc quidem addamus
verbum, in defensionem ejus quod Præfecto Ur-
bis fuerit illa etiam in scholasticos jurisdictio con-
credita.

ATQUE ita jam à nobis etiam Politica Le-
gis nostræ censura atque interpretatio est institu-
ta. Neque enim arbitror quidquam in ea supe-
resse, dignum expensione, quod usum in repu-
blica obtineat. Palam vero jam est, non qui-
dem illam omni ex parte vacare suis nævis, at-
tamen merito laude esse dignissimam: cum prop-
ter multa præclara instituta, tum præcipue ob
conatum illum continendi in officio studiosam
juventutem. Recte enim Plato: *non potest de di-
viniore negotio homo instituere deliberationem, atque
de recta pueri juvenisque institutione, qui bonus pa-
triæ civis aliquando debet esse.* Imo (ut Ciceronis
verba mutuemur) *nullum munus adferre reipubl.
majus meliusve possumus, quam si docemus & eru-
dimus juventutem, his præsertim moribus & tempo-
ribus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus
refrenanda atque coërcenda sit.* Pessime profecto
meretur de republ. Legislator, qui hanc curam
seponit. Ut proinde nec Tribonianum forte quis
excusaverit, quod non tantum ex Codice Justi-
nianeo Legem hanc rejecerit, sed nec aliam ul-
lam, de proba juventutis scholasticæ educatione,
in vastum illud Legum corpus retulerit. Nec e-
nim quæ de nominibus juris studiosorum sciscun-
tur, aut quæ traduntur de ludis petulantis ado-
lescentiæ literariæ coërcendis, *constit. omnem
reipubl.* illam laudem promerentur.

F I N I S.

CHRIS-

CHRISTOPHORI CELLARII

DE

STUDIIS ROMANORUM LITTERARIIS IN URBE

ET

PROVINCIIS

DISSERTATIO.

CHRISTOPHORI CELLARII
DISSERTATIO
DE
STUDIIS ROMANORUM
LITTERARIIS IN URBE
ET
PROVINCIIS.

I.

Imperiorum & rerumpublicarum, quas Deus ab orbe condito eminere voluit, primas partes Romanam tulisse magna consensione, quotquot non rudes historiarum sunt, ad unum omnes rationibus non incertis persuasi confirmant. Nullum enim unquam imperium cum hoc vel amplitudine finium & numero provinciarum; vel copiis & exercituum robore & inde sequuta victoriarum gloria; vel denique administrationis prudentia & diuturna rerum conservatione, comparari potuit, ut non magno post illud intervallo relinquatur. Caussam magnitudinis percontati, plures quidem in armorum peritia & firmitudine invenisse putant, quam nemo quidem negabit facile ad subigendos populos & proferendos fines contulisse: si vero nobis dicendum est, quod sentimus, ingenue fatemur, illam neque unicam nobis, neque praecipuam caussam magnitudinis Romanae, quam indicavimus, videri. Proelio enim vincere & urbes expugnare, ac populos in servitutem redigere etiam barbarorum est: at victos deditosque ad vitam mansuetiorem adducere, eosque ita in officio continere, ut non inviti pareant, neque se victos esse, sed auctos felicitate fateantur: ita qui vicit, is majori, quam armorum, praesidio imputare victoriam necesse habet.

II.

Quum autem duo sint, quibus Romani nominis sui magnitudinem implerunt; armorum peritia & studia litterarum; atque armis arma irritentur, neque tranquilla obtineatur felicitas; consequens est, ut litterarum cultura effectum sit, ut ad tantum fastigium Romana majestas eveheretur, & per tot saecula in eodem immota atque inconcussa etiam perstaret. Liberalibus enim disciplinis & ipsi didicerunt, qui benigne atque ex aequo imperarent: & qui illorum ditioni subjecti erant, in studiorum societatem perducti, promtiores facti ad parendum sunt, postquam litterarum lumine cognoverunt, quorum imperio acceptum referrent, quod a barbarie ad vitam cultiorem, & ab inscitia ad humanitatem & variam doctrinam traducti essent. Quum itaque tantos fructus ex studiis percepisse Romanos constet, operae pretium facturi nobis videmur, si in studia illorum, quibus tantam consequuti felicitatem sunt, disputando inquiramus, ut aemulatione excitati, quod salubre nobis & nostrae sit reipublicae, tanquam ab exemplo, in illustri loco ad imitandum proposito capiamus.

III.

Sero in urbe studia litterarum coli & exerceri coeperunt, nec ante Punica bella quisquam clarus iis disciplinis inter Romanos commemoratur. Omnis doctrina antiquitus Philosophia, Historia, Poesi, & oratoria Arte continebatur, cui pauci Jus Civile addiderunt: sed politiores litterae poesi maxime ac oratoria concludebantur. *Livius Andronicus* primus fabulam Romae docuit, seu litteraturam illam comicam a Graecis in Latinos transtulit anno circiter proximo post finitum bellum I. Punicum. Ciceronem auctorem sequimur in Bruto cap. XVIII. *Hic Livius*, inquit, *qui primus fabulam C. Clodio Caeci filio & M. Tuditano Coss. docuit, anno ipso antequam natus est Ennius; post Romam conditam autem quarto decimo & quingentesimo, ut hic ait quem nos sequimur.* HIC, id est Pomponius Atticus in Annalibus, qui inter colloquutores erat. Ex quibus corrigendus est alius locus Ciceronis lib. I. Tuscul. Q. cap. I, ubi legimus: *Serius poëticam nos accepimus. annis enim fere CCCCX. post Romam conditam Livius fabulam dedit, C. Claudio, Caeci filio, M. Tuditano, Consulibus, anno ante natum Ennium.* Accedunt Fasti, qui illos Consules, post quingentesimum, anno XIII. constituerunt: & Gellius lib. XVII. cap. XXI. idem confirmat.

IV.

Quinto post anno, quam Livius ingenium proferre coeperat, hoc est IↃXIX. urbis conditae, *Naevius* poëta fabulas apud populum dedit, uti apud Gellium d. l. est; quem brevi post *Ennius*, bello Punico II. centurio, sequutus est, qui in majus meliusque Latinas litteras ingenio suo provexit. Hunc plures exceperunt *Caecilius*,

lius, *Pacuvius*, *Attius*, *Afranius*, *Lucilius*. Velleius Paterculus lib. II. cap. IX. *Clara per idem aevi spatium fuere ingenia, in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti. —— Celebre & Lucilio nomen fuit, qui sub P. Africano, Numantino bello, eques militaverat.* Hos ut ingenio valuisse non negamus: sic arte rudes fuisse, si posterioribus comparentur, non diffitendum est, quod de Ennio Ovidius dixit lib. II. Trist. v. 424. Et Cicero de Clar. Orat. cap. LXXIV. *Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen; nam illorum aequales, Caecilium & Pacuvium, male loquutos videmus.* Sub idem tempus *Plautus* jam tum elegantioris notae, eminuit. Itidem Tullius tempus notavit d. l. cap. XV. *Plautus* inquit, *P. Claudio L. Porcio, viginti annis post illos, quos ante dixi, Consules, mortuus est, Catone Censore.* qui annus in Fastis est IↃLXIX; aut Ciceronis calculo, antea dato, IↃLXX.

V.

Nec minor multo *Terentius* fuit, cultu nitidiore praeclarus auctor, de quo, ut ipse prologo Adelphorum ait, malevoli homines, eruditioni ejus detrahentes, dixere,

homines nobiles
Eum adjutare, assidueque una scribere,

quos nobis auctor Vitae Terentianae prodidit: *Cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano & C. Laelio.* Utrumque autem, & Laelium & Scipionem, minorem intelligimus, quod auctor Vitae Terentii ex Fenestella probat, intra finem belli Punici secundi, & initium tertii, & natum & mortuum esse Terentium. Quinquaginta autem anni inter secundum & tertium bellum sunt. C. Laelium Terentio aequalem fuisse tam studiis quam aetate, etiam Cicero testatur ad Atticum lib. VII. epist. III. *Terentii*, inquit, *fabellae propter elegantiam sermonis putabantur a Caio Laelio scribi.* De Scipione, Laelii socio Velleius lib. I. cap. III. *Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani, paternisque L. Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togae dotibus, ingeniique ac studiorum, eminentissimus.* Ecce nunc elegantiora studia, tempore tertii belli Carthaginiensis! & par in his studiis exercendis nobilissimum Scipionem & C. Laelium, quos, quod poëtam amabant, adjuvabant, poëtarum censui potius, quam alii ordini, adscriptos jam voluimus.

V I.

Sub idem tempus quidam historias scribere non infeliciter coeperunt. *Fabius Pictor* haud dubie illorum primus fuit, quem Livius lib. XXII. cap. VII. de proelio ad Trasimenum lacum, tanquam *aequalem illis temporibus auctorem* sequutus fuit. Hunc etiam Gallico bello, quod IX. annis ante Annibalicum ab universa Italia gestum fuit, interfuisse, idemque scripsisse, Eutropius auctor est lib. III. cap. II. Hunc Latine scripsisse ex eo constat, quod Catoni & Pisoni Frugi, oppido antiquis Latinis, M. Tullius lib. II. de Oratore cap. XII. conjunxit & interseruit. An vero etiam Graecos annales scripserit, ut probari videtur ex lib. I. de Divinatione cap. XXI, non in aperto est. Vossius mavult diversos statuere, quam pro eodem scriptore habere. *Cato-*

A *nis origines*, quas senex scripsit, in fragmentis adhuc sunt commendabiles. His adjungit Cicero, ut diximus, *Pisonem*, qui Calpurnius Frugi est, cujus aetatem indicat in Bruto cap. XXVII, quia hic primus legem de repetundis, quae *Calpurnia* inde dicitur, L. Censorino & M. Manlio Coss. tulit, hoc est anno urbis IↃCV. Annales ei *exiliter scriptos*, ibidem tribuit. Proximus huic *L. Cassius Hemina*, quem ludis saecularibus quartis interfuisse anno urbis IↃCVIII. celebratis, Censorinus testis est cap. XVII. Laudatur a variis, Plinio, Gellio, Macrobio, Nonio, aliisque. Posteriores fuere *L. Sisenna*, *Q. Claudius*
B *Quadrigarius*, *Q. Valerius Antias.* Velleius Paterculus lib. II. cap. IX. de Numantino bello & proximis temporibus: *Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis; sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisenna Caelius: aequalis, Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias.*

V I I.

Oratores succedunt, quos non ex prima aetate arcessimus, Menenium Agrippam, seditiosam plebem ex sacro monte revocantem: Ap-
C pium Claudium Caecum, pacem cum Pyrrho in senatu dissuadentem: M. Popilium, laena amictum a sacrificio, seditiones itidem oratione sedantem; de quibus Livius II. cap. XXXII; Silius Italicus lib. XIII. 725, Cicero in Bruto cap. XIV; qui etsi naturali vi persuaserunt populo, quod tamen sine arte dicendi fuerunt; neque oratores dicendi sunt. Cicero d. l. *Eos oratores habitos esse; aut omnino tum ullum eloquentiae praemium fuisse, nihil sane mihi legisse videor.* Non ergo ante bella Punica inveniemus quos in numero ponamus eloquentium oratorum. Primum autem cum Cicerone cap. XV. ponimus *M. Cornelium*
D *Cethegum*, quem Ennius audivit, & hoc elogio in nono annali ornavit:

Additur orator Corneliu' suaviloquenti
Ore Cethegus Marcu', Tuditano collega.

Censorius *Cato* non orationibus minus, quam originum historicis, & de re rustica libris clarissimus, huic forte proximus ex iis, quorum nomina memoriae dicata sunt, successit. *Antiquior quidem est ejus sermo, & quaedam horridiora verba. Ita enim tum loquebantur. Id muta, quod tum ille non potuit; & adde numeros; & aptior sit oratio:*
E *ipsa verba compone, & quasi coagmenta, quod ne Graeci quidem veteres factitaverunt: jam neminem antepone Catoni*, quod Ciceronis judicium est de Clar. Orat. cap. XVII. Post hunc majori se numero proferebant, *C. Laelius* & *P. Scipio* Aemilianus, uterque *Gracchus*, Tiberius & Caius; *Servius Galba*, *C. Carbo*, & quos alios ejus aetatis laudat d. l. cap. XXV. seqq. M. Cicero. Sed omnes fere ingenio & artificio dicendi superarunt *L. Crassus* & *M. Antonius*, quos Tullius inter se comparavit de claris Orat. cap. XXXVII. Horum enim aetas in majoris lucis ortum jam
F vergebat. Antonius enim Mariana saevitia exstinctus est: Crassus paullo ante, in morbum ex contentione vocis implicatus, exspiraverat.

V I I I.

Sic sensim eloquentia in urbe succrevit, & indies facta ornatior, ad aliud tempus adspiravit, quo supremam limam M. Tullius expoliendae adhiberet. Mireris vero sub idem tempus, & eodem

eodem Crasso auctore, Latinos Rhetoras urbe expulsos esse, quod sane maximum detrimentum est studiorum & eloquentiæ. Suetonius de Clar. Rhetor. cap. I. tradit, a *Cn. Domitio Ænobarbo & L. Licinio Crasso Censoribus* (qui Crassus ipsemet Orator est, quem modo laudavimus) *ita edictum esse: Renuntiatum est nobis esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus in ludos conveniat: eos sibi nomen imposuisse LATINOS RHETORAS: ibi homines adolescentulos totos dies desidere. Majores nostri quæ liberos suos discere, & quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur. Quapropter & iis, qui eos ludos habent, & iis qui eo venire consueverunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, NOBIS NON PLACERE.* Idem Gellius lib. XV. cap. XI. repetiit. Quod si uno anno ante bellum Marsicum ita sancitum fuit: minus est quod admiremur, LXX. ante annis, Fannio Strabone & Valerio Messala Consulibus de Philosophis & Rhetoribus SC. factum, UTI ROMÆ NE ESSENT, quod ibidem Suetonius adnotavit. Sed non est, cur ejus nos admiratio, quasi justam ob caussam, subeat. Virtus, æquum, integritas adhuc Romanis curæ erant, quo fieri non potuit, ut Rhetorum & Sophistarum argutiæ & captiones, fictæque ad jus pervertendum controversiæ ac declamationes placerent. Nam Rhetorum disciplinæ, a Græcis inventæ, multiplex tum abusio erat & turpis depravatio, cujus rei in declamationibus, quæ supersunt, vestigia videmus. Lactantius, non ignobilis Rhetor Nicomediæ, id nos arcanum perdocere expertus ipse & exercitus potest, qui, quum ad Christi veritatem litteris mandandam se contulisset, de se dicit lib. I. Div. Instit. cap. I. *Quæ professio multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati non ad virtutem, sed plane ad argutam malitiam juvenes erudiebamus.* Scilicet ita est: senatus consulto illo & edicto censorio non vera eruditio aut sincera oratoria, sed fraudulenta & captiosa quæ legibus insidiatur, & usum forensem pervertit, expulsam prisci Romani, cordatissimi mortales, voluerunt: quod recte & ordine censemus factum, quia nihil pestilentius virtuti est & innocentiæ, quam illas fraudes in republica tolerare, & ad eas instituere juventutem.

IX.

Veram autem Philosophiam & Juris scientiam ad usum civitatis & reipublicæ comparatam, nec prisci Romani neglexerunt. Testes clarissima nomina, a Pomponio lege II. de Orig. Juris laudata, Æliorum, Scævolarum, Semproniorum, aliorumque, quorum opus interpretatione erat ad forensem eloquentiam stabiliendam. Quod enim Q. Mucius apud Pomponium d. l. dixit, *turpe est caussas oranti, jus, in quo versamur, ignorare.* Nec minus philosophia, præsertim illa, quæ de moribus, & officio, animique characteribus agit, ad eloquentiam excolendam opus erat. Ejusdem usum in eloquentia, ipsius Ciceronis voce ex libro, quem Oratorem præscripsit & M. Bruto dedicavit, cap. III. demonstramus. *Fateor*, inquit, *me oratorem, si modo sim, aut etiam, quicunque sim, non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis exstitisse.* Dicendum enim in republica est de bello, pace, fœderibus, & principum civiumque communi

A salute, de moribus & cupiditatibus hominum & infinitis id genus aliis, quæ sane non jejuni Rhetores explicabunt, sed omnibus rebus instructi Philosophi ex penu sua promunt & suppeditant. Non ergo veteres Romani sine Philosophia fuerunt, quia non fuerunt sine arte oratoria; neque tamen ita tum exculta, ut inde a Ciceronis temporibus fuit. Ipse lib. IV. Tuscul. Quæst. cap. III. *Sapientiæ*, inquit, *studium vetus id quidem in nostris: sed tamen ante Lælii ætatem & Scipionis non reperio, quos appellare possim nominatim.* Et lib. I. Tuscul. cap. III. *Philosophia jacuit usque ad hanc ætatem, nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum.* B

X.

Hactenus de studiis ante Ciceronis tempora, sub quibus nitidiorem faciem omnia induerunt. An vero quæ antecessit ætas, inter Punica bella & Ciceronem, *semibarbara* dicenda sit, quæris? Ait Sam. Bochartus, vir clarissimus, Epistola *de Æneæ navigatione*: quod ita Olaus Borrichius, principio *Analectorum*, negat, ut *aureum* contra & illa ætate sæculum litterarum ac Latinitatis fuisse existimet. Nos viam mediam te- C nemus, & aurum quidem illis temporibus inveniri concedimus, at rude plerumque & impolitum, quod Ciceronis ætate poliri splendidius cœpit, & ab ipso nitidissime expolitum est. Pretium ergo erit, ab ortu melioris sæculi Romanorum studia majori cura & a pueris usque perlustrare, ut totus cursus eorum litterarius, quantum fieri potest, ac nobis nunc suppetit, & e re instituti nostri est, ante oculos proponatur.

XI.

Quæ fuerit ratio educationis & institutionis D apud Romanos pulchre docet auctor de caussis corruptæ eloquentiæ cap. XXVIII, videlicet non in cella emtæ nutricis, sed in gremio ac sinu matris educatos filios fuisse, in partem curarum adhibitis, quorum probatis spectatisque moribus soboles familiæ committeretur, coram quibus nec dicere fas esset, quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera puerorum natura, nullis detorta pravitatibus ex aliorum exemplo, toto statim pectore in virtutem & honestas artes incumbendi locum haberet. Sic plerumque domi & in con- E tubernio matris, elementa discebantur. quibus adreptis, extra limen producti, ut Grammaticum Græcum, & Rhetorem Latinum audirent. Nam in scholis & multorum conventu malebant suos, quam privatim & singulares institui, ut æmulatione ingenium accenderetur, & certatim promovendo majores progressus facerent. Quod enim vere Paterculus dixit lib. I. cap. XVII, *alit æmulatio ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit*: sine qua si relinquitur adolescens, torpet, marcescit, aut pestifero errore sibi plus attribuit, quam didicerat, quod, qui plura scirent, inter æquales nondum F cognovit. Quæ morum integritate ex cœtu objiciuntur, Quintilianus lib. I. cap. II. confutat, ad quem lectorem remittimus. Nobili exemplo est T. Pomponius Atticus, qui, Nepote teste, *in pueritia nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes studio suo.* Hinc est, quod cap. V. eum cum M. Cicerone *a condiscipulatu* conjunctissime vixisse tradit.

dit. Plinius quoque Corelliæ Hispullæ, nobili feminæ, consulturus, cui filium præceptori tradat; a quo mores non minus, quam eloquentiam discat; *Adhuc*, inquit lib. III. epist. III, *illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit, præceptores domi habuit,* —— *jam studia ejus extra limen proferenda sunt, jam circumspiciendus Rhetor Latinus, cujus scholæ severitas, pudor, inprimis, castitas, constet.*

X I I.

Princeps Romanis studium *Eloquentiæ* erat, quam Philosophiæ & Jurisprudentiæ anteferebant. Servius itaque Sulpicius, quum videret Ciceronem Hortensiumque eloquentia vinci non posse, ad Juris scientiam, impensius colendam, sese contulit, ut Ciceroni de Clar. Orat. cap. XII, visum fuerit, *in secunda arte primum esse maluisse, quam in prima secundum.* Quum itaque primas Romani eloquentiæ deferrent, neque aliter per amplissimi sui imperii formam possent: ad illam omne studium a pueris referebant. Prima autem cura litterarum Græcarum fuit, quæ non minus olim, aut magis etiam, necessariæ erant, quam hodieque Latinæ sunt, ut auspicium fieret ab Homero, cujus præceptis atque exemplis puerile pectus ad virtutem præparetur. Plinius lib. II. epist. XIV. dixit, *pueros auspicari ab Homero in scholis.* Huic Menander, Euripides, Sophocles adjungebantur: dein Historici, Thucydides, Herodotus, Xenophon, Polybius. Hoc decurso stadio, se Philosopho dabant & Rhetori, ut in illius schola differendi artem; in hujus, declamandi exercerent, & utramque Græce magis quam Latine, quod illa lingua omnium disciplinarum præcepta tradebantur, & in illa qui artis peritus erat, facili labore ad patrium sermonem eandem applicaret: non autem vicissim qui Latine prius declamaverat, ad Græcam æque orationem adducebatur. Cicero de se in Bruto cap. XC, *Commentabar declamitans, sæpe cum M. Pisone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam Latine, sed Græce sæpius, quod Græca oratio, plura ornamenta suppeditans, consuetudinem similiter Latine dicendi adferebat.* Quid? quod idem summus Orator *ad præturam usque Græce declamavit*, ut Suetonius de Clar. Rhet. cap. I. ostendit. Quum ergo nobis Latina Lingua eodem usu sit, quo priscis Romanis fuit Græca, non probamus illorum consuetudinem, qui in scholis suos Teutonicis declamationibus exercent, antequam Latine scribere secundum artem, & declamare didicerint. Exemplis enim comprobatum fuit, illos raro (ne dicam, nunquam) ad Latinitatis nitorem postea pervenire.

X I I I.

Sic quum in patria pueritiam quidam etiam in Græca civitate ob faciliorem Græce Linguæ usum, ut Massiliæ Agricola Forojuliensis, cujus vitam Tacitus scripsit, exegissent; toga virili sumta, in castra profecti stipendia merebant, etiam quibus animus non esset ad fastigium ducis aliasque militiæ dignitates enitendi; ne postea Senatores aut Proconsules ignari essent rerum bello gerendarum. Nec vero in castris intermissa studia litterarum, quum nec ipsi summi duces sibi temperarent, quin, si diurnis horis non liceret, noctis tamen partem quandam litteris vindicarent. De Octaviano Cæsare testis est iterum Suetonius dicto de Rhetoribus libro

A cap. I; de Plinio ipsemet lib. I. epist. X. *Hunc*, inquit, (Euphratem Philosophum) *ego, in Syria quum adolescentulus militarem, penitus & domi inspexi, amarique ab eo laboravi.* Et lib. III. epist. XI. *Artemidorum*, alium celebri nomine Philosophum, *ipsum jam tum quum in Syria Tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idque primum nonnullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum simillimumque sapienti, intelligere sum visus.* Omnibus in bellum proficiscendum erat, etiam omnibus sectanda litterarum studia, nec in claris Romanis

B exemplum fuit, quin utrumque studium conjunxerit, præter C. Marium, facem illam civilis belli, cujus, ceteroqui Marte clari, vox barbara apud Sallustium Jug. cap. LXXXV. est, GRÆCAS LITTERAS NON DIDICI; quod etiam non juranti credideris, quia nihil cultum moratumque in vita ejus fuit, neque potuit non sine litteris esse: sed sæva, truculenta omnia, ideoque misero excessu, quem Plutarchus descripsit, post tot honores opesque septies Consul, quod nemini ante ipsum contigerat; summa perturbatione animi & inter ejulationes, indignas viro, exstinctus est. Quas vero ipse spreverat litterarum disciplinas, quasi

C ominatus infelicitatem suam, filium perdiscere non recusavit, qui inter Pomponii Attici æmulantes condiscipulos cum Torquato & Cicerone, a Corn. Nepote in Vita Attici cap. I. numeratur.

X I V.

Qui non perpetuam militiam elegissent, ex bello post alterum tertiumve annum reversi, Latino se Oratori dederunt, quem assidue sectarentur, & dicendi artificium & caussas agendi ex

D illo discerent: a quo etiam in forum producebantur, (Plin. lib. II. epist. XIV. num. 3.) ut periculum facerent eloquentiæ, accusando aliquem vel defendendo in caussa illustriori. Exemplum Plinius idem præbet lib. VI. epist. XXIII. Quæ vero magis perficerent, exornarentque, quæ bene cœpta erant studia, vel tum, post ingressum in forum; vel antea etiam, vel quandocunque occasio in bello, in provinciis, vel alia se ostendit, in Græcas litterarum sedes profecti, ut inclutos viros audirent, eorumque exemplo ac consuetudine & se & suam doctrinam confirmarent. Athenæ præcipue, & Apol-

E lonia ad mare, & in citeriore Asia Rhodus ac Mitylene erant aliæque in Asia nobiles tum litterarum sedes. Exempla sint interpretamento. Cicero de se ipse testis est sub finem libri de Claris Oratoribus, quum esset biennium versatus in caussis, & jam in foro celebratum ejus nomen esset, Athenas profectum, sex menses cum Antiocho, veteris Academiæ Philosopho, fuisse, studiumque Philosophiæ, nunquam antea intermissum, hoc summo auctore renovasse. Eodem tempore Athenis apud Demetrium Syrum, nobilem dicendi magistrum, se studiose exerceri solitum. Post Asia tota peragrata, ubi-

F que invenisse, quibuscum exerceretur lubentibus, quod promtissimi adessent ei discendi cupido, Dionysius Magnes, Æschylus, Cnidius Adramytenus Xenocles, qui tum principes Rhetorum in Asia numerabantur: cum primis autem Menippum Stratonicensem, tota Asia illis temporibus disertissimum admiratus fuit, de quo ita judicavit: *Si nihil habere molestiarum, nec ineptiarum, Atticorum est, hic Orator in illis numerari recte potest.* Non contentus hisce, in Rhodum

dum navigavit, & Moloni, quem Romæ audiverat, se rursus applicando, didicit egregio hoc magistro, juvenilem orationis abundantiam intra ripam coercere. Romam inde regressus, Cottæ adhæsit & Hortensio, sed huic magis, summis tum in urbe oratoribus, ut horum exemplo suam confirmaret eloquentiam. Juris autem civilis caussa Q. Mucio Scævolæ, P.F. multum operæ dedit, qui, quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo, studiosos audiendi docebat.

X V.

Hoc iter fuit Ciceronis litterarium. quam diversum ab iis, qui vulgo peregrinantur non discendi caussa, sed voluptatis conquirendæ, qui quod ruditatem suam, quoque eunt, circumferunt; nihil eos juvat terrarum novitas; nihil cognitio urbium, locorumque antea invisorum: nihil ædificia vidisse splendida, equorum stabula in aulis perlustrasse, diversicolori famulitio principum suos oblectasse oculos. Virtus, eruditio in oculis, in animo sint peregrinantium, ut ubique observent, quod utramque alat atque augeat: & quovis loco recordentur, qui clari viri vestigia ibi impressa reliquerint, quid actum honeste, quod imitamento virtutis, & augendæ eruditioni esset. Huc nisi peregrinantis animus vertatur, in utroque genere antea præparatus, ut discat qui mores hominum, quæ virtutes, quæ scientiarum ornamenta sint; frustra iter ingressus est, & vitiis cumulatior redit domum, quia virtutem peregrinorum neque cognovit, nec sibi conciliavit.

X V I.

Hæc studia tum in urbe erant: hæc urbanorum in peregrinatione. Addo de bibliothecis, quæ publici juris ut essent, sero institutæ sunt: privatæ autem pæne multæ & illustres, instar publicarum, eruditorum usui sine invidia patebant. Æmilius Paullus, victo Perse, ingentem vim librorum e Macedonia Romam attulit: neque non e Ponto & Asia L. Lucullus. De Paullo Isidorus Orig. lib. VII. cap. de Bibliothecis: de Lucullo Plutarchus in vita. Hujus ut magnifica omnia erant post victoriam; ita etiam bibliotheca. Plutarchus p. 519. de illa bibliotheca: ἥ τε χρῆσις ἦν φιλοτιμοτέρα τῆς κτήσεως, ἀνειμένων πᾶσι τῶν βιβλιοθηκῶν, *usus, quam comparatio, liberalior erat, quod omnibus paterent ejus bibliothecæ*, & undecumque advenissent eruditi, in eas earumque περιπάτους καὶ σχολαστήρια, i. e. ambulationes se conferebant, ὥσπερ εἰς μουσῶν τι καταγώγιον, *tanquam in Musarum diversorium.* Pluratīvo numero βιβλιοθηκῶν dixit, quia non tantum in urbe, sed in villis etiam instruxerat. Præter urbanas enim bibliothecas generosissimus quisque Romanus in singulis villis suis bibliothecam constituerat, ut quoties in illas secessissent, liberius ibi, ab urbis strepitu & interpellationibus vacui, operam optimis litteris darent. Cicero de Finib. lib. III. cap. II. *In Tusculano quum essem, vellemque e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, veni in ejus villam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. quo quum venissem, M. Catonem, quem ibi esse nesciebam, vidi in bibliotheca sedentem multis circumfusum Stoicorum libris.* Et Plinius lib. III. epist. VII. de Silio Italico: *Plures villas possidebat: multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum.* Nam & hæc ornamenta in bibliothecis

A ponebantur. Idem lib. IV. epist. XXVIII. *Herennius Severus magni æstimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis & Titi Cassii.* Martiali lib. VII. epigram. XVI. hujus generis villatica est *Ruris bibliotheca delicati.*

X V I I.

Sed hæc de privatis bibliotheeis. Publicæ, ut dixi, sero constitutæ, nec ante Augusti tempora. Ejus rei laus prima manet Asinium Pollionem, de quo Plinius ait lib. XXXV. cap. II. B *Primus, bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.* Idem in animo habuerat Julius Cæsar, *bibliothecas Græcas & Latinas, quas maximas posset, publicare*, quod Suetonius cap. XLIV. memoravit; sed fato præventus nihil perfecit. Augustus autem Cæsar duas legitur constituisse publicas, *Octaviam* in Octaviæ porticu, in sororis honorem nominatam: & *Palatinam* juxta ædes suas & Apollinis templum in monte Palatino. Dio Cassius lib. XLIX. p. 417. Ἐπειδὴ γὰρ οἱ Δαλμάται παντελῶς ἐκεχείρωντο, τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων τὰς Ὀκταουϊανὰς, ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας, κα- C τεσκεύασεν. *Devictis Dalmatis, porticus e manubiis, & bibliothecas, a sororis nomine Octavianas dictas, exstruit.* Et Suetonius Grammat. cap. XXI. in Caio Melisso: *Quo* (Augusto) *delegante curam ordinandarum bibliothecarum in Octaviæ porticu suscepit.* Cur autem pluraliter *bibliothecarum*? quia Græcam a Latina distinguebant. M. Cicero lib. III. epist. IV. ad Q. fratrem: *De bibliotheca tua Græca supplenda, libris commutandis, Latinis comparandis, valde velim ista confici, præsertim quum ad meum quoque usum spectent.* Quod clarius supra Suetonius de cogitatis Julii D Cæsaris distinxit: & de altera Augusti, in Vita ejus cap. XXIX, *Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus excitavit, quam fulmine ictam desiderari a Deo haruspices pronuntiarant. Addidit porticus cum bibliotheca Latina Græcaque.* Hanc idem de clar. Grammat. in C. Julio Hygino cap. XX. *Palatinam* dixit. *Præfuit*, inquit, *Palatinæ bibliothecæ.* Utraque Augusti deflagravit: Palatina, ἐμπρησμοῦ τὸ παλάτιον διαφθείροντος, *incendio palatium consumente*, Dio Cassius lib. LV. p. 556; sed brevi post reparata. Hinc Suetonius Tiber. cap. LXXIV. *bibliothecam novi templi* dixit. Altera, Octavia, flagravit sub Tito. Dio pag. 756. E Ὀκταουΐα οἰκήματα καὶ μετὰ τῶν βιβλίων κατέκαυσεν, *Octaviana ædificia, una cum libris, igne consumta sunt.* Restituit Domitianus. Suetonius in Vita ejus cap. XX, *Liberalia studia in initio imperii neglexit, quamquam bibliothecas, incendio absumtas, impensissime reparare curasset, exemplaribus undique petitis, missisque Alexandriam, qui describerent emendarentque.* Præter Romanas bibliothecas, etiam publicæ erant per Italiam in coloniis ac municipiis, qualem Plinius in patria sua, Comensi civitate, dedicavit, lib. I. epist. VIII. Et Tacitus imperator *Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ augustæ, in omnibus bibliothecis collocari* F *jussit*, Vopisco referente cap. X.

X V I I I.

Hoc alimento opus erat præclaris studiis in altitudinem proferendis, quo etiam sub Augusto Cæsare, & ante paullo, educta feliciter fuerunt. Quantos enim oratores illa ætas vidit Ciceroni æquales aut paullo juniores? quis Hortensios, Cæsares, Calvos, Cælios, Brutos, Asiniosque ignorat? Auctor Dialogi de Oratoribus c. XXV, *Stric-*

Strictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Cæsar, amarior Cœlius, gravior Brutus, vehementior & plenior & valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiæ ferunt, ut si omnium pariter libros in manum sumseris, scias, quamvis in diversis ingeniis, esse quandam judicii ac voluntatis similitudinem & cognationem. Nec minores, nec pauciores poëtæ, Augusto favente, adjuvante Mæcenate. Nota sunt nomina, æternitati olim dedicata. Quid de philosophia dicam? hæc Cicerone vel magistro vel interprete Latine loqui cœpit, & inter Latinos conversari, quum antea Græcorum fuisset propria. Historici autem quam nobiles, quam diserti illa ætate? Thucydidis æmulator Crispus Sallustius, Julius Cæsar, Cornelius Nepos, Hirtius vel Oppius. T. Livius Patavinus, & quorum monimenta interierunt, Pomponius Atticus, Pollio Asinius, L. Lucceius, Ælius Tubero, Trogus Pompeius, aliique horum æquales.

XIX.

Jus quoque civile tum illustrius factum luce philosophiæ & litterarum humanitatis, Servii Sulpicii ingenio, industria, quæ tenebrosa erant antea, clarissime illustrante. Hic facem prætulit, viam monstravit ad consequendam juris & æqui cognitionem ac scientiam. Non nostris, sed Ciceronis verbis rem nobilissimam explicabimus. Hic de Clar. Orat. Dialogo, cap. XLI. ita tradit: *De Servio dicam quod sentio. Non enim facile quem dixerim plus studii, quam illum, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse. Nam & in iisdem exercitationibus ineunte ætate fuimus, & postea una Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset & doctior: &, inde ut rediit, videtur mihi in secunda arte* (jurisprudentia) *primus esse maluisse, quam in prima* (eloquentia) *secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longe omnium non ejusdem modo ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in jure civili esse princeps. Heic Brutus, Ain tu? inquit, etiamne Q. Scævolæ Servium nostrum anteponis? Sic enim, inquam, Brute, existimo, juris civilis magnum usum & apud Scævolam, & apud multos fuisse: artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ doceret rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua vera & falsa judicarentur, & quæ quibus positis essent, quæque non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem, omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ confuse ab aliis aut respondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere, inquit. Recte, inquam, intelligis: sed adjunxit etiam & litterarum scientiam, & loquendi elegantiam, quæ ex scriptis ejus, quorum similia nulla sunt, facillime perspici potest.* Hæc via ad jurisprudentiam Romanis fuit: hac grassati ad gloriam illam & excellentem scientiam, quam adhuc pleræque gentes in juris Romani auctoribus admirantur. Nec otiosus homo fuit Servius Sulpicius aut in latebris abditus & speculationibus intentus: sed publicis rebus, si quis alius, exercitatus, prætor, consul, præses Provinciæ Achaiæ, & tandem ob rempublicam legatus in bello Mutinensi, cui immortuus legationi est, ob id ænea statua in Rostris, aliisque honoribus post mortem ornatus. Plura de laudibus ejus Philippica Ciceronis IX. traduntur, ex cujus cap. V. hæc insignia verba super-
A addo: *Omnes ex omni ætate, qui hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferuntur, cum Servio Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim magis juris consultus, quam justitiæ fuit.*

XX.

Hæc de variis generibus studiorum. *Modus* discendi talis erat, ut certe improbari non possit, quia felicem fuisse innumeris exemplis, iisque illustrissimis, probatur. Dixi supra de auspiciis studiorum: addo ex Plinii lib. VII. epist.
B IX. de stili exercitatione, cui quod varia rerum cognitione est opus, magna inde pars eruditionis humanæ pendet. Ait utile inprimis esse, *ex Græco in Latinum, & ex Latino vertere in Græcum.* Sic enim proprietatem splendoremque verborum, copiam, figuram, vim explicandi, præterea optimorum imitatione facultatem inveniendi similia parari. Addit, quod instar magisterii est, ut qui præceptori destituitur, sibi ipse possit consulere: videlicet jubet, *quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare quid tu, quid ille commodius.* Legi totam episto-
C lam velim; non pœnitebit. Quæ vero ibidem de stilo censentur, ad nostram patriam & ætatem ita referemus, si pro Græcis Latina, pro Latinis Teutonica substituamus, quamvis nec Græca ad veram eruditionem adspirantibus omittenda sint. Non difficile erit, neque infructuosum, quæ de stilo ibi dicuntur exercendo, ad alia quævis studiorum genera applicare. Erat etiam non incommodus modus exercendi adolescentulos, quem ex Augustini lib. I. Confession. cap. XVII. cognoscimus, nempe *aliquid dicere solutis verbis, quale Poëta dixisset versibus.* Hoc enim facit ad verborum rerumque copiam
D cum parandam tum augendam; ideoque M. Tullius pro Archia oratione multum Poëtis legendis tribuit ad oratoriam facultatem consequendam. Neque *mathematum* erant Romani negligentes, quibus ex Pythagorea disciplina, quam Gellius lib. I. cap. IX. commendat, a pueris imbuebantur, tanquam usui futuris non modo ad militarem scientiam, quod Plato egregie demonstrat lib. VII. de Republica ed. Basil. pag. 439; verum ad ipsam etiam artem dicendi sive oratoriam. Unde est, quod Dialogo de Orator. cap. XXXI. dicitur, *Et juris civilis scientiam veteres oratores comprehendebant, & gramma-*
E *tica, musica, & geometria imbuebantur.* quod pluribus explanavit Quintilianus lib. I. c. X. Nec illud tacendum, quod ibidem est traditum, mathematicis disciplinis *acui ingenia* & digeri; sive ut Plato d. l. dixerit βραδεῖς, *tardos ingenio* fieri eisdem ὀξυτέρους, *acutiores.*

XXI.

Una pars superest, quæ facile princeps in studiis Romanorum erat, *recitatio* eorum, quæ ingenio elaboraverant. Hæc ad adultiores etiam & viros pertinebat, ut, si vel orationem, vel his-
F toriam, vel majus aliquod carmen composuissent, antequam edebant aut publicabant, eruditissimum quemque ad audiendum vocarent, quibus scriptum ab auctore in erudito consessu ita prælegebatur; ut omnium fere ora vultusque observaret, & ex signis illorum colligeret, placeretne, an aliquid improbarent, de quorum sententia, (qui sæpe liberius admonebant, ad id quoque invitati) emendabat postea, quæ melius

melius vel mollius exprimi posse censuerant. Mos sane saluberrimus, quo factum fuit, ut nihil in publicum exiret, nisi cura limatum, & de consilio Eruditorum emendatum; qui si hodieque superesset, multæ ineptiæ, quæ quotidie vulgantur, prudenti hujusmodi consilio supprimerentur. Innumera exempla apud Plinium sunt in Epistolis: suffecerint pauca nostræ brevitati. Lib. I. epist. XIII. *Magnum*, inquit, *proventum Poëtarum hic annus attulit. Toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.* Vtilitatem rei demonstrat lib. V. epist. III. *Has recitandi caussas sequor: primum quod ipse qui recitat, aliquanto acrius scriptis, auditorum reverentia, intendit: deinde quod de quibus dubitat, quasi ex consilii sententia statuit. Multa etiam multis admonetur: &, si non admoneatur quod quisque sentiat, perspicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio, quæ satis apertis notis judicium ab humanitate discernunt.* Quibus locus non erat auditoribus capiendis, domum mutabantur, subsellia conducebant, ut Dialogo de Orat. cap. IX. observatur: nec Mæcenates deerant, & studiorum fautores, qui ædes suas honestissimis exercitationibus præberent.

XXII. Hæc de studiis in Vrbe: quæ nec languebant in Italiæ coloniis ac municipiis. De Mediolano illustre exemplum habes apud Plinium lib. IV. epist. XIII. ubi ita florebant studia liberaliora, ut id Municipium, vel pars ejus *novarum Athenarum* nomen acceperit. Vetus Inscriptio apud Gruterum p. 177. n. 4. testimonio est, AQVAE DVCTVM IN NOVIS ATHENIS COEPTVM &c. De Mediolano loquitur. Similem Scholam Comi constitui Plinius d. l. accuravit. Quid de inferiore Italia dicam, quæ Magna Græcia appellabatur? Græcæ ibi disciplinæ a multis seculis domicilium sedemque habuerant. Quæ caussa fuit, ut Heracleenses, Tarentini, Rhegini, Neapolitani Archiam Poëtam civitate ceterisque præmiis donaverint, quia ingenio ejus delectabantur. Pro quo Tullius cap. III. ait: *Erat Italia tunc plena Græcarum artium ac disciplinarum, studiaque hæc in Latio vehementius colebantur.*

XXIII. Nunc tandem de Provinciarum studiis ut aliquid dicamus, instituti nostri ratione admonemur. Non autem eas nunc civitates invademus, quæ studiis Græcis etiam ante Romanorum tempora vel imperium excultæ fuerunt, ut Athenæ, Rhodus, Mitylene, Massilia erant; de quarum studiis nunquam dubitatum fuit: neque ab Romanis illa habuerunt, sed Romani ab illis sua. De Athenis, matre artium & litterarum in Europa, supersedeo dicere: de Asiaticis illis civitatibus, quæ solatium, propter eadem studia, eruditorum exsulum erant, Ciceronem vide lib. IV. epist. VII. & lib. VII. epist. III. Senecam ad Helv. cap. IX. de Massilia Galliæ, Græca Colonia, Tacitum Agric. cap. IV. qui *Græca comitate & provinciali parsimonia mistam ac bene compositam* laudat: ideoque malebant quidam eo liberos, ut sedem ac magistram studiorum haberent, quam Athenas mittere, quod minus heic corrumperentur tenelli animi, quam notissima Græcorum levitate. Sed antiquas Græcorum studiorum sedes jam mittimus, Romanorum gloriæ intenti unice, ut ostendamus, in quibus barbaris regionibus cultum litterarum excitaverint, eoque feros hominum mores ad mitiorem vitam traduxerint & veram humanitatem.

XXIV. Hispania, Gallia, Britannia, Africa hæ Provinciæ sunt, in quas potissimum litterariæ Romanorum Coloniæ deductæ sunt. Sertorius, C. Marii miles, prudentior suo Duce fuit, & quum Hispaniæ imperium adfectaret, plurimasque ejus sibi regiones subjecisset; ut constantius feliciusque imperaret, *Oscæ*, quæ ampla civitas sub Pyrenæis

A est, Magistris constitutis, nobilium filios Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαικοῖς μαθήμασι, *Græcis & Romanis*, ut Plutarchus refert in illius Vita, eruditi *litteris* curavit. Oppresso Sertorio haud dubie & Schola illius exspiravit: nec vero nulla semina litterarum in Hispania relicta fuerunt; inde a Scipionum temporibus Coloniæ in illam deductæ sunt, & Romano more in urbibus provinciales, Romanis colonis permisti, vivere cœperunt. Tarraconem intelligo, & Italicam, & Hispalim cum Corduba; & hujus quoque instituti alias. Sub idem tempus, quum Q. Metellus Pius contra Sertorium bellum

B gessisset, *Poëtas* Hispanos fuisse, *Cordubæ natos*, qui *pingue quiddam sonarent atque peregrinum*, hoc est, aliquid solœci vel Græcis vel Latinis carminibus miscerent; Cicero auctor est pro Archia: quod argumento sit, non sine Scholis fuisse Bæticam, aut sine cultu litterarum, licet, ut fieri solet in tam remotis locis a metropoli, non sincere colerentur. Sed hæc facies antiqua erat: pulchrior sub Augusto, tot novis Coloniis in eam deductis, & veteribus in melius cultiusque reformatis, ex quo tempore Corduba etiam ingeniorum mater facta, ut Lucanus & uterque Seneca, ad omnem elegantiam eruditi alumni, testimonio sunt luculento. Emeri-

C tenses, Cæsaraugustanos, Tarraconenses, Italicenses, (e quibus Trajanus fuit) Bilbilitanos (unde Martialis) Calagurritanos, aliosque nunc missos facimus.

XXV. In Galliam per Pyrenæos saltus transcendimus. Ausonius Poëta, in Professoribus, suam patriam *Burdegalam* commendat, ejusque Rhetoras & eximios Grammaticos laudat nominatim. Idem grat. actione ad Gratianum *municipales Scholas* collaudat, Lugdunensem & Vesuntionensem; tantumque in augusto discipulo profecit, ut Antonio, prætorii per Gallias Præfecto, ediceret, quo *per omnem diœcesim commissam magnificentiæ ejus frequentissimis in civitatibus, quæ pollent & eminent, claritudine*

D *præceptorum optimi quique erudiendæ præsideant juventuti*, quos ipse explicatius vocat *Rhetores & Grammaticos Atticæ Romanæque doctrinæ*, lege XI. Cod. Theodos. de Medicis & Professoribus; unde etiam priora illa adducta verba sunt. Maxime vero Æduorum in litteras amor præ ceterorum studio est dignus qui laudetur. Horum in primaria urbe, cui *Augustoduno* nomen est, tantus honor litteris fuit habitus, ut Mæniana ædificia, in ipso ore civitatis ac transitu advenientium inter augusta deorum templa, sacræ Musæ possiderent, quæ quum communi Galliarum malo, Bagaudica rebellione, eversa fuissent; Eumenius, rhetoricæ

E Professor a Constantio Cæsare, Constantini patre, constitutus, pro instaurandis illis ad perfectissimum virum, Lugdunensis primæ Præsidem, orationem luculentissimam habuit. Cujus argumentum ut magis eluceat, de successu studiorum in illa gente ipsam Constantii sacram ad Eumenium epistolam, quia digna est ut ab omnibus intelligatur, adscribo: *Merentur*, inquit, *& Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in Augustodunensium oppido ingenuis artibus eruditur, & ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his, quam illud conferre debemus,*

F *quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Vnde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cujus eloquentiam, & gravitatem morum, ex actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ hortamur, ut professionem oratoriam repetas, atque in supra dicta civitate, quam non ignoras nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes, nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, quum honesta professio ornet po-*

 tius

tius omnem, quam destruat, dignitatem.

XXXVI. Durocortori quoque Remorum (nunc *Reims*) proventus litterarum fuit adeò, ut *Athenarum* nomen, perinde ac Mediolanum, acceperit. Cornelius Fronto, apud P. Consentium, vetustum Grammaticum, *illæ*, inquit, *vestræ Athenæ Durocortoro*: nam & *Durocortoronem* inflectebant. Ad harum exemplum extremas Galliarum civitates, Augustam Treverorum, Argentoratum, Nemetum Vangionumque urbes, Magontiacum, Agrippinensem Coloniam, institutas fuisse, quis dubitabit non ignarus consuetudinis Romanæ? Idem censemus de Rhætorum Colonia Augusta. In Germania autem hæc seges seriùs succrevit. Britanni feliciores fuerunt, eò sensim Romanorum consuetudine adducti, ut, *qui modò Linguam Romanam abnuebant, eloquentiam*, fastigium doctrinæ, *concupiscerent*, postquam Præsidum curâ institutum ut *principum filii liberalibus artibus erudirentur*, Tacitus in *Agricola* cap. XXI. auctor est.

XXXVII. Sicilia antiquitus Græcas urbes habebat, & Græca utebatur dialecto. Romanis subjecta didicit etiam Latinè, & Romanam exercuit eloquentiam. Valerius ibi Licinianus, vir prætorius, à Domitiano relegatus, Rhetor de Oratore, cùm auspicaretur profiteri, *Latinè*, inquit, *declamaturus sum*; Plinium vide *lib.* IV. *epist.* XI. In Asiam quoque, quamlibet Græcis studiis adfluentem, Latini Rhetores acciti; ut Diocletiani jussu Lactantius Nicomediam, qui in Principis sede *oratorias litteras*, quod ipse dicit *lib.* V. *cap.* II. *doceret*. Nec Africa, Romanis subdita, expers litterarum erat. Punicæ suæ Linguæ Latinam addidit, quam usque ad eloquentiæ nitorem excolebat. Nec tantùm Carthagine, Proconsulis sede, illæ litteræ docebantur, sed Madauris etiam, & in utroque Hippone, aliisque in Coloniis. Testis Augustinus, ex Thebaste in vicinam urbem Madaura missus, *litteraturæ atque oratoriæ percipiendæ* causâ, quia Carthaginiensis peregrinatio longinquior erat à patria. Vide lib. II. *Confess.* cap. III. O felicem terram, in qua studia litterarum percoluntur! feliciorem, in qua illa non *oblivione moris antiqui*, sed imitatione Romanorum exercentur.

FINIS.

INDEX
Quorundam locorum
S. SCRIPTVRAE,
Quæ in hoc Tomo III. illustrantur & explicantur.

G*Enes.* 19.5.10. 811.E.F
Jud. 3.23. 836.B.F
—25. 811.E.F
1.*Reg.* 10.18. 95.D
—— 10.22. 30.F
— 22.39. 95.D
2.*Reg.* 14.2. 766.E.F
Esa. 22.22. 811.E.F
Thren. Jerem. 4.7. 94.F.&ss.
Ezech. 25.5. 36.A
— 27.7. 130.F. 131.A
— 27.15. 130.E.F
Amos. 3.15. 95.D.E
—— 6.4. 95.F
Zachar. 14.15. 34.F. 35.A
Cant. Cant. 5. 4. & 6. 835.E.F. 836.A.B
—— 5.7. 574.B

A —— 5.14. 95.B.C
—— 7.4. 95.C
Esther. 1.1. 37.A.F
Matth. 16.26. 570.C
—— 19.24. 31.A.B
—— 20.25. 377.E
—— 23.24. 936.E
Luc. 22.25. 377.E
Joh. 18.31. 617.F
Act. Apostol. 16.12. 150.E.F. 151.C.F
—— 19.38. 454.E.F
—— 25.9.10.11.12. 333.F. 334.A
—— 23.27. 346.E.F. 347.A
Rom. 13.7. 551.D.E.
— 16.23. 442.C
1.*Corinth.* 4.3. 454.F

INDEX
AVCTORVM,
QVI IN HOC TOMO III.
laudantur, seu encomiis ornantur, illustrantur, explicantur, expenduntur, conciliantur, tentantur, vindicantur, arguuntur, notantur, emendantur, perstringuntur, ac refutantur.

A.

ACcursius, *notatur*, 361.A.B. 641.D. 1106.A
Ælianus, *exponitur*, 55.F.
—— *explicatur*, 40.B.D. 76.F. 77.A.B. 237. E.F
—— *tentatur*, 180.A
—— *emendatur*, 40.D
—— *notatur*, 57.C. 138.C.D
Æneas *Tacticus*, *exponitur*, 832.E.F. 833.A.F
—— *tentatur*, 834.C.E.
Æsopus, *explicatur*, 779.E.F
Alciatus, (*Andr.*) *notatur*, 296.A.B. 302.F. 303. A.B. 446.E
Aldrovandus, (*Vlyss.*) *laudatur*, 220.D
—— *examinatur*, 220.D.F
—— *reprehenditur*, 27.B.C. 121.B. 146.B. 161.A.E. 222.A.B. 252.F. 253.A
Alfordus, (*Mich.*) *notatur*, 267.C.D
Almelovenius, (*Th. J.*) *laudatur*, 137.E
Ampelius, (*L.*) *corrigitur*, 148.D.E
Andocides, *emendatur*, 1159.D.E
Angelonus, *ab eo dissensum*, 229.B.C
—— *notatur*, 280.B.C
Angelus *Bonaventura*, *notatur*, 766.D.E
Annius *Viterbiensis*, *perstringitur*, 811.B.D
Anonymus *Auctor* Carminum, *emendatur*, 234.E.F. 235.A.E. 236.A

B —— De Mirabilibus Vrbis Romæ, *notatur*, 241.A.B
—— Origin. Constantinopolitan. *explicatur*, 260.F
—— —— *perstringitur*, 261.A.C
—— *qui* clavos *pro* clavibus *sumsit*, *perstringitur*, 805.B.C
Anthologia *Græca*, *exponitur*, 219.A.D
Appianus, *illustratur*, 1119.A
—— *notatur*, 143.B. 177.D.E
—— *ejus Interpres notatur*, 56.C. 65.B.C. 177.C
C Apulejus, *laudatur*, 835.B
—— *explicatur*, 818.B.E
Aratus, *explicatur*, 802.B.D. 818.B. 820.E.F. 821.A.E. 822.A.F.&ss.
—— *ejus Scholiastes*, *notatur*, 825.A
Aristides, *exponitur*, 247.F
—— *emendatur*, 1162.C
Ariostus (*Ludov.*) *laude ornatur*, 695.F. 718. B.E
Aristophanes, *exponitur*, 684.B.C
—— *ejus Scholiastes*, *illustratur*, 926.A
—— *emendatur*, 936.A.B
D Arrianus, *explicatur*, 20.A.B
—— *tentatur*, 113.A.B
—— *ejus Interpretes*, *notati*, 64.C.D
Artemidorus, *examinatur*, 233.D.F
Asconius, *exponitur*, 175.B.F
Astorius, (*Joan. Anton.*) *laude ornatur*, 717.F

Athenæus, *exponitur*, 64. A. 698. E. 704. C. D
—— *tentatur*, 29. C. 72. A
—— *notatur*, 680. C. D
—— *ejus Interpres reprehenditur*, 71. F
Augustinus, (*Divus*) *tentatur*, 814. B
—— *emendatur*, 518. E. F
Augustinus, (*Anton.*) *encomio ornatur*, 960. C

B.

Baccius, (*Andr.*) *notatur*, 713. A
Balduinus, (*Francisc.*) *refutatur*, 762. E. F
—— *notatur*, 406. A. C
Banagius, (*Jacob.*) *laudatur*, 187. E. F
—— *notatur*, 188. A. C
Bandurius, (*Anselm.*) *laudatur*, 262. A. F
Barbarus, (*Hermol.*) *notatur*, 461. D. E
Baronius (*Cæsar Cardin.*) *laudatur*, 537. A. 713. F
—— *reprehenditur*, 311. E. F. 365. D. E. 537. A. B
Barthius, (*Casp.*) *refellitur*, 837. D. E. 838. B
Bartolus, (*Dan.*) *encomio ornatur*, 768. B
Bayfius, *ab eo dissensum*, 543. E. F
Bary, (*Jacob. de*) *laudatur*, 119. F. 166. D. 171. A. 203. B
Begerus, (*Laurent.*) *laudatur*, 56. B. 83. B. 107. B. 133. B
—— *notatur*, 112. C. D. 133. C. D
Bellorius, (*Jo. Petr.*) *encomio ornatur*, 886. C
Bernius, (*Francisc.*) *laude ornatur*, 703. E. F
Bignonius, (*Hieron.*) *encomio ornatur*, 307. E. 314. A. 415. D. 538. C. E
Blanchinus, (*Francisc.*) *laudatur*, 132. A
Bochartus, (*Sam.*) *encomio ornatur*, 30. B. 80. D. 185. A. B. 1242. B
—— *reprehenditur*, 30. C. F. 39. D. F. 45. D. F. 80. D. F. 131. A. B. 164. E. F. 184. C. 186. D
Bon, (*Nicol.*) *laudatur*, 107. A
Bonaventura, *V.* Angelus.
Bononus, (*Carol.*) *laude ornatur*, 716. F
Bosius, *notatur*, 591. D. E
Brissonius (*Barn.*) *notatur*, 260. B. 521. F
Brodæus, (*Joh.*) *ab eo dissensum*, 219. A
Broukhusius, (*Janus*) *laudatur*, 95. B.
Budæus, (*Guil.*) *encomio ornatur*, 908. D. 1048. D
—— *notatur*, 908. D. E
—— *ab eo dissensum*, 1123. B. C
Bulengerus, (*Jul. Cæs.*) *notatur*, 101. E. F
Buonarotti, (*Philip.*) *laudatur*, 126. D. 697. E
—— *notatur*, 251. B. C

C.

Caelius, (*Rhodig.*) *laudatur*, 694. A. E
Cajetanus, (*de Rubeis*) *laude ornatur*, 739. A
Calderinus, (*Domit.*) *laudatur*, 130. C
—— *notatur*, 130. C. D
Calpurnius *exponitur*, 101. E. F. 190. D. F. 191. A. D. 194. A. F. 198. A. F. &ss.
—— *tentatur*, 197. D. F
Calvisius, (*Seth.*) *notatur*, 267. C. D. 272. B
Capacius, (*Jul. Cæs.*) *ab eo dissensum*, 189. E. F
—— *notatur*, 83. D. E. 239. E. F. 246. B
Capitolinus (*Jul.*) *exponitur*, 275. B. D. 340. D. E. 1125. A. B
—— *examinatur*, 251. D. F. 252. A. F
—— *vindicatur*, 278. D. F. 611. C. D
—— *emendatur*, 370. A. B

A Carrera, (*Petr.*) *perstringitur*, 86. D. E. 87. A. F. 91. D. E
Carus, (*Annib.*) *encomio ornatur*, 760. A
—— *notatur*, 722. C. F
Casaubonus, (*Is.*) *laudatur*, 29. B. 48. E. 833. A
—— *ab eo dissensum*, 553. D. 556. A. B. 573. D. E. 585. B. C. 598. C.
—— *notatur*, 275. C. D. 299. E. 314. D. E. 364. B. C. 390. E. F. 391. A. 444. B. 456. D. 482. A. 601. B. 611. C. D. 933. F
—— *arguitur*, 833. A. E
Cassiodorus *exponitur*, 207. A. E. 1142. B
B —— *tentatur*, 231. B. 580. A. B. 1142. B. C
—— *notatur*, 232. A
—— *emendatur*, 450. D. 474. E. F. 884. A. B. 1141. E. F
Caussæus, (*Mich. Ang.*) *notatur*, 68. B. D
Cedrenus, *laudatur*, 1141. F
Cellarius, (*Christoph.*) *encomio ornatur*, 129. D. E
Chardinus, (*le Chev.*) *laudatur*, 96. F
Chimentellus, (*Val.*) *laudatur*, 274. F
—— *notatur*, 276. C. F.
Chronicum *Alexandrinum*, *ejus Auctor illustratur*, 204. F. 205. A. B
—— *ipsius Interpres notatur*, 175. C. 190. C
C Cicero *exponitur*, 176. E. F. 177. A. 401. B. C
—— *examinatur*, 172. C. F. 173. A. C
—— *tentatur*, 930. F
—— *vindicatur*, 591. C. E
—— *ab eo dissensum*, 930. E
—— *notatur*, 1222. B. C
—— *emendatur*, 1238. C
Claudianus, *laude ornatur*, 1132. F
—— *exponitur*, 244. E. F. 245. A. C. 1138. D. F. 1139. A. 1148. B. D
—— *emendatur*, 1133. A. 1139. A. 1146. A. C. 1147. A
D Codex *Justiniani exponitur*, 347. C. D. 381. E. F. 426. D. 430. C. F. &ss. 448. D. 451. C. 471. F
—— *emendatur*, 336. D. E. 338. A. 346. C. 357. A. 431. C. D. 504. A. C. 521. E. F. 522. A. B. 525. A. 529. B. C. 580. E. 581. A. B
Codex *Theodosii*, *exponitur*, 342. C. D. 426. D. 520. E. 547. B. C. 1200. A. F. &ss. 1214. A. E
—— *emendatur*, 314. C. 489. E. F. 507. F. 517. E. F. 525. F. 538. F. 583. E. F. 1210. F. 1211. D. E. 1213. D
—— *vindicatur*, 578. A. B
E Coelius Aurelianus, *exponitur*, 933. B
Coetier, (*Guill.*) *laude ornatur*, 170. F
Columella, *illustratur*, 544. B. C
Combefixius, (*Franc.*) *laudatur*, 260. F
Contius (*Anton.*) *notatur*, 309. B
Creeck, (*Thom.*) *notatur*, 681. F.
Crescimbenius, (*Jo. Marius*) *laudatur*, 721. F. 786. B
Crinitus, (*Petr.*) *notatur*, 1177. D. E
Critolaus *notatur*, 148. E. F
Croce, (*Iren. della*) *reprehenditur*, 104. C. D
Crosius, (*Jo. la*) *laudatur*, 108. A
F Cujacius, (*Jacob.*) *encomio ornatur*, 1199. C. 1202. A. B
—— *ab eo dissensum*, 320. F. 329. D. 416. C. D. 491. E. F. 517. B. 529. B. C. 557. B. 572. C. E
—— *notatur*, 362. E. F. 500. F. 501. A. 503. F. 504. A. F. 557. D. 901. A
Cuperus, (*Gisb.*) *laudatur*, 282. B
Curtius, (*Quint.*) *emendatur*, 51. C. 1156. D. E
Cyprianus, (*Ern. Salom.*) *laude ornatur*, 214. B. C. 215. D. 216. E. F
Cuspinianus, (*Joan.*) *emendatur*, 884. A. B.

D.

DAlechampius, *(Jac.) notatur*, 920.C
Demosthenes, *illustratur*, 1159.F. 1160.A. 1161.F
Dempsterus, *(Thom.) notatur*, 135.B.D. 160.B.F
Dinarchus, *emendatur*, 1160.B
Diodorus *Sicul. tentatur*, 115.F. 116.A
—— *notatur*, 52.E. 877.D.E
—— *ejus Interpres notatur*, 48.F
Dion *Cassius*, *laudatur*, 280.D. 1127.F
—— *exponitur*, 560.E.F
—— *notatur*, 183.C. 606.D.E
—— *corrigitur*, 1150.B. 1154.A
—— *ejus Interpres notatur*, 177.F. 178.A. 184.B.C. 224.E.F. 1154.A
Dionysius *Perieg. tentatur*, 47.B.C
Digesta, *exponuntur*, 355.C.E. 356.B.D. 381.D. 400.D.F. 403.D.F. 518.B
—— *emendantur*, 356.C.D. 404.B.D. 411.C.D. 497.A.C. 551.C.D. 578.D. 983.E. 1123.C.F. 1120.D.F
—— *vindicantur*, 572.B.F
Dodwellus, *(Henric.) laudatur*, 142.C
—— *perstringitur*, 39.A.C. 109.A
Drusius, *(Johan.) notatur*, 37.B

E.

ENnius, *examinatur*, 104.E.F. 105.A
Erasmus, *(Desid.) notatur*, 689.F
Erizzus, *(Sebastian.) ab eo dissensum*, 208.B.C. 280.B.F
—— *notatur*, 253.C.D
Eucherius, *laudatur*, 406.B.C
—— *exponitur*, 837.F. 838.A.B
—— *reprehenditur*, 30.B
Euripides, *tentatur*, 828.D
Eusebius, *vindicatur*, 385.A
Eustathius, *laudatur*, 813.A
—— *exponitur*, 820.A.D
—— *notatur*, 51.D. 810.F. 813.E.F. 815.F. 816.A
—— *refellitur*, 818.F. 819.A
Eutropius, *emendatur*, 115.E

F.

FAber, *(Petr.) encomio ornatur*, 419.C
—— *notatur*, 419.D. 456.C.D
Fabrettus, *(Raph.) laudatur*, 121.C. 247.A
Fabricius, *(Franc.) emendatur*, 172.E.F
Fabricius, *(Joh. Alb.) notatur*, 169.F. 170.A
Fasti Consulares, *corriguntur*, (863.) A
Fenestella, *reprehenditur*, 174.E.F
Ferrarius, *(Octav.) laudatur*, 275.B
Festus, *corrigitur*, 976.A
Florus, *notatur*, 971.D.E
Fontaninus, *(Justus) encomio ornatur*, 785.F
Foucautius, *laudatur*, 61.F. 84.A
Freinshemius, *(Joan.) notatur*, 80.E
Frontinus, *tentatur*, 24.E.F
—— *emendatur*, 115.C.D. 137.D.F
Fulgentius, *exponitur*, 261.B
—— *examinatur*, 245.E.F

G.

GAllæus, *(Jacob.) laude ornatur*, 165.B.C. 234.C

A Gallandus, *(Joan.) laudatur*, 27.E. 61.F. 75.A. 84.A. 106.E. 216.A.B. 222.F. 223.A
Gebhardus, *(Jan.) notatur*, 128.E
Gellius, *(Aul.) tentatur*, 79.D
Gentilis, *(Scipio) encomio ornatur*, 1209.B
Germanicus *Cæsar*, *Poëta*, *exponitur*, 822.F. 823.A.B
Gesnerus *notatur*, 185.B.C. 237.E
Glossæ *Basilicæ*, *corriguntur*, 531.F
—— *Juris*, *emendantur*, 500.B
Goltzius, *(Hubertus) ab eo dissensum*, 63.A.C
—— *notatur*, 108.E.F. 204.E. 218.E. 272.B
B Gothofredus, *(Jacob.) laude ornatur*, 1199.D
Grævius *(Georgius) laudatur*, 21.C. 96.C. 146.D. 153.E
Grazzinus, *(Jul. Cæs.) encomio ornatur*, 721.F
Gregoras, *vindicatur*, 514.E.F
Grentemesnilius, *V.* Palmerius.
Gronovius, *(Frider.) laudatur*, 71.C. 108.F
—— *(Jacob.) laudatur*, 67.E. 84.D
—— *notatur*, 67.E.F
Grotius, *(Hugo) refutatur*, 822.D.F. 825.E.F
Gruterus, *(Jan.) laude ornatur*, 392.A 886.C.
Gudius, *(Marq.) ab eo dissensum*, 189.D
Gurtlerus, *(Nicol.) laudatur*, 30.C.D
C Guyetus, *(Francisc.) laude ornatur*, 797.E.F
Gyraldus, *(Lil. Gregorius) encomio ornatur*, 786.E

H.

HArduinus *(Joan.) laudatur*, 79.C.E. 180.F. 213.D
—— *ab eo dissensum*, 175.D.F. 255.D.F
—— *notatur*, 25.F. 26.E.F. 27.D.E. 28.D. 46.C.E. 93.A.B. 127.D.E. 183.A.B. 184.A. 204.C. 205.B. 207.E. 213.E.F. 214.A
D —— *perstringitur*, 62.E. 127.F. 128.A. 918.F
—— *refellitur*, 214.A.B
Heliodorus, *notatur*, 40.A. 41.D
Hemelarius, *examinatur*, 220.B.D
Hermolaus *Barbarus*, *V.* Barbarus.
Herodianus, *laudatur*, 452.E
—— *tentatur*, 157.D
—— *ejus Interpres notatur*, 157.E
Herodotus, *exponitur*, 24.B.C. 81.A.B
Hesychius, *tentatur*, 436.E
E Hesychius *Milesius*, *ejus Interpres notatur*, 261.D
Hieronymus, *(Divus) tentatur*, 56.B.C
Hipparchus, *laudatur*, 825.A.
Hirtius, *tentatur*, 153.E.F. 154.E.F
Hofmannus, *(Jo. Jac.) notatur*, 32.A
Homerus, *exponitur*, 721.F. 802.D.E. 812.E.F. 819.E.F. 820.A.D
Hopperus, *(Joach.) encomio ornatur*, 1216.C
Horatius, *explicatur*, 775.E.F. 776.A
—— *tentatur*, 234.D
—— *ejus Scholiastes expenditur*, 22.E
Huetius, *(P. Daniel) laudatur*, 30.C
F Hyde *(Thomas) laudatur*, 22.E.F. 103.A.B

I.

IDatius, *emendatur*, 471.A.B
Imperialis, *(Joseph. Renat.) cum laude nuncupatur*, 777.B.C
Interpres *Vulgatus*, *notatur*, 130.F
Interpretes LXX. *notati*, 130.E
Jonstonus, *notatur*, 184.C
Jornandes, *notatur*, 69.C.D

Josephus, *tentatur*, 73. C. D A
—— *examinatur*, 72. D. F. 73. A
—— *notatur*, 57. A. B
—— *ejus Interpres, reprehenditur*, 57. A
Joubertus, (*Laur.*) *laudatur*, 163. A
Isidorus, *emendatur*, 959. D
—— *notatur*, 22. B. 516. C. D
Justellus, (*Christoph.*) *laudatur*, 1208. C. D
Justinianus, (*Leonard.*) *notatur*, 1105. B. C
Justinus, *tentatur*, 64. C
—— *conciliatur*, 111. C. E
Juvenalis, *illustratur*, 80. E. F. 1137. C
—— *exponitur*, 129. C. D. 140. A. B. 237. D. E. 710. F. 1141. D B
—— *ejus Scholiastes examinatur*, 106. C. E
—— *notatur*, 139. E. F
—— *Interpretes varii reprehenduntur*, 129. E. F

K.

Kircherus, (*Athan.*) *laudatur*, 32. E. 243. F
—— *notatur*, 67. C. F
Kirchmannus, (*Joan.*) *ab eo dissensum*, 775. B. C
—— *refutatur*, 775. F

L.

C
Lacarry, (*Ægid.*) *notatur*, 50. A. 78. D
Lambinus, (*Dionis.*) *notatur*, 40. F. 41. A. 818. A. F
Lampridius, *exponitur*, 187. E. F. 210. B. C. 310. B. F
—— *vindicatur*, 314. D. E
—— *emendatur*, 322. A. F. 323. A. B. 518. A. 598. B
Landus, (*Constant.*) *notatur*, 68. D. E
Lanzonus, (*Joseph.*) *encomio ornatur*, 760. C
Lapide, (*Cornel. à*) *notatur*, 713. C. F
Lazius, (*Wolfg.*) *laudatur*, 83. A. 1132. A D
—— *notatur*, 83. A. 426. D. 427. A. B. 1138. E
Leibnitzius, (*Georg. Gothefr.*) *encomio ornatur*, 167. C. D
—— *notatur*, 774. D. E
Lex XII. Tabularum *interpretatur*, 762. D. F
Lexicographi, *notantur*, 801. C
Lipenius, (*Martin.*) *reprehenditur*, 30. B. C
Lipsius, (*Just.*) *laudatur*, 79. B. 256. B. 959. F. 977. C. D. 1151. A. B
—— *vindicatur*, 839. A. C
—— *ab eo dissensum*, 385. F
—— *notatur*, 204. B. C. 248. B. 256. B. C. 364. B. C. 378. F. 526. D. 558. A. B. 602. C. F. 611. B. 838. E. F E
Livinejus, (*Johan.*) *reprehenditur*, 269. C. D
Livius, *tentatur*, 1147. B
—— *illustratur*, 974. D
—— *exponitur*, 72. A. D. 93. A. 985. F. 986. E
—— *corrigitur*, 1147. A
—— *ejusdem Fragmentum explicatur & emendatur*, 142. A. D
Lotichius, (*Joh. Petr.*) *notatur*, 234. E
Lucanus, *laudatur*, 879. F
—— *interpretatur*, 1130. E
Lucianus, *exponitur*, 66. F F
Lucilius, *illustratur*, 974. D
—— *examinatur*, 247. A. C
Lucretius, *notatur*, 40. E
Ludolfus, (*Jobus*) *laudatur*, 185. E
—— *reprehenditur*, 80. E. F
Lydius, (*Jacob.*) *notatur*, 155. D. E
Lyra, (*Nicol.*) *perstringitur*, 835. F

M.

Mabillonius, (*Joh.*) *laudatur*, 121. C
Macchabæorum *Auctor, vindicatur*, 80. D. F
—— *tentatur*, 72. E. F. 73. A
—— *notatur*, 71. D. E
Macrobius, *laudatur*, 870. F
—— *tentatur*, 201. F. 202. A
Maddius, (*Car. Mar.*) *laudatur*, 702. D. F
Magnaninus, (*Octavius*) *laudatur*, 703. F
Majus, (*Joh.*) *notatur*, 184. C. 185. A
Malela, (*Joan.*) *examinatur*, 262. B. E
—— *perstringitur*, 60. D
—— *ejus Interpres reprehenditur*, 60. E. 262. C. E
Mamertinus, *in Paneg. Maximiani*, *emendatur*, 1134. A. C
Manutius, (*Paul.*) *ab eo dissensum*, 177. A
—— *notatur*, 689. F
Maraldus, (*Math.*) *encomio ornatur*, 756. A. C
Marcellinus, (*Ammian.*) *exponitur*, 536. B. C. 541. C. 600. A
—— *corrigitur*, 524. D. E
Martialis, *exponitur*, 125. B. C. 221. F. 222. A. B. 918. A. B. 1141. C. E
—— *tentatur*, 181. C
Martyr, (*Petr.*) *notatur*, 836. C. D
Maussacus, (*Phil. Jac.*) *notatur*, 51. D
Mayer, (*Marc.*) *laudatur*, 925. A
Mediobarbus, *V.* Mezzabarba.
Meibomius, (*Marcus*) *encomio ornatur*, 131. B
Mela, *explicatur*, 20. E. F
Menestrier, (*Joh. Bapt.*) *notatur*, 205. F. 206. A
Menochius, (*Steph.*) *refutatur*, 760. D. F. 775. E. F
Mercator, (*Anton.*) *notatur*, 618. A. D
Mercurialis, (*Hieron.*) *laudatur*, 704. E
—— *notatur*, 704. E. 928. E
Meursius, (*Joan.*) *laudatur*, 83. A
—— *reprehenditur*, 818. F. 822. D. F
Mezzabarba, *Abbas*, *laudatur*, 133. C
Mezzabarba, *seu* Mediobarbus, *Comes*, *laudatur*, 133. E. 255. C
—— *ab eo dissensum*, 225. C. D
—— *examinatur*, 203. D.
—— *notatur*, 172. B. C
Minerbettus, (*Bened.*), *notatur*, 760. A. B
Morellus, (*Andr.*) *laudatur*, 126. B. C. 172. B
—— *examinatur*, 62. F
Mosellanus, (*Petr.*) *reprehenditur*, 771. E
Muratorius, (*Lud. Ant.*) *laudatur*, 702. F
Musgrave, (*Guill.*) *encomio ornatur*, 155. F

N.

Nardinus, (*Famian.*) *emendatur*, 241. A. B
—— *notatur*, 250. E. F.
Nemesianus, *examinatur*, 191. E. F
—— *tentatur*, 47. E. G. 193. C. F
Nicephorus, *exponitur*, 256. C. D
Noodt, (*Gerh.*) *laudatur*, 245. D
Nonnus *explicatur*, 25. F. 26. A. C
—— *ejus Interpres notatur*, 26. A. B.
Norisius, (*Henr.*) *laudatur*, 61. A. 211. C. 250. F
Novellæ *Justiniani*, *exponuntur*, 1137. F. 1138. A. B. 1140. F. 1141. A

O.

Oppianus, *explicatur*, 21. B. D
Otto, (*Everh.*) *laudatur*, 189. D.
—— *ab eo dissensum*, 189. E
Oudinetus, (*Carol.*) *laudatur*, 28. C. 208. F. 213. A
Ovidius, *tentatur*, 50. D. E

P.

Pagius, (*Anton.*) *laudatur*, 195. E. 251. A
—— *examinatur*, 195. E. F. 196. B. C
Palmerius, (*Jacob. à Grentem.*) *laudatur*, 80. D
—— *reprehenditur*, 80. D. F
Pamelius, (*Jacob.*) *notatur*, 516. A. 531. E
Pancirollus, (*Guid.*) *laude ornatur*, 1200. D. 1205. C. D. 1215. B
—— *notatur*, 451. D. E. 930. A. 1214. B
Patarol, (*Laurent.*) *encomio ornatur*, 769. E. 786. B
Paterculus, *V.* Vellejus.
Patiecus, (*Donnus Franc.*) *laude ornatur*, 850. A
Patinus, (*Carol.*) *laudatur*, 124. D. 132. A. 280. B
—— *ab eo dissensum*, 225. C. D. 280. B. F
—— *notatur*, 229. D
Paulus *Venetus*, *explicatur*, 57. D. E
—— *notatur*, 22. B
Pausanias, *illustratur*, 816. E. F
—— *conciliatur cum Justino*, 111. C. E
Panvinus, (*Onuph.*) *laudatur*, 274. D
—— *vindicatur*, 270. D
—— *notatur*, 112. C. D. 223. E. 272. B. 274. D. 400. A. B. 412. A. B
—— *emendatur*, 884. A. B
Pedrusius, (*Paulus*) *laudatur*, 129. A. 216. A. 226. F
Pegolottus, (*Alex.*) *encomio ornatur*, 721. F
Perizonius, (*Jacob.*) *laudatur*, 40. C
Perottus, *notatur*, 810. E. F
Persius, *illustratur*, 633. C. D. 1148. C. D
Petrarcha (*Franc.*) *laudatur*, 695. F. 772. A
Petronius, *illustratur*, 240. F. 719. E
—— *tentatur*, 302. D
—— *exponitur*, 775. B. C
Philostratus, *exponitur*, 39. E. F. 233. C. D
—— *notatur*, 41. D. 44. E. F. 45. A
Photius, *exponitur*, 54. F
Pierius, (*Valer.*) *laudatur*, 249. A
—— *notatur*, 32. D. 65. F. 66. C. 67. B. 118. E. F. 146. A. B
—— *ejus Continuator*, *notatur*, 65. F. 66. A
Pignorius, (*Laur.*) *notatur*, 98. F. 99. D
Pindarus, *exponitur*, 804. A. B. 810. D
Pintianus (*Anton.*) *notatur*, 768. F. 776. D. E
Piscator, (*Joan.*) *notatur*, 836. C
Plato, *exponitur*, 24. A. B
Plautus, *laudatur*, 821. C
—— *illustratur*, 81. D. E. 240. B. E
—— *tentatur*, 712. A. E. 799. D. E
—— *explicatur*, 310. D. E. 548. A. 773. D. E. 958. D. 1148. C
Plinius, (*Junior*) *explicatur*, 620. E
—— *tentatur*, 256. A. B
—— *emendatur*, 1157. E
Plinius, (*Senior*) *exponitur*, 80. C. 81. E. F. 117. B. E. 159. D. F. 160. A. B. 175. A. B. 178. D. E. 206. F. 207. A. E. 219. E. F. 905. D. 930. C. D
—— *vindicatur*, 26. F. 611. A. B. 711. D. F. 712. A. *&ss.*
—— *conciliatur cum Suetonio*, 180. B. D
—— *notatur*, 19. C. 32. B. 810. E. F. 931. A. D
—— *emendatur*, 398. A. B. 549. D. E. 913. B. D. 916. A. B
Plutarchus, *illustratur*, 801. E. F. 1148. C
—— *explicatur*, 64. A. 693. C. F
—— *notatur*, 44. F. 45. A. 696. F
—— *emendatur*, 106. A. B. 1147. A. 1150. D. E. 1164. B
Pollio, *V.* Trebellius.
Pollux, *exponitur*, 933. E
—— *corrigitur*, 1162. E. F
Polyænus, *explicatur*, 76. E. 77. A. B
—— *ejus Interpres notatur*, 148. C
Pomponius, *emendatur*, 563. B. C. 1120. E. F. 1121. A. C. 1122. E. F. 1123. A
Pomponius *Lætus*, *notatur*, 409. B
Porcheron, (*Plac.*) *laudatur*, 131. C
Porphyrio, *refutatur*, 761. B
Potterus (*Johan.*) *notatur*, 25. A
Pricæus (*Joan.*) *notatur*, 1209. B
Procopius, *perstringitur*, 25. C
—— *ejus Interpres*, *notatur*, 464. C
Prudentius, *exponitur*, 1137. D. E

Q.

QUintilianus, *explicatur*, 763. A. B
Quintus *Curtius*, *V.* Curtius.

R.

RAmazzinus, (*Bernard.*) *laude ornatur*, 763. F
Relandus, (*Hadrian.*) *laudatur*, 103. C
Rhenanus, (*Beatus*) *notatur*, 597. F. 598. A. B
Rittershusius, (*Cunrad.*) *ab eo dissensum*, 775. B. C
Roa, (*Mart. de*) *notatur*, 117. B. C
Rufus, *emendatur*, 928. E
Rupertus, (*Christoph. Ad.*) *notatur*, 57. B

S.

SAlmasius, (*Claud.*) *encomio ornatur*, 174. E 238. C
—— *tentatur*, 174. E
—— *ab eo dissensum*, 192. C. F. 195. D. F
—— *notatur*, 276. C. 759. F. 819. B. F. 820. E. F. 840. D. E. 928. C
—— *refellitur*, 823. E. F. 824. A. F. 841. B. C. (860.) A. F
Sancassanus, (*Dionys. Andr.*) *laude ornatur*, 777. D
Scaliger, (*Joseph.*) *encomio ornatur*, 426. B
—— *notatur*, 102. C. 192. B. C. 196. E. F. 199. A. 247. C. D. 273. D. 425. F. 534. D. E
—— *ab eo dissensum*, 572. C. E
Schefferus, (*Johan.*) *laudatur*, 25. F. 160. C. 238. F. 253. A. B
—— *ab eo dissensum*, 238. F. 239. A
—— *notatur*, 25. F. 160. D. 178. C. E. 275. D. F. 276. C. 278. E. F
Schelius, (*Rabbod. Herm.*) *encomio ornatur*, 158. A
Schottus, (*Andr.*) *notatur*, 473. B. C
Schottus, (*Henr.*) *laudatur*, 108. A
Schrevelius, (*Corn.*) *reprehenditur*, 812. E
Sciappalaria, (*Steph. Ambros.*) *notatur*, 164. B. E
Scriverius, (*Petr.*) *notatur*, 235. E
Seguinus, (*Petrus*) *laudatur*, 49. D
—— *notatur*, 63. D. E. 64. A. B
Seneca, *exponitur*, 175. B. F. 176. D. 238. F 239. A. 905. C
Servius, *notatur*, 555. B. C
Sidonius *Appollin.* *exponitur*, 135. B. D
Sigonius, (*Carol.*) *ab eo dissensum*, 398. D. E
—— *notatur*, 71. B. C. 106. A. B
Silvestris, (*Camill. Comes*) *laude ornatur*, 687. F. 769. A. B. 784. E
Snabelius, (*Hieron. Guill.*) *laudatur*, 209. E. F
Solinus, *vindicatur*, 46. E. F
—— *notatur*, 32. B
Sophocles, *exponitur*, 832. B
Spanhemius, (*Ezech.*) *laudatur*, 28. B. 60. D. 186. E. F. 199. F. 206. F. 208. F. 213. A. 250. F. 251. A

—— *ten-*

—— *tentatur*, 120. A.C
—— *notatur*, 169. B.D
Spanhemius, (*Frideric.*) *encomio ornatur*, 151. F. 213. A.B
Sperlingius, (*Otto*) *encomio ornatur*, 146. C. 218. D
Sponius, (*Jacob.*) *notatur*, 927. C. 932. C
Statius, *explicatur*, 124. E. 125. A
Stephanus, (*Henr.*) *notatur*, 836. E. 933. E
Strabo, *illustratur*, 551. B.D
—— *explicatur*, 21. A
—— *conciliatur*, 20. C. E
—— *ejus Epitomator notatur*, 35. A.B
—— *ejusdem Interpres correctus*, 60. F. 1124. E.F
Strada, (*Jacob.*) *notatur*, 196. D
Suetonius, *vindicatur*, 362. C. F. 364. B.C
—— *exponitur*, 351. D.E. 457. A. 494. C
—— *conciliatur*, 180. B. D. 418. A. E
—— *emendatur*, 325. C. D. 974. B.C. 1126. E. 1146. C
Suidas, *notatur*, 41. E. F. 42. A
—— *corrigitur*, 60. A. C. 261. E. 540. E. 928. D
Surius, *notatur*, 403. A
Symmachus, *exponitur*, 537. F. 538. A.B
—— *tentatur*, 581. B. C
Syncellus, (*Georg.*) *notatur*, 71. D. E. 191. D.E
—— *emendatur*, 149. A. E
—— *ejus Interpres reprehenditur*, 71. E
———— *corrigitur*, 149. B. E
Synesius, *emendatur*, 314. A.C

T.

TAbularum XII. *Lex*, *V.* Lex.
Tacitus, *exponitur*, 615. E. F. 1121. E. 1142. C
—— *tentatur*, 468. B. 503. C
—— *vindicatur*, 558. A. B. 602. C. D
—— *emendatur*, 386. B. C. 1146. E. F
—— *conciliatur*, 418. B. E
Tassus, (*Torq.*) *laudatur*, 718. C. E. 786. C.D
Taubmannus, (*Frider.*) *reprehenditur*, 818. A
Tentzelius, (*Wilh. Ern.*) *encomio ornatur*, 85. D
Terentius, *illustratur*, 43. B. C
—— *tentatur*, 356. A
Tertullianus, *exponitur*, 178. C. 396. C. E. 531. E. 597. E. F. 698. A. B
—— *emendatur*, 531. F. 1177. E
Testius, (*Fulv.*) *laudatur*, 723. D.E
Themistius, *corrigitur*, 1135. C. E
Theon, *exponitur*, 821. A.B
—— *ejus Interpres notatur*, 821. B
Theophylactus, *ejus Interpres notatur*, 259. D. F
Tibullus, *tentatur*, 799. C. D. 833. C
Til, (*Salom. van*) *notatur*, 31. E
Tilius, (*Joan.*) *laude ornatur*, 1199. C. F
Tollius, (*Jacob.*) *notatur*, 65. C. D
Torrentius, *notatur*, 224. C. D. 362. C. F. 364. B. C
Trebellius *Pollio*, *exponitur*, 323. D. F
—— *corrigitur*, 444. B
Trigautius, *notatur*, 19. E. F
Tristanus, (*Joh.*) *laudatur*, 124. E. 128. F
—— *notatur*, 163. C. D. 170. C. D. 194. F. 198. A. C. 199. B. C. 233. C. F. 270. D
—— *refellitur*, 20. A. B. 124. E. F. 125. A. F. 190. A. F. 218. F
Turnebus, (*Hadrian.*) *laudatur*, 1141. A
—— *ab eo dissensum*, 591. D. 828. F
—— *notatur*, 297. C. D. 522. D
Turre, (*Phil. à*) *encomio ornatur*, 719. E. 768. C
Tzetzes *reprehenditur*, 816. F. 817. A

V.

VAlesius, (*Henr.*) *laude ornatur*, 265. E. F
Vaillantius, *laudatur*, 27. C. 49. F. 74. C. 78. E. 162. E. 223. B
—— *emendatur*, 162. A. 182. E
—— *notatur*, 64. F. 65. A. C. 73. E. F. 128. C. D. 162. D. 227. B. E. 228. A
—— *examinatur*, 223. B. E. 225. E. 226. A. B
Varro, *laudatur*, 102. D
—— *reprehenditur*, 931. E. F
—— *emendatur*, 102. B. C
Vavassor, (*Franc.*) *ab eo dissensum*, 219. C
Vegetius, *tentatur*, 436. E. 529. A
—— *emendatur*, 589. F
Vellejus *Paterculus*, *exponitur*, 1122. C. F
—— *tentatur*, 209. C. D
Vergilius, *V.* Polydorus.
Victor, (*Aurel.*) *illustratur*, 223. D. E
—— *reprehenditur*, 482. A. B
—— *perstringitur*, 196. B. D
Victorius, (*Petrus*) *ab eo dissensum*, 176. F. 177. A
Vignolius, (*Job.*) *laude ornatur*, 227. E. 764. A
Virgilius, *exponitur*, 722. E. F. 723. A. B. 759. E. F
—— *tentatur*, 364. D
Vitruvius, *laudatur*, 906. A
—— *notatur*, 899. C. 903. B. 906. A
—— *emendatur*, 902. D. E
Vlietius, (*Janus*) *laudatur*, 191. A
—— *ab eo dissensum*, 200. E. F
—— *reprehenditur*, 47. A. 191. A. F. 195. B
Vlpianus, *exponitur*, 244. D. E. 245. B. D
—— *vindicatur*, 567. C. D
—— *emendatur*, 618. A D
Volaterranus, (*Raph.*) *notatur*, 957. B. C
Vopiscus, *exponitur*, 188. F. 197. B. D. 236. C. D
—— *tentatur*, 191. F. 193. B
—— *examinatur*, 238. B. D
—— *emendatur*, 394. D. F
—— *perstringitur*, 576. C. D. 600. C
Vossius, (*Joh. Gerh.*) *laudatur*, 246. B.
Vossius, (*Isaac.*) *laudatur*, 93. A. B
—— *notatur*, 238. C
Vries, (*Simon de*) *notatur*, 65.
Vrsinus, (*Fulv.*) *laudatur*, 119. B
—— *notatur*, 117. D. 119. B. C. 560. C. E. 818. F
Uylenbroekius, *encomio ornatur*, 222. C

W.

WEidnerus, (*Joh.*) *notatur*, 118. E. F
Whelerus, (*Georg.*) *notatur*, 119. A. B
Wilde, (*Jacob. de*) *laudatur*, 61. B. 64. F. 78. C
Witsen, (*Nicol.*) *laudatur*, 73. F. 97. F. 186. E
Wormius, (*Olaus*) *examinatur*, 240. E. F

X.

XEnophon, *exponitur*, 38. F
—— *Edit. Oxon. Tabula Geograph. notatur*, 34. F
Xylander, (*Gulielm.*) *laudatur*, 1141. C
—— *reprehenditur*, 1141. C

Z.

ZImmermannus, (*Matthias*) *notatur*, 189. F
Zosimus, *explicatur*, 468. B. C
—— *vindicatur*, 405. C
Zonaras, *exponitur*, 58. B
—— *tentatur*, 58. C
—— *perstringitur*, 309. A. 417. D. 594. F. 595. B

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

A *quid in sententiis notat*, 1083. C
Aaron, *Persarum Rex, cui elephantum misit*, 248. D. E
Abassia, *ejus Rex elephantis vectus*, 262. C. E
Abdulaziz, *quæ urbs, & unde sic dicta*, 857. A. B
Abraham, *ejus convivium*, 731. A
Absolutio, *ejus nota*, 633. B
Abulabaz, *cujus elephantis nomen*, 248. E
Accensi, *qui*, 1050. A
—— *eorum etymologia*, 996. C
—— *quid curabant*, 996. C
Accius *Navius, ejus historia*, 962. A. C
Accumbendi *mos apud Veteres*, 728. B. 730. D
Accusator, *ejus officium*, 632. A. D
—— *falsus punitus*, 634. B. C
—— *quinam esse non poterant*, 653. D. F. 654. A. F
Ἀκληρονόμητα, *quæ bona*, 579. D
Ἀμίκη, *quid*, 574. A
Acrasus, *urbs Lydiæ*, 133. C
Acta, *quid*, 336. F. 337. A
—— *in Consistorio habita*, 337. F
—— *apud quem insinuabantur*, 412. E. F
—— *in intimo Consistorio*, 336. E. F
—— *apud ea dicere, & defendere*, 336. E. 337. A. B
—— *Censoria ubi asservabantur*, 1089. A
—— *Judicum*, 377. A
—— *Principum*, 336. E. F. 337. A. D
—— *Proconsulum*, 336. F
—— *diurna, quæ*, 621. B
ab Actis, *qui*, 440. D. F
Actores *Summarum*, 556. D. E
—— *rerum*, 556. E
—— *Cæsaris*, 620. D. F
—— *rei privatæ*, 620. D
Actuarii, *qui*, 440. D
Adæratio, adærare, *quid*, 431. A
Adam, *de eo & Eva fabula*, 100. B. E. 205. C. D
Ἀδείας διδασκαλικὰς, 349. A
Ἀδελφοποιΐα, *quid*, 395. C
Ἀδέσποτα, *quid*, 580. A
Adipalæ, *quænam cœnæ*, 730. E
Adjutor *à Libellis*, 509. A. B
Adjutores, *quinam*, 440. A
Administri, *qui*, 318. D
Admissio, *ejus officium*, 526. C. D
Admissionales, *qui*, 526. A. F
—— *eorum munia*, 426. B. C
Admissiones, *earum Magistri*, 526. A. B
—— *earumdem Proximi quinam*, 508. C. 526. B
Admonere *officia*, 356. B. C
Adnotare, *quid*, 491. B. C
Adnotata *bona*, 491. D
Adnotatio, *quid*, 491. B
Adoptio, *ejus ritus*, 396. B. E
—— *quid*, 395. C
Adresponsum, 512. C
—— *an ab Apocrisiario differt*, 512. D
—— *ejus munus*, 512. E
Adrianus, *V.* Hadrianus.
Adscriptitii, *qui*, 313. C
Adsessores, *qui*, 321. C. D

A —— *Agentium in rebus*, 317. A
—— *Comitum Provinciarum*, 315. E
—— *Magistratuum*, 319. C
—— *Præfecti Prætorio, qui, & quot fuere*, 416. C. F. 431. C
—— *istorum prærogativa*, 416. C
—— *eorum dignitas*, 431. D. E
Adsidere in Consilium, *quinam dicebantur*, 319. C
Adtributa *pecunia*, 546. C. D
Adtributum, *quid*, 438. D. E
Adventus dominorum elephantorum, *quod festum*, 96. F
B Advocatio, *quodnam officium*, 665. E. F
—— *in causis capitalibus*, 666. A. C
—— *ejus officium*, 485. A
—— *temporariæ tempus*, 489. C. D
Advocati, *qui, & unde ita nuncupati*, 485. A. B. 486. B. E
—— *ubi Græcè loquuti*, 337. B
—— *eorum Corpus*, 485. B. C
—— *Patroni litium dicti*, 487. A
—— *numerus certus*, 487. E. F. 488. A
—— *Privilegia*, 488. A. B. 489. F
—— *Primates*, 490. B
—— *formularii*, 481. C. D
C —— *supernumerarii*, 487. E
—— *varii celebres recensentur*, 485. C. F
—— *temporarii*, 488. B. C
—— *pro Testibus*, 486. C. D
—— *quot in Consilium Præfecturæ Prætorianæ assumti*, 417. A
Advocatus *Africæ*, 488. D. E
—— *fisci ex formula forensi*, 481. C
—— *à quo institutus*, 482. D
—— *ejus munus præcipuum*, 483. E
—— *quando Causam in Consistorio sustinebat*, 330. E. F
D —— *quandiu officio fungebatur*, 482. B. 484. D
—— *illius solatia & privilegia*, 483. A. D. 484. B. D
—— *punctus Imperatoris manu quis sic dictus*, 483. A. C
—— *Sedis Urbanæ*, 488. E. F
Adulterii *Rei apud Principem peracti*, 329. A
Ædes *Fidei*, 885. E
—— *Jani*, 887. B
—— *Pietatis*, 888. A. B
—— *Salutis ubi Romæ*, 878. E
—— *quis eam vovit*, 878. F. 879. A
—— *à quo picturis ornata*, 879. A
E Ædiles, *eorum etymon*, 982. F. 1089. B
—— *eorumdem munus*, 982. F. 983. A. 1089. B. C. 1090. A. D. 1108. F
—— *Plebeji, quinam*, 954. B. 983. B
—— *quid isti curabant*, 983. B
—— *Curules, unde ita dicti*, 983. B. 1089. F
—— *eorum munia*, 954. B. C. 983. B. C
—— *quis eos auxit*, 983. C
—— *cur Cereales vocati*, 983. C.
—— —— *à quo hi creati*, 1109. A
—— *eorum insignia*, 1089. D. 1090. A
—— *Patricii erant, vel Plebeji*, 1089. E
—— *Plebeji primùm creati*, 1089. E
F —— *quando duo Patricii electi*, 1089. F
Ædilitas, *primus gerendorum Magistratuum gradus*, 1090. B. C
Ædui, *quam Dignitatem adepti*, 354. D

Ἀρέσκειν, *in Judiciis*, 335. B
Aresta, *Arêts*, *unde dicta*, 335. B
Argemone, *herba*, *quibusnam remedium est*, 936. C. D
Argentarii, *qui*, 568. C. E
Argentoratum, *quæ ibi habebatur Fabrica*, 530. A
Argentum, *ejus supputatio*, 1183. D. F
—— *simpliciter quid notat*, 1179. D
—— *signatum*, *factum*, *infectum*, 563. A
Ἀργυροκοποίαι, *qui*, 564. B
Ἀργυροπρᾶται, *qui*, 568. C
Argutiæ, *eæ orationem frigidam faciunt*, 771. E
—— *flentibus non aptæ*, 771. E. F
Ἀρία, *quid*, 574. F. 575. A
Ariadne, 680. B. E
Arma, *varia notat hæc vox*, 741. C
—— *illorum Fabricæ variis in locis fuerunt*, 529. D. F. 530. A
—— *Barbarica*, 525. C
—— *varia recensentur*, 527. C. D
—— *eorum custos*, 528. B. C
—— *justa*, 522. C
Armatura, *quale exercitium*, 522. D. E
Ἁρμοσταὶ, *qui*, 305. D
Ars *prossaria*, *quæ*, 574. E. F. 575. A. B
Artes, *subjecto certo alligantur*, 767. C
in Articulo, *quid*, 581. B
Artifex, *senior cæteris præstat*, 766. B
Arvales *Fratres*, *qui*, *& quot fuerunt apud Rom.* 1112. A
—— *eorum Collegium quis instituit*, 962. F
—— *unde ita nuncupati*, 1112. A
As, *quid*, 1051. B. 1176. D. E
—— *ejus partes*, 1052. A. D. 1177. C
—— *Allobrogicus*, *qualis*, 1051. C
—— *Gallicanus*, *quinam*, 1051. C
—— *Romanus*, *ejus valor*, 1051. C. D
—— *supputatur cum hodierna moneta*, 1182. A
Asdrubal *quot habuerit elephantos*, 136. C. E
—— *quot in Italiam traduxerit*, *& cum quo iis pugnaverit*, 143. B. E
Asia, *num ejus Reges elephantos ante Alex. M. aluerint*, 30. B. C
—— *quis eorum primus multos possedit*, 60. A. F
Asperatura, *quale præmium*, 563. E
Asses Librales, *qui*, 1176. D
—— *quando sextantarii*, *unciales*, *& semiunciales facti*, 1177. A. B
Assuerus, *ejus regnum variè descriptum*, 37. A. F
Assula *lignea*, *quid notat*, 739. C
Assyria, *quos elephantos alebat*, 50. E
Athenagoras, *an Liber* de perfecto amore *ipsi adscribi debeat*, 28. E. 29. A
Atheniensis *Respublica*, *ejus Legislatores quinam*, 1007. B
Atilius, *Regulus*, *an in triumphum elephantos duxerit*, 113. E. F
Athletæ, *seu* Palæstritæ, *quibus olim vescebantur*, 928. D
ἐν Ἀτόμῳ, *quid*, 581. B
Auctor, *quis*, 563. C. D
Auctoritas, *quid denotat*, 563. D
—— *Magistratuum*, *quæ*, 299. B
—— *Præfecti Prætorio*, 493. D
—— *præscripta*, 491. F. 492. A. F
—— *rei judicatæ*, 493. E
Auditio *sacra Judicum*, 342. B. C
Auditor *Cognitionis sacræ*, 342. B
Auditorium, *quò differt à Consistorio*, 319. D
—— *Principis*, *quod*, 319. D
—— *à Tribunali differt*, 327. B. C. 336. B
—— *sacri Cognitor*, 339. D
—— —— *hujus munus*, 342. B
Aves, *earum cura major ubi*, 734. B. C
Augures, *eorum disciplina à quo*, 961. E
—— *ipsis fuit magna auctoritas*, 961. F
—— *per eos quomodo vitio creati inaugurabantur*, 961. F. 962. A
—— *illorum Collegium*, 1110. F
—— *quot fuerunt*, 1110. F
Augustalia, *quale festum*, 886. F
Augustodunum, *urbs*, *qualis bonor Litteris in ea habitus*, 1250. D. F
—— *in eadem erat celebris Fabrica loricaria*, 530. A. E
Augustus, *quid in Republica Rom. innovarit*, 397. D. F. *& ss.*
—— *cur Dictaturam repulit*, 385. D. F
—— *quandò Præfecturam morum adeptus*, 388. E. F. 389. A
Augustus, *V.* Cæsar.
Αὔξησις, *quid*, 438. B
Auraria *Collatio*, *V.* Collatio.
Aurelianus, *quadriga elephantorum triumphavit*, 253. D. E
—— *an cervorum curru*, 253. F. 254. A. B.
Aureus, *vel* Aureolus, *simpliciter*, *quid*, 1181. A
—— *solidus etiam dictus*, 1181. B
—— *ejus pretium*, 1181. C. E
Aurum, *ejus supputatio*, 1187. E. F. 1188. A. D
—— *quæ ejus appellatione continentur*, 544. D
—— *comparatitium*, 571. C
—— *coronarium*, 577. B.
—— *lustrale*, 555. F. 570. E. F
—— —— *hujus Coactor*, 571. A
—— *maceratum*, *quod*, 1178. C. D
—— *negotiatorium*, 571. B
—— *vicesimarium*, *quodnam* 619. B. C. 951. B
—— *escarii Præpositus*, 544. D
—— *clavis usum præbet*, 842. F
Auspicia, *quæ majora dicta*, 1054. B
Αὐθέντης, *quis*, 493. D
Αὐθεντία, *quid*, 493. D
Authenticæ *Constitutiones*, 493. E
Αὐτοφυὲς, 567. C

B.

B. *pro V. frequenter & è contra in Florent. Pandectis invenitur*, 370. C
B. *Græcorum frequenter per V. consonans exprimunt Latini*, 798. C
—— *Vid. lit. V.*
Βακχάντης, *quis*, 314. B. C
Bacchantes *hederâ coronatæ*, 690. B
—— *unius caput ex marmore*, *ubi asservatur*, 690. E
Bacchus, *an triumphans curru elephantorum Thebas sit ingressus*, 25. E. F
—— *quæ animalia ejus currui juncta*, 26. D. F. 27. A. F.
—— *cui dentes elephanti dicavit*, 28. D. E
—— *ei columna erecta*, 697. E
—— *num coronarum inventor*, 680. A
—— *hederâ coronatus*, 620. C
—— *Medici titulo à quo honoratus*, 697. C
—— *votum illi nuncupatum*, 697. F
—— *hujus nomine appellati sunt multi Cæsares*, 217. B
Βαλανάγρα, *quid*, 803. C. D
—— *ejus inventores*, 827. B. C
—— *structura*, 827. D. F. 831. D. F
—— *strias externas habuit*, 831. A. B. 832. B. D
—— *ejus figura lit. P.* 831. E
—— *an parum distet à clave Homerica*, 833. B
—— *ipsius usus maximus*, 837. A. B
Βάλανος, *varia notat*, 803. B. C
—— *ejus usus*, 829. C. D
—— *cur διαδρόμος nuncupata*, 830. A. B
—— *quid propriè*, 833. F

--- in-

—— *internas strias habuit*, 831. A.C. 832. B D
—— *ejus figura*, *lit. G.* 831. E
Balbinus, *Aug. ei quadrigæ elephantorum decretæ*, 223. E.F. 251. F. 252. C
Ballistarii, *quinam*, 527. E
Baphia, *quæ Officina*, 566. B
—— *eorum Procuratores quot*, 566. A. B
—— *Phœnices*, 566. C
Barba, *quando antiquitus radebatur*, 730. F
Barbaria, *quæ regio*, 568. A
Barbaricarii, Barbarici, *seu* Barbarii, *qui*, 525. A. B
—— *duorum generum fuerunt*, 567. E. F
Barbaricum, *quid*, 525. B. E
Βαρβαρόφωνοι, *qui dicti*, 568. A. B
Baruffaldus, (*Nicol.*) *ejus Museum*, 684. F. 690. E. F. 756. C
—— (*Hieron.*) *ejus Dissertatio* de Poëtis Ferrariensibus, 723. B. F
Βασίλεια ἀπόρφυρος, 409. D
Basilica *Pauli*, *quæ*, 376. C. D.
Βασιλικὸν, 20. B
Bastagæ, *quid*, 568. F
Bastagæ *Gallicanorum*, 569. B
—— *eorum sollicitudo*, 569. A
Bastagarii, *qui*, 568. F
Βασταγὴ, *quid*, 568. F
Behemoth, *quid denotat illa vox apud Jobum*, 30. F
Bellaria, *quæ*, 682. B. F. 731. C
Bellum, *qui antiquitus indicebatur apud Romanos*, 956. A. B
Benefici, *qui*, 377. E
Beneficia, *eorum æquatus numerus*, 378. E. F
—— *bonorum*, *quænam*, 377. F
—— *Legis*, 380. C
—— *Principum*, *quot in iis notanda*, 383. B. C
—— *in iis ad Ærarium referri*, 378. B
—— *ab eorumdem Commentariis*, 378. A. B
—— *illorum Liber*, 377. F
Beneficiarii *cursus publici*, 531. F
—— *Legatorum comites*, 378. C. F
—— *milites*, 378. C. E. 379. A
Beneficiarius *Consulis*, 379. A
—— *in cohortibus urbanis*, 379. B. C. 380. A. B
—— *spe*, 380. B
Beneficium *pro vitio positum*, 379. F. 380. A
—— *Imperatoris*, 380. D. F
—— *Novercæ*, 379. E. F
—— *Principis*, *quod*, 377. C. E. 380. E
—— *Severi*, 356. E
—— *Personæ*, *quomodo exstinguitur*, 383. A. B
Bestiæ *dentatæ*, *quæ*, 244. E
Bibliothecæ *publicæ*, *eæ serò institutæ*, 1245. D. 1246. A
—— *privatæ multæ fuere Romæ*, 1245. D. E
—— *quis primus publicam dicavit*, 1246. A. B
—— *ut in Coloniis & Municipiis*, 1246. E
Birota, *quid*, 538. F. 539. A
Blatta, *quid*, 566. E
Blattæ *laneæ & lineæ*, 567. A
Blattiarii, *qui*, 566. E
Bona *caduca*, *quæ*, 330. A. 579. D. E
—— *vacantia*, 579. D
—— —— *horum cura ad quem pertinebat*, 331. A
Boves Lucæ, *unde ita dicti elephantes*, 101. D. F. 102. A. F
Brachmanes *bestias adorant*, 100. A. B
Breves, *quid*, 442. B. 517. D. E
—— *Censuum*, 517. E
—— —— *hi à quo confecti*, 518. B
—— *Pontificum*, 434. D
—— *Notarii*, 517. E. F
Breviarium *Imperii quomodo differt à Notitia*, 296. A. B
—— *rationum*, *quod*, 296. B

A Breviariæ *rationes*, *V.* Rationes.
Buccina *in conviviis*, 732. A
Buccula, *quid*, 527. F. 528. A
Bucranium, *quid*, (861.) C
Bullæ *adium*, 549. C. D
Byssus, *lini genus*, 567. A

C.

C *Quid in sententiis denotat*, 1083. C
Cadaver *humanum circa mensam circumlatum*, 730. F. 731. A
Cadavera, *quomodo & à quibus abluta & uncta*, 783. E
B Caduca *bona*, *V.* Bona.
Caduceatores, *qui*, 1110. C
Cæritum *Tabulæ*, *quænam*, *& unde ita nuncupatæ*, 980. F
Cæsar *destinatus*, 397. A. B
—— *hoc nomen quis primus ab Imperatore accepit*, 395. B. F
—— *quibus illud datum*, 395. A
Cæsar, (*Aug. Octav.*) *quomodo & quando elephantos nactus*, 172. D. F. 173. A. C
—— *quot dedicavit ex lapide Obsidiano*, 203. E. F
C —— *ipsi primo omnium Romanor. elephanti positi*, 219. E
—— *qua de causa ipsi decreti*, 220. A. D
—— *illi ab Indis missi elephanti*, 220. F
Cæsar, (*Jul.*) *unum elephantum in Britanniam deportavit*, 153. A
—— *quot cepit in prælio contra Scipionem*, 155. B
—— *num in triumpho elephantos lychnuchos habuerit*, 160. D. F
—— *an privatus Nummos elephantis signaverit*, 163. A. C
—— *quandonam has belluas Populo exhibuerit*, 177. B
D —— *an elephanti cum elephantis*, *an verò cum peditibus & equitibus pugnaverint*, 177. D. E
Cæsares *facti jure sanguinis*, 395. A. 396. E. F
—— *illorum potestas à quo pendebat*, 397. B. C
—— *Magistrum Officiorum & Quæstorem habuerunt*, 474. A
Cæsariani, *qui*, 557. C
—— *an iidem ac Castrenses*, 598. C
Cajus *Duillius*, *V.* Duillius.
Calamus *odoratus*, 712. F
Calcei *lunati*, *quorum gestamen apud Romanos*, 975. A. 1068. C
E —— *littera R in iis*, *quid denotat*, 1014. C
Calculatores, *qui*, 445. E. F
Caldarium, *quid*, 904. F. 905. A
Calices *initio convivii erant parvi*, 736. A
—— *majores verò in fine*, 687. A. D
—— *coronati apud Antiquos*, 721. E. F. 722. A. E. A. 723. C. D
Caligula, *Imper. sorori Drusillæ mortuæ qualem honorem habuit*, 224. E. F
Calix, *ejus etymon*, 733. F
—— *transitorius*, 688. B. F
Calpurnius, *varii ejus nominis*, 195. A
F Calumniatores, *quæ littera ipsorum fronti inuri solita*, 634. C
—— *quibus pœnis coërciti*, 634. C
Cameli *in bello*, 24. E. F
—— *cujus regionis insigne*, 128. D
—— *ad quid iis utebantur Romani*, 157. F
Campania *Felix*, 705. F
Campus Martius, *in eo bellica exercitia agebantur*, 873. B. C
—— *quinam in eo sepulti*, 227. C. E
—— *quis ibi Mausoleum exstruxit*, 873. C. E
Camus, *quodnam vas*, 936. A. B

Canalia *publica*, 540. A. D
Cancellarii, *qui*, 431. E. 469. D. E
--- *unde ita appellati*, 431. F
--- *eorum munus*, 526. E. F. 527. A
Candela *sebacea*, *quæ*, 685. A
Candidati, *qui*, 952. E
--- *quomodo induti*, 953. B
--- *unde dicti*, 1063. E. 1074. A
--- *duplares*, *singulares*, 452. D
--- *Principis*, *qui*, 465. C. D
Canes *Albaniæ*, 46. A. F
--- *unde orti*, 47. D. E
Canistri *in mensa*, 730. A
Canon *quid propriè*, 499. B. C. 580. D. E. 1092. A
--- *navicularius*, 546. B
--- *vestium*, 545. C
--- *urbicarius*, 499. B
Canonicariæ *vestes*, *V.* Vestes.
Canonicarii, *qui*, *& unde vocati*, 580. D. E
Cantica Canticorum, *quibus hic liber legendus*, 715. B. D
Capilli *passi quando*, 770. A. C
--- *viris etiam tonsi*, 770. B
--- *ut & omnibus propinquis Defuncti*, 770. D
Capitales *causæ*, *V.* Causæ.
Capitatio, *quodnam vectigal*, 1206. E. F
--- *quinam eâ erant immunes*, 1207. A. C
Capitationes, *quæ tributa*, 545. D
Capite *censi*, *qui*, 1059. E
--- *quis primus eos milites scripsit*, 1060. A
Capitularia *functio*, *quæ*, 577. E
Capitularii, *qui*, 577. D
--- *unde dicti*, 578. A
Capitum, *quid*, 431. A. B
Capræ *à quibus immolatæ*, *&c.* 732. D
--- *earum genus an perpetuò febre laborat*, 931. D. F
Caput, *ejus dolor quomodo sedatur*, 697. B. E
--- *quando velatum*, 767. F. 768. A. D
Caput Africæ, *Vicus Romæ*, *unde ita appellatus*, 121. C
Caputium, *seu* Capitium, *funebre*, 769. B. C
Caracalla, *Imper. elephantos in Ludis Populo exhibuit*, 182. E
Carcer, *ejus supplicium*, 638. C. E
Cares, *cur barbarilingues dicti*, 568. A. B
Carica *Musa*, *V.* Musa.
Carinus, *Imper. an elephantos funambulos in Ludis dedit*, 189. F
--- *ejus Ludi quo loco exhibiti fuerunt*, 190. A. F. *& ss.*
--- *ubi & à quo occisus*, 191. D. E
Carmen *duplex ineditum*, 165. B. F
--- *aliud*, 234. C. 235. B. F
Carnes *semicrudæ à quibus comestæ*, 729. E
--- *humanæ*, *iis quinam vescebantur*, 731. E
Caro, *ejus esus quibus permissus*, 733. B
Carolus *Magnus*, *quis eum elephanto donavit*, 248. D. F
--- *Patricius Romanorum*, 471. C. E
Carolus *V. Imp. quî à Tolosanis civibus exceptus*, 1128. D. E
Carpentum, *cujus insigne*, 456. B. C
Carptor, *quis*, 741. D
Carpus, *quis*, 741. D
Carpus, *cujus Familiæ cognomen*, (859.) C
Carrus, *quid*, 535. C
Carthaginienses, *quando elephantis usi*, 39. D. F. 112. F. 113. A. C
--- *an ipsis tribuenda origo pugnandi ex elephantis*, 40. E
--- *unde eos acceperint*, 113. A. B
--- *quomodo easdem belluas traduxerint*, 136. A. F
Carus, *Imperator*, *Deus dictus adhuc vivus*, 199. C. F
A Casspatyrus, *urbs*, *ubi sita*, 39. B
Cassia, *vel* Casia, *herba*, 713. B. E
Cassiepea, *Constellatio*, *quot stellas habet*, 826. A. D
Castigatio, *quænam pœna*, 646. D. E
Castra, *eorum cura cui fuit apud Romanos*, 543. D. E
Castrare vina, *quid*, 733. F
Castrensiani, *seu Castrenses*, *qui*, 597. E. F
--- *sub cujus dispositione erant*, 540. E
Castrensis *Sacri Palatii*, 597. E
Catana, *an elephas illius urbis insigne fuerit*, 88. E. F
B Catanenses, *an Palladem elephanto armatam coluerint*, 88. A. C
Cathedra, 458. A
Catholiciani, *qui*, 557. C. 598. C
Cato, *cur nomina propria Ducum in suis* Annalibus *omisit*, 79. D. F
Causa, *eam remittere ad Principem*, 347. C. D
Causæ *capitales ad quos pertinent*, 298. A
Causidici, *quinam*, 487. C
Celeres, *qui*, *& cur ita vocati*, 1010. D. 1031. D. 1064. B. C. 1106. D
--- *eorum Tribunus*, *quis*, 1106. D
C Cellæ *glaciariæ*, *quando inventæ*, 731. F
Cellarienses *species*, 430. F
Cellarii, *qui*, 590. C
Cellarius, *quis*, 734. D
Cenarii, *qui*, 515. E
Censitores, *quinam*, *eorumque munus*, 518. B. 589. E
Censor, *ejus nomen quis accepit*, 389. B. C
--- *quis idem respuit*, 388. D
--- *cur in demortui locum alium non sufficiebant*, 981. C. 1088. D. E
--- *quando id nomen obolevit*, 389. C
Censores, *qui ita appellati*, 980. A. C. 1087. A. B. 1108. C
D --- *ex quibus creabantur*, 1037. F. 1088. D
--- *quinam primi fuere*, 953. C. 980. B
--- *eorum officium*, 953. C. E. 980. C. F. 1029. E. 1087. C. D
--- *quomodo Senatum legebant*, 972. F. 1029. C. 1088. D
--- *quis ex Plebejis primus dictus*, 1035. F
--- *à quo creati*, 389. A
--- *quando nulli lecti*, 421. E
--- *quo tempore electi*, 1088. E
--- *eorum potestas*, 1087. B. C
--- *quot erant*, 1087. C. D
E --- *quandiu durarunt*, *& à quo sublati*, 981. C. D. 1088. C
Censoria *notatio*, 980. C. D
--- *V.* Acta.
Censuales, *qui*, 518. C. D
--- *unde ita dicti*, 1205. F
--- *eorum munus*, 1206. A. B
--- *portorio intenti*, *quosnam observabant*, 1207. C. D
--- *in fontes animadvertere non poterant*, 1212. D. E
Censuram *quis Imperator gesserit*, 389. D
Census, *quid*, 1048. C. 1206. B
F --- *quis eum instituit*, 953. D. 1048. C. 1206. C. D
--- *ordinem*, *non dignitatem constituebat*, 1033. E
--- *Senatorius*, *qualis*, 1028. E. F
--- *quî supputatur*, 1048. D. E
--- *viduarum quis*, 1050. B
--- *ob quid agebatur*, 1206. D
Census *Annonarii*, 445. E
--- *peræquationes*, 518. D
Centuriones, *unde dicti*, 993. D. 1107. A
--- *eorum functio*, 993. D
--- *quodnam insigne peculiare habebant*, 993. E

--- *qui*

— quinam eligebantur, 994. B.C
— cui parebant, 1085. B
Centenaria, quid, 563. F
Centenarii, qui, 453. D.E
Centumviri, qui, 1079. F. 1080. A
Centuriæ, quis eas descripsit, 1048. B.C
— singularum classium, 1051.
— quot fuerunt, 1055. F
— earum prærogativa, 1056. A.B
Cereolus, quinam eo olim utebantur, 684. D
Ceres, ejus sacra, 880. C.D
Cerites, qui populi, 1087. E
— in eorum tabulas referri, quid, 1087. D.E
Cethegus, (M. Cornel.) primus Orator Romæ, 1240. C.D
Chalybes, an clavium inventores, 812. A.B
Character, quale signum, 549. A
Χαρακτήρ, 549. A
Charta transversa, quæ, 494. C
Chartarii, qui, 447. D.E. 589. B
Chartarum completio, quid, 457. C
Chartiaticum, χαρτιατικόν, quid, 404. D.E
Χαρτογράφοι, qui, 448. B
Χαρτοφυλάκιον, quid, 448. B
Chartophylax, quis, 510. E
Chartularii, qui, 447. C.E. 589. B
— unde nuncupati, 596. C
— varii fuere, 448. B.C
— Scrinii Fabricæ, 528. B
Χειροτονηθέντα, 377. A
Choragia, quid, 622. C.D
Chorus, quid, 622. D
Chosroes, Persarum Rex, quot elephantos habuit, 257. C
Χρηματίζειν, quid, 393. C
Χρυσαργύριον, quodnam tributum, 555. E.F
Χρυσάργυρον, quale aurum, 570. E.F
Cibus sine sale, quid denotat, 733. D
— ejus varietas, morborum causa, 731. D
— quomodo à Veteribus capiebatur, 742. E.F
Cicero, ejus mos discumbendi, 730. A
Circitores, qui, 436. E
Circumducere Acta, quid, 347. D
— cognitionem, 347. C
Citatus Reus, 547. C
Cives Romani, qui, 1060. A.B
— eorum jura, 1060. C.F
Clabularii Procuratores, qui, 535. B
Clabularis cursus, quis, 536. B.C
Clarissimatus dignitas, 301. C
— pro Senatoria, 315. E
Clarissimi, qui, 300. A.B. 301. E.F
— quis eos mutavit in Spectabiles, 305 E
— inter milites, quinam hoc honore potiuntur, 316. B.C
— quinam hoc titulo gaudent, 315. E
— Notarii, 303. D
— Præfecti Prætorio, 301. C
— Spectabiles, 301. C. 307. A
— supra Illustres, 301. C.D
Classes Populi Rom. quis fecit, 1048. C
— quot, earumque munia, 1049. A.D. 1050. A.B
— harum census, arma & tela, 1051
Clavata vestimenta, 549. F. 550. A
Claudia Familia, unde, 1015. C.D
Claudius, Imper. sub eo elephanti exhibiti in Ludis Circensibus, 180. E.F
— an in Britannia elephantis usus, 157. C.D
— qualis honos ipsi mortuo habitus, 225. A.B
— Magistratibus adsedit, 297. C
Claudius Nero, Censor, an fuerit Senator, 1020. C.E
Claudo, verbum, quid notat, 796. C
Claves, ita dicti termini in Cyclo, 800. B.C
A — sic vocis formandæ indices in Musicis, 800. C.D
— ὀπαί, quæ, 800. E.F
— sic dicta foramina fibularum, 801. A
— Cypri promontorium, 801. F
—— unde istud ita dictum, 802. A
— Suadelæ Sapientum, 804. A.B
— omnes non repagulat unica matrona, 804. E.F
— earum usum quid in lucem produxit, 805. F
— quando is inutilis fuit, 806. A.F
— an ante Diluvium inventæ, 807. E.F
— ferreæ, 809. B.E
— an ex auro vel argento confectæ fuerint, 810. A.C
B — earum antiquissimus modus quando, 811. A.B. 813. E.F
— antiquiores Bello Trojano, 811. C.D
— earum varia genera, 812. B.F
— primùm cujus materiæ fuerunt, 113. B. 814. A.C
— καλυπταί, & κρυπταί, unde nomen sortitæ, 838. F
— an dentur cum sigillo, 839. A.C. 840. D.F
— Carthusianorum quænam, 841. A.D
— quas Rustici habuerint, 841. D.E
C — adulterinæ, seu adulteræ, quæ ita dictæ, 841. F. 842. A
— iis annumerandum aurum, 842. F
Clavi, vestium ornamenta, 549. B.E
— ædium, 549. B.D
— vitrei, 549. A.E
Clavis, de ejus etymo, 795. A.C
— non à claudo, 796. A.C
— nec à calare vel χαλᾶν, 797. B.D
— an à Græco κλεὶς, 798. A.D
— alia vocabula inde derivata, 798. E.F
— ejus definitio, 799. A
— varios significatus induit, 799. B.C
D — pro sera sumitur, 799. D.E. 802. B.C
— in trocho, 799. F
— qualis in torculario, 800. A
— suscitabulum, 800. A.B
— multa notat, 800. E.F. 801. A.C
— cur humeri cervix sic appellata, 801. D
— pro freno, 802. A.B
— imperii, 803. E
— multa scripta hoc nomine insignita fuerunt, 803. E.F
— pro potestate aliquid gerendi, 804. C
— baculus Mosis vocatus, & cur, 804. F.
— aurea quænam, 809. F
E — hæc, quî Plutoni tribuitur, 810. C
— ejus memoria antiquissima, 811. E.F
— prima, quæ lit. A notatur, descriptio, 814. A.D
— secunda, lit. B. notata, 814. E.F
— Laconica, quæ, & unde sic nuncupata, 815. B.D. 816. A.E
— an eadem quæ dicitur κρυπτή, 817. A
— hæc duplex fuit, 815. E.F
— ejus structura, 821. E.F
— exacta descriptio, 825. A.F. & ss.
— cur Carica nominata, 816. D
— illius inventor, 816. E.F
F — num talis ac lusciniolus, sive adulterina, 817. B.F
— an tantùm intus aperiret, 818. E.F. 821. A.D
— Cassiepeæ constellationem effigiat, 823. B.C
— Homerica, 819. E.F
— annulata, quænam, 838. C.F
Clavus muscarius, 549. C
Cleopatra, ejus historia cum M. Antonio conviva, 685. B. 719. A. 724. D.F. & ss.
— Carmen de ejus morte ineditum, 165. B.C

Κλεπτο-

Χλεπτοτελωνήματα, *qua bona*, 579. E
Clibanarii, *qui*, 530. B. D
Clima, *quid*, 422. D
Clodius, *V.* Appius.
Cochleare, *seu* Cochlearium, *quale instrumentum*, 739. B. C
—— *ejus etymologia*, 740. A
—— *ex qua materia*, 740. B. C
—— *ejusdem usus quis*, 742. A
Codicilli, *quid*, 457. C
—— *vacantes & honorarii*, 313. C
Cœlum, *an primus coronarum institutor*, 679. A. B
Cœna, *quid*, 727. A. 733. A
—— *ejus varia genera*, 727. B
—— *funebris quotuplex*, 729. C
—— *recta qua*, 730. D
—— *feralis quomodo fiebat*, 731. B
—— *adventitia, & viatica*, 731. C
—— *Imperatoria*, 731. F
—— *quomodo fiebat apud Veteres*, 732. B
—— *ejus tempus*, 732. F. 733. A
—— *pura quenam*, 733. B
—— *quomodo claudebatur*, 733. D
—— *ejusdem hora qua*, 734. B
—— *feralis, in ea Defuncti laudabantur*, 780. C
—— *hac in quarum mercede computabatur*, 773. E
Cœnæ *quomodo olim ferebantur*, 730. A
—— *funerales, quid in his appositum*, 734. A
Cœnacula *floribus sata*, 693. C
—— *pro Ecclesiis*, 729. A
—— *quid in sacris Litteris denotant*, 731. F
Cognitio *quando ab Imperatore impetratur*, 329. B
—— *à Jurisdictione separatur*, 297. B
—— *differt à Decreto*, 326. C
—— *Consulum*, 326. F
—— *causa Principis tribunal desiderat*, 326. D. 327. A. B
—— *Principis in restitutione in integrum*, 350. D. F
—— *eam sustinere*, 346. E
Cognitionales *sententia*, *V.* Sententiæ.
Cognitiones, *an ad Rempubl. aut exemplum semper pertinent*, 297. D
—— *earum Magister*, 342. A. B
—— *ex more Consultationum*, 336. C. F
—— *pro tribunali, quales*, 331. D. F
—— *sacra elusa*, 479. C
—— —— *harum Judex, quis*, 339. F. 340. A
—— *varia Trajani*, 328. B. F
—— *Principum, qua*, 325. A. F. &ss.
—— *qua in Consistorio sacro finiebantur*, 336. B. F. &ss.
Cognitionum *Libri Pauli Jurisc. alii sunt à Decretorum Libris*, 326. B. E. 329. C. D
Cognitor *quis, & quid à Procuratore differat*, 338. C. F
—— *Provincialis, quis*, 339. C
—— *sacri Auditorii*, 339. D
Cognitores *sacri, qui, & unde dicti*, 339. A
—— *à Judicibus Cognitionum distincti*, 341. C. D
—— *illorum pronuntiandi formula quanam*, 342. F. 343. A
Cognoscere *vice sacra*, 339. D. E
—— *jure Casaris*, 339. E. F. 340. A
Cohibere, *quid notat*, 615. E. F
Cohors *Pratoria, qua*, 446. F. 1077. D. F
Cohortales, *seu* Cohortalini, *qui*, 449. C. E
Cohortes, *earum Officium ad quem pertinebat*, 379. C. D
Collatio *auraria, qua*, 555. F
Collegium *bonorum virorum, quod*, 524. B
Colloqui *in judiciis, quid*, 336. E
Coloniæ *Romana, qua, & quomodo constituta*, 1061. D
—— *duplici generis ea fuere*, 1062. A. C
Color, *varius in luctu*, 787. D
—— *albus*, *V.* Albus.
—— *niger*, *V.* Niger.
Colossus *Rhodi à quo & quando erectus fuerit*, 60. C. D
Colum, *quid*, 543. F
—— *Majeranum describitur*, 925. A. E. &ss. 939. A. E. &ss.
—— *vinarium*, 543. D. F
—— *varii usus & generis fuerunt*, 932. F. 934. B. F
—— *cur crateri, aut cyatho imposita*, 933
—— *eorum materia*, 934. A
—— *nivarium, quod*, 933. C. D
—— *an istud in poculorum censu*, 933. F
—— *Medicum ex junco*, 934. E. F
—— *eo ad plura utebantur Medici*, 935. A. D
—— *quibus usi sunt Christiani*, 941. D. F. &ss.
—— *in ejus manubrio quatuor anni tempestates repræsentantur*, 942. E. F
Columna *Rostrata, cur in ea Imperatorum nomina propria omissa*, 79. F. 80. A
Comæ *passa in funeribus*, 770. A. C
Combinæ, *quid*, 536. D. 539. C. D
Comedendi *varia hora*, 733. A
—— *semel de die an sanum*, 733. A
Comestio *publica quando fiebat*, 734. C. D
Comes *Auri*, 543. C. D. 544. C. D
—— *Castrensis*, 597. E
—— *illius officium*, 600. C. D
—— *per Africam*, 600. B. C
—— *Commerciorum*, 570. A. C
—— *& Procurator divina Domus*, 584. A
—— *Dominica Rei*, 590. A
—— *Domorum*, 589. F
—— *à Justiniano cur abrogatus*, 597. F
—— *inter Cubicularios recensetur*, 590. C
—— *istius jurisdictio*, 590. A. D
—— —— *Officia*, 591. A. C
—— *fiscalis commodi*, 584. A
—— *fundorum patrimonialium*, 590. B.
—— *Gildoniaci Patrimonii*, 584. A. C
—— *Italiciani & Galliciani, qui*, 316. C. D
—— *Largitionum sacrarum*, 539. A. B
—— *istius Officium*, 541. A
—— *idem Primicerius Notariorum*, 541. D
—— *hujus jurisdictio latissima fuit*, 541. F. 542. A. D
—— *Largitionum nomen pluribus tributum*, 541. D
—— —— *Italicianarum*, 541. E. 544. F
—— *Largitionum Orientis*, 568. E. F
—— *Largitionalium titulorum per Africam*, 545. A. B
—— *is sub cujus dispositione*, 583. E
—— *& Magister Officii*, 475. B. C
—— *Patrimonii sacri*, 586. B. E
—— *Privatarum Largitionum*, 579. B
—— *istius jurisdictio*, 582. B. F
—— *Officium*, 579. D. F
—— *qui & Comes privati Ærarii*, 583. C. 586. A
—— *par Prafecto Pratorii*, 581. A
—— *minor privatarum Largitionum*, 583. E. F
—— *privatarum rerum*, 585. D. F
—— *Siliquatariorum, & portus curas agens*, 575. D. E
—— *Thesaurorum*, 541. E. 558. D. E
—— *Titulorum*, 545. B. C
—— *Stabuli, Clarissimus est*, 316. A
—— *Solemniorum*, 341. C
—— *Vestiarii*, 542. D
Comessationes, *quando olim fiebant*, 727. B
—— *qua convivia*, 732. C
—— *iis quinam soli mane utebantur*, 732. E
Comitatus *Principis, quid*, 419. D. E

Co-

Comites *olim qui*, 318.D.F
—— *eorum tres ordines à quo instituti*, 319.E. 406.D
—— *ordinis primi, qui*, 319.E. 406.E
—— *secundi*, 406.F. 407.A
—— *tertii*, 408.A.B
—— *Consistoriani quibus æquantur*, 317.C
—— *in Consistorio & intra illud*, 319.E.F. 320.A.B
—— *Italicianorum & Gallicianorum*, 316.C
—— *militum, qui*, 317.D.E
—— *Provinciarum, dicti Adsessores*, 315.E
—— *utriusque Ærarii*, 542.B
Comitia *varia fuere*, 952.E.F. 1053.D.F
—— *nulla legitima erant nisi captatis auspiciis*, 1056.F
—— Calata, *quænam*, 1055.B
—— *unde dicta*, 952.F
—— *quid in iis agebatur*, 1055.B.C
—— *quinam his aderant*, 1055.D
—— Centuriata, *quæ*, 1053.F
—— *quando initium habuere*, 1057.A
—— *qui accersebantur*, 952.F. 1056.F
—— *quid in iis peragebatur*, 1054.A.D
—— *quorum interventu fiebant*, 1054.E.F
—— *à quibus habebantur*, 1055.A
—— *non semper eadem*, 1055.E.F
—— *qui modus in illis observabatur*, 1056.C.D
—— *quo loco fiebant*, 1056.E
—— Curiata *quæ*, 390.B. 952.F. 1053.E
—— *hæc quando sola fuere*, 1053.D.E
—— *qui in illis suffragia habebant*, 1057.B
—— *quo loco & tempore eadem habebantur*, 1057.C
—— Tributa, *qualia*, 952.F. 1057.B
—— *unde sic vocata*, 1057.D
—— *à quonam & quando instituta fuerunt*, 1034.F
—— *illorum divisio*, 1057.F
—— *quales Magistratus in iis creabantur*, 1058.A.B
—— *quid commune & diversum fuit cum aliis Comitiis*, 1058.C.E
—— *quis locus his destinatus*, 1058.F
—— *nullum tempus certum habebant*, 1059.A.B
—— *quis de illis legem tulit*, 1059.C
Commeatus, *quid*, 436.A. 540.E.F
—— *& remeatum exsuli dare*, 382.A.B
Commeare, *quid notat*, 540.E
Commentariensis, *quis*, 404.E. 440.B. 447.C.D. 621.D
—— *duo genera fuere*, 440.C
Commentarii, *quid*, 440.B
Commentarium *beneficiorum*, 378.B
—— *Principis*, 319.C. 516.B. 621.C.D
—— *in illud referri*, 319.C
Commercium, *ejus duplex significatio*, 570.C
—— *ejus onera quot*, 570.D.E
Commodus, *Imper. Populo elephantos exhibuit*, 181.E
—— *ejusdem furor in Spectaculis edendis*, 210.A.F
Comœdiæ *inter cœnandum*, 734.F
Compitales, *qui ita vocati*, 987.F. 988.A
Compotationes *vitandæ*, 729.C
Conchylioleguli, *qui*, 566.D
Conchylium, *quid notat*, 739.C
Concubinæ *inter convivas*, 728.C
Condemnatio, *ejus nota*, 633.B
Conditio *curialis, quæ*, 439.C
Conditionales, *qui*, 439.C
Confabulatio *Principis*, 586.C
Conjecturæ, *iis interdum est utendum*, 873.C
Conisterium, *qualis cella*, 901.E
Consilium *Principis*, 319.C
—— *præbere*, 508.D
Consiliarius *Augustorum*, 319.B
Consistorium, *qui locus*, 319.D
—— *in eo dicere*, 319.D. 337.F. 338.A
—— *intimi secessus*, 336.D
—— *Principis, quod*, 319.C. 328.A
—— *ob quid in eo nullæ dilationes dari solent*, 329.B
—— *quæ in eodem fiebant*, 329.E. 336.E.F
Constantini *Tyranni rebellio*, 425.A. 426.A.B
Constantinus *Magnus novam faciem Imperii constituit*, 405.A.F. *& ss.*
—— *illius nobile factum*, 501.B.F
Constitutio, *quid*, 360.D
Constitutiones *alterius, cujus fuit rejicere, aut servare*, 369.E
—— *Principum*, 360.A.C
—— *sacrarum Judex*, 340.B
Consuetudines *Præfecti Prætorio*, 458.A.B
—— *Judicum, vel Ducum*, 458.C
Consuetudo, *quid*, 457.C.F
Consul, *quandonam ipsi licuit dimittere Senatum*, 392.E
—— *qui præsidebat Senatui*, 309.E
—— *Principem dicentem poterat interpellare*, 354.D
—— *nobilissimus puer*, 309.B
—— *perpetuus quis Imperatorum fuerit*, 308.E.F
—— *quis decies septies fuit*, 309.A
Consulares, *qui*, 302.A.C. 312.F
—— *in duplici differentia*, 302.A. 303.E
—— *quot per Italiam constituti*, 302.A. 303.E. 401.F
—— *eorum & Præsidum distinctio*, 302.B
—— *ipsorum nomen commutatum*, 303.F. 304.A.C. 402.A.E
—— *quando Spectabiles dicti*, 305.A
—— *Provinciarum, qui*, 316.C
Consularibus *in secundis numerari, quid notat*, 421.B.E
Consularitatis *Dignitas*, 316.C
Consulatus, *eum concupiebant Principes*, 308.E
—— *apex Dignitatum*, 308.C
—— *in eo quem Collegam Princeps habuit*, 309.B.C
—— *pro largitione & sumtu à Consulibus factis*, 1144.E.F
Consules, *eorum originatio*, 977.E.F. 1073.A.B. 1106.C
—— *quando creabantur*, 978.A. 1024.F. 1073.F. 1139.D.E
—— *eorum processus quo anni die fiebant*, 255.E.F. 256.A. 271.B.F
—— *V.* Processus.
—— *quo ætatis anno Magistratum capiebant*, 978.C.D. 1073.E
—— *post exactos Reges quinam primi fuerunt*, 952.C. 978.F. 1014.F. 1072.E.F
—— *quot Fasces habebant*, 971.F. 978.C
—— *quis eis secures ademit*, 952.D
—— *extra Urbem Fasces cum securibus præ se ferebant*, 978.C
—— *ipsorum munia*, 978.A
—— *summum imperium Militiæ habebant*, 978.C
—— *quando alter ex Plebe*, 1076.C
—— *quando ambo Plebeji creati*, 978.E.F
—— *quorum nomine anni signabantur*, 372.F. 979.A
—— *quinam ex duobus sententiam rogabat*, 1024.B.D
—— *ipsorum Leges*, 1073.B.C.

— *illorum imperium, quod*, 1072. E. F
— *designati, qui appellati*, 1075. E. F
— *eorumdem potestas imminuta*, 1076. A. B
— *cujus imperio parebant*, 1085. B
— *quando paludati*, 1076. C. D
— *illorum ornamenta & insignia*, 1130. D. F. 1131. A. F
— *die, quo Magistratum inibant, majoribus hostiis rem divinam faciebant*, 1139. D
— *eodem gratias agebant*, 1139. F. 1140. A. C
— *Ludos edebant, & missilia spargebant Populo*, 1140. C
— *eorum nomine hi ab Imperatoribus facti*, 1143. F. 1144. A. D.
— *quando aurum spargere non licuit*, 1142. C. D
— *illorum jusjurandum*, 1157. B. F
— *eorum majestas*, 309. A
— *minores, quinam appellati*, 312. D
— *ordinarii*, 310. A. 311. D
— *suffecti*, 310. A. 311. B. C. 312. A
— *honorarii*, 310. A. 311. D
— *secundi*, 312. D. F
— *quinam in Fastis numerantur*, 311. E. 312. A. B
— *super Illustres*, 308. A
— *illorum Ordinem quisnam primus perturbavit*, 309. F
— *in unum annum* XXV. *à quo designati fuere*, 310. B
— *iis obviam Princeps præcedebat*, 309. E
— *ipsorum nundinum, quid*, 310. B. D
Consultatio, *quid*, 336. C. 345. B
— *ejus more cognoscere*, 463. E
— *in una tres dies interdum notati*, 377. B
— *Principis, quæ*, 342. C. D
— *ejus nomen in Pandectis quid notat*, 345. D
Consultationes, *earum quot genera fuerunt*, 345. B
— *in quibus servatæ*, 341. B. C
— *sublatæ*, 340. E. F. 343. E. 347. E
— *earundem mos*, 336. C. 341. B. C. 342. D
—— *is cujus arbitrio pendebat*, 343. C. D
Consultissimus *Imperator*, 345. C
Contributiones, *quod tributum*, 545. D
Conviva, *ejus munus in convivio*, 727. C
Convivæ, *nec loquaces, nec muti*, 729. F
— *quot apud Græcos*, 729. F
Convivator, *quæ tabella ipsi tradebatur*, 734. D
Convivia, *quomodo celebrata antiquitus*, 667. B. C
— *horæ eorum*, 729. C. D
— *diurna*, 684. D
— *in iis musici concentus*, 727. C
— *odores gratissimi incensi*, 728. C
— *ob quid nonnunquam indulta*, 728. E
— *quomodo ea exhilarabant*, 729. A
— *quibus communia*, 729. E
— *triumphantium, quæ*, 731. D
— *hominum commercia dicta, & conventus*, 733. C. E
Convivium, *ejus Rex quis dicebatur*, 727. C
— *dapsile cui paratum*, 731. D
— *absolutum, quot constare debet*, 727. D
— *funebre qui peractum*, 728. C
— *magnificentissimum quod*, 733. C. D
— *quodnam laudabile*, 734. F
— *quibus parabatur ante fores*, 735. A
Coqui *olim foro stabant*, 730. B
— *quomodo epulas apparabant*, 734. A
— *qui à Lacedæmon. admissi*, 735. A
Cor, *animi domicilium*, 707. A
Corinthii, *eorum mos convivandi*, 733. D
Cornicularii, *qui & unde dicti*, 432. D. F. 450. C. D
—— *eorum munia*, 450. E. F
Corona *in Nummis quid notat*, 210. E. F. 211. F. 212. A

A Corona, *ebrietatis signum*, 727. A
— *Gnosia*, 680. E
— *ex myrto Naucratites*, 700. A. B
— *unde hæc ita nuncupata*, 700. E. F
Coronæ *aureæ*, 210. E. F. 211. A. B
—— *obviæ in multis Coloniarum Nummis*, 211. C. E
—— *ob quid inventæ*, 705. D. 706. A. B
—— *quis primus eas instituit*, 679. A. B
—— *earum inventor*, 679. C
—— *multiplices*, 680. C. E
—— *à quibus in convivia invectæ*, 681. B
—— *quo tempore in iisdem præstarentur*, 682. B. 691. A. 696. D
B —— *antidotum ebrietatis*, 689. A. 690. D
—— *hederaceæ*, 689. C. D. 697. C. D. 705. E
—— *languidulæ*, 693. C. D. 694. A. B
—— *quibusnam pavimenta antiquitus serebantur*, 693. C
—— *sutiles*, 694. B. C
—— *plectiles*, 694. C. E. 695. A
—— *ex salice*, 695. B
—— *earum utilitas*, 696. E. F. 704. A. C
—— *contactu opem ferunt*, 698. D
—— *an ex papyro*, 700. B. D
—— *ex amaraco*, 701. A. D
C —— *ex meliloto antiquissimæ*, 704. A. B
—— *ex flore fabæ Ægyptiæ*, 705. A. C
—— *unguentis perfusæ*, 706. A. C
—— *ad collum, pectus & nasum aptatæ fuerunt*, 706. F
—— *an tempore Homeri in usu*, 714. D. F
—— *convivales*, 727. A
—— *hospitibus etiam datæ*, 727. E
—— *num hæ in usu apud Hebræos fuerunt*, 715. A. F
—— *sponsales*, 716. C. E
—— *ex lamina aurea an primæ*, 719. E. F
—— *ex omnibus floribus*, 720. A
D —— *in conviviis novæ elargitæ*, 719. D. 720. C. E
—— *infundebantur in calicibus*, 724. A. C
—— *potatoriæ quæ*, 724. A. F
Coronare *vina, quid significat*, 692. A. B. 721. A. F
—— *pocula*, 721. A. F
Corpora, *quænam societates*, 1214. A. B
Corrector *Provinciæ nullus dicitur*, 304. E. F
Correctores, *qui*, 304. C. F
—— *à quo Imperatore Præsidibus adæquati fuerunt*, 402. E
E —— *quando Spectabiles dicti*, 304. F. 305. A
—— *quando Italiam administrarunt*, 403. B
Coryceum, *qualis cella in Gymnasio fuerit*, 901. C. E
—— *idem quod Sphæristerium*, 901. D
Crambe *elixa ubi & à quibus apposita fuit*, 727. A
Cranium *humanum in mensa*, 732. D
Craterus, *num is fuerit Elephantarcha Alex. Magni*, 45. D. F. 46. A
Creatores, *qui*, 529. B. C
Crematio, *ejus pœna olim infrequens fuit*, 641. A. C
F —— *cadaverum, quandonam cœperit & desierit*, 668. D
Creta, *victoriæ signum*, 1142. A. B
Cretensis *Respublica, quibus nobilitata fuit*, 1007. A
Creusa *duplex apud Veteres*, 724. F
Criobolium, *quod sacrificium*, (857.) B
Crocota *in cujus Nummo exstat*, 182. E
Crux, *ejus supplicium quod*, 635. F
—— *quibus destinatum*, 636. C. D
—— *quando cœpit, & desiit*, 636. E. F

Cu-

Cubiculariæ *Regiones, quænam*, 534. E. F. 535. A
Cubicularii, *quibus immunes fuere*, 535. A
— *primi & inferioris loci*, 593. E
— *Palatini, Principis*, 597. C. D
Cubicularius *à locis Cubiculi stati*, 596. C
Cubiculum *statum, quid*, 596. D. E
Cubitus *regius, aut justus, quis*, 916. C
Cucullus, *quale tegmen*, 768. F. 769. A
— *an vestis lugubris*, 769. B
— *num cum palla contextus*, 769. C. D
Culeus, *ipsius supplicium à quo inventum, & quibus destinatum*, 640. A. B
— *quis illud renovavit*, 640. C
Culinæ *ubi antiquitus*, 728. E
Culter, *quodnam instrumentum*, 741. A
— *an eo usi sunt olim*, 741. D. E
Cultores *imaginum Domus Augustæ, qui ita dicti*, 595. D
Cuperus, *(Gisb.) citat suas Notas ad Stephanum*; 84. D
Cupido *ape punctus*, 702. A. C
Cura *Palatii*, 599. E. 600. B
— *Prætorii*, 600. A
— *Epistolarum*, 451. A. D. 499. C
— *Personarum*, 451. B
— *eam agere*, 531. D
Curagendarii, *V.* Curiosi.
Curatores *publicæ pecuniæ*, 560. A
— *Urbis quot, eorumque officium*, 350. C
— *Operum publicorum*, 441. D. F
Curiæ, *unde dictæ*, 1047. E
— *quot fuere Romæ*, 952. F. 1010. D. 1047. D
— *quando auctæ*, 1048. B
Curiones, *qui ita vocati*, 1010. D
Curiosi, *seu* Curagendarii, *qui, & unde sic appellati*, 415. C. 531. C
— *eorum munia*, 415. C. 531. C. F
— *à quo instituti*, 532. D
— *Speculatores dicti*, 531. D
— *ex qua Schola sunt*, 532. D
— *ob quid ad littora portusque transmittebantur*, 533. E
Curius *Dentatus primus elephantos in triumpho duxit*, 112. B. D
— *cujus honoris nulla memoria*, 112. E
Currus *pro triumpho*, 135. D
— *triumphalis describitur*, 276. A. B
— *an in eo poneretur Sella curulis*, 276. C. F
Cursores, *qui*, 444. F
Cursus *Clabularii procuratio*, 534. D
— *ejus onera*, 533. A. F. 535. B. C
— *publici Auctor*, 532. D
— — *Rectores*, 531. C. D
— — *Præpositi*, 531. C. D
— — *sollicitudo*, 534. C. D
— — *quinam eum sustinent*, 582. D
— *vehicularis*, 532. E. 534. B
Curulis *sella*, *V.* Sella.
Custodes, *qui, eorumque munia*, 1055. D. E. 1064. B
Cyathi, *eorum numerus in conviviis*, 730. A
— *quot interdum bibebant*, 733. F
— *Poëtis quot concessi*, 734. E
Cybele, *cur Idæa cognominata*, (857.) A
Cymaclum, *in eo mos ducendi ploratrices adhuc viget*, 777. B. D
Cypselus, *quis, & unde dictus*, 940. D. E
Cyrene, *regio, ejus Symbolum*, 123. B. C
Cyrus, *ejus mos in convivis ad mensam collocandis*, 729. D
Cyzicum, *urbs*, 704. B. F

A D.

DAedalus, *num coronarum inventor*, 680. B
— *primus mensam & sellam fecit*, 732. A
Dalmaticæ, *vestes quæ*, 444. B
— *unde dictæ*, 444. C
Damnati, *quò eorum cadavera delata*, 643. A. B
— *num sepeliebantur*, 643. C. D
— *per eos periculum fiebat, &c.* 726. D
Dapiferi, *qui*, 727. B
Δαψίλεια, *quid*, 579. C
Dapsile, *V.* Convivium.
B Dapsiles *Dotes*, 579. C
— *sumtus*, 579. C
Dardanarii, *quinam, & unde ita dicti fuerunt*; 365. F. 366. A
Decani *pædagogii, qui*, 599. A
Decaproti, *qui*, 432. F. 578. B. D
Decemprimi, *qui*, 432. F. 433. A. 578. B
— *Clarissimi*, 315. F. 316. A
— *Domesticorum*, 432. F. 433. A
— *Scholarum*, 433. A
Decemviri, *qui*, 954. C. 989. A. 1096. A. 1107. D
— *eorum munia*, 954. C. D. 978. F. 989. B.
C C. 990. C. 1109. D
— *ob quid sublati*, 989. C. D. 1098. C. D
— *quomodo creati, & quando*, 1096. A. D
— *eorum potestas*, 1096. E. F. 1107. D. E
— *quandiu ea duraverit*, 1098. D
Decernere, *quid*, 299. C. 327. B. 366. D. 502. C
Decima, *quæ pecunia*, 1178. D. E
Decimatio, *quod supplicium*, 649. D. F
Declamatio, *quale officium*, 663. F
Decollare, *de pecunia, quid notat*, 1177. A
Decreta, *quæ*, 329. D. E
— *ubi peracta*, 329. E
— *pro Constitutionibus*, 366. E
D Decretum, *quid*, 326. C
— *Principis, quod*, 326. B. C. 329. D. E. 366. C. E
— *quomodo discrepat à Senatusconsulto*, 1027. E. F
Decumæ, *à quibus pendebantur*, 550. C
— *tritici, vini, &c.* 551. A
Decumani, *qui*, 550. D. E
Decuriones, *quot fuerunt*, 594. D
— *eorum jus quod*, (862.) B
— *eorumdem principales, quot*, 578. B
— *illorum filii bestiis non debebant subjici*, 338. A
E — *Palatii, inter quos numerantur*, 316. A. 594. D. E
— *Larum*, 595. B. C
Deductio, *quod officium*, 666. D
Defensor *Domus Augustæ*, 589. A. D
Defensores, *qui*, 589. C. D
Definitio *Arbitrorum Judicum*, 476. F
Defuncti, *à quibus eorum laudes decantatæ*; 764. E. F. 765. B. D
Delatores, *nulla pestis perniciosior habetur*, 602. F. 603. A.
— *qui seipsos deferunt*, 603. D
— *& Mandatores*, 603. C
F Delegationes *tributorum, quandonam fiebant*, 447. E. F
— *has quinam significabant*, 591. B
— *sacræ quibus concessæ*, 341. A. B
Delegatores, *qui*, 448. A
Demetrius, *(Poliorc.) quem elephantem habuit*, 77. B. C
— *ejus Nummi cum iis belluis*, 78. B. C
Δημοσιεύειν, *quid*, 588. C
Denarius, *ejus nota, & partes*, 1179. B
— *quot quadrantes continet*, 1178. B
— *ejusdem valor*, 1179. C

--- *quando crevit*, 1179. D
--- *Rom. ejus valor*, 1048. D. E
--- *idem quod drachma*, 1053. A
Dendrophori, *qui*, (859.) D. E
Denotatio *Judicum*, 547. B. C
Denuntiatio, 583. B
Deportandi *jus*, 347. E. F. 348. A. B
--- *cui datum*, 455. C
Deportatio, *quæ pœna*, 641. D. F
Deportorium, *quid*, 548. B
Deputati, *qui*, 523. E. F. 528. B
Derbices, *Populi*, *quomodo Cyrum vicerint*, 42. A. B
Desideria *Populorum decreta*, 496. E
Deus, *ejus omnipotentiam quot clavibus comprehendunt Rabbini*, 804. C. D
Diæta, *quid*, 595. E
Διάδοχος, *quis*, 616. A
Diætarchus, *quis*, 595. E
Διάγνωσις, *quid*, 326. C
Διαιτάρχης, *quis*, 595. E
Διάπυλον, *quid*, 548. B
Diaria, *quid*, 458. A
--- *qui Græcè dicta*, 621. B
Διατάγματα, *quid*, 505. C
Δικαστικὰ, *quæ sportulæ*, 459. D
Δικαστήριον, *quid*, 336. D
Dictator, *quis*, 949. A. 1083. F. 1108. A
--- *ejus etymum*, 975. D. 1084. B. C. 1108. A. B
--- *primus quis fuerit*, 949. A. 976. D. 1084. B
--- *quandiu ejus munus durabat*, 949. B. 1084. B. 1108. B
--- *à quibus hunc Magistratum Romani acceperunt*, 949. B
--- *quot Fasces habebat*, 971. F. 976. A
--- *num ab eo provocatum*, 975. E. F
--- *ejus summa potestas*, 411. B. C. 976. A. B. 1084. A. B
--- *ob quid & quando lectus*, 949. A. B. 976. B. C. 1084. A. B
--- *quandonam ille Magistratus sublatus fuerit*, 976. E. F
--- *primus ex Plebejis quis dictus*, 1035. E
--- *quis primus equo usus est*, 1084. E
--- *eum dicere*, 411. E. F
Dictatores, *quinam Ministri*, 491. A
Dictio *Nec ubi disjunctiva non est*, *sed perpetuò exclusiva*, 355. C. E
Diem diffundere, *quid*, 1083. D. E
Dies *humani*, 454. F
--- *sessionum*, *qui*, 297. A. 454. E. F
--- *stati*, *quinam*, 596. D
--- *Allienses qui*, & *unde ita nuncupati*, 877. D
--- *tristissimi*, *qui sic dicti*, 883. E. F
Digiti, *iis cibus ab Antiquis capiebatur*, 742. D
Dignitas, *quid*, 299. D
--- *indiscreta*, 300. C
--- *infima*, 318. B. C
--- *Magistratuum*, *quæ*, 299. D
--- *ordinaria*, 305. C
--- *præfectoria*, 455. D. E
--- *singulorum*, 456. A
Dignitates, *illarum Tituli honorarii*, *qui*, 314. C. D
--- *earum culmen*, 319. D. E
--- *confusio*, 301. C
--- *adæquatio*, 315. D. & ss.
--- *societas*, 315. D
--- *discretio*, 301. B
--- *apex Nobilissimatus*, 301. A
--- *ordo in Senatu*, 300. D
--- *legitimæ*, *aut honorariæ*, 299. D. E
Dii Magni, *quinam*, 884. C. D
Dilationes *ubi nullæ*, 329. A. B
A Διμοιρῖται, *qui*, 436. C
Diocletianus *num quadriga elephantorum triumphum egerit*, 254. C. D. 281. D. F. 282. A. F
--- *primus Imperatorum fuit*, *qui adorari se jussit*, 1136. E
Diodorus, *ejus Epistolæ an genuinæ*, 87. E. F. 88. D
Diœcesis, *quid*, 422. F
--- *Galliarum quot olim Provincias habebat*, 424. D
Διόνυσοι, *sic appellari voluerunt multi Reges & Cæsares*, 217. B
Δίφρος, 26. B
B Diplomata, *quid*, 539. D
Diribitor, *quis*, 741. D
Diribitores, *quinam*, & *eorum munus*, 1055. D
Discussor, *quis*, 582. A
Dispositio, *quid*, 506. B. D
Dispositiones, *quæ Sanctiones*, 505. D. F
--- *Principum*, 505. C. D
--- *Magistratuum*, 506. B. D
--- *Privatorum*, 506. B
Dithyrambi, *quod carmen*, 682. F
--- *eorum Scriptores*, 682. F
Divisores, *qui*, 1075. C
Diurna *Acta*, *V.* Acta.
C Domestici *quinam*, 452. B
--- *an à Protectoribus differant*, 452. D
Domesticis *Defuncti quid incumbebat*, 764. E. F
Dominica *res*, 590. A. 600. F
--- *cur patrimonialis appellatur*, 586. E. F
Dominus & Domina, 514. D. E
--- *factionis*, 514. C
--- *ex Primiceriis*, 514. B
--- *inter Decemprimos*, 578. E. F
Domitianus, *Imp. an Mauri fuerint ipsius corporis custodes*, 124. E. F. 125. A. F
--- *elephantos Populo exhibuit*, 181. A. C
--- *homo perditissimus se Dominum & Deum vocari jussit*, 367. D. E
D Domitius (*Ahenob.*) *contra quos elephantis usus*, 152. E. F
Domus & *Respublica*, *quomodo designantur*, 296. D
--- *Augusta*, *quænam*, 296. D
--- *ea est Regia*, 588. C. D
--- *Divina*, 584. A. 588. D. 600. F
--- *Dominica*, 590. B
--- *quot curatores habuit*, 590. A. B
--- *pro Gente*, 602. F. 603. A
--- *eæ antiquitus sigillo munitæ*, 839. C. F
E Donatio *honoris causâ*, *quæ*, 381. D
Δορυφόρος, *quis*, 447. C
Drachmæ, *earum valor*, 1048. D. E
Draconarii, *qui*, 447. A
Dromonarii, *qui*, 533. E
Ducenarii, *qui*, 453. E
--- *Protectores*, 453. D. E
Duces, *prima dignitas militaris*, 991. D
--- *quando Imperatores salutabantur*, 991. D
--- *ex variis electi*, 991. E
--- *Fasces laureatos habebant*, 991. E
--- *Perfectissimi*, *alii Spectabiles*, *alii Illustres*, 301. D
F --- *limitum Clarissimi*, 316. B
Duillius, (*Cajus*) *an elephantos in triumpho habuerit*, 113. D. E
--- *honores ipsi exhibiti*, 685. E
Duplicarii & Duplares *milites*, *qui*, & *unde sic dicti*, 436. C. D
Duûmviri *sacrorum quibus præerant*, 955. A. B
--- *à quo creati*, & *quot*, 1112. A
--- *Navales*, *quinam*, 992. D
------ *hi quando primùm instituti*, 992. D. E
Dux *utriusque limitis Phœniciæ*, 504. B. C

E.

E *pro Ī antiquitus*, 872. A
Ebrietas *quomodo fugata*, 687. A
Ebrii, *coronabantur antiquitus*, 683. B. 686. B
--- *facilè vincuntur*, 687. B. C
Ebur *repertum ad Tanaim unde*, 50. E. F. 51. E
--- *in Britannia*, 153. C. D
--- *cur Assyrium dictum Ovidio*, 50. D. E
--- *inter tributa & res pretiosas*, 70. C. F
--- *quando colore rubro tinctum*, 95. A. B
--- *an ex eo turres exstructæ*, 95. C. D
--- *domus & cubicula eodem inducta*, 95. E. F. 96. A. B
--- *ex eo pocula, vasa, &c. fiebant*, 96. C. E
--- *ex Etruria quid*, 201. F. 202. A
Ecclesiæ *primitivæ erant cœnacula*, 729. A
Edicta, *quis statuit*, 361. A
--- *cui commissa*, 363. C. D
--- *brevia*, 361. C
--- *generalia*, 361. B. C
--- *monitoria*, 361. C
--- *inferiora*, 363. B
--- *Principis*, 361. A
--- *Magistratuum*, 299. B. 361. D
--- *perpetua*, 361. A. F
--- *Provincialia*, 361. B
--- *specialia*, 361. C. F. 362. A
Edictales *leges*, 363. C. E
Edictum, *quid*, 363. E
--- *perpetuum, ejus ordinatio*, 361. B
Editio *solemnis, quæ*, 461. F. 462. A
Effundere, *V.* Affundere.
Ἡγεμόνες, *qui*, 617. B
Ἐγγράφαι κατηγορίαι, *qui libelli*, 500. B
Egregiatus, *quis ordo*, 301. B
Εἰκοστή, *quid*, 620. C
Εἰσηγητής, *quis*, 563. C
Elæothesium, *quid*, 902. C. E
Elagabalus, *is pedes sibi coronare solitus*, 719. B. E
Eleazar, *ejus celebre factum*, 72. C. F
Elefantaria, *urbs, unde sic dicta*, 131. C
Elefantus, *nomen proprium urbis*, 246. B
Elegiæ, *quodnam carmen*, 761. C
Elephantarcha, *magna dignitas*, 63. D. E
Ἐλεφαντηγοί, *quæ naves*, 58. F
Elephantes, *eorum variæ nomina*, 22. D
--- *bestiæ etiam appellati*, 245. C
--- *suilla caro iis medicina*, 105. D
--- *numerus ingens apud varios*, 19. A. F
--- *an iis soli Reges Indiæ uterentur*, 20. A. C
--- *num ad currus juncti*, 21. A. B
--- *cur Lucani boves dicti*, 22. A. B
--- *eorum nomen vulgatissimum fuit apud Indos*, 22. D
--- *num frenis & lupatis fuerint ducti*, 21. B. C
--- *ante Alex. Magnum in Europa visi*, 23. D. F. 29. B. C
--- *num Crœsi ætate exstiterint*, 24. D. E
--- *quando cogniti in Ægypto*, 25. A. D
--- *num Asiæ Reges eos aluerint ante Alex. Magnum*, 30. B. C
--- *ad Salomonem Regem fuisse adductos negatur*, 30. B. F
--- *ubi de iis fit mentio in Paraphrasi Chaldaïca*, 31. B
--- *nulli in Judæa tempore Jobi*, 31. E
--- *neque etiam Jeremiæ*, 32. C
--- *an Persæ illis bellaverint, & quando*, 31. E. F. 32. A
--- *nulli dantur Arabici*, 32. A. B. 131. B. C
--- *inter litteras Hieroglyph. Ægyptiorum nulli comparent*, 32. C. D
A --- *in S. Scriptura nullibi memorantur*, 34. E
--- *malè pinguntur in quibusdam locis*, 34. E. F. 112. C. D
--- *in Assyria nulli nisi ex India*, 50. E
--- *iis usi in præliis Alexandri M. Successores*, 51. F. 52. &ss.
--- *ut & in obsidionibus*, 54. A. B
--- *quis eorum venationem primus instituit*, 54. F
--- *quando eadem neglecta*, 55. E. F
--- *quomodo rabidi fiant*, 56. F
--- *num vinum eos imbelles reddat*, 57. C
--- *quis primus Rex Asiæ multos possedit*, 60. A. F
--- *an post Antiochos & Seleucidas devictos, iis usi sint eorumdem Successores*, 75. D. E
B --- *quomodo fugati fuerunt in Megaræ obsidione*, 76. E. F
--- *cur in obsidionibus urbium adhibiti*, 77. C
--- *eorum nomina propria*, 79. A. D
--- *num cognomina etiam ipsis data*, 80. B. C
--- *ipsorum dorsis turres impositi, quot milites continebant*, 80. D. F. 81. A. F. 82. A. B
--- *Indici majores & fortiores Lybicis & Æthiopicis*, 81. A. 152. B. D
--- *in quibusdam Nummis depicti, an Nota monetaria*, 83. C. F. 91. E. F
--- *eorum relligio*, 84. F
C --- *Solem & Lunam venerantur*, 85. A. D. 86. A. D
--- *in somniis visi, quid significent*, 93. C. D
--- *allegoricè & symbolicè explicati*, 93. E. F.
--- *ab iis proverbia sumta*, 94. B. F. 245. D. F
--- *magna & fortia animalia sic dicta*, 96. E. F. 246. C
--- *eorum Æra*, 97. C. D
--- *à Brachmanibus adorati*, 100. A. B
--- *quando primum conspecti fuerunt in Italia*, 101. D. F
--- *unde* boves Lucæ *appellati*, 101. D. E. 102. A. F
D --- *quis primus eos opposuit Romanis in prælio*, 103. F
--- *horrent suis grunnitum*, 105. B. D
--- *à quo primum Romam in triumpho ducti*, 112. B. D
--- *turribus onusti*, 112. C. F
--- *de iis, quos Carthaginienses traduxerunt*, 136. A. F
--- *ubi eorum visu & odore equi Roman. consternati*, 138. F. 139. A
--- *in prælio ad Cannas quid fecerint*, 140. C. F
--- *multi capti & occisi à Romanis*, 142. E. F
E --- *ubinam patuit imprimis eos incertum auxilium esse*, 143. C. F
--- *ubi ab iis occisi Afri*, 144. E
--- *à quo & quomodo per invia loca traducti*, 147. F. 148. A. B
--- *an eorum usus fuerit in præliis sub Imperat. vel Cæsaribus Rom.* 155. E. F. 156. A. F
--- *de iis Dissertatio Marq. Gudii inedita*, 167. D. F. &ss.
--- *in Ludis Circensibus exhibiti*, 174. C. F. &ss.
--- *eorum ingenium ac mira docilitas*, 178. B. C. 179. A. F
F --- *funambuli, & cum iis gladiatorum certamina*, 180. D. F
--- *horum penuria quando major Romæ*, 188. E. F. 248. B. F. 262. E
--- *num eos aluerint in agro Laurent. Romani Imper.* 201. C. E
--- *ut & in Rutulis*, 237. B. C
--- *an in Etruria pasti fuerint*, 201. F. 202. A
--- *de iis, qui singulares in Nummis & alibi occurrunt*, 203. A. F. &ss.
--- *quatuor à quonam dedicati, & ubi*, 203. E. F

— *tempore Vespasiani Romæ fuerunt*, 206. C. D
— *loricati in Nummis*, 206. E. F
— *in urbium Græcarum Nummis sæpe repræsentati*, 207. E. F
— *de eorum bigis & quadrigis*, 218. B. F. *&ss.*
— *quadriga cujus triumphi propria*, 250. F
— *ob alias res etiam decretæ*, 251. E. F
— *ænei Romæ collapsi, à quo restituti fuerunt*, 231. A. F
— *loca ab eis denominata*, 232. B
— *tempore Cassiodori nulli vivi Romæ, & cur*, 233. A. B
— *albedo & nigredo quomodo in iis opponantur*, 234. E. F
— *Linguas indigenarum intelligebant*, 236. D. E
— *annulis insculpti*, 237. A
— *Romæ privati eos non habuerunt*, 237. B
— *quis eorum primus possedit*, 238. A. E
— *an in Italia non generantur*, 237. C. F
— *tapetibus intexti*, 240. B. E
— *cum draconibus inimicitia*, 242. A
— *eorum mentio in Jure Civili*, 244. D
— *rari Constantinopoli, & in Occidente, quando*, 248. B. F
— *subinde missi ex India ad Imperatores*, 248. C. D
— *eorum curribus quis primus triumphaverit*, 250. C. E
— triumphales belluæ *cur dicti*, 254. E. F
— *albi rari, & in pretio, & qua de causa*, 257. D. F. 258. A. B
— *Africæ an omnes albi*, 258. E
— *Imperatores Constantinopol. varios aluerunt*, 259. A. F
— *à quibus Populis adorati*, 260. D
— *eorum simulacra ubi*, 261. F. 262. A. B
Elephantia, *morbus*, 207. B. C
Elephantini *libri, ubi servabantur*, 951. B
— *penes quem erant*, 955. A
Elephantinus *Ordo, cujus*, 242. B. C
Elephantis, *seu* Elephantine, *urbs*, 25. A. C
Elephantis, *Poëtria*, 246. B
Elephas, *ejus originatio*, 102. E. F. 103. A. E
— *unde* Barro *dictus*, 21. F. 103. D
— *à quibus* Phil *nominatus*, 25. B. 103. A
— *nullum nomen habent Hebræi, quo illum designent*, 30. E
— *quomodo eum appellant Thalmudici*, 51. A
— *ejus color niger*, 233. E. 234. D
— *ubi tantùm gignatur*, 32. B
— ἡγέμενος, 52. B
— προηγέμενος, 53. A
— Æthiopicus *dictus, cujus erat*, 55. F
— *Indicus longævus*, 64. B
— λυχνοφόρος, *in cujus Nummis*, 74. D
— *fœmina, Nicæa dicta, curam gerit infantis*, 76. F. 77. A
— Νίκων, *Victor, cujus fuit*, 77. C
— *Ægyptius*, 96. E
— *ejus capite idolum fœdatum*, 97. F. 98. D. F
— *potest sub aquis vivere*, 138. B. C
— *ornatus quis*, 138. E
— *unus à captivo Rom. occisus*, 141. E. F
— *grandævus cujus fuit*, 144. F
— *fuit cognomen cujusdam Ducis*, 147. D
— *insigne Legionis quintæ*, 155. B. C
— *cur* Cæsar *à Mauris dictus*, 164. E. 168. D. E
— *in Nummis serpentem conculcans quid denotet*, 163. E. F. 164. A. B. 169. D. F
— *loricatus in Nummis*, 168. A. B. 169. A
— *ejus adipe inunctus, à serpentibus tutus habetur*, 169. F
— *quo sensu dicatur bestia insulsissima*, 177. C
— *saltator*, 181. C. D
— *ejus perpetuus hostis quis*, 183. A. B
— *cum rhinocerote pugna in Nummo*, 183. C. D
— *in cujus Nummis coronâ ornatur, & cur*, 186. E. F
— *cum tauro pugnans*, 188. D
— *alatus in Catilinæ Nummo*, 203. B. D
— *ubi femina eum enixa est*, 204. F. 205. A. B
— *æquitatis custos diligens*, 206. A
— *edoctus scribere*, 206. B. C
— *æternitatis symbolum*, 212. C. D
— *in somnis visus quid denotet*, 233. D
— *cui sacer fuit*, 234. A
— *ubi* elefans *vocatus*, 235. C. F
— *piscis maris ita dictus*, 236. F
— *eo lucerna insignis*, 239. A. C
— *herbarius Romæ*, 241. A
— *pictus in mortem Gustavi Adolphi*, 242. A
— *turritus, insigne Romæ*, 242. D. E
— *ei à quo impositus est obeliscus*, 242. F. 243. A. F
— *nomen proprium*, 246. B. C
— *unus, qui Papam salutavit*, 248. E. F
— *quàm rarus ubinam per multos annos fuerit*, 249. A. B
— *ex auro à quibus adoratus*, 258. D
— *alius ob quid cultus fuit à Severo Imperatore*, 260. D. F
— *albus Romæ*, 258. E. F
— *ejus ingens statua ubi*, 261. F
—— *in qua humana ossa inventa*, 262 A. B
— *cum sessore, in qua Columna visitur*, 262. E. F. 263. A
— *nomen Episcopi*, 246. B
— *poculi*, 688. B
— *mons & fluvius*, 55. E
Elucum, *seu* Helucum, 690. D. F
Elugere, *V.* Lugere.
Elysii *Campi*, 725. E. 726. D
Ἐμβαθμοὶ, *qui*, 305. C
Emeritum *militum*, 435. A. B
Ἐμπίλια, *quid*, 543. B. C
Endo *pro* in, 872. B
Ἐνδοματικὰ, *quæ solatia*, 546. C
Ἔνδοσις, *quid*, 500. B
Ἐντολαὶ, *quæ mandata*, 364. F
Ἐπαρχικὰ, *quid*, 413. F
Ἔπαρχος τῆς Αὐλῆς, *quis*, 409. B
Ephebeum, *quid, & unde ita vocatum*, 899. F. 900. D. F
— *in eo sedes*, 901. A. B
— *ejus mensura*, 907. A
Ἐφημερὶς, *quale diarium*, 621. B
Ἐφοδεύοντες, *qui*, 436. E
Ἐφόδιον, *quid*, 436. A. 497. A
Ἔφοροι, *quinam*, 436. E
Episcopi *in Canalio constituti*, 540. D
Episcopus *extraneorum, quisnam dictus*, 384. F. 385. A
Epistola, *eam emittere*, 367. C. D
— *data*, 375. A
— *formalis*, 367. D. E
— *Principis*, 366. E. F
— *ista lex est*, 494. D
— *Rescripto continetur*, 367. E
Epistolæ, *quid*, 366. E. F. 367. A
— *earum cura*, 451. A. D. 499. C
— *subscriptio*, 367. C
— *à quibus conscripta*, 368. A
— *Canonicæ*, 499. B. C
Epistolare *Rescriptum*, 494. E
Epistolares, *qui*, 341. F
— *illorum officia*, 476. D. E
— *Principis, quinam*, 477. C
— *horum munus*, 477. F. 478. A
Epistolis, *(ab) quis, ejusque munus*, 495. A. C
Epistularii, *qui*, 499. C

Epulones, *quinam sacerdotes*, 1111. A
Equester *Ordo*, *quinam ejus dicebantur*, 1020. B
— *quando Senatorii Ordinis essent*, 1020. C. D. 1070. E
— *qua de causa post Plebejum scribebatur*, 1032. A
— *quis fecit*, *ut penes eum solum essent judicia*, 1032. A. B. 1080. E. F
Equestris *Dignitas*, *ejus viri an Clarissimorum gradum consecuti*, 303. B
Equi, *eorum productio*, 569. A
— *agminales*, 533. A. B
— *Canonici*, 453. E
— *Cataphracti*, 530. D. E
— *Clibanarii*, 530. D
— *Conturi*, 536. A
— *Circenses*, 538. A
— *Curules*, 538. A
— *paraveredi*, 533. B
— *quadrigales*, 538. A
— *solemnes*, 538. A
— *veredarii*, 536. A
— *lignei ludus*, 381. E. F. 382. A
Equites *Rom. quis eos instituit*, 1031. C. D
— *à quo selecti*, 381. D
— *an Clarissimi*, 303. B
— *an annulis usi ante Senatores*, 1028. B
— *quibus à Plebejis separati*, 1028. C
— *eorum Census quis*, 1028. E. F. 1032. C. F
— *in quot Centurias distributi fuerunt*, 1031. C. D
— *quando eorum auctoritas cœpit*, 1032. A
— *eorum instituta*, *solemnia & ornamenta*, 1032. D. F. 1033. A. D
— *quis primus eos à Plebe sejunxit in Ludis*, 1033. B
— *eorum insignia*, 1068. E. F
Ereptitia *bona*, *quæ*, 608. C. D
Ἠθμὸς τρύγοιπος, *quid*, 544. A
Evectio, *an privatus ea utatur*, 537. D. E
Evectiones, *quænam diplomata*, 415. C. D. 536. D
— *earum faciendarum potestas*, *cujus*, 451. F. 536. E. F
— *birotarum*, 538. F
Evocati *à Principe*, *qui*, 498. D
Evocatio, *quid*, 498. D
Evocatoriæ, *quid*, 536. D. 539. B. C
— *quomodo fiebant*, 498. D. E
Eumenes *elephantis pugnavit*, 52. C. E
— *à quo eos acceperat*, 53. A. 70. A. B
— *quis eum occidit*, 53. A
Eunuchi, *qui*, *& unde appellati*, 593. F. 594. A
— *eorum Præpositus*, 594. A. C
— *sacri Cubiculi unde dicti*, 593. F
Euryali, *ejus mater Funera officio functa*, 759. E. F
Eutropius, *Servus*, *quando Consul factus fuerit*, 1021. A
Exceptores, *qui ita nuncupati*, 443. B. C. 509. E. F
Exedræ, *quid in Gymnasiis Antiquorum*, 900. E. F. 901. A
Ἐξουσία, *quid*, 540. E
Expatricii, *qui*, 468. F
— *eorum magna auctoritas*, 471. B. C
Expuncti, *quinam*, 483. C
Ἐξαγώγιον, *quod vectigal*, 552. A
Existimatio, *quid*, 298. A
— *ejus cognitio*, 297. F. 298. A
Exsequiæ, *eas persolvere*, *actus Religionis est*, 768. D

F.

FAba, *cur eam non comedebant Pythagorici*, 731. C
— *Ægyptia*, 704. E. F
Fabius *Pictor*, *primus Historicus apud Romanos*, 1239. E. F
Fabrica *loricaria*, 530. E
— *signorum*, 530. F
— *ejus Protectores*, 528. E
Fabricæ *in Gallia*, 530. A. B
— *in Illyrico*, *quot*, 529. D. F
— *in Italia*, 530. A
— *in Occidente*, 529. D. E
— *in Oriente*, 530. E. F
Fabricenses, *vel* Fabricensii, *qui*, 521. D. E. 527. B. C
— *eorum Collegium*, 529. A
— *Privilegia*, *stigmata*, 529. A. C
— *unde annonam accipiebant*, 528. A
Fabula, *qui eam primus docuit Romæ*, 1238. B
Fabulæ, *earum Scriptores varii*, 702. F
— *ob quid repertæ*, 779. E. F
Faces *nocturnæ*, 684. D
Fasces, *quot præferebantur Consulibus*, 952. C. D. 971. F
— *cur apud unum Consulem tantùm essent*, 952. D
— *Consulares*, 302. B
— *Duûmvirorum*, *quales*, 302. C
Fasciolæ *ad dolorem capitis*, 690. E. F
— *iis corona alligata*, 717. A. C
— *ex lana & lino*, 698. B. 705. D
Fasti *Consulares*, *unde eorum perturbatio*, 311. E
Faustina, *ejus pars*, *quæ*, 585. B. C
Februarius *mensis quibus tribui solebat*, 1023. E. F
Felix, *Judææ Procurator*, 616. C. F. 617. B
Feminæ, *mutabiles*, 765. F
— *ad lacrimas promtissimæ*, 764. F. 775. A. B
— *an velatæ incedebant*, 768. D. F
— *Rom. earum dissolutio*, 709. D
— *quæ funus curabant*, *quanam veste utebantur*, 767. F
Feræ dentatæ, *quæ*, 189. C. D. 239. E
Feriæ *Latinæ*, *earum Præfectus*, *quis fuit*, 1122. E. F
— *postulationes iis factæ*, *à quo sublatæ*, 1125. B. C
Fibla, *vel* Fibula, 597. B. C
Fibrenus, *ejus egregium factum*, 139. B. C
Fictor, *inter officia divina*, 959. D. F
Ficus, *cur Mercurio oblatæ*, 928. C. E
Fideicommissa *tacita*, *quæ*, 579. E
Fides, *eam tacitam accommodare*, *quid significat*, 579. F
Fiscales *res & dominicæ*, 586. E. F. 601. A
— *à quo separatæ*, 600. F
Fiscalia *debita*, *quæ*, 600. D. E
— *prædia*, 588. D. E
Fiscalis *auctio*, 604. B. C
Fiscus, *quid*, *& unde dictus*, 951. C
— *quid*, *propriè*, 600. D. E. 601. A
— *ejus privilegia*, 603. C. F. 604. A. E
— *ejusdem Advocatus à quo institutus fuerit*, 951. C
— *vires*, 603. B
— *quæ bona in eum coguntur*, 601. C
— *& Ærarium*, *quomodo inter se differunt*, 601. B
— *pro tributo*, 603. C
— *Alexandrinus*, 601. E. F
— *Asiaticus*, 602. B
— *Judaicus*, 601. C. D
— *privatus*, 587. D. 601. A. B
Flabella *in mensa cui usui*, 728. D. 730. C

Flagellum *pro rheda*, 536. A
Flamen Dialis, *quis sic dictus*, 955. C. 1110. E
--- *Martialis*, 1110. E
--- *Quirinalis*, 1110. E
--- *Vulcanius*, 1110. F
Flamines, *quinam Sacerdotes*, 955. C
--- *à quo instituti*, 955. C
Flatuarii, *seu* Flatores, *quinam*, *& unde nuncupati*, 563. A. B
Flavia *Gens*, *plebeja*, 763. F
--- *aliis Familiis nomen impertita*, 763. F. 764. A
Flexumines, *qui ita dicti*, 1064. C
Flores, *antidotum ebrietatis*, 689. B. D. 698. C. D
Fœcialis, *quis*, 955. D
--- *unde ita dictus*, 1110. B. C
--- *ejus munus*, 1110. B
Fœdus, *ejus feriendi formula*, 955. D. F
Fœminæ, *V.* Feminæ.
Follis, *qualis nummus*, 547. E. F
Fontinalia, *quæ feriæ*, *& unde dictæ*, 887. A
Fores, *ea sigillo apud Veteres fuerunt munita*, 839. C. F
Forica, *quid*, 604. C. D
Foricarii, *quinam*, 604. C. E
Forma *prima*, 434. A. B. 568. E
--- *secunda*, 434. B. 568. E
--- *in eam redigere*, 588. A
Formæ, *quales gradus*, 568. E
--- *quænam Epistolæ*, 413. F. 414. A
--- *sacræ*, *quales*, 513. A. E
Formula *Comitivæ rerum privatarum*, *quænam*, 580. A. B
--- *forensis*, 481. C
--- *honorarii Consulatus*, 311. D. E
--- *stipendiorum*, 434. B
Formulæ *evocatoriæ*, 539. C
--- *tractoriæ*, 538. C
--- *de omnibus rebus constitutæ*, 481. D
Formularii *Advocati*, *qui*, 481. C. D
--- *forenses*, 482. A
Forum, *qualis locus*, 552. D
--- *vinarium*, 552. D
Frigidarium, *quis locus in Gymnasio*, 902. E. 903. B
--- *cum duobus baptisteriis*, 903. D. E
Frondes, *fructuum tutamen*, 695. B
Frumentarii, *qui*, 531. E
--- *ii etiam Commentarienses appellati fuerunt*, 532. B. C
Frumentatio, *quid*, 435. C
Frumentum *in cellam*, 430. C
Fucinum, *quid*, 567. C. D
Fullones, *ipsorum munus*, 599. E
Fumus, *de fumo in flammam*, 344. E
Funalia, 684. D. E
Functio *auraria*, 570. F. 571. A
Fundi *Regales*, *qui*, 588. C
Funera, *cantu lusuque celebrata*, 784. C
--- *quosnam spectabant*, 785. D
Funeræ, *quænam*, 759. D. F
--- *earum officium*, 760. B
--- *quomodo à Præficis differunt*, 759. D. E
Funiculi *ex lino & lana*, 698. B
Fuscinula, *quod instrumentum*, 740. C
--- *unde sic dicta*, 741. A
--- *an apud Veteres usum habuerit in mensa*, 741. E. F
Fusio, *quid*, 548. B
--- *quinta*, 548. B
--- *bona & falsa*, 563. E
Fusiones, *eas præstare*, 548. B
Fusores, *qui*, 563. F

G.

G *littera in Rescriptis quid denotat*, 376. E. F
Galba, *ejus Pædagogi*, *qui*, 417. F
Galli, *quales Sacerdotes*, *& unde appellati fuerunt*, 1110. D
--- *cur seipsos evirabant*, (860.) D
Gallia, *à quonam dicta fuit nutricula Causidicorum*, 1204. E
--- *florentissimum totius Orbis Imperium*, 424. F
--- *Citerior*, *quæ*, 398. E. F
--- *ejus Conventus*, 399. A. B
--- *& Hispania*, 427. B. C
Galliæ, *quando studia in iis fuerunt florentissima*, 1203. D. F
--- *earum à Romanis defectio*, 425. D. F
Gallienus, *Imper. in Decennalibus quot elephantos in pompa traduxit*, 188. E
Gemmæ, *exponuntur*, 89. A. F. *& ss.*
--- *alia*, *in qua Mercurius elephanto insidet*, 246. C. F
Genesta, *ejus flos in coronis*, 705. D
--- *ex illa funes fiebant*, 705. F
Gentiles *& Scutarii*, 522. E. F
Germani *eorum cohors*, *à quo instituta fuerit*, 453. A
--- *Custodes Tiberio aderant*, 452. E. F
--- *quis eam dissolvit*, 453. A
Germanicus, *Cæsar*, *quomodo elephantos Populo exhibuerit*, 178. A. C
--- *quidnam fecerint in Ludis hæ belluæ*, 178. F. 179. A
Gesta, *quid*, 376. F. 377. A
--- *proposita*, *quæ*, 377. B
Gildo *quo supplicio affectus*, 584. C. D
Glaciariæ *Cellæ*, *V.* Cellæ.
Gladiatores, *quinam*, 528. A
--- *pro spectaculo*, 462. A
--- *eorum stationes variæ olim fuerunt*, 621. F. 622. A
--- *fiscales*, 622. B
Gladiolus *in mensa*, 741. B
Gladius, *ejus jus*, 299. C
--- *ejus pœna*, 638. F
Gleba *priva & emphyteutica*, 580. F
Γνώσης, Γνώσις, 339. A
Golla, *Hunnor. Rex*, *quomodo urbem obsessam cepit*, 75. E. F
Gordiani, *plures*, 322. E. F. 323. A
--- *quando* Antonini *prænomen usurparunt*, 322. F
Gordianus, (III. *vel Pius*) *Imper. an elephantos Populo spectandos dedit*, *& quando*, 188. C. D 212. A. C
--- *ipsi quadrigæ elephantorum decretæ*, 223. E. F. 279. F
--- *qua de causa*, 251. D. 252. A. F
Græcari, *quid*, 687. A. F
Græci *præceptis valent*, 1008. C
--- *eorum Nummi numerantur*, 1190. C. F
Γραμματοκόφωνες, *qui*, 440. E
Γραφεὺς, *quis*, 510. A
Greges *Oviarici*, *quinam*, 555. C. D
Guadalhobiz, *fluvius*, *unde illud nomen accepit*, (835.) D
Gudius, (*Marq.*) *in ejus Bibliotheca variæ Dissertat. ineditæ*, 167. C
Gurtlerus, *ejus Epistola ad clariss. Cuperum*, 30. D. F
Guttum, *gutturnium*, *vas*, 684. F
Gymnasia, *an Palæstræ nomine veniunt*, 899. A
--- *à quonam primùm Romæ excitatæ fuerunt*, 899. C
Gymnasium, *ejus Ichnographia*, 897. 898. B. F
--- *in quot membra dividitur*, 899. A. B

--- Nea

—— *Neapolitanum antiquissimum*, 899. B
—— *num in eo litterarum studia fuerint*, 900. B. C
Gynæciarii, *qui*, 564. D. E
Gynæcium, *quid*, 564. D. E. 565. A. F
—— *ejus Procuratores*, 564. D. 565. B
Gynæconitis, 564. E
Γυναικωνίτης, 564. E

H.

HAdrianus *Imperator unde oriundus*, 316. D
—— *quid in Republica immutavit*, 401. E. F. &ss.
—— *an à Trajano Imperat. adoptatus fuerit*, 395. A. C
—— *Libros multos reliquit*, 404. E. F
—— *num triumphum gesserit*, 273. C
Hanno, *elephas*, *cui missus*, 248. E. F
Hebræi, *an apud eos coronæ in usu*, 714. C. F. 715. A. D
—— *eorum Nummi recensentur*, 1191. A. D
—— *cur vina percolabant*, 936. E
Hedera, *ebrietatis antidotum*, 689. C. D
—— *aliæ ejus virtutes*, 690. A. B
—— *eâ Bacchus coronatus*, 690. C
—— *eadem stringebatur caput*, 697. B. D
—— *cui dicata*, 697. C
Helena, *ejus Nepenthes*, 710. F. 711. A
Helenium, *herba*, *unde ita dicta*, 711. C. F
Heliogabalus, *Imper. elephantos in Spectaculis Populo dedit*, 187. E. F
Helucum, *V.* Elucum.
Heraclius *Imper. quadrigâ elephantorum triumphavit*, 256. B. D
Herbæ *loco clavium*, 842. B. C
Herbariæ bestiæ, *an eædem quæ* herbaticæ, 189. A. B
Hermæ, *quales figuræ*, 525. C. E
—— *quomodo effingebantur*, 526. A
Hermathena, *quale signum*, 926. D
—— *cum brachiis*, 927. D
Hermeracla, *quod signum*, 926. D
—— *sine brachiis*, 927. D
Hetæriæ, *quid*, 365. D. E
Heu, *quæ interjectio*, 765. A
—— *eâ lamentationes suas Præficæ incheabant*, 765. A
—— *in Næniis sparsa*, 772. A
—— *quorum nominibus fiebat hæc conclamatio*, 772. C. D
—— *familiaris fuit lamentationibus*, 772. E
Hipparchus, *Mathematicus*, *quandonam vixit*, 825. A. D
Hippocampus, *quodnam animal*, 247. C. D
Hippopotamus, *cur elephas Ægyptius appellatus*, 96. E
Hippotigris, *quodnam animal*, 184. B. D. 185. A. C. 186. A. D
—— *inter eum & onagrum differentia quæ*, 185. D. F
—— *num habuerit cornua*, 186. D. E
Hispania, *quot Comites habuit*, 316. D. E
Historiæ *Græcæ & Romanæ collatio*, 969. A. C
Historici, *quando primùm floruere Romæ*, 1239. E. F
—— *potiores recensentur*, 1240. A. B
Homines *Domus Augustæ*, *qui*, 589. C
Honoraria *Præfectura*, *quæ*, 455. D
Honorarii, *qui ita vocati*, 455. E
—— *eorum dignitas*, 415. A
—— *discincti*, *qui*, 313. D. 456. A
—— *præsentes*, 315. B
—— *Consules*, *V.* Consules.
Honorati *Provinciarum*, 314. D

A Honores *Codicillares*, 455. E
—— *adumbrati*, 455. E
—— *emendicati*, 455. F
—— *Principi decreti*, 383. C. F. &ss.
Horapollo, *ejus Hieroglyphica an vetera*, 32. D
Hospites, *qui olim recepti*, 727. E
—— *coronæ convivales eis traditæ*, 727. E
Hyacinthina, *quæ purpura*, 567. A. B
Hypæthræ, *quæ ambulationes*, 908. E
Hypothymidæ, *quales coronæ*, 706. C. F

I.

B JAcula *ansata*, *quæ*, 552. E. F
Janthinus, *qualis purpuræ species*, 567. B
Janus, *an coronas reperit*, 679. C
—— *ejus Nummi num cum corona dentur*, 680. C. D
—— *cur* Patulcius *dictus*, 796. B
—— *unde* Claviger *cognominatus*, 798. E. F
Icosaproti, *qui*, 578. B. D
Idolum *tribus capitibus humanis apud quos habetur*, 100. A
Idus, *unde ita appellatæ*, 881. D. E
Jentaculum, *quid*, 727. A. 729. B
—— *ambulatorium quod*, 727. D
C Ignominia, *quæ pœna*, & *quibus inflicta*, 646. F
Ilicet, *quale verbum*, 765. E
Illurum, *urbs*, 857. D
Illustres, *qui*, 306. B. C
—— *quinam eorum dignitate decorantur*, 317. E
—— *eorum differentia*, 307. B. E
—— *nullus ipsis superior fuit præter Principem*, 589. B
Illustris *nomen primùm quid fuit*, 307. B
Illyricum, *duplex fuit*, 529. D
Imagines *Majorum*, *quæ*, 1037. E. F
Imparia, *quæ*, 572. C. D
D Imperator, *quis ita dictus*, 1105. A. C
—— *ejus nomen*, 383. F. 384. A. C
Imperatores *Roman. ad bellum profecturi*, *solebant dare spectacula*, 192. E. F
—— *si plures simul erant*, *omnium nomina præscribebantur*, 191. C.
—— *an elephantos in Laurento aluerint*, 201. C. F
—— *in eorumdem acta quinam jurabant*, 1153. A. F
—— *num in Actis Græcè loquebantur*, 337. C
Imperia, *quæ*, 572. C. 573. A. B
E Imperiales *sententiæ*, 329. C
Imperialia *ornamenta*, 573 A
Imperium *merum à lege*, 298. A
—— *differt à potestate*, 298. C. D
—— *quomodo illud Magistratui competebat*, 298. D. E
—— *Proconsulare*, *quodnam*, 390. A. B
Impilia, *quæ tegumenta*, 543. B. 572. C. D
Incorporare, *quid*, 582. E
Incorporatio, 582. E
Incrementum, *quid*, 438. B
Indi *veteres quandonam elephantos ornatos ducebant*, 19. F
F —— *eorum Reges an soli iis uterentur*, 20. A. C
—— *qui Persarum Regibus paruerint*, 37. A. F 38. A
—— *soli ante Alexandrum M. elephantis bellarunt*, 39. C. D
—— *quodnam vinum iis dabant*, 57. C. D
—— *illorum mos in conviviis*, 729. F
India *elephantorum ferax*, 18. E
—— *quænam à Persis subacta*, 37. C
Indus, *fluvius*, *unde ita dictus*, 92. F
Indictio, *quid*, 1092. B
Indigetes *Dii*, *quinam*, & *unde dicti*, 879. A. C

Indulgentia *Principis*, 380. D. F. 381. A. D. 382. E
Infundere, *V.* Affundere.
Insignia *Consularia*, 420. F
—— *Magistratus*, 456. B. F
—— *Præfecti Prætorio*, 456. E. F
Insignia *variarum urbium*, 242. D
Inscriptiones, *explicantur*, 189. A. F. 201. C. E. 239. C. F. 240. A. 303. A. B. 370. A. F. 421. A. B. 426. D. F. 441. E. F. 442. E. 450. F. 451. A. 462. D. E. 515. D. F. 535. D. 554. A. B. 555. A. D. 571. A. 574. E. F. 575. A. B. 578. E. F. 585. E. F. 596. A. D. 609. D. E. 615. B. 620. B. C. (860.) E. 957. C. F. 958. A. F
—— *Suppofititiæ*, 87. C. F. 116. B. C. 392. A. B. 426. B. D
—— *emendantur*, 391. D. E. 410. A. D. 474. C. D. 537. A. B. 555. B. 573. C. D. 872. E. F. 958. A. E
—— *ineditæ*, 857. F. 858. A. D. 859. A. F. 860. B. F. 862. A. F. 863. A. F. 864. A. E. (842.) B. D. (844.) E. F
Insinuare, *quid*, 513. D
Interlocutio, *impropriè sumitur*, 343. B. C
Interregnum, *quod temporis spatium*, 979. A. D. 1108. E
Interrex, *quis ita dictus*, 979. B. 1065. B. C. 1108. E
—— *quando & à quibus institutus*, 979. B. 1054. E. F. 1064. E
—— *ejus imperium quandiu durabat*, 979. B. C
—— *solus cum Plebe communis factus non est*, 979. D. E
—— *ejus officium*, 979. E. F. 1054. F
—— *quo tempore creabatur*, 979. E
—— *quænam Comitia non habuit*, 1055. A. B
Intervenire, *quid*, 350. B
Intorticia, *quid*, 684. E
Intributiones, *quæ munera*, 533. A
—— *qualia tributa*, 545. D
Invitare, *quid*, 504. D
Invitatores, *qui*, 504. C. F
Ἱππαςὴς κέλης, *quis*, 444. C
Irenarchæ, *qui*, 366. C
Is, *pronomen*, *frequenter subintelligitur*, 1123. F. 1124. A
Italia *propriè*, *quæ*, 398. C. D
—— *Provinciis opposita*, 304. A. B
—— *ejus divisio ab Augusto facta*, 397. E. 398. A. B
—— *ab Hadriano*, 401. E. F. *& ss.*
—— *Provinciæ*, *quot*, 424. A
Italica, *urbs*, 316. D. E
Italicenses, *quinam*, *& unde ita dicti fuerunt*, 316. D. E
Italici, *vel* Itali, *qui*, 398. D
Juba, *Rex Numidiæ*, 39. E. F
—— *ejus elephas grandævus*, 144. F
Judæi *magnam eboris copiam habuerunt*, *& unde*, 95. F
—— *an sepulcra habuerint Romæ in Vaticano Campo*, 187. E. F. 188. A. C
—— *eorum convivia quæ*, 729. D. E
—— *qui cibum sumebant*, 734. F
—— *à Romanis subacti*, *quando de capite judicarunt*, 617. B. D
—— *eorum primates à quibus compelluntur*, 577. B
Judas, *undenam* Macchabai *cognominatus fuerit*, 73. B. C
Judex *an alius à Magistratu*, 297. A. B
—— *sacrarum Constitutionum*, *quisnam fuerit*, 340. B. C
—— *Auditorii sacri & ille sacrarum num diversi*, 339. D

A Judicare, *& jus dicere*, *quomodo inter se differunt*, 297. A
Judices *apud Rom. quales*, 634. E. F
—— *à quo electi fuerunt*, *& quomodo*, 632. B. 1083. C
—— *quot talellas accipiebant post judicium*, 632. B 1083. B. C
—— *prætextam quando deponebant*, 634. D
—— *eorum consessus ubi fiebat*, 1083. A. B
—— *cur in singulis caussis jurabant*, 1166. C. D
—— *an Græcè sententias proferre poterant*, 337. D
—— *maximi*, *qui*, *& quænam eorum potestas*, 402. C. D
—— *majores*, *quinam*, 340. E
B —— *Ordinarii*, *qui dicti*, 305. C
—— *istorum officium*, 402. D
—— *Provinciæ*, *quinam*, 305. B
—— *sacrarum Cognitionum*, 339. B. C
—— *delegati*, *qui*, 341. D. E
—— *militares*, 458. C. D
Judicia *quomodo peracta stante Republica Rom.* 631. F. 632. A
—— *penes quos eorum cognitio fuit*, 1067. A. 1073. C. D
—— *privata*, 1079. D. F
C —— *publica*, 1080. B. F
—— *illorum summa potestas penes quem erat*, 1082. E
—— *quomodo differebantur*, 1083. D
Judicium *prolusorium*, *seu præluforium*, *quodnam*, 333. D. F
—— *sacrum quod*, 339. C. D
—— *Principum qui differt à Judicio Magistratuum*, 326. A
Jugurtha *cum quo pugnans in castris elephantos habuerit*, 145. F. 146. A
—— *de eorumdem fortuna*, 146. B. C
Julianus *Imper. perstringitur*, 337. B. C
D Julianus *contra quem elephantis uti voluit*, 157. D. F
Julius *Cæsar*, *an Tribuniciam Potestatem habuerit*, 385. F. 386. A. B
—— *ipsi primo decretum est Patris Patriæ nomen*, 387. B
—— *quando eidem Præfectura morum delata*, 388. B. D
—— *V.* Cæsar.
Jupiter, *ejus feriæ quando*, 876. E. F
Jurare *in acta Imper. & in ejusdem verba*, *qui discrepent*, 1156. F
E Juridici, *an inter Clarissimos*, 305. E. F
—— *Italiæ an de crimine cognoverint*, 402. F. 403. A. B
Juridicus *de infinito*, 305. F. 306. A. C
Juris *Conditores*, *qui dicti*, 487. E
Jurisconsulti, *qui*, 486. C. 487. D. E
—— *eorum consultationes*, 345. B
—— *pro Advocatis sumuntur*, 486. E
—— *illustriores recensentur*, 321. A. F. 322. A. B
Jurisdictio, *quid*, 299. B
Jurisperiti, *quinam*, 487. C. D
—— *ubi adsciti*, 308. C
F Jus *Cathedraticum*, 458. A
—— *Emphyteuticarium*, 580. E
—— *civitatis*, *quod*, 382. C. E
—— *gladii*, 299. C
—— *honorarium*, 402. D. 1079. B
—— *Latii*, 1060. F. 1061. A. C
—— *patriæ potestatis*, 382. D
—— *perpetuarium*, 580. E
—— *Quiritium*, *quale*, 382. B. C. 400. A
—— *istud antiquissimum*, 401. D
—— *quotuplex*, 401. D. E
—— *Romanum cui opponitur*, 400. E

Jus

Jusjurandum, *ejus formula*, 1158.B.F
—— *Censorum*, 1158.A.B
—— *Atheniensium*, 1159.A.F
—— *Heliasticum, quale*, 1160.A.E. 1161.A.F. 1162.A.F
—— *Magistratuum*, 1151.D.F. 1157.B.F. 1158.A. 1163.D.F
—— *Imperatorum*, 1152.C.F. 1157.C.D
—— *Senatorium, quod*, 1153.A.F. 1159.D.F
—— *Militum & Populi*, 1154.C.E. 1155.C.D. 1156.A.F
—— *Provincialium*, 1154.E.F. 1155.A.B
—— *qui in Gallia præstitum*, 1160.E
—— *eo adigebant Judices suos Ægypti Reges*, 1164.A.B
Jussio *pragmatica, quæ*, 513.A.C
Jussus *Principis*, 373.B
Justa *arma, quæ*, 522.C
Justa *uxor*, 355.E.F. 356.A
Justæ *nuptiæ*, 355.D

K.

Κακῶν εὑρεταί, *qui*, 440.E
Kalendæ *Januariæ & Jul. quando celebriores fuerunt*, 310.B
—— *Januar. Largitionum dies*, 483.B
—— *earum festo quænam olim agebantur*, 311.D. 1139.D.F
—— *iis lugeri vetitum*, 1150.C
Kalendarium *Amiternum*, 869.A.B.&ss.
—— *quando excisum*, 874.D
—— *exponitur*, 878.B
—— *emendatur*, 885.D. 888.D
Καλλιγράφοι, *qui*, 510.A
Καπηλεύειν, *quid*, 566.B
Καρικά, *quid*, 568.A
Karolus, *V.* Carolus.
Κατακοιμαστής, *quis*, 596.E
Κατακοιμιστής, *quis*, 592.D
Καταρίζοντες, *quinam*, 515.E
Κατάταχθείς, *quis*, 523.E
Καθαίρεσις, *quid*, 471.B
Καθολικός, *quis*, 557.B
Κεντηνάριον, *quid*, 564.A
Κεφάλαιον, *quid*, 545.B. 557.B
Κεράτιον, *quid*, 575.C
Κερατισμόν, *quid*, 570.E
Κηρός, *quid*, 514.E
Κλεὶς, *vox illa varias subit mutationes*, 798.A.F
—— *nibil differt à* κληίς, 801.C
Κολλυβισταί, *qui*, 563.E
Κόμμα, *quid propriè*, 560.F
Κόντουρος, *quid*, 536.A
Κορυφὴ καὶ κεφαλὴ, *quænam dignitas sic vocata fuit*, 308.C
Κυρίαι δόξαι, *quæ sententiæ*, 500.B

L.

LAbda, *quænam, ejusque historia*, 939.D.E.&ss.
Lacedæmonii, *eorum Legislator*, 1007.B.C
—— *qui convivas excipiebant*, 732.D
—— *quamobrem furta omnia apud eos erant licita*, 817.B
Laconicum, *quid denotat*, 816.A.D
—— *qualis locus in Gymnasiis*, 904.E.F
Lacrymæ, *earum vis*, 761.E.F
—— *earumdem usus immoderatus*, 762.C.D
—— *ubi ipsas vetuit Solon*, 762.E
—— *iis privari summi supplicii loco olim habitum*, 764.E
—— *difficile est eas simulare*, 766.F
—— *vim & pondus vocis habent*, 770.F
—— *ampullis servabantur*, 774.A
—— *de vase in vas elutriabantur, &c.* 775.A
—— *testamento cautæ*, 778.B
—— *sunt indicium naturalis infirmitatis*, 781.A
—— *legati doloris*, 781.C
—— *dolores minuunt*, 781.C.D
—— *illarum usus commendandus*, 782.A.B
—— *veræ, quænam*, 785.C
—— cum lacrymis ponere, *& similes locutiones*, 774.C
Lactucæ, *in fine convivii*, 730.C
Lætica *Terra*, 569.D
Lætis, *ejus Præpositi*, 569.C.D
Lamentationes, *in iis quinam olim præcinebant*, 761.B
—— *idem ac Næniæ*, 772.F
—— *Hieremiæ Prophetæ*, 761.A.B
—— *Præficarum sæpe verum luctum superabant*, 765.A.B
Lamentatores, *qui ita vocati*, 775.E.F
—— *an iidem cum Præficis*, 776.C
—— *eorum varia nomina*, 777.A
Lampadarii, *qui*, 453.F
—— *eorum munus*, 531.A
Lampas *pro laterna*, 686.A
Lampones, *qui Scribæ*, 440.D.E
Lana *an in coronis*, 698.B.F
—— *lota, pectinata, &c.* 567.B.C
Lapis *vice clavis*, 842.A.B
Laqueus, *ejus supplicium*, 637.A.B
Lar *pro domicilio*, 595.D.
—— *familiaris*, 595.C
Largitionales, *qui*, 576.C
—— *eorum Officium*, 577.A
—— *statuti & supernumerarii*, 577.C
—— *Civitatum*, 576.D
—— *urbium singularum*, 576.D
Largitiones, *earum officium*, 577.A.D
—— *sacræ, aut privatæ*, 579.A
—— *Principis, quis eas largiebatur, & quo die*, 541.C
Larvæ *ubi projectæ*, 732.C
Latercula, *quid*, 300.C. 515.F.
Laterculenses, *qui*, 509.D.E
Laterculum, 515.F. 516.A
—— *majus, & minus*, 300.D
—— *quis curam majoris habuit*, 515.F
—— *quinam ex eo emittebantur*, 515.F
—— *quid in eo includebatur*, 516.A.B
Laternæ, *earum etymon*, 684.E.F
—— *earumdem usus, & varietas*, 684.D.F
Laticlavii *bonor num differat ab ornamento*, 420.E.F
Lator, *quis*, 563.C
Latus *clavus à quo petebatur*, 381.D
—— *an facit Senatorem*, 420.D.E
Laurus, *in magno honore olim habita*, 695.C
—— *cui sacra*, 695.E
—— *eâ quinam coronati*, 695.D.F
—— *ejus folia quando adhibita*, 729.E
Lautia, *quid*, 579.C
Lecti *duorum generum apud Veteres fuerunt*, 596.F
—— *quomodo parati ad mensam*, 728.B
—— *eburnei apud quos*, 95.F. 96.A
—— *triclinares*, 734.A
Lectus *nobilior in triclinio*, 730.E
Legati, *qui*, 498.C.D. 1094.E.F. 1107.B. 1108.E
—— *cujus imperio parebant*, 1085.B
—— *publici, eorumque munus*, 1095.C.D
—— *belli, quorum erant*, 1095.D.E
—— *horum potentia*, 1095.E.F
—— *Civitatum*, 496.B. 496.B. 498.D
—— *Nationum*, 497.D

Legatio, *quale munus*, 496.B
--- *ejus princeps quis*, 497.A
Legationes, *illarum decreta quomodo fiebant*, 496. B.C
--- *eas tractare*, *quid*, 497.D.E
Legativum, *quid*, 496.F. 497.A
Lege agere, 508.E
Leges, *qui examinandæ*, 1217.A.F
--- *Romanæ an omni statui possunt convenire*, 1219.B
--- *quæ ferebantur in Comitiis*, 1054.C.D
--- *eas interpretari*, *cujus est*, 371.A
--- *earum regimen penes quem Romæ*, 588.E.F. 589.B
--- XII. *Tabularum*, *à quibus promulgatæ*, 989. C.D
--- *unde dictæ*, 1107.D
Legiones, *unde ita dictæ*, 1010.C
Λειτεργία, *quid*, 531.B
Λειτεργοὶ, *qui*, 523.E
Lemnisci, *quæ fasciolæ*, *earumque usus*, 698.B.E. 705.D
Leo X. *Papa*, *à quo accepit elephantum*, 248.E.F. 249.A
Leo, *Collis*, *ubi*, 857.D
--- *unde sic appellatus*, (833.) B.C
Leones, *carnem camelorum expetunt*, 35.F
Λεπτὸς, *quid*, 575.C
Λέσχαι, *quid*, 906.C
Lessus, *quid*, 762.D. 785.D
--- *excessus*, *seu Nænia*, 762.D.E
Lex *naturalis*, *num ligare debeat Principem*, 359. A.D
Lex, *ejus actio*, 508.E
--- *Ælia Sentia*, 508.F
--- *Antonia*, 976.E. 1082.C
--- *Annua*, 299.B
--- *Appii Claudii*, 1031.C
--- *Aurelia*, 559.E.F. 1036.D.E
--- *Camilli*, 993.D
--- *Canuleja*, 1036.A
--- *Cassia de Patriciis*, 308.A. 1031.A
--- *Consularis*, 977.E.F
--- *Consultissima*, 345.C.D
--- *Calphurnia*, 1074.F
--- *P. Claudii*, 1035.B
--- *Cornelia Nummaria*, 560.E
--- *Curiata*, 390.C
--- *Didia*, *cur Consularis dicta*, 311.B
--- *Cn. Domitii Ahenobarbi*, *& quis hanc antiquavit*, 1036.C.D
--- *Edictalis*, 363.C
--- *Fabia de Plagiariis*, 618.A.C
--- *generalis*, 363.C
--- *Glaucia*, 1080.F
--- *Sempronii Gracchi*, 1032.A. 1035.A. 1060. C.D. 1080.D
--- *Horatia*, 1022.C
--- *Hortensia*, 1022.C
--- *Imperii*, 359.C
--- *Julia de Adulteriis*, 618.A
------ *de bonis vacantibus*, 601.C
------ *Repetundarum*, 359.D
------ *de vi publica*, 1060.E.F. 1081.B
--- *Junia Norbana*, 400.C
------ *Tribunicia*, 385.A.B
--- *Menia*, 1067.E.F
--- *Nænia*, 1040.B
--- *Ogulnia*, 1036.A.B
--- *Papia Poppæa*, 351.D. 359.A
--- *Petilia*, 1074.E
--- *Piratica*, *qui eam tulit*, 390.D.E
--- *Plotia*, 1081.A.B
--- *Pompeja*, 1075.A.B. 1081.C.F
--- *Portia*, 1060.C.D
--- *Publilia*, 1022.C
--- *Pupia*, 1023.E
--- *Regia*, 357.B.F. 359.C.E. 1037.B
--- *sacrata*, *Consularis dicta*, 385.C
--- *Sænia*, 308.A. 468.B
--- *Sempronia*, 1021.D
--- *Sextia Licinia*, 1036.A
--- *Tullia*, 1075.A
--- *Valerii Publicolæ*, 1034.F. 1035.A
--- *Vatinia*, 398.E
--- *vicesimæ hereditatium*, 359.F. 360.A. 696. B.E
--- *Voleri*, 1059.C.D
Libationes *in fine convivii antiquitus fiebant*, 720.D
--- *à quo inventæ*, 732.F
Libella, *quid*, 1179.C
--- *ejus valor*, 1180.B.D
Libellenses, *qui*, 341.F.
--- *non Cognitores sacri fuere*, 342.A
--- *eorum officia*, 476.D.E
Libelli, *eorum significatio latissima est*, 499.D.E
--- *illos signare*, 371.E
--- *eos offerendi mos unde*, 369.A.B
--- *eosdem agere*, 499.F
--- *iis respondere*, 499.E.F. 501.A
--- *ipsos subnotare*, 371.E
--- *eorumdem Promagister*, 373.A
--- *Augusto dati*, 369.C.D
--- *Principibus oblati*, 499.E
--- *Inscriptionum*, 500.B
--- *Principis*, *qui*, 351.D.E
Libellus *didascalicus*, *qualis fuerit*, 349.A. 416.B
--- *fiduciæ & securitatis*, 349.A
--- *memorialis*, 494.C
--- *supplex*, 499.F
Liber *Beneficiorum*, 377.F.
--- *quæ in eo descripta*, 378.A
Liberalitas Augustorum *in variis Nummis*, 213. C.D
Liberi, *quomodo agnoscebantur*, 665.D.E
Liberi, *eorum professio quomodo apud Romanos peragebatur*, 609.A.B
--- *qui introducta est*, 609.C
Libertinitas, *ejus indicia*, 602.D.E
Libra *auri*, *ejus æstimatio*, 431.C
--- *quando fuit libra serici*, 567.A
Librarii, *qui*, 439.E
Librarius, *quis*, 510.A
--- *ad manum*, 510.B
--- *Scriba*, 453.C.D. 510.A
Libri *Annales*, 621.B
--- *sacerdotales*, *qui*, 929.E
Licentia *supplicandi*, 349.A
Lictores, *unde nuncupati*, 995.C
--- *an cives Rom. fuerint*, 995.D
Ligula, *seu* Lingula, *quale instrumentum*, 742. A.D
Lilia *coronis inserta*, 689.D.E
Linum *olim in coronis*, 698.B.F
Lintearia *Societas*, 573.B.C
Lintearii, *eorum Corpus*, 566.A
Linyfarii, *qui*, 566.A
Littera *quomodo intelligenda in Sacra Scriptura*, 713.C
Livia *Aug. à quo ipsi decreta pompa currus elephantorum*, 225.A
--- *an* mater castrorum *dicta*, 226.A.B
--- *cur* Patriæ mater *appellata*, 226.C.D
--- *ejus epitaphium*, 772.B.C
Livius *Salinator*, *Censor*, *num fuerit Senator*, 1020.C.E
Λογικῶ, *quid*, 556.A
Λογιστήριον, *qualis locus*, 556.A

M

Λογιστήριος, *quis*, 556. A
Logographi, 553. E. F
Logothetæ, *qui*, 553. E
Lollia *Paulina*, *ejus icon*, 769. D. F
Lorica, *quid*, 530. E
Λῶρον, *quid*, 565. D
Lotio *ante convivium in usu fuit apud Veteres*, 728. C. 730. F
— *post singulos missus*, 730. B
— *Judæis usitata*, 734. F
Loton, *flos*, 705. A. B
Lucaria, *quid*, 877. F
— *unde sic vocata*, 878. A
Lucerna *duobus elephantis insignis*, 239. A. C
Lucernæ, 684. D
Luctus, *qualis dolor*, 782. D
— *quomodo olim servabatur apud Romanos*, 762. D. E
— *fictus sæpe verum superabat*, 765. A. B
— *verus arte non eget*, 766. F
— *funeralis semper in usu*, 782. A
— *sæpe est ipse habitus atque vestis*, 782. D
— *quotuplex*, 784. A
— *particularis qualis*, 784. B. C
— *quandiu perdurabat*, 786. E. F
— *annuus*, 787. C
— *ob quid cessabat*, 787. D. E. 788. C
— *cur & quando nullus publicus indictus fuerit*, 787. E
Lucullus (*Lucius*) *à quo elephantos petiit*, 144. D. E
Ludi *Circenses*, *qui*, *& unde nomen sortiti*, 885. C. D
— *Compitalitii*, *quinam*, 988. D. E
— *quando isti primùm facti*, *& qua de causa*, 988. E
Lugere, *quid*, *& quomodo ab* elugere *differat*, 785. B
— *mortuos est actus religionis*, 779. E
— *natura id docet*, 784. C
— *cur ad hoc munus mulieres potiùs vocarentur*, 786. A
Lupercalia, *quodnam festum*, 962. C. D
— *à quo institutum*, 962. C
Luperci *Sacerdotes*, *qui*, 1111. A
Lustralis *pensio*, 571. A
Lustrum, *quid*, 570. F
— *unde dictum*, 1088. E. F
— *conditum*, *quodnam sic dictum fuerit*, 953. D. 981. A
— *quando nullum conditum*, 421. E
— *quot annos continet*, 1089. A
Lychni *cornei*, 686. F
Lyra *post cœnam*, 734. C

M.

M *finale Veteres sæpe omittebant*, (861.) B
Macedonia *in quot partes divisa olim*, 149. E. F. 150. A. F
Machini, *vel* Macini, *quinam Populi fuerunt*, 19. C. D
Magalottus, *ejus Synodus*, 779. B. C
Magister, *quis*, 472. B. C
— *Admissionum*, 526. A. C
— *Æris*, 554. B
— *Census*, 445. D. 518. D
—— *cui suberat*, 1205. E. F
—— *ejus functio*, 1206. B. 1209. D. E
—— *nomina Studiosorum in tabulas censuales referebat*, 1207. F. 1208. A
— *Dispositionum*, 504. E. F
—— *istius cura*, 506. E. F
— *Epistolarum*, 490. D. E. 494. D. E
—— *ejus munus*, 496. B. C
A —— *Græcarum*, 490. E. 495. C. D
—— *Latinarum*, 495. C. E
Magister *Equitum*, *à quo lectus*, 977. A. 1085. A
—— *quis*, 1084. F. 1085. A. 1108. B
—— *quot Fasces habebat*, 971. F
—— *ejus potestas & munus*, 977. A. 1085. A
—— *cui parebat*, 1085. B
— *Larum Augusti*, 595. B. C
— *Libellorum*, 490. E. 499. E
— *Memoriæ*, 490. E. 491. A
—— *hujus munus*, 491. B. C
—— *dignitas magna*, 493. E. F
—— *potestas*, *quæ*, 494. B
B — *Morum*, 388. D
— *Officiorum*, 472. A
—— *illius munia*, 472. D
—— *is Palatinus Magister*, 472. B
—— *ejusdem origo*, 473. C. 474.
—— *merum imperium habuit*, 475. A
—— *quando floruit*, 474. D
—— *Cæsar creatus*, 473. B
—— *qui Officiorum omnium*, 472. B. 473. B. F. 475. A. B
—— *illius dignitas*, 472. E. F
—— *an Tribuni nomen ipsi possit convenire*, 520. D. E
C —— *ejus Jurisdictio*, 520. F. 521. A. C
— *Palatinorum ordinum*, 576. B. C
— *Pecoris*, 555. B. C
— *Rei Privatæ per Africam*, 585. C
— *Scrinii*, 433. B
—— *Cognitionum*, 502. A. B
Magisteria *potestas*, 472. B
Magisteriani, *qui*, 523. B
— *sub cujus dispositione erant*, 540. E
Magistratus, *ejus etymologia*, 298. D. F. 971. A
— *ejus officium*, 296. D. E. 297. A. B
— *ejus definitio*, 296. E. F. 298. B. F. 299. A
D — *bonus*, *quis*, 1008. A
— *in præsenti*, 419. E. F
— *Magistratuum quis dictus*, 302. E
— *Benefici*, *qui*, 378. A. B
— *legitimi*, 411. D. E
— *extraordinarii*, 411. D. F. 412. A
— *quid mandare potest*, 296. E. F. 297. B
— *eorum creatio ad quem pertinebat*, 298. B
— *Urbani propriè Magistratus*, 298. B. C
— *civitatum*, *qui*, 350. C
— *an accusentur*, 655. A. E
— *patricii quibusnam patebant*, 971. B
E — *plebeji*, *eos quinam adire non poterant*, 971. B. 984. E
— *Majores*, *quales*, 971. B
—— *eorum imperium*, 297. A
— *Urbanus*, *quis*, 971. C
— *Provincialis*, 971. C
—— *quibus instructus erat*, 972. C
—— *is & Militaris dicitur*, 971. C
—— *an propriè Magistratus*, 298. C. D
— *eorum insignia pleraque unde habuerint*, 971. E. 1132. C
— *Minores*, 971. C. 984. E
—— *hi Fasces non habebant*, 972. A
— *eum ineuntes in Leges jurabant*, 972. D
F — *abeuntes quid agebant*, 972. D
— *summus quis apud Romanos*, 975. E
— *in his petendis mos antiquus*, 1074. A
— *quomodo jusjurandum præstabant Principi*, 1151. D. F. 1152. A
— *Rom. brevis Chronologia*, 1099. 1000
Magistri, *quinam dicuntur*, 298. E
— *militum*, 300. C. D
— *istorum potestas*, 491. B
— *quot extra Principis comitatum fuerunt*, 504. A. B

— *Scriniorum*, 490. C
—— *isti quibus præferuntur*, 317. C
— *Vicorum*, *qui*, *eorumque munus*, 988. D. E
—— *hi infimi Magistratuum Urbanorum fuerunt*, 988. E
Magnificentia *in Imperatorum Rom. Nummis*, 209. A. F
— *quid significet*, 210. C. F. 213. D
Mago *contra quem elephantis usus in prælio*, 143. E. F
Mancini *Rex quot elephantos nutriit*, 19. C
Mahmoud, *nomen elephanti*, 80. B
Majestas, *quid*, 299. E. 323. C
—— *an ejus nomen solis Imperatoribus tributum*, 323. D. F
— *Consulum*, 309. A
— *Magistratuum*, 299. E
— *Principis*, 323. D. E. 324. C. D
Majorana, *herba*, 701. A. B
Majorinæ *pecunia*, 563. F. 564. A
Malleatores, *qui*, 562. F
Malobatrum, *quid*, 681. D. F
Mancipatio, *qui fiebat*, 401. A
Mancipes, *quinam*, *& unde ita nuncupati*, 534. D. 951. C
— *qui disponebantur*, 535. A. B
— *Apparitores habuerunt*, 535. A
Mancipia *vaga*, *qua*, 580. A
Mandata, *quibus data*, 365. E. F
— *eorum caput præcipuum*, 365. A
— *Principis*, 364. A. F
—— *commonitoria*, *occulta*, *secreta*, 364. B. 366. B
—— *ex suggestione*, 366. A. B
— *Præfecti Prætorio*, 365. E. F. 366. A. B
Mandatores, *V.* Delatores.
Mangi, *quæ Regio*, 19. D
Mangones, *qui*, 574. C
Mansiones, *quid*, 454. B. 539. E. F
Manu pungere, *quid*, 483. A. C
Manumissiones, *quando expedita*, 1145. C. F
Manumittendi *mos*, 508. D. F
Manus, *iis assentiendi mos unde*, 974. F
Mappa, *quid*, 461. B. C. 1140. F
— *signi dandi gratiâ missa*, 1141. A. C
— *pro equorum agitatione Circensi synecdoch. usurpatur*, 1141. D
— *cur cretata & alba linea dicta*, 1141. E. F
— *istius rei origo unde*, 1142. B. C
Marcellus, *(M.) an*, *& ubi elephantos ceperit*, 135. D. F. 136. A
Marciana, *qualis honos ipsi mortua habitus*, 227. F. 228. A. F. 229. A
Marmora, *antiquis tanta fides non est adhibenda*, 769. C. E
Martius *Campus*, *V.* Campus.
Martyres, *eorum varii cruciatus*, 643. F. 644. A. F. *&ss.*
Mater castrorum, *quæ prima sic vocata fuerit*, 226. D
Matrimonium *cessans*, 355. D. F
Mauretania, *ejus symbolum*, 122. E. F
Mauri, *an corporis Domitiani custodes fuerint*, 124. F. 125. A. F
— *malè illi confunduntur cum Æthiopibus*, 125. D. F
Mausoleum, *ejus descriptio*, 913. B. C
— *ichnographia*, 914. A. E
Maxentius, *ejus Consulatus digeruntur*, 272. B. F
Maximi *Judices*, *V.* Judices.
Maximianus Herculius, *an curru elephantorum triumphavit*, 254. C. D
Maximus, *Aug. ipsi elephantorum quadriga erecta*, 223. E. F. 251. F. 252. C
Meditrinalia, *quod festum*, 886. E
Megalesia, *qualis solemnitas*, 962. F
A Μεγακηριός, *quis*, 514. E. F
Melloproximi, *qui*, 509. A
Memoria *pro scriptura*, 511. B
— *ad eam dictare*, 491. A
Memoriales, *qui*, 509. C
— *eorum privilegia*, 511. A. B
Mensa *& Altare idem*, 681. A. E
— *in quot partes dividitur*, 682. B. E
— *secunda quæ*, 682. E. F
— *quando ad eam sedebant*, 727. B
— *inanis quibus nefas*, 730. A
— *ejus venenum*, 733. C
— *eam olim Diis commendabant*, 730. D
B Mensæ *variæ*, 728. A. D
— *quomodo eas sacras faciebant Veteres*, 730. D
— *duæ apposita olim*, 732. D
— *earum forma*, 732. F
Mensores, *quinam*, 454. A. B
— *eorum Officium*, 530. F
— *Frumentarii*, 599. B
Mercis *appellatio*, 574. C
Mercurius *in gemma elephanto insidens*, *quid significat*, 246. C. F. 247. E. F
— *ejus varia cognomina*, 246. E
— *cur inter Deos marinos relatus*, 247. E
C Mercurius *medicinam fecit*, *multúmque promovit*, 929. D. E
Mesonyctium, *quid*, (864.) A. B
Μεταχειρίζεσθαι, *quid notat*, 560. F
Metallum, *quinam ad illud damnati fuerunt*, 642. A
Metata, *quid*, 484. E
Metatores, *qui*, 454. A. B
Metaxa, *quænam purpura*, 566. E. F
Metellus, *(L.) ubi multis elephantis potitus est*, 114. F. 115. A. B
—— *de ipsorum numero*, 115. C. F
—— *an primus Roman. in triumpho elephantos duxerit*, 116. C. E
D —— *qua arte eos trajecerit per Fretum Siculum*, 116. F. 117. A
—— *quid illis belluis Romæ evenerit*, 135. A. C
—— *(Q.) cur elephantos*, *quos in Hispania habebat*, *mori fecit*, 144. E
Meton, *ejus corona*, 693. C. F
Mica, *quæ cœnatio*, 732. E
Miliarium, *quid*, 904. F. 905. A. B
Milites, *cujus imperio apud Romanos parebant*, 1085. B
—— *ipsorum missio quomodo fiebat*, 649. A. C
—— *num ad metallum damnarentur*, 650. E
E —— *eorum culpa præcipua*, 651. A. B
—— *varii variis suppliciis subditi*, 651. E. F. 652. A. D
—— *quid maximè in iis desideratur*, 653. A. B
—— *ubi ultimo supplicio afficiebantur*, 637. D
—— *eorum pœnæ quænam*, 645. F. 646. A. C. 650. A. B
—— *à quibus plectebantur*, 647. B. C
—— *an apud Romanos verberati*, 648. A. C
—— *inferioris militiæ*, 524. C
—— *Braccati*, 529. F
—— *Cornuti*, 529. F
F —— *Duplicarii*, 436. C
—— *Duplares*, 436. D
—— *Simplares*, 436. D
—— *Scutarii*, 522. B. C
Militia, *ejus prærogativa*, 313. E. F
—— *Armata*, 449. C. 450. C
—— *Cohortalis*, 449. C
—— *quæ vilior*, *quæ honoratior olim habebatur*, 652. E. F
Mimi *in funere vocati*, 785. C
Minæ, *earum valor*, 1048. D. E
Minerva, *unde Medica cognominata*, 930. A

Mi-

Ministri *Præfecti Urbis quare Urbaniciani appellati fuerunt*, 416. D
Minium, *ob quid unguentis additum*, 731. D
Minuscularii, *qui, & unde appellati fuerunt*, 518. A
Missi *Dominici*, 444. D. F
--- *Principis*, 444. E
--- *Mittendarii, qui*, 444. D. 576. C
--- *ex quorum officio fuerunt*, 453. F
Mitra, *quale ornamentum*, 717. D. F
--- *pro corona*, 717. C D
Moderatores, *quot à Justiniano Imperat. constituti*, 305. D
--- *Provinciæ*, 305. C. E. 518. B
Μονημέριον, *quid*, 461. D
Μοχλὸς, *quid, & ejus usus*, 829. C. E
--- *cujus materia*, 829. F. 830. A
Moneta, *ejus etymum*, 1175. D. E
--- *Juno, unde*, 1176. A
--- *nigra, quæ*, 1178. C
--- *in varias Officinas distincta fuit Romæ*, 91. E. F
--- *an harum unaquæque suum insigne habuerit*, 91. F. 92. A
--- *æreæ cudendæ jus penes quos apud Romanos*, 215. F
--- *ejus Nummularii*, 563. D. E
--- *Officinatores*, 561. C. D. 562. A. C
--- *Procuratores*, 559. A
---- *horum Officium*, 564. A. B
--- *Signatores*, 562. E. F
--- *Suppostores*, 562. F
--- *varii recensentur*, 564. B. C
Monetarii, *eorum ingens multitudo Romæ*, 92. A. C
Μονοκόντια, *quæ arma*, 527. C. D
Monopolium, *quid*, 570. E
Morbi, *eorum unica causa*, 731. D
--- *quæ anni tempestate sunt frequentiores*, 932. B
Morellus, *(Andr.) ejus opinio de nota monetali in Nummis*, 62. F
Mores, *earum regimen penes quem Romæ*, 588. E. F. 589. B
Mortui, *eos collacrymari, vetustissimæ originis*, 761. E. F
--- *ubi immoderatè lugebantur*, 762. D
--- *eos lugere, est actus Religionis*, 779. E
--- *hujus actus exempla*, 782. A. C
--- *eorum vestes quæ*, 783. E
--- *coronati efferebantur*, 784. A
Moscorum *Imper. laus*, 50. E. F
--- *ejus egregium dictum*, 51. A. B
Moses, *ejus baculus cur clavis dictus*, 804. F
Mulæ *apud Tartaros pariunt*, 238. A
Mulieres, *cur potiùs vocatæ ad flendum*, 786. A
--- *sedebant in convivio*, 730. B
--- *illis vinum vetitum*, 732. A
--- *Sapientes, quænam ita dictæ fuerunt*, 762. A. 766. B. F
--- *faciliores ad lacrymas*, 764. E. 786. A
--- *num ipsis datum est jus ingrediundi Senatum*, 1025. F
--- *V.* Feminæ.
Mulsum, *quid*, 711. D. F
--- *ejus etymon*, 712. F
--- *in deliciis à quibus habitum*, 730. C
--- *quando militibus datum*, 731. B
Munera, *quid*, 541. B
Munerationum *Comes*, 541. A
Municipes, *qui ita dicti*, 1062. D. E
--- *& Municipia quomodo differant*, 1063. A
Municipia, *quid*, 1062. F
Munifex, *quis, & undenam sic vocatus fuerit*, 535. B. C
Munifices, *quinam*, 378. C
Munifica *prædia*, *V.* Prædia.
Munificentia Aug. *in Nummis cur*, 208. C. E. *& ss.* 213. D
Murileguli, *qui*, 564. D
--- *cui muneri addicti*, 566. D. E
Musa, *cujus Familiæ Romanæ cognomentum fuit*, 602. D
Musa *Carica, quæ*, 762. B. C
Musea *varia indicantur*, 774. E
Mustum *rutatum quibus datum*, 730. A
Mutationes, *quid*, 539. E
Mutianus, *ejus audax facinus*, 418. C. E
Myron, *quid notat*, 710. B
Myrrha, *quid propriè*, 716. E
--- *stacte*, 707. E. 708. D. F
--- *Memphitica*, 708. E
Myrtus, *eâ corona contexta antiquitus fuere*, 691. C. D
--- *cui sacra*, 691. C. 701. B. E

N.

Nabathæa, *regio, ubi sita*, 129. D. F
Nænia, *quæ Dea, & unde Cæa nuncupata*, 771. A
Næniæ, *quodnam carmen*, 759. A. 771. A
--- *unde sic dictæ*, 771. C
--- *ad tibiam canebantur*, 771. A. 786. B
--- *à quo institutæ*, 771. A
--- *quotuplex erat*, 771. A. B
--- *nugis & ineptiis plenissimæ*, 771. C. E
--- *threni & lessus dictæ*, 772. E. F
--- *per quem ad nutricias cantilenas traductæ*, 772. F
Narcissus, *flos*, 696. E. F
Nardus, *ex eo varia confecta olim fuerunt*, 709. A. F
--- *Celticus*, 711. A. E
Nasus, *antiquitus coronabatur, & quomodo*, 706. F. 719. B. D
Navarchica *pensio*, 546. B
Naucratis, *urbs*, 699. C. F
Naucratites, *corona, quæ*, 699. B. F
--- *unde sic nuncupata*, 700. A
Naves *formâ elephanti*, 96. D
--- *sepulcris olim appositæ*, 919. E
--- *cursoriæ*, 533. D. E
Navicularii, *quibus immunes*, 546. B. C. 571. F. 572. A
Navicularius *Canon*, *V.* Canon.
Navius, *V.* Accius.
Neapolis, *an in ea urbe elephanti exhibiti sunt*, 189. B. C
--- *Gymnasium antiquissimum habuit*, 899. B
--- *quorum olim patrimonium*, 470. D
Nec Nuptiæ, 355. C. D
--- *eorum effectus*, 355. E. F
Negotiatio *venaliciaria, quæ*, 574. C
Negotiator *Artis prossariæ*, 574. E
--- *Familiæ gladiatoriæ*, 574. C. D
Negotiatores, *humanæ vitæ necessarii*, 570. A
--- *Auri lustralis*, 571. A
--- *Frumentarii*, 571. E
--- *Parthicarii*, 573. D
--- *Pelliones*, 573. D
--- *Lintearii*, 573. C. D
--- *Sagarii*, 573. B
--- *Vestiarii*, 573. B
--- *Utensilium*, 572. A. B
--- *Purpurarii*, 574. B. C
Nepenthes *Helenæ quale medicamentum*, 710. F. 711. A. F
Nero, *Imper. sub eo elephanti Populo exhibiti*, 180. E. F
--- *an ille elephantorum curru triumphum egerit*, 250. C

Nerva,

Nerva, *quomodo eum coluit Trajanus*, 227. B.C
Nescania, *urbs, ubi sita*, 857. A.B
Nicanor, *Dux, elephantus cognominatus*, 147. D
Niger *color olim infelix & ominosus*, 234. B
— *luctus indicium*, 768. A
— *apud quos signum lætitiæ*, 768. B
Nobiles, *eorum mos convivandi*, 734. B
— *quinam olim apud Romanos*, 1037. E.F. 1038. D.E
— *unde fiebant tales*, 1038. A.B
Nobilissimatus, *à quo Imperatore introductus fuit*, 301. A
— *quorum Dignitas*, 301. A.B
— *quando in Nummis*, 301. A
Nobilissimus *Imperator*, 301. B
Nomenclatores, *quinam, ipsorumque munus*, 1074. B.C
Nomenculator, *quis*, 445. A
— *eorum Schola*, 445. C
— *eorumdem officia*, 445. D.F
Nomina *sequuntur naturam rei*, 714. E.F
Nomina *propria omissa*, 79. D.F
Nominalia, *quænam solemnia*, 664. E.F. 665. A.C
Nomophylaces, *quinam fuere apud Athenienses*, 1082. D
Notæ, *quid*, 443. D
Notarii, *inter Clarissimos*, 303. D
— *eorum Dignitas*, 516. D.F
— *Tribuni*, 516. B.D
— *Apparitorum*, 518. D.E
— *Illustres*, 318. A
— *Inferiores*, 517. D.E. 520. B.C
— *militantes inter primos*, 516. B.C
— *Principis*, 517. B.C. 519. B.C
— *secretorum Imperatoris*, 477. D. 517. B
Notio, *quid*, 297. B
Notitia *Imperii*, 296. A.C. 429. A
— *an differat à Breviario*, 296. A.B
— *ejus variæ species*, 429. A.B
— *Consuetudinum*, 457. B
— *Magistratuum*, 429. B
— *Præfecti Prat. Africæ*, 429. A
— *Scrinii Epistolarum*, 497. F
—— *Libellorum*, 503. E.F
—— *Memoriæ*, 491. D.E
—— *Largitionum Comitatensium*, 434. A
— *Scriniorum*, 429. B
Numerarius *quis fuerit, ejusque etymum*, 439. B. 489. E.F
— *quot fuerunt*, 506. E
—— *primus*, 439. A.B
—— *munus, quale*, 439. B. 506. D.E
Numeri *Romani hodiernis expressi*, 1189. A.F. 1190. A.B
— *Græcorum*, 1190. C.F
— *Hebræorum*, 1191. A.D
Numerianus, *Imper. ejus Ludi ubi celebrati*, 190. A.F. *&ss.*
— *cur* juvenis Deus *dictus*, 194. C
Numisma, *quot in eo requisita*, 563. A
Nummi, *eorum amissio veris lacrymis fletur*, 785. C
— *varii cum coronis*, 211. C.E
— *variorum descriptiones ex quo Gazophylacio*, 214. C.F. *&ss.*
— *plumblei, & lupini, qui*, 1178. C
— *quadrigati, & bigati, unde sic nuncupati*, 1179. C.D
— *binariæ formæ, qui*, 564. A
— *in ventralem*, 403. F. 404. B.D
— *adulterini*, 48. B.D. 50. A.B. 86. D.E. 135. E.F. 145. E.F. 170. E.F. 205. F
— *Consulares, qui*, 271. E
— *varii Regum Daniæ cum elephantis*, 242. B.C
—— *explicantur*, 62. D.F. 63 A. 74. D. 75. A. D. 83. A.F. 107. A.F. 108. A.C. 110. A. F. 114. A.C. 124. A.F. 126. B.F. 127. B. F. 129. A. 132. A.F. 133. A.D. 161. E.F. 162. A.E. 171. A.E. 203. D. 206. A.B. 213. A.D. 220. A.F. 221. A.F. 223. B.E. 230. B.C. 241. B.C. 255. A.F
—— *emendantur*, 48. A.D. 133. A.D. 146. A.F
— *Africæ*, 121. D.E. 122. A.F. 131. D.F. 133. F. 134. A.B
— *cum capite Alexandri Magni, cujus est*, 49. A.F
—— *ancherâ signatus*, 62. C.F
—— *cum eadem nota an illius*, 63. B.C
—— *alii eo nomine, cujus sint*, 75. B.D
— *Alexandriæ*, 123. E.F. 126. B.C
— *M. Aurelii Anton. cum arcu & elephantorum quadriga*, 223. B.E
— *Marci Antonini*, 36. B.C
— *Antonini Pii*, 206. E.F. 209. A.B. 214. F. 215. A.D
—— *cum quadriga elephantorum*, 229. C.F
— *Apronii Proconf.* 204. D.F
— *Aquiliæ Gentis*, 165. A
— *Atheniensium*, 82. E.F
— *Atiliæ Gentis*, 114. A.B
— *Augusti*, 203. D.F. 204. A
—— *cum biga elephantorum*, 218. C. 220. A.B
—— *cum quadriga*, 218. E.F. 220. E.F
—— *mortui*, 224. A.B
— *Bacchi cum elephanto*, 216. D.F
— *Cæciliæ Gentis*, 117. F. 118. A.F
— *Caligulæ cum elephantorum quadriga*, 221. A.D
— *Caracallæ*, 182. E. 184. A.B. 208. D.E
— *Carausii Aug.* 269. E
— *Catanensium*, 86. D.E
— *Catilinæ*, 203. B.D
— *Chinensium*, 86. B.D
— *Claudiæ Gentis expenditur*, 161. E.F. 162. A.E
— *Claudii Imper.* 225. B.F. 226. A.F
— *Cleopatræ*, 58. C.D
— *Commodi Imp.* 126. E.F. 208. D.E. 209. F. 216. E.F
— *Q. Cornuficii*, 119. F. 120. A
— *Cyrenes*, 123. C
— *Diocletiani Imper.* 127. A.C
— *Diocletiani & Maximiani Imperat.* 254. F. 255. A.F
— *Domitiani cum quadriga elephantorum*, 221. E.F. 222. B
— *Elagabali*, 208. D.E
— *Faustinæ Augustæ*, 214. D.E. 215. B
—— *cum biga elephantorum*, 230. A.C
— *Friderici* III. *Siciliæ Regis*, 88. D.F
— *C. Furnii*, 119. F
— *Gallieni*, 247. F. 248. A
— *Gordiani explicatus*, 253. C.D
— *Hadriani Imper.* 126. B.C
—— *cum quadriga elephantorum*, 222. D.F. 223. A. 229. A.C
—— *in quibus scriptum est*, ADOPTIO, *ab ipsomet confecti*, 396. A.B
— *Jubæ Regis*, 122. F. 123. A. 132. E.F
— *Julii Cæsaris*, 162. F. 163. A.F. 214. E. 215. B
—— *ejusdem cum litteris Punicis*, 166. C.D
—— *varii ejusdem*, 167. D.F. 168. A.F
—— *cum elephantorum quadriga an genuinus*, 170. A.E
—— *ejusdem in Ægypto percussus, an genuinus*, 171. F. 172. A.C
—— *Lolliæ Paulinæ*, 769. D.F

— *Maced*

—— *Macedonum à quo explicati*, 151.F
—— *Macri*, (*Clodii*) 124.B.C
—— *Marcelli*, (*M.*) 135.D.F. 161.F
—— *Marcianæ Augustæ*, 214.F
—— *Marii* (*Caji*) *an elephanto signatus exstiterit*, 145.E.F. 146.A.F
—— *Maxentii*, 272.A.F. 277.B.C
—— *Metelli*, (*C.*) 115.A.B
—— *Metelli*, (*M. Q.F.*) 117.D.F
—— *Metelli Pii*, 118.A.E
—— *exponitur*, 118.F. 119.A.D
—— *Neapolitanorum*, 83.D.F
—— *eorumdem alter an genuinus*, 84.D.F
—— *Neronis*, 133.B.D. 214.C.E
—— *Norbanæ Gentis*, 120.A.C
—— *Pertinacis cum elephantorum quadriga*, 230.D.F
—— *Philippi*, 212.C. 213.A.D. 215.C
—— *Pomponiæ Gentis*, 165.A
—— *Porciæ Gentis an dentur elephanto signati*, 146.D.E
—— *Processus Consulum*, 272.A.F
—— *Ptolemæi*, *cujus disputatur*, 56.A.C
—— *alterius*, 58.E
—— *Pyrrhi*, 106.F. 107.B.C. 110.C.E
—— *Rhodiorum*, 165.A.B
—— *Rudolphi*, *Ducis Sueviæ*, 241.B.F
—— *Saxoniæ Ducis*, 85.D
—— *Seleuci Nicatoris*, 61.B.F. 62.A.F
—— *Severi Imper.* 182.D. 183.A
—— *Thoriæ Gentis*, 165.A
—— *Tiberii*, 204.D.F
—— *Titi*, 205.D.F. 214.D.E
—— *Trajani*, 128.D.F. 132.A.C
—— *cum quadriga elephantorum*, 222.C. 278.E.F
—— *Veri Imper.* 215.C
—— *cum elephantorum quadriga*, 229.F
—— *Voconiæ Gentis*, 165.A
—— *Zabarellæ*, *Cardin.* 86.A.B
Nummi *inediti*,
—— *Africæ*, 133.F. 134.A
—— *Alex.* II. *Syriæ Regis*, 75.B
—— *Antiochi nomine*, *cujus*, 64.D.F
—— *Antiochi* (*Epiph. Dionysi*) 74.D.E
—— *& Scymni*, 82.E.F
—— *Demetrii Poliorc.* 78.B.D
—— *Commodi*, 209.E.F
—— *Hadriani Imper.* 222.F. 223.A
—— *Jul. Cæsaris*, 171.A.E
—— *in India Orient. cum elephanto percussi*, 97.F
—— *ut & in Insulis Summatra & Ceylon*, 98.C.D. 242.C.D
—— *Macedoniæ secundæ*, 150.A.B
—— *Nicæensium*, 28.C.F
—— *Osicerdæ*, 166.E.F
—— *in Sicilia reperti*, 106.E.F
—— *Tarentinorum*, 84.A.B
—— *Tranquillinæ*, *Gordiani Pii Imperat. conjugis*, 212.D.F
Nummularii, *quinam*, *& quale eorum officium*, 563.D
—— *monetæ quales*, 563.E.F
Nummus, *ejus originatio*, 1175.C.E
—— *argenteus*, *à quonam primùm conflatus*, 1179.B
—— *quotuplex hic fuit*, 1179.B.C
—— *aureus quando percussus*, 1181.A
—— *Centenionalis*, 563.F
Nuncii, *in conviviis qui*, 720.A.F
Nundinæ *pro epulis*, 310.C.E
—— *unde dictæ*, 310.D
Nundinalis *coquus*, *quis*, 310.D.E
Nundinum *Consulum*, 310.B.F

A Nuptiæ *justæ*, 356.A
—— *ex Rescripto Principis*, 381.A
Nuptiales *Sportulæ*, 460.D
Nux, *ejus frondes à coronis*, 696.E.F. 697.A

O.

Obeliscus *elephanto impositus*, *& à quo*, 242.E. 243.A.F
—— *versus in ejus memoriam*, 244.A.C
Oblatio, *quid*, 1092.A
—— *ejus obsequium*, 570.F
Obolus, *qualis nummus*, 773.C
B —— *eo ubi conducebantur qui mortuos flerent*, 773.C. 786.D
Observatores, *qui*, 1075.B.C
Obsonator, *quis*, 435.A
Obsonium, *quid*, 435.A
Occabum, *quid*, (862.) C.E
Ὀχῆες, *quid*, *ejusque varii significatus*, 803.A
Ὄχημα, 26.B
Ὄχλος, 80.F
Ὄχος, ὀχητός, *quid*, 540.B.C
Octavius (*Cn.*) *ubinam*, *& à quo occisus fuerit*, 74.B
Occupati *circa Res Principis*, 319.B
C Oculi, *quando ii à Medico inspecti*, 730.F
—— *morientium à quibusnam clausi fuerunt*, 783.B.C
Odor, *anima florum*, 693.F
—— *coronarum quid juvat*, 699.A.B
Odores *in conviviis incensi*, 728.C
Oeci *magni*, 564.D.E
Officiales, *qui*, 531.B.C
Officia, *illorum Principales*, 524.E.F
—— *eorum Capita*, 449.E.F
—— *rationum*, 442.B
Officium, *ejus significationes*, 659.A.D
D —— *etymum*, 660.B
—— *ejus latior significatio*, 296.E.F. 297.A. 298.A. 531.B.C
—— *Magistratus*, 296.E.F
—— *pro Ministris & Apparitoribus interdum sumitur*, 416.D
—— *ejus definitio*, 660.C.D
—— *primum quod*, 661.A.C
—— *barbæ positæ*, 663.A.B
—— *pro apparitione*, 432.C
—— *ejus primates*, 451.A
Οἰκειακοί, *quinam*, 452.E
Οἰκονόμοι τῆς πόλεως, *qui*, 442.C
E Olifant, *tuba quædam*, *à quibus sic denominata*, 246.A.B
Olympiades, *de earum annis*, 699.E.F
Ombitæ, *Populi*, 687.B.C
Omissum medium, *quid*, 347.D
Ὁμολογεῖσθαι, *quid*, 337.C.D
Onager, *quale animal*, 185.E.F
—— *num ab hippotigri differat*, 186.A
—— *an cornua habuerit*, 186.D.E
Onera *glevalia*, *quæ*, 547.E
—— *inexcusabilia*, 533.D
—— *sordida*, 548.A.B
Ὀνοματολόγος, *quis*, 445.A
F Opera *publica*, 441.D
—— *inter ea quæ præcipua*, 442.A
Operarii, *eorum merces olim exigua*, 773.D.E
Operor, *in sacris usus*, 958.A.D
Opis, *quæ Dea*, 888.C.D
Ὀψώνιον, *quid*, 435.A. 457.E
Optio, *an differat ab Armorum Custode*, 528.A
—— *Carceris*, 562.C
—— *Fabricæ*, 528.A
—— *Officinatorum monetæ*, 562.B
—— *Tabellariorum Stationis marmorum*, 562.D

Optiones, *qui, & unde sic appellati*, 404.E. 562.C. 996.C
—— *eorum cura*, 451.C
Oratores *primi Romæ qui*, 1240.B.E
Oratio *Principum, quæ*, 351.C
—— *Claudii Imperatoris de supplendo Senatu*, 351.E.F
—— *ista in ærea Tabula incisa*, 352.A.F
—— *Severi*, 356.D.F
—— *Tiberii*, 351.E
—— *Neronis ubi ex S.C. conscripta*, 355.A
—— *Commodi, quæ*, 355.B
—— *funebris species quæ*, 759.A
Orationes, *eas quomodo incboabant Veteres*, 759.A.B
Orationes *Principum per quos recitatæ fuere*, 354.E.F
Ordo, *ejus significatio*, (862.) A.B
—— *Elephantinus*, *V.* Elephantinus.
—— *florentissimus, quis*, 299.E
—— *servatus, quid*, 463.C.D
—— *Senatorius, qui ab Equestri distinctus*, 974.F. 975.A
Ordinaria *dignitas*, 305.C
Ornamenta *Consularia, quæ*, 420.E.F
Orpheus, *malè pingitur cantu suo elephantos allicere*, 36.B.C
Orynges, *quænam animalia*, 185.A.C
Osculum, *eo excipiebantur spiritus morientium*, 782.F. 783.A.C
Ova *initio cœnæ apposita*, 730.C
Ovidius, *quot cecinit carmina de suo exsilio, tot flevit*, 761.C
Ὀξυγράφοι, *qui*, 443.B. 509.E
Oxyblatta, *quæ purpura*, 566.E

P.

PActyica, *regio, ubi*, 39.B
Padus, *fluvius, ejus alluvio immensa, quando*, 755.A
Pædagogia, *quid*, 597.E
—— *Principis, quæ*, 598.C
—— *num pueri vel adulti juvenes*, 598.D.F
Pagodus *elephanti ubi*, 98.B.C
Palæstra, *ejus auctor quis*, 928.C.D
—— *qualis locus*, 899.A
—— *ejus duplex versura*, 904.D
—— *Porticus duas habuit*, 906.B.E
Palæstritæ, *V.* Athletæ.
Palatini, *qui*, 576.A.C
—— *eorum nomen*, 576.A
—— *Officia*, 576.E.F. 577.A.B
—— *Privilegia*, 577.C.D
—— *inter Consulares allecti*, 315.E
—— *ex iis qui præferuntur*, 317.C
Palemon, *V.* Portumnus.
Παλινδικία, 349.A.B
Palla, *quæ vestis*, 768.A
—— *quænam eà utebantur*, 767.F
—— *funebris cujus coloris*, 768.A.B
Pancratium, *quod certamen*, 461.D
Pandora, *prima coronata fuit*, 679.B
—— *an semper malorum dispensatrix*, 679.D
—— *votum illi solutum*, 679.D.E
—— *num Dea fuerit*, 679.E
Πανηγύρεις, *quæ Nundinæ*, 311.C
Panis, *ejus species diversæ*, 734.C
—— *an olim cultro scindebatur*, 741.D.E
—— *gradilis, qualis*, 435.C
Pannicularia, *quid*, 403.E.F. 404.A.C
Pantheum, *quis Papa eum transtulit in templum omnium Sanctorum*, (842.) A
Papyrius *Prætextatus, de eo lepida historia*, 1026.A.D
Papyrus, *num ex ea coronæ antiquitus conficerentur*, 700.B.F
—— *alia ex eadem fiebant*, 700.C.D
Παραγγέλματα, *quæ mandata*, 364.F
Παραμήρια, *qualia arma*, 527.C.D
Parangaria, *quid*, 533.B.C
Παράστασις, *quid*, 540.E
Paraveredi, *quinam equi*, 533.B
Πάρεδρος, *quis*, 464.D
Παροχή, *quid*, 579.C
Parochus *publicus, quis*, 579.C
Πάροδος, *qualis locus*, 540.D
Parthi *quandonam elephantis usi sint in præliis*, 256.F
Passioneus, *(Domin.) ejus encomium*, 88.F
Pater patratus, *quis*, 1110.B.C
Pateræ, *quomodo antiquitus circumlatæ fuerunt*, 729.A
Patres, *quinam ita appellati*, 951.D. 973.E. 1010.F. 1065.F
—— *Conscripti, quales*, 951.D. 972.F. 1011.A
—— *eorum censum quis auxit*, 951.D.E
Patres *Civitatum, qui*, 490.A.B
Patricia *sedes, quæ*, 469.A.D
Patriciatus, *quænam dignitas*, 308.A. 468.E
—— *ejus honor*, 308.B
—— *Imperatori delata*, 388.A.B
Patricii, *qui sic nuncupati*, 308.A. 951.D. 973.E.F. 975.B.C. 1011.A. 1065.F. 1071.B. 1105.D
—— *quinam propriè fuerunt*, 1014.B.C
—— *Consulares omnes præcedebant*, 308.D. 468.E.F
—— *quid tractabant*, 470.B.C
—— *è Plebe*, 1015.A
—— *per adoptionem quandonam facti fuerunt*, 1016.B.C
—— *degeneres qui*, 1016.E.F
—— *ubinam habitarint*, 1017.E.F
—— *non omnibus Curia patebat*, 1020.A
—— *ii soli antiquitus Nobiles*, 1034.E.F
—— *eorum numerus variè à variis auctus*, 1014.F. 1015.A.F
—— *præsentales*, 468.D
—— *Italiæ*, 469.B. 470.A.D
—— *Occidentis*, 469.B.E
—— *Provinciæ*, 471.E.F
—— *super Illustres*, 308.A.B
—— *eorum varii ordines*, 308.A.C. 468.A.D
—— *à quibus electi*, 308.A. 468.A
—— *illorum tertius ordo*, 468.F. 469.A.D
Patrimoniales, *eorum conditio*, 588.C.D
Patrimonii *Cæsaris Procurator*, 587.C
—— *privati Ordinator*, 587.B
—— *rationis Procurator*, 587.B
—— *Tabularius*, 587.C
Patrimonium, *propriè quid*, 586.E.F
—— *ejus onus*, 578.C.D
—— *Principis*, 586.D
—— *quotuplex*, 586.D.E
—— *illud publicare*, 588.C
Patris Patriæ *nomen, cuinam primo decretum fuit*, 387.B
Patroni, *qui*, 1011.A. 1106.C.D
—— *eorum munus*, 1011.F
—— *quosnam sibi adoptabant exteræ Nationes*, 1011.F
—— *litium & causarum quomodo differant*, 487.A.C
—— *fisci unde sumebantur, eorumque privilegia*, 490.B
Patronus *fiscalium commodorum*, 483.A
Paulus, *(D. Apostolus) non tapetium, sed tabernaculorum confector*, 240.F

Pecu-

Pecunia, *quid antiquitus*, 1175. B. C
——— *ejus origo & usus apud Romanos*, 1175. B. E
——— *prima quænam apud eosdem fuerit*, 1176. B. E
——— *num plumbeam iidem habuerint*, 1178. B. C
——— *argentea, quando, & à quo signata*, 1179. A. B
——— *aurea*, 1180. E. F
——— *pretium majus antiquum supputatur*, 1182. A. E
——— *minus*, 1182. E. F. 1183. A. C
——— *tacita, quæ*, 579. F
Pedes, *in conviviis olim coronabantur*, 718. D. 719. A. B
——— *& ungebantur*, 733. B
——— *quando lavabant Antiqui*, 730. D
——— *iis nudatis cœnabant Antiqui*, 731. B
Pelagonia, *an urbs, vel Regio*, 151. B. D
Pendere, *in ædificiis, quid*, 918. A. B
Pensitatio, *ejus onera quæ*, 499. C
——— *auri*, 570. F
Pentagonum *cum voce* Sanitatis, *cujus Symbolum*, 65. A. F
——— *illustratur cum aliis*, 66. A. F. 67. A. &ss.
——— *an illa nota in Nummo Philippi, Alex. M. patris*, 68. B. F
Pentaprotia, *quid*, 578. A. B
Πεντάπρωτοι, *qui*, 578. B
Πεπραγμένα, *quæ Gesta*, 377. A
Peræquatores, *qui*, 589. D. E
Perdiccas *num in præliis usus fuerit elephantis*, 52. A. B
Perfectissimi, *quinam hoc titulo gaudebant*, 301. B. C
Περίπολοι, *qui*, 436. E
Peristylium, *quid*, 899. D. F
——— *ejus ambitus*, 907. D
Persæ, *eorum mos inter pocula*, 729. B
——— *illorum cœnæ lautæ*, 730. A
——— *in luctu mortuorum quid agere solebant*, 786. D
——— *cameli in eorum exercitu*, 35. E. F
——— *an cum Indis bellarint*, 36. D. E
——— *quando elephantis pugnarunt*, 43. A. E. 257. A. D
——— *iisdem belluis in variis præliis usi*, 259. A. F. 260. A. B
Perseus, *Maced. Rex, quomodo equos suos adsuefacere elephantis conatus est*, 148. B. D
Personæ *speciosæ, quæ*, 300. A
Pertinere *quid notat*, 575. A
Pessulus, *quid, ejusque usus apud Veteres qualis*, 829. C. F
Phalaris, *an Auctor Epistolarum, quæ ipsius nomine habentur*, 109. A. B
Pharmuthus, *mensis*, 374. B. C
Philicum, φιλικὸν, *quid*, 546. C
Philippi, *Poëtæ Gr. Carmen expositum*, 218. F. 219. A. D
——— *urbs, cujus Partis Macedoniæ metropolis*, 150. D. E
——— *à quo hanc dignitatem acceperit*, 150. F
Philippus, *Imperator, elephantos Populo exhibuit*, 213. D
Philomela, *an Ovidius ejus Auctor*, 22. A
Φιλοπράγμονες, *qui*, 440. E
Phœnices, *ob quid Cernem - Insulam petebant*, 93. B
Φόλλεις, *qualis nummus*, 547. E. F
Φρυρολ. τῦ σώματος, *qui*, 452. E. 453. A
Phryges, *barbari dicti, & Phrygia barbaria*, 568. B
A Phrygiones, *quinam ita dicti fuere*, 525. A. B. 568. B
Pictores *perstringuntur*, 36. B. C. 44. B. 110. C
Pilatus, *ejus nefanda crimina*, 616. B. C
Pinarii, *V.* Potitii.
Pincernæ, *eorum munus*, 736. A
Pinus, *arbor, quonam deferebatur quotannis*, (859.) D
--- *& qua de causa*, (860) D. E
Pisces, *eorum cura major ubi*, 734. B. C
Pistores *quando Romæ*, 730. B
Pittacia *authentica, quæ*, 442. B
Placere, *quid notat*, 334. D. F. 335. A. B
B Placita, *quæ*, 344. D
Plaga, *quid*, 422. E
Planctus, *supremis tabulis cautus*, 778. B
--- *nimius vetitus*, 778. C. F
--- *V.* Portumnus.
Plandisteria, *quid*, 774. D
Planidera, *quidnam notat hæc vox Hispanica*, 774. D
Plantæ, *earum nomina in* us *masculina*, 701. E. F
Plebeji, *qui*, 1018. A. 1020. B
--- *quid illis commissum fuerit à Romulo*, 1013. C. D
C --- *eorum potestas*, 1018. B. C. 1034. C. F
--- *eorumdem misera conditio*, 1033. E. F. 1034. A. B
--- *ad eos sedandos cautela*, 1034. B. C
--- *quando Magistratus & sacerdotia adepti sunt*, 1035. B. F
--- *quando hæc omnia amiserunt*, 1037. B. C
--- *Nobiles quomodo facti*, 1037. E. F
Plectæ *quomodo in luctu*, 769. F
--- *à quibusdam tonsæ fuerunt, ab aliis verò non*, 769. A. B
Πλινθὶς, Πλίνθιον, *quid*, 515. F
D Plumbatæ, *quæ, & unde dictæ*, 522. C. D
--- *earum verbera*, 546. F. 547. A. B
Pocillatores, *qui*, 729. E. 736. A
Pocula *instar elephantorum apud quosnam fuere*, 96. C
--- *diversa recensentur*, 688. B. F. 730. E. 734. E
--- *olim coronata*, 721. A. F. 724. A. C
--- *quando invertebantur*, 727. C
--- *quot in cœna*, 727. E
--- *antiquitus ex quanam materia*, 728. B
--- *in mensa olim apponi solita*, 732. B
--- *chrysendeta, quæ*, 734. D
--- *vitrea quando excogitata*, 734. E
E Poculum *boni Dæmonis, quod sic vocabant Veteres*, 728. A
Poëtæ *laureati*, 695. F
--- *nomina illustrium quorumdam recensentur*, 165. C. D
Πῶλοι, *quid*, 533. B
Πολυπράγμων, *quis*, 415. C
Polycharmus, *unde oriundus*, 699. C. E
Polysperchon, *in exercitu contra quem elephantos habuit*, 53. C
--- *eorum vim quisnam inutilem fecerit*, 53. D. E. 54. A
Polydamna, *cujus uxor*, 711. B. F
F Pompejus, (*Magn.*) *an primus quadrigis elephantorum triumphaverit*, 159. A. F. 250. A. B. 278. B
--- *eosdem in Ludis Circensibus exhibuit*, 174. F. 175. A
--- *quo die Ludorum iidem exhibiti fuerunt*, 176. E
--- *primus cum elephantis commisit homines*, 175. B. F
--- *an elephanti illi & homines simul occisi*, 176. A. D
--- *ejus lepidum responsum*, 1033. A

I N D E X

Pontifex, ejus etymum, 1110.A.B
--- Maximus, quis, 955.A
--- ejus officium, ac auctoritas, 1110.A
--- ejus nomen Imperatoribus Christianis datum, 384.F
Pontificatus Codicillares, 511.D
Pontificium litterati honoris, 465.F
Poplifugium, unde dictum, 876.C.E
Πορνὸς, quid, 461.F
Porta Salutis Romæ unde sic appellata fuerit, 878.F
Porticus porphyretica, quæ, 376.C.D
Portorium, quale vectigal, 1206.E.F
Portumnus, qualis Deus, 882.F. 883.A
--- aliàs Palemon dictus, 883.A.B
--- ejus festa quando celebrata, 882.F
--- planctus in ejusdem sacrificiis, quid denotant, 883.C
Portus Planus, quæ urbs, 857.D
Porus, ejus elephas, 44.D.F
--- quot elephantos habuit in prælio contra M. Alexandrum, 44.C.D
--- quis alios elephantos ei abstulit, 45.A.B
Possidonius, quando vixit, 682.A.E
Postulare, quid, 297.B
Potationes cui dicandæ, 727.E
Potestas, quid, 298.C
--- an differt ab Imperio, 298.C.D
Potestates, qui ita dicti, 298.C.D
Potitii & Pinarii, cujusnam Sacerdotes fuerunt, 955.D
--- cujus hospites, & cujus sacra curarunt, 1111.A
Præbibitiones, 687.A.E
Prædia munifica, quæ, 535.C
--- stipendiaria & tributaria, qualia sic dicta, 551.B
Præfatio funebris, quænam, 759.A
--- & precatio, 393.D.E
Præfecti varii Romæ, 1076.F
--- in militia itidem varii, 1077.B.F
--- Castrorum, & illorum munus, 1109.F
--- Cohortium, 1109.E
--- fundis, qui, eorumque functio, 1109.C
--- Juri dicundo, 306.B.C
--- Legionis, 1109.E
--- Prætorio, qui, 1108.B
--- illorum munia, quænam, 1077.F. 1078.A. 1108.C
--- à quibus electi, 1108.C
--- quot, & qui erant in Imperio Occidentali, 1204.F
--- ipsorum varii tituli, 409.D.E
--- eorum dignitas, 300.D.F. 409.D.F. 410.F. 411.A
--- illa varia, 300.E.F
--- potestas, 409.B.C. 411.B. 412.B.F
--- duo quando primùm instituti, 417.A.F
--- à quo quatuor creati, 419.B
--- eorum missio, 422.A.C
--- parentes Principum, 410.A.B
--- Senatores facti, 420.D.F
--- Provinciæ, quinam, 302.D
--- hi & Præpositi appellati, 305.C
--- quis tres introduxit, 422.A.B
--- Rationum, 557.E
--- Vrbi, eorum origo, & Officia, 990.E.F. 1109.D
--- qui à Græcis nominati, 990.C
--- quando duo Romæ fuerunt, 991.A.B
--- quis primùm unum elegit, 1109.E
Præfectiani, qui, 416.C
Præfectoria dignitas quotuplex, 455.D
Præfectura triplex, quæ, 427.D.F
--- Annonæ Africæ, 424.B
--- Apparitionis, 432.D
--- morum, 388.B.D
Præfecturæ, quæ, 1078.A.C
--- Prætoriæ duæ ab uno administratæ fuerunt, 410.D
Præfectus, quid notat, 758.C. 1076.E.F
--- pro quovis Rectore Provinciæ, 426.C
--- Africæ, 424.B
--- quis primus fuit, 428.D
--- ejus Notitia, 429.B.F
--- ejusdem emolumenta, 431.C
--- quot Scrinia habebat, 438.F
--- illius sedes, 454.D
--- alarum, 1109.E
--- annonæ, quis, 1034.C
--- quando primùm constitutus, 1077.A
--- quis primus, 991.B
--- ipsius Officium quale fuerit, 954.A. 991.B.C. 1109.C
--- Apparitionis Præfecturæ, 432.D
--- Augustalis, 306.F
--- Aulæ Trajani, 409.C
--- Castrorum, 1077.C
--- Fabrorum, 1077.D
--- Feriarum Latinarum, V. Feriæ.
--- fundorum patrimonialium, 424.B
--- Galliarum, 422.D.
--- quæ Provinciæ ipsi parebant, 424.C.D
--- ejus sedes, 454.E.
--- Hispaniarum, num fuerit, 426.C.D. 427.C
--- Italiæ, 300.D.E. 422.D
--- ejus sedes, 454.E
--- Illyrici, 422.D. 423.B.C
--- ejus sedes, 454.E
--- Largitionum, 545.A
--- Legionis, 1077.B.C
--- Occidentis, quis, 419.D
--- Orientis, 300.E. 422.D
--- ejus sedes, 454.D
--- Orientis & Illyrici, 423.B
--- Prætorio, quis, & unde dictus, 409.A.B. 1077.D.F
--- ejus auctoritas, 412.B.C. 1078.A
--- à quo institutus, 407.D. 412.A.B
--- ejus insignia, quæ, 456.B.F. & ss.
--- uni duæ Præfecturæ commissæ, 410.D
--- ipsi datus Collega, 414.B.C
--- illius sedes, 455.A
--- ejus officia per Italiam, 432.A.F. 452.A.B. 459.C.F. 954.B
--- ei Princeps assurgebat, 410.F. 411.A
--- cognoscebat de annonis & tributis, 415.D.E
--- ut & de appellationibus, 414.A.B
--- Principes faciebat, 411.A
--- ab illo non appellabatur, 349.C. 413.A. 954.B
--- suam sententiam retractare poterat, 349.E
--- à quo Cognitor factus, 341.B.D
--- Principis vices agebat, 412.C
--- quod jus habuit in multa dicenda, 415.E
--- Prætoriorum, 428.C
--- Prætorum, 409.B
--- Vigilum, istum quis instituit, 954.A
--- ejusdem munia, quæ, 954.B. 1077.A.B. 1109.B.C
--- dignitas, quæ, 988.A
--- Spectabilis dictus, 301.D
--- Vrbi, quis, 990.C.D
--- ejus munia, 953.E.F. 954.A. 990.E.F. 1205.A.B
--- ejus potestas erat perpetua, 990.E
--- quis eum creavit, 1205.A
--- à quo Præcelsæ Sinceritatis titulo honoratus, 1213.E.F
--- ejus insignia, 456.C
--- Judex sacrarum Cognitionum, 339.B.C
--- an Cæsaris Cognitiones cognoscebat, 340.A

— cui

—— *cur is constitueretur Feriarum Latinarum causâ*, 1124. B. F. 1125. A
Præficæ, *quænam*, 758. B. 784. E. F
—— *ob quid introductæ*, 784. E
—— *unde ita nuncupatæ fuerunt*, 758. C. 759. A. B
—— *defunctos laudabant*, 759. C
—— *& quandiu*, 763. C
—— *ipsarum officium*, 763. A. 764. D. F. 785. A. B
—— *earum varia nomina*, 759. C
—— *quî à Funeris differunt*, 759. D
—— *earumdem origo*, 761. E. F
—— *quomodo vocatæ ab Hebræis*, 762. A
—— *ipsarum usus & antiquitas apud Romanos*, 762. B. 763. B. C
—— *unde ortum duxerunt*, 762. B. C
—— *quis eas in Psaltrias convertit*, 762. F
—— *principes planctus*, 763. A. B. 785. A. B
—— *illarum nulla mentio in antiquis Inscriptionibus*, 763. D. E
—— *servilis generis erant*, 763. E. F. 764. B
—— *quibus aggregatæ*, 763. E
—— *ipsarum locus in funere*, 765. B. C
—— *modus flendi*, 764. E. F
—— *quandiu ululabant*, 765. D. E
—— *in domo defuncti epulabantur*, 765. F
—— *citò ad lacrimas redibant*, 766. A
—— *erant ut plurimùm vetulæ*, 766. B
—— *quot olim fuerunt in funere*, 766. D. F. 767. A. C
—— *num earum Collegium Romæ*, 766. D. E
—— *cur Sapientes nuncupatæ fuerunt*, 766. F. 767. A
—— *qua de causa conventus haberent*, 767. B. C
—— *quomodo in funere incedebant*, 767. F
—— *earum ars non tota erat in lacrymis*, 770. F
—— *qua Nenia ab ipsis canebatur*, 771. B
—— *num mercede conductæ fuerunt*, 773. C. 786. A
—— *vespillonum naturam sequebantur*, 763. E. 773. D
—— *an earum officium per viros suppleretur*, 775. E. F
—— *manibus vacuis procedebant*, 775. C
—— *ubi earum usus hodie perdurat, nec evelli potuit*, 777. A. F
—— *num is usus in Ecclesia nunc sit tolerandus*, 778. C. F
—— *de iisdem moralia quædam*, 779. E. F. 780. A. D
Præfiscine, *seu* Præfiscini, *quænam vox*, 757. B. C
Præfurnium, *quid*, 903. F
Prægustator, *ejus munus*, 599. B. D
Prægustatores, *qui*, 730. C
—— *V.* Servi.
Prælucentes *Servi*, *V.* Servi.
Præpositi *Bastagarum, quinam, & quot fuerunt*, 568. F
—— *horum munus*, 569. A. E
—— *laborum*, 315. F
—— *Largitionum Romanarum*, 569. B. C
—— *thesaurorum*, 544. F. 545. B. 558. C. E
Præpositus, *nomen generale*, 569. E
—— *ab argento potorio*, 544. E
—— *auri escarii*, 544. D
—— *à crystallinis*, 597. C
—— *Cubiculi*, 592. B. F
——— *quod jus habuit in Cappadocia*, 591. A
——— *illius dignitas*, 592. C. E
——— *Jurisdictio*, 593. C. D
—— *Cursorum*, 445. A
—— *Palatii*, 593. D
Prærogativa *militiæ, quæ*, 313. F
A Prærogativarii, *qui*, 453. B. C
Præsentales, *quinam ita appellati*, 419. E. F. 420. A. B
Præses, *ejus nomen generale*, 301. E. F
—— *Magistratus Magistratuum*, 302. D. E
Præstatio *auraria*, 571. A
Prætenturæ, *quæ tentoria*, 540. A
Prætexta *Toga quorum fuit Romæ*, 972. B. 1130. D. E
—— *gestamen Magistratuum dicta*, 972. C
Prætor *quis, & unde ita nominatus*, 981. E. 1078. D. 1117. B. C
—— *initio unus tantùm urbanus creatus, & quando*,
B 950. A. 981. E. F. 1078. E. 1079. C. 1107. E
—— *in quibus causis occupatus*, 632. A
—— *ejus nomen*, 409. A. B
—— *peregrinus, ejusque munus*, 950. B. 981. F. 1058. E. F. 1107. F
—— *quot Fasces & Lictores habebat*, 971. F. 982. D. 1079. B. 1119. B. C
—— *ejus dignitas permagna*, 982. E
—— *quis primus fuit*, 1079. B. 1107. F
—— *an manumittere poterat*, 1120. A. B
—— *cur in singulis causis non jurabat*, 1166. C
Prætores, *unde appellati*, 1119. A
C —— *ob quid primùm creati*, 1073. D
—— *eorum officium*, 982. A. C
—— *eorumdem insignia*, 982. C. D. 1079. B. 1118. C. 1119. B. C. 1128. C
—— *quo die Magistratum inibant*, 1079. C
—— *cur Græcis dicti sunt ἐξαπελέκεις*, 1119. C. D
—— *num candida veste induti*, 1130. D
—— *quot antiquitus fuerunt*, 950. A. 982. A. 1120. D
—— *Quæstores sub se habebant*, 950. B
—— *quinam Provinciales denominati fuerunt*, 982. A. 1108. A
—— *Collegæ Consulum ob quid dicti*, 1117. A
—— *quis eorum numerum auxit*, 399. C
D Prætoriana *Advocatio quot Togatorum numero concluditur*, 487. E
Prætoriani *homines, qui*, 446. F
Prætorium, 409. B
Prætura *ob quid Magistratus livissimus dicatur*, 982. D
Prævaricator, *quis*, 487. B
Πραγματεία, *quid*, 360. D. 510. D
Πραγματευτὴς, *quis*, 556. E. 574. F
Pragmatica *Jussio, seu Sanctio, quænam fuerit*, 360. D. F
Pragmaticarii, *qui*, 510. C
E Πραγματικοὶ, *quinam*, 510. D
Prandium, *ejus hora*, 727. A. 732. F
Precatio, *V.* Præfatio.
Preces *in cœna*, 730. E
Pretium *pro frumento*, 430. D
Primates *Officii*, 449. E
—— *Scriniorum*, 509. E. F
—— *Civitatum*, 578. C
—— *Comitianæ Cohortis quot*, 591. C
Primicerii, *varii*, 515. B. D
—— *multorum Officiorum*, 515. C
—— *Scholarum*, 443. A
F —— *Scriniorum*, 313. A
Primicerius, *quis*, 473. D. E
— *unde dictus*, 514. E. F
— *Adjutorum*, 451. A. B
— *Cenariorum*, 515. D
— *Fabricensium*, 515. C. D. 528. C
— *Mensorum*, 531. A
— *Notariorum*, 514. A
—— *istius dignitas*, 515. A. B
— *quando fit Magister Officiorum Vacans*, 313. B
— *totius Officii*, 578. E. 585. D

— *Officii privatarum*, 316. A
— *Lampadariorum*, 531. A
— *Vicariis anteponitur*, 317. B
Primitiæ *fructuum cui oblatæ fuerunt à Veteribus*, 928. A
Princeps *Maximus*, 369. D. E
--- *in quo potissimum consistunt ejus Majestas, amplitudo, &c.* 324. C. D
--- *Juri communi obstrictus*, 359. D. E
--- *quando legibus solutus*, 358. F
--- *ipse est lex*, 296. D. 359. C
--- *solus legum interpres*, 371. A
--- *ad ejus cognitionem quænam non admittuntur*, 329. B
--- *ipsius primum officium*, 324. D. E
--- *an sit Magistratus*, 325. F. 326. A
--- *ipsum alioqui non licuit privatis nisi per libellos*, 369. A
--- *ejus personam sustinere, quid*, 339. E
--- *Cardinalis*, 473. F
--- *Magisterianorum*, 525. E
--- *numerarius*, 439. D
--- *Senatus, quis*, 394. F. 421. C. F
--- *ejus nomen in multis officiis usurpatur*, 433. B. C
--- *Officii quis fuerit*, 433. B. C. 449. D. E. 473. D. F. 474. C
--- *sententia, qua*, 349. C. D
Principes, *eorum differentia*, 473. E. F
--- *Agentium in rebus*, 433. B. 449. D. E
--- *à quonam matricula eorum confecta fuit*, 523. C
--- *ex quorum numero fuerunt*, 525. A
--- *horum dignitas & auctoritas*, 525. E. F
--- *hi quid speciale habuerunt*, 450. A. B
--- *Imperatoris nomen perpetuum retinuerunt*, 384. A. C
--- *omnibus Sacerdotiis inaugurati fuerunt*, 384. D. F
--- *eorum Tribunitia potestas*, 385. A. C
--- *Patres Patriæ dicti*, 387. B. F
--- *illorum Proconsulare Imperium*, 390. E. F
--- *ipsis delatum Jus Relationis*, 391. C. E
--- *Officiorum*, 473. D. F
--- *Scholarum*, 524. E
Privatiani, *qui*, 576. C. 585. E
Προαπεσαλμένον, *quid*, 458. B
Προασπισαὶ, *quinam*, 452. E
Probæ *nomine*, 431. D
Probatoriæ *litteræ, qua*, 491. D
--- *rerum privatarum, &c.* 493. E
Probus, *Imper. an in Ludis habuerit elephantos*, 188. F
--- *Baphiis præpositus*, 566. F
Procedendum significavit, *quid*, 332. E
Procedere, *quid*, 461. A
Processio, *quid*, 460. F
Processus *Consulum Roman.* 255. E. F. 256. A. 271. B. F. 273. E. F. 274. A. C
--- *eorum Nummus*, 272. A. F
--- *quot erant, & ubinam fiebant*, 461. A. F. *&ss.* 1140. E
Προχειροφόρος, *quis*, 510. B
Proci, *antiquitus coronati*, 714. D. F
Proconsul, *ejus appellatio qua*, 301. E
--- *quem Advocatorum numerum habuerit*, 488. A
--- *quot Apparitores seu Officia secum habuit*, 432. E
--- *nullus Princeps vocatus*, 390. E. F. 391. F
--- *Cappadociæ à quo creatus*, 592. A
--- *quot Fasces habebat*, 971. F
Proconsulare *Imperium*, *V.* Imperium.
Proconsularis *Provincia*, *V.* Provincia.
Proconsules, *quinam sic dicti*, 383. D. 991. E. 1093. F
--- *quot, & qui Imperatores fuerint*, 390. F. 391. A
--- *eorum munia*, 952. E. 1094. B. D
--- *quot Fasces habuerint*, 991. F
--- *quando primum creati*, 1093. F
--- *quæ illorum insignia*, 1094. A
--- *potestas*, 1094. A. B
--- *an sella Curuli vecti*, 1127. B. C
PROCOS. *quid notat in antiquis Inscriptionibus*, 391. F
Procuratio *amplissima, qua*, 610. E
--- *Cæsaris, Equestris nobilitas*, 611. A
--- *Urbis Romæ amplior Urbicâ*, 557. F
Procurator *Cæsaris, quis*, 1109. F
--- *à quo* malum necessarium *dictus fuerit*, 618. F
--- *à Commentariis*, 621. C. D
--- *dominicæ Domus, quisnam eum instituerit*, 583. C
--- *vices Præsidis agens*, 615. A. F
--- *qui Provinciam obtinet*, 557. B. 614. E
--- *Canonum ab Epistolis*, 499. B. C
--- *Cæsaris, Imperatoris, Principis*, 554. B. C. 610. B
--- *illius Jurisdictio*, 612. A. F. 613. A. F
--- *Domus Augustæ*, 582. B. 620. F
--- *ab Ephemeride*, 621. A. B
--- *Ludi familiæ Gladiatorum*, 621. E. F
--- *Ludorum*, 621. D. E
--- *Minuciæ*, 622. A. B
--- *quid à Cognitore differt*, 338. D. E
--- *rei privatæ*, 585. C. D
--- *patrimonii*, 587. A
--- *stationis hereditatium*, 620. A. B
--- *Saltuum*, 554. D
--- *summæ rei*, 554. B. 556. E. F. 557. B. D
--- *summi choragii*, 622. B. C
--- *Tibicinum*, 622. D. E
--- *Urbicus*, 350. C. D
--- *Vicesimæ*, 619. A. F
--- *Prolegatus*, 615. B. C
Procuratores *rei privatæ*, 555. G
— *Ærarii minoris*, 556. D
— *ab Epistolis*, 498. E. F. 499. A. C
— *Fisci cum quibus unà judicabant, & in quibus*, 617. A
— *iis varia indita nomina*, 554. B
— *Cæsaris rapacitas*, 614. B. C
— *duo in una Provincia impositi*, 616. E
— *Gynæciorum*, 564. C. D
— *Judææ*, 615. F. 616. A. F
— *à Rationibus*, 553. C
— *Rationales Monetarum*, 559. B
— *Thesaurorum*, 554. B
Professio *agrorum*, 546. B
Profiteri, *quid*, 518. B
Προγεγραμμένοι τῶν ἄλλων, *qui*, 473. D
Proletarii, *quinam*, 1059. D. E
— *undenam ità denominati fuerunt*, 1059. F. 1060. A
Prolusorium *Judicium*, *V.* Judicium.
Promagister *hereditatium*, 620. B. C
— *Libellorum*, 373. A
— *Scriniorum*, 507. A. B
Promercales *res, qua*, 552. B. C
Prometheus, *an coronas primus instituerit*, 680. A. B
Pronuntiare *in judiciis, quando*, 335. B
— *de Consilii sententia*, 336. E
Propnigeum, *quid*, 903. F
Propræfectus, *quis*, 410. C. D. 455. D
Proprætor *quot Fasces habebat*, 971. F
Proprætores, *qui*, 950. C. 991. E
— *eorum potestas*, 1120. G
Propinationes, 687. A

Προ-

Προσκεφάλαια στρώματα, *quanam ornamenta*, 572. D.E
Προσηγορία, *quid*, 586. C
Protectores, *qui*, 452. A
— *eorum munus*, 453. A.B
— *illi varii*, 528. C
— *Cursus publici*, 535. B.C
— *Ducenarii*, *qui*, 453. D.F. 528. D.E
Πρωτοστασία, *quid*, 578. B
Πρωτοστάτης, *quis*, 449. D
Πρωτότυπος, *quis*, 578. B
Prototypia, *quid*, 578. B
PROVERBIA,
— *Clave findere ligna*, 805. A
— *Apio opus est*, 689. F
— *Ad fructus*, 688. C.F
— *Censoria severitas*, 1087. F
— *varia de elephantis*, 245. D.F. 246. A
— *Iratis Vortumnis nati*, 882. B
— *Barba Reorum*, 631. B
— *Mors in olla*, 726. D.E
— *Cibus sine sale*, 733. D
— *Incipiamus ab ovo*, 730. C
— *Præficarum more*, 780. A
— *Securi fores operire*, 805. A
Provincia *Proconsularis*, *quanam fuerit*, 424. C. 428. E
Provinciæ, *quæ dicantur*, 304. A.B
— *earum Judices*, 305. B.C
— *earumdem Rectores*, *cujus ordinis Comites*, 407. B
— *quomodo eas divisit Augustus*, 397. E.F
Provocationes, *à quibus fiebant*, 333. B.D
Proximatus *dignitas annua est*, 509. A
Proximi *Rationalium*, 555. F
— *Scriniorum*, 505. A.B. 507. A
Proximus *Admissionum*, 508. C. 526. B.E
— *ab Epistolis*, 508. B
— *Tabularum rationis patrimonii*, 587. B.C
Psaltriæ, *quæ mulieres*, 760. F
— *num loco Præficarum substitutæ sint*, 760. F. 761. A
Ptolemais, *urbs*, *cur* Epitheras *appellata fuit*, 55. B.C
Ptolemæus (Philad.) primus venationem elephantorum instituit, 54. F
— *in pompa qui Bacchum transduxit*, 56. C
— *(Philomet.) adversùs quem elephantis usus*, 58. A.C
— *(Philop.) elephantos possedit*, 56. D
— *& quot*, 57. F
— *iisdem Judæos occidere voluit*, 56. E.F
Publicani, *qui ita appellati*, 951. C. 1031. F. 1032. C
Pueri, *eos ante comestionem fatigandos esse quis jussit*, 733. E
— *nobiles*, *qui*, 309. B.C
Puerperia, *quinam ea lugent*, 784. C
Pulveraticum, *quid*, 404. D.E
Pulvinaria, *quæ sacra*, 884. B.C
Punctum *cur pro suffragio sumatur*, 483. C
Puncturæ *puncta*, *quid*, 529. A
Purpura, *ejus nundinæ prohibitæ*, 566. B
— *ejus appellatio*, 567. B
— *Phœnices*, 566. C
— *Probiana*, 566. F
Purpuræ *dibapha*, 566. C
— *Laconicæ*, 566. C
— *Tyriæ*, 566. C
Purpurarii, *qui*, 574. B.C
Pyrrhus, *ejus tempore in Italia visi elephanti*, 101. D.F
— *quot habuit in Italia, & à quo acceperit*, 103. F. 105. F. 106. A.B
— *iisdem vicit Romanos*, 103. F. 104. A.B
— *quomodo eos fugaverint*, 105. B.E
— *num in triumpho ductus*, 106. C.D
— *cum iis in Siciliam trajecit*, 106. E.F
— *ejus Nummi*, *V.* Nummi.
— *ejusdem varia prælia*, 109. D.E. 110. D.E
— *in obsidione Argorum elephantis usus*, 110. E. 111. A.B
— *à quo & ubi occisus*, 111. B.C
— *ejus monumento Argivi elephantum insculpserunt*, 111. C.D
— *ipsius mors variè refertur*, 111. C.E
— *an elephantorum curribus triumphaverit*, 250. A

Q.

QUadrans, *quid*, 1177. E.F
— *an ex plumbo*, 1177. F. 1178. A.C
— *quota pars stuferi*, 1178. E
Quadrigæ *triumphales in Nummis quid denotant*, 265. B.F. 266. B
— *nisi post debellatos hostes decretæ non fuerunt*, 266. C.D
— *Maxentio decretæ*, *an ipsius triumphum notent*, 272. D.E
— *in iis Cæsares triumphantes semper stantes exhibentur*, 276. A.B
— *equorum quis primus triumphavit*, 277. F
— *elephantorum cui inserviebant*, 278. D.F
— *an Persici triumphi propriæ fuerunt*, 250. F. 251. E.F. 279. C.D
— *cuinam primùm decretæ fuerunt*, 250. C.D. 279. F
Quæstio, *quid à Tractatu differt*, 486. C
Quæstiones *inter pocula agitatæ*, 729. C
Quæstor, *vetustus Magistratus*, 950. C. 982. D. E. 1092. C.D
— *ejus etymologia*, 950. C
— *Justitiæ Custos*, 465. F
— *ejus jus singulare*, 463. C.D. 467. D.E
— *Armarium legum*, 466. A
— *Alimentorum*, *ejus munus*, 608. B.C
— *Augusti*, 465. A.B
— *exercitus*, 428. D. 464. A
— *Imperatoris*, 464. F. 465. B.C
— *illius officium*, 354. E.F. 464. D
— *oblatis Principi petitionibus subscribebat*, 373. B. 466. A
— *Palatii*, 463. B.F
— *iste à quonam Cognitor constitutus fuerit*, 341. C.D
—— *hujus munia*, 465. E.F
—— *quod speciale habuit*, 466. B.C
—— *ipsi duo adjungebantur*, 466. D
Quæstores, *quandonam duo creati fuerunt*, 464. A. 983. E
— *Candidati Principis qui*, 465. C.E. 951. A. 984. B
— *parricidii quinam ita dicti*, 951. A. 1093. D. E. 1108. D
— *pecuniæ publicæ*, 984. A. 1093. B.C. 1108. D
—— *horum munia*, 984. B.C
— *qui de capite civium Romanor. judicabant*, 984. D
— *belli qui*, 1092. E.F. 1108. D
— *Ærarii*, *qui*, 606. A.B
—— *bis non licebat aliquid expendere absque Senatus decreto*, 1021. E
— *an jus multæ dicendæ habuerint*, 606. F. 607. A.B
— *Arcarii*, 609. D.E
— *honorarii*, 467. E
— *urbani*, *eorumque munus*, 1093. A
— *quot electi*, 1093. B
Quæstura, *antiquissimus Magistratus*, 464. D. 983. D.

— *à*

— à quo instituta, 983. E
— quo tempore gerebatur, 984. D
— primus gradus honoris, 467. D. E
— dignitas litterarum, 465. F
Quartani in legionibus, quinam fuerunt, 436. F. 437. E
Quartilla Præfica, ejus icon, 757. A
— an Liberta Gentis Flaviæ, 763. F. 764. B. C
— Passiena, 764. A. B
— in arte excellens, 764. C. 766. B
— quandiu vixit, 766. B
— quomodo amicta, 767. F
— num cucullum habuerit, 768. C. F
Quater in die Prisci edebant, 727. A
Quatuorviri, quinam, 1109. D
— Mensarii, ubi fuerunt, 988. B. C
Quinarius, cujus pecuniæ pars, 1179. C
— unde ita denominatus, 1179. F
— ejus æstimatio, 1180. D
Quindecimviri, qui, 1112. A
Quinqueprimi, qui, 578. B
Quinqueviri, qui, 954. F
— eorum functio, 990. C
— Mensarii, qualis Magistratus, 988. C. D
Quirites, quibus ignominiosa appellatio fuit, 653. B. C

R.

RAgæ, quæ vestis, 573. D. E. 574. A
Ratio auraria, 571. A. B
Ratiocinator, quis, 553. E. 556. A
— Reipublicæ, 553. F
Rationalis Hispaniarum, 558. B
— patrimonii, 554. A
— Privatarum, 584. E. 585. A
— trium Provinciarum, 558. B
— purpurarum, 554. C
— rei privatæ per Africam, 585. C
— — per Vrbem Romam, 557. E. F. 585. A. C
— summæ rei, 554. B. 556. F. 557. A. B
— summarum, qui, 553. C. 555. F
— quot hi fuerunt, 557. E
Rationarius, quis, 556. A
Rationes, earum Præfecti, 557. E
— breviariæ, quæ, 296. B
Recipere Reum, 348. A. B
Recitata septies, 357. E
Recitatio, quod officium, 663. C. F
— apud Romanos pars præcipua studiorum, 1248. E. F
Rectores Provinciarum, qui, 305. B. 316. B. C
— qui ab Imperator. appellati, 305. C
Reda, quid, 535. C. 539. A
Referendarii, qui, 511. C. F
— eorum formula, 512. C
— Ecclesiæ, 512. C
— in Gallia, 512. F
— sacræ formæ, 513. A. E
Referendi, qui, 512. E
Regendarii, quinam, & unde dicti fuerunt, 451. D. E
— ipsorum officium, 451. E. F
Regesta, quid, 376. B. C
— unde sic vocata, 451. E
Regilla inducula, 572. E. F
Regio, quid, 422. E
Regiones Suburbicariæ, quæ, 535. A
Regradare, quid, 471. B
Rei ampliati, qui, 1083. E
— comperendinati, 1083. E
— apud Romanos, quomodo antiquitus se gerebant, 631. B. C

A — in eos actio instituta, 632. A. B
— non poterant domo extrahi, 633. F. 634. A
— varia supplicia iis irrogata, 635. B. D
— cur caput velatum habebant, cum ad supplicium ducerentur, 638. A. B
— utrum eis libera mortis facultas concessa, 639. D. E
— quomodo olim decollabantur, 640. C. D
Relatio, à quibus fiebat, 333. A. 345. E
— ejus jus, quibus delatum, 392. C. E
— quando illud ampliatum, 393. C. E
— ab ea promissa provocatum, 346. D
Relationes ante sententiam, 346. A. B
B — quando hæ fieri solebant, 346. E. F
— à quo sublata, 347. E
Relegatio, quæ pœna, 641. D. F
Remittere causam ad Principem, quid denotat, 347. C. D
Remunerationes, earum Comes, quis fuerit, 541. A. B
Reparatio, quid, 498. C
Reputare, quid notat, 760. F
Reputatrices, quales mulieres, 760. D
— earum etymon, 760. D. E
— an eædem quæ Præficæ, 760. D
— illarum officium, 760. D. E
C Rescribere, quid, 342. E
Rescripta, quæ, 366. E. F
— quid constituant, 368. B
— eorum verba usitata, 374. D. F. &ss.
— Data, Scripta, 374. D. E
— usu recepta, 369. F
— Emissa, 374. E. F
— Petita, Accepta, Allegata, 375. A. B
— Proposita, Antelata, Prælata, 375. B. D
— Supposita, Recitata, 375. E. F
— Lecta, Regesta, 376. B. D
— in iis quando Principis subnotatio necessaria, 371. D. F. 373. B
D — Principum varia, 368. B. F
— maximam partem Romani Juris constituunt, 368. B. 499. E
— eadem qui expedita, 500. C
— unde prodierunt, 370. E. F
— à quibus probata, aut rejecta fuerunt, 369. E. F
— cocti muricis & conchylii ardore signata, 371. B. C
— post Consulatum data, 373. E. F
— sacrarum Constitutionum, 370. D
— secundum Responsa Prudentum, quæ, 366. E. F. 369. D
E — in Semestribus, 370. B
— sine die & Consule, 373. E
Rescriptores, qui, 491. A
Rescriptum Epistolare, quod, 367. E
Responsa Principis ad preces, quænam fuerunt, 499. E
Responsales, qui, 512. D
Respublica pro Vrbe Roma aliquando usurpatur, 1121. B. F
— Romana, omnium longè præstantior, 1007. C. F. 1237. A. C
— variè gubernata, 1047. A
F — ejus divisio, 1047. B. C. 1048. A. C
— quot Ordinibus constabat, 1047. C
— cur in Classes & Centurias distributa, 1050. C. D
Respublicæ quatuor insignes, 1007. A
— omnium antiquissima, quæ, 1007. A
Restitutio in integrum, quid illud significat, 348. C. D
— qui fiebat, 349. D. F
— ubi peti debet, 350. F
— Principis, quotuplex fuerit, 350. D. E. 351. A. B

A Retractatio, *quando eâ utebantur*, 348. B. F
—— *qui postulabatur*, 349. A. C
Rex, *quis apud Romanos*, 1013. E. F
—— *quem bonum dicimus*, 1008. A
—— *ejus munia*, 1014. A
—— *quæ illius insignia*, 1063. B. F
—— *Sacrificulus, quis ita nominabatur*, 955. B
—— *à quibus creabatur*, 1055. B
—— *cui subjectus*, 1110. B
—— *convivii, V.* Convivium.
Rhetores, *cur & quando ii Româ expulsi fuerunt*, 1241. A. D
Rhinoceros, *inter eum & elephantum perpetua inimicitiæ*, 183. A. B
—— *cum elephanto pugna in quo Nummo*, 183. C. D
—— *primus à quo exhibitus fuit in Ludis*, 183. B. D
Rhodigium *unde dictum*, 694. E
Ritus *aliquot Consulares recensentur*, 997. A. F. 998. A. F
Rogatores, *quinam, eorumque officium*, 1055. D
Roma, *quo anno Mundi condita fuerit*, 1010. A. B
—— *quando in ea fuit celeberrima Schola*, 1203. A. F
—— *præcipuè Juris*, 1204. A. D
—— *serò in eadem studia Litterarum coli cœperunt*, 1238. A. B
—— *qui ejusdem primi Historici*, 1239. E. F. 1240. A. B
—— *Oratores, quinam*, 1240. B. E
—— *cur elephas ejus insigne*, 242. D. E
Roma Subterranea, *perperam in ea Orpheus pingitur*, 36. C. D
Romani *elephantis in Hispania usi, & unde eos acceperint*, 136. C. F
—— *Pœnos victos jusserunt omnes tradere elephantos*, 144. D. 147. B
—— *magno odio hasce belluas prosequebantur*, 146. F
—— *cur occidi eas jusserint*, 147. A. B
—— *quandonam primum iis usi fuerint in præliis*, 147. C
—— *cum iis adversùs Antiochum M. dimicarunt*, 152. A. D
—— *an tempore Commodi iisdem usi fuerint*, 156. A. B
—— *cui usui erant ipsis Cameli in Castris*, 157. F. 158. A
—— *unde evehebant feminas ad mortuos lugendos*, 762. B. C
—— *ritus sacros à quibus sumserunt*, 881. E
—— *exemplis valent*, 1008. C
—— *prisci quinam*, 1008. D. 1029. A. F
—— *quando degeneres esse cœperunt*, 1009. A. 1030. C. F
—— *eorum mos, cùm vellent aliquem impunè occidi*, 1012. B
—— *quibus antiquitus honorem deferebant*, 1038. C. D
—— *illorum antiqui Nobiles quales*, 1037. E. 1038. A. F
—— *novi quinam*, 1039. C. 1040. A. C
—— *quâ pecuniâ primùm usi*, 1176. B. E
—— *quando argenteam habuerunt*, 1179. B
—— *in eorum æs, argentum & aurum, carmen*, 1188. E
—— *eorum Nummi hodiernis expressi*, 1189. A. F. 1190. A. C
—— *Spectaculis ad insaniam usque dediti*, 1211. B. C
—— *vera Philosophia & Juris scientia ab iis neglecta*, 1241. E. F
—— *apud eosdem ratio educationis quænam*, 1242. D. F
—— *quod studium princeps apud eos*, 1243. B. D. 1248. E. F
—— *de ipsorum peregrinationibus*, 1244. D. F. 1245. A. C
Romulus, *quot annos natus, Romæ fundamenta jecit*, 1010. A
—— *ejus actorum compendium*, 1010. C. F
Rosa, *ebrietatis antidotum*, 689. B. C
—— *citò flaccescit, & cur*, 693. D. 694. A. 720. B
—— *unde dicta*, 694. A. B
—— *cui sacra*, 699. C. 701. D. E
—— *primò quomodo nata*, 703. B. F
—— *pudicitiæ symbolum*, 718. A
—— *virgini à quibus comparata*, 718. B. F
—— *virguncula nuncupata*, 718. C. F
Rota, *an ejus supplicium olim in usu fuerit apud Romanos*, 643. E
—— *unde in Galliam illatum*, 643. E. F
Rudolphus, *Dux Sueviæ, Nummis suis elephantum indidit*, 241. B. F
Rustici, *eorum corona*, 695. B. E
Ruta *à coronis exsulat*, 696. E. F
—— *quibus infensa*, 697. A

S.

Sabinus, *plures hujus nominis fuere*, 322. C. E
Sacerdotes, *ubinam & à quibus creati fuerunt*, (862.) B
— *num in Magistratu fuerint*, 971. D. E
Sacerdotia, *iis Principes inaugurati fuerunt*, 384. D. E
Sacrificia *Taurobolica an nocte peracta fuere*, (863.) B. D
Sacrificium *idem ac convivium*, 691. D. F. 720. D. F
Sacro-Sanctum, *quid*, 385. C. D
Sagaria *societas*, 573. B
Sal *mensas sacras faciebat*, 730. D
Salarium, *quid*, 438. C
Salii, *quinam Sacerdotes, & unde dicti*, 955. C. 1110. C
Salinæ, *à quo instituta*, 735. A
Salinator, *V.* Livius.
Salix *Amerina*, 695. B. E. 698. A
Salomon, *Rex, ejus diadema*, 716. A
Saltuarius, *quis*, 555. B
Sammius, (*Q.*) *Sacerdos, cur honoribus decoratus*, (861.) E. F
Sampsychum, *quid*, 701. A. D
Sanctiones, *quomodo sacranda*, 385. C. D
Sanctissimus, *illud epitheton personis non sacris tribuitur*, (862.) A. B
Sandrocottus, *ejus mirus elephas*, 64. C
Sanguis, *ejus missio qualis pœna*, 647. A. B
Sanitas, *ejus Symbolum quis habuit*, 64. F. 65. A. & ss.
Saturnus, *an primus coronâ se cinxit*, 679. B
— *aurea ejus tempora quando finierint*, 808. D. E
Saxum, *ex eo dejectio quænam pœna*, 642. C. D
Σκάμμα, *quid*, 907. A. B
Sceptrum, *regium insigne*, 1138. D. F
— *num Consulum*, 1137. F
Schahiludium, *vel Schachi ludus ubinam repertus*, 22. F
Schenhabbim, *quid notat*, 30. F
Schola, *quid*, 442. F. 521. E
— *duplex*, 443. A
— *Agentium in rebus*, 523. A
— *Armaturarum Juniorum*, 522. E
——— *Seniorum*, 522. D
— *Exceptorum*, 442. F
— *Gallica Palatii*, 522. E

—— *Gentilium*, 522. E. F
—— *Notariorum*, 514. A. B
—— *Scutariorum*, 521. D. 522. B
—— —— *Clibanariorum*, 530. E
—— *liberalium Artium Romæ sub quo Imperatore*, 1202. B. F
—— *ista quot qualesque Professores habuit*, 1203. C. F
Scholæ, *pro Controversiis*, 443. B
—— *earum capita*, 443. A
—— *quot in Notitia continentur*, 521. D. E
Scholares, *qui*, 443. A
Scholasticè *dicere*, *quid*, 443. B
Scholastici, *quinam*, 443. A. 487. C
Scipio, *in ejus triumpho quot dentes elephantorum*, 70. C
—— *quosnam elephantos in triumpho duxerit*, 144. D
—— *Dux Pompeji, elephantos in exercitu habuit, & quot*, 153. E. F
—— *quomodo eos in acie posuit*, 154. A. E
Scipio *victorialis*, *quinam*, 1134. D. F
—— *eburneus*, *quorum insigne fuerit*, 1135. A. D
—— *isti insedebat aquila eburnea*, 1137. C. F
Scissor *ciborum*, 741. D
Scommata, *iis abstinendum ubi*, 732. C
Scribæ, *qui*, *eorumque munus*, 376. C. D. 994. E. F
—— *eorumdem auctoritas*, 995. A. B
—— *Ab Epistolis*, 478. E. 498. E. F
—— *Cubiculi*, 478. F. 596. A. B
—— *Principis*, 478. E. 479. A
Scrinia, *variè usurpatur illa vox*, 1215. B. D
—— *quid*, 490. F
—— *in iis statutus numerus*, 439. D. E
—— *eorum primates*, 509. D
—— —— *Numerarii*, 516. F
—— *varia fuere*, 433. C. F
—— *Largitionum*, 541. E. F
—— *majoris Laterculi*, *quot*, 516. A
—— *Principis*, 433. B
—— *istius quot fuere*, 1215. C. D
—— *Operum*, 441. D
—— *Sacra*, *quæ*, *& quot*, 433. A. 490. D. 504. E. F
Scriniarii, *unde dicti*, 433. C
—— *qui propriè*, 510. D
—— *devoti vocantur*, 442. E
—— *à Libellis*, 478. C. 510. E
Scriniarius *ab Epistolis*, 510. D. E
Scrinium, *quid*, 439. A
—— *à Libellis*, 478. B
—— *Libellorum & cognitionum*, 502. A
—— *num unumquodque suum Proximum habuerit*, 507. B. C
Scriptura, *quodnam vectigal*, 550. C
—— *S. ejus sensus duplex*, 713. F
Scriptum *facere*, *& scripto se abdicare*, *quid*, 994. F
Secretaria *Judicum*, *quæ*, 336. D. 375. B. 511. A
à Secretis, *quis*, 510. F
Seculum *aureum quandonam finem habuerit*, 808. D. F
Secundocerius, *quis*, 516. C
Secures, *Consulibus prælatæ*, 952. C. D
—— *cur virgis illigatæ fuerunt*, 971. F. 1064. A. B
Securi percutere, *quid*, 640. C. D
Sedere, *quid propriè*, 454. E
Sedes, *an differt à Tribunali*, 454. D. E
—— *Ducum militarium*, 469. D
—— *Patricia*, 469. A. C
—— *statio militum*, 469. B
A Seleucidæ, *anchora in eorum Nummis*, 61. D. F. 62. A. F
Seleucus, *(Nicator) cujus filius*, 60. A
—— *primus Rex Asiæ multis elephantis dives*, 60. A. F
—— *quorum ope in prœliis usus*, 60. F
—— *post Alexandrum M. primus* Ἱππάρχος *fuit*, 60. E
—— *ubinam has belluas aluerit*, 61. A
—— *in Nummis elephantorum quadriga vectus*, 61. B. C
—— *anchorâ in ejusdem Nummis*, 61. D. F
B —— *num Elephantarcha vivo Alexandro Magno*, 63. D. E
—— *cur hoc nomine donatus*, 64. A
—— *an occisus ad Issum*, 64. D
Sella *Curulis*, *quæ*, 972. A
—— *quorum insigne*, 456. E. F
—— *undenam sic denominata fuerit*, 972. A. 1021. B
—— *quinam eâ uti poterant*, 972. A. B. 1021. A. B. 1125. D. F
—— *an eburnea fuerit*, 1125. D. E. 1126. A. C
—— *eâ opertâ quisnam primus usus est*, 1126. C. D
C —— *eadem quando vehi solitæ feminæ Romanæ*, 1127. A. B
Sembella, *quæ pecunia*, 1179. C
—— *ejus valor*, 1180. B. D
Semestria, *quænam Acta*, 370. C. D
—— *eorum libri*, 370. C
Semiramis, *bellatura cum Indis*, *quid egerit*, 41[illegible]. D. F
Semissis, *qualis nummus*, *& unde dictus*, 1177. C. D
—— *ejus æstimatio*, 1178. E
Senaculum, *quinam locus*, 1023. C
D Senatores, *quinam*, 1018. F
—— *quot primùm creati*, *& à quo*, 1065. E. F. 1105. C. D
—— *eorum variæ appellationes*, 1011. A
—— *unde sic vocati*, 972. E. 1010. F. 1019. A. 1105. C
—— *eorum numerus varius*, 951. D. 972. E. 1010. F. 1011. A. 1021. B. C. 1066. A. C
—— *quo ætatis anno Curiam ingredi licebat*, 951. E. F. 1020. A
—— *ipsorum munera*, 1021. D. F
—— *post annum* 60. *non citabantur*, 951. F. 1026. F
E —— Pedarii, *quinam*, 952. A. 974. D. 1021. B. 1071. C. D. 1106. B
—— *quos in Senatum adlegi moris fuit*, 972. F. 973. A
—— *undenam* Laticlavii *dicti fuerunt*, 975. A. 1068. C
—— *in Orchestra ut spectarent*, *quando & à quibus institutum*, 975. A. 1028. D
—— *quinam* Allecti *denominati*, 1011. A. 1066. B. C. 1071. C
—— *quid illis commisit Romulus*, 1013. C. D
F —— *quando ab Urbe abesse poterant*, 1019. B. 1071. E. F
—— *à quo & quomodo instituti*, 951. C. 972. E. 1010. E. F. 1011. A. 1019. D
—— Conscripti, 1071. B. 1106. A
—— *quis Servos in eorum numerum cooptavit*, 1021. A
—— *quinam pedibus Curiam petebant*, 1021. B
—— *à quo* mancipia togata *dicti*, 1022. E. F
—— *ubinam conveniebant*, 1023. B. C
—— *quinam rogabantur*, 1024. D. F
—— *quando & à quibus ex agris vocabantur*, 1026. E. F

— *illorum ornamenta communia, quæ*, 1027.F. A 1068.A.B
— *qui peculiaria & peregrina assumserunt*, 1028.C
— *an annulis usi fuerint ante Equites*, 1028. A.B
— *ipsorum Census*, 1028.E.F. 1072.A
— *quinam præteriti*, 1031.A.C
— *illorum officium*, 1066.D.E
— *ratio eos eligendi*, 1070.D.F
— *quatuor eorum genera*, 1071.B.C
— *eorum filiæ, & leges*, 1072.B.E
— *qui in ordine militari*, 475.A
— *qui in Scholis*, 523.C.D
— *eorum auctoritas cui projecta*, 394.A.B
— *num in luctu vestimenta mutaverint*, 788. A.B
Senatoria *dignitas cui delata*, 393.F
— *qui à Senatoribus distincta*, 394.C
Senatus *Romanus à quo institutus*, 972.E. 1019. D.E
— *quinam eum legebant*, 972.F
— *quinam eum auxere*, 973.A.B
— *ejus princeps quando & à quo electus*, 973. B.C. 1031.A. 1071.A
— *ex quibus constabat*, 1019.F. 1020. A.B. 1068.F
— *quis in eum Libertinos adscivit*, 951.E. 1021.A
— *ejus auctoritas & potestas, quæ*, 1021.D.F. 1067.B.C
— *quando imminuta, & restitata*, 1022.B.F. 1067.E.F. 1068.A.B
— *ejus locus auguratus*, 1023.B.C
— *quando convocabatur*, 1023.D.E
— *quo mense haberi non potuit*, 1023.E.F
— *quomodo, & per quos convocatus*, 1023.F. 1024.A
— *quibus non licebat eum ingredi*, 1025.E.F
— *quibusnam illud permissum*, 1025.A.B
— *ob quid pauperes in eo lecti, & à quibus*, 1029.B.C
— *legitimus, quis*, 1069.D.E
— *edictus, vel indictus*, 1069.E.F
— *an Ordo clarissimus dictus*, 299.E
— *quis illum habere potuit*, 392.D
— *ad eum referre*, 393.A
— *eumdem per relationem remittere, quid*, 392. D.E
Senatusconsulta, *unius tantùm Consulis nomen sortiebantur*, 362.F
— *quando ἀνώνυμα*, 362.D
— *in iis scribendis solemnia observata*, 1026.E. F. 1027.A.B
— *quomodo impediebantur*, 1027.C.E
— *num eadem vim legis perpetuæ habuerint*, 1027.F
— *ubi servabantur*, 1071.F
Senatusconsultum, *quando irritum fiebat*, 951.E. 1027.B
— *quot modis fiebat*, 952.A. 1070.D
— *cur veteribus littera T. adscripta*, 985.E. 1025.E. 1086.C
— *qui à Decreto differt*, 1027.E.F
— *ubi & quonam tempore fieri oportebat*, 1069. B.D
— *quibus jus fuit illud facere*, 392. D.F
— *vetus*, 312.A.C
— *per Acclamationem*, 393.D
— *per Discessionem*, 392.D.F
— *Claudianum*, 362.B.F. 363.A.B
— *Largianum*, 400.C
— *Libonianum*, 362.B
— *Pisonianum*, 362.E
— *Silanianum*, 362.C.E
— *Vellejanum*, 363.A
Sententia, *illa, quæ non probabatur, dividebatur*, 952.C
— *Principis*, 349.C.D
— *prima, quæ*, 421.F. 422.A
— *eam conservare*, 335.E.F
Sententiæ, *quomodo dantur*, 502.C.D
— *cognitionis, quænam*, 326.D.E. 330.B
— *earum rogandarum quis ordo in Senatu*, 421. C.D
— *quibus non aptæ*, 771.E.F
— *pedariæ, quæ*, 974.E
— *quomodo colligendæ & ferendæ*, 1024. E.F. 1025.A.D
B — *Judicum quomodo factæ fuerunt*, 933.A.E. 974.E.F
— *libidinosæ quæ dictæ*, 634.E.F
— *in iis dicendis ordo*, 952.B
— *eas rogandi modus*, 1070.A.C
— *quæ litteræ illis inscriptæ*, 1083.C
Septem *Provinciæ, quænam ita nuncupatæ*, 425.B
Setemviratus Epulonum, *quale sacerdotium fuerit*, 955.B
Septimania, *Provincia, & urbs*, 425.F. 426.A
C Septimiliarium, *quid*, 379.A
Sequestres, *qui*, 1075.D
Seræ, *earum materia antiquissima*, 813.B
— *an duæ uni januæ antiquitus adhibitæ fuerint*, 837.E.F
Sericablatta, *quid*, 566.E
Sertula *campana*, 704.D.E. 705.F
Sertum *differt à serta*, 724.F
Servi *quando Cruci affixi*, 636.C.D
— *num Dominos suos accusare potuerint*, 654. E.F
— *dapiferi, quales*, 727.B
— *prælucentes, qui*, 685.B.F
D — *prægustatores, quinam*, 725.D
— *publici ad vilia coacti*, 763.E
— *suppellecticarii, quinam ita dicti fuerunt*, 741. C.D
Servi *deputati*, 523.F
— *peculiares*, 559.D.E
Servus *ad cyathum quis*, 732.E
Seselis, *herba, quibus animalibus medicina est*, 930.E.F
Sessiones, *earum dies*, 454.E.F
Sestertia *ad calculos revocata*, 1185.B.F. 1186. A.D
Sestertii *in rationes ducti*, 1184.B.F
E Sestertium, *quid*, 1053.B
— *ejus pretium*, 1053.B.C
Sestertius, *quæ pecunia*, 1051.C.D. 1179.C
— *ejus originatio*, 1180.A
— *ejus valor*, 1051.D. 1052.A.D. 1180.D
— *ejus supputatio quotuplex*, 1183.E.F
— *ejusdem supputatio adverbialis*, 1186.D.F. 1187.A.D
— *& Sestertium qui differant*, 1052.B.D
Severus, (*Alex.*) *an primus quadriga elephantorum triumphaverit*, 250.C.D. 280.A.F
Severus, (*L. Sept.*) *Imper. Ludos magnificentiss. edidit, in quibus elephantes*, 182.B.D
F Sevirûm *Augustalium Collegium, an Romæ fuerit*, (859.)B
Sextans, *quænam pars assis*, 1178.D.E
Sextarius, *mensura*, 713.A.E
Sigilla, *iis varia obsignabant Veteres*, 839. A.F
— *cum clavibus junguntur*, 840.A.B
Sigla, *vel* Singla, *quid*, 443.D
— *per ea scribendi rationem quis improbat*, 443.E
Signare *quid*, 371.E
Signatæ *Tabulæ*, *V.* Tabulæ.

Significari in cognitionibus Principis, 332. E. F
Significationes Comitiorum, quæ, 332. E. F
Signum, quid interdum denotat, 882. D. E
--- ex pluribus Diis à Veteribus sæpe confectum, 926. C
--- annulo impressum, 549. A
Silentiarii, qui, 594. D. F
--- eorum prærogativa, 594. F. 595. A
Silicernium, quænam cœna, 729. B
Siliqua, quid, 575. C
Siliquatarii, eorum Comes, 575. D. E
Siliquatici Conductores, 575. D
--- tituli, 575. D
Siliquaticum, ejus onus, 570. E. 575. B
Sinæ, eorum mos attrectandi cibos, 728. E
Singelliones vestes, 444. B
Singilia, urbs, ubi sita, 857. C
Singla, V. Sigla.
Singulares homines, 443. D. F
--- unde ita appellati, 444. A. B
Singulator, quis, 444. C
Σιτηρέσιον, quid, 436. A
Smilax, ejus usus, 705. E
Sobrius ad lites, 686. C. F
Socrates, gemmæ ejus capite cum elephanti proboscide signatæ, 89. B. F. 90. A
Sodales, qui, 1075. C. D
--- Sacerdotes, à quo instituti, 962. E
--- unde Titii Sodales dicti, 962. E
--- Augustales, (859.) B. 962. E
--- Antoniniani, 962. E
--- Hadrianales, 962. E
--- qui ejusdem Collegii sunt, 962. E
--- quasi edales, 962. E
Solarium, quid, 545. D
Solatia, quæ salaria, 546. C
--- ea consequi, 483. A. C
Solidus, qualis nummus, 1181. B
--- ejus partes, 1181. B. C
Σωματοφύλακες, qui, 452. E. 453. A
Somnus, ad eum conciliandum quid actum, 731. E
Somnia, quando mitti credebantur, (864.) A
Spadones, qui, 594. A. B
Species, quid, 567. D
Speciosæ personæ, V. Personæ.
Spectabiles, qui, 300. B. C
--- quinam primi inter eos, 306. E. F
--- quis eos tales ex Clarissimis fecit, 307. A
--- inter eos varii dignitatum gradus, 316. B. E
Spectacula, varia Romæ, 1210. D. F
--- ut & quotidiana, 1211. B. C
Spectaculum, propriè quid, 462. A. C
Specularii, qui, 527. E
Sphæristerium, quid, 901. C. D
Spiculatores, qui, 404. E. 531. D
Σπονδαρχεῖν, quid, 687. D
Sponsæ, an coronis olim ornatæ, 718. A. B
--- earum mos in die nuptiarum, 734. B
Sponsalia, qui antiquitus peracta, 664. B. D
Sponsi, olim in mensa coronati, 716. D. F. 729. E
Sportula, quid, 666. E. F. 667. A
--- pro cibo, 666. F
Sportulæ, quando spargebantur, 462. D
--- earum divisio, 460. F
--- erogatio, 460. B
--- modus, 459. B. C
--- de ipsis Constitutio, 458. D. F
--- quinam iis obnoxii, 459. F
--- Ordini erogatæ, 460. B
--- pro Consuetudinibus, 458. B
--- Comitis Stabuli, 459. E
--- Consulares, 460. E
--- Judicum militarium, 459. D. E
--- Pedaneorum, 459. C. D
--- pro introitu militiæ, 460. B. C
A --- sacerdotii, 460. B
Stacte myrrha, 707. E. 708. D. E. 712. D. F
Stadium, in Gymnasiis, 908. F
--- ejus dimensio, 909. A
--- quid in eo scriptum, 910. A
Στατίων, quid, 584. E
Stationes, quid, 539. E
--- Agrariæ, 539. E. F. 540. A
Stativæ, quænam mansiones, 539. E
Statores, quales Ministri, 996. D
--- eorum originatio, 996. D
Statua cum triplici capite elephantino num exstiterit, 98. F. 99. A. D
B --- decreta cui Principi quasi Rhetori, 355. A
Statuæ & imagines, 380. C. D
Statuti & Supernumerarii, qui, 484. C. 487. E. 600. B
Stellæ, cæli coronæ, 679. A. B
Stigmata, quorum frons iis inurebatur, 642. B. C
Stipendiaria prædia, 551. B
Stipendiarium tributum, 551. A
--- vectigal, 551. A
Stipendium, quid, 438. D
--- differt à salario, 438. C
Stips, ejus originatio, 1177. A
C Στρατηγικὸς, quis, 446. F
Strator, quis, 445. F
--- ejus ministerium quotuplex, 446. A. E
Strigiles in coronis, quid, 719. F. 720. E. F
Structor mensæ, 732. F
--- ejus etymon, 734. D
Struthia mala, quæ, 734. E
Studia, multùm conducunt, 1237. C. F
--- absque iis nulla societas civilis verè beata, 1226. A. B
--- quando primùm coli cœpere Romæ, 1238. B. D
--- elegantiora ibidem quo tempore, 1239. C. E
--- sub quo nitidiora fuere, 1242. B. C
D --- quibus feliciter educta, 1246. F
Studiosi Provinciales ob quid undique confluebant Romam, 1204. B. E
--- quis eorum petulantiam refrenabat, 1204. E. F. 1205. A. F
--- cui tradebant litteras testimoniales, 1207. E. F
--- nemini illorum licebat Romam veniendi, nisi Prov. Judicum impetratâ veniâ, 1208. B. D. 1223. A. B
--- apud quos debebant profiteri, 1209. B. D
--- quæ ab iis observanda, 1210. A. D
--- an omnia spectacula ipsis interdicta, 1211. D. 1224. E. F
E --- ut & convivia intempestiva, 1211. D. F. 1212. A. D. 1226. C. F
--- quibus pœnis in delinquentes animadversum, 1212. E. F. 1227. C. F
--- ultra annum 21. non iis licebat Romæ commorari, 1213. A. B
--- cur hoc ipsis vetitum, 1218. C. F
--- an illud idem laudandum, 1228. B. E
--- ob quid bonis moribus imbuendi, 1221. A. E
Στυράκιον, quid, 830. D. F
Stylus, ejus exercitatio commendatur, 1248. A. D
Subadjuvæ, qui, 439. F. 440. A
F Subcisivæ, quid, 437. E
Subnotare, quid, 371. E. 466. A. B
Subprocurator, quis, 555. E
Subscribere libellos, 371. E. 466. B
Subucula, quæ vestis, 662. E. F
Succinum, ejus origo, 57. D
Sudatio, quinam locus in Gymnasio, 904. A. B
--- ejus mensura, 907. E
Suffecti Consules, V. Consules.
Suffragia, quid, 506. C
--- quomodo Romæ dabantur, 953. A
--- qui ferebantur, 1056. E

Συγκάθεδροι, qui, 321.D
Suggerere Principi, 347.B
Suggestio, quid, 347.A.C
Summa res, quid, 557.C
——— Reipublicæ, 557.D
Summarii, qui ita nuncupati, 591.C
Summates & Primates, qui, 578.B.C
Sumtorium, quid, 739.C
Sumtus inutiles in funeribus, 773.A.B
——— vetiti, 773.B
Συνάλλαγμα, quid, 570.C
Συνέλευσις, quid, 336.C
Συνήθεια, quid, 457.E
Συνθήματα, quid, 415.C. 536.D
Supernumerarii, V. Statuti.
Supplicia quomodo olim sumta, 635.D.E
——— quo tempore, 637.E.F
——— extra Urbem fieri solita, 637.C.D
——— an eorum spectator fuerit Populus Romanus, 640.E.F
——— peculiaria Servis quæ, 641.B.C
——— propria Ingenuis, 641.B.C
——— ipsorum ministri, 642.E.F
Susceptores, qui, 442.B
Sustinere cognitionem, V. Cognitio.
Sutura pro fibula, 694.F
Sybaritæ, quomodo convivas invitabant, 729.F
Symposiarcha, quis, 732.A
Synthesis, quænam vestis, 731.F. 732.A

T.

T. veteribus Senatusconsultis adscripta, quid denotat, 985.E. 1025.E
Tabellæ in judiciis quot, 632.C.D
——— cur per eas sententiæ datæ, 633.A
Tabulæ signatæ, quæ, 371.F. 372.A
Tabularius à vehiculis, 535.E
Ταχυγράφοι, qui sic appellati, 443.B. 509.E. 520 B
Tacita pecunia, V. Pecunia.
Tæniæ, quid, 543.B
Talentum, qualis nummus, 1053.C
Ταμεῖον, quid, 430.F. 590.C
Tamiaca possessio, quæ, 589.F. 592.A
——— prædia, 590.B
——— in quibus consistant, 590.B.C
Ταμίας, quis, 464.E. 541.D
Tamiacus Colonus, 590.D.E
Tanais, fluvius, duo ejus nominis, 51.C.E
Ταραξιπόλιδες, qui, 440.E
Taurelephanti, quæ animalia, 246.C
Taurobolia omnia Cybelæ dicata, (857.) A
Taurobolium Lugdun. ejus Inscriptio exponitur, (857.) A.B. &ss.
——— quando factum, (861.) F
——— nullum insanius sacrificium, (857.) A.B
Taurus, ejus vires, V. Vires.
Τάξις Ἱππάρχων, 432.D.E
Tebaldeus, (Anton.) Poëta laureatus, 695.F
Telonia, unde consuetudines appellantur, 457.D
Temonaria functio, 577.E
Temonarii, qui, 577.E
Temonis injuriam pati, 578.A
Templum Solis ubi Romæ, 879.D
——— Veneris Victricis, 881.A.B
——— Felicitatis, 881.B.C
——— Dianæ, 881.E.F
——— Vortumni, 882.D.E
——— Jul. Cæsaris, 883.C
——— Ephesiæ Dianæ forma, 915.C.F
——— Minervæ Medicæ, 930.A
Tenere aliquem, 512.B
Tentyritæ, Populi, 687.B.C
Tertiocerius, quis, 516.C

A Teruncius, quæ pecunia, 1179.C
--- ejus æstimatio, 1180.C.D
Tessellarii, qui, 404.E
Tessera frumentaria, 435.D
Testamentum, ejus factio à Principe, 381.A.B
Testes, idonei quinam, 655.F. 656.A.C
--- à testimoniis differunt, 403.D
--- qui non cogebantur esse, 656.D.E
--- quibus de causis repelluntur, 656.F. 657.A
--- an vocati venire deberent, 657.B.C
--- eorum numerus, 658.C
Testimonia, quæ, 403.D
Testius, (Fulv.) ejus tumulus & Patria, 723.E
B Textrinum, quid, 565.A
--- Tyrii Præpositus, 565.B
--- ejus Procuratores, 565.B
Thaddæus, (Aloys. Card. à Verme) ejus Synodus, 779.D
Thalamus, quid propriè, 592.D.E
Thancæ, quid, 573.D.E
Theatrica venatio, quid, 461.C
Thecua, ibi erant excellentiores Præficæ, 766.E.F
Thensa, an dorso elephantorum imposita fuerit, 224.E.F
Theodorus, Samius, an clavium inventor, 810.E.F.&ss.
C Theologi Scholastici, unde sic dicti, 443.B
Θέριστρον, quale indumentum, 574.B
Thermæ, earum pars prima quæ, 904.E
--- secunda, 904.F
Thesaurenses, qui, 498.A.B
Thesauri, eorum Comites, 498.B
--- inventi, quid de iis Constantinus M. constituit, 580.A
Thesaurus Numismatum Regis Borussiæ dono missus clariss. Cupero, 28.A
Threni, eorum usus apud Hebræos, 761.A.B
--- num iidem ac Næniæ, 772.E
D Threnodæ, quænam mulieres, 761.A.B. 773.C
--- earum etymologia & officium, 761.B.D
--- an viri etiam fuerint, 775.E
Tiberius Julius Cæsar, quis, 358.D.E
Tibiæ in conviviis, 730.E. 734.A
--- ob quid in luctu, 788.D.E
Τιμαὶ ὑπατευτικαὶ, quæ, 421.A
Tirones, qui, 524.C
--- eorum stigmata, 529.A
Tituli, quid propriè significant, 545.B.
--- Largitionum varii, 545.B.C
Tituli vinarii debita flagitare, quid, 551.A
Titus Præfectus Prætorio, 418.A
E --- ut Præfecturâ fungeretur, quid egerit, 418.E.F
Toga, quid, 1063.D
--- varia ejus genera, 1063.D.E
--- pura, qua ætate sumta, 661.A.C
--- rasa, vel pexa, 661.F. 662.A
--- picta, ejus materia, 1132.E.F
--- quis primus hanc propriam habuit, 1133.C.D
Togati, qui ita nuncupati, 487.C
Τοποθεσία, quid, 540.B
Trabea, quæ vestis, 420.F. 1063.C.D
--- quorum gestamen, 1063.C. 1131.A
--- auro intertexta, 1131.C.F
F --- cur Quirinalis dicta, 1063.D
--- qui à Toga differebat, 1063.D
Tractatores, quinam, 447.E
--- eorum originatio, 591.B
Tractatus, quid, 486.C
Tracteotæ, qui, eorumque ministerium, 448.A. 591.B
Τρακτευτής, quis, 447.E
Tractoriæ, quid, 415.D. 536.D. 538.C
--- earum formulæ, 415.D. 538.C.E
--- quibus licebat eas facere, 538.F

--- animalium, 538. F
--- equorum, 539. A
--- vehiculorum, 539. A
Tractus, quid, 422. D. E
--- quot constituti à Constantino Magno, 422. F
Tragœdia, ejus originatio, 942. C. E
Tragœdiæ inter cœnandum acta, 734. F
Tragus, herba, 690. E. F
Transfugæ, quomodo in eos olim animadversum, 651. C. D
Tribunal, qualis locus, 326. D. 327. A. B
--- Principis qui vocatur, 327. B
--- differt ab auditorio, 327. B. C
Tribunatus aditus honorum, 516. E. F
Tribuni, unde dicti, 516. C. D
--- varii fuerunt, 520. B
--- ærarii, qui, 1091. D. 1107. C
--- unde appellati, 1091. E
--- à quo sublati, 1082. B
--- illorum munus, 1091. D. E
--- num hi Magistratus, 559. E
--- hi nihil expendebant, absque Senatus decreto, 1021. E
--- Armaturarum, 520. B. 522. E
--- Comici, 520. B
--- Comitiati, quinam, 1091. A. 1107. C
--- Fabricarum, 520. B
--- Laticlavii, omnes Clarissimi, 316. B
--- Militum, qui, 516. D. 520. B. 992. E. F. 1107. A
--- unde hi denominati, 1090. E. F
--- eorum officium, 993. B. 1090. F. 1107. B
--- cur Græci χιλιάρχας eos nominant, 993. B. C. 1107. A
--- cujus imperio parebant, 1085. B
--- ubi creabantur, 1090. F
--- Consulares, qui, 978. F. 989. D
--- hi quot creati, 1091. B
--- quo tempore instituti, 989. D. E
--- eorum dignitas, 989. F
--- quando creari desiere, 990. A
--- Notariorum, 318. A. 519. B. C
--- horum dignitas, 517. A. B
--- Numerariorum, 516. E
--- Plebis, unde sic appellati, 1086. B
--- eorum munia, 985. B. C. 1107. C
--- quando primùm Senatores facti, 985. E
--- quis eorumdem vim imminuit, 986. C
--- cur turbulenti, &c. dicti, 986. C. D
--- quinam primi ausi sunt convocare Senatum, 1025. E. F
--- quo anno duo creati, 1085. C
--- à quo in auxilium vocati, 387. A
--- Scutariorum, 522. C
--- Stabuli, 520. B
--- Voluptatum, 520. B
--- & Comites rei militaris, 316. B
Tribunicia potestas Imperatorum, 385. A. C
--- ejus consortem habuit Princeps, 386. C. E
--- eam receperunt Principes spreto Tribuni nomine, 386. F. 387. A
--- quis eam perpetuam primus accepit, 385. D
--- num eandem habuit Jul. Cæsar, 385. F. 386. A
Tribunus Celerum, ejus officium, 411. C
--- Plebis, quis & unde dictus, 985. A. B
--- quando & cur creatus, 949. B. 985. A. B
--- primùm duo creati, 949. C. 985. A. B
--- ab Vrbe abesse non licebat, 949. C. 985. E
--- ipsius domus noctu diuque patebat, & cur, 949. C. 950. A. 985. C. 1086. D
--- unus prohibens plus poterat quam decem probantes, 950. A. 985. C
--- quis primus Consulari potestate electus, 950. A
--- ejusdem dignitas & auctoritas, 985. C. D. 1086. B. C. 1107. C. D
A --- quis eam auxit, 1020. E
--- nullus Patricius fiebat, 986. A. B. 1086. E. F
--- an in Magistratu fuerint, 986. D. E.
--- ipsi nefas erat Senatum ingredi, 1025. E
--- cur sacro-sanctus Magistratus dictus, 1086. E
--- ejus sententia cui prævaluit, 386. F. 387. A
Tribus, unde dictæ, 1048. A
--- earum divisio, & nomina, 1048. A. B
--- quæ earumdem prærogativa, 1056. B
--- à Curiis diversa, 1057. D. E
Tributa, in quibus consistunt, 545. D
--- capitis, quæ, 545. D. E
B Tributariæ Civitates à vectigalibus immunes, 550. D. F
Tributum, ejus etymum, 438. D. 546. C
--- in capite aut in censu, 546. D. E
--- onus possessionis, 547. D. E
--- pro vectigali, 545. E. F
--- Temerarium, quod, 546. D
Tricliniarcha, quis, 596. E
--- à fiblis, 597. A. B
C Tricliniares Ministri, 732. B
Triclinium, quod conclave, 596. F. 727. D
--- unde ita nuncupatum, 728. A
--- ejus locus nobilior, 730. E
--- immune, 731. E
--- in eo qui accumbebant mulieres, 732. D
--- trophæis ornatum, 733. B
Triens, quid, 1177. E
— quota pars stuferi, 1178. E
Triumphantes, eorum convivia, 731. D
Triumphi curribus elephantorum acti Romæ, 250. A. F. &ss.
— insignia quædam, 1134. E. F
Triumphus, eum agere quibus licebat, 1136. B
Triumviri, Capitales, quinam & unde ita dicti, 954. D. E. 987. A. B
D — eorum munus, 954. E. F. 987. A. B. 1082. D. E. 1109. A
— quandonam primùm, & qui creati, 987. C
— an iidem qui Duûmviri, 987. D
— Coloniis deducendis, quales, 954. E. 990. A
— istorum officium, 954. F. 990. B. C
— Mensarii, cur ita dicti, 559. E. 988. B
— quando instituti, 988. B
— illorum munia, 559. F. 560. A. 1109. B
— Monetales, quinam, 559. E. 988. B. 1109. B
— unde ita appellati, 1176. A
— quomodo in Nummis & Lapidibus signantur, 560. B
E — hi quandiu durarunt, 561. A. B
— Nocturni, qui, eorumque officium, 987. E. F
— unde ita vocati, 1109. B. C
Troglodytica, Regio, cinnamomifera, 55. D. E
Trossuli, qui, & unde dicti, 1064. C
Tunica, utriusque sexus fuit, 662. A. B
— Laticlavia, quorum gestamen, 1068. C
— palmata, 1131. A. 1132. A. B
— istius etymum, 1132. E
— quis primus sibi propriam habuit, 1133. C. D
Turcæ quomodo cœnant, 728. A
Turmarii, qui, 577. E
F Turpia à conviviis ableganda, 734. F
Turres impositæ elephantis, iis quot bellatores inerant, 80. D. F. 81. A. F
Tuscia, quotuplex, 304. D
Typus pragmaticus, quid, 513. A

V.

V consona sæpe inseritur, 798. B. C
V in B frequentissimè commutatur, & vice versa, 370. C. 379. E. 527. E
— Vide litt. B.

V *pro O positum*, 431.
Vacans *Magister Officiorum*, 313. B
Vacantes, *unde ita dicti*, 313. A
— *Honorariis praeferuntur*, 315. A
— *allecti & adscriptitii*, 313. C. 315. B
— *Cincti*, 313. D
— *Corporum & Artificum*, 314. D.F
— *Episcopi*, 314. C
— *Illustres*, 313. C
— *Provinciae*, 314. E
Vacatio *à quibus redemta*, 313. A. B
Væ, *qualis interjectio*, 772 E
Vaga *mancipia*, *V.* Mancipia.
Valetudinarius, *quis*, 451. C
Vasa *formâ elephanti*, 96. C.D
— *myrrhina*, 572. B
Vascularius *à poculento argento*, 544. E. F
Vaticanus *Mons*, *an in eo Judaei sepulcra habuerint*, 187. E.F. 188. A.C
— *quinam Roman. ibi sepulti*, 188. B
Vectigal, *quid propriè est*, 552. A
— *à commercio differt*, 570. D
— *Populi Rom. quod*, 951. C
— *foricularium*, 552. B
— *Ansarium*, 552. E. F
— *Octavianum*, 552. D
— *Saborense*, 551. E
Vectigalia, *quid propriè*, 550. B. C
— *à tributis differunt*, 551. A. F. 552. A. D
— *cui soli praestabantur*, 551. D
Vectis *in claustris Veterum*, *quis*, 827. E. F
Vehicula, *eorum Praefecti*, 535. B. D
— *ab ipsorum Commentariis*, 535. E
— *eorum tractoriae*, 539. A
Vehiculariæ *res patrimonii munus*, 532. F
Vehiculum, *quid*, 456. D
Velandi *caput usus apud varias Gentes*, 768. C. F
Velarii, *qui*, *eorumque munus*, 527. A
— *eorum Primigenius*, 527. B
Venas incidere, *an legitimum supplicium*, 639. F
Venationes binæ, *quid*, 177. A
— *Africanae*, 177. A. B
Venenum, *ejus nulla poena Romae*, 639. A. C
Venerea *verba à conviviis ableganda*, 733. E
Venus *rosis plasmata*, 703. B
— *ejus templum*, *V.* Templum.
Verbenæ *in coronis*, 695. A. B
Veredariæ *functionis necessitas*, 533. D
Veredarii, *qui*, 444. F
— *ipsorum officium*, 535. B. C
Versicoloria, *quid*, 567. B. C
Vespasianus, *post mortem quî cultus & honoratus*, 227. A
Vestales *Virgines*, *quae*, 1110. F
— *quis eas instituit*, 956. B
— *ob quid vivae defodiebantur*, 956. C
— *de iis Inscriptiones*, 956. D. F
—— *quae explicantur*, 957. B. F. *& ss.*
— *earum aliquot elogia & laudes*, 960. D. F. 961. A. E
Vestes, *earum Canon*, 543. C. 545. C
— *ornamenta*, 549. B. E
— *Canonicae*, 545. C
— *paragaudae*, 565. B. C
—— *monolores*, 565. C
— *barbaricae*, 568. B
— *Attalicae*, *quae*, 1132. D
— *mortuorum*, *quae*, 783. E
— *istarum color*, 787. D
— *an depositae in luctu*, 788. A. B
Vestiarium, *quid*, 542. D. E
— *ipsius Comes*, 542. D. 543. A. 544. D. 594. C. D
Vestimenta *clavata*, 549. F. 550. A
Vestipici, *quales servi*, 599. E
Vestis *alba*, *eâ quinam induti*, 728. C
— *picta*, *quae*, 1132. B. D
—— *istius materia*, 1132. E F
Vestitores, *eorum officium*, 599. D. E
Veterani, *qui*, 453. B. C
Vetulæ, *facilè flent*, *& vultum ad tristitiam componunt*, 766. B
Viaticum, *quid*, 436. A. 497. A
Viatores, *qui*, *& unde dicti*, 995. D. 1026. E
— *eorum crebrior opera quae*, 996. A
Vicarii, *qui*, 306. F
Vicarius *Vrbis Romae*, *cur caeteris praestantior*, 306. F. 307. A
Vicarius *Portus*, 575. E
Vice *sacra judicare*, 339. D. E. 341. D
— *quis hac propriè solus judicabat*, 339. E. F
— *Provinciam gubernare*, 339. E
— *cognoscere*, 339. D. E. 341. D
Vices *Praefecti Praet. agere*, 455. C. D
Vicesima, *quod vectigal*, 619. A. F. 620. A
Victoriatus, *qualis nummus*, *ejusque etymum*, 1179. F
Victus, *ejus mutatio*, *quae poena*, 648. D. F
Vicus *Patritius*, *unde ita dictus*, 1017. E
Viduæ, *earum luctus ad quantum tempus*, 787. C. D
Vinalia, *quod festum*, 883. C
— *cui sacra*, 883. D
— *cur Dies tristissimi dicta*, 883. E. F
Vincula *arculis*, *januis*, *&c. adhibita*, 812. C. F
— *antiquissimus claudendi modus*, 813. A. B
Vindex, *servus*, *quomodo manumissus*, 1147. A
Vinum *dolosum*, 689. E
— *coronatum*, 692. A. F
— *Nardinum*, 709. B. F
— *myrrhatum*, 710. B. F
——— *J. Christo datum*, 713. D
— *unguentosum*, 713. C. F
— *pro convivio sumitur*, 715. F
— *Rex & Imperator dictus*, 721. A. F
— *honorarium quod*, 727. E. 732. E
— *ubi recondebatur*, 730. E
— *Romae quibus vetitum*, 732. A
— *mellitum*, 732. B
— *castratum*, *quod*, 733. F
— *quomodo condiebatur*, *& cur*, 734. C
— *fumo inveteratum*, 734. D
Violæ *in coronis*, 696. A. D
Vir, *unde dictus*, (860.) C
Vires Tauri, *quid*, (859.) F. (860.) A. F
Virgæ *cur securibus alligatae*, 1064. A. B
Virgo, *cur supplicio non afficiebatur apud Romanos*, 635. B. C
Viri *an officium Praeficarum supplerent*, 775. E. F
— *num eorum uxores mortuas lugere compellerentur*, 787. C. D
Virilitas, *an de bestiis dicatur*, (860.) B. C
Vittæ *ob capitis dolorem*, 690. E. F
Vivas *in conviviis acclamatum*, 732. E
Vlpianus, *crudelissimus in Christianos*, 455. A. B
— *ejus libri ad Sabinum*, 322. C. D
Vnctiones *variae apud Veteres*, 708. A
Vnguenta, *quando primum in usu*, 681. B
— *simul cum coronis*, 681. B. F. 682. A. 686. D. E
— *iis perfundebantur coronae*, 706. A. E
— *cur in conviviis adhibita*, 707. B. E
— *vino miscebantur*, 708. A. E. 709. D. F
Vnguentum *Babylonicum*, 682. A. E. 706. A
— *Nardinum*, 708. D. 709. A. E
Vologeses, *Parthorum Rex*, *elephanto vectus quem fluvium trajecit*, 180. F. 181. A
Vortumnus, *vel* Vertumnus, *quis*, *& unde dictus*, 882. B. C
Vota *pro Principis salute*, *quo die suscepta*, *& quando hoc coepit fieri*, 1149. E

à qui-

--- *à quibus fiebant*, 1150. B.C
--- *etiam pro æternitate Imperii, & Civium salute*, 1151. C.D
Vrbaniciani, *qui*, 416. D
Vrbica *procuratio*, 350. A.C
Vrbs *Regia quæ dicta*, 415. B
Vrna *sepulcralis fictilis, ubi inventa, & apud quem servatur*, 756. A.C
--- *ejus icon & descriptio*, 757. A.C. 758. A
Vrsus, *an in Africa gignatur*, 204. B.C
Vtensilia, *quid iis continetur*, 572. A.C

X.

Ξύλινα ἱππικά, *qui Ludi*, 381. E.F
Xystus, *quinam locus, ejusque originatio*, 906. F
--- *ipsius dimensio*, 907. D. 908. A
--- *& Xysta an differant*, 908. B.E

Y.

Ὑλιστήρ, *quale vas*, 544. A
Ὑπασπισταί, *qui*, 450. C
Ὑπογραφεῖς, *quinam*, 520. C
Ὑποδήματα, *quæ tegumenta*, 573. E.F
Ὑποθῆκαι, *quænam mandata*, 364. F. 365. A
Ὑπομνήματα, 336. F. 377. A
Ὑπομνηματοφύλακες, *qui*, 440. D
Ὑποτεθειμένα, *quæ Rescripta*, 375. E

Z.

Zæta, *quid*, 595. E.F
Zætarii, *qui*, 595. F
Zanchæ, *quid*, 573. D.E. 574. A
Zibinni, *quænam arma*, 527. C.D
Zonæ *circa ventrem, quæ*, 404. D
Ζωστοί, *quinam dicti*, 313. D

FINIS.

ERRATA.

Pag. 42. l. 6. à fine, Αὐλήτου, l. Αὐλητοῦ. -- 100. D. l. 2. percius, l. *percitus*. -- 101. E. l. 2. Bullingerus, l. *Bulengerus*. -- 116. D. 1. elehpantos, l. *elephantos*. -- 123. l. penult. ΤΡΙΤΟΝ, l. ΤΡΙΤΟΥ. -- 150. l. 2. Justinu, l. *Justinus*. -- 159. E. l. 4. suisse, l. *fuisse*. -- 182. B. l. 4. elegantes, l. *elephantes*. -- 431. E. l. 3. Notitæ, l. *Notitiæ*. -- 556. D. l. 9. Auctores, l. *Actores*. -- 720. l. 1. tamen, l. *tamen convivii*. -- 874. D. l. 6. in actum, l. *id actum*. -- 881. F. l. 3. epist. l. *epigr*. -- 884. D. l. 1. post *illud* tolle punctum. -- 928. C. l. 3. cogitas, l. *cogitans*. -- 929. D. l. 4. Spondii, l. *Sponii*. -- 931. B. l. 9. Bodæum, l. *Brodæum*. -- 932. C. l. 5. Spondius, l. *Sponius*. -- 940. B. l. 2. capesset, l. *capesseret*. -- 942. C. l. 7. Τριγῳδίας, l. Τρυγῳδίας. -- 1010. B. l. 13. ebrabantur, l. *lebrabantur*. -- 1063. C. l. 11. pumicco, l. *puniceo*. -- 1070. C. l. 4. suff. l. *suff*. -- 1083. lin. ult. Fui, l. *Fuit*. -- 1110. F. l. 1. Vulcanis, l. *Vulcani*. -- 1138. C. l. 4. dele *Semestr*. ----- D. l. 6. Gildovico, l. *Gildonico*. -- 1148. D. l. 12. lib. 19. l. *lib*. 9. -- 1156. E. l. 7. Conturio. l. *Centurio*. -- 1164. lin. ult. tror, l. *lib*.